ANTONII BONFINII

RERVM VNGARICARVM DECADES QVATVOR CVM DIMIDIA.

His accessere

IOAN. SAMBVCI ALIQVOT APPENDICES, & alia: unà cum priscorum Regum Vngariæ DECRETIS, seu constitutionibus: quarum narrationes Bonfinij obiter meminere: & quæ pagina 16 indicat.

OMNIA NVNC DENVO RECOGNITA, EMENDATA, & aucta per IOAN. SAMBVCVM, Cæs. Maiest. consiliarium & historicum.

CVM INDICE COPIOSISS.

FRANCOFVRTI

Apud Andream Wechelum,

M. D. LXXXI.

Cum priuilegio decem annorum.

Rhodolpho II.
Imp. D. Maximill. II.
F. virtutum, Imperiiq; ſuc-
ceſſori felicisſ. Domino ſuo cle-
mentisſ.&c. Hanc Bonfinii auctam, re-
cenſitamq; à ſe editionem, vnà cum appen-
dicibus, ſubiectisſimè dedicabat eiuſ-
dem Maieſtatis clientulus, conſi-
liarius & hiſtoricus, &c. Iaon.
Sambucus D. 1581.
Viennæ.

INVI-

INVICTISS. POTENTISSIMOQVE CÆSARI

MAXIMILIANO II.

VNGARIÆ, BOIEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, &c. REGI; ARCHIDVCI AVSTRIÆ, &c. DOMINO, Domino suo clementissimo: Deinde Pontificibus, Comitibus, Baronibus, Equitibus, populoq; Pannonico, &c. Dominis & popularibus suis, S.

OMNIS hominum vita & memoria, quædam est Historia. atq; vt præteritorum exemplis ætas nititur sequens: ita præsens, cùm quid non leuiter aggreditur, vtrunque tempus coniungit. Sed vt hominum tria veteres genera prodidere: qui ipsi rebus suis volunt, ac possunt consulere: qui alienum, perpetuumq; subsidiũ expetunt: qui nec ipsi quicquam ingenio valent, neque amicorum ope vti solent: Ita qui negligunt quæ præteriere, sua parum norunt instituere: qui futura, velut sortem expectant, aliundeq; pendent, serui quodammodo naturâ videntur, & multa præter opinionem sustineant, necesse est: de tertio illo prorsus ignauo, & inerti ordine, nihil dico. Qui igitur vetustatis capiuntur obseruatione, cumque iis, quæ occurrere possunt, componunt, ad primum sunt aggregãdi numerum: qui lectionibus modò fidunt, & quæ abiere, tanquam κατακλυσμὸν γεγενῆσθαι, arbitrantur, aliorumq; se imperio, ac sensui obiiciunt, ad secundum: qui penitus omnem solicitudinem ab animo excludunt, ne quidem hominis illi merentur appellationem. Etenim cùm natura laudis stimulos, æternitatisq; cupiditatem nobis ingenerarit, qua aliis præstare, præesse authoritate velimus: relictos à mente, & iudicio, qui nocitura declinare, aut præsentire secutura nequeunt, existimo: quòd hominis, sibi cauere, sit: & ex disciplina Christiana, cum reliquo tempore quæ vsui sunt, communicare. Verùm enimuerò, post debilitatam vitio naturam, quando memoria nostra ea non sit amplitudine, & fide, complecti vt cuncta, & longius absentibus vel annis posteritateq; consecuturis, laudum vitiorumq; facta impertiri facilè posit (omnis cùm in tenebris præsertim vita laboret) literis illa testibus, simul & custodibus,

mandantur: vt quæ prouidentia summi Dei, vel hominum rectamēte, aut ambitione, & prorupta audacia suscipiuntur, aut gestāunt, velut in speculo imagines, ita historiæ nobis, cum initiis, causis, progreßibs, euentis, mutationes imperiorum, conuersiones, translationes, singulorum qnque horrēdas pœnas, virtutes omnium laude maiores repræsentent: quibus vlut ducibus, & adminiculis, nostra consilia & negotia formemus, & corroborti persequamur, in amicorum rebus prospiciendo vehementer cupiamus. Sun igitur vetustatis pronunciatores omnino necessarij, semperq́; vel ante Mosen fuere: alioqui vnde constitutionem vniuersi nobis ille tam dilucidè & plenè ob oculos posuisset, vimq́; intelligentiæ nostræ quæ superant, intimè aperuisse? Ac iure memoriam cum gratia illis præstamus: quòd qui digni sunt, laude eo non fraudent sua, nosq́; ad similia, & immortalitatem inuitent. Quare cùm ST. M. in primis, vos quoq; Patres, popularesq́; studiosißimos historiarum, vsu rerum etiam confirmatos, ac exemplar illustre rerum esse minimè ignorem: faclè amicorum ego cohortationibus adductus sum, vt Bonfinium à me recognitum, & quindecim libris, aliisq́; multis auctum, ornatumque, iterum edendum curarem: vt si qua nondum cognossetis, hinc peteretis: exteræ verò nationes, quid Pannonij olim valuerint, qua occasione infracti, depositique sint, secum expenderent: quæ spes reliqua sit, vosq́; populares maiorum exemplo, quid optare, tanti Cæsaris & regis auspiciis MAXIMILIANI II. *Domini nostri clementiß. & omnis Europæ societate, adiunctaque ope conari debeatis, certius consideraretis. studia enim vel remotißimarum gentium deesse nobis, haud conquerremur. Verùm tua, Cæsar Inuictiß. clementia, vestraque, Proceres, ac alij Ordines, venia, de historiarum proprietate, vsu, ratione, si quid hîc interposuero, non ineptè facturus, propter rudiores, videbor: deinde ad T. S. M. vosq́; patres, popularesque mea redibit, ipsumq́; Bonfinium, oratio. Historiam omnem quidam narrationem, cognitionem, inspectionem, audita quæ referuntur, definiunt: idq́; multiplici vocis potestate. Sed in Euterpe Herodotus* αὐτόπτην καὶ ἱστορεῦντα *non obscurè disiungit. Plato in Cratylo ab* ἱστᾶσθαι τὸν ῥοῦν *notationem ponit: quòd memoriam labilem, tanquam fluuium perennem sistat, & custodiat: quò & Cicero allusit. Quod si etymo nitamur, fortasse vim eius, si ἀπὸ τοῦ ῥεῖν τὸν ἱστὸν, quod est filum vel pensum ducere, currereq́;, ducamus, melius expresserimus: siquidem tracta & fluens est ipsius oratio, perpetua, & velut texta. Sed rem ipsam propius inspiciamus, deq́; proprietate vocem coerceamus. Ex Liuij vestibulo definitionem hanc colligere possum, vt sit, rerum gestarum varia, præsertim publicarum, ordinata, intellecta, vtilis, vera, & cum breuitate dilucida narratio: quod ipsum & alij multi, & Tullij encomium comprobat. Nec verò quis hac sententia illis Herodoti verbis demoueri patiatur,* ὀφείλω λέγειν τὰ λεγόμενα πείθεσθαί γε μὴν οὐ παντάπασι ὀφείλω. *Id enim de quibusdam obscuris, variaq́; iactatis opinione, quomodo & Liuius & alij quædam dubiè narrant, nō de vniuersæ historiæ dignitate accipiendum est. Nam tria sunt in rerum gestarum, omnisq́; antiquitatis annotatione præcipua, quæ reiici debent: cùm res ficta, & mēdax est: cum temporibus non consentit: quando studij morbo affecta, proprioq́; corrupta est iudicio. Certè si quid nescias, aut fingas, nihil fidenter cōstitutoq́; animo ex eiusmodi*

modi

modi narratione proficiſcetur: ſi erratum in ordine & tempore ſit, fidem recuſat poſteritas: ſi etiam officio nimio, ſtudióque obſequendi, aut calumniandi imbuta ſit, non id ſanabile vnquam vulnus erit, minus expoſitoris conſilium æquũ. Ea re, quando hiſtoria pura, vera, quod opus eſt, collocata, cum breuitate perſpicua, minimè affecta, vel multiplex ſcribi debeat: qui ad hoc ſcriptionis genus ſe contulêre, quanti ſint faciundi, quiuis animo comprehendere poteſt: cumq́ue actiones humanæ, præſertim ciuilibus negociis, aut ſingulorum moribus, aut familiæ adminiſtratione definiantur; terminatæ narrationes, vt doceant: non ementitæ, ne decipiant: non turbatæ, ne offendant: veræ, ne noceant: breues, expoſitæq́;, vt gratæ ſint, memoriaq́; ſepiãtur: non ad gratiam cuiuſquam, vel odium quæſitæ, ne ſuſpectæ lectorem alienẽt: ab alio, quã rerum geſtarũ authore, ſi fieri poteſt, confectæ, ne ſcrupulum ambitionis, fideiq́; animis cõmoueant: compertæ, teſtatæq́;, ne vanæ in errorem inducant: verbis & oratione congruæ, nõ omnino cultu poſthabito: digreſſionibus, niſi neceſſariis, & ad percipiendum reliqua inſertis, nunquam cumulatæ: concionibus liberæ, iudicio ſcriptoris & damnatiunculis vacuæ: niſi ex perſona aliorum, & exemplo, vt quid verum ſit appareat, id modicè fiat. Cohibebit narrator ſuum iudicium, epilogos, epiſodia, epiphonemata: nihilominus vitioſa, reprehẽſioneq́; digna, quæ ex virtute ſunt collocãda, Lector putabit: vt magiſtra ſit vitæ, lux veritatis hiſtoria. Adde, ne minima quæq; dramatis more inutiliter cõfectemur: quib. omiſſis, fraudi nihil cõtextui rerũ fiat. in quo peccare etiã Liuius fertur, cùm alibi, tũ in Hãnibalis tranſitu, minutiſſimè 3. Dec. deſcripto. Ita Xiphilinus è Dione, in T. Veſpaſ. de Domitiano, quòd muſcas eum captaſſe narrauit, veniã rectè poſtulaſſe ait. Adulatio verò, vt peſtis fugienda hiſtorico eſt: quòd ea corrũpantur omnia, obſcuritatem rebus prætẽdat, dubitationem velmaximè claris obiiciat. à qua ne Thucydides quidem in Athenienſiũ rebus liber fuiſſe, Diod. Siculo teſte, videtur. Vetus eſt, δεξιὰ τοὺς δούλους ἐλευθέρους ποιεῖ. *Poſteritatis ergo vſibus, ac intelligentiæ fideli inſeruiendum, nomina gentilium familiarumq́; apponenda. In qua parte mirari quoſdã emendatores hodie ſoleo, qui de Græcis interpretib. & trãſcriptoribus, priora Latina corrigere nituntur, vimq́; & confuſionem linguarũ idiomatibus afferre nõ verentur, nomina & cognomina variant. Ordo, vti quæq; accidêre, ſeruetur: nitor nõ omnino excludatur: redundent pauca verba, vt deliberationi anſam præbeant: pars tamen vt oratoriæ ipſa facultas eſſe deprehendatur, efficiendũ.* Ἀ᾽ μέθοδος *ſit diſpoſitio, & temporibus certa: expoſitio tamẽ artificioſa conſtet. Narrat quidem orator, ſed quia vehemens eſt, & victoriam quærit, in digreſſionibus, & tenẽdis auditoribus, liberior, effuſiorq́; eſt, vt vel ad fabulas interim, perſuadẽdi ſenſu, delabatur. At hiſtorico ſolum* τὸ πρᾶγμα *proponitur, velut craſſior, & priuatis exemplis oſtenſa cognitio: & breuiter* σύνεσιν *rerum,* καὶ δύναμιν ἑρμηνευτικὴν *debet expoſitor nõ vulgarem poſſidere. Dramata, & reliqua poemata, fictas actiones ſingularium proſequuntur imitatione: morum & vitæ circunſtantias, quæve naturæ conuenienter fiunt, de moribus diſputatores pertractant. Hiſtoria, niſi vtilia, vera, & publica, nihil ſumit: & ad politiarum conſuetudinem plerunque, & gubernationem reuocat. Poetæ ſola, certaque deligunt, delectatione condiunt, & ſuauitate auditores morantur:*

Historia plura, sine perturbatione, recto simpliciq; modo explicat. etsi non desint poetæ mixti fabulis, & rebus gestis, quibus extra hos aliquid cãcellos, dum tecti ambiguique historici videntur, permittendum sit: cuiusmodi Lucanus, Virgilius, Statius, Silius, Valerius, de Græcis Homerus, Apollonius, Orpheus, fuêre. Ordinis quoque, & συνθήκης poetarum ab historia ratio diuersa obseruatur, dum scenæ aliter, quàm posteritati iudicaturæ, præsentibusque testibus sit satisfaciẽdum. Dialogi inter hos medium, & quiddam magis philosophum sapiunt: siquidem eis res plerunque graues, cõtrouersæ, fictis etiam personarum sermonibus, qui nunquam fuêre, adducuntur: genus tamen dicendi tenuius, nec ἠθογραφίαις vsquequaque congruens: ne ex vmbris & scholarum suggestis, in forum & subsellia elapsi dicantur. Quare poeta semper imitator, pugnax orator, & argumentosus: historicus simplex, planus, certus, tutus, vtilis, nihil ἔξω τοῦ πράγματος accersens. ideo licet Homerus & Virgilius historias contineant, manent tamen poetæ: & poetæ, quales vix recentioribus historiis interdum postponas. Sed & in historicis quidam vniuersa, publicaq; edunt: alij membratim, atq; continuitate quiddam separatum proferũt: nec pauci, propter vnum scopum, multa & varia indidere. quidam singulorum vitas recitarunt, nõnulli temporum rationem singularibus conseruarunt. reperias qui contextui quasdam rerum ἐξηγήσεις copularunt, vt facilè dicas, hos Chronicos esse; alios Chronologos, topicos alios, & βιογράφους, καὶ τοὺς περὶ τὰ τῶν προσώπων: alios περὶ πράξεων καὶ τῶν πραγμάτων, multos παλαιοχρονοὺς, καὶ φυσιστορικούς. Iam ex his generibus sequitur, quid vtilitatis custodia rerum, & veritatis testimonia nobis præbeant. ac Lucianus breuissimè admonuit, cùm ait, ἱστορίας ἔργον καὶ τέλος, τὸ χρήσιμον: vt prosit, doceat, moneat, informet, constituat, quod salutare, eque publico bono, & separato videtur, in medium efficiat, atque suppeditet. nec abs re NaZanZenus in quadam oda συμφερτὴν σοφίαν vocauit: quòd vel oratores plus exẽplis, quã vllis coactis suis, & conglobatis sententiis obtineant. Ac mihi quidem illud in VII. Strabonis, de libera à coniugio vita, non malè ad ignaros historiarum referri posse videtur: qui cœlibes semiuiuos dixerit, vitæ humanæ parum vtiles, & dubiæ lucis: quòd pulcherrimum ille thesaurum se possidere censeat, qui ad vicissitudines, casusque humanos ratione exemplisq; munitus, aliis prodest, aduersa lenit: communia, non priuata duci, priuata moderari, leuare dolorem, diuturnitatem malorum præsentia & breuitate repræsentare didicit, secundis non effertur, fortunæ memor est. eamque ob rem Thucydides, κτῆμα εἰς ἀεὶ ξυγκείμενον historiam pronunciauit. Et, vnde quæso, vel Aristoteles sua Rhetorica, morum rationem, & huius generis, nisi de elogiis Isocraticis, & historiis inuestigauit? Iureconsultorum tot volumina quid, nisi causarum perpetua est commemoratio: circumsistentibus tamen & gentium varietate, Imperatorum iussis confirmata exempla? Nec eos vnquam probabo, qui vel pro tribunali ius dicundo, vel patrocinium aliis impartiundo, citra historiarum negotium, laudem professioni quærũt, πηλὸν ταῖς χερσὶ φυρῶν, στέαρ εἰς ἀρτοποιίαν τοῖς ποσὶ τυγχάνοντες: quòd ἱστορία φιλοσοφία τις παραδειγματώδης sit, rationes morum & indolis, consiliorumq; progressus philosophis & legibus concedens, nudum πρᾶγμα καὶ τὰ συμβεβηκότα ipsa retineat: vt philosophus vult ad Eudemum.

mum. Nec puto vllam esse ætatem, aut vitæ genus, quod magis, quàm ista cogitatione à molestiis auocetur, iucunditate morbos laxet, curis expediatur: nec vllius philosophi acumen ad diuinitatis maiestatem, naturæ obscuritatem, & opum, quas miramur, scientiam propius, quàm historici grauis, sibique & alijs parata memoria, penetrarit: quòd τὰ φυσικὰ minus, quàm singularia instruant, & condocefaciant. Verùm satis hæc sint de Historiæ laude, seu potius nimis multa, repetita. De Bonfinij nostri vita, patria, monumentis, ipse in 4. Decade prolixè meminit. quantum verò ingenio, non ad hoc argumentum modò, sed ad omnem omnino philosophiam excelluerit, Dialogi eius de pudicitia coniugali vulgò testantur, Herodianus, Hermogenes Latini: nec vino huic opus est hedera. Præterire tamen nequeo, paucarum esse gentium historias, copia & stilo pares: quantiuis alij Iouium suum faciunt, pronunciatorem grandem, nescio quàm sincerum. Ac memini, clarissimum & consultissimum D. SELDIVM sæpe dixisse, nullo se in scriptore, post Liuium, & æquales eius, quàm ipso hoc Bonfinio, vacuas horas libentius ponere solitum. Qui vir, si hæc reliqua eius, & quæ nostris vigilijs accessere, vidisset, omnibus fortasse recentioribus facilè hũc antetulisset. Nam XV libros adieci, quorum decem è Bibliotheca Dominorum Reuaij, cum alijs (credo) communicati, ad me peruenêre: quinque posteriores nobilissimus ac doctissimus antistes Varadiensis, Franciscus Forgatz, &c. ante paucos annos Oporino, typographo Basiliensi, à Christophoro Trecio primùm communicatos, liberaliter mihi detulit. Hũc nostrum laborem maximus quoque archiepiscopus Nicolaus Olahus, &c. suo Atila, per ocium olim in Belgis, dum consilijs & fisco reginæ Mariæ præfuit, conscripto, non difficilè cumulauit. Quæ in extremo sunt, nostris lucubratiunculis, velut maiorum vigiliarum specimen, prodeunt. Cæterùm vt Bonfinij laudes non sunt obscuræ: ita dissimulare nequeo, nõnihil ipsum officij sui interdum oblitum, in mores priuatos & vitam calumniosè, impotentiusq; effusum: secus quàm Liuium, Salustium, Tacitum, Suetonium, in Romanos orbis dominos, gentemq́ue togatam, fecisse cõstat: idq; fortasse redempto à Matthia iudicio, & calamo eius, quæ rerum seriei nihil detrahunt. Nec Matthiæ tamen pepercit: quem impudentem, voluptuosum, theatris deditum, ambitiosum, ferum, in adiungendis amicis præcipitem, in relinquendis facilem, adulatoribus benignum, immemorem beneficiorum, ausus sit dicere. Quid grauius in tantum regem dixeris? vt mihi, ætatum contrariarum vitia exaggerare, more Philosophi in secundo Rhetoric. potius, quàm eis locis texere historiam voluisse, sit visus: quòd ἐξ ἠθοποιΐας, causæ occasionesq; bellorum facilius Lectori patere soleant. Ac potuissem sanè quædam iustè litura inducere, nisi aduersariorum stilum & intemperantiam metuissem: qui proni quauis de causa, in legem Cornel. de infamia facilè ruunt: ac constaret, bonos viros τὰ ἔργα, οὐ πάρεργα considerare debere: nostro verò hoc sæculo grauius etiam in manifestis, & heri actis rebus, odio vel precio in historiis peccari. Ac in ea sum spe, V.C.M. omniumq́ue bonorum gratiam his vulgatis mihi adiunctum potius, quàm vllam creatum iri offensam. supplexq; oro T.M. vosq́ue populares, vt meis propriis huius generis conatibus benignè adsitis: quòd per se hæ vigiliæ, seu πραγματεῖαι non sint πολυτάλαντοι, T.M. principumq́ue

liberalitatem exigunt: quam nulla in parte mihi defuturam, omnino mihi polliceor. Itaque vt ſit, Deum Opt. Max. intimè precor: qui V. M. ad ſalutem communem, ſuorumque, diu tueatur: vos verò, populares, ad patriæ antiquam laudem facinoraque excitet, in amore & cultu tanti regis perpetuò conſeruet. Valeat V. C. M. vóſq; Patres, & Ordines *reliqui afflictæ Pannoniæ: meúmque ſtudium, qui* X X I I. *annis peregrè verſatus, admodum iuuenis primitias ingenioli edere ſim auſus, annis iam maturi, & laboribus conſueti, boni conſulite. Viennæ, in feſto Ioann. Baptiſtæ, natalis mei: quo* X X X V I. *annum ætatis agebam,*
σὺν Θεῷ, Amen.

S. Cæſ. Regiæq; M.

Clientulus, Aulæq; familiaris
& hiſtoricus, &c.

Vobisq;, Patres & populares,
dediſſimus, &c.

Ioann. Sambucus.

GENERO-

GENEROSO ET MAGNIFICO DOMINO, D. FRANCISCO à Reuua, Comiti Turocensi, serenißimi Romanorum, Vngariæ, Boemiæ, &c. Regis consiliario, regniq́; Vngariæ Palatino, Domino suo obseruandißimo, Martinus Brennerus Bistriciensis Transsyluanus

S. P. D.

CVum anno abhinc tertio Lippi Brandolini ad Matthiam inuictissimum Vngariç regem Dialogum edidissem, vir ornatissime, multaque ibi de reb. Vngarorũ præclarè gestis occurrissent: gentis nostræ exordia tacitus mecum cœpi perpendere, quib. artibus tam opulentissimam regni possessionem acquisiuissent, retinuissentq́: (artibus enim eisdem acquiruntur regna, & retinentur) quibusque, subsidēte paulatim à Matthiæ regis morte maiorũ disciplina, Turcarum id libidini cessisset: non mediocriter dolere cœpi, tot fortia maiorum nostrorum facta, totque præclaras victorias ab Occidentis primùm populis, Turcis deinde (quorum impetum, postquã infausto hi sidere ex Asia primùm in Europam traiecerũt, nullis externis auxiliis adiuti, à centum annis soli ferè sustinuerunt) magno sudore & sanguine partas, à nullo (quod equidem sciam) Scriptore lumine orationis illustratas fuisse. Vngarorum enim Annales, præter nudam simplicemque rei veritatem nihil in se continent: vereque magis, multis in tanta imperitia negligentiaque omissis, quàm disertè sunt conscripti. Nam literarum studia nostris hominibus (qui ab eo tēpore, quo relictis sedibus suis, in Pannonias migrauerũt, semper aut externis bellis distracti fuerunt: aut vicinis quiescētibus, sua in se arma, Scythica eos feritate subigente, conuerterunt) nunquã patuêre. Quare non mirum, in tanto armorum strepitu raros, aut nullos, apud nostros, qui tam honestam scribendi prouinciã susciperent, extitisse. Illud magis mirandum, vicinas nationes, apud quas in altissima pace optimarum artium disciplinæ semper floruerũt, doctisque hominib. honori, laudi, emolumēto que fuere, tam pulchrã scribendi materiã, in qua eruditionis & eloquētiæ ostentandę latissimus cãpus patebat, quaque vix alia ad immortalem gloriam nominis acquirendam erat præclarior, neglexisse. Iis his quum essem cogitationibus, non sine mente, reor, ac numine diuûm, Frãciscus Abstemius archidiaconus, canonicusque Albæ regiæ (vir præter solidam, quã in se habet, eruditionē, multis præclaris virtutib. instructus atque ornatus, mihique amicitiæ vetustate cõiunctissimus) collegij Albēsis, in quo agit, cuique ego, quæ habeo, omnia libēter me debere fateor, ad serenissimũ Ferdinandũ regem Viennam venit. Qui quum pro amicitiæ iure me accessisset, salutassetque, de præsenti rerum Vngaricarum statu à me interrogatus, complura Albensium (qui post occupatam à Turcis Budam, etiamsi in tanta vicinia crudelissimum hostem quotidie ferè vrbis portis insultantem viderēt, in [illegible]e regia permanserant) fortia facta enarrare cœpit. Eos leuib. in præliis vbique ferè superiores fuisse: crescēteq́ inde audacia, ciuitate egressos, ex Budæ suburbanis, Turcisque, qui secundum Danubium Budam ascendunt, prædas egisse: ex quib. multos cæsos, cõplures vinctos Albã pertractos fuisse. Vngaros sitis, inediç, æstus, frigoris, laboris patiētissimos, vitæ prodigos, in mortem & vulnera ruere: vix aliam gētem esse, quæ Turcarum furori æquè posset resistere, si eorũ vi[illegible]tus multitudine hostium non obrueretur. Hęc quum ille grauiter, vt solet, cõpositeque dif[illegible]fereret, multũque amici hominis oratione afficeret, temporũ inscitiam, hominũque ingratitudinem ipse detestari, quòd vetera recentiaque Vngarorum acta, quæ ad excitandos in tanto periculo principes Christianos haud parum valerent, à nemine conscriberentur. Nec enim sermo[illegible]us hominum omnia pro rei magnitudine ac dignitate, ad gentes procul dissitas perferri: omi[illegible]ti multa, multaque interdum vana admisceri. Res gestæ (inquit ille) nostrorum temporũ, in tan[illegible] doctorum, quibus seculũ istud abundat, prouentu conscribuntur fortassis. Cæterùm quæ[illegible]unque ab Vngaris ab eo tempore, quo Tanai paludéque Mæotide emensa, primùm in Euro[illegible] peruenere, gesta sunt, ea omnia ad Matthiæ regis vsque tempora, Antonius Bonfinius triginta Libris elegātissimè complexus est: cuius libri, inquit, copiam Paulus Isthuanfius, vir & lit[illegible]ris & genere ornatissimus, superiorib. diebus, dum Quinqueecclesiis agerem, mihi fecit. Eo dicto mir[illegible]ficè exhilaratus, hominē rogare, daret operam, omnēque moueret lapidē, vt thesauro tanto poteremur: quod illi quidē haud difficile factu fuit. Nã Isthuanfius ea qua est eruditione, candore, humanitate, adeò facilē se nobis hic prębuit, vt misso celeriter libro, vltrò etiã ad edendum me hortaretur. Quanquã aũt liber imperitia librariorũ, qui ex Budēsi exemplari αὐτογράφῳ hunc descripserant, multis in locis deprauatus esset, quibus castigandis restituendisque non parum operæ mihi insumptum est: neque tñ in tanta tēporis angustia, qua bibliopolis nostris, ad mercatũ Francfordiensem profecturis, edendi libri prouincia demandanda erat, pro dignitate quæque à me restitui potuerunt: editionem tñ longius differre nolui, ne (vt labilis fluxusque est [illegible]m humanarum status) intercideret aliquid, quod editionē interturbaret, remoraretur que, Historięque studiosos tantarũ rerũ cognitione fructũque fraudarē. Hoc enim affirmare ausim, Boemos, Germanos, Italos, cæterósque, quib. nostra primùm tempestate Turcica arma cognita esse cœpere, multis vix periculis, Turcarũ in armis morē, bellandi ritũ, insidias, fraudes, astũ, celeritatē [illegible]percipere posse, quemadmodũ hic oculis subiecta propositaque cernuntur: possúntque Imperatores nõ prorsus αἰσχρῶς inde instrui, quomodo cũ Turca deinceps bellandũ sit: nimirũ, si posteris nostris rectè consultũ, liberisque esse volumus, nullis vt cladib. deterriti, fractique, Mithridatis Pontici exēplo, veterũque Rom. more, fortiores in hostē insurgamus, eorũ vim audaciãque tolerantia ac assiduitate frangamus: ad hæc, milite quã hactenus instructiore,

laboris patiente,magisque in armis exercitato vtamur.Quibus si disciplina,sine qua haud quicquam prosperè vnquam gestum est, seuera accedat,tum sanè de victoria bene sperãdum foret. Neque.n.Deus in finẽ crudelissimis nos hostib. irridendos & conculcandos obiiciet: si eo primũ placato,fortia cõsilia fortesq; animos induerimus,nullũque hostib. fracti & debilitati animi signũ dederimus.Nã qua alia re Vngari Mahumetem,expugnata Constantinopoli,eiusque Imperatore occiso,Grçcia vniuersa domita,ad hæc Thracib.Thessalis,Illyriis,Bessis,quos nunc Bosnenses vocant,debellatis,lõgo rerũ successu elatũ & exultantẽ,cum innumeris Asiæ Europæq; populis in se venientẽ,tot exercitib.eorũ ab Amurathe prius occidione cæsis sustinuerũt, nisi inuicta animi fortitudine,audaciaq; incredibili?Quàm parua Huniades manu,post Merulç statim,Varnẽsemque,atrocissimas clades,multa Turcarũ milia cecîdit? An nõ Mahumetẽ,eundẽ qui destructo Græcorũ imperio,Hydrunto in Italia expugnato,ad hæc in Asia Trapezuntio Imperatore è medio sublato,Orbis terror dici volebat:Belgradũ cuniculis,bombardis,omniq; telorum genere quatientem,facta derepentè cum paucis eruptione,turpiter ab oppido reiecit: castrisq; exutũ,amissis impedimentis,in fugã turpissimã coniecit?Cuius filius Matthias rex,patre suo haud deterior,Iaiczam Bosnæ regiã, Sabaczq; munitissima castra duo,exiguo sanè exercitu,virtute magis quã numero militũ suorũ fretus,eidẽ Mahumet vi ademit.Quẽ nisi domesticæ seditiones,vicinorũque principũ intempestiua bella detinuissent: ipseque Ladislaus,qui illi in imperio successit,pulchrè institutã à Matthia militarẽ disciplinã seruasset,eiusq; tot pręclaras victorias persequutus fuisset:næ nos calamitatẽ omniũ,quæ postea sequutæ sunt,quibusq; nũc inuoluimur,expertes,tranquillã & felicẽ in præsentia vitã duceremus. Sed rex ocio deditus,leges præscribere,responsa dare maluit:quã suos in armis,ad quæ tractanda appositi maximè esse videntur,exercere.Quç remissio tãtum mali attulit,quantũ à viginti annis vidimus.perpessique sumus.Sed quando,vt ille ait,præterita reprehendi magis quàm corrigi possunt, quum eò iam deuẽtum sit,vt pestem in horas nobis imminentem,nõ nisi fortiter pugnando effugere liceat: agendum certè,si salui esse volumus,in tanto periculo magis quàm consultãdum est: omissaq; anxia nimis & solicita cõseruandæ vitæ cura, mors imminenti seruituti turpitudiniq; anteponenda.Audacia enim magis quàm lentis cõsiliis(quibus tñ in bello ita funesto,fortibus sanisq; semper locus erit)hostis iste deterrendus est.Alioquin si qua cœpimus via pergemus,horret animus dicere,quæ nos pericula calamitatesque manent. Verùm hæc non sunt huius temporis locique.multa.n. à doctis excellẽtibusque viris, ducibusque fortissimis in hanc rem sæpe dicta scriptaque sunt,scribũturque quotidie cõplura. Ad Bonfiniũ redeo. Quẽ aut morte præuentũ, aut re quapiam graui impeditum,arbitror tãto operi non potuisse extremam limam inducere. Quamuis.n.absolutũ opus,quod ad Historiã attinet,vndequaque sit:pleraque tñ concisa abruptaque sunt.nisi librariis indoctis,qui librũ descripserunt, id velimus attribuere. quod etiã ipse vt credã,facilè adducor.Multorum.n. manus in Exemplari agnoscebatur: vnde furtiuis & succisiuis operis,alicuius episcopi iussu clàm descriptũ fuisse puto. Nã quantũ Author ipse dicẽdo scribendóve valuerit, libri ab eo conscripti,eque Græco traducti,satis declarant:ex quibus Hermogenis Rhetorica,clarissimo Matthiæ regi nominatim inscripta & dedicata,nuper vidimus. Ipse autẽ præter has Decades,quas rogante iubentéque Matthia rege se aggressum fuisse dicit, Philostratum & Herodianum è Græco transtulisse se, Beatricisque Symposiũ scripsisse,hoc in volumine testatur.Talem igitur,tamque præclarũ Auctorem quum emittere decreuissem, magnificæ Dominationi vestræ multas ob causas nuncupare volui:quarũ præcipuç sunt,quòd me, hominem aliàs sibi ignotũ,ad se sæpe vocarit, honorificè exceperit,opẽque suã(si qua re egerẽ) liberaliter obtulit,maiorẽque quã ipse à tãto viro vel sperare vel optare ausus fuissem promisit. Quæ omnia animum generosum,virtutis amatorem & admiratorem eximium,in primis ostẽdunt.Hac enim magnificentissima humanitate,cãdore,liberalitate,doctissimi quique Germaniæ viri,optimarum artium,veræque pietatis ceu lumina quædam,allecti, missis crebrò literis, fauorem beneuolentiámque tuam insignissimã demereri student:eiúsque prudentiam eximiã, vitámque,in tanto honoris,ad quem præclaris virtutibus suis aditum sibi patefecit,fastigio,ab omni fastu alienam passim prædicare. Quas tu sanè, tanquam κειμήλια preciosissima, diligenter seruare,hísque longè magis quàm auro aliísque gẽmis(quæ tñ in tanta dignitatis eminentia tibi fortunatissimo deesse nõ possunt) oblectari,probatísque quandoque viris soles ostendere. Nõ enim solùm,vt ille ait, *Principibus placuisse viris, non vltima laus est*: sed & doctis,præclaris virtutibus instructis & ornatis viris placuisse, ab iisque laudari,ea verò egregia laus est. Habes autem,vir præclarissime & prudentissime,Principis serenis. Ferdinandi regis(virtutum omniũ censoris eximij, grauissimique) amplissimum etiam de te testimonium: qui in tanto procerum nobiliumque Vngariç numero,te solum maximè dignum esse putauit,cui summa absolutáque, & qua maior post regem apud Vngaros nõ est,Palatinatus dignitas potestasque crederetur,cõmitteretúrque. Quare ita multorũ animi exhilarati erectique sunt, vt in calamitosissimo præsentis regni statu,hac parte felices se putent:gaudeátque cordatũ, sapientem,iuriũque regni peritissimũ moderatorem se nactos esse,qui è nobilitate cõplures opibus potentiáque sua magna confisos,sublatis legibus,licentia abutentes,in ordinẽ sit redacturus. Neque verò spe sua hi frustrabuntur,vbi Deus optimus maximus,pro sua misericordia,hostibus à ceruicibus nostris depulsis,modum tot calamitatibus imponere dignabitur. Te itaque,decus nostrũ splendidissimũ, bene & feliciter valere cupio: cui me,vt patrono meo singulari,diligẽter commendo. Viennæ, Calendis Septembribus, Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo tertio.

ANTO-

ANTONII BONFINII DE REBVS VNGARICIS AD DIVVM VLADISLAVM, SERENISSIMVM VNGARIÆ Boemiæq; Regem,

PRÆFATIO.

CONTEMPLANTI *mihi sæpe, quàm felix & fausta vniuersæ Pannoniæ, Maiestatis vestræ fuit electio, Princeps serenissime, & quantum illa vtilitatis affert, in dies profectò maior occurris, opinionem superas, & animum in altiorem trahis admirationem. Iam illud sat exploratum habeo, quod ex Apostolico ore proditum est, omnem à Deo esse potestatem. Omnia enim, vt diuus inquit Iamblicus, ita instituta sunt, vt nusquam vel minima quæque à Deo deserantur. Vbique Diuina vnitas viget, per quam res quæque consistunt, ac perpetuo quodam mutuoq́; circulo ad Deum ipsum, à quo & in quo sunt, mirabiliter rediguntur, alioquin in nihilum cuncta proruerent. Ab vnitate Diuina omnia prodeunt, prodeuntiaq́; vnitatem quandam ipsis impressam retinent, Diuinæ vnitatis imaginem, qua & reuocantur in illam, & reuocata præficiuntur. Deus igitur, quum nihil ordine duceret antiquius pulchriúsque, eum ne qua res confusione turbarentur, illis imposuit. Varia edidit Angelorum agmina, vt aliis alia præsiderent, eósque non solùm cœlorum orbibus, sed corpora quoque cœlestia inferioribus præfecit, vt suum res quæque sortita moderatorem, ritè gubernaretur. Multa quoque vltro nascuntur, è cœlóque sunt sortita semina. Prætereà non modò curandis variis rerum generibus diuersas Angelorum præfecturas imposuit, & suum cuique homini Calodæmona dedit, verùm etiam vt res humanæ ritè gererentur, gentibus terrarum Principes delegauit, quos quidem eos esse voluit, qui homines, quanto cæteris animalibus præstant, tanto hi reliquis hominibus sapientia & probitate præcellerent, hos Populorum Pastores appellat Homerus. Quorsum igitur hæc Rex inclyte, nisi vt te, quod quotidie facis, non tam hæreditario iure, & humana optione, quàm Diuino iudicio, tot gentibus ac regnis intelligas esse præfectum? Per me Reges regnant, & Principes imperant, inquit Deus. Quanquam præ competitorum inuidia, bello carere nequiuisti, à pace tamen & pietate, item religione, clementia & mansuetudine. fluctuantissimi regni gubernationem auspicatus es. Atque vita, quàm his tuarum virtutum comitibus carere maluisti. Contrà nonnulli, à ferocia & crudelitate sumendum initium esse duxerũt, diutinóque bello defatigandos & exhauriẽdos populos arbitrati sunt. Tu quum nihil pace duceres antiquius, laboriosa quietis fundamenta iecisti, & duobus circiter annis effœtæ Pannoniæ, quod antehac nunquam illa nouerat, ocium peperisti. Tanta in omnes à Maiestate tua integritas cum æquitate est exhibita, vt ab æquo nunquam examine declinaueris. Obaudis factiosos, delatoribus aures occludis, nõ credis quicquam temerè, multa dissimulas, dissidentes componis animos, inexplebilem auariciam coherces, ambitionem reÿcis anhelantem. Deprehendis artes hominum, deprehẽsisq́; subrides. Ad hæc, inter omnes Proceres amorem concordiamq́; disseminas, non mutua refers odia, sed exulcerata curas pectora, quod plerique Principes, qui Tyranni potius, quàm Reges appellandi sunt, vt inter discordes & infectos Proceres facilius imperarent, sanè contempsere. Dum hac fida vteris taciturnitate, quæ certò paterna dici potest, exploratas tibi omnium mentes habes. Dum reconditum tuum & occultum semper habes animum, mentemq́; omnibus abstrusam, cum mira grauitate coniunctam, nimirum nemo est, qui sapientiæ tuæ altitudinem expiscetur. Accessit ad hæc clementia singularis & mansuetudo ingens, qua omnes, qui à tua fide defecerant, & qui aduersariorũ partes sequuti sunt, haud difficulter sunt impunitate donati. Ex quo factum est, vt hæc pientissimi, tanquam patris indulgentia omnes sibi conciliauerit inimicos, qua quidem indulgentia, si quis in posterum abutatur, is profectò nõ tam aliÿs, quã sibi parabit interitum. His igitur artibus, Princeps serenissime, æstanutẽ Vngariã pacasti, &*

longæ quietis fundamenta iecisti, Numam Pompilium imitatus. Romulus namque à bello Vrbem fundare cœpit, & armis amplificauit, contrà Pompilius, quam fundatam accepit, pace religionéque muniuit. Nemini bellum, præter quàm Turcis immanibus indixisti, quibus cum perpetuò dimicare decreuisti. Ne satis quidem adhuc tuæ pietatis officio factum esse putabas, nisi de mortuis non secus ac de viuis hominibus bene merèri viderere, Diui Platonis verbis admonitus, qui, Si vita defunctis, inquit, ex inferis redire liceret, nulla profectò re alia mallent, quàm vt si bonum inter viuos nomen haberent, melius præstarent, sin verò malum, mutatis moribus, bonum efficerent. Seruatis ditionis tuæ populis, qui nunc viuunt, ad antiquorum memoriam reuocasti, effecistíque, vt cum his illi æquè viuerent, quin etiam perpetua vita fungerentur. Nam Vnnorum Historiam, qui Vngarorum fuere progenitores, à Matthia Rege mihi delegatam, & paulò ante eius obitum initam, vt conscriberem, ab origineque mundi ad hæc vsque tempora, quæcunque memoratu digna intercessere, memoriæ traderem, iussu tuo factum est. Omnia facilè interitura reputabas, nisi quæ literarum viuerent monumentis. Eò tandem tuæ gloriæ nomen euectum est, vt omnes te viuos & mortuos iuxtà promeruisse prædicent, & vtrique, immortales beneficentiæ tuæ gratias debere ingenuè fateantur. Opus igitur hoc Maiestati tuæ, summa eloquentia & eruditione præditæ, vt par est, iure dicamus, vt cuius beneficentia singularis ad scribendum impulerit, id eius Principis numini dedicetur. Sed vtinam materiæ dignitati, auribusq́; tuis labor iste satisfaceret. Verùm quum te non tam iudicem elegerim, quàm appellauerim assertorem, religiosa hac dicatura ne parum quidem fortasse proficiam, quippe quæ omnem iudicij seueritatem, & inuidorum maledicentiam inclinabit. Ego autem hîc ne Anaxilaum quidem & Theopompum imitabor, ne quid præter meum agam institutum, qui in Historiarum proœmiis Scriptores alios variis calumniis sugillarunt. Sed mecum seuerissimo cuique Censori mitius est agēdum, quandoquidem eam scribere sum iussus Historiam, quæ grauis & recondita est, ac nullis ferè Scriptorib. illustrata, & si qui reperiuntur, hi perquàm pauci sunt, ac ineptissimè barbarcq́; scripsere. Quis igitur gentis Scythicæ gesta, variáque imperia in tanta bonorum Scriptorum inopia facilè scripserit? Proinde quanti momenti sit res ipsa Scytharum, facilè hinc intelligi potest. Assyrij, qui se primùm regnasse gloriantur, exiguam Asiæ partem tenuerunt, quibus exactis, Medi in regno, vix ad quartam vsq; progeniem permansere. Succedentes Persæ, vniuersæ Asiæ, quamuis infestata Europæ parte, vix ducentos circiter annos dominati sunt. Macedones, fractis Persarum viribus, post Alexandri Auctoris imperij mortem facta secessione, amplissimum dominatum labefactarunt. Athenienses oris tantùm maritimis, quæ intra Pontum Euxinum, Pamphiliumq́; pelagus fuere, annos vix duodèseptuaginta imperarunt. Lacedæmones Peloponesum, reliquámque Græciam adepti, imperium in Macedoniam vsque protulerūt, mox à Thebanis afflicti, ne triginta quidem annos regnasse dicuntur. Romani, domitis Carthaginensibus, rerum potiti, diutissimè vniuerso orbi, quacunque adiri poterat, iura dedere. Gens denique Scythica (aliorum pace dixerim, ne imperij Romani Maiestatem lædere videar) hæc omnia superauit, & præsertim Gothi, Vnni & Vandali. Gothi nanque propriis sedibus ab Vnnis eiecti, in Asiam & Europam prorumpentes, Romanum ferè imperium deleuerunt, & in occupata adhuc Hispania imperant. Vnni Vngarorum progenitores, qui adhuc latè dominantur, non modò Pannonias, & Illyricum, sed cum magna Italiæ parte, Germaniam Galliamq́; euerterunt. Vandali per Europam aliquandiu grassati, primò Hispaniam, deinde Aphricam sibi occuparunt. Quid Sauromatæ, tot gentium auctores, quid Longobardi, quid denique Sclauones, per tot nationes & linguas amplè diffusi gesserint, à senioribus potius, quàm Scriptoribus accepimus. Quorsum igitur hæc? nempe vt omnes intelligant, me ne leue quidem onus subiuisse, hoc Volumine tot populorum gesta complexum. Quin & illud accedit, vt aiunt, imaginem nostri animi esse orationem. Proinde Princeps pientissime, opus tibi dicatum æquo animo accipe, & immortales Deos imitare, qui paruo thure placantur, nec minima quæque sacris operantium munuscula abominantur, vbi si quid laude dignum inueneris, id serenitatis tuæ numini tribuendum, quæ ad scribendum impulit, & aspirauit: sin verò quid ineptum, rei magnitudini, imbecillitati meæ, ac temporis breuitati imputandum, quæ fœtus edidit immaturos. Vale igitur felix, & Libros perlege, vbi cuncta Maiorum tuorum gesta, non sine voluptate summa, recognoscere licebit.

LECTO-

LECTORI S.

SECVTI sumus hac editione priores tres Decades Bonfinij, ex regio illo Dn. Reuaiorum ac Brenneri codice: ac, ne cui fraus facta videretur, varietatem ex Oporini impressione, quæ aliquot locis ex codice Polonico (fortè Lasciano) & aliis quos laudat Bonfinius, lacunulas nominaq; subiecerat, sine disputatione hîc apposuimus. Tu hoc studium boni consules, atque erratula leuicula, præsertim typica, si occurrent, æquè accipies. Vale.

Pag. 8, *v.* 32. *Oporiniana editio habet* Dromichetem *pro* Dromicherem. *sed id leuiculum: sicut* Amaxobij *pro* Amasobij, *versu* 35. *Et legitur quoque* ss, *pro* x. *Pag.* 9, *vers.* 24. è Scandia primùm effluxisse *pro* primùm eduxisse, *scholiolum videtur: nec Bonf. habet, nec* effluxisse *congruit. Pag.* 18, *v.* 10. nimis *pro* cuiuis. *hoc aptius ob* multitudo adoriatur. *Pag. eadem, v.* 35. quem ab auibus è lec. *rectè additum sequentia monent, licet C. careat. P.* 23, *v.* 17. vicis. *malo* vitibus, *quòd ea regiuncula ea nobilitate excellat. Pag.* 32, *v.* 25. Danastrum *pro* Denceper: *sic hodie Moschi: alij* Danistrum. *Pag.* 42, *v.* 3. tantæ rerum amplitudini, imminentiumque peric. *Pag. eadem, vers.* 29. *Bonf.* Euiani, Chumi. *alij*, Et iam Chuni. *Ibid. v.* 32. minuerant *melius quàm* muniuerant. *P.* 44. *vers.* 45. *alij* Balthorum & Balthiorum, *quasi ad Balticum sinum: licet ex Bathoriorum familia nunc sit rex Poloniæ. Ibid. vers.* 53. *lacunam non ita necessariam video: ita tamen explet Opor.* impetrarant, ac deinde Gothorum metu in Gallias se receperant, maiori formidine nunc affecti, in Hispaniam traiiciunt: quo pacatam Ataulphus Galliam inuenit. *P.* 49, *v.* 43. regio me munere dignum iud. *pro* regis me mun. iud. *idem est. Pag.* 53, *v.* 55. adsciueram, mecumque pariter regnare iusserã, præ, *&c. sed epexegesis suspecta videtur. P.* 55, *v.* 22. *in Opor.* Vnnerico *legitur pro* vitrico. *& v.* 23. spicionem nares absciditset, turpique vulnere deformatam patri. *quæ Bonf. Cod. non habet, licet verum ex Græcis quoque sit. P.* 56, *v.* 15. *post* Henricum *Oporini editio* Rothanerim *adiungit. Pag.* 59, *v.* 1. oratione *pro* occasione. *idem est. P.* 60, *v.* 45. supplicio *pro* iudicio. *quod Sallustianum est. P.* 67, *v.* 46. bellicis diei lab. *epitheton redundat. P.* 68, *v.* 11. imperatoriam gratiam. *P.* 77, *v.* 48. *alij* fatum *pro* statum. *sed quid ad coniugium? P.* 81, *v.* 45. *rectius* mortem *reposueris pro* vitam: *quanquam hoc sit in Brenneri & Oporini editione. P.* 84, *v.* 24. *quidam malunt* Ismacum, *quidam* Isinacum, & Isinacum. *B. Elysæ sedes est. Pag.* 85, *v.* 40. Merouecum *melius. P.* 88, *v.* 6. *additur post* Atila, *ex Lasciano cod. nõ necessario*, partim quia loci benignitate delectabatur. *P.* 89, *v.* 11. vrbe Delminio *credo legendum: quamuis Luzinum extet. Ibid. v.* 37. vici *malo pro* viri. *Pag.* 90, *v.* 8. *Opor.* equestre Argos *pro* equestres agros. *vtrumque constat. Pag.* 94, *v.* 37. *adde* tradunt *ex Opor. post* esse. *P.* 95, *v.* 44. *Lasc.* quod consternaret. *Pag.* 101, *v.* 3. *lege* dum *loco* quum. *Post vers.* 6. non tantùm à Val. *Ibid. v.* 20. *malè* immitissima gente. *P.* 103, *v.* 9. *Lasc.* abstinere iubentur. *P.* 105, *v.* 20. *quidam* recepisse *malunt pro* recessisse.. *P.* 106, *v.* 32. gratissimo animo *Opor. & pag.* 108, *v.* 12. Andoini, 22. Erelina, 53. Rugorúmq. *P.* 109, *vers.* 41. *mallem* Nesitanam. *alij* Naisitanam. *Pag.* 110, *v.* 55. Margum amn. *aliis arridet: vbi Margenfeld. P.* 114, *v.* 45. arua rec. *Opor. Pag.* 110, *v.* 34. superueniente Chacanno *ex Ranzano. P.* 120, *v.* 33. Adoloaldus & Aldaoldus *quibusdam. P.* 121, *v.* 30. satiando appetitui. *irrepsit participium ex margine. P.* 126, *v.* 39. Ne eius quidem pop. Rom. *Bonf. habet: sed rectè loci nomen additur, vt sit*, Ne Forum quidem populi Rom. *Pag.* 128, *v.* 48. Luitprandus. *& v.* 53. *pro* Æmylio *legitur etiam* Miluio, & Moluio. *Pag.* 130, *v.* 22. sedem. *Opor.* fidem: *tolerari potest. P.* 131, *v.* 46. rediere *post* maximo *interserendum ad sensum. Pag.* 132, *v.* 49. *quidam* suo *pro* se & è. *stat vtrumque. Pag.* 134, *v.* 37. Chacorum *vel* Chyacorũ *idem. P.* 135, *v.* 15. propulsare Scyth *sed* propagare *sensui conuenit. P.* 137, *v.* 20. indignus *melius quàm* iniquus. *Pag.* 141, *v.* 11. conspicati *habet Opor. Bonf. verò* auspicati, *id est diuinantes. P.* 142, *v.* 12. conscia *placet, non* conscita. *P.* 143, *v.* 47. Ringinum: *quidam* Rhegium, *alij* Rhagurium. *P.* 144, *v.* 11. Campulo, *vel* Pampulo: & correpserat, *p* correxerat. *Ibid. v.* 13. diui Erasmi *Ranz. & v.* 20. pontem Moluium *Sallustio. ab Æmylio Scauro fuit ædificatus. P.* 147, *v.* 6. dimisit *probatur, non itẽ* diuisit. *& v.* 10. Benonẽ *Bonf. alij* Benoniam. *P.* 149, *v.* 39. sed cumulatas. *P.* 150, *v.* 22. Sabba *legitur in Opor. pro* Galba. *Sed* Salba *verum. Pag.* 151, *v.* 25. Gallo: *quidam* Caluo, *al.* Balbo. *hoc probius. P.* 157, *v.* 38. exil. egit. *additur ex alio Cod.* neque Hugoni sar prouidentię fuit: nam qui nuperrimè mulctati fuere, Arnold. *Pag.* 160, *v.* 27. gerebatur *aptius quàm* ferebatur. *P.* 164, *v.* 19. feritatem *pro* seueritatem, *& v.* 31. exuerent *pro* eximerent, *eodem sensu. P.* 169, *v.* 17. Grãmaticis, præc. *virgula differatur. P.* 171, *v.* 19. sibi *pro* sæpe, *&* 26. mentes *pro* nationes *est in Opor. editione. sed vtrũque bene. Ib. v.* 53. fatuam inducere religionem. *Bonf. placent: quia de suo idolo intelligo. Pag.* 177, *v.* 34. *non malum*, Pro continentiæ. *P.* 179. *v.* 33. impatientius *pro* intemperantius *irrepsit in Opor. P.* 180, *v.* 38. properauit. *Ex Lasc.* ac mox ante aram in terrã procidens, ingentes Diuæ gr. *V. C. caret. Pag.*

183, *v.* 26. *alij legunt* si quid regis culpa pat. *aut* si quod regi patratum facinus. *Pag.* 184, *vers.* 45. *post* reuocaturos, *additur in Opor.* verùm etiam tyrannidem facilè assecuturos: *& post* adhiberentur, *vers. seq.* tecto gladio in cubiculum regis clàm ingreditur. *P.* 187, *v.* 2. *nostra editio* quot *habet*: *Opor.* & quantus. *& v.* 17. neque creuisse, neque decreuisse. *quod posterius forsan irrepsit.* *P.* 189, *v.* 48. *&* Albuinus *&* Albanus *pro* Albonius *alibi legitur.* *P.* 193, *v.* 3 *est* Ouoras. *Opor.* Ouaras. *nõnulli* Odalas. *Ibid. v.* 11. dimissus *pro* admissus *Opor. habet. vtrumque ferri potest.* *v.* 25. Vincestaus. *Æneas Byzetlaum qui Pragam cepit, ponit.* *P.* 195, *v.* 25. *alij* omnia diruere vexarique perm. *P.* 197, *v.* 14. Scunum *rectè, non* Secundum, *vel* Secanum. *Et* ṽ. 30. more suo, *Plinij est*: mole sua, *alterius.* *Pag.* 209. *v.* 17. *lectionem impressam, vt quæ est in V. C. retineo. licet Opor. haud ineptè post* desiliit, *edat*: eúmque securi quã Vngarico more gestabat, aggressus trucidauit. Nonnulli virginem à tergo Chunum cum Ladislao colluctãtem surrepta securi perc. *P.* 213, *v.* 43. Rapczan: p *pro* y. *P.* 220, *v.* 26. Bratislai s. *sic V. C. alius* Bladislai, *melius: & Opor.* Bratislai & Conradi fratrẽ, Geysæ regis ac Ladislai sor. *Et v.* 40. à pugna abstineat. *stat lectio. Opor. tamen*, se pugna abstinerent. *P.* 223, *v.* 18. *V. lectio bene habet. In Opor.* regnũ hac æqua cõditione continuò redditurum. *P.* 225, *v.* 44. *nonnulli reponunt* item *pro* in quem: *quod multo peius. Ibid. v.* 50. redegisset, si resipiscentem quandoque fratrem intellexisset. *videtur scholion.* *P.* 226, *v.* 38. Robertus, *V. Bonf. alij* Henricus III. *P.* 228, *v.* 52. *sententia requirit vt legatur*, confusus, concitato in hostẽ fertur equo. *Pag.* 231, *v.* 12. oppido *legit Opor. pro* populo. *P.* 233, *v.* 38. *hæc inserta sunt ab aliis*: asseuerat. Itaque de patinæ dominio controuersia nascitur. *Hactenus Brenneri editionem ad amussim sequuti sumus: in sequentibus non pauca, præsertim ad lacunas complendas, ex Oporiniana adsciuimus. Quæ ergo immutata, queq; aliunde adhibita fuerint, ne quis in malam partem studium nostrum interpretetur, fideliter indicabimus, leuioribus tamen omissis. Ergo pag.* 237, *v.* 31. suspicio *reposuimus pro* discordia. *Ex suspicione enim simultas orta, vt est vers.* 34. *P.* 239, *v.* 25. tribus eam mensibus igni ferroque vastasse: *V. C. Bonfinij, Matthiæ R. oblatus, non habet.* *P.* 247, *v.* 28. *Bonf.* mandatum fac. *Opor.* tantum fac. *P.* 249, *v.* 55. Bezen dum eius imp. coerc. contendit, *ex Opor.* *P.* 252, *v.* 38. extremum postulati, *nõ est in Bren. edit.* *P.* 261, *v.* 55. patientissimè. *prius* pientissimè. *P.* 268, *v.* 7. talis imperij ac *iam modò accessit.* *P.* 282, *v.* 6. protinus *V. C. alij* proximos *illud magis genuinum.* *P.* 287, *v.* 9. Persida. *nonnul.* præsidia. *Ib. v.* 52. quæ non sine religione ac reuerentia illæ confingunt, *aberrant à Bonf.* *P.* 288, *v.* 41, repẽdere: *antea* respondere. *P.* 289, *v.* 4. *paulo aliter legitur in Opor.* aliospositos supra saxum collo lapidib. excerebrant: nonnullis collũ saxis vsque, &c.

P. 292, *v.* 9. extremo: *& v.* 34. vndecunque potuit etiam auxilia euocauit: *in Bonf. C. non sunt.* *P.* 299, *v.* 5. *quidam* Canesios. *P.* 300, *v.* 50. *Opor.* porcorum instar. *P.* 303, *v.* 19. Rapczam *Ranzano.* *P.* 306, *v.* 9. cœpit *suppl. ex Opor.* *P.* 307, *v.* 39. Steph. Quinto *ex sententia Ranzani. & v. seq.* auiæ *Opor. pro* Annę. *P.* 312, *v.* 6. Cansguinor, *alij* Cansignor. *P.* 325, *v.* 37. Licius: *aliis* Ciccus *dicitur.* *P.* 333, *v.* 44. *Bonf.* Impetrata fides: *nõnulli præferũt* intẽperata vita. *P.* 339, *v.* 2. Auersæ *additum ex Opor.* *P.* 343. *v.* 41. *al. malunt* Triuisanus. *P.* 346, *v.* 46. ineunt *rectius videtur quã* inuenit: *vt est in Bren.* *P.* 354, *v.* 9. noctu *Opor. abundat.* *P.* 358, *v.* 11. *V. C.* arctiore. *al.* altiore. *P.* 365, *v.* 29. clamore Mariã regẽ exclamat *Opor.* *P.* 370, *v.* 24. *eadem* intonans *pro* matronas. *P.* 374, *v.* 7. reuerẽtius. *V. C.* vehemẽtius. *P.* 379, *v.* 16. Nicopolitana clades, in inuidiã Mariæ obitus. *Bonf. caret. & v.* 55. disseminatis: *Bren.* dissimulatis. *P.* 388, *v.* 23. coniunctis animis *pro* cũ aliis: *& v.* 32. pacatior *p* paucior *ex Opor. reposui.* *P.* 397, *v.* 51. *vetus edit. habebat* bello: *& v. antepen.* conseruarẽt. *nostra* prælio, *&* consternaret. *P.* 398, *v.* 18. *adhibuimus hac verba*: Nã cùm os moresque bouis Dux ille præferret. *P.* 406, *v.* 9. delegi *Bren. non habet.* *P.* 408, *v.* 35. oẽs *antea.* viuẽs *sanius videtur.* *P.* 413, *v.* 12. Boemiæ *explicationis gratia adiectũ.* *P.* 419, *v.* 38. natũ *abest in Bren.* *P.* 425, *v.* 51. ædib. *ex Opor.* *P.* 431, *v.* 34. coniugẽ. *Bren.* Gingeui. *P.* 433. *v.* 39. *locus paulisper immutatus. Vetus lectio erat*: Dum laborantem vbique suorum aciem Mezethus aliquantisper duceret, parr. *P.* 437, *v.* 47. acrique, *prius* atque. *P.* 445, *v.* 20. & prouinciam vtramque Turcarum periculo liberatam: *epexegesis non adeò necessaria.* *Pag.* 446, *vers.* 12. *ab* alterũ *usque ad* item *ex Opor. deprompta.* *P.* 454, *v.* 8. in occursum effunduntur. Pontifices cum sacerdotum, *in Bren. non legebantur.* *P.* 463, *v.* 20. scirent propitia, &c. *vsque ad* verterent, *aliunde sunt inserta.* *Pag.* 465, *v.* 42. *à* Mox ambo, *vsque ad vers.* 1. *pag. sequentis*, Mox dum, *ex Opor. in nostram editionem transcripsimus. Videbatur enim orationis series hic paululum hiare.* *P.* 469, *v.* 15. regiæ electionis exponerent, deinde suum *à V. C. absunt.* *P.* 471, *v.* 21. influit: *antea* inuenit. *P.* 474, *v.* 54. Benedictus *ex aliis assumptum.* *P.* 482, *v.* 35. iuuenem: *alij* inermem. *P.* 485, *v.* 5. insciius *melius quam* iustius. *P.* 490, *v.* 52. extemplo: *Opor.* ex composito *habet.* *P.* 492, *v.* 37. fidendum *V. C. quidam* inuidendum. *Pag.* 493, *vers.* 13. iucundus: *Bonf.* rotundus. *P.* 494, *v.* 52. sensit: *prius* agit. *P.* 495, *v.* 23. *Opor. legit* nemini competitori: *vers.* 29. ipsum *pro* primùm: *& vers.* 45. sacris aderat: *quæ lectio veteri contraria est.* *P.* 500, *v.* 5. Quum in Morauia Georgium adhibuissent, nec: *Opor. sunt.* *P.* 501, *v.* 40. spiritum, *& vers.* 48. supra millesimum, *ascititia.* *P.* 505, *v.* 2. ingenium *Opor.* *P.* 506, *v.* 46. omnes *in Bonf. non reperitur.* *P.* 507, *vers.* 51. *nos* rependit: *Bren.* respondit.

illud

illud rectius. *Pag.* 514, *v.* 29. *V.C.* immnrantur: *Opor.* numerantur. *Pag.* 517, *v.* 42. *pro nonnullis v. r.* *P.* 521, *v.* 36. *pro* Rnſgone *quidam* Regij. *P.* 525, *v.* 20. Hı ne longius: *antea,* Quæ long. *Ibid. verſ.* 24. trucidant. Demum ad internecionem *ſi ſuſtuleris, habebis V. C. lectionem.* *P.* 526, *v.* 14. ab omni: *Bonf.* ab audm. *Pag.* 528, *v.* 10. triſtitiæ: *V.* triſti ore. *P.* 532, *v.* 25. ocyſsimè *pro* occaſione, *ἐμφανώτερον.* *P.* 533, *v.* 24. coronas *inſertum ex Opor.* *Pag.* 534, *v.* 19. *V.* Turcico: *alij* truci. *ſed perinde eſt.* *P.* 535, *v.* 36. dudum. *Opor.* iam iam. *eiuſdem ſunt generis. Hæc ſunt quæ maximè notanda ducebamus: cætera ſatis conſtant.*

CATALOGVS AVCTORVM QVORVM TESTIMONIO BONFINIVS *in ſuis Decadibus vſus eſt.*

Ablanius ſcriptor Gothicus
Æneas Syluius
Ammianus Marcellinus
Annales Boemorum
Annales Polonorum
Annales Vngarorum
Apollodorus
Apollonides
Appianus
Ariſtobulus
Biblia
Blondus
Callimachus
Cornelius Nepos
Cornelius Tacitus
Creſcentinus Metropolita
Criton
Damaſippus
Diodorus
Diogenes Laertius
Dion
Dion Pruſeus, qui Getica ſcripſit.
Dionyſius
D. Hieronymus
Ephorus
Eratoſthenes
Euripides
Eutropius
Franciſcus Petrarcha
Guilielmus
Hecatæus
Hegeſippus
Herodianus
Herodotus
Homerus
Hypſicrates
Iordanis
Iulius Capitolinus
Leoprandus
L. Florus
Menander
Metrodorus Scepſius
Oneſicritus
Otho
Palmerius
Paulus Aquileienſis
Paulus Diaconus
Paulus Oroſius
Philemon
Philoſtratus
Pitheas
Plinius
Plutarchus
Polycletus
Pomponius Mela
Poſſidonius
Procopius
Ptolemæus
Richardus
Rogerius canonicus Varadienſis
Sichardus
Strabo
Suidas
Symmachus
Timæus
Trebellius Pollio
Trogus Pompeius.

INDEX EORVM QVÆ HOC OPERE PRÆTER TRES Bonfinij priores decades exhibentur: asteriscus verò nunc demum adiuncta designat.

ANT.

ANT. BONFINII RERVM VNGARICARVM DECADIS PRIMÆ

LIBER PRIMVS.

SCYTHIA in parteis duas à Tanai fluuio tota diuiditur, qui è Riphæis montibus oritur: altera Europica, Asiatica verò altera: ab occasu Germania, Vistulàque amne, qui è Sarmaticis montibus in Oceanum rectà contra Scandiauiam insulam defluit, eodemque mari terminatur: a meridie Danubio, qui è Germaniæ iugis exoritur, & Illyricu attingit, Bessorum linguâ Ister appellatur: sexagintàque fluminibus auctus in Pontum denique Euxinum, septem ostiis planè deuoluitur: item Ponto, Hiberia, Albania, & Perside: à solis exortu ad Araxem fluuium, & S[illegible]re[illegible] v[illegible]que proten[illegible]itur. Hæc fœcundissima gentium officina semper habita. Quin & [illegible]nsulis longè fœcundioribus prędita, in primis Scancia, quam Scandiauiam Ptolemæus appellát, in quatuor insulas sanè diuisa: cuius occidentalia, Ch[illegible]edini: orientalia, Phauonæ & Phiresi: meridionalia, Gutæ & Daudones: media Leuioni tenēt. Itém præter hos Cresemiæ, qui ferarum ac auium pecorumq; carne victum trahūt, panis vsum ignorant: & Suetani, qui eximiis equis, preciosisq; pellibus abundant. Præterea Themices, Vagothi, Pergiones, Hallii[illegible], L[illegible], qui feracissimos cāpos colunt, & Aluuli, Fumaitę, Feruiri, & Scanthi[illegible]othi bello asperrimi: ad hæc Euagres Ottingis admixti, qui cùm præruptis rupibus ferino ritu inhabitent, hoc nomine donati. Exterius Ostrogothæ, Rauar[illegible]j, Vinouilethi, Suetidi, Cogeni, corporum proceritate præstantes: ex quib[illegible] Daui promanarunt, qui propriis sedibus Herulos eiecerunt, & Daci deinde d[illegible]cti sunt. Neque desunt Grannij, Ganzij, Eunixi, Ethelcugi. Hinc illa Gothorum innumera multitudo defluxit, quæ Berigo rege in littus Oceani egressa, [illegible]peratis eiectisq; Vlmerugis, qui maritimam oram possidebant, Gothiscanciam appellauit: mox finitimos Vandalos, quos pari virtute compererat, sibi conciliauit. Philimero duce, dum sedes meliores quærunt, facto ponte, interiectas paludes traiecit: nondum media pars exercitus fortè transmiserat, quum pons ipse non sine magna hominum pecudumq; iactura diffringitur: nam neque qui traiecerant, redire, neque qui remanserant, subsequi potuere. Quum locus is tremulis paludibus & ingenti voragine occluderetur, diu armētorum [illegible]ic mug[illegible], & hominum ploratus (vt aiunt) auditus est. Philimerus cum reli[illegible]anu Spalios sibi obuios aggreditur, mox ad extremam Scythiæ partem, quæ [illegible]ontico mari adiacet, si Albanio Gothico scriptori credimus, rectà descēdit. R[illegible]gionem quæ ad Arcticum polum recedit, Adogitæ incolunt, qui in feruentissima æstate quadraginta diebus totidemq; noctibus perpetuas luces habent [illegible]ntrà, sæuiente hyeme, pares tenebras. Ad septentrionalem Oceanum insulæ sunt, quas congelato mari quum lupi adeunt, præ maximo frigore ocu-

los amittunt, quin & in partibus his apes quicquam moliri nequeunt. Vistula igitur fluuius Sarmatiam Europicam, quam nunc ex parte Poloniam dicimus, regionem latè diffusam, innumerabilibusq; gentibus refertam à Germania diuidit ab occasu, à meridie Iazyges Metanastæ disterminãt, qui Amadocis montibus eiecti, ad Danubij ripam confugerunt: & quicunq; inter Danubium, & Sarmaticos Carpathiosq; montes, ac inter Germaniam, Tibiscumq; clausi, vniuersumque tractum accolunt. Item ab Austro eam separant Sarmatici Carpathijq; montes, à fructu nimio dicti: post hos continuata iuga ad Boristhenis vsque ostia, ab exortu Isthmus, Carcinitusq; amnis, & cum Buce Mœotideq; palude, Tanais, incognitaq; terra circumscribit. Sarmatæ, iidem & Sauromatæ ex lacertinis oculis appellati: ad Vistulæ ostia Gythones, Phinni, & contra amnem ascẽdendo Sulones, Phrugunidiones, Auarini, à leuitate dicti, Ombrones, ab imbribus appellati: item Anartophracti, Burgiones, Arsyetæ, Samboci, Piengitæ, & Bessi: qui omnes ab exortu Venedicis Peucinisq; montibus clauduntur, & communi nomine Poloni vocantur: prẹter Gythones, Venedicumq; sinum, Pruteniumq;. Prussia, Liuoniaq; maritima, nunc illa regio dicitur: & à Riphæis, Alaunis, Budinis, Venedicisq; montibus à tergo circumdatur. In his Chromus fluuius, Rubon, Iurmites, & Thesenus: item Sturni, Vibiones, Nasci, Acibi, Borusci, Sabari, Pagoritæ, Agathyrsi, Sali, Carcotæ: & in Sarmatici Oceani littore Veltæ, Osij, Carbonesq; populi. Nunc maritimum huius Oceani tractum à Prutenis Liuoniisq; habitatum, Indioari è variis nationibus coacti: atque Esti pacatum genus hominum, & Aiaziri sanè bellicosissimi, qui pecoribus tantùm & venatu victitant, occuparunt. Ammianus Marcellinus his Armephos nimia placiditate cognitos admiscet, quos Chronius Vistulàque præterfluunt, & in Prusia hodie continentur. Armephis Massagetæ, qui maiores Getæ interpretantur, adiacent. Item in mediterraneis Alani, Sargetæ, Amaxobij †, qui & Essedones, à curribus, quum erratiles domos habeant, vocati sunt, & Bodini veteres, qui ad Boristhenis fontes habitarunt. Omnes hi, montibus vndique circumsepti. Lithuania post Poloniam est, Venedicis Bodinisq; montibus obducta. E Noruegiorum nanque iugis Boristhenes oritur, vt plerique coniiciunt, primigeniis fontibus copiosus, deinde multis amnibus adolescens, haud procul a Chersoneso in Ponticum mare deuoluitur. Lithuaniam Galindę prius, Sudeniq; tenuerunt. Bodini, Gelonion vrbem ligneam habitant. Iuxta Thyssagetæ, hoc est sacri Getæ, à sacrificando dicti, vastas syluas occuparũt, venatu aluntur, quibus iustissimi mores, alimenta bacæ, maribus nuda capita, nemora pro domibus: quum sacrosancti habeantur, iustissimum confugientibus suo iure præbent asylum. Vltrà Riphæus mons ipse cõsurgit, vnde Tanais fluuius oritur, quem cadentes assiduè niues inuium vsque adeo reddunt (veluti Pomponius ait) vt intendentium aciem non admittãt: ditissima deinde regio, sed inhabitabilis, quãdo gryphi, sæuum & pertinax ferarum genus, aurum terra penitus egestum, mira sollicitudine custodiunt, neque quenquam id attingere patiuntur. Circum Arimaspi, Essedones, qui & Amaxobitæ, quum plaustra pro domibus habeant, nuncupati: & (vt paulo suprà diximus) cœruleo capillo, Agathyrsi, quibus mos est ora artusq; pingere, veluti quisque maioribus præstat: & his quidem notis, vt ablui nequeant: item crystallorum, adamantis, smaragdorumq; copia non mediocris, ac lapillorum, qui sint omnium preciosissimi. Neruis, qui & Neuri, fontium Boristhenis accolæ, statum singulis tempus est, quo pro arbitratu suo, in lupos, iterumq; in eos, qui fuerant, mutentur. Essedones, hæc vltima pietatis officia parentum funeribus exoluunt, vtpote qui eorum corpora laniant, pecorum visceribus immiscent, abominabili mox voracitate absumunt: capita vbi affabrè expoliuere, auro culta, pro poculis vsurpãt. Hostium cutibus equos seq; Geloni vestiunt. Melanchlæni atra veste vtuntur, vnde nomen illis inditum. Mars, omnium Deus est, cui pro simulachro enses & tentoria dicant, humanoq; sanguine sacra faciunt. Plinius aliquantulum ab Ammiano dissentit, dum Neuros apud Hypanis fontes, Gelonos verò & Thyssagetas,

† Nunc Moschouitæ.

ſagetas, Budinos, Baſilidas, & Agathyrſos ad Boriſthenis ortū fuiſſe aſſerit. Baſilides ab Hercule & Echidna genus ducūt, quibus mores regij, & ſagittæ tantùm arma, atque ideo tale ſibi nomen compararunt. Gerrus, Baſilidas Nomadasq; ſeparat. Hypanis per Nomades & Hyleos fluit, qui à ſyluis ſumpſere nomen, & manufacto aluco in Bucem deſcendit. Super Agathyrſos ſunt Nomades, deinde Anthropophagi, qui humanis carnibus veſcuntur, & idcirco execrabile nomen ſortiti. A Mœotitarum tergo, à quibus palus nomen accepit, vltimi ſunt Arimaſpi. Poſtea Riphæi montes (vt paulo ſuprà dictum) vbi aſſiduus niuis caſus in pinnarum ſpeciem. hæc regio Pterophoros appellata, quia pinnarum more caſus niuium, homines interficiant: vbi denſa caligo, ac gelidis aquilonibus perpetuus rigor. Poſt eos, vltra aquilonem Hyperborei, qui quum vltra vitæ terminum degant, hoc ſibi nomen inuenere. Regio eorum aprica, felici temperie, nullus hic noxius afflatus: pro domibus nemora, luci, cultusq; deorum, publicam priuatamque diſcordiam ignorant, item morbos. longo æuo ſatiati, è quadam rupe ſe in mare deturbant, hoc ſepulchri genere vtuntur. Quidam eos in prima parte littorum Aſiæ poſuere: alij medios fecere eos inter vtrunque ſolem, antipodum occaſum, exorientemque noſtrum: quod nullo modo fieri poſſe, tam vaſto mari interueniente, Plinius aſſerit. Si qua ſcriptoribus danda fides, ſemeſtrem hi lucem habent, matutinis ſerunt, metunt meridie: quum Apollinem præcipuè colerent, primitias frugum Delon mittere ſolebant, quas virgines hoſpitiis gentium per aliquot annos venerabiles ferebant: at vbi hoſpitij fides violata fuit, in proximis accolarum finibus ea deponere conſtituère. Vltra Riphæos montes in littore ſeptentrionalis Oceani, vnius diei nauigationi Bannonia eſt inſula, in qua veris tempore fluctibus iaciatur electrum, ſi Timæo credimus: deinde eſt Amalchium (vt Hecatæus ait) à Paropaniſſo amne, quod illius gentis lingua congelatum mare ſignificat: Philemon Marmaruſſam à Cymbris, id eſt mare mortuū, aſſerit appellari. Hæc eſt Cronium, & Baltiam immenſæ magnitudinis inſula: quam Pythias, Baſiliam, quaſi reginam inſularum nominat. Sunt & Oomæ, in quibus ouis auium & auenis incolæ viuunt. Neque deſunt aliæ, in quibus equinis pedibus homines oriuntur, Hippopodes dicti. Itē & Saneſiotū inſulæ, vbi nudi homines: & aliç, in quibus prægrandes ipſorum aures tota corpora tegant. Mox quum Oceanus in Sarmatiam Germaniamq; curuatus, Codanum ſinum faciat ingētem, Scantiam (quam plerique Scandiauiam vocant) incomparatæ magnitudinis inſulam oſtendit: cuius portionem, vbi Hilleuionum gens per quingentos diffuſa pagos, habitat, orbem alterum appellant. Quare ſi Getæ inde promanarunt, quos Gothos dicimus, & totam ferè Scythiam inundarūt, nemini profectò mirum videri debet. Hæc ad Viſtulam vſque fluuium à Sarmatis, Venedis, Scyris, & Hirris quondam habitata, cuius ſinus Cylipenus dictus eſt. Subſequens verò Lagnus, Cymbris conterminus. Prima nūc eius Sarmatiæ partis, quæ Polonia dicitur, ciuitas eſt Graccouia †, à Gracco ciue Romano nominata: innumeræq; aliæ, quibus parietes & muri ſunt lignei: ſed Graccopolis, clariſſimum habet ſcientiarum omnium gymnaſium. Noſtro autem tempore, prima Sarmatiæ pars, quæ Iazygibus eſt finitima, Polonia dicitur: quæ verò ab oſtiis Viſtulæ per ſinum Venedicum extenditur, Pruſſia nominatur. Libonia per idem littus poſt eam in ſeptentrionem propagatur. Lithuania, à Pruſſiæ tergo Venedicis Bodiniſq; mōtibus circumducitur. Poſt Poloniam, verſus Tanaim, Amaxouiræ, quos Maſſagetas eſſe dicimus. Vltra Lithuaniam verſus Tanaim, Tartaria vera eſt, id eſt Alania. A mediterranea Sarmatia deſcendendo ad Mœotida, Tartaria falſa. Poſt Poloniam & Maſſonitas, ſi flectatur ad mare Ponticum & Mœotidem, Ruſſia eſt, vel Rutenia: eiusque populi, Ruteni, ad Tanaim vſque, inter montes ac mare, Mœotidáque paludem protenduntur: iidem olim Roxani, Roxolaniue dicebantur. Peucinorum & Baſternarum regio eſt, quæ à Peucinis Carpathiisque montibus incipit, & inter Iſtri Boriſthenisque oſtia ad mare Euxinum protrahitur. Cæterum vbi de Sarmatia Europica ſatis di-

ctum est, ad Iazygas reuertamur: ac regiones, quæ Danubium, Pontum, Mæotidem, Tanaimque tangunt, quando de mediterraneis Scythis nonnulla retulimus, ritè prosequamur. Iazyges, quos inter Germaniam & Daciam suprà diffiniuimus, patriis sedib. eiecti, Metanastæ, id est exules, cognominati sunt: quibus olim oppida hæc Vscenum, Bormanum, Abiuta, Parca, Tricsum, Candauum, Passium & Partiscum, & nunc Agria, innumerique pagi. Agria, ab Agrianis Illyrici populis, qui à Triballorum tergo habitabant, & condita & nominata est, qui traiecto Danubio in Partiscorum agro consedere haud procul a Tibisco amne. Aliqui ab interfluente fluuio, vel quòd gens agrestis fuerit, & inurbana, nominatam putant. Tempestate nostra hanc Vrbanus pontifex Agriensis excoluit, qui diuo Matthia imperante claruit, vir tanti consilii ac sapientiæ compos, vt apud Principem illum inuictissimum, primum locum obtineret, omnia regeret, quæsturam perpetuam † gereret, & per multos annos prætorii præfecturam, quem Palatinatum dicunt: nec Viennæ quidem Alamanicę pontificatu caruit: procero corpore ac obeso, aspectu liberali ac venerando, probitate summa, moderatione non mediocri, inaudita negociorum laborumque tolerantia, profusa liberalitate, & amore fuit in studiosos non mediocri: vniuersas Principis curas obibat, imperium, & omnia è sententia gerebat, nullius vnquam ocii particeps, vt æternam domini sibi gratiam compararet: iniuriarum suarum dissimulator egregius, & prę animi magnitudine, irę ac indignationis victor indomitus, omnia æquo animo perferens, vtriusq; fortunę pari æquanimitate tolerator: amantissimus suorum, amicis deditissimus, vir gratissimus omnium & cumulatissimus relator gratiarum: cui triginta milia circiter aureorum quotannis prouentus erant, ex quibus præter corpori necessaria, nil recondere voluit: aulam semper frequentissimam nitidamque habuit, maxima nobilium principumque familia refertam: in mensa lautissimus, parcissimus in vestitu: vestem solennem nunquam tulit pluris, quàm quę triginta aureis vęniret, octo aureorum toga forensi & domestica vtebatur. In cæteris verò rebus, vel quæ ad diuinum honorem, vel ad humanam pietatem beneficentiamque facerent, vsque adeo magnificus & profusus, vt neminem illi parem eo tempore Pannonia viderit. Pręterea liberalitate, æquitate, temperantia, religione, misericordia, comitate, magnificentia, fide, ac dignitate tanta, vt omnes in amorem obseruantiamque sui iure conuerteret, & alliceret. Sępe patrem illum optimum dicentem audiui, se nil pręter lautum victum, corporisque tecturam, sibi ex hac vita vsurpaturum, cętera quę superarent, se in Dei honorem, & alienam vtilitatem erogaturum. Nobilia pascebat & fouebat ingenia, pauperes & calamitosos mira beneficentia complectebatur: in literario ludo multos alebat, templa ædesque magnificas erigebat: suas ecclesias superbis non modò ædificiis, verùm etiam aureis vestibus, scyphisque argenteis mirificè exornabat. Ita vixit, vt non suę, sed alienę vtilitati vixisse videretur: & semper esse, quam videri maluit. Nemo quanti fuerit Vrbanus, admiretur, quum tantum regem sapientię suę pręceptorem habuerit: & qualis ille fuerit, hinc quisque coniiciat, quantę molis erat diuo tam abundè satisfecisse principi. Hic igitur nõ solùm virtute ac dignitate summa, sed optima nepotum turba vir omnium iudicio felicissimus potuit appellari: è quibus Stephanus Crispus erat, nunc Syrmiensis (vt aiunt) episcopus declaratus, humanitate summa, moribus nobilissimis, item magna bonarum artium doctrina preditus, qui Vrbanum auunculum omni ex parte referebat. Post Agriam, vt ad diuerticulum redeatur, Cassionia est, à Cassio Romano ciue nominata, vrbs hercle clarissima. Et ad Metanastarum caput, Pisonium in Danubii ripa situm, quod pari modo conditoris nomen referre gloriatur, non parum Romanæ redolens nobilitatis. à Pisone nanque nominatum, qui Pannoniis pręfuit, & Thraces ad Mysios deficiẽtes domuit, quorum captiui in vincula coniecti tantæ feritatis erant (vt ait L. Florus) vt catenas dentib. morderent. aliqui à Pisone, Frugi etiã cognomẽto, qui à Valente fuit interfectus, vocatũ opinatur. Hinc triginta milibus

† Thesaurarium nunc vocant.

bus passuum Trenauia,& remotius in mediterraneis Nitria Bochi fluminis accola præcipiti cursu Danubium influentis. paulo superius in eadem ripa Golgotium,quod Scythica lingua Libera ciuitas interpretatur: item Trencenium, & Zolinum,sub Pisonio. Quum Danubius in plures alueos diuidatur, variæq; insulæ fiant, ex his nobilis habetur Samaria, quæ Scythia dicitur,& Comaron, priscorum Scythiæ Asiaticæ populorum nomina referentes. Arx ibi ad caput munitissima, & diui Matthiæ regis ingenti sumptu elaborata, horti quoque regij,& viuaria multa,amœnissimique pagi. Deinde vnius diei iter Vatia,à Vato eremita, in Danubij eremo degēte,nominata,vel à Bacia quondam iuxta Bu-trotum sita: ego autē à Vacianis puto,superioris Pannoniæ populis, quos Ptolemæus planè commemorat. Hæc suo antistite Nicolao Bathoreo, viro nobilissimo,oratore summo,Italicis moribus & disciplinis ornato nūc maximè gloriatur. Vetus nanque Bathoreorum familia apud Vngaros magni semper habita, quam à proprio plerique pago, nonnulli à Batho Pannoniæ rege (cuius memor est Strabo) vnà cum pago & Batia ciuitate dictam esse arbitrantur. At Stephanus Bathori Dacorum transalpinorum dux, gestorum bellorum gloria haud minus nunc domum illustrat: qui quum vnà cum collega suo Paulo Kinisio, diui Matthiæ ductu & auspiciis in Turcorum expeditionem proficisceretur, deleto ingenti hostium exercitu, perpetuam sibi laudem comparauit. A Bathia triginta milibus passuum in eadem ripa remotum est Pestum †, in Budæ nouæ cōspectu situm: ac Pesti Italici quondam nomen imitatū, & à Pestanis fortasse militibus,vigente quondā Imperio Romano ædificatū.In montib. verò Sarmaticis,qui Metanastas à Polonis diuidūt,Cremnicia,Scemicia†,Solium †,Bistricia: in quibus auri sunt altissimæ argentique fodinæ,reginæ Beatrici Matthia rege dono datæ. Post Iazygas iuxta Danubium Dacia succedit, inter Tibiscum & Hierassum Tyramque effusa, & ab Axiace fluuio à tergo à Sarmatia diuisa: in qua in primis Marmacia, vnde Tibiscus oritur,in Carpathiis montibus collocata,quam Marmarissam nunc appellant: vbi sal,marmoris instar effoditur, & tanta quidem copia, quanta vniuersæ Scythiæ satis esse posset: ne procul quidem hinc aqua inuenitur, in qua demersum ferrum vertitur in cuprum. Vetusti Daciæ populi fuere Taurisci,Cœstoboci: sub his Predannesij,Ratacesij,Cauconesij,Potulacesij,Saldesij,Cragissij, Biephesij, Sensij. oppida quoque veteta Rauconium, Zerabora, Lizissis, Tibiscum, Decidaua, Vlpianum,Vlpi Traiani colonia. Eodem nomine aliud Vlpianum in Mysia superiore commemorant: nam Crinitus Vlpius Traianus quum Mysios & Dacos domuisset, in suæq; victoriæ monumentum Nicopolim in Istri ripa condidit, & præ cæteris has colonias deduxit, quas à suo nomine denominari iussit. Item in Danubio pontem erexit, opus perquàm admirabile, vt Dion in Traiano scribit, cuius hodie quoque pilæ nonnullæ spectantur: ad quem in vlteriore parte Danubij Seuerinum † est oppidū,à Seuero Imperatore conditum: quod magno adhuc præsidio aduersus Turcorum impetum Vngari tenent. Et Singidaua,Acmonia,Arcina;Zeuma,Dierua,Druphegis,Parolissum,Napuca, Patruissa, Prætoria Augusta, Salinæ,vbi nunc fortasse Marmarussa, quæ olim Marmacia: item Marcodaua,Appulum,Ziridatta, Aquæ, Amutrium, Pinum, Argidaua, Comidaua, Sornum, Triphilum, Ramidaua, Thyassum, Carsidaua, Paridaua, Vtidaua, Petrodasa,Zusidaua,Notindaua. Trans montes Carpathios extrema Daciæ regio ad Axiacem † fluuium vsque producta, quam nunc Transsyluaniam † vocant, pecoris, vini,frumenti,item auri & argenti feracissima, vbi amnes nonnulli aurea ramenta ferunt,aurique fragmenta quandoque sesquilibralia trahunt, quum montibus sit vndique circumsepta in coronæ speciem, in syluis iubati boues, & vri, ac syluestres etiam equi: vtrisque eorum mira pernicitas, at equi iuba sunt ad terram vsque demissa, domesticis per se est mollis alterno crurum explicatu glomeratio. Regionem hanc habitant Scythæ †, partim Saxones & Daci,mitiores hi,asperiores contrà illi. Olim Romanis Sarmaticisque colonis,ante Gothorum & Vnnorum eruptionem to-

Pesth. *Selmetz.* *Zolium.* *Zeurin.* *Hatzak.* *Septem castra.* *Zekell.*

ta Dacia complebatur, vt ex multis antiquorum lapidum inſcriptionibus coniicere potui, & ex hac præſertim, quæ in Tranſſyluania nuper inuenta eſt: L. ANNIO FABIANO TRIVMVIRO CAPITALIVM, TRIBVNO LEGIONIS II. AVG. QVAESTORI TVRBANTIVM, TRIB. PL. PRAETORI, CVRATORI VIAE LATINAE, LEGATO LEGIONIS X FRETENSIS, LEGATO AVGVSTALI, PRIMO PRAEFECTO PROVINCIAE DARCOLOMARVM, VLPIANARVM, TRAIANARVM, SARMATICARVM D. M. CIVIS SABINIVS, MILES LEG. XIII. GLIBRES A RATIONIBVS VIXIT ANNIS XXX. CIVI VALENS DVVMVIR COLETCOMINIA, FLORENTINA, RARENTES INEFFICACISSIMI PEVRIO SATVRNINO, LEGATO AVGVSTALI, PRAEPOSITOQVE CONSVLARI COLONIAE DACICAE, SARMATICAE L. D. D. D. Vltra Axiacem fluuium Peucini, Carpiani, Baſternæ ſunt, & Chuni, qui natali ſolo eiecti in Vngariam venerunt, & à diuo Matthia Danubij inſulã impetrarunt. Pauco poſt tempore ſponte ſe orthodoxa fide noſtra initiarunt. Getæ verò, quos Valachos nunc dicimus, Pius † Flaccos appellat, à Tranſſyluania incipientes inter Tyram & Boriſthenem fluuium, ad Euxinum vſq; mare latius effunduntur. Pars verò quæ intra Tyram, Ieraſſum & Danubium includitur Moldauia, quaſi mollis Dacia, à iunioribus nominatur: ſed Iſtro propior Montanina nũc dicitur. Daui enim & Daci iidem ſunt, ac vna lingua vtuntur. In Tranſſyluania quondam hæc fuere oppida, Carcodunum, Metonium, Elpedana, nõ procul à Tyra, cuius accolæ Tyrogetæ dicti: item Vibantenarium, Eractũ, & metropolis eius Alba Iulia, à Romanis prius condita, deinde ab Albanis Scythis inſtaurata Ladiſlao epiſcopo, præpõtifice Vngarico, nobiliſſima Gereborum familia nato, viro quidem probitate ſumma, non mediocri doctrina, pari eloquentia, regio nunc iſta cenſetur. hic cum fratribus quãtæ ſapientię fuerit, & dignitatis, in Beatricis ſympoſio ſcripſimus: & ſi vita ſuperrit, in hac hiſtoria ſuo loco referemus. Vltra Peucinos Ruſſia, quæ Rutenia nũc dicitur, tranſalpina regio, quã olim Bodini Amaxobiique, nunc Ruteni incolunt: quorũ Leopolis à Leone Imperatore pro parta Barbarorũ victoria nominatur, metropolis profectò nobiliſſima, vbi celeberrimũ vniuerſę Scythiæ celebratur emporiũ. In mediterranea verò Dacia Varadinum, quod ſuo nunc antiſtite Ioanne, præſtanti Bohemorũ familia nato, tantopere gloriatur, ne iniuria quidem, quando ſummo & libero fuit ingenio, animo excellenti ac magno, ineffabili comitate, liberalitate ſingulari, ac fide in diuum Matthiam, cuius ſupremus conſiliarius erat, conſtantiſſima: nemini vnquã nocuit, profuit quibus potuit, inimicos iniuriarum obliuione & officio ſemper ſibi reconciliare ſolitus: maxima quæq; ſui domini mandata è ſententia, præ nimia ingenij dexteritate, peregit: vbicunq; fuit, ſemper oſtendit, quanti Principis fuerit alumnus: nullã legationem obiuit, quam non honorificentiſſimè geſſerit: quare diuo Matthiæ ita gratus eſt habitus, vt perpetuò eius animum ſibi obſtrinxerit. Varadinum Chryſus † fluuius interfluit, à Carpathiis mõtibus demiſſus, qui quum ramenta aurea deducat, ab auro nomen accepit. Cæterum haud ab re futurum arbitramur, ſi de Dacis aliquid vlterius exponemus. Daci iidem & Daui ſunt, Getisq; cognati, quando idem vtriſq; ſermo, quin etiam ex eodem loco prodiere: ſed aliqui ex Scandinauia (quibus Iordanis, ac multi ſcriptores aſtipulãtur) vnà cum Getis, quos Gothos dicimus: pleriq; à Dais, qui ſunt in Scythia Aſiatica, veniſſe contendunt. Daæ nanq; (vt auctor eſt Strabo) Hircaniæ finitimi ſunt populi, qui Vnnorum, cæterorumq; Scytharum ritu, meliores ſedes quęſiuere. Quare Daci & Getæ, non è Scandinauia, ſed ex Aſiatica Scythia, cũ Occidentalibus Orientales populi vetuſtiores fuerint, rectius prouenisse reputantur. Quin & Dauorum & Getarum, ſeruorum nomina Athenis tantopere celebrabantur. Solebant enim ſerui, vt Cappadoces & Syri, à ſuis regionibus appellari. Nec deſunt, qui Dacos & Dauos, à δάϊς, hoc eſt pugna, quum bellicoſiſſimi fuerint, nomẽ accepiſſe velint. Getas verò à geſis (quũ s in τ more Græco ſæpe mute-

Æneas Syluius.

Sympoſium Beatricis.

Keuureum.

10 20 30 40 50

mutetur) quæ Romana pila sunt, appellauere. Gesus enim, longus cõtus est, vt in Geticis Criton scripsit. Getæ in exortum ad Pontum vergunt: Daci contrà, versus Germaniã ac Istri fonteis. Quòd Daci, Daui sint, antiqua eorum oppida testantur, vtpote qui in daua potissimùm excãt, veluti Comidaua, Sergidaua, Decidaua, Marcidaua, quasi Daua Marci, Decij, & Sergij. Sed Getæ Gręcis notiores, siquidem frequentius ad vtranq; Istri ripam cõmigrabant, & modò Mysis, modò Thracibus immixti versabantur. Triballi quoq; Thracię populi, quum idem cis obuenerit, easdẽ sæpe transmigrationes tolerarunt, & eo potissimùm tẽpore, quum finitimi aduersus inferiores insurgerent. Dion Pruseus, sophista dignissimus, qui Apollonij Thiançi & Eucratis Tyrij temporib. floruit, in Getas, tanquam exul peregre profectus, Getica edidit, vt Philostratus ait: ex quibus res Getarum, quanti habitæ fuerint, facile possent intelligi. Cæsar Augustus aduersus Dacos, quinquaginta milium olim exercitũ misit, ac vix Danubij ripa prohibere potuit. Aucto igitur plurimũ Getarum & Dacorum imperio, ad ducenta hominum milia exercitum amplificarunt, traiectóq; Danubio prouincias populi Romani grauissimo bello infestarũt. Curio Daciatenus populi Romani signa tulit, sed tenebras saltuum expauit. In Sarmatas vsq; Appius, Piso Rhodopen, Caucasum penetrauit Lucullus, ad terminum gentium Tanaim, lacumq; Mœotim: nec aliter cruetissimi hostium, quàm suis moribus domiti: quippe quum in captiuos igni ferroq; sæuitum: sed nihil Barbaris atrocius visum est, quàm quòd abscisis manibus relicti, penè superstites viuere cogerentur. Domitianus Imperator vnam in Sarmatis expeditionem, cæsa cum legato simul vna legione, & in Dacos duas necessariò suscepit: primam, Oppij Sabini viri cõsularis gratia, quem ab hostibus oppressum senserat: secundam, Cornelij præfecti cohortium prætorianarum, cui belli summã ipse commiserat. De Dacis, post bella varia bis triumphauit: de Sarmatis, lauream Capitolino Ioui retulit. Tũc aras Flauianas † ei dicatas Viennę crediderim, quãdo Flauiæ gẽtis ille fuit: deinde quum Daci iterum defecissent, eos Traianus in ditionem suam redegit: & quum assiduo bello res Dacię exhaustę forent, multas illuc colonias deduxit, in hodiernum vsq; diem Romanam linguam referentes. Neq; diutius id profuit: nam Galieni Imperatoris temporibus amissa est, quæ Aureliano deinde dedit originem: sed Aurelianus Daciam, quã Traianus prouinciam vltra Danubium fecerat (vt Suidas & Eutropius ait) intromisit, omni Illyrico Mysiaq; vastata: desperans eam posse retineri, Romanos ex vrbibus & agris Dacię abduxit, eamq; in media Mysia collocauit, ac Daciam appellauit, quæ nunc superiorem inferioremq; Mysiam diuidit: & quum illa ante in læua Danubij fuerit in mare fluentis, nunc in dexterã ab Aureliano translata. Quin & Licinius Imperator à Galerio declaratus, è Dacia fuit oriundus. Daci quondam superatis bello Bois & Tauriscis, totam ferè Illyrici regionem desolarunt: & Scordiscos, olim Galatas appellatos, cum Illyricis & Thracibus promiscuè viuentes, grauiter infestarunt, deinde in belli societatem acceperunt. Getæ, à Romanis (vt ait Plinius) Daci dicti sunt, de quibus infra latius differetur. Dacia, Gothia, & quum à Gepidis Gothorum cognatis deinde occupata fuerit, etiam Gepida dici potest. Galieno imperante, Gothi Gręciã, Macedoniam, Pontum & Asiam deuastarunt. Danubius è Germanię montibus oritur, haud procul à Rauracis iugis, limitibus Rhœticis, per latiorem orbem protẽtus, receptis sexaginta fluminib. ferè nauigabilibus, bis decies circiter milibus passuum vagatus, septenis tandem ostiis in Euxinum mare deuoluitur: à dextra, Rhœtos, Vindelicos, Noricos, item Pannonias, Mysias: ad lęuam, magnam Germaniam, Iazyges, Metanastas, Dacos & Getas habet. Nilo duntaxat inferior, glacie congelatus onusta plaustra, ingentemque exercitum sustinet: & tunc à naturę deficit officio. Nam quum ad Pannoniarum defensionem, tutelamque Imperij Romani, naturæ iussu iam emerserit, ne à sæua Barbaria incursaretur, vesaniẽte bruma, vt Germanis & Scythis aliquantulum blandiatur, quando sui sunt accolæ, eorum pedibus calcari patitur. Quum Illyricum attingit, Ister, ab Istro

ad S. Petri fanum.

Philoſtratus.

rege nominatur:cuius duo filii, Elorus & Actæus,quos Philoſtratus (quem in Nouæ ciuitatis obſidione, diui Matthiæ iuſſu è Græco traduximus) ſcribit, ex Homeri ſententia, clariſſimos quondam habitos, Myſis Troianisque auxilio fuiſſe:item in bello, quod ad Troiam geſtum eſt,maximus Aiax aduerſus Myſos ſe, & vnà cum Patroclo Achillem, aduerſus Hemum filium Martis, Diomedem, Palamedem, & Stelenum, aduerſus eos,qui ex Iſtro venerunt,Atridas & reliquos oppoſuit. At Iſtri filii,Scytharum duces, qui Hectoris inſtituto quadrigis pugnabant,quum in hoſteis forti animo irruerent,Aiáxque ſcuto acriter inſonuiſſet, deterritis, reſilientibusque equis, turribus excuſſi, palantes Scythæ fugitabant:iſti verò quum obſtinaciſſimè pugnarent, ambo cæſi. Ante eruptionem, Peuce eſt inſula, quam quum Baſternæ occupaſſent, Peucinorum accolæ montium, inſulam quoque Peucen appellarunt. à picearum ſyluarum multitudine,Peucini dicti ſunt. inferius & ſuperius inſulæ multæ,nō pari magnitudine: quare præ cæteris celebratur primum Iſtri oſtium.Et Peuce deductum,Hieroſtomon dictum, quaſi Sacrum os:neque procul Iſtripolis, ab amne nominata.Iuxta Peucen, magna palus oritur : ſupra Iſtripolim quoq; lacus eſt tribus & ſexaginta milibus paſſuum ambitu,quem Halmirim vocarunt.

Killic.

In Peucinis igitur, interamnis Achilea † vrbs eſt à Turcis nuper occupata, Achillis religioni deditiſſima: quam Leuca,Dromus quoq;(vt inferius oſtendetur)affirmat.Secundum,Narcoſtomum,à congelatis ſtupidisque piſcibus,quorum magna ibi copia capitur,appellatur.Tertium,Caloſtomum,à lignis vel bonitate vocatum.Contrà à falſitate quartum, quod Pſeudoſtomum nuncupant: & inde inſula Conope,quæ à culicum multitudine ſibi nomen inuenit, & Diabaſis,à tranſitu nuncupata.Quintum,Borioſtomum,quod ſpectat ad Boream. Stenoſtomum verò ſextum, ſed anguſtum. Spireſtomum denique ſeptimum, quòd ſpiras latius obducat,à palude nigra deflues, quam Tiſagolam Ptolemæus appellat:non procul, Arpis eſt ciuitas. Poſt Sacrum,tria ora ſunt exigua & anguſta.Ephorus quinque tantum Iſtri oſtia ponit,poſt ſeptena Iſtri ora.præter mare Ponticum vaſta planicies aperitur, aquarum indiga. Quam quum Darius Hyſtaſpis filius intraſſet, traiecto Iſtro,quum aduerſus Scythas bellum gereret, parum abfuit, quin cum exercitu toto deleretur: deinde Lyſimachus in expeditionem contra Dromicherem Getarum regem profectus, eadem neceſſitudine adactus, in hoſtis poteſtatem deuenit: at quum clementem hoſtem nactus eſſet, incolumitate donatus abijt. In hac ſolitudine,omnes Scytharum ſunt gentes,vt Plinius ait:quarum alias tenuere Getæ,alias Sarmatæ,vtpote Amaſſobij,aut Aorſi:alias degeneres Scythæ,qui à ſeruis orti ſunt,aut Troglodytæ.mox Alani ſunt,& Roxolani.Ab oſtiis Iſtri ad Tyram noningenta ſtadia interiacent:in medio ſpacio lacus duo, & quidem ingentes:altero portus loco vti licet,ore caret alter.Planiciei vaſtitatem Britholagi† habitant,à leporum grauitate nominati: oppida verò Tremes,Cepolium:montes Macrocremnii, Claros,& prope Tyram Hermonactus.Sed hinc hiſtoricorum magna diſſenſio: aliqui ſunt qui Getas, quos Gothos dicimus,è Scandia profectos, inſulam fuiſſe contendunt, tempore Tyberii. Ælius Cato, ex tranſiſtriana regione, quinquaginta Getarum milia in Thraciam habitatum deduxit: quæ gēs, Thracum lingua vtitur,& adhuc habitat,Myſique vocantur.Græci,vt auctor eſt Strabo,Getas Thraces eſſe arbitrantur, veluti Myſi:quandoquidem vtrique Thraces, & quos nunc Myſos vocant,à quibus Myſi quoque illi promanarunt,qui in Aſia, inter Lydos, Phrygas & Troas habitant. Item ipſi quoque Phryges, è Thracibus duxere genus, quum olim Bryges dicerentur, quemadmodum Medobithynos,Bithynos,& Thynos nominatos accepimus.Poſſidonius de Myſis,Thracibus & Getis multa refert admiratione digniſſima: quando religioni deditiſſimos,à carnibus abſtinentes, perpetuique cœlibatus non parua ex parte obſeruatores fuiſſe ſcribit: melle tantùm,ac lacte caſeoque veſci ſolitos,atque idcirco Deicolas, & Capnobabas, id eſt fumi conſcenſores,appellatos:nonnullos è Thracibus,qui ſine mulieribus vitam exegerint,Ctiſtas vocatos, quaſi creatores,

Herodotus libro 4.

Niul bizevvek.

tes, honorisq; gratia sacrosanctos habitos, & omni denique libertate donatos. Menander ille Comicus idem sentiens, Thraces (inquit) vniuersi, nos praesertim Getae: nam eorum indigenam esse, meipse glorior, prae caeteris continentiam nimis agimus. Et subdit, E nobis vxorem ducit nemo. Quare Getis maximum fuit diuinarum rerum studium, quod carnium quoque abstinentia vehementer auxit. Post hęc, è Getarum gente quendam Zamolxin nomine, Pythagorae seruiuisse ferunt: ab eo ne mediocrem quidem diuinarum rerum cognitionem didicisse: ad Ægyptios peregrinatum, nonnulla suis artibus addidisse: in patriam reuersum, in summo honore apud suos habitum: auguria, prodigia, somnia praesagiuisse: proinde Regem Getarum vltrò animum induxisse, vt optimum diuinę voluntatis interpretem, sibi in regni societatem hunc Philosophum adscisceret: in primis peculiaris Dei sacerdotem fuisse designatum, deinde pro deo habitum: speluncam subterraneam, ac aliis inuiam subiuisse: nemini praeterquam regi, regiisq; ministris colloquendi fecisse potestatem: ibi deorum more, oracula reddidisse: edicta edidisse multa. Demum morem hunc ad Tyberij vsque tempora perdurasse, quo semper aliquis sanctissimis praeditus institutis inueniretur, qui Regi cōsiliarius foret, & pro Deo à Getis coleretur. Cęsaris Augusti tempore, qui aduersus Byrebiscā Getarum regem comparauit exercitū, Deceneas hoc honore in Sacro monte, cui Cogeono nomen erat, fungebatur. Quare si Gręcis credimus, magna auctoritate praeditis, & Getae, quos pro Gothis habemus, è Thracibus duxere genus, quónam pacto è Scandia, siue Scantia prorupere? Immo Iordanem, cęterosq; scriptores, qui eum sequuti sunt, mentitos esse confitebimur: nisi fortasse Thraces quondam Getarum Mysorumq; progenitores, primùm eduxisse eos dixerimus: aut Apollodorum Eratosthenemq; sequamur, qui Homerum caeterosq; scriptores antiquos Graecarum tantùm rerum notitiam habuisse fatentur, reliquarū verò longè positarum peritia caruisse, quumq; flumina circiter quadraginta Pontum influāt, neque Istri, neque Tanaidis, neq; Boristhenis, neq; Hyppanidis, neq; Phasidis, neq; Thermodontis & Alidis, qui celeberrimi sunt, fecisse mentionem: ne de Scythis quidem, quos claros quosdam equarū mulsores Lactiphagos Abiosq; nuncupat: & fortasse non immeritò, quando ea tempestate mare illud nulli patuit nauigationi. Proinde Axenon, inhospitabile nuncupatum, ex frequenti procella, & Scytharum immanitate, qui hospites immolare, humanis carnibus vesci, & caluarias pro poculis vsurpare solebant. Pontus quondam inaccessibilis erat, at vbi Iones in littore vrbes condidere, Euxinus, benignus hospes appellari coeptus est. At quisnam Homerum Scythas ignorasse dicere ausit, si Lactiphagos, Abios & iustissimos nominarit, quum carros pro domibus haberent, Nomades & pastores essent, nulla laborarent auariciā, onus pro onere darent, vxores cum liberis è Platonis instituto communes haberent, nihil priuatum praeter cyathum & ensem possiderent, mirae simplicitatis homines, nulla malicia & ambitione laborantes, contentos paucis, & longè nobis continentiores? His quondam moribus Scythae praepollebant. At vbi mare à nobis nauigari coeptum, maritimi Scythae nostris moribus coinquinati, eos continuò deliciae, voluptates, maliciae magnitudo, auaritia, malarum artium officina protinus inuasit: mox deteriores effecti, hospites mactare, agere latrocinia, luxuria mollescere, tractare sordida lucra, dum mā suetiorem exterorum vitam gustant, effoeminari, corrumpere priscorum mores, pro simplicitate maliciam inire, immutare ferè omnia. Quare viri quondam sanctissimi fuere Scythae, vt Strabo astipulatur, ac tales, quales ab Homero scribuntur. Quin etiam Scythicam simplicitatem Persarum, Ægyptiorum, item Babyloniorum & Indorum testantur epistolae. Anacharsis philosophus, & Abaris, qui ab Auaribus Vnnorum sociis duxit originem, & plerique alij in Graeciam sapientiae cupiditate peregrinati, perpetuam idcirco laudem sibi compararunt: qui gentile quoddam prae se ferentes insigne, ingenitam iusticiā, facilitatem, lenitatemq; redolebant. Alexander in expeditione aduersus Thracas, quum Triballos incursasset,

Syrmiúmque Triballorum regem persequeretur, in Peucem Istri insulam con fugientem, vnde Syrmium postea denominatum est, nauigiorum inopia remoratus est: trãsgressus in Getas, captam eorum vrbem subuertit: mox acceptis ab illa gente & à Syrmo regе muneribus, è vestigio se recepit ad suos. Dromichæres Getarum rex, quum successorum Alexandri temporibus Lysimachum infestantem cepisset, ne mortalibus (inquit) talibus bellum infer, sed potius pro amicis habeto. deinde hostem malè meritum hospitaliter donatum dimisit, talique beneficio eum sibi perpetuò obligauit. Anacharsis verò, vt Ephorus asserit, è Sacarum genere fuit, qui Asiaticam Scythiam frugiferam incolũt: hic mo- deratione, prudentia, ingeniique præstantia inter septem sapientes annumera- 10 ri meruit. Folles ignis exuscitatores, bicipitem anchoram, rotamq; figularem inuenit, de quo multa Diogenes ipse scribit. Sed quando in Getis & Scythis aliquandiu fuimus immorati, nunc ad diuerticulum redeamus. Harpis non procul à palude Thyagola, vrbs quidem vetustissima, cui ab Harpyis nomẽ inditum. Phenæus enim (vt auctor est Homerus) ab Harpyis in terram Lactiphagorum, id est Getarum, ductus est, qui sobrio victu sunt & parco, sanctis legibus vtuntur, externis inexpugnabiles & inuicti, ac nullo auariciæ morbo laborantes. Post Istri ostia maritimam Ponti versus Tanaim peragranti oram, Tyras in primis fluuius occurrit, à cuius ostio quingentorum stadiorum interuallo insula Leuce, Achilli sacra, prospicitur: de qua multa Philostratus è Prothe- 20 silai verbis cognitione digna scribit: Neptuno Tethida pro nouo solo supplicasse, vt aliquam his qui è Thessalia forent incolendam insulam daret. Hũc reputantem Ponti longitudinem, nullam inhabitabilem inuenisse, quum Istrum, Boristhenem, & Thermodonta, qui immensis perpetuisque gurgitibus in Põtum deferuntur, reputasset, vni ex his amnibus profluentem exaggerasse, in Põtoque insulam statuisse; eius longitudinem triginta fuisse stadiorum, quatuor verò latitudinem: mox ibi pteleas albásque arbores fuisse ortas, vnde insulæ nomen inditum: aliàs templum in mirum amœnitatis ornatum circũstare: hæc deum Achilli ac Helenæ incolendam dimisisse, ibi templum vtriusque religiosissimum, & vtriusque statuas fuisse positas, quæ se mutuò non conspiciunt: 30 nam Helena spectat ad Ægyptum, quin & Neptunum & Amphitritas, item Nereidas, cæterosque amnium dęmones, qui in Mœotidem Pontumque conueniunt, ibi sua coniugia frequentare: albas adhæc aues insulam habitasse, & confirmasse nomen. omnes Græcos, cæterosque Barbaros Ponti accolas, tali sese hospitio abstinere. Achillem & Helenam ibi conuiuia agere, in cantibusque quotidie versari: mutuum amorem, Homerumque præconem, perpetuo cantu resonare. Præterea esse famam, mercatorem quendam hanc insulam quandoque frequentasse, huic apparuisse Achillem, retulisse quæ ad Troiam gesta sunt: grato hospitio, & lauto prandio excepisse: mox imperasse, Ilium nauigaret, Troademque puellam adduceret, quæ vna è Priamidum sanguine supere- 40 rat: quod quum ille fecisset, ab Achille mirificè laudatum, ac iussum, vt eam (quando Leucen mulieribus adire nefas erat) in sua naui custodiret: mercatorẽ ab eo, non sine multa pecunia dimissum: neque adhuc stadium abnauigantem, puellæ vlulatus audiuisse immaniter ab Achille discerptæ. De his hactenus: nunc ad Tyram fluuium reuocetur oratio. In eius ostio turris Neoptolemi, & vicus Hermonactis appellatus. Nam Achillis filius, vt aliqui opinantur, iuxta paterna monumenta, ipse quoque aliquid ædificare voluit: quod non assentior: immo à Neoptolemæo Mithridatis filio nomen assumpsit, qui æstate nauali, hyeme verò equestri prælio Scythas superauit: & vt exitũ Tyra Getis obstrueret, in Tyræ ostio turrim erexit. Tyras à Tyriis mercatoribus dictos arbi- 50 tror, qui lucri cupiditate ducti non modò primi cum Ionibus mare Ponticum, sed Hispanum quoque & Gaditanum penetrarunt, vt argentum, syluarum incendio conflatum, è Pyrenæis montibus purpuræ commercio referẽtes, se ditarent. Phœnices, primi cymbam, & syderum in nauigando obseruationem inuenerunt. ad amnem vrbs Tyros, quæ etiam Ophiussa dicitur, quum Ophœ-

nicum dici debeat, à Phœnicibus nuncupatum. Aduerso nanque flumine nauigantibus, à dextra Niconia, à læua est Ophiussa. Getæ, Tyræ accolæ, Tyrogetæ vocantur. Neque procul est insula Parthisama, quam Tyragetæ incolunt, à Pseudostomo Istri ostio centum triginta milibus passuum sanè remotam. Mox Axiacę fluminis cognomine vocati: hi quum sagittarij sint egregij, quasi sagitta digni haberi debent. Vltra istos Crobogigi, ac Rhode flumen: item sinus Sagaricus, & portus Ardesus, à Tyra cētum viginti milibus passuum Boristhenes abest, quem Boreæ robur interpretantur, quando inde defluit: nauigationi commodus, dulci aqua, piscibusque optimis præditus. Huius lacus ingens, & oppidum, quod quindecim milibus passuum à mari recedit, eodem nomine appellatum: hoc à Milesiis conditum modò Olbiam, propter diuitiarum beatitudinem, modò Miletopolim vocarunt: optimum hic solebat haberi emporium, quo Gręci Scythęque omnes confluebant: item in littore portus Achæorum. Ab Achillis insula Leuce, centum vigintiquinque milibus passuum Cheronnesus abest, in gladij formam porrecta in transuersum, quam ab exercitatione ducis Thessali, Dromon Achilleum nominarunt. Agrippa, eius longitudinem octoginta milib. passuum constare asserit: vniuersum illum tractum Taurisci, Scythæ & Sarmatę tenent. Succedit deinde Syluestris regio, & Hyleum mare à sylua, qua circumdatur, nominatum. Vniuersa igitur regio (vt ait Strabo) quæ inter Boristhenem Istrumque superiacet, prima Getarum est solitudo, postea Tyrogetæ, quos Sarmatæ subsequuntur, cognomento Iazyges, & qui Basilici dicuntur, & Geurgi, quorum pars maxima Nomades, & pastores, pauci terram colunt. Basternæ mediterranea tenent, Tyrogetis Germanisq; vicini, & a Germanis fortasse originem ducunt: diuiduntur in vicos plures, ac nationes: nam Adnobi quidam dicuntur & Syndenes Basternarum. Qui Peucen Istri insulam occuparunt, Peucini dicti. Roxani, ad Aquilonem recedunt, inter Tanaim & Boristhenem campestria pascuntur. Totus ille tractus Aquilonaris, è Germania ad portas vsque Caspias, campester est & planus. Hanc planiciem, Rusciam nunc vocant, in Albam Nigramq; distinctam. Contra Roxanos expeditionem Mithridates Eupator misit, Tasio duce, cum his pugnatum, qui maxima ex parte trucidati sunt. Ex crudis boum coriis thoraces & scuta conficiunt, item ad lædendum ense, arcu lanceaque vtuntur. Ex hoc genere plures sunt gentes. Nomades in curribus vitam degunt, per herbosam planiciem vagantur, tentoria ferunt pilo contexta, pecora secum ducunt, vnde victum carpant, quum lacte, caseo carneque vescantur: & hos nunc plerique Tartaros vocant: hyeme ad Mœotim præ frigore descendunt, æstatéque per mediterraneos campos diuagantur: idcirco asinis carent, quum animal sit frigoris impatiens: boues quoque cornua non habent, quum algori sint obnoxia: equi pusilli, magnæ contrà pecudes: hydriæ congelata aqua, quamuis æneæ, tamen scinduntur. Itaque vt hæc ordine referamus, inter Boristhenem & Hypanim, a montibus incipiendo Lenium est oppidum, Amadoco, Barsacum, Niossum, Azaaria, Sarurum, Serinum: metropolis est Olbia. Inter Hypanim & Carcinitem Tauroscythæ, Tamyraca. Deinde Achillis exporrecta peninsula in fasciæ speciem, quemadmodum suprà diximus, vbi Bonus portus, Cephalonesus, Mysiaris, Dianæ lacus, & Sacrum promontorium. A Dromi tergo sinus Carcinites, qui peninsulam à Taurico Cheronneso diuidit. Inter Carcinitem fluuium & Pasiacem Nauari, Nauarumq; oppidum, deinde Taracaua, Pasyris, Hercabum, Tarocca, Carcina & Neontichum, quod Noua mœnia interpretamur, & mox Isthmus Tauricæ Cheronnesi, inter Carcinitem sinum Biciamq; paludem interiacentis, in quo Traphros in primis oppidum, deinde Eupatoria, Batrace, Dandaca, Paruula, Cheronnesus, Criumetopon, in arietis frontem eductum promontorium, Corax, Lagyra, Istrianus fluuius, Theodosia † vrbs præstantissima, Nymphæa, Panticapæum, Myrmacæum promontorium, Parthenium, Zenonis, Cheronnesus, & Heracliū à Romanis libertate donatum, Megarice quondam appellatum, quod quinque mi-

ἄξιοι τῶν ἀκιδῶν.

† nunc Caffa.

libus passuum ambiente muro Græciæ mores custodiuit. In mediterraneis verò peninsulæ Tauricæ sunt hæc, Cimmeriũ, Bion, Parosta, Taurona, Pastesgya, Illurata, Tyrictica, à Tyris possessa, Zephyrum, Partacra, Chytæum, Argola, Tabana. Heraclium autem Heracliensium est colonia, qui Pontum accolunt. Eodem nomine Cheronnesus dicitur, quæ à Tyro fluuio stadiis quater millibus & quadringentis, si per mare nauigetur, distat. Parthenium, à virgini cuidam dicato sacello cum statua, nuncuparunt promontorium: centum stadiis ab vrbe abest, tresque portus effecit, vbi Cheronnesus exciditur. Pactorum portus est, angusti quidem oris, in quo Tauri gens Scythica, aduenientibus insidias latronum more tendere solent: post hunc alius portus est, quem Conuntem vocant: 10 post hunc Cheronnesus est, vrbs à parua Cheronneso, in qua sita est, nominata: libera quõdam, ac suis vsa legibus, deinde à Barbaris infestata, eò necessitudinis adducta, vt Eupatorem Mithridatem aduersum Barbaros bellaturum, sibi præsulem & propugnatorem elegerit, qui simul in Cheronnesum misit exercitum, & contra Scythas arma tulit: receptoque Scyluro cum filiis octoginta (vt Apollonides asserit) in Bosporanorum regum ditionem eam redegit. Contra Criumetopum promontorium vltra Cimmericum Euripum, Carambis opponitur Paphlagonum promontorium. In eadem regione etiam Cimmerius mõs, vbi magnus olim Cimmeriorum apud Bosporanos fuerat potentatus. Et nunc iuxta Euripum Cimmericum est Capha nobilissima Genuensium colonia, quę 20 vniuersę nunc Sarmaticæ Cheronneso suum nomen dedit. Panticapæum olim Bosporanorum metropolis erat. Cimmerii nanque ad Ponti dexteram, mediterraneam regionem incolentes, in Ioniam vsque discurrebant, deinde à Scythis eiecti sunt, & Scythæ à Græcis, qui has ciuitates habitarunt, vocantur. Bospori fretum inter Panticapæum & vicum Achilleum est viginti stadiorum, & congelato freto pedibus vtrinque transitur. Quare quodcunque Mœotidis ostium continet, Cimmericum sinum appellant. Contra hunc obstare Trapezũtem montem ferunt, qui ciuitati ad Tybaraniam & Colchidem pertinenti nomen dedit. Post hunc Theodosia in vberrimo loco sita, & à conditore sortita nomen, cui portus est centenarum capax nauium: deinde Panticapæa ciuitas 30 Bosporanorum, in Mœotidis ore posita. Interuallum, quod inter Theodosiam & Panticapæum est, quingenta & triginta stadia non transcendit, multis vicis insignibusque habitaculis, & mira fertilitate præditum: in medio Nymphæum cum optimo portu. Panticapæi arcem à Milesiis cõditam legimus: hæc Leuconis, Sagauri & Parisadę temporibus, vnà cum vniuersa Mœotidis ora sub regali imperio regebatur. Parisades autem regum vltimus, quum grauissima Barbaris tributa pendere nequiret, Mithridati tradidit imperium: ipse inter deos deinde relatus, victo Mithridate in populi Romani ditionem venit. Os Mœotidis, quod Bosporus Cimmerius appellatur, in angustissimum terminatur Euripum. Achilleus vicus Parthenio, qui in Asia est, obiicitur. Cheronnesi regio 40 in mare declinans, Theodosiam vsque, tota frugifera & campestris, vbicunque colitur, ter decuplum legitur, centum & octoginta modiorum millia frumenti, nomine vectigalium Mithridati Eupatori soluebantur: quin & cum Asiaticis locis circa Syndicen attingẽtibus, argẽti talenta circiter ducenta millia. Gręci veluti à Mœotide salsamentaria, ita frumentarios hinc commeatus accipiebant. Leuconem Cheronnesi regem ducentas ac decem modiorum myriadas Atheniensibus e Theodosia ferunt transmisisse. Quum supra peninsulam Tauricam sint Nomades qui equinis carnibus aluntur, & variis incursationibus nõ persoluta tributa vindicabant. Assandrum, Hypsicrates, in Isthmo murum mille trecentorum & sexaginta stadiorum spacio ad meridiem vsque, ad singulaq; 50 stadia turres decem erexisse scribit, vt Barbarorum impetum propulsarent: qui agros colebant, maiore comitate, melioribusq; moribus esse: contrà qui in maritimis obuersabantur, lucri cupiditate, à latrociniis ac iniuriis minimè abstinere. Scylurus, suique filii arces duas erexerunt, quibus ad discursandum aduersus Mithridatis duces vtebantur: quorum Palatius alter, alter Chabus di-

ctus

ctus est: contra verò Diophantes, qui Mithridatis Eupatoris ductu & auspiciis in peninsula Taurica bellum gerebat, Neapolim ædificauit & Eupatoriam. A Cheronnesitarum muro quindecim stadiis iuxta promontorium lacus salsus est, salinasq; multas reddit. Augusti tempore hæc omnia Bosporanis regibus, quos populus Romanus instituerat, obtemperabant. Sarmatarum item & Scytharum mos est, equis; vt obtemperatiores habeant, testes execare: quoniam parui sunt, & miræ pernicitatis & peruicaciæ: venatione delectantur, in palustri regione ceruos & apros, contra in campestri capreas & onagros habẽt: item belluam albo corpore, velocitatis eximiæ, magnitudine inter ceruum & arietem, tantum naribus haurientem aquarum ac seruantem, quantum ad carpendum in aridis campis pabulum satis esse possit: hanc colon dicunt. Taurica igitur peninsula, quam triginta quondam populi incoluere, eiusque iuga Scythotauri tenuere, Peloponneso perquàm similis visa est. Post hanc Bece palus est, à Mœoti petroso dorso diuisa. Panticapæum, Bucum & Gerrhum, è diuersis regionibus confluentes recipit. Gerrhus enim Basilides Nomadesque separat, Hypanis verò Nomades ab Hyleis, vt Plinius ait. Inter Bucum & Gerrhũ Torercadæ habitant, vbi Acra oppidum: & vltra Gerrhum, Cnema Agarusq; fluuij. Deinde Lucus & Porites amnis, inter quos Roxolani, cum Hygræo oppido. Ad Poritis ora, Caria est, Tanaidis ostiis vicina. Tanaim verò Tanaitę accolunt. Mediterranea verò, Osyli, Ophlones & Idræ, item Alexandri Cæsarisque aræ. Interiora loca montibus circumsepta, ad Boristhenis caput, Neuri, Geloni, Tyssagetæ, Budini, Basilidæ, & (vt suprà diximus) Agathyrsi. Super eos alij Nomades & Anthropophagi, à Buce supra Mœotim Sarmatæ & Essedones. Reliquum est, vt postquam Europicam scripsimus, nunc ad Scythiam Asiaticam transeamus. Vltra Tanaim Asiatica Scythia sequitur, apud scriptores plerosque amplissimos sortita fines. Nam ab occidẽte Tanai, à meridie Corace Caucasóque monte, & sinu Caspio à septentrione, ac solis exortu vtroque Oceano occupatis Seribus terminatur. Hæc bifariam diuidetur, altera intra Imaum, extra Imaum montem altera collocata: quin & à meridie Colchide, Iberia & Albania circumdatur. Sub aquilone si declinetur ad exortum, Hyperborei montes occurrunt, quorum accolæ sunt Basilici, Sarmatæ & Zachatæ: ex his fluuius Rhas † defluens post longos errores in Hyrcanum denique mare demergitur. Sub Zachatis, Sbardeni, Perierbidi, Chenides, Saraceni, Iaxamatæ, Piesfij, Themeotæ, Nauari prouincia Mithridatis, item Tyrambæ, Asturcani, Zyngi, Arichi, Conopseni, Meteni, Agoritæ, Saranæi, Thusci, Hyppici montes & Ceraunij, Columnæ Alexandri, Melanchlæni, Sapothrenæ, Scymnitæ, Sirrhani, Sacani, Amazones, Orinæi, Bali, Serui, Diduri, Vdi. Omnes Tanaim & Rhan fluuium interiacẽt, qui quum Sarmatæ sint omnes, Scytharum more degunt, ciuitatibusq; carent, præterquam iuxta Tanaim, & in maritima Mœotidis ora Exopolis, quasi vrbs extra amnem posita, & Nauaris, Paniardis, Patarua, Azara, Azabites, Tænia, Tyraniba, Gerusa, Mapeta. In mediterraneis verò, Antbis, Durubà, Corusia, Ebriapa, Saraca, Abunis, Nasimia, Almia. Mœotidem ab Asiæ parte, à Tanai ad Achilleum vsque vicum Cimmericum & Syndam, amnes influunt, Marubius, Theophantus, Rhombites maior & minor, Atticites, Badis & Bardanes. Ad Tanaim lacus est & ciuitas inter duo amnis ostia, septuaginta inter se stadiis distantia, eo nomine appellata, à Bosporanis Græcis condita, quam Polemo rex nactus, haud facilè imperata præstantem, Tyberij tempore diripuit. Nomadum Asiæ & Europæ, qui pelles & mancipia ferebant, item nauigantium Bosporanorum commune fuit emporium. Contrà verò insula iacet Alopecia, mixtorum hominum domicilium, quæ à vulpium multitudine sibi nomen inuenit. Terrestri itinere euntibus Rhombites maior & minor occurrit, vbi optima piscium conditura. Tanais, qui Nilo contrarius fertur in Mœotida, vt ait Strabo, certis fontibus caret, posteri verò Cosmographi, è Riphæis hunc montibus promanare affirmant. Nomades, frigora, regionisq; difficultas facit, ne super eius ostia versentur indigenæ. Alexander

† nunc Volga.

ſuperato Caucaſo monte, victo Dario, Sogdianis Bactriſq; in poteſtatem redactis, ad Tanaim amnem peruenit, vt ſubacta Aſia, Europæ manum iniiceret, vbi quum Macedones incompoſito agmine diſcurrerent populatum, à Scythis, qui de proximis montibus decurrerunt, grauiter oppreſſi ſunt, pluresque capti, quam occiſi: potiti victoria captiuos in montes referunt, vbi latronum circiter viginti milia verſabãtur. At hi mox ab Alexandro obſeſſi, dum fundis & ſagittis cum Macedonibus pugnam conſerunt, imperatorem grauiſſimo cruris vulnere afficiunt: deinde facinoris pœnitentia ducti, miſſis legatis & captiuos reddiderunt, & ſe vltrò dedidere. Quarto pòſt die quum ad vrbem Marupenta veniſſet, ſtadiorum ſeptuaginta ambitus, Auli Scythæ Barbarorum iuſtiſſimi, & à Cyri tempore hucuſque liberi, miſſis oratoribus ab eo pacem impetrarunt. Ad Europicos deinde Scythas Penindam amicum mittit, cui mandata dantur, locos contemplari, præſertim qui ſupra Boſporum incolunt, condendæ in Tanais ripa vrbis ſedem eligere, explorare regiones, populorum multitudinem & vires conſiderare. Quod vbi factum eſt, poſt redactos in ditionem, qui defecerant, Bactrianos, vrbem in ripa fluminis ſeptem dierum ſpacio mira celeritate perfecit, captiuis qui incolerent, repenſo dominis precio compleuit, eamque Alexandriam appellauit. Scythæ, qui trans Tanaim habitabant, ſuis eam ceruicibus impoſitam rati, Carchaſim regis fratrem cum magna copiarum manu, ad diruendam nouam vrbem mittunt. In ripa tunc Alexander tabernaculum habebat, nõdum obducta vulneris cicatrice, ad traiiciendum Tanaim rates, quibus equites, & vtres ſtramento refertæ, quibus leuioris armaturæ milites imponerentur, excogitarat. Quum hoſtes in aduerſa ripa conſtitiſſent, oratores mittunt, qui Alexandro conſulant, ne indomitam gentem de eo nunquam malè meritam, & Aſiæ Europæque dominam adoriatur, néve elatus tantum lubricæ Fortunæ confidat, vt altius ſubinde ruat, res præcoces ſemper fore momentaneas. Quum re infecta dimitterentur, ratibus triduo confectis, quæ duodecim milium numerum adæquarunt, equites imponit, equos roſtris alligari, & natare oneratos leuius, armatis vtres, obiectas rates ſubſequi iubet. Infeſtis hoſtibus Tanaim traiicit, mox eos non modò à littore repellit, verum etiam quum certatim vnuſquiſque pugnaret, paſſim fundit, fugatq;: araſq; vltra Tanaim in Europa, perpetuum victoriæ ſuæ monumentum poſuit. Vrbem Alexandriam eam eſſe reputarim, quam Exopolim Ptolemæus appellat. Rhas fluuius, quem è montibus Hyperboreis defluere diximus, mediamq; interlabi Sarmatiam, è duplici fonte oritur, occidentalem alterum, alterum orientalem vocant. Inter fontes Modoche † ac Hippophagi iacent, qui equino ſanguine carneque veſcuntur. Subduntur his vltra Rhan, Vaſſæi, Phthiriophagi, & regio Neſiotis. Aſiaticam igitur Scythiam ſicut ab occaſu Tanais amnis, ita a meridie Caucaſus mons ab externis nationibus longe latéque tuetur, quippe qui ſuo dorſo perpetuoq; iugo diuidit Aſiam, atque hinc mare Cilicum, illinc Caſpium & Araxem, cæteraq; Scythiæ deſerta ſpectat: & quum huic Taurus connitatur, ex hoc fit, vt omnia Aſiæ flumina aut in Caſpium & Ponticum, aut in Rubrum Perſicumq; mare deferantur. Alexander ſeptemdecim diebus Caucaſum ſuperauit, in Scythiamq; prorupit, vbi rupes eſt ſtadiorum quatuor altitudinis, vndique exciſa, in qua religatum Prometheum fuiſſe ferunt. Ad radices nouam vrbem poſuit Alexander, quam ſeptem ſenioribus Macedonum dedicauit, & Alexandriam appellari iuſſit. In Caſpio monte portæ ſunt duplices, vnde Scythæ & Amazones prorumpentes, per totam Aſiam ſæpe graſſati, ſæua imperia in Ægyptum vſque geſſerunt: alteræ inter Iberiam & Albaniam, ad mare Hyrcanum ſpectant alteræ. Præterea vltra Rhan, ad Imaum vſq; montem iuxta Hyperboreos, Alani, Scythæ, Seciani, Rhoboſci, Aſmani, Pamardi, Canodipſa regio, Coraxi, Mologeni, Samnitæ, Orgaſi, Erymni, Aſcitæ, Norosbes, Rhymnicus mons & fluuius, Daix amnis, item Noroſſi, Aorſi Iſartæ, Cathagæ, Scythæ. Ariacæ, Namaſtæ, Iaxartes fluuius, & Iaſtes, Sagarancæ, Danabatæ, Latij, Oxij montes, & Oxindrangæ. Deinde Sogdianorum Bactrianorumq;

Madachia.

10 20 30 40 50

ctrianorumque regio, vbi Characharta, Salate, Tribracta, Cabaris, Curiandra, Astatagna, Maracanda, Comara, Comi: item Alicodra, Aziata, Arate, Nigea, Parmide, Antiochia, Massagetæ, Margiani: iuxta quos sex oppida modicis inter se stadiis in frenum domitarum gentium Alexander erexit, quæ nunc suæ originis oblita seruiunt, quibus olim imperarunt. Haud procul hinc mons fuit, præruptus vndique & excisus, triginta stadiorum altitudinis, qui vna tantùm semita, eademque angustissima poterat adiri, vix centum & quinquaginta stadiorum circuitum amplectebatur: quò quum Arimazæus Sogdianus cum triginta milibus armatorum confugisset, commeatus bienñij contulisset, vt hoc modo se a Macedonum seruitute vindicaret, mira Alexandri arte ac ingenio est ex illa petra cum vniuersa multitudine deturbatus: submissis nanque trecentis clam per rupem iuuenibus, inaccessibile iugum occupauit. Item iuxta Sogdianos & Bactrianos, Daeæ sunt, vnde Daci, qui Danubium attingunt, in Europa, veluti & Comara, originem duxere, deinde Chari, Oxiani, Drepsiani, Sabadi, Scordæ, Varni, Chorasmi, Alexandrini, Oxiani, & postremi, cæterique populi, qui intra Sogdianos, Caucasiosq; montes includuntur. Ad aquilonem Norosij Aspasiique montes recedunt, post quos Macheregi, Tybiacæ, Zarathæ, Tabieni, Iastæ, Saxones, Aspasij, Scythæ, Galactophagi, qui lacte nutriuntur, & Saxones: vlterius Alabanni montes, post quos Massæi, Suboci, Abauorsi & Suebi: deinde Tapyræi montes, Suebi, Auaræi & Arcatanacæ, qui Imaum montem attingere conantur. Inter montana Comedorum & Imaum montem Sacæ sunt, qui ciuitatibus carent, in syluis tantùm & speluncis habitant, & Nomades iure nominantur, quando pastores sunt, ex quibus Massagetæ, Caratæ, Comari, Gruæi, Scythæ ac Byltæ, montibus vndique circumsepti. Scythiam verò quæ extra Imaum montem sita est, ad aquilonem Abij, Anthropophagi, Garinæi, Rhabanæi, Sizyges, Damnæ, Anzacites habitant: item Aniba & Anzacia mons, deinde Seres & Osseres, Pialæ, Asnuitæi, Issedones, Throani, Casia regio, Ichardæ, Ichaguri, Cathæ Scythæ, Chaurani Scythæ, Batæ, Aspacatæ, Baucius amnis, Sera metropolis, Solana, Ottorocora, Onosana, cæterique populi, qui Ariam, Gedrosiam Arachosiamq; attingunt. Osseres, Latinè syluarum nobiles, qui perfusa aqua, frondiũ caniciem depectunt, vnde geminus nostris mulieribus datus est labor, fila redordiẽdi, rursusq; texendi, tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitus, vt in publico (vt ait Plinius) matrona pelluceat. Seres verò mites sunt, ipsisq; dissimiles, qui reliquorum mortalium cœtum fugiunt, quum cõmercia expetant. Hæc igitur Scythia est, quæ extra Imaum, quem illi muscosum interpretantur, effunditur. Sed vniuersam Asiæ Scythiam temporibus nostris tyrannus quidam occupauit, quem Magnum canem more patrio nominant. Sacas, qui Comedo monte, & Iaxarte amne occluduntur, à Persis hoc nomine donati, ita bellicosos fuisse ferũt, vt vsq; in Hyrcaniam & Parthiam vagari, atq; inde prædas agere cõsueuerint: neq; deserta siccaq; regione remoratos, quin & Parthos magnis vectigalibus ab his pacẽ mercari solitos, finitimos & remotos æquè multis incursationibus infestasse, Bactrianos inuasisse, occupasse magnam Armeniæ regionẽ, eamq; Sacasinan appellasse, mox Cappadociam & Pontum graui bello solicitasse, ex hostiũ manubiis celebrasse festa, demũ à Persarum imperatoribus fuisse deletos. Hanc Cyro Persarum regi gloriã esse datam, eum Sacas astu superasse. Simulata nanq; hostium formidine, his castra lautissima opulentissimaq; reliquisse: hæc vbi occupauerunt, in crapulam & temulentiam incidisse: Cyrum ab insidiis incautos adortum, ad internecionem vsq; omnes cecidisse: diem illum patriæ Deo dedicasse, quotannis Persas hæc solennia Bacchanalia ad stuporem vsq; producta celebrasse. Athasios & Chorasmos è Sacarum & Massagetarum genere plerique volunt: ad quos Spitamenes vnus ex Persis, qui Alexãdro resistere cõtenderunt, sanè confugit: sed hi postquam se ab Alexandro vsquequaq; peti cognouerunt, aliquandiu per deserta vagati, ad placandã tyranni iram Spitamenem obtruncarũt, caput ad eum miserunt, taliq; facinore belli finem inuenere. Massagetæ, qui Mar-

gianis vicini sunt,è Nomadū genere promanarunt,campos,montes paludésve habitant, bello asperrimi, quando Cyrum non expauerunt. Per hos Margus amnis è Sariphis mōtibus defluens iuxta Rhibios, in Hyrcanum mare deuoluitur. Equum soli sacrificant,quē vnicum esse Deum ducunt:sua cuiq; vxor, suspensa è curru pharetra, in propatulo coeunt: senio confectos in frusta cædunt, abominabili voracitate in humana viscera recondunt,rati illud sepulturę genus esse pientissimum: qui morbo perierint,auibus & feris exponunt,haud aliter ac si humanis sepulchris indigni forent: vtuntur arcu,gladio,thorace,ęneaq; securi,eorum ornamenta zonæ aureæ, aureaq; ephippia: ferro carent & argēto, magna æris & auri copia: qui insulas colunt,herbarum radicibus,fructibusq; agrestibus vescuntur,vestes è libris arborum contexunt: qui paludes tenent, pisces edunt, è marinorum coriis taurorum sibi indumenta parant. Contrà, montani religiosius degunt, quando carnibus non vtuntur: ne lacte & lana careant, famem baca sedant. Campestres ouibus ac piscib. nutriuntur,bellicosissimi semper habiti,alioquin simplices & puri,& in cōmerciis rerum non astuti. Anthropophagi quibus humanæ carnis cibus est, mare accolunt, quod Thabin † vocant,tristissima solitudinę immanitatis suę causa circumuenti. Saxones Asiatici Europicis fortasse dedere genus,quāuis è Macedonum gente promanasse contendunt. Hyperboreos & Arimphæos multi Asiæ, Europæ nonnulli adscribūt: de quibus fabulosa multa Diodorus refert, cognitu minimè necessaria. Inter Iaxartē,& Sariphos Paropanisosq; montes,Sogdiani & Bactriani iacent,Oxo † amnè discreti: Ocus per Bactrianos fluens,in Oxum tandem delabitur: vtrique quum ab Alexandro defecissent,graui bello domiti. Neque procul ab his Gordiani, qui quidem omnes & vita & moribus parum à Nomadibus differunt: quamuis Bactriani aliquanto mitiores. Ne Onesicritus quidem vera scripsisse reputatur,qui Bactrianos senio morbóve confectos,canibus ad hoc ipsum alitis,quos sepulchrales vocāt,adhuc viuos exponi solitos fuisse refert. Macedones, vt Alexandri gloriam augeant,apud Othum olei fontē se inuenisse testantur. Fluuius per Sogdianos labitur,qui irrigata diu regione,in desertam tādem arenosamq; terram delitescit. Id ipsum de Ario,qui Arianæ regioni nomen dedit,Cosmographi referunt. Oxi alueum(quem in plerisque locis in septem stadiorum latitudinem effundi tradiderunt) Alexander dum Bessum insequitur Darij sui domini interfectorem,ponte ex vtribus facto traiecit. Bactria sub imperio Macedonum,qui Persas deleuere,ad secundum vsque Seleucum Antiochi nepotem retenta est: deinde Theodotus præfecturę titulum mutauit in regnum,successorem sui nominis reliquit,qui cum Arsace Parthorum rege contra Seleucum coniurauit,regnum defendit: quod imperante Eucratide, nimis auctum & amplificatum est. Is enim à Demetrio Indorum rege grauiter obsessus,audaci vsque adeo fuit ingenio,vt cum trecentis tantùm militibus,creberrimis eruptionibus,sexaginta hominum milia vicerit,soluerit obsidionē: quintóque mense maximam Indiæ partem in suam potestatem redegerit: in regnum se recipiens, à filio, quem regni socium fecerat,interficitur: supra eius corpus, ne patrem, sed hostem interfecisse videretur, non modò currus actus, sed sepulchrum fuit interdictum. Vltra Sogdiam oppidum Panda, & in vltimis eorū finibus Alexandria, ab Alexandro edita, vbi aræ sunt ab Hercule & à Libero patre constitutæ,item à Cyro,Semiramide & Alexādro. Finis ab illa parte terræ,à Iaxartæ flumine includitur,quē Scythæ Schyttim appellant. Alexander, militesq; eius hunc tantùm esse putauerunt, quem Demonax transgressus est,Seleuci Antiochiq; dux, qui hîc Didymæo Apollini aras posuit. Margiana Bactris finitima, desertis vndique campis circumdatur, quam Antiochus Soter admiratus, delectum mille & quingentorum spacium stadiorum perpetuo muro circumsepsit: ibique vrbem,quam Antiochiam appellauit, erexit: vites hîc optimæ, quarum truncos vix duo viri complectuntur, duorum racemi cubitorum. Tapyris mos est, post tres quatuórve filios,proprias aliis viris vxores (Martiæ & Catonis exemplo) sponte concedere. Hyrcaniam planam & opulentam,

Tenger. *Oker.*

lentam, item pulchris exornatam vrbibus aiunt, quarum Talabrota, Samaria, Carta & Cape sunt potissimæ: vitis vna, vini fert metretam: ficus, modios sexaginta: frumentum è semine culmis decidente, sine cultu nascitur, & adolescit: maxima mellis copia ex arborum foliis defluit, in arboribusque mellificatur. Quum in Hyrcania ageret Alexãder, Thalestris Amazonum regina, quam alij Myrintheam appellant, ei cum trecentis mulieribus protinus occurrit, liberos a rege quæsitura, tertiodecimo pòst die, vtero completo discessit. Hyrcanũ mare a Septentrione Scythæ: à meridie Medi, Hyrcani: ab oriente Margiani, Derbitæ ac Rybij: ab occasu, Armenij & Albani circumstant. Scythæ, a Caspio

10 mari incipientes, magna ex parte Dai nominantur, vt ait Strabo: qui magis ad solis exortum recedunt, Massagetæ, Sacæ, communiter Scythæ, frequẽtius Nomades vocantur. Ex Dais alij Parui, alij Xanthij, alij Pyssuri dicti sunt: Parui, Hyrcanis & eorum mari proximè adiacent: reliqui in Arianam vsque regionem extenduntur. Ex his igitur Dacos Istrianos promanasse opinamur: neque illis adstipulamur, qui hos ab Istrianis promanasse putant: ne sententiæ quidem nostræ Strabo refragatur. Polycletus, lacum ibi esse, habere dulces aquas, serpentesq; nutrire asserit. Contrà cæteri sentiunt Cosmographi, quãdo id Borealis Oceani sinum esse volunt, vnde in mare vsque Indicum nauigare licet: ostij vtranque ripam tenere Scythas, reliqua verò littora Scythas Scytharúmve

20 cognatos, vtpote Albanos, Causios, Nariscos ac Mardos, par eius cum Ponto magnitudo. Claudius, inter Mœotim Hyrcanumq; mare centum & quinquaginta milia passuum tradit esse interuallum: idque perfodere eo tempore Nicanorem Seleucum excogitasse, quo à Ptolemæo Ceraunio fuit interfectus: nonnulli trecentorum septuagintaquinque milia passuum esse dicunt: Cornelius Nepos, ducentorum quinquaginta milia. Nunc autem Isthmum Colchi, Iberes & Albani tenent, per quem Caucasus †mons, quem Scythę Graucasum, quasi niue candidum appellauere, vsque in Indiam excurrit. Pompeius Magnus, vt auctor est Plinius, ex Iberia ad Bactros vsque ad Aliertum flumen octo diebus ipse peruenit, vbi Oxum influit, per quem deinde in mare Caspium

30 deuectus, ad Cyri amnis ostia penetrauit, qui Armeniæ Iberiæq; fines interluit: à Cyro quinq; tantùm diebus terrestri itinere subuectis nauibus in Phasim amnem descendit, per quem secundo in Pontum alueo delatus est. Aristobulus multas inde merces in Hyrcanum mare per Ocum amnem vehi solitas prodidit: deinde in Albaniã & Iberiam per Cyrim & Phasim in Euxinum fuisse delatas. Ocus enim in Oxum defluit, qui diu vagatus, in Caspium mare demergitur. Albani, qui sunt Caspij, maris accolæ, Nomadibus non modò genere, sed vita quoq; proximi, pastorales sunt, & bello non inepti, mira soli fœcunditate præditi, ac Cyri præsertim amnis interfluuio: terra sementem omnem, etiã domesticum sponte fert, sine labore culturáve, bona omnia parit: semel sata, bifera

40 triferáve efficitur: Ægypti feracitatem exuperat: aëris mira temperies: vites quinquennio putãtur: in bimatu, nouellæ fructũm ferunt: adultæ, vsq; adeò fœcundæ, vt post magnam vini copiam, maximam in palmitibus luxuriam edant: ne minori quidem fœcũditate sunt pecora, homines pulcherrimi, ac magni corpore, ab albedine capillorum nomen sortiti. Trogus ab Albanis Italis, qui interfecto Geryone Herculem ex Hispania redeuntem, ex Albano monte sequuti sunt, appellatos esse censet, & idcirco in bello Mithridatico sui generis non immemores, Pompeij exercitum fraterno nomine salutarunt: simplex his ingenium, mercaturæ & cupiditatis expers: numerum supra centenarium non norunt, ponderum, mensurarum, vrbanitatis agriculturæque ignari: iacula-

50 tores sunt & sagittarij, arma, clypeus & thorax, item ferina galea: solem, lunam ac Iouem colunt, præsertim lunam, cuius templum Iberiæ proximum: eius antistes post regem, venerationis obtinet principatũ, sacris præest seruis & regioni: è seruis multi numine adflati manticinãtur: diuinaturus, per syluas discurrit, hunc sacerdos persequitur, sacrâque catena deuincit, per annum alit, alitumq; ad aram deæ cum cæteris victimis ducit in mediũ, mox à latere immissa cordi

† Hanáseh.

cius hasta perfodit, & ex moribundo captat auspicia, quæ populo referat: seruum igitur mortuum, in piaculi speciem omnes supergradiuntur. Albani senectutem præcipuè venerantur, in vita defunctos pientissimi, præsertim in parentes: cum mortuis pecunias defodiunt, ex quo fit, vt pauperes sint, & patrimonio careant. Quum ex Iberia in Albaniam ingressus sit per Amysenam regionem quidem asperam & siccam, ad flumen Alazonium lætiferos serpentes habent, item scorpios & araneas, quarum alteræ cogunt ridendo mori, contra verò flendo suorum desiderio alteræ: canes etiam excellentissimos suapte natura venatorios. In his regionibus vigintisex linguæ sunt, vnde fit, vt regum quoque multitudo adoriatur, neque cuiuis inuicem misceantur. Sub imperio Persarum fuit Albania, postea Macedonum, deinde Romanorum. Traianus Imperator his regem dedit, nunc sub Magni canis potestate degit. Ab his Albani quoque orti sunt, quorum pars hoc tempore in Peloponneso, pars in Macedonia iuxta Dyrachium planè consedit. Quum Gothi Græcorum imperium afflixerunt, in eos pariter militarũt, deinde tædio militiæ affecti in Adriatico littore quieuere. Supra hos Ceraunia sunt iuga, à tactu fulminum appellata. Quin etiam ea his adiicienda censuerim, quæ de Barbaris circa Caucasum, cęteramq; montis huius regionem habitãtibus vulgata, non sine admiratione referuntur: neque mentitum aiunt Euripidem, qui natum (inquit) hos lugere propter ea in quæ venit mala: at contrà mortuum, quasi vitæ laboribus perfunctum, efferre lætitia plurima ac iocis. Sunt qui pro magno sæpe facinore neminem interficiant, sed cum liberis exigãt in exilium. Contrà sunt Derbices, qui pro quibusdam minimis delictis vita mulctant: terram venerantur, fœmininum nullum mactant edúntve: eos iugulant, qui annum excesserint septuagesimum, consanguineorum carnes absumunt, strangulant anus & sepeliunt: humant quoque illos, qui septuagesimum nondum annum nacti obierint. Signini in cæteris rebus Persarum mores æmulantur: pusillos quidem & hispidos equos habent, qui equitem ferre nequeunt: quadrigis coniugantur, quarum mulieres à teneris annis exercitatæ sunt aurigæ: in qua quidem arte quæcunque edocta inducitur, potestas datur, vt cuicunque velit, nubat. Tapyrorum mos est, atras ferre vestes, demissasq; comas: mulieres contra, candidas breuesq; crines. Inter Derbytas hi habitant, & Hyrcanos: fortissimi hac optione donantur, vt quãcunque velint, vxorem ducant. Caspij septuagesimum annum excedentem fame perimunt, in solitudine nanque illum exponunt, euentumq; longius prospectant: felicem putant, quem è lecto distrahi conspicantur: contra, si à feris & canibus, quàm miserrimum: si à nullo prospexerint infestari, infelicem ducunt. Sed de vtriusque Scythiæ descriptione hactenus, quamuis id neminem latere velim, regionum fines pro regnorum fortuna & vetustate mutari. Nunc autem quum lingua Sclauonica, non modò Dalmatiam & Illyricum, ac non mediocrem magnæ Germaniæ partem occuparit, sed per Sarmatas & Getas effusa, Tanais quoque ripam attingere conetur, præter Vngaros ex interiore Scythia oriundos, qui se penitissimos Scythas inficiari nequeunt, quando eorum sermone vtuntur, vt mercatores plerique testantur: Ceni in Sarmatia, emporiis vtrinsque gentis glossemia acceperunt, Scythiam vltra Tanaim retulisse videntur. Nostro autem tempore Vngaria ab Vnnis oriunda, cuius lingua quum Scythica sit, ab omnibus finitimis nimium videtur esse diuersa, Pannonias & vltra Danubium Iazygum & Dacorum regionem ferè omnem occupauit: tellus quidem summa vbertate soli, & rerum omnium copia à natura donata, vbi aurum, argentum, sal, lapillos, colores effodere licet: pecorum mira fœcunditas, in primisq; boum & equorum, item frumenti, pabuli, leguminis & pomorum abundantia, vnde Pannoniam, a Pane Deo pastorum, vel à soli vbertate dictam arbitrantur. Aliqui verò (quibus Appianus assentitur) à Pæone Antari filio, quem Pannona nonnulli dixerunt, Pannoniam nominarunt. Antarus autem ab Illyrico genitus est, quem ex Polyphemo & Galatea natum esse ferunt: quare multi Pannoniam & Pæoniam non temerè idem esse credidere:

nam-

nam quam Latini Pannoniam, Pæoniam dixere Græci: neque deest amnicorum copia piscium & cupri confectura, in plerisque fluminibus auri optimi ramenta inueniuntur: quin & in vitibus aurifero solo satis, aurum quandoque legunt. Antiquæ vrbes, Romanæque coloniæ, quas vltra citraque Danubium quondam spectare licebat, nequaquam hodie præter vestigia videntur: neque in Pannonia superiore, quę à monte Cetio inter Albanum montem & Danubium, ad Arabanem vsque fluuium effundebatur, qui apud Iaurinum Danubium illabitur: neque in inferiore, quæ inter Ribios montes & Istrum ad Taurunum & Danubii confluenta protenditur: quamuis Vngariæ ratione, vtranque
10 Pannoniam inter Drauum & Danubium nunc collocant: priscos populos & oppida recognoscimus. Ad septentrionem olim Azali, ad meridiem Latobici, ad exortū Victiani & Oderiates & Iassii, ad occasum Coletiani: iuxta Danubiū Iuliobona, Carnus, Flexū, Certobalū, Bregetiū: in Mediterraneis autē Sabaria a Sabauaro fluuio nominata, item Rhispia, Sala, Murela, Sacarbaucia, Bregetium, Prætorium & Polentium: sed Prætorium, à Prætoriana legione dictū, quæ pro imperatoris prætorio & tabernaculo in castris semper stare solebat. Inter Sauum & Drauum, Nouidunum, Bononia, quę à Bois Galliæ populis nomen accepit, Lentudum, Corrodunum, Sisopa, Magniana & Zagabria, cui à terræ fœcunditate iure nomen est inditum: huic Osualdus nunc pręest antistes, no-
20 bilissimo Vngarorum genere natus, vir tanta modestia, grauitate ac eloquentia præditus, vt nihil in eo inueneris, quod non sit perquàm laudabile, in sermone prægustatus, multo altius sapit, quàm ostendit, suam prę humanitate dissimulat sapientiam, æquè scit vtranque tolerare fortunam: & quum studiosissimus sit vbiq; decori obseruator, & quum consilio ac ingenij dexteritate polleat, potius rebus magnis agendis, quàm sacro ocio foret idoneus. Sed Zagrabia, olim Vicus Italicus dicebatur. Inter Albanum montem & Sauum Patauium† interiacet, & Audatonium, item Vinudria, Sciscia & Olimacū, Sogora & Visuntium. At Sciscia, cuius pulchra adhuc extant monumēta, in insula quasi sita est: quam dum bifido alueo Sauum ingreditur, Colopis efficit, & quasi à scindendo sibi
30 nomen venari voluisse videtur. In inferiore autem Pannonia, sub Arabane Amantini, Hercuniates, Arabosci: & Danubij hęc quondam ciuitates erant accolæ, Curta, Salua, Carpis, Aquintum, Saluium, Lussonium, Lugionum, Vocontium†, Teuthoburgium Teuthonum oppidum, Acumnicum†, Syrmium, Rhittium, & Taurunum, à Tauriscis Gallorum genere natis appellatum. Berbas verò, Iuolium, Murselia, Mysia colonia, Cibalis, Cornacum, Scordiscorum sunt oppida, quę vnà cum Syrmio Sauum Drauumque interiacent. Inter Bebios montes & Sauum, Breucarum sunt oppida, Certissa, Marsania, Bassiana, Salis & Tarsum. Plinius lacum Peisonem, quem Balathonem nunc appellant, & deserta Boiorum, item Lentudum, diui Claudij coloniam, & Sabariam Iuli-
40 am, & Sacarbantiam Noricis annumerat: in Pannonia Scisciam & Emoniam colonias commemorat, item Arabiates, Azalianos, Antibelgites, Cataros, Carnicates, Eraniscos, Hercinates, Laconicos, Osseriates, Vartianos, Claudium montem cum Scordiscis & Tauriscis: præterea Metubarim Saui, insulam amnicarum maximam, insulamque Segesticam, vbi Sciscciam esse diximus, & Acuntium amnem, qui in Sauum iuxta Syrmium, Syrmiensium & Amantinorum oppidum emittit, Drauumque refert, è Noricis orientem, a violento cursu nominatū, & Sauum, quasi longè placidiorem, magisq; salutarem appellatum, & ex Alpibus Carnicis, quam regionem Carniolam nunc vocant, centum viginti milium passuum interuallo in Danubium planè deferri.
50 Verum hic Strabo valde fallitur, qui dum nauigationē ex Aquileia & Naupacto per amnes in Istrum memorat, Sauum in Drauum, cumq; in Noarum penes Segestam Istrum influere tradit: quod non modò ex Plinij dictis, sed quia nostris vidimus oculis, à veritate videtur nimis esse alienum. Paulò enim infra Peucen ciuitatem, à Peucinis Sarmatarum populis cōditam, quam Quinqueecclesiensem nunc vocant, Drauus Danubio admiscetur. Quonam modo Stra-

in Carinthia.

Backmo nostbra. Kamancz

bonis verba, accuratissimi alioquin scriptoris, tueri possimus, haud facile dixerim: Naupacto (inquit) proximus est fluuius Corcorus, qui onera excipit, Sauum hic intrat, Sauusque Drauum ingreditur: hic verò in Noaron penes Segestam: hinc Noarus accepto Calpi, quum ex Albio monte fluat, per Lapithasque vagetur, Albii accolas, ad Scordiscos Istrum influit. Sed quum omnia lustrasse nemini liceat, solusque Deus falli nequeat, facilè doctissimo scriptori venia dabitur. Sed ad diuerticulū reuocetur oratio. Boii, Taurisci & Scordisci, quum à Gallica natione promanassent, non solùm regionem Drauo Sauóque munitam incoluere: sed Scordisci cum Illyricis & Thracibus promiscuè se habuere, omnium quoq; Thracum immanissimi, quando eorum ritu hostili sanguine diis litare, ex eorum caluariis pocula fingere, grauidarumq; mulierum partus tormentis extorquere, pro nullo facinore reputarunt: callidum & robustum genus hominum, syluarum ac montium situs non parum ingenii asperitatem augebat: Catonis exercitum non fuderunt modò & fugarunt, sed totum penè interceperunt: à Didio, dum libera populatione vagantur, in Thraciam reiecti sunt: a Druso quum grauius arcerentur, Danubii transitu inhibiti, à Munatio vehementius afflicti, dum peruiū glacie flumen equitarunt, Boii & Taurisci a Dacis sæpe bello victi, deleti tandem sunt. Cretosiro quondam subiecti, quos Parisius quidam, amnis patriæ nomen referens, qui è montibus per Scordiscos Istrum intrat, sanè disterminat. Scordisci à Dacis, deinde in belli societatem accepti sunt, nomenq; à discordia inuenere. Nam redeuntib. ex Asia Gallis, quum res haud prosperè successissent, quum per Mysias & Pannonias iter facerent, spectata amœnissimi loci fœcunditate, inter eos e vestigio est oborta seditio: redeundum in patriam alii, nonnulli in Pannoniis desidendum, incolèdumq; solum, quod feracissimum nacti fuerant: diuersa quoque diuersi censebant: quare qui ibi remāsere, ab orta discordia Scordisci dicti sunt. Segesta non procul a confluētis est, quæ Saui insulæ nomē dedit, vbi Sisciam esse diximus, vetusta quōdam ciuitas, nunc ipsa vestigia vix extant: ea Dacorum incursionibus absumpta, in mediterraneā Draui & Danubii regionem, qui superfuerant, vt tutius viuerent, se receperunt: eumq; pagum nunc amplissimum, Segestum† vocant. Prope autem Syrmium est, in via situm, quæ in Italiam contendit, & à Syrmo Triballorum rege appellatum, non tam vino clarum, quàm quòd Probi Imperatoris fuerit natale solum, qui Marmaridas in Africa superauit, Francos inuiis paludibus strauit, Germanos & Alemannos à Rheni lōgè ripis planè submouit, item Sarmatas, Gothos, Parthos, Persas & vniuersum denique Pōti tractum in suam ditionem redegit, quadringenta hostium milia cecidit, omnia ab hostibus occupata recuperauit: tantum prædæ retulit à Barbaris, quantum illi quondam abstulerant: vt Syrmicam regionem, feraciorem redderet, paludem quandam siccare statuit: quam vt exhauriret, innumerabilem militum multitudinem ad effodiendam fossam conuocauit. suborta militari ob laborem indignū seditione, in ferrata turri, quā speculæ gratia latius altiusq; exędificarat, facinorosè cęsus: qui mox elatis aggeribus pœnitentia ducti, ingens cum inscriptione sepulchrum dicarunt: HIC PROBVS IMPERATOR ET VERE PROBVS SITVS EST, VICTOR OMNIVM GENTIVM BARBARARVM, VICTOR ETIAM TYRANNORVM. eius statua in Veronensi agro locata, de cœlo tacta, colores prætexta mutauit. Decium quoque Imperatorem ex inferiore Pannonia, Budaliæ natū legimus, qui bellum ciuile in Gallia suscitatum pacauit: filium suum Cæsarem pronunciauit: Romæ thermas erexit, in Christianos facinorosissimè sæuiit, diuum Laurentium diro affecit incendio; quare in Barbarico tumultu cum filio interfectus, demersúsque in paludis gurgite, nunquam vt sepulturæ traderetur, potuit inueniri. Pannonia imperante Galieno à Sarmatis & Squadis depopulata est. Bathon Pannoniorum olim rex Breucis, Audizetiis, Dieionibus, Pirusciis, Mazæis, Desiciatis imperauit. Secundùm Pannoniam ad Hadriaticum mare sunt Lapithæ, bello quidem accommodatissimi, in Albio mōte siti, qui Alpibus posterior est & per-

quam

Margin notes: Segest. (at line 30); Ex Fl. Vopisco. (at the inscription). Line numbers 10, 20, 30, 40, 50 in right margin.

quam excellens: atq; hinc ad Pannonios & Istrum, hinc Hadriaticũ mare prominet: ab Augusto expugnati, halica & milio vescuntur ritu Gallico: Illyricoque more ac Thracio armantur: eorum oppida Metullium, Arupinum, Monecium & Vendonum. Hadrius mõs Dalmatiam diuidit mediam, hinc mediterranea, hinc mare prospectans: hunc à mari plerique nomen accepisse volunt: à Græco sermone contra aliqui, & fortasse melius, quando quum totus videatur esse saxosus, præter arbusta quædam, nulla syluarum est proceritate conspicuus. Vt ad Pannonias redeamus, quum se duobus saltibus, tribusque fluuiis ingentibus munitos esse cognoscerent, prędarum cupiditate & animorum ferocia tracti, in finitimos passim grassabantur, mox se intra ripas tutissimas recipiebant. Ad hos igitur domandos, ab Augusto Vibius missus est, qui quum eos in vtrisq; fluminibus superasset, non belli ex more arma cremauit, sed in profluentes capta proiecit, vt reliquis, qui subsidebant, hoc victoriam modo nunciaret. Dalmatas Marius incensa vrbe Delminio, grauissima cæde confecerat, quos deinde gregibus, agris, armis Asinius Pollio mulctauit: quum adhuc durissimum genus hominum, iugum è ceruicibus excutere conaretur, Vibio ab Augusto delegata expeditio, vt eos perdomaret, terramque fodere cogeret. M. Valerius Messala Coruinus, diui Matthię regis Vngariæ congentilis, Dalmatas Pannoniosq; domitauit, prouinciamque inter Sauum & Drauum iacentem, à suo nomine Valeriam, quam nunc Sclauoniam dicimus, appellauit. Quin & Dalmatię partem à Coruino Coruatiam nominamus, pręter Modrusiam & Seniam nulla in hac regione ciuitas memoratu digna: quarum altera à Senonibus Gallis, a syluis altera nomen vsurpauit. In Valeria, sola Zagrabia memorabilis, in mõte (vt aiunt) Græco sita: quæ quum mirabili rerum copia redundet, per antistichon à gazarum scaturitate denominationem obtinuit. Cæterum, ne Sclauorum ignoretur origo, Vandali qui à fluuio regionis sic dicti sunt, se deinde Sclauos appellauere, ab eius quidem gentis nomine, quæ à Bosporo Cimmerico ad Tanaim vsque fluuium habitare solebat: & quum eorum pars imperante Mauritio, in Dalmatiam & Illyricum commigrasset, regioni Sclauonię nomen imposuit. Qui in Scythia magnaque Germania remanserant, partim Boemi, partim Poloni dicti sunt. Pars Vandalorum, quæ Burgundionũ nomen deinde assumpsit, vlteriores Rheni ripas Augusti temporibus occupauit, quos Drusus & Tyberius (vt auctor est Cornelius Tacitus) in proprias sedes repulerunt: extra vrbes & oppida disiecti, more patrio vicatim habitauere: & quum vicos, quos propria lingua burgos vocant, incolerent, Burgundiones (vt ait Orosius) dicti sunt: Saxonibusque finitimi. Contrà Polonorum sentiunt annales, quum Boemos & Polonos è Dalmatia promanasse prodant. Plinius Vandalos vnam ex quinque interioris Germaniæ partibus esse dicit: plerique ab ortu Vistulæ fluminis, quà in aquilonem vergit, per immensa spacia Vnnidarum nationem diffusam olim fuisse scribũt, quam in Sclauones, Venetos & Antes diuiserunt. Sclauoni à Marsiano lacu & ciuitate Nometiniensi, ad Danatrum vsque amnem extendebantur in Boream, paludes, ac oppidorum loco syluas habent. Antes verò, qua Ponticum mare curuatur, à Danatro ad Danubium vsque diffusi, fortissimum quidem genus hominum, ab infestis animis appellati. Mysios, qui tantopere ab Homero laudantur, vt suprà demonstratum est, quum de Getis & Dacis agebatur, tempore populi Romani vsque adeo feros ac truces Thracum consuetudine factos aiunt, vt viso M. Crassi exercitu, ante aciem equum immolarint, votáque nuncuparint, si vincerent, se cæsorum ducum extis non modò diis sacra facturos, sed pro lautissimo cibo epulaturos: sed nefanda dij vota abominati sunt, quando tantum terroris eos incessit, vt nè tubam quidem pertulerint. quin & his terrorem Canidius Centurio nimis auxit, Barbara quoque stoliditate vsus, quippe qui super galeam foculum gerens, in hostium formidinem, agitatam cursu flammã, veluti arderet, agitatã latius effundebat. Pannonios igitur Mysi superiores inferioresq; subsequuntur Istri accolæ, quos Retianos, a Retiana Mysiæ ciuitate

metropoli,nunc vocant:hinc enim optimas gladiatorum familias Romani deduci reputarunt, in quibus Gallus Retiariusque decertabat. Roxianos melius fortasse dixerim, à Roxanis Alanorum commilitonibus. Bulgarorũ linguam nunc seruant, parum à Sclauonica dissentientem:peculiares quoque literas habent,ne multum quidem cum Græcis cõsentientes. Bulgari nanque supra mare Ponticũ considentes, melioribus sedibus allecti, Mysias occuparunt: Vnnis primò finitimi, quos annalium scriptores aliqui, in tria genera diuisos prodiderunt:in Alexiagyros,Auares & Vngaros. Alexiagyri haud procul à Chersonneso habitarunt, æstate per campos errare soliti, ad Pontum cum pecoribus hyeme versabantur. Vngari Mœotim quondam accoluerunt, deinde mutatis sedibus, quia murinarum pellium commercio noti sunt, vtrasque Danubii ripas occuparunt; ac in hunc vsque diem vtuntur: eorum enim altius nobis repetetur origo. Auarũm autem habitum, vt Suidas ait, Bulgari vsurparunt,ac in hunc vsque diem vtuntur. Terbalus Bulgarorum dux, Iustiniano Rhinotmeto imperante floruit. Quin & ipse Iustinianus & Constantinus Heraclij filius stipendia huic soluisse dicuntur, quando ab Auarũm impetu, eius opera liberati sunt: scutum enim quod gestare solebat, humi supinum deposuit:item scuticam,qua adurgebat equum: & quousque vtrinque protexit,porrecta humi ad terminos vsque hasta elataq; veste serica, duas arcas nummis completas, alteram à dextra aureis, alteram à læua argenteis militibus exposuit. Auarũm tunc vires Bulgari patefecerunt, nam cum victis Auarib. captiuos quosdam suspensor interrogasset,vndénam principis gẽtisq; suæ interitum accepissent:respondêre, ex hoc quòd tantas sibi vires extincta misericordia delatores compararant,vt fortissimum & prudentissimum quenque virum iam confecerint:fures ac facinorosi,cum iudicibus tutò quotidie versabantur:ebrietas,crapula,largitio,doli dominabantur: venalia cuncta erant, fraudes & insidiæ mutuò tendebantur: hinc igitur Auarũm excidium promanasse dicebant. Quod vbi Terbalus audiuit, conuocatis Bulgaris, varias leges promulgauit, in primis in delatores, de quibus edixit, habendam esse quæstionem: delatorem præuaricatoremq; conuictum, capitalem esse iubet: item ne furi cuiquam & latroni, cibus & esca tribuatur,qui tribuerit,omnia eius bona fiscum referantur,furi crura frangantur:vineas omnes imperat extirpare,delatori non extirpantium, modica munera proponit:qui delinquentibus non indicarit, bonorum publicatione mulctandum esse censuit.Quare Iustinianum secundum,in imperium Bulgari restituerunt. Quum antiquorum more Geographorum, citeriorem vlterioremq; Vngariæ partem descripserimus,nunc quos fines ipsa sibi vendicet, breuiter exequamur, vt vtro modo in referenda historia loci scriberentur, facilimè quisque intelligere possit. Quanquam diuus Matthias rex Vngarorum tantum sibi imperii compararit,vt hinc mare Hadriaticum,Sarmaticum illinc, & ab exortu Põticum, ab occasu Noricos, Vindelicos & Sueuos nunc attingat Vngaria,tamen asperrimæ ac indomitæ gentis alumna, à meridie, à Drauo sumit initium: à septentrione Sarmatis,quos Polonos,& Getis quos Valachos dicimus,tempestate nostra terminatur:ab occasu Austriã habet,superioris quondam Pannoniæ caput:ab oriente Mysiam, quam Rhetianam nunc appellant. Nulli terrarum regioni, hominum robore,pecorum fœcunditate, vbertate soli, metallorum copia cedens: exuta prisca illa Barbarie se nunc militaris disciplinæ principatum obtinuisse gloriatur: quum assiduo bello vexata sit, infestissimis circumuenta nationibus,extinctis vetustate vrbibus,quæ in Pannoniis olim fuerant,nunquã pacis cõpos,nouas ędificare non potuit:& si quas exædificauit,tumultuaria(mihi crede)fuerint opera: triplici tantùm genere hominum delectata, quorũ pars sacerdotum est,quum religionẽ mirificè colant:alij arma gerunt:cæteri,agricolæ sunt:vniuersa in pagos cõuentusq; diuisa,quos comitatus appellant.Quę si mitior esset,aut latrociniis carere posset,frequentiã quoq; oppidorũ maiorẽ haberet,cœli benignitate,&pulchritudine situs,omnib.orbis regionib.suo iure posset anteferri.Cõuentus quàm plurimos habet,vicosq; innumerabiles

numerabiles in vrbium speciem: sed conuentus partim à ciuitatibus, partim ab his Vngarorum ducibus, qui in Scythia prodeuntes, vtrasque Danubij ripas occuparunt, nomen assumpsere. Citeriores, qui per Pannonias diffusi sunt, prius sunt ordine referendi: inprimis Syrmensis conuentus, à Syrmio metropoli ciuitate nominatus, de qua multa paulo suprà dicta sunt: Ioanne episcopo, viro nobili & grauissimo, ac multis animi corporisq; dotibus prædito, vniuersus ille Scordiscorum tractus nunc magnopere gloriatur, cuius virtuti si fortuna comitem se præbuerit, longè maiora spetare poterit. Deinde Valconensis, in quo Vvlacum oppidum non ignobile. Episcopatusque Diacensis, qui maximam

Comitatus Vngariæ, LVII.

10 Mysiæ partem quondam obtinebat, nuperrime excellentissimum episcopum sortitus est, Stephanum Crispum, inaudita humanitate, mira optimatum artium disciplina, præterea fide, clementia, liberalitate ac prudentia incredibili: cui si fata vitam protogabunt, nihil est tam magnum, quod virtute & probitate sua sperare non possit. Post hunc Poseganensis, inter Sauum Drauumq; diffusus, cui Posaga oppidum nomen indidit. Sclauoniam autem Dalmatiam duobus tantum conuentibus complectuntur, qui Seuiæ ac Zagabriæ haberi solent. Barauiensis conuentus multis fertilibusque vitibus exornatus; in quo Peuce ciuitas opulētissima, à Peucinorum reliquiis ædificata: quam nunc à quinque basilicis, Quinqueecclesiensem vrbem vocant: antistes huius Sigis-

20 mundus est, non modo optimis disciplinis, quas ab Italis accepit, & opibus ac nobilitate generis, verumetiam ingenita humanitate, magnificentia, grauitate, formæq; præstantia venerandus, qua omnium spectatorum gratiam sibi facillimè conciliat. Item Batha, vicus quidem non ignobilis, quam Vngari Scytharum proles, à Batha Cimmerici Bospori, quæ non procul a Synda est, vocare voluerunt. Deinde Simigiensis conuentus est, Simigiusque pagus, cum templo non ignobili, in quo Segesta, cæterique vici Balathonis lacus accolæ. Sed in hęc loca Segestani, Scytharum incursionibus vexati, vt tutius viuerent, se receperunt. Postea Tholnensis iuxta Danubium, vbi Abbatię tres vetustissimæ, circumfusis ditatæ pagis. Mox Albensis, ab Alba regali nuncupatus, quæ

30 in media palude sita, haud facilè expugnari potest: vbi basilica diui Stephani Vngariæ regis profectò nobilissima, in qua regum defunctorum monumenta spectantur: nunc tantò diui Matthiæ sumptu tota reficitur, vt cum superbissimo quoq; templo conferri queat: cui quum regio edicto & auctoritate pontificia, ætate nostra Dominicus antistes fortè præest, tanta comitate, prudentia, probitate, & aspectus venustate fuit, vt spectatorem quenque dicto citius alliceret in amorem, officio cuiq; deditissimus, & præsertim externorum: liberalis nanque vultus, & corporis decora proceritas, gratiæ tantum addebat, vt adeuntem quenque à se dimitteret inuitum. Sed cur tot Albas Vngaria dixerit, haud immeritò pleriq; dubitabunt. Non solum hanc Albā habet Vngaria, sed Albam

40 Græcam ad Taurunium, & Albam Iulam in Dacia, apud Transsyluanos, quo quidem nomine non immerito tantopere delectantur (vt mea fert opinio) qui progenitorum suorum nomen lubentissimè retinent. Vngari nanque ab Vnnis, Vnni à Leucis, id est Albanis Asiaticis, qui à Scythis orti sunt (si Procopio Græco scriptori credimus) originem duxerunt, & vt maiorum nomina seruarent, quas ædificarunt vrbes, ab eis nominare voluerunt. Æneas enim & Teucer, antiquorum more, quas ciuitates fundarant, patriis nominibus appellarūt. Pius Pontifex maximus, huic opinioni, nescio quo affectu, refragatur: nisi fortasse isto, quia quum vates esset optimus, Vngarosq; māticinaretur paucis pòst temporibus Alemannos suos, quos tantopere ac iure dilexit, facilè domituros,

50 iniquo ferebat animo, eos aliquam nobilem originem sortiri. Procopius Vnnos è Nephalitarum genere fuisse prodidit, quos etiam Leucos, id est Albos, nominat: vnde & Leuci quoque in Belgica Gallia inter Remos & Lingones siti. In eodem conuentu Coletia † est metropolis quidem ciuitas, metropolitamq; haberi solet non ignobilem. A Coletianis hoc nomen & fundamenta sumpsit, qui (vt Ptolemæus auctor est) sub Noricis inter Sauum & Drauum, non procul

Kalochia.

a Patauio quondam habitarunt. Hinc è conspectu ad occasum Vesprinienfis est, ab episcopali ciuitate nominatus, quõdam ciuitas ab Albo fonte, Alamannica lingua nomen accepit. Item Zaladiēsis, trans lacum quem Balathonem nunc vocant: cui quidem ideo nomen hoc inditum, quia Zalę, id est fluctuatio vndarum, conuentui vndique circumstrepit. Ibi quoque Thihan Cheronnesus & peninsula est, quam optima piscium copia, cœliq; benignitas nimis fortunatam, & longè fortunatiorem celeberrimum templum, ab Andrea rege conditum effecit. Pilissiensis verò conuentus, ad Danubium recedit montana quidem regio, & tota vitifera, & ob calidas aquas sulphureū fert vinum, quod temulentiam facilè ciet. Hic Buda noua, & Buda vetus, vtraque Danubij lambitur vndis: à Budinis, vetustissimis Scytharum populis, qui cum Atila Vnnorum rege, qui in Pannonias descenderunt, appellata. Ne illis quidem assentiendum esse duxerim, qui à fratre Atilæ nominatam tradunt: si Herodotum & Strabonē diligentius lectitassent, aliter fortasse sensissent. Vnni ex Asia prodeuntes, traiecto Tanai, in mediam Europæ Scythiam penetrarunt, & cum Budinis diu habitarunt, antequam Pannonias occupassent. Supra Budam veterem in eadem Danubii ripa, vetustissimæ vrbis vestigia nunc cernuntur, magnúmq; murorum ambitum referunt, Sicambriam nunc iuniores dicunt, à Sicambris, remotissimis Germaniæ populis: nam ciuitas ista ex auxiliatrice Sicambria legione Germaniæ, nomen olim assumpsit. In hac veteri Buda lapis effossus est, Matthiæ regis tempore, dum fundamenta iacerentur ædium Beatricis reginæ, cum tali inscriptione: LEGIO SICAMBRORVM HIC PRAESIDIO COLLOCATA CIVITATEM AEDIFICAVERVNT, QVAM EX SVO NOMINE SICAMBRIAM VOCAVERVNT. Nos autem quantum ex Ptolemæo & Epigrammatis veterum lapidibus incisis coniicere possumus, legionis primæ auxiliatricis hanc vrbem fuisse credimus. Treis enim legionum vrbes, in ripa Danubii (quamuis in superiore tātùm Pannonia, in quo fortasse decipitur, quia inferiorem etiam attingunt) Ptolemęus collocauit. Primam, quæ legio Germanica decima dicta est: quam quidem eam fortasse reputarim, quæ iuxta Strigonium in effusa planicie sita est, aut è conspectu Comaræ, iuxta Tatam. Alterā, quæ legio Germanica decimaquarta: & eam paulò supra Budam, ad decimum sextum lapidem, vbi diui Andreæ nunc templum est, & vicus in edito loco situs, fuisse opinamur: extat adhuc murorum circuitus, a tergo nondum à liuida vetustate deletus. Adhuc in veteris delubri limine lapis est, cuiusdam Flauii epitaphium referens: ex quo mihi facilè coniectura deducitur, legionem illam Domitiani Imperatoris tempore, in Dacica expeditione, in ripa Danubij fuisse collocatam, ibiq; aliquem ex Flauiana familia obiisse, legionis huiusce præfectum. Tertiam autem, quæ auxiliatrix legio fuit, supra Budam veterem fuisse reputamus: quod vetustissimum testatur Epigramma ibi effossum, & cuiusdam scholæ speculatorum legionum adiutricum dicationem ostendit. in citeriore nanq; Danubij ripa, nulla alia veterum ciuitatum vestigia his potiora comperimus. Ex quo fit, vt Sicambriam legionem primam auxiliatricem, hanc à Sicambris Germaniæ populis appellatam, quæ ad Budam veterem humi planè iacentem conspicamur, existimare debeamus. Sed liberum cuique iudiciū facilè patimur: ineptos & somniculosos annalium scriptores non sectamur. Non multo suprà, in eadem ripa fluminis, Vicegradus est oppidum, regum Vngariæ quondam sedes: nunc vicus est celeberrimus, ciuitatis instar, à diuo Matthia instauratus, ac eius regia tanto sumptu & arte culta, vt nihil pulchrius spectari queat, & superbius: sed de hoc aliàs. In montis autem vertice arx munitissima, vbi regiam sacramq; coronā aiunt asseruari: paulo suprà, Piliensis abbatia est. Secundùm Zaladiensem comitatum, vt aiunt, Castriferrensis est, ad Noricos Vindelicosq; spectans: ibique Sabaria vetusta quondam ciuitas, varia referens monumenta, quæ quum diui Martini patria fuerit, non parum sibi religionis ab omnibus exegit. Semproniēsis hūc attingit, à Sempronia nobilissima Romanorum colonia dictus, ac Ciuitati nouæ Au-

strię

ſtriæ conterminus, in quo munitiſſima oppida, innumeriq́; pagi. Si ad Danubium declinaueris, Iaurienſis conuentus occurrit, qui ab Iauro ciuitate feraciſſima nuncupatus eſt, quam Arabon amnis abluit, quum Danubium influit, vbi paulò remotiùs Bregetium † olim fuit: epiſcopatum habet non ignobilē, eiusq́; baſilicam Vrbanus pontifex, Matthiæ regis apochryſiarius †, nō paruis ędificiis & apparatibus excoluit. Thomas huic, qui diuo Matthiæ ſeruiebat, à ſecretis planè ſucceſſit: qui quum exacta prudentia, integritate ac fide ſumma foret, item laborioſo corpore, ingenio dextero & acuto, non plus ſibi, quàm principi placuit: aſſidua illi ſeruitia & officia incredibili ſtudio præſtitit: quare tantum ſibi auctoritatis vendicauit, vt pro breui conſilio, aſtu ſapientiaq́; ſua, inter cæteros (ſi viueret) principatū conſequuturus eſſe videretur. At huic nepos Franciſcus erat, qui proſa & pedeſtri oratione pollens, doctis fauebat ingeniis: & patrui ferè collega, quum regis ſit amanuenſis, ſcribendi elegantia commune munus exornat. Neque procul nimis ab Iauro Pannonius mons eſt, à quo Pannoniam plerique dictam affirmant: & in eius iugo religioſiſſimum diui Martini templum, qui quamuis Pannonicus fuit, in vlteriore tamen Gallia eius corpus reuerentiſſimè aſſeruatur. Cum hoc continuatur Camarienſis, à Camaro Scytharum oppido nominatus, quod in inſula Danubij ſitum eſt. Comari nanque iuxta Iaxartem Sacarum fluuium, in Aſiatica Scythia populi fuere celeberrimi: quare multa Europicæ Scythiæ oppida, Aſiaticæ nomina referunt: quin & Comara fluuius in Bactris eſt, qui Ocum intrat: Comari quoque ibidem populi. Ex quo fit, vt Vnni, Vngarorum progenitores, ex Aſia primùm, & non ex Europa prodierint, quum non ſolùm nomina, ſed Scytharum linguam quoque redoleant Aſiaticorum. In eodem conuentu Tata, vbi arx regia tanto impendio extructa, vt iure poſſit omnibus noſtri temporis arcibus anteferri: hinc nanque lacu, hinc duplici foſſa: exciſo ſaxo, & erecto aggere munita, vt nulla ex parte oppugnari queat. Strigonienſis hunc attingit, a Strigonio metropoli vocatus: quam quum Iſter & Gromus amnis præterlabitur, hinc iuniores appellationem contraxiſſe opinantur. Baſilicæ ibi duæ nobiliſſimæ, archiepiſcopatus altera à diuo Stephano rege in edita arce cōſtructa: in oppido ſubiacēte altera, à Bela quarto Vngarorum rege, diuo Franciſco dicata. In patenti campo præter Iſtrum, legionis Germanicæ decimæ iuxta flumen effuſæ veſtigia multa cernuntur (ſi Ptolemæo credimus) quā Tartari poſtea deleuere: vbi quum legiones adhuc Valentiniano & Valente imperante tenerentur, à præfecto legionis primæ, vt ex quodam lapide legimus, Monopolium in ſuburbio inſtitutum eſt, cuius inſcriptio talis eſt: IVDICIO PRINCIPALI DOMINORVM NOSTRORVM, VALENTINIANI, VALENTIS ET GRATIANI, PRINCIPVM MAXIMORVM DISPOSITIONE, ETIAM ILLVSTRIS VIRI, VTRIVSQVE MILITIAE MAGISTRI EQVITIS, COMITIS, FOSCANVS PRAEPOSITVS LEGIONIS PRIMAE MARTIORVM, VNA CVM MILITIBVS SIBI CREDITIS HVNC BVRGVM, CVI NOMEN COMMERCIVM, QVA CAVSA ET FACTVS EST A FVNDAMENTIS, ET CONSTRVXIT, ET AD SVMMAM MANVM OPERIS IN DIEBVS XLVIII, CONSVLATVS DIVI NOSTRI GRATIANI AVGVSTI BIS, ET PROBI VIRI CLARISSIMI, FECIT PERVENIRE. Locum præpotēs metropolita excolit, & nunc quam maximè Hippolytus Aragonius, reginæ Beatricis è ſorore nepos, ac Herculis Ferrariæ ducis filius, qui nōdum decimum annum natus erat, quum à diuo Matthia tam ſacro munere donatus eſt. Sed genus regium, immaculata pueritia, indolesq́; penè diuina, baſilicæ ac venerabili collegio ſacerdotū precium potius addidiſſe, quàm quicquam detraxiſſe videtur. Moſonienſis hunc attingit. Hactenus de conuentibus citerioribus dictū eſt. Nunc vlteriores ritè proſequamur: à Peſtenſi ſumatur initium, cui Peſtum oppidum nomen attulit. Piſonenſi vetuſta ciuitas nomen dedit, quæ à Piſone, qui Thraciam domuit (vt Florus ait) nomen aſſumpſit, quum in Myſiis & Pannoniis verſaretur. Hon-

Bregethin.
Apocriſiarius.

Soot. tensis verò est, vbi Satū† est oppidum, à Satis vetustissimis Scytharū Asiæ populis vocatū. Neugradiensem, vbertate soli lætum, Bacia ciuitas excolit. Ad Marmaciam, quā hodie Marmarussam dicūt, Gemeriensis planè secedit, cupri & argenti ferax. Itē Tornensis, ac Zoliensis, à vico & oppido denominationem assequuti, alter ferri, alter auri & argenti feracitate pręstās. Sariensis, cui castellū nomē attulit, ad Sarmatię fines spectat. Polonis quoq; Scepusiensis est cōterminus, in quo Scepusium, Barthuua, ac ciuitas Leucouiensis, ab Albanis Vnnorū progenitoribus condita. Leucon enim albū Græcè significat. Hic Emericus pręfectus prætorianus, quē palatinum vocant, & Stephanus frater, comes regius, latè tempestate nostra dominantur: alter sapientia summa, ac magna rerū experientia pollens: alter fide, probitate armisq; præclarus. In montibus prope Marmaciam, Vngensis est, qui ab Vnnis Vngarisve denominationē accepit. Si in campos descēderis, Heuesiensis est, vbi Agriam fuisse diximus. Borsodiensis autem est, vbi Diosgieur castellum non ignobile pręsidet. Vltra Tibiscum, Zabolciensem inuenies, Zolnocensemque exteriorem, cuius amnis accolæ sales fossiles è Marmacia in Danubium deuehunt. Neque procul hinc Bihoriensis, vbi Varadinum est, eiusque basilica, vbi diui Ladislai regis corpus requiescit: spectatur etiam ex ęre equestris illius statua, statuæq; nonnullæ. Bekesiensis, ad Transsyluaniam recedit. Cui Orodiensis quoque finitimus est. Cui Orodium, vbi Belæ cæci regis est sepulchrum, nomen attulit. Non procul hinc Zaradiensis. Præterea Thorontalensis. Et iuxta Tibiscum amnem Chiongradiensis, Zegediensi oppido celebratus. Item Chianadiensis, cū ciuitate & basilica non ignobili. Ad Mysiam Themesiensis se reflectit, vbi eodem nomine oppidū frequentibus vicis circunfusum. Proximus huic Bachiensis est, ciuitate clarus & antistite. In ripa Danubij Bodroghiensis extenditur, à castello nominatus. Zathmariensis fodinis auri & argenti ditissimus per montes effunditur, oppidumq; habet, quod Riuulum dominarum nunc appellant. Zolnok mediocris, & Crazna. Item Beregensis, cum oppido in altissimo monte sito, quod Monkachum vocatur. Et Vgociensis, vbi antiquissima primôrum domus, inter proceres clarissima semper habita, latè dominatur. Cuius princeps Emericus, ea tempestate ditissimus, & Matthiæ regi formidolosus, oppidis & fortunis priuatus est: cui mox præstantissima Emerici filij indole rex, pœnitentia & commiseratione ductus cuncta bona restituit: adolescens enim erat liberali ac venusta vsq; adeo facie, vt maiorum suorum virtutes præ se ferre videretur: huic Prini Ianos congentilis erat, innocentia, probitate & affabilitate summa. Ad Marmaciam hi spectant omnes. Supra Pisonium Nitriensis, vbi Antonius episcopus, grauitatis & prudentiæ studiosissimus Nitriæ præfuit. Nunc Barsiensis sequitur, vbi Reuisthie Vrbani pontificis Agriensis est oppidum. Morauiæ à Mura fluuio dictæ, Trenchiniensis est conterminus, cui ciuitas nomen imposuit: neque nimis hinc Tyrnauia abest oppidum. In Morauiæ & Poloniæ finibus Lyptouiensis est, à Lyptouia vrbe nuncupatus: quo Ioannes faustissimus diui Matthiæ filius, in amplissimi spē imperij ab infantia educatus, à pientissimo patre donatus est, dum qualis princeps futurus esset, à teneris præferret annis. Aruensem, Morauiæ Poloniæque fines attingunt. Ad easdem partes Thurocensis pertinet. In eadem ferè regione Abauuyuuariensis, in quo Cassiouia vrbs nobilissima, & Eperies. Zempliniensis, vbi oppidum, vbi ad Bodrogum amnem Scythæ ac Vngari primùm consedêre. Postremò Maromorusiensis conuentus est, vbi salium sunt fodinæ, & quinque oppida vicique. Atque Transsyluaniensis, vbi septem Saxonum sunt ciuitates, quas Septemcastra (ni fallor) appellant. Ex his potiores sunt Saxonum, Cibinium, Brassonia, Bistricia, & Colosuarum, quod Scholasticum oppidum Scythica lingua interpretantur, vicinum etiam est illi monasterium, beatæ Scholasticæ dicatum. Item Alba Iulia metropolis, de qua suprà dictum est, fodinæ quoque salium. Scythuli † quoque populi, è Scythis ingenuis oriundi, quādoquidem adhuc seruitutis ignari sunt, nulláq; regi stipendia nunc expendunt, nisi quandoque domesticatim bouem,

Zekel.

& illum

& illum quidem non edicto imperatum, sed precario nomine, postulante quasi regni necessitate exoratum. Sed hæc omnia recentioribus nominibus appellemus. Illud Sarmatiæ latus, quod inter Tyram & Axiacem ad Euxinum vsque mare porrigitur, Podolia nunc dicitur. Hinc Russia ad Boristhenem vsque diffunditur, & vtranique eius ripam ad caput vsque obtinet, deinde inter orientem & septentrionem, conuersa supra fontes Tanais ad Riphæum montẽ propagatur. A Riphæis deinde iugis pars eius vna in Sarmaticum Oceanum, vltra Chersincitum ad Furstam amnem, altera verò in Asiam & Hyperboreos, & Hippophagos vsque Sarmatas excurrit, vbi syluestres homines supra niues ferè perpetuas vehiculis feruntur, quæ cerui tanta pernicitate trahunt, vt vltra centum milia passuum vno die iter facilè metiatur. A tergo Russiæ, inter ipsam Tanaim & Mæotidem quicquid est, Tartari habent, Lithuania, quam plerique Litauiam appellant. Interiora Sarmatiæ possidet inter Venedicos & Bodinos montes sita, ab exortu Russiam, a septẽtrione Liuoniam, Prussiam & Pomeraniam attingit: quę quidem regiones à Bodinis Alanisque montibus, reliquam Sarmatiæ oram ad Oceani vsque littus occupant. Lithuaniæ Mazouia iungitur. Ab occidente circa ripas Vistulæ fluminis, Polonia eam Sarmatiæ partem sibi occupauit, quæ à Sarmaticis montibus, & fontibus Vistulæ, Germaniam a Scythia diuidentis extenditur. Quæ quidem loca Ombrones, Saboci, Sidones & Visburgi quondam incolebant: sed qua Germaniam incurrit, coniungitur Silesiæ, quam à tergo Morauia excipit. Quadi autem & Marcomanni sub Morobando rege, Silesiam & Morauiam tenuere, à quo Morauiam dictã arbitrantur. His duabus regionibus Boemia ad aquilonem adiacet, inter monteis sita, qui Sudetæ dicti sunt, & Sumauiam syluam. A Drauo incipit Vngaria, & citra Danubium, à Noricis ad Taurunum vsque, vbi Sauus Danubium influit: vltrà verò, è Germania Carpathum montem attingit, sub quo Sepusium est oppidum, & ad Tibiscum vsque spaciatur: quod montanæ Daciæ caput est, quam Ripensem plerique dixerunt, & nunc Montanam Valachiam appellant. Altera verò Valachia, cui Moldauiæ nomen est, inter Istrum & Tyram, ab Hierasso montanæ Valachiæ termino, ad Euxinum vsque Pontum extenditur. Transsyluania vltra Carpathum montem, extrema est Daciæ ora. In superiore Mysia, Bosna est & Rassia: à tergo, Seruia: in inferiore Mysia, Bulgaria cõtinetur. Regum sedes in Polonia Graccouia est, ad Vistulam amnem sita: in Lithuania, Vilna: in Vngaria denique, Buda.

RERVM VNGARICARVM DECADIS PRIMÆ LIBER II.

VTRANQVE Scythiam, & citeriorem vlterioremque Vngariam, & locorum nomina, quæ transmigrationibus ac bellis variarum gentium immutata sunt, qua potuimus breuitate, descripsimus: rati hac descriptione, historiam quenque facilius accepturum. Sed quum ad eius festinemus initium, etsi in superiori libro nonnulla retulimus, de Scytharum tamen origine, moribus & gestis, & de Gothis, qui ab Vnnis eiecti sunt, vnde Vngari duxere genus, nobis prius haud abre dicendum esse statuimus, vt commodiùs cætera prosequeremur. Scythicam gentem, à Scytha filio Herculis nomen accepisse, nemo est, qui deneget. Verùm in historia ficta plerique dissentiunt. Diodorus natam ex terra virginem tradidit, vmbilicotenus humana forma præditam, cæterum viperã: eam treis pueros genuisse, Scytham, Plutonem, & Napim: primum virtute ac ingenio præstantiorem, propagato imperio, quod angustum acceperat, Scythis nomen imposuisse: ab altero, Plutones: Napeos à tertio, diuiso regno, & prolatis finibus fuisse nominatos. Gens, quæ primũ ad Araxim fluuium pauca & contempta consederat, magnanimum sortita regem, ac belli & gloriæ cupidum, montana ad Caspium vsque

occupauit, campestria verò ad Oceanum & Mœotim: quin etiam traiecto Tanai optimis rerum successibus vsa, in Europa ad Thraciam vsque peruenisse fertur. In Asia quoque Nilum attigisse, colonias è prouinciis sibi subactis in Scythiam deduxisse multas, potissimas verò duas: alteram ex Assyriis, quam inter Paphlagoniam et Pontum collocauit: ex Mœdis alteram, quam ponè Tanaim, eamque Sarmatiam appellarunt. Herodotus Herculem refert, vt nil intentatum indomitumque relinqueret, in Scythiam peruenisse, apud Hyleam syluosamque regionem mulierem inuenisse biformem, eamque sibi equos subtraxisse, neque ipsum, nisi soluto coitu ab ea recipere potuisse. Huic treis scitos & elegantes pueros fuisse natos, Scytham, Agathyrsum, & Gelonum: consultum ab illa, cui regnum traditura esset, respondisse, Cui delegatus arcus intentiùs decuruaretur: Scytham, vbi adoleuerunt, vehementius intendisse, regionis imperium iniuisse, fratres alienas quæsiuisse sedes: Gelonum, transmisso Tanai ad Danubium vsque regni fines protulisse: Agathyrsum, ad aquilonem recessisse, & ad Riphæos Hyperboreosque montes imperium statuisse. Nonnulli quidem, nescio quid ex Hebræorum historia hallucinantes, à Magog filio Iaphet, Scythas promanasse scribunt: quin & Hunorem & Magorem Nembroti filios, Vnnorum fuisse progenitores. Nos autem vetera monumenta nimia auctoritate pollentia, etiam in errore sectari, quàm cum his, (dum licet) bene sentire maluimus. Scytharum igitur gens quàm antiquissima semper habita fuerit, sua cum Ægyptiis contentio prorsus ostendit. Ægyptij hoc argumēto primam hominum originem sibi vendicabant: asserebant enim terras ab initio rerum, quę aut intolerabili frigore, aut nimio feruore afficiebantur, primos homines adire nequiuisse, præsertim quum aduersus hæc, nulla adhuc velamenta ars inuenisset, Ægyptum in medio sitā nimia soli fœcunditate, cœliq; temperie prępolluisse: quin etiā Nilum è limo, fouēte sole, innumera animaliū genera procreasse: hinc facilè colligi, primos homines ibi fuisse visos, vbi educari facilimè possent. Contra Scythæ, hanc nullius momenti rationē affirmabant, Deū & Naturam nil frustra statuisse, nulla protulisse loca, quæ omni ex parte vacarent: in animalium ac cæterarum rerum procreatione, pro loci aerisque conditione omnia generasse: in frigidis oris dura corpora collocasse, cætera, patientia caloris intolerandi, plantas & fruges pro loco & cœlo aptissimè disposuisse. Ad hæc à principio rerum siue vnio fuerit congeriesque rerum, siue aquarum illuuies terras exsuperans, siue ignis cuncta occuparit, quem mundum genuisse volunt, Scythas origine omnino præstare oportere. Nam si ignis, Dei nutu terris cedere iussus est, nil rigente septentrione prius ab igne liberatum fuisse, credendum est. Ægyptum verò, ac cætera, quæ ad solis exortum spectant, tardissimè temperata, quin etiam adhuc solis æstu non carere. Si aquarum illuuie demersa tellus, nihil editissimo septentrione desidentibus aquis celerius emersisse, quod nulli prius, quàm Scythiæ, accidere potuit. Quæ quàm alta sit, hinc facilè intelligi potest, quòd omnes fluuij è Scythia orientes, in Ponticum Ægyptiumque mare decurrunt: contrà Ægyptus, adhuc tot regum seculorumque studio & impensa, aduersus incurrentium vim aquarum vix muniri potuit. Ex quo facilè colligitur, Nilum non à meridie, sed ex Atlante monte ad occasum, exortum defluere. Si distincta vnione, rerumque congerie, leuia sursum, grauia deorsum planè desidunt: nimirum Scythia cœlo propior, sub editiore polo sita, prior emersit. Quare Ægyptij, non modò argumentis, sed vi quoque armorum superati sunt. Nam indicto à Beroso Ægyptiorum rege quondam bello, non modò eum in finibus aduenientem expectarunt, sed prodeuntes longiùs occurrunt, tanquā prædæ obuiam ituri; quando cum eis rex nil lucrifacere posset: quod vbi hostes acceperunt, relictis impedimentis & castris, dicto citius in fugam cōuersi sunt: patrata magna cæde eorum vix in Ægyptū rex incolumem se recipere potuit: quin etiam, nisi Scythas paludes inhibuissent, vniuersum ille regnum amisisset. Isti dum redeunt, vniuersam Asiam domitarunt, & in imperij titulū minimo indicto tributo, stipendiariā fecerunt. Sed quid Berosum dicimus,

mus, exoletamque historiam ingerimus? Darium Persarum regem in turpem fugam conuerterunt, deleuerũt Cyrum cum vniuerso exercitu, Zopyrum Magni Alexandri ducem cum omnibus copiis ad internecionem vsque ceciderunt, Parthicum denique & Bactrianũ imperium pepererunt. Gens bello asperrima, indomitabilis, omnis expers ambitionis & auariciæ, nihil à victis præter gloriam postularunt: neque agros colunt, neque domos ædificant, neque villas construunt, neque sedes certas habent: per incultas solitudines pecora tantùm pascunt. Plaustra in domorum vsum resarciunt; ad arbitrium mutabilia, hæc vxores & liberos ferunt: se ferinis & murinis pellibus tegunt, lanæ vsum
10 ignorant: lacte & melle vescuntur, mulctra potissimum est abaci ornamentum: arma, ensis & arcus: iusticia, nõ accepta legibus, sed ingeniis insita. Nullum facinus furto grauius habetur, quum sine tecto & munimẽto, pecora & alimenta possideant: quum per syluas vagentur, si furari liceret, nil superesse videretur: aliena non capiunt, propriis contenti: aurum & argentũ ex more non anhelant. Cæterum moderatissimi & abstinentes, & suapte natura probi: quod Romani ac Græci vix præceptis ac disciplinis philosophorum consequi potuerunt. Plus enim his profuit ignoratio vitiorum, quàm illis cognitio virtutis. Iure igitur (quemadmodum in superiore libro diximus) tantopere ab Homero laudantur; qui vbi Phœnicum, Ionum, Milesiorum, Græcorum & Romanorum commer-
20 cio fuere vsi, coinquinatis quasi moribus, immites & efferati facti sunt. Imperium sibi Asiæ compararunt, quam vectigalem per annos mille & quingentos habuere, pendendi tributi finem Ninus Assyriorum rex imposuit, ipsi neq; vinci neque seruitutem tolerare potuerunt. Trogum sanctissimus ille pater Pius inclamat, quòd Scythas Romana arma potius audiuisse, quàm sensisse scripserit: neque his laudibus dignos, neque Romanis, Græcis & Macedonibus intactos fuisse: Alexandrum, eos ad Iaxartem vsque fluuium cecidisse: Pompeium, multos Scytharum exercitus fudisse, Albanos & Iberos domuisse: Multa quoque imperante Claudio, à Romanis in Scythas (quæ omnia prosequemur) clarissimè fuisse gesta. Verùm hæc omnia facilè refellentur, quandoquidem hi o-
30 mnes vix limites attigerunt, penitissima ac intima loca haudquaquam penetrarunt. Si quid Alexander fecisse iactatur, transuolando potius quam gerendo peregit: vbi si moratus esset, fortunam fortasse mutasset. Reconditi nanq; Scythæ, Alexandrũ audiuere potius, quàm sensere. Prius recessit ad Bactrianorum Sogdianorumq; defectionem, quàm coactos Scytharum populos experiri potuisset. Romani imperatores, si quas gesserunt in Dacos & Bosporanos expeditiones, & eas quidem sæpissime, calamitosas habuere: interiorem tamen Scythiam non attigerunt, quæ tam in Asia, quàm Europa ita amplè lateq; diffunditur, vt alterum terrarum orbem dixeris: neque soli vbertate, neque fœcunditate pecorum, neque auri, argenti & lapillorum copia contemnendum. Sed ini-
40 quo (mihi crede) animo id ferebat sacrosanctus ille pater, remotiùs futura multa prospiciẽs, Vngaros Scythia oriundos, qui Australes magna clade & calamitate confecerant, & iterum fortasse conficient, tantis laudibus præditos progenitores habuisse. Prætereo Parthos, Scytharum exules, vt Scythica lingua intelligi potest: quippe qui à populo Romano ternis bellis per potentissimos duces lacessiti, victores potius, quàm victi fuere. Hi primùm domesticis seditionibus patria eiecti, solitudines, quæ inter Hyrcanos & Dacas, item inter Areos, Margianos & Bactrianos iacent, furtim occuparunt, sermonemq; Scythicum cum Mœdico admiscere cœperunt: vbi Arsacem multis pòst temporibus fortitũ regem præstantissimum, regnum amplificarunt: à quo cæteri quoque reges,
50 Arsacidæ dicti sunt. Aduersus Antiochum Seleuci filium, cum centum milibus peditum, & viginti milibus equitum eos infestantem, mira virtute pugnarunt. Superarunt imperante Mithridate Mœdos & Hyrcanos, qui à Caucaso ad Euphratem vsq;, Parthorum protulit imperiũ. Phraates eius filius, in Antiochi bello exercitum Græcorum vi totum cepit, & in longa captiuitate retinuit. Hi M. Crassum obtruncarunt, redegerunt Persas rerum dominos in ditionẽ suam.

M. Antonio bellum inferenti cum quinquaginta milibus equitum occurrere, & ni Ventidij Bassi conciuis nostri virtus succurrisset, iam de vniuerso Romano exercitu fuisset actum. Seueri Imperatoris insidias grauissimo bello vlti sunt. Galieno imperante, Mesopotamiam & Syriam sibi vendicarunt. Orientis tandem imperium hæc Scythica proles occupauit, neq; à Romanis vnquam domitari potuit. Prætereo cætera, ne longius euagemur. Immo adhuc animus hæret, vtra virtus virorúmne an mulierum Scythiæ, plus sibi gloriæ compararit. Promanarunt ex his Amazones, inauditæ fortitudinis & audaciæ mulieres: quæ non modò cum cæteris fœminis conferri indignantur, sed virorum se gloriam æquasse, ne superasse dixerim, sanè contendunt. Hæ à Ptolemæo inter fluuium Rhan & Ceraunia iuga collocantur. Metrodorus Scepsius, eas Gargamensibus finitimas, ad Cerauniorum radices habitasse prodidit. Hanc originem historici his adscribunt: quum in Scythia duo regij iuuenes, optimatum factione domo eiicerentur, coacta magna iuuentute in Cappadociam venisse dicuntur, ad Thermodonta consedisse, Themiscyros occupasse campos, ibiq; diu rapinas & latrocinia exercuisse: finitimorum tandem conspiratione, ad vnum omnes fuisse cæsos. Vxores quæ superfuerant, conspicatas additam exilio orbitatem, nõ solùm vt propria tuerentur (aiunt) arma sumpsisse, sed quum desperationem audacia corroborarent, fines amplificare voluisse. Finitimorum coniugia æquè ac seruitutem abominatas, contemptis virorum adminiculis, regnum auxisse: vt in pari omnes fortuna forent, viros qui domi superfuerant, interfecisse: mox rabiem conuertisse in finitimos, quibus pacatis, ne ad interitum redigerentur, eorum concubitus statuto quotannis tempore inire solitas: editos continuò mares necabant, fœmellas contrà tollebant, quas non fœmineis artibus excolebant, sed equis, venationibus & arcu exercebant. Exurebant mammas dextras, ne sagittando impedirentur: vnde nomen his inditum. Harum Lampeto & Marthesia reginæ præstantissimæ fuere: alternis regnum vicibus gubernabant, altera domi, foris altera rempublicam gerebat. Se Marte genitas prædicabant. Subegerant Europæ partem, ac multas Asiæ ciuitates in ditionem suam planè redegerãt: dum tuendi imperij gratia in Asia cum exercitu magno commorantur, Ephesum, Smyrnam, Cumam & Magnesiam condidere. Marthesiæ filia successit Orithyia, quæ cum eximia rei militaris disciplina perpetuam sibi virginitatem conseruauit, Amazonum vsque adeo imperium auxit, vt Herculis ac Thesei expeditionem meruerit: qui in eas profecturus excellentissimam Græciæ iuuentutem delegit, nouas naues longas comparauit. Antiope & Orithyia sorores rempublicam gerebant: Antiope domi, foris Orithyia. Quum Hercules Amazonum littori applicuisset, quum Antiope nihil hostile vereretur, incautas & inermes aggreditur. Regina Antiope, soror Menalippæ, ab Hercule: Hippolyte à Theseo capitur, ex qua editus est Hippolytus: non sine dolo misellæ capi potuere. Orithyia quum suarum casum accepisset, raptorémq; Atheniensium fuisse ducem, postulatis à Sagilo Scytharum rege auxiliis, Atheniensium iniurias curauit vlcisci. Post hanc Pentesilea, cum fortissimo quoque viro comparanda, Troianis opem cum ingentibus copiis afferre non timuit. Ad Alexandri vsque tempora perdurarunt. Thalestris regina impetrato Alexandri concubitu, paucis pòst temporibus cum vniuersis Amazonibus interiit. Et quamuis de his varia scribant historici, Claudius tamen Secundus, quum de Gothis gloriosissimè triumphauit, decem fœminas virili habitu cultas, ante currum duxit, quas Amazonas fuisse arbitrabantur. Erubescant ergo viri, & hi potissimè, qui insolentia ducti, tantum sibi tribuunt, vt aliis nihil impertiãtur. Amazones rarum cunctorum seculorũ exemplum, clarissima Scytharum proles, quanti progenitores momenti sint habendi, cum vulgatissima gestorum gloria planè testantur. Scythis enim si clari scriptores æquè ac Græcis & Latinis olim adfuissent (nolim his verbis Imperij Romani lædere maiestatem) vereri quandoq; admodum potuissemus, si iustè cunctorum gesta pensitarentur, ne inter Barbaros erubescere cogeremur. Vtinam hæc

hæc affectatè potius, quàm verè dicere possemus. Sed Veritatis numen vbique venerandum. Egesippum æquum testem vltrò citemus, talia referentē: Quum Titus Hierosolymam expugnauit, vbi vndecies centena milia Iudæorum cæsa sunt, capta verò septem & nonaginta milia, tunc Alanos Asiaticæ Scythiæ populos, gentem feram, bellóque asperam, quam intra Caucasum ferreis claustris cum cæteris efferatis nationibus Alexander obstruxerat, vt Tanais & Mœotidis finitima colerent, & aliena non incursarent, aut soli sterilitate, quod quum agricolarum votis sæpe non consentit, aut prædæ cupiditate effractis portis, per Hyrcaniam in Mœdiam prorupisse, percursasse ex improuiso vniuersam Mœdorum regionem, omnia igni ferroq; vastasse: quum regnum nacti essent opulentissimum, cæde iam defatigatos, ad prædam animos conuertisse. Pacorum regem, saluti potius, quàm regno consulentem, in munitissima remotissimaque loca aufugisse: vxorem, liberos, & concubinas ab his captas, cētum talentis ab hostibus redemisse. Tyridatem Armeniæ regem, quum eos se inuasurós subinde intelligeret, resistere voluisse: quod quum frustra moliretur, conserta pugna, fuisse fusum fugatumq;: quin etiam laqueo innexum, quem nisi præacuto gladio fortiter intercidisset, viuus in hostium potestatem peruenisset. Alanis morem esse, in prælio iacere laqueos, atque ita hostem innectere. Tyridatem vbi mortem euaserat, populandum his reliquisse regnum, Mœdia Armeniaque spoliata & incensa, se mox in Scythiam recepisse. Quid de Europicis Alanis referemus, qui Gothis associati, non modò Thraciam, Mysiam & Pannoniam, sed Illyricum, Italiam, Germanias, Gallias & Hispanias incursarunt, & regiones ita plerasque occuparunt, vt eas hucusque retineant. Tarraconensem Hispaniam, à Gothis & Alanis nunc Gothalaniam † nuncupamus. Vtinam incendij Gothicæq; ruinæ monumentis careremus. Vandali eadem via grassati, Aphricam occuparunt. Gothi quoq; prius non solùm Thraciam, Macedoniam & Græciam, sed Pontum & Asiam, Valeriano & Galieno imperantibus, populati sunt. Omnia ferè ac potissima diuinę iracundię flagella, ab aquilone promanarūt. Illud profectò admiratione dignissimum esse cēsemus: Scythas aliena nunquam iuga diutius tolerare potuisse, eosq; bello cæteros superasse. His primùm Bacchus & Hercules, deinde Cyrus, Darius, Alexander & Pompeius bellum intulere, neque his imperare diu valuere. Ne meæ quidem opinioni L. Florus refragatur, quum idcirco XL. annis Mithridatem Ponti regem, cum populo Romano bellum assiduum gerere potuisse credamus, quia Scytharum cum grato obsequio habebat auxilia: quibus munitus exercitus, ne tot quidem cladibus affici poterat, quin ex illa Gentium officina fœcundissima, supplementa abundè suggererentur. Nouissimè autē quid de Turcis dicemus, qui Asiatica Scythia oriundi, Pontu Cappadociamq; transgressi, & finitimas regiones illapsi, frequentibus excursionibus tantum sibi virium compararunt, vt Galatia, Bithynia, Phrygia, ac vniuersa denique minore Asia occupata, traiecto mox Hellesponto, cum summo Imperij Romani dedecore & iactura, magnam Europæ partem occuparint? Quid Vngari quoque fecerint, & vidimus, & nostra etiam testabitur historia. Sed iam huiusce gentis vires & gesta admirari desinamus, nam quum robore ac bello polleant, hæc tria potissima habent adiumenta: poli altitudo, elatos præbet animos: Mars, qui Scythicis oris præsidet, & peculiaris eorum Deus est, ferociam: & regionis natura, vires corporum detulerunt. Frigida namque plaga, obstructis corporum poris, calorem natiuum adauget, digestionem mouet, quare corpora magna validaq; redduntur. Sed quando diutius in his rebus immorati sumus, de Scythis hactenus. Nunc vt ritè omnia referamus, quæ ad rem nostram pertinent, quum ab Vnnis Gothi Scythia eiecti fuerint, a Gothis, benigno numine freti dudum, exordiamur.

† Catalonia.

POSTQVAM Gothi à Scandinauia egressi, vt à principio diximus, Philomero duce, iuxta Mœotidem, deinde ad mare Ponticum consedêre, fastidita regione, in Daciam, Thraciam ac Mysias, Zamolxene duce, philosopho quidem non inerudito, peruenerunt. Hæc enim natio, præ cæteris Barbaris (vt

Græcus Dion historicus ait, qui de Gothis scripsit) sapientiam dilexisse fertur: In primis Zeutam & Diceneum, deinde Zamolxenē philosophum habuerūt: illud Platonicum non ignorantes, quàm beatum foret à sapientibus regibus gubernari. Philosophos præstantiores Tarabos tescos, deinde pileatos appellabant: è quibus sacerdotes ac reges, Ægyptiorum more, creare consueuerant.

Gothos ac Getas eosdem fuisse dicūt, Dacos quoque ac Getas eosdem, quū his vna lingua sit, affirmabat Strabo. Trogus Dacos Getarum sobolem appellat: & vterque Dacos è Dais vel Dauis, qui Caspij maris accolæ fuerant, genus duxisse tradit. Quorum auctoritati si tribuimus, quæ debemus, è Scandinauia (vt Iordanis eorum scriptor asserit) proficisci nequiuerunt. Sed de rebus Gothicis, Gothico scriptori aliquid concedamus. Quamuis Iordanem demirari non desino, qui quęcunque Scythis à tergo gesta tribuuntur: quòd Berosum Ægyptiorum regem in Ægyptum vsq; profuderint, quòd Asiam subiugarint, quòd Parthorum & Amazonum progenitores extiterint, Cyrúmque per Thamyrim interfecerint, & Darium & Xerxem profligarint, qui in Græcos non Scythas inauditum exercitum pararint, Europicis omnia Gothis adscribit, nimio suorum amore deceptus. Priores enim Asiatici Scythæ fuere, quàm Europici: qui traiecto Tanai, Europicam sibi vendicarunt, ac sua imposuerunt nomina. Ex quo colligitur, eius dicta (vt sua bona venia dixerim) nullo modo constare potuisse. Hi verò Martem (quum bello asperrimi forent) singulari religione coluerunt, hostili numen sanguine placarunt: haud ab re futurum rati, si belli deum humana victima sibi conciliarent, primitias quoque belli vouere soliti. Diuisi mox populi omnes, vbi prudentiores effecti sunt, Visigothæ alteri, alteri Ostrogothæ dicti. Visigothæ Balthorum, Ostrogothæ Amalorum familiæ obtemperabant. Gothi nanque tunc à Boristhene, quem Deneper Iordanis appellat, ad Tanaim vsque vniuersum eum tractum occuparunt. Amalorū mos fuit, arcum tendere, cantu & cithara maiorum referre gesta, equos concitatissimo cursu agitare. Dion, qui Getica scripsit, multo pòst tempore Gothos Telephum Herculis filium, quem ex Auge sorore Priami tulerat, non modò Geticæ, sed Mysię quoque Europicæ regem habuisse tradit. Is quum auxiliares copias in Troianorum opem comparasset, cum Gręcis pugnam conserit, Thesandrum Græciæ ducem interficit: dum Aiacem Vlyssemq; petit, procidente equo corruit, eiusq; femur ab Achillis hasta grauissimè confoditur: sic tandem saucius, Danaos suis finibus eiecit. Addit etiam, Euryphilum filium huic regno successisse, & Cassandræ sponsæ amore ductum, ad bellum peruenisse Troianum, ibiq; vita fuisse defunctum. Verum illud ipse inficiar, Philippum Macedoniæ regē (quum id Dion affirmet) Medopam Gudilæ Gothorum regis filiam in coniugium postulasse, vt hac affinitate tutius sua regna muniret, eam duxisse vxorem: mox pecuniarum inopia ductum, Odyssanam vrbem opulentissimā, Tomis finitimam, & Getarum vrbem obsedisse, pios illi sacerdotes candidis ac sacris vestibus instructos, modulatis cantibus occurrisse. Macedonas hoc supplicum spectaculo victos, regis iussu, continuo grauem soluisse obsidionē, reddidisse prædam, redintegrato demum fœdere abiisse. At Scythalcus rex non multo pòst tempore, violati memor fœderis, vt Gothorum iniurias vlcisceretur, centum & quinquaginta milia hominum aduersus eum coegit: cui Alexander moriens, Athenien siū præfecturam delegarat: in quo quidem bello quum superiores euasissent, pro acceptis in Mysia iniurijs vniuersam ferè Macedoniam deuastarunt. Eodem etiam, quo Sylla, rerum potitus est tempore. Diceneus in Geticū regnum, imperante Bostusca, fortè peruenit: cuius vbi sapientia patuit, regia fere potestas à rege tradita est. Quod vbi factum est vt in Germaniam expeditio pararetur, quam nunc Franconiam dicunt, repente consuluit, totamque regionem incursantes Gothi spoliarunt. Eos igitur Diceneus Barbarus, optimis ac liberalibus disciplinis excoluit, conuertit ad politicos mores, legibus obtemperare docuit, quas belagines nuncupant, item cursus syderum, planetarum motus, & totius denique cœli rationem, ad hęc naturas rerum, deorum religionem, & solen-

solennes cæremonias ostendit. Post hunc, Comosicum pari solertia virum sortiti sunt, qui iustissimè regnum pariter & pontificatum gessit. Deinde Sorillus in regno successit, qui quadraginta circiter annis imperauit. Post longum temporis interuallum, imperante Domitiano, soluto fœdere, Danubij ripam diu à populo Romano possessam, & à iuniore Gordiano ad Danubium festinantes, leui prælio fusi & repressi, cui quidem prouinciæ Oppius Sabinus præerat, deletis legionibus occuparunt: Oppio legionum præfecto caput abscissum, multæ vrbes, & oppida igni ferroq; vastata. Hæc omnia Dorpora rege gesta. Domitianum necessitas adegit, vt reipublicæ consuleret, pararet expeditionem, &
10 delectum haberet, Fuscum exercitui præfecit: quum in Illyricum venisset, è consertis nauibus Istrum confecto ponte traiecit: mox cum hostibus manum haud prosperè conseruit, nam interfecto duce, Romanæ copiæ non modò castris exutæ, sed fusæ fugatæque sunt, & cædes magna patrata. Vlpius Traianus deinde successit, qui iacturam & iniuriam Imperij Romani cumulatissimè vltus est: nam Decebalum variis cum ipso insidiis agentem, & Longino præfecto legionis capto, elatum (qui vt se à captiuitatis seruitute vindicaret, veneno sibi mortem consciuit) duplici victoria superauit, regem ad mortem compulit, thesauros eius ingentes recepit, pontem in Istro ædificauit: ab Hadriano deinde demolitum, ne à Dacis Mysiæ infestarentur, pilis viginti suffultũ, qua-
20 rum altitudo (vt Dion auctor est) centum & quinquaginta pedum, præter fundamenta, latitudo verò pedum sexaginta. Daciam denique in prouinciam redegit, pontis adhuc superstites pilæ è quadrato lapide cernuntur. Deinde Gothi ab Antonio Caracalla tumultuariis præliis superati. Barbari victoria elati, suos proceres, anses, id est heroas & semideos, exclamabant. Eorum prosapia, si breuissimè referatur, haud inutile reputamus. Et his primus, vt eorum fabulæ recinunt, Gaptus fuit, cui Hulmul fuit filius: Hulmul Augem, qui Amalum genuit, vnde Amalorum origo promanauit: Amalus genuit Isaruem, & Isarues Ostrogotham, Ostrogotha Hemulem, & Hemul Athalem: Athal Alchiulphum, Vultulphum & Emeruerigem: Vultulphus Valarauantem, Valarauas Veue-
30 tharium, Veuetharius Vandiliarium: Vandiliarius Thiudimerem, Valamirem & Vidimirem: Thudimer Theodoricum, Theodoricus Amalasuentam: Amalasuenta ex Eutharico suo viro, Athalaricum & Mathesuentam, cuius affinitas talis est: Hermanaricus Achiulphi filius Humimundum genuit, Humimundus Thorismundum, Thorismundus Berimundum, Berimundus Vethericum, Vethericus Entharicum, qui Amalasuentæ coniugatus Athalaricũ & Mathesuentam edidit. Athalaricus à pueritia extinctus est: Mathesuenta Vitigem virum duxit, liberis caruit. Ruente Gothorum imperio, à Bellisario Constantinopolim ambo captiuorum more ducti sunt. Vitiges diem continuò obiit. Germanus patricius, Iustiniani Imperatoris patruelis, Mathesuentam sibi vxorem
40 sumpsit, patritiamque creauit, ex qua Germanum filium vnicum tulit. Sed de Amalorum excidio inferius differetur. Nunc diuerticulum repetatur Gothorum. Pars Ponti oram tenuerunt, quæ ad orientem spectat, quibus vel ab Ostrogotha præfecto, vel ab oriente nomen est inditum: contrà, qui occidentis plagam occuparunt, Visigothæ propria lingua nuncupati. Traiecto nanque Danubio, Mysias, Thraciam, Pannonias, & non paruam Illyrici partem diu tenuere. Ex his Maximinum Imperatorem, Symmachus promanasse tradit: & mortuo Alexãdro Mameæ filio, ab exercitu Cæsarem pronunciatum. Item humilibus hunc parentibus natum, patre Gothico, cui Micca, matre Alana, cui Ababa nomen fuit, fuisse natum, Seuero imperante. Cùm militares ludi natali fi-
50 lij die celebrarentur, eum sui roboris conscium conuenisse: quum in palæstræ certamen descendisset, nimia corporis proceritate spectatores omnes in admirationem sui cõuertisse, data cum lixis certandi copia, nè militum fortè nomen dehonestaret, sexdecim subinde lixas tanta felicitate prostrasse, vt singulari certamine cæteros facilè victuros esse videretur. Proinde inter tyrones admissum, ac tribuno militũ creato ab Imperatore, & concitatiùs equitante, hunc pedibus aliquan-

aliquandiu præcurrisse: mox cum validissimis militibus, Imperatoris iussu, fuisse colluctatum, eosq; facilè superasse: quare aureo torque, amplissimisq; præmiis ab eo donatum, inter prætorianos milites admissum fuisse. Iordanis Symmacho pro viribus extorquet, vt Romano imperio Gothum honestet. Herodianus autem historicus, non magis apud Græcos, quàm Latinos auctoritate sua prępollens, quem diuo Matthiæ è Græco traduximus, hunc Gothicum nō affirmat: sed Maximinum (inquit) quendam in Alexandri fuisse castris, ex intimo Thracum genere ac semibarbaro vico natum, educatum à principio inter pastores, præ magnitudine roboreque corporis, à iuuentutis initio inter equestrem ordinem admissum, paulo pòst tempore, fortuna duce, vsque adeo singulos militiæ ordines præcurrisse, vt & castra curaret, & permissas sibi prouincias cum imperio gereret, ab Alexandro omnibus tyronibus instruēdis fuisse præfectum. Quare ita militum, tradita militari disciplina, sibi conciliasse animos, vt ab omnibus vnicè diligeretur, & à Pœonibus præsertim, qui virtute eius, amore patriæ maximè, gloriari videbantur. Quum in campum tanquam ad solita gymnasia conuenissent, aduenientem Maximinū omnes iniecta imperatoria purpura Imperatorem consalutasse. Hunc à principio reluctantem eos grauiter incusasse, reiecisse purpuram, mox ab armatis equitibus adactum, qui mortē nisi delatum imperium acciperet, interminabantur: deinde omnes iussisse arma sumerent, Alexandrum huiusce nouitatis ignarum adorirentur, & obtruncarent, ac ita prætorianas cohortes metu percellerēt. Quod vbi factum est, in Germanos expeditionem parauit, non repugnantes ac vicatim habitantes, commoditate syluarum ferro igníque vastauit. Dum Barbara in Christianos crudelitate ac sęuitia imperium sibi firmare contendit, à Pupieno Aquileiæ interfectus est, vix annis tribus rerum potitus. Hęc Herodianus noster. Maximinū tamen, neque Getam neque Gothum affirmat. Somnianti igitur Iordano, & in honorem patriæ gentis coniecturas verisimiles vndique mēdicanti, hæc etiam concedamus: affectus enim patriæ, facilem ab omnib. veniam promeretur. Philippo etiam vnà cum filio imperante, qui primus Romanorum principum se in Christianam fidem asseruit, cuius imperium millesimum conditæ Vrbis annum clausit, Gothi à fide populi Romani defecere, dum subtracta sibi stipendia ægrè ferunt. Ostrogotha duce Istrum traiiciūt, Mysias Thraciamq; discurrunt, prędas abigunt, omnia vastant. Ad hos coercendos Decius senator mittitur, qui Budaliæ inferioris Pannoniæ natus, Pannonicas cohortes exauctorat, quippe quæ negligentia sua hostes flumen traiecisse permiserāt. At illę cùm ignominia dimissę ad Gothos perfugiunt: eorum principem incēdunt, vt spirantem fortunam forti animo prosequatur. Hic ex trecentis milibus hominum exercitum comparauit, item auxiliares copias ex Tayphalis, Astringis & Carpatibus accepit: bellicosum quidem genus hominum, ac Romano nomini semper infestum & à Valerio Maximiano perdomitum. Adiunxit etiam Peucinos, insulares quidem viros, ac bello asperos: duces his optimos, Argaithum & Gunthericū ex Gothis præfecit: hi Mysias populantur. Martianopolim obsident, quæ expensa ingenti pecunia, se obsidione redemit. Vrbs hæc Mysię nobilissima quondā, à Traiano Imperatore condita Martiam Traiani sororem, ad fluuij fontem, qui in oppido emergebat, puellam misisse ferūt, vt perspicuam dulcemq; aquam aureo vase hauriret: vas fortè delapsum, in alto fonte demersum attigisse fundum: mox præter auri naturam, succurrente quodam nympharum numine, emersisse: Imperatorem hoc miraculo percitum, vrbem ibi amplissimam fundasse, & à sorore appellasse Martiam. Philippus reuocatis viribus Mysias & Thraciā recuperauit. Philippopolim à se nominatā vrbem, in suæ victorię monumentum, in Thracia statuit. Sub cuius imperio agon mille annorum actus, innumerabiles bestię in circo maximo interfectæ. Ludi theatrales in campo Martio, tribus diebus ac noctibus peruigilante populo celebrati. Post hæc Gepidarum & Gothorum bella successere, quanquam aliqua cognatione tenebantur. Sola tamen inuidia bellū suscitant intestinum, quum è medi-

Herodianus.

è mediterraneis insulæ Scandiæ, tribus vecti nauibus Gothi, Berigo rege Sarmaticum littus attigissent. tertia nauis tardius applicuit, & a pigritia, quæ horũ lingua Gepanta dicitur, Gepidarum nomen accepit: ij ad insulam Vistulæ amnis diu commorati, eam Gepidam appellarunt. Deinde quum Sarmatiæ intima penetrassent, ad Danubium vsque descenderunt: & regem magnanimum sortiti, cui Fastidæ nomen erat, exuta mansuetudine, armorum amore succendi cœperunt: patrios fines armis propagarunt, Burgundiones ad internecionem vsque ferè deleuerunt. Mox Gothos sibi cognatos adorti, bello lacessere, sollicitare quandoque incursionibus, abigere pecora, vicos sæpe populari. Demum ad Ostrogotham Visigotharum Ostrogotharumq; adhuc regem legatos mittere, & commonefacere Gepidarum populi nimia fœcunditate vsque adeo coaluisse, vt intra fines proprios viuere nequeant: item montibus, & syluarum sterilitate circumuentum, omnium rerum inopia laborare, proinde hortari, cognatæ genti prospiciat, latiorem regionem concedat; quod ni fecerit, internunari se vi fines angustissimos amplificaturos. Ostrogotha respondet, se pari quoque terrarum angustia laborare, neque sibi esse, quod largiri queat. Bellũ cum proximo sanguine geri, per quàm nefarium, si quid sibi contra fas & æquum inferatur, se vim vi naturæ iure repulsurum. Fastida quum pertinacius in sententia persisteret, cum Gothis prælium conserere pergit. Ad Balthum denique oppidum pugnatum est, quod fluuius Aucta præterfluit, vbi quum aliquandiu pari spe vtrinque pugnatum esset, Gepidarum tandem acies inclinatur. Fastida terga vertente prælium diremptum est. Gothi victoria contenti, confestim se in castra receperũt, & donec Ostrogotha rex imperauit, quietem deinceps conseruarunt. Fastida cum Gepidis, damnata temeritate sua; quietiorem mitiorẽque posthac vitam duxit. Ostrogothæ in tergo Euchina successit, qui deposita tranquillitate, Gothorum animos ad bella reuocauit. Mysias traiecto Danubio iterum aggredi statuit, ingentes copias iam coactas diuidit, vt alteras in populandam Mysiam traiiceret, quam imperatorũ negligentia, legionum Romanarum stationibus destitutam intelligebat: alteras septuaginta circiter milium hominum ad Eustesium subduceret. Sed quum res minus ipsa succederet, à Gallo duce reiectus, Nicopolim peruenit, quam Traianus quõdam perdomitis Sarmatis in victoriæ monumentum ædificarat: item in Thracia iuxta Nessum flumen Nicopolim alteram, & inter Hebrum & Nigrum amnes Traianopolim, similiter Hadrianopolim Hadrianus, & sub Rhodope Philippopolim Philippus. Ex hac etiam parte, quum à Decio Euchina reiectus esset, in Hermoniã recessit, post hæc Philippopolim aggreditur. Quod vbi Decio significatum est, Berrhœam cum legionibus continuò petijt, vt vrbi ferat auxiliũ, vbi dum lassa corpora curant, equosq; refouent, ecce Gothi incautas copias adoriuntur; repentino motu perculsæ, quid agerent, prospicere non poterant, immo arma sumẽdi copia non dabatur. Quare diffuso fugatoq; exercitu vix cum paucis equitibus Decius euadere potuit. In Thessaliam rursus trãs alpes, & in Mysiam se recepit ibi vnà cum Gallo duce, ne animo deficere videretur, exercitum reparat. Interea Euchina obsessam Philippopolim omni ope destitutã capit, & populatur, ingens hinc abacta præda. Et Priscus, qui vrbem cum præsidio tenebat, inuentus in hostium potestatem peruenit: hunc vita amplissimisq; muneribus donatum, rex sibi mirificè conciliauit, vt cum eo Decium tutius iterũ aggrederetur. Instauratis pariter exercitibus, concitatis animis vtrinque concurritur. Inter primos Imperatoris filios Decius acerrimè pugnans, letali sagittæ vulnere saucius occidit. Pater dissimulato dolore, nihil iacturæ vnius militis interitu rẽpublicam habituram exclamans, se inter confertissimos hostes ingerit, vt vel filij mortem vlciscatur, vel (si id assequi nequeat) propria dolorem morte definiat, sed quum vtrunq; fata negassent, Abrutium Mysiæ vrbem se recepit, vbi vnà cum filio ab hostibus circunseptus occiditur. Locus deinde, Decij Imperatoris ara dictus, quando prophanis ibi numinibus litare consueuerat, ac ne immeritò quidem, quando in Christianos immanissimè sæuiit, diuum Lau-

rentium lento igni, vt martyrem maiori supplicio afficeret, absumpsit. Eodem quoque tempore amphitheatrũ Romæ incẽsum. Quum post Decium, Gallus & Volusianus imperium suscepissent, ecce Æmylianus quidam Mysiæ præfectus, potiundi spe imperij tractus, bellum in Illyrico suscitat. Imperatores aduersus eum profecti in foro Flaminij cæsi sunt, alij Interamne perierunt. Æmylianus tertio mense initæ tyrannidis diem obijt: Iordanis Gallũ & Volusianum, vt Æmylium facilius opprimerent, cum Gothis fœdus iniuisse scribit, ac biennio reipublicę præfuisse. Non modò Gothorum, sed cæterorum quoque Barbarorum, Valeriani & Galieni temporibus, res auctæ sunt: quorũ alter in Rhetia ab exercitu Augustus, Romę Cęsar alter appellatus est. Quum Valerianus Christianos persequi occepisset, diuinam in se iram suscitauit, quando à Sapore Persarum rege captus, captiuam denique senectutem & perquàm miserabilem apud hostem duxit. Deleto imperatoris exercitu, Persæ Syriam, Ciliciam, Cappadociamq; populantur. Galienus se longè mitiorem Christianis exhibuit, sed remollitus, quum in omnem lasciuiam prorupisset, Germani resumptis animis Rauennam vsque discursant. Alemanni vastatis Galliis, in Italiam penetrãt. Quadi & Sarmatæ Pannonias occupant. Germani occupatis Hispaniis, Tarraconem expugnant. Parthi Mesopotamia potiti, per Syriam latè grassantur. Gothi, Græciam, Macedoniam, Pontum & Asiam spoliant. Nã Resparduco & Tharoaro ducibus traiecto Hellespõto, multas Asiæ ciuitates inuadunt, ac hostili more diripiunt: capiunt Ephesum, vbi clarissimum Dianæ templum ab Amazonibus conditum, incendunt: mox Bithyniã ingressi, Chalcedonem diruunt, à Cornelio Abito instauratam. Dum Europam per Hellespontum repetunt, reparatum delent Ilium: & vbi in Thraciam reuecti sunt, Anchialon vrbem ad radices Hemi, in maritima regione sitam, cuius conditorem, Sardanapalum quendam Parthorum regem fuisse ferunt, populantur igni ac ferro vsquequàque, desæuiunt non secus ac si ad humanam perniciem nati forent. Ibi calidis aquis allecti, ad decimum vsque lapidem ab vrbe distantibus, defatigata corpora diebus aliquot instaurãt, quum ad curandos morbos nimium conferre viderentur. At cęterorum Barbarorum res aliquantulum inclinatæ. Odenatus enim decurio Palmirenus, collecta agrestium manu ita Persarum copias profligauit, vt non procul à Ctesiphõte castra poneret. Posthumus vnà cum Victorino & Thetrico Gallias, antequam Galienus Mediolani occideretur, armis ab hostili seruitute vindicauit. Gothi qui Achaiã infestarũt, à Martiano victi, se in patrias sedes cõtinuò recepere. Qui verò Asiam sollicitarunt, Romanorum ducum virtute reiecti, & ne parua quidem clade confecti, in patriam redierunt. Dum Odenatus bello Persico remoratur, & Galienus varia luxuria eneruatur, Gothi comparatis nauibus Heracliam peruenerũt, & aduecta præda non sine magna suorum iactura, quum sæpe nauali bello peterentur, in Scythiam reuertuntur. Item Palmirenis & Orientalibus plerisque dum Xenobia Odenati vxor imperat, Gothi per Euxinum mare vecti Istrum subeunt, magnisq; calamitatibus populi Romani prouinciam afficiũt. Quę vbi Galieno significata sunt, Colechauum & Atheum conciues Byzantios continuo misit, qui Barbaros repellerent, vrbes dirutas instaurarent, superstites cõmunirent: hi cum Gothorum classe in Ponto congressi, eam superant, & in fugam vertunt: fusi paulo pòst Cyzicum, Asiam, deinceps Achaiam vastant. Ab Atheniensibus Demesippo duce, qui hæc tempora scripsit, reiiciuntur: inde reiecti, Epirum, Achaiam Bœotiamq; discursant. Galienus, tot publicis malis experrectus, his dum per Illyricum vagantur, occurrit, cędit improuisò multos: at illi per Gessacem facta via, fugere conati sunt: sed à Martiano, vt patriam Galieni turpissima lasciuia liberaret, varia bellorum fortuna vexati. Illud in Iordane nostro, alioquin scriptore non ignobili, admiratione dignum, ne risu dixerim, considerandum esse duximus, qui tanto patriæ laborauit affectu, vt non modò cæterarum Scytharum gesta, Gothis duntaxat suis adscribat, & plus æquo amplificet, & exornet: verum etiam omnes eorum res aut malè gestas, aut parum prosperè suc-

succedentes quandoque subticeat, quandoque pudentiusculè inuertat. Nō solùm quæ dudum dicta sunt, ipse dimisit, sed ne suorum Gothorum maiestatem lædere videretur, memorabilē per cuncta secula eorum cladem à Claudio Imperatore illatam, vnde Constantinus Cæsar duxit originem, non sine ridiculo quodam occultè præteriisse visus est. Nos autem Trebellij Pollionis sententia freti, Flauium Claudium vnicum in terris principem, non statuis, nec columnis marmoreisq; arcubus: sed ne tantū virum digna laude defraudaremus, hac duntaxat breui commemoratione duximus adiuuandum. Dum Martianus fusos Gothos insequitur (vt paulo suprà dictum est) triginta ex his cepit, qui quum inuito Claudio euasissent, vniuersos ferè Scythas in Romani Imperij prædas suscitarunt. Ad hanc expeditionem Peuci, Teuthoburgi, Ostrogothæ, Virtingui, Sigipedes, Celtæ, Eruli, innumeriq; populi prędarum cupiditate allecti conuenere, dum variis Claudium bellis implicitum conspicantur, populandæ Romanæ reipublicæ cōsilium ineunt. Trecentorum hominum milium exercitum comparant, classem verò longarum nauium duûm circiter milium. Quòd si seruos, familias, carraginemq; (vt aiunt) adieceris, epota (Xerxis exemplo) flumina, consumptas quoque syluas, ac terram denique in pascenda multitudine laborasse credideris. In Romanum vbi Imperium eruperunt, breui tempore à Claudio non modò victi, sed attriti & deleti sunt, quod ex ipsa Imperatoris epistola ad Iunium Brocchum, qui Illyricum tuebatur, scripta facilè intelligi potest. Claudius Broccho salutem. Deleuimus trecenta viginti milia Gothorum, mersimus duo milia nauium, tecta sunt flumina scutis, spathis & lanceolis omnia littora operiuntur, campi ossibus tecti latent, nullum iter purum est, ingens carrago deserta: tantum mulierum cepimus, vt binas & ternas mulieres sibi miles possit adiungere. Ac subdit: Pugnatum est enim apud Mysios, & apud Martianopolim multa prælia fuerunt, multi naufragio perierunt, plerique capti reges, captæ diuersarum gentium nobiles fœminæ, impletæ Barbaris, seruis, senibusque cultoribus Romanæ prouinciæ, factus miles Barbarus colonus è Gotho. Nec vlla fuit regio, quæ Gothum seruum triumphali quodam seruitio non haberet. Pugnatum præterea apud Byzantium, pugnatum apud Thessalonicenses, quos Claudio absente obsederant Barbari, pugnatum in diuersis regionibus. Et vbique auspiciis Claudianis victi sunt Gothi: vt iam tunc Cōstantino Cæsari futuro videretur Claudius securam parare rempublicam. Quum in Apennino Claudius de se consuleret, responsum accepit,

Tertia dum Latio regnantem viderit æstas.

Idem quum de posteris,

His ego nec metas rerum, nec tempora ponam.

Quum de fratre Quintilio, quem imperij consortem habere voluit,

Ostendent terris hunc tantùm fata.

Demum quum in ipsa victoria duo propè milia militum, à paucis, qui superfuerant, Barbaris cæderentur, ad vnum omnes, qui rebellauerant, ab eo capti, Romamq; ducti, ac in spectaculis, immanibus bestiis expositi. Quare Gothicum bellum diui huiusce principis virtute antiquatum, & de Gothis non solùm victoria habita, sed cumulatissima est exacta vindicta. In hoc bello, ingens Dalmatarum equitum virtus apparuit, quia ex ea prouincia Claudius originem ducere videbatur. Neque hi desunt, qui hunc Dardanum, & à Dardano Troianæ gentis auctore, sanguinem traxisse contendunt: à principio totū Illyricum cum imperio habuit, sub cuius potestate Thraces, Mysi, Dalmatæ, Pannonij, ac Daci fuere. Postremò quum Gothi, qui superfuerant, paulo pòst à Romanis defecissent, ac Nicopolim occupassent, tumultuario prouincialium exercitu obtriti & deleti sunt. Quum igitur Claudij victoria de Gothis relata, cætera veterum trophæa quàm maximè superasset, Iordanis historicus inauditam suæ gētis cladem & exitium, æquo animo referre non potuit. Claudius autem, quum anno vno mensibusque nouem imperasset, ab omnibus præterquam à Gothis sempiterna memoria repetendus, ob rem publicam bene gestam, clypeo in curia

aureo, aurea quoque statua in Capitolio donatus, Firmij moritur. Quintilius verò frater, Augustus à senatu populoq; Romano appellatus, septimodecimo pòst die imperij sui, quum se grauem & seuerum militibus ostenderet, Galbę ac Pertinacis exemplo, facinorosissimè cæsus est. Aureliano imperante Gothi iterum resumptis animis Danubium traiicere pergunt, sed ab eo repressi, desideratis quinque milibus suorum, in proprium solum rediere. Decem in eo pręlio mulieres captæ virili habitu pugnantes, quæ ex Amazonibus originem ducere credebantur. Item post annos triginta, reuocatis viribus, Sarmatiā prouinciam populi Romani, multis copiis adoriuntur, igni ferroque omnia vastant, quod vbi Flauius Constantinus accepit, non minore quàm Claudius strage superauit. Ictum deinde cum his fœdus, & in patrio solo annos circiter septuaginta quieuere. Iordanis auctor est, Maximinum Gothorum auxiliis adiutum, Narseum Persarum regem, & Saporis magni nepotem fudisse, eius vxores, liberos & impedimenta cepisse, auxiliares quoq; copias aduersus Licinium Constantino misisse, Thessalonicæq; obsessum trucidasse. Eo tempore, quo Byzantium Constantinus ita amplificare statuerat, vt cum vrbe Roma magnitudine & dignitate certaret, initum cum Gothis fuisse fœdus, eosq; quadraginta milia hominum Imperatori quotannis detulisse. At vbi Maximinus rerum potitus est, post Arioricum & Aoricum, Gebericus nobili genere natus, apud Gothos regnum sortitur, cui virtus vt generositas iuxtà inerat. Vt fortunam in re bellica primùm experiatur, parandę in Vandalos expeditionis consiliū init, quæ si successerit, maiora se tentaturum sperat. Gens hæc (vt Demesippus ait) ab Oceano prodiit, vix vno anno ad Gothorum fines peruenire potuit, eam sibi regionem occupauit, quam pòst Gepidæ incoluere, cui à solis exortu Gothi, ab occasu Marcomanni, à septētrione Hermunduli, à meridie præterlabitur Ister. Quum instructæ in Massiliæ ripa acies vtrinque constitissent, dato signo manus conserunt, concitatissimis prælīū animis aliquantisper geritur. Mox Gebericus Vandalorum regem adoritur, & obtruncat, optimaq; spolia refert. Vandali infaustas sedes optasse rati, hinc emigrare decernunt, à Constantino incolendā Pannoniam impetrant, dum grata se Romanis principibus obsequia pręstituros esse pollicentur, annos circiter sexaginta hic habitant. Deinde sub Stilicone magistro equitum, consulari patricioq; viro, in Gallias transmigrarunt, vbi quum finitimos malè tractarēt, assiduisque rapinis latè vexarent, quietas ibi sedes habere nequiuerunt. Ex his Burgundiones olim promanasse volunt, Plinij auctoritate freti, Vandalorum partem Burgundiones esse affirmantis, quum vicatim in Germania habitarent, à vicis, quos burgos dicunt, nomen accepisse credunt. Vandali relictis Galliis in Hispanias penetrarunt, neque vsquam quiescere potuerunt, donec traiecto Gaditano freto Aphricam occuparunt. Sed quoniam de his quandoque latiùs suo loco dicetur, redeamus ad Gothos. Post Gebericum, Hermanaricus regnum accepit, nobilissima Amalorum familia natus, neque virtute gloriaque gestorum inferior. Nam quum Gothos, Scythas, Indos, Maningos, Vasma broncas, ac reliquam ferè septentrionis oram, in ditionem suam redegisset, Erulos quoque cæso Alarico rege domuisset, alterum Alexandrum cognominarunt. Eruli, vt Albanius testis est, ad Mœotidis paludes ac syluas quondam habitabant, quibus ab amore syluarum stagnantiumq; locorum nomen est inditum. Mox ab Hermanarico in Venetos bellum motum est, qui quum inermes essent, facilè cessere. Veneti autem humili genre nati, qui deinde Antes & Sclaui dicti sunt, & quum in multitudinem maximam excreuissent, Barbarica quoq; feritate vbique grassati sunt, quin inter Albam & Budam Venetia † est oppidum ab his conditum. Item Hestis & Halaridis bellum indictum, qui Germaniæ productum littus Oceani accolebant, & hi breui tempore domiti. Quare nō modò Scythiæ, sed Germaniæ quoq; Hermanaricus imperauit. Eius tempore inter Gothos & Vnnos Vngarorum progenitores bellum exarsit, de quo antequam vltrà progrediamur, haud ab re fore duximus, si de potentissimæ ac fortissimæ gentis origine aliqua dissere mus. Hanc igitur

† *Velencze.*

Priscus

Priſcus hiſtoricus Scythiam, Riphæisq; montibus vicinā affirmauit, & quo propiùs rigorem ſeptentrionis accedit, eo immitiorem plerique reputarunt. Et præſertim diuus noſter Hieronymus, vtpote qui ex vltima Mœotide, inter glacialem Tanaim, & immanes Maſſagetarum populos, vbi obſtructis rupibus, feras Scytharum gentes Alexandri clauſtra coercuerant, Vnnorum examina erupiſſe, ac equorum pernicitate freta, cæde pariter & terrore cuncta compleſſe ſcripſit. Iordanis in hoſtes nationis ſuæ, neſcio quæ, monſtra commentatur: quę pleriq; ſcriptores Annalium ita credidere, vt cum eo iuxtà delirent: quod non tam inſolenter, quàm verè à me dictum velim. Quum Gothi à Scandinauia profecti Scythiam attigiſſent, Philimerum eorum regem magas quaſdam fœminas in caſtris deprehendiſſe conſcribit. Quod genus mulierum, quum perniciosiſſimum rex ille reputaſſet, edicto ſuo in ſolitudines abegiſſe, ne milites venenis inficerent, aut eorum robora labefactarent: easq; abactas, per ſyluas aliquandiu vagatas, cacodæmonum ſe amplexibus inceſtaſſe: hinc peperiſſe dirum genus hominum, quod non humana lingua, ſed quadam loquutionis imagine vtebatur. Sed Procopium hiſtoricum Græcum, & Beliſarij conſiliarium planè ſectemur, quippe qui Vnnos Ephthalitarum gentem fuiſſe tradit, eosque Albanos quondam appellatos, in Aſia Perſis fuiſſe finitimos, item vſque adeo magnanimos, vt illato pro finibus bello, Xerxen Perſarum regem cum ingenti exercitu ad internecionem ceciderint, ſtipendiariamq; ſibi Perſidem fecerint, ceperint Cabadem regis filium, duobus annis Perſis imperarint: neque è dæmonibus creatos, neque humano ſanguine veſci ſolitos, neque tam immanes ac feroces fuiſſe ſcribit. Quinetiam ſi Ephthalitarum nomē interpretari velimus, eos olim pios & religioſos fuiſſe comperiemus, ac ſolidè perfecteq; litātes: quam quidem gentis religionē adhuc Vngaris, qui Vnnorum ſunt poſteri, peculiari quadam natura prę cęteris ingenitam intuemur. Dionyſius Procopio ſuffragatur, qui Vnnos Caſpianis & Albanis vicinos opinatur, ferociaq; & robore bello accommodatiſſimos. Vnnor & Magor, cuiuſdā Annalium ſcriptoris opinione, Vnnorum auctor fuiſſe traditur: qui quum nihil præter Hebręam legerit hiſtoriam, hinc omnium gentium originem ariolatur. Quare Vnni bello aſperrimi, traiecta ad Cimmerium Boſporum palude Mœoti, non modò ſedibus Gothos reiecerunt, ſed vniuerſam Europæ Scythiam domitarunt, in repetitisq; Pannoniis quieuerunt, quas à ſe Vngarias appellarunt. Pius autē Pontifex (mihi crede) doctiſſimus, Vngaros ab Vnnis (quod omnes rerum ſcriptores affirmant) promanaſſe non patitur, pari cum Iordane tractus affectu, qui Vngaros ac Scythas pellium murinarum commercio notos fuiſſe ſcribit. Deinde ſacroſanctus ille pater, cuiuſdam Veronenſis teſtimonium adducit, qui quum ad Tanais ortum penetraſſet, gentem Vngarica lingua loquentem ſe inueniſſe dicebat. Diuus quoque Matthias noſter, huiuſce rei non ignarus, quam à Sarmaticis quibuſdam mercatoribus acceperat, legatos illuc & exploratores miſit, quibus cognatam gentem ſi poſſet, in Pannoniam populis diuturno bello haud parum exhauſtam alliceret. quod etſi hactenus aſſequi nequiuit, ſi vixerit tamen, fortaſſe præſtabit. Quare Vngaros, Vnnis per Aſiaticam Scythiam effuſis, & adhuc Tanais ortum accolentibus, cognatos eſſe credendum eſt. Quamuis hi non ab Vnnis, qui in Aſia reſtitere: ſed ab his, qui melioris ſoli cupiditate ducti in Europam erupere, profluxerint. Quinetiam Gothi, non à Scandia (vt Iordanis ait) ſed ab Aſiatica Scythia, vbi Alanis vicini fuerant, prodiere. Quod hinc conijcere licet, quia quum Gothi cum Alanis, nō modò Europicam Scythiam, ſed Gallias & Hiſpanias occupaſſent, adhuc regionem Taraconenſem tenent, quam paribus victam auſpicijs Gothalaniam † nuncuparunt. *Cataloniā.* Quum Vnni venatione victitarent, diuino quodam prodigio ad emigrandum adacti ſunt. Nam quum venatores aliqui Mœoticæ paludis accolæ, venatum fortè proficiſcerentur, ecce oblatam ceruam offendunt, quam quum cōcitatiùs per paludem inſequi cœpiſſent, vſque adeo potiundæ ceruæ deſiderio tracti ſunt, vt hac duce, haud procul à Cimmerico Boſporo Mœotim cōge-

latam (vt mea fert opinio) transmiserint: at vbi in Europica Scythia constitere, cerua disparuit. Hi prospectam regionem admirantur, & probant, deinde in Asiam redeunt, rem suis ex ordine referunt. Vnni sedes proprias abominati, & soli sterilitatem, populorúmve multitudinem causati, cum liberis & vxoribus in Europam venatorum ductu transmigrarunt. Regionem sua vberiorem inueniunt, vniuersum paludis tractum occupant: mactant Victoriæ, quos à principio offendêre: cæteros domitant, & in seruitutem redigunt. Alanos quoque subigunt, qui sedes illas prius occuparant, & longè mitiores esse videbantur: ne finitimis quidem Gothis parcunt, in quos impensius planè desæuiunt.

Anno Domini 373. VNGARORVM annales, Vnnos in Europam anno salutis trecentesimo septuagesimotertio, Valente imperante, & Damaso pontifice maximo sedente, traiecisse referunt, duces habuisse Belam Chiclæ filium, Zomeiarum familia natum, item Cheuem & Cadicham eius fratres: præterea Atilã, Chemem Budamq; fratres, Bendeguzi filios, Cadarum genere natos, ad domitãdam septentrionalem plagam: ex centum & octo tribubus decies centena & octo milia hominum coegisse, iuri dicendo Cadarem virum sapientem præfecisse: edicta, Dei voce & reipublicæ nomine præcinisse: expeditionem tumultuariam & excogitatam circumlato cruento gladio, pronunciatoq; loco, quę prębstituissent, significasse: qui non obtemperassent temerè, eodem gladio per medium cęsos: quam consuetudinem adhuc in Transsyluania, in Turcorum tumultu obseruatam vidimus. Quum maximis viribus pollerent, elatis animis, tanquam vniuersum orbem pessundaturos, Bessos, Rutenos, Chumanos albos ac nigros, cum vniuersa Dacia & Sarmatia subegisse, & tandem ad Tibiscum amnem, quem Titiam nunc appellant, castra collocasse. Hanc gentem Iordanis historicus horribili specie, vultu toruo atroq;, item cicatricibus quibusdam inscripto, prælata quadam feritate & audacia, tradit: quia infantibus vix dum natis nouacula genas secant, vt prius vulnera pati, quàm lactis dulcedine lætari cõdiscant. Quare obductis cicatricibus imberbes consenescunt. Præterea statura nequaquam procera, latis humeris, agili, expedito & robusto corpore, ceruice constanti & ardua, summam quandam superbiam præferente, sagittandi equitandique peritia non mediocri, ac fera quadam sæuitia sub humana specie inuoluta. Quum igitur Hermanaricus Gothorum rex tot gentium dominator, se Vnnorum bello sollicitari cognouisset, non mediocre sibi ratus hinc imminere periculum, eorum impetum cõtinuò reprimendum censet: mox delectum habet, ingenteisq; sibi copias comparat: maximos eius conatus, mors inopinata subuertit. In Vnnorum aduentu, quædam mulier, quæ in viri nece deprehensa fuerat, capitis accersitur, homicidij conuicta pariter & adulterij, vsque adeo regis iram facinoris indignitate succendit, vt quatuor equorum discerptu mulctaretur. Duo fœminæ fuere fratres, Rossomonarum perfida gente nati: quorum alter Sarus, Ammius alter dictus est: hi sororis supplicij immanitate bacchantes, in principem coniurant. Hermanaricum è composito adoriuntur, frustra reluctãtem perfosso latere interficiunt, patrata cæde ad Vnnos perfugiunt, vt tutius vitam tuerentur. Quare factum est, vt Balamirus Vnnorum rex, superandorum Ostrogotharum copiam facilè nancisceretur. Visigothæ audita Rossomonarum perfidia, qui cum Vnnis iam societatem iniuerant: timentes, ne quæ Ostrogothis, eadem sibi fortuna immineret, emigrãdum omnino esse decernunt. Hermanaricus vtriusque gentis rex, centesimo & tertiodecimo ætatis anno lætali vulnere confossus obiit. Excessu regis hostes elati, in orientales Gothos, quos Ostrogothas dicunt, magnis cum viribus irruunt, paucisq; prælijs superant, in potestatemq; recipiunt. Occidentales verò Gothi, quos Visigothas appellarunt, cognatorum exemplo perculsi, desertis quæ ad occasum spectabant sedibus, & obstinatis ad emigrandum animis, ad Istrum cum liberis vxoribusque contendunt. Ad Valentem Imperatorem, senioris Valentiniani fratrem legatos mittunt, qui sedes incolendas exorent, perpetuum polliceantur obsequium: & se non modò leges, sed orthodoxam quoq; fidem Christi acceptu-

accepturos esse spondeant. Quin etiam addant, se nunquam imperata detrectaturos, petát Mysiã Thraciamq́; quas si cōcesserit Imperator, se pro vallo fossaq́; munitissima aduersus Vnnos perpetuò futuros recipiant. Lætabundus eos Valens excepit, quibus auditis, quæcunque orauerant, pro animi sententia etiã insperata concessit. Incolendam Mysiam Thraciamque permisit, ratus Visigothas, Romani imperij propugnaculum futuros. sed res aliter ac sperauerat, accidit. Nam cis Istrum excepti, Barbari vnà cum Gepidis, & Valente Arianæ perfidiæ nimis obnoxio, episcopos accipiunt Ariana quoque labe infectos, qui paucis pòst annis eadem tabe omnes coinquinarunt. Quare non Christiani, sed Ariani, Visigothæ Gepidęque facti, quibus Lupicinus ac Maximus, pro ducibus dati, qui quæcunque his vsui forent, diligentissimè curarent, operamque darent, ne qua inopia laborarent. Præfecti dum mandata negligunt, & magnum sibi quæstum in vehendis commeatibus facere student, Barbari annonæ caritate laborant: acerbissimam exactionem execrantur, detestantur præfectorum auariciam; quando pro annonæ caritate non modò pecunias exhauserant, sed liberos & vxores pro mancipijs vendere cogerentur: demum quodcunq; frumentum humano sanguine mercarentur, non tũ mucidum & corruptum esset. Quod vbi nihil proficere conspicantur, Phrigiternus, Alatheus, Saphracorum reguli, facta seditione Lupicinum & Maximũ adoriuntur, quibus inexplebili auaricia trucidatis, ab Romano principe defecere. Scribunt aliqui, Lupicinum ad conuiuium Phrigiternum inuitasse, vt eum cum comitibus per insidias domi obtruncaret: quod vt in penetralibus fieri cœptum est, Phrigiternum audito pereuntium clamore, è thoro prosiluisse: quum insidias euasisset, suscitata multitudine, Maximum cum collega ac seruis obtruncasse. Daciam Ripẽsem, item Mysias & Thraciam prouincias populi Romani, in suam potestatem asseruisse: imperasse tributa, & graui colonias imperio gubernasse. Quæ quidẽ omnia postquàm ad Valentis aures, qui Antiochiæ tunc agebat, peruenere, non parum is animo consternatus, habito delectu, magnum exercitum comparauit. Continuatis itineribus, traiectaque Propontide in Thraciam contendit, at vbi in hostium conspectu fuit, sinistris (vt accidit) auspicijs pugnam conserit. Quum parum Barbaris obstitisset, in fugam subinde conuersus, & sagitta saucius, in quendam vicum, vbi incendio cum casula crematus est, ipse confugit, & quartumdecimum imperij sui annum complere non potuit. Illatæ in Thracia stragis causa fuit, quòd Romanas legiones ab equitum præsidio destitutas, mox hostes circumuenere: et quum euadere nequiuissent, ad internecionem cæsæ. Lachrymabile fuit profectò bellum, perpetuumq; vlciscendæ auariciæ monumentum. Hæc Damaso pontifice maximo, & Valente imperante, ab origine mundi anno octogesimo vno supra tria milia, gesta sunt. Iniqua profectò tempora illa sunt habita, quum terræ motu vniuersus orbis ita concussus subsi-lierit, vt maria superatis littoribus multas Siciliç aliarumq; insularum vrbes populosq; innumerabiles obruerint. Constantinopoli tanta è cœlo tempestas, vt decidentis magnitudo grandinis multos interfecerit: apud Atrabatas lana è cœlo imbribus admixta defluxit. Nicea terræmotu iterũ diruta, in Phrygia fames inaudita. Hathanaricus Gothorum rex dum Christianos insectatur, multos vltimo supplicio affecit, quàm plurimos proprijs sedibus eiecit. Paulo antè Sarmatæ Pannonias vastauerant. Valens quum ab Eudoxo Arianorum episcopo falsa fide fuerit initiatus, multos è Nitriæ monachis per tribunos & milites cædi imperauit: quin etiam legem promulgauit, vt monachos militiã detrectantes cuiq; fustibus cædere liceret. Pari efferitate Theodosius, Theodosii nondum imperatoris pater, cum magna nobilium manu obtruncatus. Visigothæ, victoriæ insolentia elati, fortunæ dexteritatem prosequuntur: eò audaciæ iam euecti, vt Constantinopolim obsidere contendãt. Sed Dominica Valentis vxor, labantes & ferè consternatos ciuiũ animos conspicata, precibus hortationibusq; confirmat, populum multa erogata pecunia sibi conciliat, vrbem denique prudentia virtuteque conseruat. Gratianus Valentis Nepos, cui Occidentis impe-

A mundi creato, 3081.

rium delegatum fuerat, vbi rerum potitus est, vt Romanæ reipublicæ consuleret, Theodosium ingenti virtute ac sapientia virum, ex Hispania accersi iubet, eumq; consortem imperij declarat: quando tantæ periculorum magnitudini, solus satesse non poterat. Accitus Theodosius paucis pòst mensibus adfuit, Syrmij purpureum paludamentum induit. Inito imperio, coactóque exercitu, cum Barbaris ipse cõgressus, haud difficulter fudit fugauitq;, superiorẽ Mysiam recuperauit, redeuntes hostes pluribus ac magnis cladibus affecit, quæq; summi principis officia cum dignitate compleuit: demum recepta inferiore Mysia, Thracia, Daciaq; ripensi, icto cum Athanarico Visigotharum rege iam fœdere, ne diuturno bello Romanas legiones ad interitum redigeret, victor Cõstantinopolim se recepit. Albanius percussi fœderis causam Theodosij morbum, in quem inciderat, fuisse scribit, idq; à Theodosio collega, qui paucis pòst diebus bene conualuit, confirmatum. Pacatis rebus Athanaricus Byzantium initæ societatis gratia imperatorũ literis inuitatus aduenit. qui honorificè exceptus, quotidiano lustrandæ vrbis desiderio expleri non poterat. Spectabat circum, hippodromum & theatra, item templa, portus ac fora, distrahebatur ædium magnificentia. basilicam cum regia curiaq; admirabatur, obeliscos & colossos stupidus intuebatur, imagines ambibat, & pulchritudine vrbis abactis cu ris omnibus, animum relassabat: deinde graui morbo correptus tertio quo venerat mense vita decessit. Theodosius autem societatis iure, magnifico hunc funere honestauit, eum magna quoq; pompa ad rogum vsq; sequutus. cumulatissimè amico iusta persoluit, funebres ludos in eius honorẽ edidit: & tantum pietatis Visigothis ostendit, vt mirificè Barbarorum animos sibi conciliarit. Illi nanque rege iam orbati, ductu auspiciisque Theodosii principis vltro postea militarũt. Dum hæc in Thracia geruntur, Vnni, qui Europam traiecerant, Ostrogothasque domuerant, imperium propagare pergunt. Quicquid intra Tanaim ac Tauricam Cheronnesum est, in suam ditionem redigunt, Tanaitæ, Roxolani, Alani, Cariones, Amaxobij, Budini, Sturni, Vbiones, Acibi, item Nauari, Sarmatæ ac Venedici, ab his leges accipiebant. Euiani, Chumi, Basterni, & cum Peucinis Carpiani, magno pacem stipendio mercabantur. A Ponto, Mœoti Tanaique, Vnni ad Danubium vsque, & ad Germaniam, Sarmaticumque sinum omnia cæde et terrore compleuerant, minuerant regnum, sæuúmque imperium vsquequaque gerebant: Gothos tamen a tergo infestare nunquam desinebant. Quum Gratianus Theodosio Oriẽtis imperium tradidisset, ipse verò sibi occidentis optasset: & quum in Britannia, militari seditione maximus imperator declaratus esset, traiecto in Gallias confestim exercitu, Merobandis magistri militum proditione ad Parisium superatus est, qui quum Lugdunũ confugisset, ibi captus est & cæsus. Quare Theodosius festinatis itineribus in Gallias profectus, vt collegæ mortẽ vlcisceretur, ex Gothis decem hominum milia cum suis copiis secum duxit. Inito aduersus Arbogastum Eugeniúmque prælio quòd ciuile dici poterat, decem Gothorum milia qui pugnam iniuere, inimicorum impetu primo cõgressu cæsa sunt, non sine magna Romani imperij vtilitate. Mutata subinde fortuna, quum legiones eius prælium conseruissent, Imperatori victoriam compararunt. Theodosius rediens, Mediolani cùm Arcadio & Honorio filiis imperium delegasset, intempestiuo fato præuẽtus occubuit. Stilico deinde Honorij è duplici filiarum matrimonio socer, è Vandalicorum gente natus, tantum sibi autoritatis vendicauit, vt inter primos haberetur: quinetiam in occidente rempublicam gerebat. Quum esset imperandi cupidus, imperatores quibuscunque rebus poterat, facilè inuoluebat sperans, vbi difficultate bellorum eos obrueret, facilè se Eucherio filio imperium paraturum: augebant sibi animum Vandalorum, Burgundionum, item Sueuorum & Alanorum auxilia: quibus fretus, si ferocissimos Visigotharum animos, in principes Romanorum excitasset, sperabat se a Visigothis Italiam facilè vindicaturum. Quare vt sperata prosequeretur, Visigothis statuta stipendia eripit, annonam & donatiua aufert: fame non modò ad defectionem, sed ad indicen-

dicendum crudele bellum prouocat: quod imperij Romani futurum erat exitium. Hæc omnia Stilicone Aurelianoq; consulibus, anno salutis septimo supra quadringentesimum agitantur. Visigothæ à Stilicone malè tractati, non modò militiam detrectant, verumetiam immanissimum quenque furorem in Romanum imperium concipiunt: proinde annua stipe, commeatuq; defraudati, relicta Thracia in Pannonias erumpunt. Ibi regem, quo annis quinque ac viginti caruerant, quum à præfectis ab Imperatore creatis hactenus regerentur, Halaricum præstanti Bathorum familia natum declarant, cui post Amalos inter Gothos erat secunda nobilitas. Balta nanque lingua Gothica significat audaciam. Per Syrmium iter faciunt in Illyricum, Redagasus quorundam Gothorum rex, cum ducētis hominum milibus se his socium comitemq; præbet. Antequam abeunt, Thraciam, Mysias, Pannonias, item Noricum & Illyricum igni ferroque vastant, cuncta diripiunt, cædibus omnia complent, vrbes diruunt: quinetiam (vt diuus Hieronymus inquit) iram quoque Domini, animalia bruta sensere: incēsa oppida cum vicis, homines cum mulieribus passim cæsi, quin & immaturi fœtus ex vteris parentum exsecti, infantes parietibus illisi, neque ætati, neque religioni pepercere. Quid plura? Omnia præter cœlum & terram, & præter crescentes vepres, continuatasq; syluas periere. Redagasus prior Italiam ingressus, superatis Apenninis in Fesulanum montem, quatuor & viginti stadiis ab vrbe Florentia remotum, cum vniuersis suis copiis se recepit: vbi à Romanis legionibus circumuentus, neque minus consilij, quàm cibi compos, dum salutem fuga quærit, à Romanis obtruncatur. Eius exercitus extrema fame confectus, in Romanorū potestatem, facta deditione peruenit: quare tanta captiuorum copia facta est, vt singuli singulis Gothi aureis, pecorum more venderentur. Orosius Vnnos in Italiam accitos, Romanis aduersus Redagasum auxilia tulisse scribit: refert enim Vldim & Sariam, Vnnorū & Gothorum duces, qui Honorij partes sectabātur, Redagaso apud Fesulas primùm occurrisse, eorumq; obsidione fame olim absumptum, fuisse cæsum. Post Redagasum Alaricus cum Visigothis in Italiam penetrauit, Rauēnam ad tertium vsque lapidem peruenit, vbi imperatorem Honorium esse intelligebat, ad eum legatos properè mittit, quibus hæc mandata dat, vt sedes in Italia ab eo postulent: quas si impetrarint, ipsum cum Italis quietè amiceq; victurum polliceantur. Si repulsam patiantur, omnino tentaturum, Romanine an Gothi Italiam possidere debeāt, æquum ad hæc iudicem Martem fore significent. Legati (vt Iordanis ait) hæc referunt, Honorium vtranque conditionem denegasse, sed Gallias Hispaniasque prouincias populi Romani, quas Vandali Genserico rege vastabant, si eos eiicere auderent, tanquā proprias patriasq; sedes Visigothis concessurū: quod Barbari abnuere voluerunt. Dum hæc aguntur, Stilico imperandi cupidissimus, vbi suos Vindelicos cum Burgundionibus, Sueuis & Alanis, à ripa Rheni Gallias infestare accepisset, Visigothasq; intrasse Italiam, eorumq; regem Classense oppidum in Claudiano agro obsedisse cognouit, ratus non vltrà differendum, coacta è Thracia non mediocri legionum multitudine, per Macedoniam & Illyricum ac Noricos in Italiam properat, præter Aquileiam & Altinum, item per Venetiam, & Rauennatem agrum iter facit. Quod vbi Halaricus intellexit, soluta Classensis oppidi obsidione, in proximos Apennini colles ad Pollentiam vicum, duobus & viginti milibus passuum à Rauenna remotam, cū vniuerso exercitu se recepit. Stilico militaris artis peritissimus, in Alaricum prodit, frequentibus præliis afficit. Quum sæpe vincere posset, non expugnat, vt bellum protrahat, tres circiter annos eum ludificatur. Ita Imperatoris & Barbarorum extenuatis viribus, se facilè imperium inuasurum esse confidit. Halaricus Honorium literis commonefacit de astu ac mente Stiliconis, quippe qui vt vtriusque vires eneruet, seq; demum tyrannum statuat, quum sæpe vincere potuisset, noluisse: quandoque pugnandi copiam denegasse, proinde orare, vt sedes in Gallia concedantur, vnde se Vandalos eiecturū pollicetur. Vltrò Honorius postulata, & paulo antè promissa cōcessit, Stiliconi mandat, vt cum Ha-

407.

larico pacem ac fœdus ineat, Visigothas Italia in vlteriorem Galliam educat. Indoluit Stilico Visigothas tam quietè Italia abigi, & Honorium periculo liberari, quó nam modo Barbaros in Italiam conuertere, pacemq́; intercipere posset, excogitat. Saulem Hebræum summa perfidia præditum, præfectum legionis, sui consilij participem facit: ei mandat, vt abeuntes Visigothas, paschali die incautos adoriatur. quod vbi factum est, multi improuisa formidine correpti, occubuere. Accedebat quoque religio Visigotharum, qui solenni die pugnam conserere verebantur: at vbi hostes instare conspicantur, necessitate ducti, tam obfirmatis animis se conuertunt, vt Hebræas cohortes non modò funderent, fugarentq́; sed ad internecionem vsque cæderét. Stilico audita legionum strage, animo consternatur, furentes in se hostes perhorrescit, ab imperatore legionum supplementa, & auxiliares copias petit. Honorius nō copias & auxilia, sed sicarios duos misit, qui proditorem imperij Stiliconem, cum Eucherio filio trucidarent. Has igitur perfidiæ, audaciæq́; tyrannidis pœnas, Stilico principi tunc exoluit. Honorius cæso Stilicone duce, exercitui Romano neminem eius loco subrogauit, quo factum est, vt bellicoso duce priuatus, Visigothis nūquam amplius resistere potuerit: quare eorum ita rabies exarsit, vt domita incensaq́; maxima Italiæ parte vrbem Romam obsederint: eam breui obsidione capiunt. Capiunt itaq; Romam, terrarum hucusque dominam, Flauio & Varrone consulibus, imperiumq́; Romanum, calendis Aprilis, anno ab Vrbe condita centesimo sexagesimoquarto supra millesimum, à Christiana verò salute decimo & quadringentesimo. Sub infausto Honorij principis imperio, Romana libertas, Italaq; potestas extincta est. Ne multo quidem antè tempore, aliorū malorum imperante Gratiano, rumor aduenerat, Longobardos extremis Germaniæ finibus, Oceani littore, Scandiaque insula cum innumerabili multitudine egressos nouas moliri seditiones Iborea & Aiana ducibus, Vandalos superasse, & amplificando sibi imperio quotidie studere. Halaricus igitur vrbe potitus, mandat edici, ne cui Romano ciui mors inferatur, nequid iniuriarū & incendij, præter rapinas ac spolia committatur: templis debitus honor impendatur, vis nulla cuiquam tribuatur: quicunq; in templa confugerint, pro illæsis habeantur: inhibentur ad hæc stupra, cædes & immanitas. Edicta tamen nequaquam vbique seruata, Iordanis rapina tantùm hostes contentos fuisse testatur, ne suæ gēti detrahat. Galla Placidia Theodosii filia, & Honorij Arcadijque soror capta, & ab Halarico præ nobilitate generis desponsata, vasa Petri sacro ministerio comparata & magnitudine, arte auroq́; præstantia, à quodam Visigotha subrepta, regis iussu in basilicam relata. Tres dies in præda direptioneque consumpti. Halaricus mox relicta Vrbe per Campaniam, Lucaniam Brutiosq́; discurrit: omnia populatur, & vastat. Quin & per Siciliam, Aphricam adoriri statuit, nisi oborta tempestate, qua multæ sibi naues obrutæ sunt, consilium mutare cogeretur. In reditu rex morbo correptus, Cōsentiæ moritur. Visigothæ dū grauissimè eum lugent, & ne qua in eius ossa vindicta fieri possit, stolida pietate reformidant, deriuato Basento in alueo sepulchrum statuunt, ibiq́; Halaricum cum preciosa supellectili recondunt: moxq́; reuocato fluuio, nequis Italus eius monumētum scire posset, fossores obtruncant: facinus quidem Barbara gente non indignum est habitū. In demortui locum Ataulphus Bathororum quoque genere natus, à Visigothis suffectus est: cui Placidia Halarico desponsata, vxor traditur: nuptiæ paucis pòst mensib. in foro Cornelij celebratæ. Visigothæ Romam reuersi, quicquid è præda superfuit, eripuere: perpetuaq́; ruinæ ac incendij monumenta reliquere. Ataulphus relicto sponte Honorio, partim quem affinitatis gratia vita donare cogebatur, in Gallias à Francis & Burgundionibus infestatas contendit: eius aduentu perterriti hostes, se intra fines continere cœperunt. Vandali verò & Alani, qui sedes in Pannoniis à Romanis imperatoribus * Mox de eiiciendis ex Hispania Vandalis decernit: in Tarraconensi agro, ad Barchinam † opes, & imbelles homines reliquit. Ipse cum ingentibus copiis Pyrenæos montes superat, in Hispaniasq́; medias penetrat: cum Vandalis sæpe

Margin: 410. — 10 — 20 — 30 — 40 — 50 — Barcellone.

lis ſæpe congreſſus, tandem domuit, & tertio anno Galliam cum Hiſpania pacauit: demum à Vernulpho breuiſſimæ ſtaturæ viro, cui ſæpe illudere ſolebat, interficitur. Sed hic aliquantiſper immorandum, & de quarundam gentium origine aliqua referenda. Vandalos & Burgundiones, qui è Vandalis prodiere, vnam ex quinque interioris Germaniæ partibus, Plinius affirmat: his Sueuos proximè collocat. Alani, etſi originem à Scythis deduxere, in Vandalorum tamen regionibus habitabant. Octauium Auguſtum Sueuos è Germania in citeriorem Rheni ripam tranſtuliſſe Suetonius aſſerit. Burgundiones Vandalorum pars, ad octoginta armatorum milia vlteriores Rheni ripas inſederant, quos Tacitus à Druſo ſubacta interiore Germania, in proprias ſedes repulſos, ac vrbibus oppidiſq; munitis eiectos, vicatim habitare coactos fuiſſe tradit, vnde (vt ſuprà diximus) nomen eſt inditum. Sed in his gentibus facta mutatio. Nam Vandali, à gentis flumine nuncupati, paulo poſt eos, quos Stilico in Gallias concitauit, patria profecti, ſe Sclauos appellarunt à nomine gentis, quæ à Cimmerico Boſporo, ad Tanaim vſque habitare ſolita, in Vandalorum & Burgundionum patria profectorum ſedes tranſmigrauit. Neque tamen Sclauorum denominatio ab his diu retenta. Quum enim pars eorum imperante Mauritio in Dalmatiam & Illyricum emigraſſet, qui domi remanſere, nomina mutarunt: & aliqui ſe Polonos, Boemos alij ſe appellare cœperunt. Sed vnde diuertimus, repetatur oratio. Ataulpho Rogericus ſucceſſit, paulo pòſt ſuorum fraude interemptus: quartus ab Halarico Vallia rex creatur, & animi & corporis viribus excellens. Aduerſus hunc Honorius imperator, Conſtantinum cum ingenti exercitu obiicere ſtatuit: virum quidē non modò militari diſciplina, ſed magna rerum experientia ſanè pollentem: ratus, Viſigotharū vires per hunc facilè extenuari poſſe. At maximè verebatur, ne Barbari rem publicam iterum infeſtarent, accedebat & illud, quòd iniquiſſimo animo ferebat, Placidiam ſororem adhuc in captiuitate Barbarica detineri: & maximum Romano principi fore dedecus, ſororem à ſeruitute aſſerere nequiuiſſe. Quare Conſtantino, vt vehementius rem publicam gerat, & ſororem in libertatem redigat, Placidiæ nuptias pollicetur, ſi Barbaris eam eripere valuerit. Conſtantinus promiſſis oneratus, cum magno exercitu, imperatoria auctoritate in Hiſpaniam contendit: cui Vallia Viſigotharum rex ad Pyrenæi montis aditum occurrit, quum legati vtrinq; mitterentur. Hoc tandem Conſtantino cum rege conuenit, Placidiam omnino reddi oportere, quādocunque opus fuerit, Romanæ rei publicæ poſtulata Viſigotharum auxilia nunquam defutura, quare ſuper his fœdus ictū. Valia igitur vt ab Honorio pacem aſſequeretur, Placidia à Viſigothis reddita, & ex compoſito, Conſtantino patricio deſponſata, ex qua Honorius & Valentinianus nati ſunt. Eodem ferè tempore Conſtantinus quidā alius in Gallia imperium inuaſit, Conſtantemq; filium ex Monacho Cæſarem conſtituit. Sed Romam accito Viſigotharum auxilio, alter in Arelatenſi vrbe, Viennæ alter cæſus eſt. Idem deinde facinus Iouinus & Sebaſtianus auſi, pari quoque fato concidêre. Quum Valia in Hiſpania regnaret, ecce Vandali, qui ab interioribus Galliæ partibus, ab Ataulpho fugati fuerant, Hiſpanos iterum infeſtant, prædas abigunt, variiſq; vexant latrociniis, ſed à Viſigothis repreſſi ſunt. Vandalorum imperium Genſerico rege nimis auctum: quippe qui non minus aſtu, quàm prudentia pollebat: erat enim corpore mediocri, & equi caſu claudus, item magnanimus in ſermone, rarus ac grauis, voluptatum domitor nō irarum, non cupidus imperandi, ac doctus inter populos odia diſcordiaſq; ſerere, vt facta ſeditione facilius imperaret. Honorio & Theodoſio conſulibus, Craſtinus aduerſus Vandalos miſſus eſt, qui quum Bonifaciū bellica arte præſtantem, ab expeditionis ſocietate repuliſſet, collegā præ ingenita inſolentia aſpernatus, magnorum malorū auctor eſt habitus. Nā Bonifacius indignitatē rei perquàm ægrè ferens, Hoſtiam properè contendit, in Aphricamque traiecit, occupauitque prouinciam, quam quum ſine auxilio, inuito imperatore Romano, retinere non poſſet, Genſericum Vandalorum regem in Libyam aduocat. Hic Valiæ

bellum reformidans, traiecto Gaditano freto, in Mauritaniam peruenit, Aphricamq; vniuersam occupauit, ibiq; aliquandiu cum nepotibus ac posteris, ad Iustiniani vsque tempora imperauit. Iustinianus autem accito Bellisario magistro equitum, orientisq; præfecto, viro excellentissima quaque virtute præstantissimo, ac summa gestarũ rerum gloria celebratissimo, non modò Aphricam per eum à Vandalorum iugo, sed à Persis Asiam Europamq; à Gothorum seruitute vindicauit. Et quum à Mauris Africa deinde occuparetur, Iustiniani virtute liberata est. Valia quanquam Vandalorum regnum in Africam prosequi cuperet, maris tamen tempestate deterritus, Tolosam redijt, ibique statim diem extremum cum magno Visigotharum luctu clausit. 10

RERVM VNGARICARVM DECADIS PRIMÆ LIBER III.

IAM Vnnorum vires ostendere adoriamur, qui postquam Ostrogothas domuerant, Visigothasq;, qui perdomita Italia Galliaque, Hispanias vsque penetrarant, sedibus suis eiecerant: nondum Scythia tota contenti, traiecto Danubio, Pannonias quoque subactas innumera multitudine hominum inundarant. Et quamuis ab Ecio magistro equitum (Theodosio & Valentiniano imperatoribus) quandoque repressi 20 forent, vix tamen, quin vlterius occuparent, contineri poterant. Eodem ferè tempore Boremundus, Thorismundo progenitus, veluti suprà in Amalorum catalogo scripsimus, quum suorum Ostrogotharũ seruitutem, & Vnnorum imperiosam tyrannidem tolerare non posset, vnà cum vitrico filio ad Theodoricum Visigotharũ regem, qui Valiæ successerat, in Hispaniam peruenit: ratus & nobilitate familiæ & virtute sua, facilè apud eos se principatum posse cõsequi. Theodoricus non magis prudentiæ compos, quàm moderationis, & non minus animi, quàm corporis dotibus excellens, quamuis regia stirpe genitos, nõ modò regibus, sed populis quidem omnibus formidolosos esse oportere intelli 30 geret: eum tamen quem generosum acceperat, nedum cõuiuij, sed cõsiliũ quoque expertem esse noluit: quotidie iubebat accersi, & cognatione gentis familiarissimè vtebatur. Ecce Theodorico, ob violatum fœdus, Theodosio iuniore & Festo consulibus, à Romanis bellum indicitur. Ecius patricius, magister equitum, Doroscora ciuitate Myliæ oriundus, Gaudentij filius, à patre sub militari disciplina semper educatus, qui à Valentiniano Gallis præfectus, Sueuorum Francorumq; barbariem varia strage cõfecerat, & Galliam vniuersam mira sapientia defenderat, accitis Vnnorum auxiliis aduersus Theodericum, cum Lotario duce proficiscitur. Sed quum acies pari robore ac spe vtrinq; constitissent, vt publicæ saluti consuleretur, mutatis animis, datisq; dextris, instaurata 40 concordia. Paulo pòst tot mala Romanos imperatores circunuenere, vt imperium tutari posse desperarent. Hinc enim Scoti, Albienses & Pictones Britanniam inuadunt, cui opem postulanti, ob imminentem Vnnorum eruptionem, Ecius Galliæ præfectus afferre non potuit. Hinc Gensericus Vandalorum rex, occupata per annum Aphrica, comparata classe, Siciliam infestabat. Hinc Sebastianus qui Alanos & Sueuos Lusitania eiecerat, Romanæ reipublicæ proditor, pro affectata tyrannide, cum Vandalis & Visigothis fœdus init, vt Lusitania potiretur: sed deceptus à Barbaris, cumulatas perfidiæ pœnas expendit. Ex quo factum est, vt Visigothæ, Sueui & Alani Lusitaniam Taraconensemque Hispaniam, & Aquitaniam occuparint. Hinc Vnni minabantur, qui Ostrogo- 50 thas Gepidasque, ac innumeram Scytharum gentem coegerant, vt quocunque libido tulerit liberè ac latè dominari queant. Nam vt Vngarorum annales referunt, postquam occupata Dacia Pannonias prospectarũt, non solùm feracitate soli ac regionis pulchritudine, sed cœli quoque benignitate præstantissimas: quas Macrino proconsule, Sabaria oriũdo, Alemanni Italiq; multi incolebant,

traiecto Danubio inuadere anhelabant. Macrinus quamuis Mysiis, Pannoniis, Thraciæ ac Illyrico, adiectæ quoque Macedoniæ præsideret, Vnnorum tamen erat viribus impar, ne tanta multitudine gentium obrueretur, Thetricum vniuersæ Germaniæ præsidem conuocat: qui coacto ingenti mox exercitu, in Pãnoniam descendit. Ad Potentianam vrbem inter Theten & Zazhalom, decem milibus passuum à Danubij ripa remotam, cum Macrino castra iungit. nam Theta inter Budam & Albam regalem sita est. Consilium deinde ambo ineunt, vtrum potius agendum, an transmisso exercitu in castris Vnnos adoriantur, an alium locum prælio magis idoneum optent. dum diuersa sentiunt, consilium
10 quoque differtur. Ecce Vnni castris acies educunt, ad Danubij ripas veniunt: multos quoque dimiserunt, qui castra, vxores, liberos, fortunasque tuerentur, quum Romanis appropinquassent. Macrinus & Thetricus, Scythas non expauêre, rati interfluente Danubio nihil detrimenti illinc sibi inferri posse: quando nec naues haberent, quibus traiicerent, nec pontem in amne facilè struerent. At Vnni postquam hostibus appropinquarunt, quũ simili modo tot Scythiæ flumina transmisissent, annexis vtrinque vtribus, intempesta nocte Danubium sub Sicambria, prope Budam veterem clam omnes tranãt, vbi villa quoque nunc est, quæ ab Vnnorum traiectu, Scythico vocabulo Kelenfelde appellatur. Deinde Potentianam, vbi vtriusque ducis castra erant, properè conten-
20 dunt: dormientes et incautos hostes adoriuntur, qui Scytharũ insidias minimè formidabant. Miserrima cædes oritur, multi somno grauati, antequam expergiscerentur, vita excessere: mox tumultus, clamor & vociferatio subsequuta. Quid Romanorũ milites agerent, quóve se verterent, tam repentino & inopinato terrore perculsi, nesciebant, magna pars in fugam cõuersa, passim cæsa est: strages ex Alemannis & Germanis inaudita patratur. Cæteri qui aut in vrbe pernoctabant, aut prope mœnia tendebant, quum se in vrbem recepissent, euasere. Vnni, cæde defatigati, in agrũ qui Tarnokuelg dicitur, se reuocarunt. Thetricus & Macrinus tanta clade afflicti & intolerabili furore perciti, quem pudor ingens suscitarat: quando mori, quàm tantũ dedecus perpeti malint, illatã
30 à Barbaris cladem ingenuè vlcisci decernunt. Quæ superfuerant legiones, cogunt: quid fieri oporteret, ostendunt. Tempus non vltrà terendum admonent, siquidem Vnnos longa vigilia, ac itineris pręliiq; labore confectos, vires omnes amisisse affirmabant. Barbaricam immanitatẽ omnino vlciscendam, tantã cladem cum perpetua turpitudine coniunctã perpeti, ni se ab hac vindicent, neq; Romanorum neq; sociorũ populi Romani esse decoris. Id perpetuam maiestati Romani imperij notam inusturum exclamant, nisi obstinatissimis in Barbaros animis irruant, pœnas cumulatissimas exigant. Quin & imminens omnium gentium hinc excidium promanaturum edocent, nisi eorum vires magna cæde conficiant. Quare legionum animi, partim formidine maioris mali, partim
40 ira illatæ cladis & pudore perciti: neq; tamen pristinæ virtutis immemores, nihil hac pugna vehemẽtius affectant. Arma sumi, instructas acies educi, pugnæ signum dari: & si malè pugnarint, se decimari postulant. Quare duces in Vnnos, qui non procul aberant, copias educunt. nondum in hostium conspectu fuere, quum vtrinq; tam obfirmatis irruitur animis, vt nullũ crudelius bellũ vsquam commissum fuisse reputaueris, cadit vtrinque innumera multitudo, in diem acerrimè pugnatur. Declinante sole Vnni superioribus vigiliis & laboribus exhausti, bello inferiores esse cœperunt: & ne ad interitum redigerentur, terga vertunt. Ad Danubij ripas se recipiunt, moxq; Danubium adhibitis vtribus renatant. Romani bello fessi fugientem hostem dimiserunt, prælium igitur immi-
50 nente nocte diremptum. In hoc cõflictu ex Vnnis cum Chene duce hominum centum & vigintiquinque milia cæsa, è Romanis, præter eos, qui in castris superiore nocte ceciderant, si Vngarorum credendum est Annalibus, ducenta ac decem milia desiderata sunt. In sequenti die Thetricus & Macrinus, cruentissimam se victoriã nactos conspicati, ne iterum cum innumera Scytharũ multitudine manũ conserere cogantur, mutanda castra decernunt, superstitibusq;

copiis parcendum esse iudicant. Quare Thulnam nunc Austriæ, Pannoniæ quondam ciuitatē, reliquum exercitum reducunt: rati si iterum pugnandi copiam Vnnis facerent, vniuersum ad vnum exercitum populi Romani, præ nimia hostium multitudine interiturum. At Vnni postquam hostes retrocessisse acceperunt, locum pugnæ repetunt, suos more Scythico piè sepeliunt. Chenæ ducis corpus inueniunt, quod in celebri via solenni pompa, substructo sepulchro, recondunt. Suprà marmoream columnam erigunt, in ducis monumentum, quē locum Kaiazueuulg appellarunt, & nunc Kaiazó Vngari dicunt. Postquam Vnni Romanas vires experti, res suas benè succedere conspicantur, animos sibi augent, & Romanis inuitis, vtranque Pannoniam, traiecto Danubio occupare contendunt, quod vbi factum est, nō aliter ac si proprias sędes recuperassent, Romanos hinc eiicere statuūt. Quare maximo delectu habito, Thulnam, quam in capite Pannonię, quò Romani se receperant, sitam esse diximus, properant. Quod vbi Thetrico & Macrino significatum est, Scythas ea mente venturas, vt Romani ne an Vnni, Pannoniarum domini futuri sint, hoc extremo certamine definirent. Item Scythico ritu ita animos obfirmasse, vt mori quàm cedere malint. Romani duces, quamuis duplici iam habita strage, attenuati, ac viribus impares forent, animos tamen non tam à supplementis auxiliaribusq; copiis, quam ab re ipsa cōcipiunt, vt Scythicā audaciam coherceant, hostibus occurrere decernunt. In Kesmarkensem agrū veniunt, vbi eos offendunt, vtrinque mutuo conspectu agmina constitere, instituuntur pariter vtrinque acies, arti bellicæ ac insidiis militaribus vtrinque ingenia intenduntur. Vnnis certum erat, aut vincere, aut pulcherrimè mori: quod eo facilius sibi quisque persuaserat, quo magis patrio ritu mortem contemnere didicerat. Contrà Itali, vitæ rationem habere solent, ne temerè quidem se morti exponunt. Proinde continuò signum datur, obstinatissimè vtrinq; concurritur. Vnnis in prælio mos est, altissimis vocibus hostem deterrere, pulsare tympana, sagittarum iactu aërem in speciem nubium obscurare. Quare tantus ab his clamor & tam horribilis cōfestim editus, & ita telis aër obscuratus, vt Romanorum animi admodum consternarentur: à prima hora diei ad nonam vsque pugnatum est, magna vtrinque cædes oritur. Demum Thetricus & Macrinus, vbi se numero impares, & cum fera gente rem sibi esse, quæ mortē pro nihilo ducat, suorumq; stragem in horam augeri conspicantur, vt reliquorum saluti consulerent, quum bellum facilè dirimere non possent, tandem terga vertunt, pedem sensim referunt, ne palantes fugere cogātur. Vnni quamuis longo prælio defatigati, & pugna deficere cogerentur, reuocatis spe imminentis victoriæ, viribus instant, ac magis adurgent. Hic Macrinus, quum fortiter redintegrato prælio instare cepisset, occubuit. Thetricus fronti infixa sagitta saucius, cum his qui superfuerant, euasit: truncumq; sagittæ, quem excutere nequiuerat, in senatum vsque Romanum retulisse ferunt. Vnni haud incruenta victoria potiti, se confestim in castra receperūt. In hoc prælio quadraginta Vnnorum milia desiderata, ducesq; Bela, Cheuez & Ladicha cecidere. Contrà, Romana clades quanta fuerit, hinc intelligi potest, quòd nunquam illi posthac, in Pannonia contra Vnnos, exercitus reparare potuere. Scythici duces, quum pulcherrimè parta victoria occubuissent, ad marmoream columnam (de qua suprà diximus) solenni pompa funerati sunt. Vnni, quos deinde Vngaros appellauimus, anno salutis quadringentesimo primo, tranquillas in pacata Pannonia sedes vsurparunt, & multo sanguine sibi compararunt. Anno verò ab ingressu octauo ac vigesimo, extinctis superiore bello ducibus, in magnā orbitatem redacta respublica, quid ageret, nesciebat, ductu carere non poterat multiplex & innumera multitudo, & quem potissimùm eligeret, haud facilè inueniebat. Vnus tantùm Atila succurrebat, Mundizici filius, ac Ottaris & Rhoe, qui ante ipsum regnasse dicuntur, item & Budæ frater, quē optimo genere natum, præterea fortissimum prudentissimumq; nouerat, omnium consensu regem optandum esse censet. Edictis igitur comitiis, quum tribus vndique conuenissent, Atilæ cuncti suffragia reddunt,

10 20 30 40 50 401.

reddunt, regemque declarant. At hic imperandi cupidissimus, ac gerendo bello accommodatissimus: & quod ambitione maxima affectarat, assequutus, spes ingentes concipit, & maximo animo imperiũ init; ad quod non tam fato, quàm moribus natus esse videbatur, quippe cui acre ac circumspectum erat ingenium, corpus validissimum & breue, item ingens animi magnitudo, indefatigabilis tolerantia laborum, exactissima rei bellicæ disciplina, astus & consilij altitudo summa. Præterea maxima dolorum ac insidiarum artificia, deperdita audacia, animus crudelis & elatus, perfidia plus quàm Punica. Egregia forma, lati cum pectore humeri, toruus quoque aspectus, caput grandiusculum, oculi imminuti, rara barba, simus nasus, cani ferè crines, color subniger, & magna libidinis impatientia. Erat etiam in incessu superbus, circumferebat oculos huc & illuc, vt elati viri potestas motu quoque corporis appareret: non minus ambitioni, quàm Veneri obnoxius, se supplicibus exorabilem, & his propicium exhibebat quos semel in fidem receperat. Qua gente sit editus, præferebat aspectu: neque ignorabat se magis deorum numine, quàm humana arte, ad imperij fastigia conscendisse. Quod vt Priscus historicus ait ob sacrum Martis gladium antè sperauerat, quem ipse fuerat assequutus. Hic enim apud Scytharum reges olim seruari solebat, quo quicunque potiretur, ei regnum sperare fas erat. Pastor quidam, quum suam buculam claudicantem offendisset, vt vulneris inueniret auctorem, demissi cruoris vestigia legit: at vbi ad sanguinei riuuli fontem peruenit, vbi bucula pascebatur, dum humi percontatur, Martis ensem inuenit, quem incauta bestia forte calcauerat. Effossum hunc protinus ad Atilam defert, qui vbi sacri numinis esse intellexit, fortunæ suæ admodum congratulatur. Gladio allato, bellorum ac cæterarum gentium dominum se perbreui futurum ariolatur. Pastori gratiã agit, refertq; haud secus ac si diuino quodã munere donatus esset, ensem iuxtà diuinum ac Romani ancyle seruari iubet. Martem, Scytharũ deum perueneratur, cuius numen quotidianis sibi victimis placare studet. Quanti momẽti ditionẽ iniuerit, non ignorat: neq; se latebat, innumerarum gentium, & vniuersæ denique Scythiæ esse regnatorem, cogitabat semper quæ moliri deberet, ne tãto imperio frustra præfectus esse reputaretur. Illud quàm maximè verebatur, ne potius rex imperio, quàm imperium regi deesse videretur: neque ipsum fugiebat, sibi neque ingeniũ, neq; vires, neq; fortunam, neque militum robur ac numerum defuturum. Quare accitis præfectis legionum, tribuumq; magistris, hæc verba facit: non sum nescius, commilitones, non modò regnum, sed potestatem vnamquanque pro deorum nutu & prouidentia tradi, neque vos omnes diuinam mentem voluntatemq; hoc interregni tempore detrectasse: si quidem me, nemine refragante, imperatorem non solùm ducemq; creastis, verùm etiam Scythicæ reipublicæ summam vltrò tradidistis, nemini vnquam antehac tanto iure collatam: me autem iuxta deorum numen, ac vestrum iudicium existimare fas est, quando illic diuina benignitas, hîc vester amor & fides ostenditur. Quamuis nihil præterire curaui, quod ad vtraque officia pertineret, nunquam tamen tantum, neque de diis, neque de mortalibus promeruisse me credideram, vt regis me munere iudicaretis. Proinde perpetua vtrique gratia est habenda. Et si grati hæc animi esse solent, non tamẽ minus quæ meæ sunt dignitatis et officii, quàm agenda gratia, die noctuque sunt mihi animo agitanda, ne tanto me munere indignũ existimetis. Quotiens quęcunq; regi cuique optimo inesse debent, officia mecum cogito: quàm graue munus obierim, facilimè nouerim. Nam qui alienæ gubernationi pręfectus est, ita se gerere debet, vt cæteris quoque præstantior habeatur. Nihil contra turpius eo, qui suo imperio cẽsetur indignus. Si traditum à vobis munus detrectarem, pusilli quidem id foret animi: contrà verò maximi, res magnas adoriri, & propria virtute, diuinaq; spe cõfirmari. Quanquã rei grauitas aliquantulum hortatur, sunt tamen multa, quæ fiduciam augẽt, & vos de me bene sperare iubent: in primis rerum experientia, tolerãtia laborum, & animus cum corpore domi forisq; assiduo exercitatus. Nemo vnquã (mihi credite) bene imperabit,

qui prius rectè parêre non didicit. Neque bonum veteranum inueneris, qui malum se tyronem exhibuit. In castris vestris natus & educatus sum, commilitones: neq; lactentem prius mamillam, quàm cruentum gladium apprehendi. Pro mollibus quidem cunabulis clypei substernebantur, & infans ex frigido amne lauabar, sub dio noctem æquè ac diem ducere, frigus & æstum iuxta pati. At vbi aliquantulum adoleui, audacter arma tractare, pugnare sub vinea, depugnare cum paribus singulari certamine: quandoq; belli simulacra agere, educere exercitum, aciem instruere, disponere cornua, primus dato signo congredi, & dirempto prælio redire nouissimus, quin etiam sæpe certatim tranare Danubium, & magnos amnes. Ad palum præterea exercitabar, decurrebam in stadio, hippodromumq; frequentabam. Et ne quid pugnæ genus intentatum dimitterem, tēporaria obsidere oppida placebat, circum turres erigere, admouere machinas, ariete mœnia quatere, quassaque subinde conscendere, deturbare oppidanos, nullum præter militarem habitum induere, diu noctuq; ferre arma, & in aggere ferè semper sub galea dormire. At vbi grandiorem ætatem nacti sumus, fortissimi proceres, neque infestum hostem perhorrere, neque laudis & gloriæ gratia mortē formidare, neq; pro republica, pericula magna euitare, exemplo vestro didicimus. Et eo vsque didicimus, inquam, vt quando mihi Deus optimos militiæ præceptores exhibuit, neq; hostem arte circumuenire, neque discordiarum in externos semina serere, quo facilius vincere liceat: neq; populos sollicitare, allicere promissis, & tempestiua quādoque deterrere sæuitia dubitemus. Nouimus hæc omnia, & re potius quàm verbis à vobis accepimus. Auidissimè sæpe spectauimus, quo modo rempublicam gereretis, quanta fide consuleretis publicę saluti, quanta fortitudine obiretis pericula, quāta clementia exciperetis supplices, quanta deniq; æquitate iudicia tueri, & seruare dignitatem studeretis. Quæ quidē omnia, quando mecum ipse reputo, plures in Scytharū castris, quàm in orbe cætero imperatores intueor. Sunt etiā alia, quæ non tam mihi animos addere, quàm vos de me bene sperare iubent. Mater pridie eius diei, quo me genuit, se in somnis puerum scitū edidisse affirmabat: cui quidem stanti demissus è cœlo Mars ensem accinxerat, flagellum diuinæ iracundiæ dederat. Quinetiam quum prodigia cuncta bene successerint, nondum decimus exactus est annus, quum pastor quidam in pratis inuentum Martis ensem ad me detulit. Quare me id insigne nactum, vestrum regem, mortaliū criminum censorem, & domitorem gentium augures fore prædicebant. Nos Romani Barbaros appellant, & veluti orbis domini Scythicam gentem diu aspernati, se totius orbis imperium tenere gloriantur: neq; Parthos adhuc cognatos nostros perdomuerunt, neq; leges adhuc Vnnis dare potuerunt, neque (si vixerimus) profectò dabunt. Atque si in propriis hucusq; sedibus permansissemus, audire potius quàm perhorrere Romana arma videremur. Sed vbi maiorū nostrorum virtute factum est, vt vniuersam Scythiam in ditionem suam asseruerint: nos quoq; pari virtute ac gloria, & fortasse longè maiore, si licuerit, cum illis certare debemus. nescio, quid magni præsagit animus. Et quum numina faueant, tot gentium fauores aspirent, neque vires vestræ, neque fortunæ desint, ac militum fortissima pectora, id nobis enitendum est proceres, vt omnium antiquorum gloriam superemus, & nomen denique populi Romani deleamus. Quare non alienigenā, sed vestratem: non rudem, sed expertum: non incognitum, sed notissimū: non proximum, sed filium propriæ gentis amantissimum, & immortalitatis cupidissimū pro rege delegistis, fortissimi viri. Qui si neque vobis, neq; mihi defueritis (quando Martem nobis patrem nunquam defuturum esse nouimus) perbreui ostendam, me nō magis humano iudicio, quàm diuino numine, regem esse creatum: quamobrem eo magis mihi enitēdum est, vt vtrique satisfaciam, quamuis id sine vtriusque ope prȩstari nequit. Quod igitur me è senatusconsulto decreuistis, & tot populorum iussu approbastis, id faustum & felix Mars pater optimus esse iubeat, ac omnia signa confirmet: sicque cętera numina faueant. Proinde de me, commilitones, bene sperate, confidite rei-

publicæ:

publicæ: in propagandum Scytharum imperium, omneis ingenij neruos intendite. Apud omnes Martis Herculisq́ parentis aras, rem diuinā facite, celebrate hecatomben, & diis immortalibus cumulatissimos honores impendite. Atilam nunquam expectationi vestræ defuturum, immo acerrimum hostium flagellum omnino futurum reputate. Quum hæc Atila perorasset, ei feliciter, Scythis quoque feliciter vndique acclamatum est: Vnnorum spes ita adaucte, vt hunc potissimùm & ament, & adorent. In eius manus, tribus omnes cum militibus coniurarunt, se militiam & eius imperium nunquam detrectaturos. A proceribus mirificè collaudatum, ad amplificandum imperiū passim omnes
10 hortantur, nomina se daturos cum gratissimo obsequio pollicentur. Ipse ad disponendum regnum, animum intendit, rempublicam instituit; munit legibus, ac edicta varia promulgat. Hæc vbi ritè disposita sunt, ad bellum & tormenta bellica conuertit ingenium, varias machinas commentatur, artifices multos adhibet, auget munitiones & instrumenta, quibus & castra hostium & vrbes facilè expugnentur. Miram castrametandi artem inuenit, miro quoque modo augustalia & tabernacula sua disposuit, quæ inextricabili militariū tentoriorum ambitu muniebat: de quo Priscus historicus, Theodosij minoris seruus ab epistolis, quum legatus ad eum peruenisset, hæc retulisse dicitur. In primis antequam ad Vnnos accessisset, ingentia se flumina traiecisse: tandem eò
20 appulisse, vbi dudum Indigoia Gothorum fortissimus, Sarmatarum dolo occubuerat. Haud hinc procul Atilæ vicum fuisse, amplissimæ ciuitatis instar, cuius mœnia omnia ex nitidissimo ligno confecta, tantā in compage iuncturam præferebant, vt ex vno solidoq́ ligno facta dixeris: multa quoque ac effusa fuisse triclinia, amplissimas porticus & auratas, spaciosa subdialia, ac cætera cultu & decoro regio digna. Itaq; Atila non modò regiam ornatissimam habuit, sed augustale, prę cæteris insano sumptu affabrè factum, quod è serico auroq́ contexto sanè constabat, item cultum vbique gemmis, & columnis aureis eburneisq́ suffultum, vbi non solùm propylæa & andronem, sed porticus & subdialia ex læuigato durissimoq́ ligno tessellata, & auratas cœnationes & cubicula cernere
30 erat. Quotidiana quoque tabernacula & stabula, purpurea erant & sericea, præsepia ex optimo ligno vermiculata. Quæ quidem omnia, non modò superbissimæ cuiusque regiæ vsum præstabant, verumetiam & profusæ magnificentiæ deseruiebant. Proceres nanque suos tam preciosis sæpe tabernaculis donauit, tantaq́ beneficentia prosequutus est, vt quandoque vix duo triàve ad summum in expeditione sibi essent ephippia, phaleræ, scuta, galeæ, thoracesq́ tantum artis & materiæ sumptū referebant, vt nil in his auro & argento vilius inspexeris: ne minore quidē admiratione thalami, sellæ, currus & apodyteria spectabantur. Oratores, qui è remotissimis vndique partibus ad eum confluebant, tanto stupore confecti dimittebantur, vt quum ad suos rediissent, sæpe profe-
40 ctò nescirent, quid potissimùm dicerent. In omnibus, quæ ad regiam dignitatē facerent, principatum obtinere nitebatur. Et quamuis nimia seueritate atrox ac dirus videretur, benigniùs tamen externos admisit: & nō modò suos, verùm etiam alienos præ nimia liberalitate sibi cōciliauit. Quanto formidolosior hostibus, tanto suis charior erat. Adeuntes nunquam difficulter admisit, & multa curans, responsa dedit: cum multis loquens, pluribus sæpe dictauit: ingeniū velox & præsentaneum, memoria constans ac magna: animus eius in negociis expeditissimus semper est habitus, nisi dum consulta præstaret, aliquem fortè verbis circumduceret. Contrà verò præcauebat, ne à quoquam sibi verba dari viderentur. Tantum Vnnorum exercitum (vt Vngarici referunt annales) tūc for-
50 titus est, vt præter auxilia, decies centena milia hominum in castris fuisse putaretur. Quod etsi incredibile videtur, innumera tamen Scytharum multitudo, amplitudoq́ imperij id facilè suadebit: supplementa propè semper habuit, quæ in demortuorum locum citò sufficeret, ęgerrimè ferens legionum defectū. Vnnorum arma, thorax & lorica, item arcus & pharetra, nonnulli scuto, lancea, ensěque falcato vtuntur: maxima pars corio corpora muniunt, cæteri ferro, gla-

dio longo accincti, & pugione. Hirsutis ad hæc se pellibus induunt, & demissæ barbæ, intonsique crines, villorum instar, feroces toruosq; aspectus augent, tantumque terroris adiiciunt, vt solo obtutu, nedum congressu perhumanos hostes absterreant. Regis beneficentia magna, gratiam: seueritas summa, reuerentiam & religionē à suis populis exigebat, quare grata sibi præstabantur obsequia, & amari æquè ac metui ab omnibus videbatur. In vexillis coronatā ferebat aquilā, quæ quidem insignia, ad Geysę vsque ducis tempora Vngari conseruarunt. Seueri nomen imperii augebat inscriptio, qua in diplomatis vtebatur: ATILA Mundizici filius, & magni Nembrothi nepos, Engadiæ natus, diuina benignitate Rex Vnnorum, Mœdorum, Gothorum & Dauorum, metus orbis, Deiq; flagellum, hoc fieri mandat. Postquam Atila dignitatem regiam sortitus est, non minus æquè quàm seuerè dominari cœpit: omnes gentes sibi subditas, ad gratissima obsequia redegit: Sicambriā imperij sedem elegit, quam supra Budam veterem fuisse volunt, cuius adhuc vestigia multa supersunt. Neque id temerè factum, ad Danubium Scythię terminum sedem optauit, vt hinc Scythas regeret, hinc Romano Imperio bellū inferret, cuius cupiditate quàm plurimum æstuabat. Accedebat Pannoniæ vbertas, feracitasq Mysiarum & Illyrici, quare immensum exercitum alere poterat. Succendebat amorem dominandi, memoria bellorum, quę superiore tempore Vnni cum Romanis in Pannonia gesserant. Ægerrimè ferebat suorum victoriam tantopere fuisse cruentam, quare ad tanti sanguinis vltionem irritatur. Verùm antequam tam magna cœpta adoriatur, Scythiam disponere statuit. Itaque per cuncta regna populosque, præsides, prætores quæstoresq; distribuit. Bledamque fratrem, quem plerię; Budam appellant, in regni societatem admiserat, nequid seditionis aut externi belli oriretur, vniuersæ Europicæ Scythiæ pręfecit, summamque potestatem tradidit. At ipse mox cum innumera multitudine copiarū, prouincias Imperij Romani adoritur: in primis vtranque Mysiam, Thraciam, Macedoniam & Illyricum grauissimo bello sollicitat. Belli causas a datis Thetrico & Macrino aduersus Vnnos auxiliis commentatur. Valemir Ostrogotharum, & Halaricus Gepidarum rex, Atilam inita societate sequebantur. Quinetiam Marcomanni, Sueui, Squadi, Eruli & Turingi, vnà cum Vnnis stipendia faciebant, à tanta Barbarorum colluuie omnia igni ferroque miscentur. Hæc vbi omnia Martianus accepit, Theodosij exemplo, cui eo tempore ritè successerat, vt Vnnis, Gepidis & Ostrogothis faciliùs resisteret, cum Genserico Vandalorum, & cum Persarum rege inducias init. Quod spem Atilæ fefellit. Quum enim ab oriente Persas, ab occasu Visigothas, ab Aphrica Vandalos, ab aquilone Vnnos Romani hostes haberent conspirantibus vndique in Martianum tot gentibus, facilè sperabat Imperium perbreui Romanum iri perditum. Sed Romanus Imperator, vt sibi, & imperio pręcaueret, & cum vnico eodemque maximo expeditiùs hoste certaret, cum cæteris bella composuit, & in Atilam, quascunque potest vires intēdit. Arnestidem magistrum equitum Vnnis opponit, qui quum apud Martianopolim hostibus occurrisset, in primo prælio superior euasit, arridente aliquantulum fortuna fretus, dum incautiùs & nimis auidè cum callidissimo hoste bellum gerit, ab Atilæ copiis circumuentus occubuit. Martianus Arnestidis morte admodum consternatus, consilio hostem circumuenire studet: quod sæpe plus viribus posse nouerat. Videbat tot gentium multitudinem, in obsequio concordem non futuram: atque si in Illyrico & Thracia diutius permansisset, fame tantùm esse peritură. Quare inter reges treis facilè discordiam serere, muneribus pollicitationibusque diuertere, aliquem in societatem allicere, hostium consilia interuertere se posse confidebat: ne minorem quidem spem in prouinciarum inopia collocabat. Quod dum intenderet Imperator, hinc prælium contrahere, hinc subtrahere commeatus, tentare regum animos, dissensionum semina serere, curare concordiæ societatisq; solutionē, nutantes quosdam subducere, aliqui etiam eius verbis credere. Contrà Atila, astu prępotens, Imperatoris Martiani consilium præuenire, properare pugnam, in sterili solo

solo morari, commeatus vndiq; cogere, in vberrimas regiones & oppida se recipere, scuetissimè suis imperare, regum societatē largitionibus & officio confirmare, milites in obsequio quauis arte retinere. Quinetiam Budam fratrem; cui gubernationem Scythiæ, ædificādamq; vrbem in Danubij ripa, Sicambriæque ruinis, Budam deinde dictam, delegarat, dolo captum interfecit. Vngarorum annales post cladem Catalonicam interfectum tradunt, quoniam quum post subactam Mysiam, Thraciam & Macedoniā, quum ex Gallia Atila Sicambriam rediisset, fratremq; inuenisset, Sicambriam, quam muro cinxerat, non Atilæ, sed suo nomine, contra mandata Budā nominasse, eum dolo captum, propria manu, præ nimia ira obtruncasse prodiderunt. Diuersas alij fraternæ mortis causas referunt, aut quòd mitioris ingenij vir formidolosas expeditiones inhiberet, aut quia cum eo sæpe contenderet, & liberiùs argueret, quòd Gepidarum & Ostrogotharum reges in societatem adscitos pro subditis ille tractaret; aut quia cum Scythis se immitiùs ageret. Iordanis, quum nulla regni societas firma sit, vt solus regnaret, insidiis fratrem intercepisse scribit. Hæc Theodosio & Albino consulibus gesta sunt. Quare Atila postquàm Illyricum, Macedoniam, Thraciam & Mysias passim igni ferroq; vastauerat, præclusumq; ad Constantinopolim aditum, Martiani copiis intellexerat, in Pannonias Sicambriam se recepit: quumq; è fraterna cæde, non plus inuidiæ quàm terroris vbiq; conflauerat, & dissimulata pœnitentia ductus, se in concione purgare constituit: Quàm misera sit conditio & sors ipsa regnantium, exemplo meo discite proceres: qui vt iustitiam & æquitatem, ac mandatorum obseruantiam edocerem; atque simul ostenderem, quo studio edicta & imperata præstari debeant, fraterno heu sanguine me id experiri prius oportuit. Fratrem vnicum, quem mihi consortem imperij feceram, vt interficerem me necessitas adegit, Romuli (vt aiunt) necessitate adductum, qui legum mandatorumq; contemptum, fraterno quàm alieno supplicio vlcisci maluit. Non enim ignorabat vir ille diuinus, qui è pastoribus ouium, reges gentium facturus erat, nullum benè imperium & regi & amplificari posse, nisi omnes legibus ac regi parère didicissent. Quòd si leges & edicta pro irritis habeantur, omnia protinus misceri videris & ire perditum. Iusticia nanque sola, non modò res publicas & imperia, sed societatem omnem munit, & seruat. Quinetiam facinorosissimam quanquc multitudinem, velut in latronibus videmus, qui partam æquè prædam partiuntur, æquitas ipsa ne solui quidem facilè patitur. Hac potissimùm magistra, maiores nostri Barbaro genere nati, ita imperium auxerunt, auctumq; seruarunt, vt sui posteri iam vniuerso orbi leges dare confidant. Proinde meo sanguine non peperci, ne exemplo meo facinorosorum audaciam confirmarē: quibus tanto studiosiùs cauendum est, ne vel minima errata committant, quanto seueriùs in seipsam animaduertendi iusticia regia sumpsit initium. Hæc quoq; patrauimus, ne sacrosanctæ iusticiæ numē perniciosa quadā indulgentia incestaremus. Qui gubernationi salutiq; publicæ natus est, & in tanto fastigio, diuino numine collocatus, nulla priuati affectus ratione, à publica vtilitate & æquitate diuerti debet. Immo quanto coniunctior est, qui errarit, tanto seueriùs in eum animaduertendum est. In prouincias populi Romani profecturus, non tam vt earum iniurias vlciscerer, sed Scythicum imperium propagarē, ad quod me natum, vt par est, semper existimo (me miserum) fratrem admonui in primis, vt regnum pacatum diligentissimè curaret, iustè sanctèq; gereret, nemini ius suum eripi pateretur: deinde vt Sicambriam, vrbē olim populi Romani, ex legione auxiliatrice conflatam eductamque è Sicambris, extremis Germaniæ populis, quandoquidem multas quondā Romani legiones, præsertimq; Germanas in Danubij ripa collocarant, in vrbeisq; redegerant, vt Barbaros transitu fluminis inhiberent, non modò instauraret, sed mœnibus longè amplioribus circumduceret, demumq; meo nomine appellaret. Quid fecit infelix? Immemor edicti, immemor mei, qui fraterna charitate, in Imperij societatem, neminem corriualem admittentis adsciueram, præ ambitione immodica, vt nomen ac dignitatem meam sensim

attenuaret, vt demum vnicus imperaret, regiam sedem, contempto mandato, à se Budam nominauit: læsæ maiestatis crimen, de eo tam bene meritæ, pro nihilo duxit. Quem regem creastis, quem Martis Herculisque patris numen esse iubebat, non solùm pessundare, sed delere sperauit. Quod quidem facinus vbi compertum habui, haud iniquo ex teste furorem cōcepi, nondum oblitus qua charitate ac fiducia, & quanto mentis ardore, traditā Scythicæ reipublicę summam acceperam, non tam mihi, quàm Imperio vestro insidias parari intelligebam. Ab omni semper expeditione, & ab ea vel maximè, quæ in Imperiū Romanum pararetur, me semper reuocare nitebatur. Romanos tabellarios sæpe cum literis intercepi, notis quibusdam obscuris exaratis, quibus hostes multa, & præsertim integrum Scytharum Imperium fratri pollicebantur, si à me ille deficeret, aut quauis arte me circumueniret, à bellóve inito reuocaret. Immodica fides si fallatur, immodica quoq; indignatione conficitur. Quid plura? Ne dux vobis natus, è medio tolleretur, ne Scythis Atila subriperetur, ne fidissimo propugnatore Scythia defraudaretur, ne Romanis domitandę Scythię occasio daretur, ne sacrosanctæ iusticiæ numen pollueretur, ne mea perniciosa negligentia, ac stolida charitate, facinorosorum audacia augeretur, fratrem compertis insidiis, contempto mandato, læsa maiestate regia, non quæsito lictore, non accito carnifice, ne respublica à meo sanguine læderetur, adortus interfeci. Fratre, quàm regno, quàm republica, quàm dignitate carere malui. Quòd si neque sanguini meo, neque vnico fratri, reipublicæ gratia me pepercisse videtis, quid in alios, qui scelerate quid commiserint, me facturum putatis? Pugnauit in pectore meo aliquantisper cum publica priuata charitas: publicæ tandem rationi priuatus cessit affectus, quod omnibus his qui præsunt, faciendum esse censeo, si optimè sibi & reipublicæ consultum iri velint. Tu autem frater infelix, mecum vsque regnasses, si pari mecum amore, & publica charitate certasses. Non te in regni consortium frater admiseram, vt te mox vita priuarē, quando tecum qui vnicus, idemque charissimus mihi fueras, dignitatem & vtranq; fortunam communicare volui. Non ea causa te tantùm euexeram, vt te subinde carerem, sed vt gubernandi labores cum honoribus pariter & triumphis tecum impartirer, vt mutuo quandoque alter alteri congratularemur. Plus tibi quàm mihi timere solebam, ego labores, ego pericula obibam, ego in prælia descendebam, vt tuam meæ vitæ anteferrem. Non fratris, sed vnici loco filij te habebā, si fortuna dedisset, vt immaturo fato interciperer, te regni hęredem, te mei nominis defensorem & vltorem cædis fore sperabam. O spes hominum fallaces, ô miseram mortalium cōditionem, & eorum præsertim, qui in aliquo fastigio siti sunt, quibus quāto fortuna maior, tanto editior miseriarū & periculorū cumulus accedit. Maluissem, si per vtilitatem nostræ reipublicæ licuisset, hostili manu occumbere, quàm fraterno sanguine fœdasse manus. Malim tamen præpotentis iusticiæ numen fraterna victima pro regni salute expiare, quàm commissa in rempublicam piacula præterire. Proinde edicta, leges, & mandata seruare, exemplo mei sanguinis discite, quæ sint ab his regi expendenda supplicia, qui eius imperia militiamque detrectarint, aut patria iura læserint, aut humanitatis officia violarint, quæ debetis obsequia præstare indulgentissimo supplicibus principi, & præsertim bene merentibus rectè fœliciterq; obtemperare, vt communi cum eo fortuna frui liceat, perfidiam, superbiam & infidelitatem, morte cautius euitate. Nihil existimate commodius, quàm in boni regis obsequio viuere, publicaque commoda priuatis (vt fecimus) anteferre. Quòd si feceritis, non tam Imperatore bono, quàm optimo milite, Scythicarum fortuna rerum gloriari poterit. Ego autē ne fraternos manes nobis iniquos habeamus, edico, vt quæ infelix nuncupauit, vota pręstemus: instauratā Sicambriam, Budam appellemus, pioq; funere ac lacte pariter & vino placare studeamus. Secundùm Atilæ orationē funus singulari pompa celebratum. Non tam Budæ fatum, quàm Atilæ fortuna dira deplorata, collachrymantem pariter & æstuantē omnes vltrò cōmiserantur, fratrē iure cæsum exclamāt. Ad hæc cōsolantur simul & hortantur,

tur, ne se casu fratris excruciet, né ve Scythicæ reipublicæ desit: regno consulăt, & vt institutum suæ gloriæ itet, Scythicamque fortunam prosequatur, exorăt. Paucis pòst diebus vbi se collegit, fraternisq; manibus iusta persoluit, ad bellum initum animum reuocauit, quod tot gentium imperio fretus facilè præstitit. Quinetiam nihil vsque adeo magnum & difficile veniebat in mĕtem, quod se effecturum esse non confideret, quum bella non minus arte, quàm viribus tractare soleret, nihilq; magis intenderet, quàm Romani imperij ruinam. Inita consilia prosequitur, Romanos & Visigothas, quos acerrimos hostes habebat, ne icto simul fœdere in Vnnos cõiurarent, eo vsque quietos dimittere statuit, quousque eorum intima penetraret, omnemque his coeundi potestatem eripetet. Quod vt assequeretur, Ecium Mysio genere natum, sibiq; amicissimum tentauit, cum quo Ioannis tyranni temporibus de transitu in Italiam olim fœdus iniuerat. Multa pro instaurando Imperio Romano pollicetur, vt sibi Visigothas, quos seruos suos & profugas appellare solebat, Romano fœdere punire liceret. Contra verò cum Theodorico Visigotharum rege, qui Valiæ regi successerat, clam agebat, vt cum Vnnis, Gepidis, Ostrogothisq; consanguineis, Occidentis Imperium tutò tetinere, quàm cum perfido superboq; Romano hoste periclitari mallet: acceptas ad hæc clades, & impendens à Romanis excidium, qui iniurias cumulatissimè vlcisci solent, commemorabat. Confirmabat in hoc eius perfidiam Gensericus Vandalorum rex, quippe qui Visigothas hostes formidans, vt Iordanis ait, multis largitionibus Atilam in eorum bella præcipitabat. Nam quum Theodorici filiam vitrico filio coniugasset, eiq; ob veneficij suspicionem, patri in Gallias remisisset, haud sibi parum à Visigothis timere cogebatur, quare Atilam aduersus Theodoricum magnis muneribus die noctuque irritare contendit. Atila dolorum artifex, quippe cui mos erat, hostem prius arte, quàm armis oppugnare, legatos ad Valentinianum misit, quibus Visigothas Romanis suspectos reddere conabatur. Eis hæc mandata dedit: sibi cum Romano Imperio nihil esse, quo bellum aliquod vtrinque moliri oporteat, immo se Romanos obseruasse, & eorum societatem nunquam contempsisse, sed cum Theodorico sibi rem esse, qui Visigothas Vnnorum seruos ac profugas in ditionem suam vindicauit, alienæ gentis imperium vsurpauit. Neque diutius se passurum Gothos sub alieno iure versari, quin etiam armis eos in pristinam conditionem asserturũ. Item polliceri se imperio Romano, in quouis bello auxilia magna daturum, si cum Theodorico ipsum æquo animo decertare patiantur. Perpetuum quoq; fœdus se cum Romano principe icturum, si Gothos, qui Italiam igni ferroq; vastarint, vrbi Romæ gentium reginæ perpetuam notam inussierint maiestatem imperij Romani, æterna sugillatione fœdarint, cumulatissimas sibi pœnas expendere permiserint. Ad Theodoricum contrà scribit admonẽs, vt Romanã fugiat societatem, qua nil sibi (vt suprà diximus) perniciosius esse potest. Intellexerat eius insidias Valentinianus, ad Theodoricumq; scripserat, haud aliter Atilæ resistendũ, ac orbis perniciosissimo tyrãno, cui tantum inesset audaciæ, vt totius orbis Imperium, tanquam sibi vni debitum, asserere niteretur, neq; belli causas quærere, neq; iustè id indicere solitum: id duntaxat putare legitimum, quod sæua libido iussierit: eum communẽ omnium inimicum, communia quoq; ab omnibus odia mereri. Proinde oportere Visigothas Romanæ reipublicæ adiumento esse, cuius ne mediocrẽ quidem partem possiderent, præcauere dolos Atilę vnaq; cum Romanis in eum cõiurare: quod ni fecerint, perbreui communem vtriusq; ruinam adfuturã. Ad hæc Theodoricus, coercendam esse Vnnorum audaciam, neq; animos neq; vires his deficere oporte re, qui iustè pugnare coguntur. Neque bellum graue futurum, quod iniquitate causæ labefactatur. Deum iustas in bello fouere partes, proinde se nunquam Romanis, vt par est, neque regno suo defuturum. Ecium artem Atilæ non ignorasse, exitus ostendit: quando Theodoricum literis admonet, quid fieri opus sit, & quot & quanti insint Barbaro doli qui nisi pari arte eludantur, his omnino cedere oporteret. Rẽpublicam Occidẽtalem Valentiniani

Romæ imperantis auctoritate gerebat Ecius, vir bellicosissimus semper habitus, & hostibus admodum formidolosus. Gallias pariter cum Hispaniis gubernabat, neque sibi prudentia & fortitudo deerat, quando pari cum Barbaris astu certare poterat. Neque Vnnorum hunc artes viresq; latebant, quippe qui olim deposita potestate, quum in agro degeret, ibiq; quum inimicus quidam repentino eum incursu opprimere tentasset, profugus ad vrbem, atque mox in Dalmatiam & Pannoniam confugisset, ad Vnnos demum peruenit, quorum amicitia opeq; vsus, principum gratiam, interpellatamq; potestatem recuperauit. Quare haud inscius, cum quanto et quàm feroci hoste res sibi foret, Theodoricum, exercitum quemcunque potest, comparare monet, proceres adhibet, quando non tam de dignitate, quam salute cõmuni ageretur, & qua cum gente bellum gerendum sit, edocet. Theodoricus iam à Valentiniano ac Ecio edoctus, quid fieri oporteret, neque fraudulentum Atilæ ingenium ignorans, omne studium ac diligentiam in comparandum exercitum intendit. Sex ei filii erant. Fridericum, Henricum, Hunnericũ domi relinquit, vt regno præsint, ius dicāt populis, cæteraque disponant. Thorismundum & Theodoricum, maiores natu, secum commilitare iubet. Gothos vndique cogit, multas legiones instituit, totam Galliam Narbonensem Tarraconensemq; Hispaniam, nomina dare iubet. Omnes ferè arma sumere cogit, siquidem ingentes et innumerabiles Vnnorum copias esse arbitrabatur. Et eo maiorem exercitum Atilam comparare nouerat, quo potentioribus cum hostibus sibi rem esse intelligebat. Neque seruis quidem, neque agricolis omnino parcendum esse reputauit. Duo filij Imperatoris pariter & militis officia præstare, turmas cohortesque conscribere, arma, munitiones & tormenta parare, certatim ac solicitè curare omnia, patri animum augere, populorum animos ad gloriosum bellum hortari. Contrà tam generosa prole pater gloriari, maiorum exempla his referre, quibus iuuenilia pectora succenderet: quanta Gothorum gesta fuerint, & progenitorum robora ritè recēsere, neq; quicquam duxisse turpius, quàm mortem, hostémve timere, nihil reformidare præter turpem vitam. Quare tanta Gothorum manus breui tempore coacta est: vt eum magno quouis exercitu tutò certare posset. Ne minore quidem studio & celeritate in Italia Valẽtinianus, & Ecius in Gallia vtebatur. Imperator delectum habuit, sponte omnes nomina deferebant, ne ab Vnnis, ea quæ à Gothis olim acceperant, pati cogerentur. Scythicum in Gothis furorem experti, eo magis timere cogebantur, quin etiam si licuisset, sponte sua matronæ nomina detulissent. Augebat metum Atilæ rumor non modò quòd Mysias, Thracias, Illyricum & Achaiam immani quadam & inaudita crudelitate vastasset, sed quia Theodosio & Albino consule fratrem vnicum, consortem regni temerè suis manibus interemisset. Quamuis liberalem audirent, humani tamen sanguinis auidissimum intelligebant. Auxerat Italiæ Galliæq; tumultum, cum ingenti animorum cõsternatione, ficta de Vnnis fama, quòd humano sanguine, vtpote qui Scythæ sunt, ferino more vescerentur: quòd hostium capita ad equorum pectora suspenderent, quòd eorum caluariis pro gemmatis poculis vterentur, qui Marti Herculiq; patri mactarent hospites: qui patres senes interficerent, interfectosq; auidissimè ac solenniter deuorarent. Addebant plerique feritati, qui equino sanguine viuerent, alienigenas nullos amarent omnis prorsus expertes humanitatis. Ne minus quidem orthodoxæ fidei Christi optimi maximi timere cogebantur, quippe Atilam intelligebant, nulla veri numinis religione teneri: quinetiam nihil dira crudelitate putare religiosius, nullamque humana victima præstantiorem existimare: nihil aliud quærere, quàm humani generis seruitutem, ac interitum Imperij Romani. Italorum multi qui diẽ suum incruenta morte obiissent, eos fœlices existimabant, quippe quos tanquam diuina quadam benignitate, ex hac miserrima vita ereptos reputabant. Alij contrà, priscorum temporum non ignari, Barbararumq; memores iniuriarũ, & animo longè fortiore muniti, hos beatos prædicabant, qui his temporibus nati essent, quibus Scythicam immanitatem vlcisci liceret, pro

animi-

animi conditione quisque loquebatur. Eò tandem res Itala cum Gallica redacta fuerat, vt pars magna necessitate, sponte cæteri forteis animos pręstare viderentur. Accedebant prodigia & horrenda signa, quæ publicum metum augebant. Procera deorum simulachra non solùm noctu, sed interdiu visa, quæ sibi pro se quenque præcauere iuberent: sanguineæ è cœlo guttæ defluxere, bicipites infantes editi, sacra tecta in plerisque locis de cœlo tacta. Vox nocte audita sæpe, Caue tibi Italia: dij quoq; è puluinaribus auditi. Multi solo metu occubuere, quia neque focis neque aris Atilam parcere ferebatur. Inter hæc Valentinianus eo audacius omnia agere, habere delectum, legiones & auxilia vndiq; cogere, & nihil studij ac diligentiæ prætermittere: ardentius omnia Ecius sollicitare, percusso cum Theodorico fœdere, Romanas ex Italia legiones educere, ad omneis populi Romani prouincias legatos continuò mittere, qui auxilia validissima petant, vniuersam Galliam Germaniamq; vexare. Legatorum opera Burgundiones, Saxones, Riparioli, Lambriones, Romani quondam milites: item Meroneus rex Francorum, qui Clodioni patri in regno successerat: Sarmatæ, Luteciani & Armaciani, vnà cum Gothis & Romanis contra Vnnos coniurarunt. Innumera profectò fuit auxiliarium copiarum multitudo, quę ad Ecium & Theodoricum in Gallias conuenerat, quare exanimata sociorum pectora, haud parum instaurata sunt. Qui salutem paulo antè desperabant, nunc vltrò præpotenti hosti occurrere cupiunt. Ducibus nimium confidebant, qui viribus, astu, prudentia, ac rerum experientia præpollerent. Addebat animos Ecij fortuna, cum non mediocri sapientia coniuncta, quæ in re potissimùm militari suum exercet imperiũ. Theodoricus & Ecius, qui tot copias ductare cogebatur, vt vtriusque gentis seruaret imperiũ, nil Atilæ congressu auidius optabat, nec quicquam reputabat antiquius. Ante hostis aduẽtum, in diuersis locis statiua habuit, commeatus vndique aduehi mandauit: per varia oppida disposuit annonam, ne qua fortè rerum inopia, militum immensa multitudo laboraret: omnia quæ bello sunt vsui, prius ita prouiderat, vt nihil deesse videretur: præsidia per ciuitates vbique disposita, itinera quacunque poterant, vbiq; præclusa, impositaq; præsidia. Quæ quidem omnia quum per exploratores varios ad Atilæ aures peruenissent, suæ quandoque audaciæ pœnitentia subiit, illudq; magis ac magis indoluit, quòd neque multùm suas arteis aduersus Romanos proficere, quinetiam illis patefactas esse, ac pari dolo eludi intelligeret. Dum inter Gothos & Romanos discordias serere studebat, & inter serendum in horum intima penetrari sperabat, deprehensas eius insidias aduertit: dum aliis dare verba conabatur, accepisse potius quàm dedisse visus est. Nam dum ista molitur, hosteis potius tacitò admonuisse, vt bello se accingerent, quàm fefellisse videbatur. Quinetiam si id honestè facere potuisset, bellum potius detrectasset, quàm his hosteis artibus irritasset, sed ne à magnanimitate sua deficere videretur, ad apertum bellum animum intendit.

RERVM VNGARICARVM DECADIS PRIMÆ LIBER IIII.

QVVM maximis Atilæ animus fluctuat inceptis, qui Sicambriam se receperat, omnium ibi procerum conuentum edixit, vt de futura expeditione decerneret: conuenere vndique principes, in primisq; Thetricus Veronensis acerrimus olim Vnnorum hostis, quem Atila non sine maxima liberalitate ac officio sibi conciliarat, familiarissimumque reddiderat. Hunc quoque frequentissimi Germanorum proceres sequuti sunt, vt in Scythicam sese beneuolentiam pariter insinuarẽt, qui quum Sicambriam præter opinionem regis venissent, gratissimo omnes hospitio admissi, ac vultu quoque regio multo gratiore excepti sunt. Thetricus igitur regali beneficentia victus, & inconstantis ingenij compos, quum in Romani belli sermonem

ex dedita industria incidisset, nimiúq; studeret assentatione placere nutantem aliquandiu regis animum confirmauit. Occiduas enim Imperii Romani prouincias inuadendas esse suadebat, quando præsidiis legionibusq; carerent, & triumphorũ materiam non mediocrem afferrent. His verbis Atila admodum confirmatus, neq; inscius, quos hostes habiturus esset, quàm ingentissimas potuit, copias comparauit. Nõ solùm per vniuersam Scythiam delectum habuit, verumetiam auxiliares quascunque potuit copias, vndiq; contraxit. Cui se socios pariter addiderunt, Ardericus Gepidarum rex, item Valemir, Theodemir Vindemirq; fratres, qui Ostrogothis imperabant. Accessere quoque Marcomanni, Sueui, Quadi, Eruli & Turingi, pari spe prædæ ducti. Quos quidem quingenta circiter armatorum milia fuisse ferunt. Ad hęc summam carrorum multitudinem, ac cætera, quæ bello sunt vsui, comparauit. Nam & plaustris castra pro vallo munire, & in prælio pręsertim, ad circumueniendos hostes, Vnni Scytharum more vti solẽt. Sed antequam è Pannoniis moueret, ne ab arte sua deficeret, impetrandam ab vtroque hoste clàm pacem tentauit, vt dum cum altero pugnaret, ab altero tutus esse videretur, quare facilius victoriam speraret. Quod vbi obstinatis animis denegatum iri intellexit, Illyricum totum diripit, & incendit. Mox Germaniam tanto furore aggreditur, vt vicos passim & oppida cõcremaret, omnes cæderet, sacra & prophana æquè dirueret, nec ætati nec sexui vsquam parceret: omnia cædibus, rapinis & vlulatibus complebantur, facilem ex immani sæuitia victoriam se consequuturum esse confidebat. Magnæ Germaniæ tantùm pepercit, quia Marcomanni, Quadi & Sueui, quos cum Atila commilitare diximus, è Rhœtorum, Vindelicorum, superiorisq; Pannoniæ conspectu vlteriorem Danubij plagam habitabant. Superato tandem Adulæ montis iugo, in Heluetios vbi descendit, pari crudelitate grassatur. Quicquid intra Rhodanum Rhenũq; interiacet, passim diripit. Inundantis Nili more, in superiorem inferioremq; Pannoniam, quæ cis Rhenum in Oceanum vsque protenditur, ac demùm in Galliam Belgicam cum exercitu effunditur, incursat, miscet, ac turbat omnia. Constantiam vrbem munitissimam obsidet, oppugnatque. Sigismundum, eius regionis principem cum magna manu occurrentem fundit, fugatq;. Qui vbi mox Basileam vrbem suam ab hoste obsidendam esse intelligit, suæ ac regni consuluit vtilitati, pacem per legatos ab Atila impetrat: pollicitus sub eius ductu & auspiciis stipendia se facturum, & grata semper obsequia præstiturum. Succedentem fortunam Atila nequaquam remoratur, sed vltrò progrediens Argentuariam, quam nunc Argentinam dicunt, acri obsidione circumuenit: quæ etsi nullo munitionis genere careret, ita tamen diu noctuq; admotis vndique machinis quassauit, vt vrbe breui tempore potiretur, præda ingens hinc abacta, & non mediocris patrata cædes. Tantus itaque pauor Gallos incesserat, vt cuncta seditionem oppida sponte facerent: sed parũ quandoque deditione profecerant, quãdo per eam à vita parùm, à direptione se minimè redimebant. Direptam Argentinam, dirutis mœnibus Polyodopolim† edixit appellari, quasi multis viis accessibilẽ: ac edicto addidit, indicta capitali mulcta, in victoriæ suæ monumentum, ne qua ex parte quassa mœnia resarcirentur. In Rhemenses castra deinde mota, quos quum opulentissimos accepisset, pari furore oppugnare cœpit. Quum oppidani aliquantisper obstinatè resisterent, dum variis sententiis distrahuntur, & dum de facienda deditione cogitarent, & ea quidem conditione, vt dimissis fortunis salui ac incolumes abirent, tanta vi expugnationem adoritur, vt nusquam sit cessatum, donec Vnni vrbe potiti, cuncta diriperẽt. Tanta in oppidanos commissa sedes, vt nulli ferè euaserint, nulla templorum, nulla ætatis ac sexus habita ratio, religio & pietas, cum humanitate videbatur extincta. Nicasius enim Vrbis pontifex maximus, nimia sanctitate clarus, ac senio grauis, & fortissimus Christianæ fidei assertor, regio iussu in foro obtruncatur. Omnibus aris iniectus ignis, multiq; sacerdotes, matronæ ac virgines quæ in sacras ædes vt vitam apud deorum simulachra tuerentur, sanè cõfugerant, apud aras cęsæ sunt. Sed quando de Ni-

Strasburg.

casio

casio viro sanctissimo, iam mentio fieri cœpit, ne quid in occasione piaculi cõmittatur, aliqua referemus. Paulo antè tempore, quàm in Gallias Vnni penetrarint, præter ea quæ dicta sunt, multa, vt Annales referunt, signa apparuere, quæ diram temporum leuitatem portenderent. Assidui in primis terræ motus, varia cœlum prodigia edidit. Sub aquilone per noctem ignis perpetuus in æthræ speciem videbatur, & in eo lineæ hastarum simulachra referentes, crebra lunæ obscuratio & defectus, etiã cometes. Quę quidem omnia ingentem Galliæ ruinam minabantur: & hæc Nicasius sæpe prædixerat, & Amanus Aurelien sis episcopus, qui vt diuinam deprecarentur iram, assidua cõcione Gallos ad re-
10 sipiscentiam, ac veram religionẽ hortabantur. Rhemenses ab Vnnis obsessi Nicasium consulunt, vtrum potius agẽdum, an Vnnis facienda deditio, an pro salute vrbis fortissimè dimicandum. Ad hæc Nicasius, Vrbem (inquit) quando à Gallis diuina iusticia pœnas exactura est, nullis profectò viribus propugnari posse, diuino Rhemensibus numine Barbaricum exitium imminere: neque tamen omni ex parte populo esse desperandum, sed morti sponte occurrendum, vt supplicio corporum, lætam immortalitatem animorum consequantur. Proinde se pastorem pro suis primum ouibus vltrò moriturum, quinetiam non secus pro hostium ac amicorum salute, omnibus orandum, diuinamque misericordiam præ mortis patientia implorandam. Eutropia quoque soror, ne mino-
20 re quidem vehemẽtia, sublatis in cœlum manibus, populum ad pulcherrimam ac salutarem mortem elatã voce suscitabat. Non minus auctoritate pontificis, quàm virginis exemplo ad martyrium succendebantur omnes, conceptus hinc pudor & religio multitudinis animos confirmabat. Soluta concione, populum ad implorandam deorum opem, in basilicam diuæ Virgini dicatam ducit. Effractis portis, & irrumpente hostili agmine, Nicasius cum sorore stans pro templo, forti animo infestam cohortem expectat, & appropinquanti his verbis occurrit, elatáque manu silentium indicit: Quando diuino nutui maxima quæque potestas obtemperat, cur victoriam (inquit) in dignitatis nostrę rabiem con uertitis? Si nobilium bellatorum est titulus, Parcere supplicibus, & debellare
30 superbos, cur in Christianam prolem, suo Deo humilem, vobis non modò supplicem, ad pedesq́; procidẽtem, sed imperio vestro pariturain, & nunc veniam implorantem, tam atroci vultu, & infestis armis sæuire contenditis? Vos etiam homines esse mementote, verum Deum agnoscite, fandi nefandive non immemorem. Nolite humana cæde & immani crudelitate diuinam in vos iram prouocare: ne saluti vestri potius insidias tetendisse, quàm excidium nostrum anhelasse videamini. Quòd si oues meas omnino trucidare pergitis, me cum germana primùm obtruncate, hanc pro populi salute primam Deo victimam mactate: at si cæteris parcere nolueritis, multo plus veræ salutis, quàm excidij vos Christianis allaturos esse scitote. Talia iactantem immanis turba obtrun-
40 carunt, abscissum subinde caput aliquantisper diuina verba retulit, illudque in primis, Viuifica me secundum verbum tuum, Domine. Eutropia quum in ipsam Barbaros sæuitiam remisisse cõspiceret, verita ne ad stupra fœda reseruaretur, in fratris interfectorem, infestis vnguibus insiliit. Sanctum fratrem (exclamans) magno scelere obtruncasti, sororemq́; tibi seruas abutendam: iamiam diuina te sententia damnatum teneo, moxq́; manibus oculos eruit, qua quidem indignitate, confestim ab aliis interficitur. Cæteri deinde ad vnum omnes cæsi, tantumq́; sanguinis effusum, vt siccis vrbs pedibus lustrari non posset. Horrenda deinde monstra subsequuta. Cœlestium numinum acies, quasi dimicantes per vrbem discurrere videbantur: voces in templis, & planctus auditi: insani per
50 noctem visi lemures, horrendique apud aras sonitus. Quare tantus hosti terror incessit, vt vrbem deseruerit. Ciuium cadauera, quæ passim strata iacebant, ab omni corruptione immunia, diuino quodam miraculo seruata, miro demum odore fragrabant. In destituta vrbe lumina nocte multa videbantur, suauissimi cantus audiebantur. Quare paucissimi, qui è tanta cæde superfuerant, diuino iussu in patriam se receperant, sancta corpora incorrupta & redolentia in-

uenerunt, stupore magno correpti ritè humi recondunt. In primisq; pontificis truncum nobili sepultura donāt, Eutropiam virginem propè sepeliunt. Mortuorum fortunæ inuident, & gratulantur. Quisque suorum corpora disquirebat, inuentaque sine tabe & fœtore, non tam lachrymis, quàm religiosis ac lætis osculis amplexabātur. Ciuitatis reliquias cogūt, quia multi præ nimio metu ante obsidionem procul aufugerant. Vrbem instaurant, Nicasium & Eutropiā, ob miraculorum multitudinem inter deos referunt, arasq; pientissimè dicant, patriosq; deos appellant. Sed de Nicasio hactenus. Nōdum Vnnorum furor Rhemensi excidio expleri poterat, sed fortunæ dexteritate debacchatur indies. Aurelianam vrbem opulentissimam, ab Aureliano Imperatore nominatam, Atila obsidere statuit. Quo quum castra mouisset, traiecto Sequana fluuio, qui Belgicam à Lugdunensi Gallia separat, & contra Britāniam ad Rothomagum vrbem, in Oceanum mare demergitur, tanta vi oppugnationem adoritur, vt nimagis anhelare videretur. hāc vetustam Cenomannorum vrbem fuisse volunt, non minus opibus, quàm munitione populoque præstantem. Quamuis arctissima circumuenit obsidione, & admotis machinis grauiter oppugnat, parum tamen profuit: nam oppidani, neque deditione, neque muneribus, neque conditione aliqua hostilem sæuitiam sedare posse sperabant. Confirmabant opinionem, finitimorum exempla. Nam non solùm forum Tiberij, Constantiam, Heluetios & Rhemenses: sed Parrhisios, Sequanæ accolas, multaq; oppida & pagos pari fœditate diripuit. Vna obfirmaris spes erat animis, aut fortissimè resistendo se tueri, & longa Barbaros obsidione defatigare: aut si aliter acciderit, pulcherrimè mori, vt iacturacorporum animos à morte redimerent. Dum Atila per Galliam Belgicam & Lugdunensem, veluti lupi more inter armenta grassatur, Ecius patricius Romanas copias cum Visigothis per Narbonensem Galliam coniungit, in Tholosanumq; agrum, vbi Theodoricus residebat, cum exercitu se recepit: ab vniuersis sociis populi Romani auxilia contrahit, vt confidentius cum hoste manus conserat. Quod vbi nouit Atila, ancipiti cōsilio vexabatur, an vltrà tenderet, & cum hostibus congrederetur: quod Alanorum, Sarmatarum, Saxonum & Visigotharum trophæa, quos Vnni sæpe vicerant, stipendiariosq; fecerant, planè suadebant: an verò explorata Ecii virtute, experientia & fortuna bellica pugnam detrectaret, quod Vnni bello nonnunquam antea ab Ecio fusi & fugati fuerant. Spe tandem victoriæ ductus, qua nimium æstuabat, relicta Aurelianorum obsidione, vt hostem audacia vinceret, mox Lugdunum, deinde in Narbonensem Galliam contendit. Alii profectò scriptores rem aliter rradiderunt, & sub aliis Imperatoribus gestam prodidere. Anianum Aurelianensem episcopum, virum profectò omnium iudicio sanctissimum olim habitum, liberatorem Aurelianę vrbis fuisse aiunt. hic multa antehac sanctitate sua, miracula edidit. Nam quum vrbem designatus pontifex aditutus esset, Agrippinum magistrum equitum admonuit, & orauit, vt solennem sui aditus diem damnatorū impunitate, & coniectorum in carcerem liberatione celebraret. Quod quum ille abnuere pergeret, demissus è cœlo lapis in caput decidit: relatus in cubiculum, dum sanguinis profluuio mors immineret, visitantem virum admisit, à quo imposita continuò manu liberatus est: sanctoq; prodigio correptus, omnes miserabiles, extremo iudicio mulctandos impunitate donauit. Anianum igitur arctissima vrbis obsidio huc adegit, vt pro salute ciuitatis omnia cogeretur experiri, in primisque diuinam opem, qua nullum maius præsidium optari potest: quare solennes supplicationes celebrari, ipse cum vniuerso sacerdotum collegio vrbem lustrare, sacra corpora per alta murorum ambulacra circumferre, sacra carmina concinere: Iesu Christi optimi maximi, ac mortalium liberatoris auxilium implorare. Cui dum sacerdos quidam ab hostibus captus per contumeliam illusisset, dicens, Quod nunc facis, nos quoque incassum id omne fecisse, ipsumque Deum nunc fidelium immemorem esse factum, præsentanea continuò morte correptus interiit. Redintegrato prælio, admotis vndique vrbi tormentis, populus ad aras vniuersus confugit.

fugit: Pontifex eum Deo tantùm confidere iubet, mox Deum exoraturus mœnia conscendit: & vbi dextrum sibi numen adesse sensit, in Barbaros expuit. Emisso oris excremento, tam profusi mox imbres continuò defluxere, vt quatridui spatio nemo hostium, pugnandi causa, vestigio pedem mouere posset: diluuio castra obrui videbantur, ingenti tempestate & vi ventorum tentoria multa extirpata sunt. Scytharum multi torrentibus tracti, de cœlo quoque plerique tacti. Desidente vi nimborum, Anianus ex vrbe prodiit, vt Atilæ sedaret animum, & plebis suæ liberationem imploraret. In cuius conspectu vbi se constituit pater, tiara & pontificio habitu venerandus, Cur Atila Christianum (inquit) populum tam fera crudelitate persequeris, cur humano sanguine non expleris? Si diuino quodam numine flagellum Dei factus es, in facinorosorum & prophanorum supplicia tuam conuerte ferociam. Resipiscentibus, & vera pœnitentia ductis, ac humillimè supplicantibus, diuino exemplo ignoscendum est Atila, quando cor contritum et humiliatum Deus non aspernit. Collige quandoque te ipsum, & sacerdotis huiusce vera prędicantis (quum principum limina veritas nunquam adeat) intentius accipe. Memento te natum esse hominem, & te ab humanitate destitutum esse non oportere, cum impiis bonum exitum sperare non liceat. Et si Vnnus Scytha es, Scytharum tamen plerique sunt populi, quibus suapte natura est religio ingenita: & iure basilici, veluti reges appellantur. Quam sortitus es potestatem, te à Deo potentissimo, à quo omnis (mihi crede) potestas delegatur, accepisse reputa. Impiorum, & non fidelium ac innocentum te flagellum & supplicium Deus esse iussit. Recognosce potestatem diuinitus tibi traditam, quâ si abuti perrexeris, haud difficulter amittes. Iusticia & pietas, regnorũ fundamenta iaciunt, at vbi hęc duo sacra regum numina explosa recesserint, nullum ita munitum est imperium, quod extemplo non corruat. Misericordiam tuam imploraturi, rex maximè venimus, pacemque cum venia postulamus. Si ius diuina voluntate, et humana culpa, in armis situm est, non iniqua petimus. Non conquerimur, quòd ab his oppugnamur, quos non modò non læsimus, verumetiam nunquam nouimus. Neque iniustam oppugnationẽ, quando ita numina patiuntur, incusamus, sed vt deditionem & imperata facturos clementer accipias, vehementer oramus. Nil aliud petimus, nisi vt hunc populum regno tuo non indecorem, vrbe fortunisq; suis donare digneris, qui non aliena, sed sua postulat: non tuum detrimentum, sed tui obsequium implorat, incolumitatem liberorum, pudicitiam matronarum & fortunarum conseruationem exposcit, pacem ac veniam exclamat, patriæ excidium deprecatur, & in tuo seruitio, si postulata concesseris, se perpetuò victurum, & gratissima semper obsequia præstiturum pollicetur. Proinde Aurelianos pace ac venia dona, tutos & incolumes esse iube, solue obsidionem iniustam, anhelatã rapinam inhibe, & castra hinc amoueri continuò impera. Quod per Iesu Christi optimi maximi & liberatoris nostri passionem, iterum iterumq; supplicamus. Quod ni feceris, hunc sub diuina tutela populum esse scito, neque diuinum iudicium, quod tibi imminet, te euasurum existimato. Ad hæc Atila crudelitati suæ nimis obnoxius, qui sacris precibus aures obstruxerat, & ad Christi mentionem excanduerat, eum confestim abire iubet, & ni citò abierit, mortem interminatur. Anianus re infecta in vrbem rediit, desperatum populum adhuc bene sperare iubet, ad diuinum auxilium hortatur. Ipse clàm diuina ope fretus vrbe egreditur, ac nemini visus, per media hostium castra, ad Ecium iter facit, haud procul hinc cum Thorismundo, Theodorici filio castrametantem, imminentis admonet necessitatis, eumque cum Romano Gothicoque exercitu opem properare attestatur. Ecius re cognita, cum copiis aduolat: Vnnos incautos, & nil sibi timentes in castris aggreditur: excitato tumultu, pars arma capere, fuga salutem plerique quærere: munitissimas stationes alij occupare, misceri ac turbari omnia. Interea qui pro vallo pugnarunt, occubuere multi, saucij fuere alij: qui è castris aufugerãt, vt in proximis syluis delitescerẽt, omnes ferè cæsi. Ex his multi in Ligeris fluenta, qui è Cemenis montibus non procul

ab Aluernis oritur, & Lugdunensem à Celtica & Aquitania Galliam disterminans, in Oceanum longè dilabitur, se proiiciunt. Oppidani resumptis animis ex vrbe prodeunt, ac cædem augent, quod vbi rex Atila vidit, collectis copiis obsidionem soluit, in proximum montem se recepit cogitans, non cum oppidanis, sed hostibus, instructa acie esse confligendum. In hoc Anianus prælio ex Vnnis multos planè seruauit, quos coram se cædi ægrè ferebat, sacrisque precibus à Romanis & Gothis redimebat. Aureliani pontificia virtute liberati, Deo gratias agunt, apud omnes aras sacra faciũt, modulatos hymnos Deo concinunt, religionem augent, mutatis moribus pietatẽ colunt, liberatorem vrbis Iesum Christum longè religiosius adorant, hunc vnicum & verum Deum exclamant. Eo anno tanta frumenti copia exuberauit, vt non solùm periculo hostili, sed fame vrbem mirè Deus liberasse videretur. Anianum paucis pòst annis vita defunctum, de populo suo optimè meritum, inter Deos referunt, eiq; anniuersale sacrum piè concelebrant. Plerique scriptores Atilam idcirco Aurelianam obsidionem dimisisse produnt, quòd Ecium, quem pro spectata virtute, & gestarum rerum gloria nimium verebatur, in Narbonensem Galliam cum magno exercitu venisse, castraque cum Gothis haud procul à Tholosa coniunxisse nouerat. Iordanis ab his longè dissentit, Singibanum Alanorum regem, futurorum metu perterritum, Aurelianã Lugdunensis Galliç ciuitatem vltrò Atilæ traditurum fuisse pollicitum: etiam & Theodericum, Gothorum regem, re intellecta, Aurelianum diruisse ac Singibanum habuisse suspectum: eumq; ne à Romana societate deficeret, néve nocere posset, in medio inter auxiliares copias collocasse. Quod vbi ab Atila intellectũ est, ex alta eum spe continuò excidisse, videbat enim si Alanos à Gothis diuellere poterat, se cum hoste tutius congressurum. Vngarorum Annales longè dissentiunt, conflictumq; Catalonicum, & Aurelianam obsidionem Rhemẽsi anteponunt: Atilamq; antè Gallias ingressum, Constantiam, Luzonium, Byzantium, Chalonum, Masticonem, Lingonem, Burgundiam & Lugdunum antè Aurelianos & Rhemenses expugnasse. Vtrum potius asseramus, nondum satis compertum habemus. Sed Atilam, dimissa Aurelianorum obsidione, dum in Narbonensem Galliam aduersus Ecium Theodoricumq; contendit, Lugdunum tunc expugnasse credimus: vetustissimam quidem vrbem, ac intermediæ patris Galliæ metropolim, in eoq; colle sitam, vbi Arar amnis Rhodano commiscetur. Florente Imperio Romano, hæc quoque & opibus & viris mirificè claruit: emporium ibi celeberrimum habebatur, magno ciuitatis vsui accõmodatum: aurea argenteaq; moneta ibi cudebatur, ducesq; à Romanis designabantur. Templum quoque nobilissimum communi Gallorum impensa factum, Augustoq; Cęsari dicatum, quod stabat ante vrbem, vbi fluenta coeunt: in quo ara est dignitatis eximiæ, sexaginta gentium numero inscriptum titulum habens, & earum singularum vna statua, altera subinde ingens ara sita est. Segosianis omnib. Lugdunum præsidebat. Ad aram, poëtarum, cæterorumq; scriptorum certamina agebantur: vbi quicunque succubuisset, aut spongia delere scripta, aut in profluentem demergi cogebatur. Clarissimam igitur vrbem tanta rabie Atila circumuenit, bono præsidio spoliatam, vt intra paucos dies in deditionem acceperit. Mox præter Rhodanum festinatis itineribus, Allobroges Viennenses, Valentinianos, Setallinos, Auenionenses, Arelatensesq;, ac cæteros Rhodani accolas diripit, & infestat, pacemq; plerisque vænundedit. Dum per Narbonensem (vt aiunt) Galliam iter facit, è præruptis montibus eremita quidam, inculto habitu, demissa barba, & squalore multo admirandus adducitur, quem augurem præstantissimum, & diuinæ mentis esse conscium rumor erat. Benigno vultu in conspectum regis admissus rogatusq; perhumanè, vt regia fata retegeret: vbi cogitabundus aliquantisper constitit, Rudem (inquit) & ignarum ac syluarum accolam, rex maxime, diuinam cogis mentem interpretari, & ea quidem futurorum arcana referre quæ nemini, nisi cui diuina clementia planè retexerit, patere queunt. Quã me sapientia præditũ esse putas, quem terræ vermiculum vel præcipuè tacẽdo

videor

videor profiteri? Sed vt hinc ineffabilem Dei mei potestatem, quem ignoras, quemq; tanto tempore in perniciem tuam ipse prosequeris, nunc intelligas, eiusq; gratia futura nonnulla me prædicere posse scias, quamuis licentiùs, quam fortè deceat, verba facere videor, diuinam tamen sic mentem habeto: Præpotentissimus Atila Deus, qui tot gentium regit imperium, iracundię suę gladium tuæ dextræ tribuit, vt per te pariter ac Dei flagellum, vt per diram crudelitatem tuam mortalis impietas iustitiæ suæ numine puniretur. Traditum iracundiæ gladium, quum voluerit, is auferet, qui tradere potuit: vt imperare, aut bello omnia vincere, non humanæ, sed diuinæ potestatis esse intelligas. Tu contrà de-
10 legato munere abuteris, quando neque eum qui delegarit, neque munus gerere noueris. Plus quàm æquum & fas est, quandoque sæuis. Pios potius quàm impios rapis ad supplicium, nihil tamen proficis, quandoquidem illorum saluti & exitio tuo consulis. Nunc inexpleta rabie Romanos Gothosque insectaris, grauissimum cum his prælium conserturus, de quo sic habeto, In eo (mihi crede) Romanis eris inferior. Neque tuus delebitur exercitus, sed Vnnorum magna cædes augetur, vt quandoque resipiscas, & creatorem tuum agnoscas. Neque ante præstitutum à Deo tempus, Christianæ persequutionis gladius tua dextera excidet, neq; tuum hoc bello abrogabitur imperium. Proinde tibi resipisce, Deum omnipotentem time, iusticiam & pietatem cole. quod ni feceris,
20 præsentanea te morte periturum esse scito. Ad hæc Atila ingēti stupore percitus, virum solitudines incolentem amoueri, & sub custode ciuiliter teneri iubet. At vbi eremitam audiuit, consulendos pariter suos aruspices censuit, vt an collata vtrorumque responsa congruerent, demum experiretur. Eos extemplo acciri iubet, imperat victimas & sacra parari, dum pecorum exta cōsulunt, fibrasq; rimantur, & venas abrasis ossibus intuentur, infaustam Vnnorum pugnam hinc fore ariolantur. Nil quoque boni exta portendere, nisi primarium hostium ductorem futuro prælio interiturum, eiusq; interitum, Romanorum triumphum intercepturum. Respirauit ad hæc Atila, ratus hinc Ecii mortem, quem nimium formidabat, omnino monstrari, quam suorū salute chariorem
30 habendam esse arbitrabatur. Sat gentium ad supplemēta legionum sibi esse reputabat, si sapienti & fortunato hoste carere posset, nullam victoriam maiorem sibi fore rebatur. Ecij tantum mortem anhelabat, quam si sortiretur, nil vlterius verebatur, cętera è sententia successura putabat. Quare quū sibi diffisus, de vertendo sæpe pede cogitasset, nunc aucto animo, hostes qui in extremam Galliæ Narbonensis oram concesserant, vltrò insectandos esse decernit. Facto igitur agmine post Rhodanum, Aracinum amnem, deinde Orobium, Atacem, Ruscionemque traiicit, Tectosagesque extremos Narbonensis Galliæ populos inuadit, vbi campi Catalanici ad Illyrim fluuium patētissimi sunt. Haud hinc procul hostium castra aberant, fossa valloque munitissima, ne à barbaris facilè capi
40 possent, à Tolosa vrbe non remota, vbi Theodoricum Gothorum regem præsidere iam diximus. Potentissimi in campos Catalanicos pari vtrinque spe duces vltrò conuenere, vt de cōmuni salute imperióve decertarent. Qui quidem campi etiā Maurici dicti sunt, centum & quinquaginta milibus passuum in longitudinem effusi, in latitudinem verò centum. Innumerabilium area populorum, fuit pars illa terrarum. Ecium & Theodoricum postquam Atila cum innumerabili exercitu & validissimis auxiliis aduenisse vidit, haud parum indoluit: quod aduersus Soltanum, Mirmanon appellatum, & Maurorum regem, qui Lusitaniam in Hispania occuparat, tertiam sui exercitus partem miserat, quam si in hoc formidolosissimo bello habuisset, multo audentiùs cum poten-
50 tissimo hoste congredi potuisset. Soltanus autem visis Atilæ copiis, traiecto Gaditano freto, in Mauritaniam se recepit. Non ignorabat enim, decem cum Ecio & Theodorico reges coniurasse. Siquidem vniuersi ferè Occidentis populi, veluti Burgundiones, Alani, Franci, Saxones, Riparioli, Lambriones, Sarmatæ, Brittones, & Lutetiani cum Romanis & Gothis, aduersus Vnnos fœdus iniuerant, maximaq; auxilia Ecio attulerant. Quare literis inducias exposcit

ſimulans, vt tot gentium incolumitati conſulatur, ſe interea de pace commodius acturum, Ecius magiſter equitum, qui eius artes optimè callebat, ac expectandi auxilij gratia id fieri nouerat, obſtinatius abnuit. Ad prælium inuitat, ibi ſe vires Atilæ periclitaturum interminatur, vbi æquis vtrinque viribus in patentiſſima planicie pugnari poteſt: ibi quoque Martem, an Romani Scythis, vt ſemper olim, an Scythæ Romanis imperare debeant, vtriſque planè diffiniturum. Quum eò ventum eſſe Atila intelligeret, vt neque terga vertere, neq; pugnam detrectare liceret: quum ſpem omnem in futura morte Ecij collocaſſet, veluti aruſpices paulò antè prędixerant, ſuæq; gentis cædem non magni faceret, quam facilè præ nimia populorum multitudine reſarciret, ad futurum prælium animum intendit. Quum vtrique exercitus in campis Catalanicis ſub Toloſa conſtitiſſent, & tanti quidem, quantos nunquam Europa vidit, acies in hunc Ablanius modum ſtruxiſſe refert. Atilam in primis mulieres pueroſque omnes intra carros, quibus pro vallo foſſaq; vtuntur, ad proximos colles recondidiſſe, ſeq; cum Vnnis in media acie ſtatuiſſe. Ardaricum Gepidarum regem dextro, Valamirem, Theodemirem & Vindemirem cum Oſtrogothis ſiniſtro cornu præfeciſſe, vniuerſum in aciem exercitũ extemplo redegiſſe, ne imparatũ hoſtes adorirentur. Et quum ſibi propter aruſpicum reſponſa timeret, nona diei hora manum conſerere decernit, vt ſi res aliter eueniret, ſub prætextu noctis pręlium dirimeret. Contrà Ecius patricius & Theodoricus longè cunctatiùs acies eduxere, quippe qui Singiberis Alanorum regis perfidiam veriti, quem ab Atila muneribus ita corruptum acceperant, vt quum pugna conſeri cœpiſſet, tunc ad Vnnos ex cõpoſito trãsfugeret, laborantibuſq; Romanis & Gothis à tergo inſtaret, huic periculo prius proſpiciendum eſſe cenſuerunt. Rem diſſimularunt, nec acerbius quicquam in Singiberim ſtatuerunt, ne Alanos iniquo tempore ac loco ſibi alienarent, vireſque hoſtium augerent. Singiberis municipium Toloſæ finitimum, ne qua proditione ab Vnnis caperetur, clauſa extra porta, adactis obicibus obſtruxerunt, quin & ſtationes adhibitæ, ne quis ex hoſtibus ingredi poſſet. Singiberim in media acie inter auxilia collocarũt, ne quid contra moliri poſſet. Theodoricus cum Thoriſmũdo filio ſiniſtrum cornu, ne cum Oſtrogothis ſui ſanguinis congredi viderentur, optarunt. Dextrum verò Ecius cũ Romanis, Burgundionibus, & Meroneo Francorum rege tenuere. Inter infeſtas acies in medio tumulus erat, pari vtrinq; ſpacio remotus, & vtriſque perquàm commodus: nam quicunque tumulum occuparet, quum haud facilè inde amoueri poſſet, victoriã tutius ſperare poterat. Atila, qui prius acies inſtruxit, inter medias legiones ita diſſeruit: Venit tandem, quod ſemper commilitones optauimus, vt eò anguſtiarum Romanas copias redigeremus, vbi aut turpem deditionem facere, aut ſi quid auſi fuerint, veſtra manu occumbere cogerentur. In extremam Narbonenſis Galliæ oram ſe receperunt, dum vos fugiunt, & Gallos à veſtris armis vindicare nequeunt, vnde ſe facilè expedire non licet: hinc mare Gallicum, monteſque prohibent: hinc veſtra agmina ac flumina circumueniunt, pedemque referre minimè patiuntur. Ad extrema res Romanæ redactæ ſunt, quę ſi nunc virtute veſtra proterentur, neque vos vltrà pugnare opus erit, neque illæ amplius reſurgere poterunt. Nam omnes in hoc prælio vires coegere, quibus abſumptis, nil reliquum eſt, quod orbis Imperium nobis impediat. Ne id quidem ſpe ancipiti expectandum, quando rerum omnium viciſſitudinem eſſe, cuncta numina iubent. Neque in rebus humanis firmum & perpetuum quicquam, ſed momentanea ac fluxa omnia, niſi ea, quę vis & arma confirmant. Sat populus Romanus imperauit, ſat vniuerſos orbis populos ludibrio habuit, ſat humanarum gentium ceruicibus inſultauit. Quem niſi Scythia, fœcundiſſima gentium officina repreſſiſſet, adhuc miſellus orbis imperioſa hac tyrannide teneretur. A ſolis exortu Parthi, noſtra generoſa propago, primi eorum furorem & audaciam coercuerunt: ab aquilone Daci, Getæ, Sarmatæque, & noſtri nuperrimè Gothi: ab occaſu, Cimbri ac Galli: à meridie olim Carthaginenſes, & cognati nobis Vandali, Vnni nunc, & progenitores noſtri maioribus

bus rem viribus adorti. Omnes ferè prouincias populi Romani, Danubii accolę nobis dare cœperunt. Nos autem Pannoniis Mysias, Thraciam, Macedoniam, Achaiam, ac Illyricum adiecimus, cũctá discursauimus, armisq; occupauimus. Item Germanos, Noricos, Vindelicos, Rhœtos & Sueuos, ditioni nostræ coniunximus. Gallias nostris copiis ita pessundatas reddidimus, vt vicatim quidẽ & oppidatim incendii ac ruinæ monumenta fecerimus. Soltanum Hispanias anhelantem, in Mauritaniam reiecimus. Proinde quid superest, fortissimi viri, nisi vt nouissimum hunc Romanorum exercitum ad interitum cædamus: & Visigothas, qui ab Ostrogotharum nostrorum cognatione perfidè defecerunt,
10 non immeritò vlciscamur. Cum Romanis miserrimi coniurarunt, quorum iam ferè imperium extinxerant, à suo sanguine defecerunt, vt cum dominis coniurarent, eisque demum, vt olim antea seruirent. O deperditam stulticiam, ô seruilem perfidiam. Quos si æquo Marte vicerimus, ex hac nunc hora Visigotharum imperium, in perpetuam Ostrogotharum seruitutem cum ipsis asserendos prædico, iubeo & addico, vt demum seruiant, qui imperare nesciuere. Venit igitur illa dies, quę laboribus expeditionibusque vestris finem imponet, neque cum liberis & vxoribus amplius peregrinari oportebit. In opulentissima & mollissima Italia requiescemus, & è Capitolina arce vniuerso imperio prospiciemus. Mars pater tandem nostri miseratus: in cuius manu quum sint cun-
20 ctorum iura regnorum, nobis, vt vobis omnibus exploratum est, suum ensem mirificè tribuit, vt vobiscum omnib. terrarum populis imperaremus. Dexterrinius tamen ille pater, Scythicæque gentis Deus præpotens, ad nouissimum Romanos cum Gothis cœnatum redegit, partim vt vno tantùm prælio omnia vinceremus, partim vt in tanto hostium apparatu, Scytharum sese vires periclitarentur, eorumq; virtus clarior fieret. Me si solita virtute ac fide prosequimini, iamiam victoriam vobis partam existimate. Cum his vobis pugnandũ est, quos sæpe vicistis. Romanos è Dacia, Germania, Pannoniis, Mysiis, Noricis & Illyrico eiecistis. Visigothas sedibus propriis expulistis. Non cum nouo hoste, sed cum plagiario seruo nobis hodie res est, inuictissimi viri: quibus superatis,
30 mox inermes, Romanum & totius orbis Imperium obibitis. Neque vos gregariorum numerus planè deterreat, quãdo seruos, calones, lixas, & agreste quodque vilissimum genus hominum, in legionum supplementa sumpserunt. Veterani vos estis, & laboribus militaribus assueti, neque veram dimicandi artem ignoratis. Accedit continuata victoria, quæ ita hostium animos consternauit, vt ne vultum quidem Scythicum videre, nedum congredi cominus audeãt. Hæc victis misera est data conditio, vt seruili animo affecti, facilè obuersari nequeãnt. Contrà victoribus plus æquo semper attollitur animus. Quare quum sub meridie signum pugnæ dabitur, Scythica virtute pugnate, commilitones inuictissimi. Romanã superbiam contundite, vestris armis è collo gentium seruilia
40 iuga recidite. Subactum orbem, in libertatem asserite. Incumbite gloriæ & immortalitati, Scythicæ virtutis non immemores. Inter pugnandum sæpe vobiscum reputate, vxores liberosq; vestros in vestris dextris esse sitos. Quòd si quá fati iniquitate ánimos remiseritis, cogitate quando nullus fugæ relictus est locus, vos cum liberis & vxoribus ad vnũ omnes esse interituros, proinde forti animo pugnate. Et quando in hoc nouissimo prælio, totius orbis Vnnis propositum est Imperiũ, vsitata virtute, totisq; viribus omnino certate, ac vincite. Ecius contrà suos hortatur, & incendit, ne à Romana dignitate degenerent: antiquorum magnanimitatẽ & fortitudinem imitentur, imminentem Romanæ reipublicæ seruitutem, item excidium publicum animo pensitent. Scytharum im-
50 manitatem memoria repetant, quibus mos est, non solùm mortaliũ cędem non abominari, immo humanũ sitire sanguinem: sed ne parentibus quidem parcere, quos senescentes frustillatimq; dissectos auidissimè deuorarent: item hospitali sanguine litare, infantium ora ferro discindere, cadaueribus hostiũ famem explere. Si terga turpissimè verterint, contra imperij Romani maiestatem, non his modò fata crudelissima imminere, cæsosq; viscerationes Vnnorũ opiparas

esse futuros: verumetiam quod est longè miserius, liberos, vxores, cum fortunis omnibus in feram seruitutem raptum iri, & quæcunq; Scythica libido iusserit, perpessuros. Quinetiam firmissima tenendum esse memoria, quæ & quot mala ab Vnnis acceperint: quantam stragem ad Potētianam vrbem, decem milibus passuum à Buda remotam, per Thetricum & Macrinum subiuerint, quot prouincias Imperij Romani igni ferroq; vastarint: Macedoniā, terrarum quondam dominam, item Græciam rerum quādoq; potitam: ad hæc Illyricum, Mysiam, Thraciam (ne quid de Pannoniis dixerim) omni immanitate diripuerint: quot socios populi Romani, quot Romanos ciues cū ingenuis matronis in captiuitatē abegerint. Et nunc hanc gentem immanissimam ad humanorum suppliciorum ministeria natam, totius orbis Imperium anhelare, quod facilè consequetur, si Romanum deleuerit: quod Iesus Christus optimus maximus auertat, & pro diuina benignitate sua, vrbis Romæ Imperium tueatur, vbi sacrosancti vicarij sedem elegit. Quid tunc dixerint, si qua fortè ignauia cesserint, quum non modò se, verum & in conspectu parentum filios palis præfigi aut discindi, dissectosq; viderint deuorari, vxores prostituta pudicitia passim in virorum ludibrium incestari, omnia igni ferroque misceri, ad hæc, templa cædibus fœdari, ante Christiana simulachra & ora deorum vim vbique virginibus inferri? Quæ quidem omnia ipsa morte forent longè miseriora. Præterea prælium præsens non ita magnum, vt animis consternerentur: neque ita paruum, vt aspernentur. Se cum Vnnis sæpe in Mysia, Thraciaq;, Theodosio imperāte pugnasse, fudisse ac fugasse semper. De magnis homines sæpe maiora referre solitos, gentem esse inermem, vilissimam, ac numero tantùm cōfidentem, neque Romano more tutissima arma ferre, pugnareq;. Sæpe Romanam legionem viginti hominum milia, non modò fudisse, sed cecidisse ad interitum. Deinde Romanæ virtutis, acceptarum iniuriarum, & maiestatis Imperij Romani, item liberationis gentium, ac impendentium malorum, & excidij totius orbis, quum signum pugnæ dabitur, reminisci oportet, Ecij fortunæ confidere, qui cum Vnnis semper gloriosè pugnauerit, fortissimo animo omnes congredi, hostesq; proterere hortantur, victoriā in manu esse, si Romana virtute certarint. Exhausta hostium esse castra, atque ideo inducias Atilam instantissimè petiisse: illam autem perpetuæ seruitutis & excidij, aut æternæ libertatis & gloriæ fore diem. Nihil aduersi reformidandum, quando numero, viribus & causis longè potioribus Romani præstarent: qui pro aris, focis, orthodoxa fide, pro liberatione gentium, & maiestate populi Romani manus conserere coguntur. Quarum rerum gratia, neqs mortem expauescēdam, neq; pugnam acerrimam recusandam, quum tot commodorum & gloriæ præmia proponantur: qui his non moueantur, à necessitate animos capere oportere, quum aut pulcherrimè omnes vincere, aut turpissimè mori adigantur: se nusquam legionibus absuturum, omnia summa prudentia & fortitudine gesturum: & ea demum mente pro republica dimicaturum, vt vincat: aut si iniqua sibi fata fuerint, omnino inter confertissimos hostes oppetiturum, nec incruentam Barbaris victoriam relicturum. His verbis Romanorum animi vsqueadeo succensi, vt nihil victoria & propugnatione reipublicæ ducerent antiquius, nihil gloriosa morte præstantius reputarent. Multos religio excitabat, indignitas alios, partem maximam necessitudo, cæteros dignitas Imperij Romani, quam sic perditum iri ægerrimè ferebant. Gothi in altero cornu, à Theodorico hortabantur, neque Gothica lingua minus incendebantur. Ast vbi duces vtrinque constiterē, potiores quisque parteis in congressu expectabat. Atila sub meridie, pugnæ signum dari iubet, vt si fortè Vnni cesserint, imminente nocte tutius fugiant, in salutaremque locum se recipiant. Dato signo ita concurritur, & animis vsque adeo infestis, vt cornua sæpe pariter vtrinque contigerint. Prælium pro gentium numero & immanitate maximum atrocissimumque conseritur, præterea sic anceps & varium, vt ne à ductoribus quidem posset ritè referri. Mox vbi cominus pugnari cœptum est, tanta cædes vtrinque patratur, vt riui sanguinis vndique defluerent, mox continuata strage, in cruoris

cruoris torrentes redacti vsque adeo rapidos, vt cadauera traherent. Romanæ legiones non minus armis, quàm ordine fretæ, inter inermes Barbaros præ grauissima iniuriarum memoria, tanta ferocia sæuiebant, vt nullo cruoris profluuio explerentur, contrà ne minore quidam sæuitia & immanitate Scythæ, qui Romanum Imperium affectabant: pari aliquandiu spe ac viribus vtrinque pugnatum. Tantus in medio è cadaueribus in longum excreuit aceruus, in perpetui speciem aggeris, vt vix se vtrinque obtuerentur, miserabilem eos murum dirimere reputantes, quem mox certatim vtrique conscendere nitebantur, vt de altiore loco pugnarent. Sed quum Ecius & Gothi obstinatiùs aliquanto in-
10 starent, rati de summa reipublicæ eo die decerni, Gepidasq; et Ostrogothas aliquantulum inclinarunt: vtpote qui Romanis nec armis, nec numero pares seputabant. Atila laborantes socios conspicatus, accito validissimo Vnnorum agmine extemplo succurrit, suos allato subsidio firmat, acerrimum atroxq; prælium in cornibus redintegratur, multos cædit, quos intelligit terga versuros. Dum victoria pariter vtrinque speratur, Thorismundus tumulum in medio stantem cum Romanis cohortibus occupat: quem vbi fortissimo Romanorum Gothorumq; præsidio sanè munierat, pugnam mox acriorem instaurat. Romani tutò dimicant, quia loco edito facilè deiici non potetant, Vnni contra deficere desperant, quando instanti Ecio & Theodorico, in æquo solo amplius
20 ægrè resistebant, sub vesperum tandem terga dare coacti, palantes effunduntur. Romani cum Gothis à tergo instare, cędere cadentes, fugientes celerius insequi. Theodoricum cum equitatu suo ardentius insequentem, magis suorum pressura, quàm hostium ferro occubuisse dicunt. Iordanis equo depulsum, dum milites exhortans vsquequaque discurreret, suorumq; pedibus conculcatum, vitam matura senectute clausisse refert. Aliqui Andagis Ostrogothæ telo confossum, aruspicum præsagia confirmasse referunt, quamuis Ecium moriturum Atila reputabat. Visigothæ relictis Alanis, Vnnos tanto impetu aggrediuntur, vt parum abfuerit, quin Atilam interficerent, sed ille sensim in castra se recipere cogitabat, prælium cum ingenti strage ad serum vsque continuatum.
30 Victores Gothi cum Romanis, obscuræ noctis interuentu remorati, quum receptui canerent, pedē referunt, & ita prælium nocte diremptum. Atila cum magna clade fusus, intra carrorum septa se recepit, eaq; scutatis in valli munitissimi speciem circumsepsit, quod tempestate quoq; nostra Vngari factitant: item sagittarios imponit, vt fortè circumuētus ab hostibus, dum instruitur in castris acies, & educitur, eos facilè propulsare queat. Desperata ferè salute, dum veretur, ne viuus in hostium potestatem adducatur, aut mortuus sepultura careat, struem in rogi speciem in mediis castris è iumentorum clitellis congeri iubet, familiaribusq; mandat, si quid aduersi acciderit, eum continuò interficiant, impositum clitellarum pyræ subiecto mox igni comburant, ne Romani trium-
40 phum regio corpore honestare videantur. Pleriq; scribunt, Thorismundum, quamuis sera nocte, Atilam tamen in castra vsq; sequutum: ad carrorum septa fortiter dimicasse, accepto in capite graui vulnere, equo excussum, à suisq; telatum. Ecium nimia noctis obscuritate deterritū, ne inter hostes vagaretur, prælium diremisse, in castraq; relatum scutatorū circunseptu, insomnem eam noctem exegisse. Ea nox cum magna trepidatione ab Vnnis acta, nam admodum reformidabant, ne vi castra ab hostibus caperentur: quamuis diei laborib. cunctorum corpora confecta fuerant, quisq; tamen armatus suis stationibus peruigil stare, exploratores circumuagari, ex edicto armis, tympanis tibiisq; sonitare, clausi incursionem interminari, multa ex arte facere, quibus deterritos hostes
50 à castrorum obsidione dehortarentur, ne præ annonæ inopia, ibi sine armis fame tantùm conficerētur. Romani cum Gothis, comperto Theodorici regis interitu, è summa lætitia plausuq; ingentis victoriæ, in grauissimam deiecti tristitiam, non tantum gaudij, quantum doloris repente conceperant, insomnes in castris noctem exigunt, planctu & vociferatu omnia complent. In sequenti die Thorismundus cum magno agmine, campos prima diei hora perlustrat:

patrem inter confertissimos hostes iacentem inuenit, inuentumq; redintegrato luctu, subcollantibus militibus in castra refert. Ducem Romanum, legatos Augustales, primipilos, ac omnes legionum auxiliorumque præfectos profusis lachrymis obtestatur, secum arma capiant, paternam (vt par est) mortem vlciscantur, ac reliquias hostium omnino deleant. Theodorici manes tales sibi inferias postulare, neque fas esse Tholosam redire, nisi patri pientissimo prius ita parentauerit, ne paterno regno censeatur indignus. Ecium plerique ferunt, Atilam cum reliquo exercitu, si voluisset, ad vltimum potuisse interitum redigere: sed veritum, extincto Vnnorum exercitu, ne mutatis animis, Visigothæ cum Romanis iterum pro Imperio certare cogerentur. Neque immemorem, se Vnnorum ope imperatori Græciam recuperasse: neque inscium, eneruatas Vnnorum vires, præsertim quum pugnandi peritia careant, sibi amplius nocere non posse, ne Gothorum audaciam augeret, Scytharum reliquias deleri non permisit. Thorismundum paternæ mortis vindictam anhelantē, pluribus consolatur, & eam præterire nefarium arbitratur: sed quum beneuolentia cum patre diu instituta, & cum filio instaurata, ex corde consulere iubeat, iuuenem admonet, esse ei germanum fratrem, regnandi cupidissimum, ac ætate iam animoq; præstantem magnopere verendum, ne dum primigenius ipse in vlciscendo patre cunctetur, ille regnum occupet, eumq; legitima dignitate defraudet. Proinde sibi videri, suæ prius is consulat vtilitati, regnum sibi debitum accipiat, si id contemnat, & pugnare pergat, haud parum ad dubitandum esse, quando non eundem quotidie seruat belli fortuna tenorem, ne ab hoste superetur, superatusq;, aut viribus imminutus, vsurpatum à fratre imperium recipere nequeat. Itaque præpropere festinandū, regnum obeat, ne à fratre præueniatur. Thorismundus Ecij consilium approbat, ratus paterna quadā hæc omnia charitate loquutum, paternum corpus Tholosam refert, cui funus pro dignitate celebratum, ludiq; funebres tribus diebus in honorem editi. Patrem præsente Ecio, cæterisq; populis, pro concione laudauit: & hæc verba fecisse dicitur, Paterna me fortuna docuit, fortissimi principes, nihil in rebus humanis inueniri posse, quod sit omni ex parte beatū: atq; si altius sentire velimus, nil præter dolorem, sollicitudinem & miseriam in hac laboriosa vita consistere: & quo magis dignitate, statu, viribusq; pollemus, eo impensiorem in nos fortunam dominatum exercere. Præpostera (mihi credite) nomina fecimus, & dum maiorem anhelando potestatem, nobis ipsi sapere videmur, eo magis profectò desipimus. Nam humiles & imbeciiles, quos miseros ducimus, nobis certò longè feliciores habēdi sunt, ne tot quidem labores obeunt, neque tam mordaci sollicitudine, & ardenti cupiditate afficiuntur, neque tot doloribus excruciantur, neq; tot & tanta pericula subeunt, neq; tot mala formidare coguntur, si mortem imminētem aduerterint, non secus ac miseriarum omnium assertricem non metuunt, non expauescunt, sed expectant, inuocant, & implorant. Contrà, nos molliùs & delicatiùs educati, nil morte miseriùs ducimus, cōtinuatam lætitiam & fortunæ dexteritatem appetimus, in qua enutriti, mala inopina molestius toleramus: & quandoq; vsque adeo insolescimus, vt nulla nobis incōmoda accidere posse arbitremur, veluti peculiares Bonæ fortunæ filij. O miseram mortalium cōditionem, ac regum vel præcipuè longè miseriorem. Sperabam, pater optime, te triumphantem hodie cum Ecio collega Tholosam aditurū, catenatosq; reges longa pompa ac ordine perducturum. Nunc autem pro triumpho (nescio qua fati iniquitate) ne qua solita lætitia exhilaremur, flebiles tibi cogor exequias comparare: tuiq; milites pro triumphali plausu, faustisq; acclamationibus, miserabiles adiguntur edere vlulatus. Nec aliquis defuit doloris impatiens, qui adacto pectori pugione, ne fideliorē tibi in bello societatem, quàm in morte comitatum afferret, tecum ad inferos descēdere recusarit. Ecij prudentia, & fortitudine tua, pater optime, vicimus: neque vllum victoriæ tuæ fructum legis. Nos cū Ecio & morte & seruitute liberasti: nos contrà, te tuo fato liberare nequiuimus: omnes legiones, quæ te nunc miserrimè lugent, & in conspectu tuo gloriari & exultare

tare cupiebant: an te, an victoria carere malint, adhuc pientissimè hæsitant. Victoriam, amisso duce, sortiti, quónam modo victoria potiri sine victore poterimus? Me miserum, cui veluti in conspectu tuo acerrimè pugnare, ita coram te parta victoria gloriari non licet. Ne felicem quidem Ecium, verùm reipublicę assertorē dicere possumus: cui præ innata modestia, amisso collega, iure triumphare non placuit. O iniquam insidiosamq́; fortunam, quippe quæ pientissimo parenti tantopere arrisisti: & nunc auersa, nō tantum per tot annos commodorum attulisti, quantum paruo nobis momento abstulisti, patrem regio Gothorum genere donasti, extulisti ad Imperij fastigium, omnium gerēdarum rerum gloria fortunasti: præclaram conciliata tecum natura sobolem prębuisti. Cum Romanis imperare voluisti, & in Gallia vel maximè Narbonensi, quæ cæteris terrarum regionibus, & cœli benignitate, & ciuilium præstantia morum, iure debet anteferri. In rebus bellicis, & in æquissima populorum gubernatione ita fortunatum reddidisti, vt cum præstantissimo quoque Gothorum rege (quod id benigno ab omnibus animo accipi velim) meritò conferri possit, quantam Gothis gloriam pater attuleris, nemo ignorat, & quanti momenti fueris, tui societas & amicitia, à cunctis potentatibus ambitiosius expetita planè testatur. Immanes te Vnni quotidianis literis & largitionibus vexabant: Vandali, Alani, Burgundiones & Germani impensius exposcebant. Imperij Romani maiestatem, quadam animi generositate obseruasti. Asiatici & Orientales populi colebant. Ostrogothas ab Vnnis oppressos, & in seruitutem assertos vindicare voluisti, & iam vindicaueras, nisi mors iniqua prohibuisset. Dirum Atilam, qui se Dei flagellum appellari edixerat, maiore longè flagello afflixisti. Iugum è collo gentium repulisti: te vnà cum Ecio collega tuo, humani generis liberatorem omnes iure legiones appellant. Te iure Galliæ regem, te iure Gothi patrem pientissimum, te iure Alani ac omnes populi patronum fidissimū, te iure milites Imperatorem clarissimum indulgentissimumq́; ingeminant & exclamant. Vos autem commilitones, quo possum studio nunc exoro: qua patrem fide, beneuolentia & virtute prosequi curastis, eadem vno omnes cōsensu Thorismundum primigenium complectamini: hoc patris in vos pietas, hoc ius hæreditarium, & æquitas omnis exposcit. Vos quoque germani fratres, postquam ita fatorum series imperauit, vt patre pientissimo careremus, date operam, vt virtuti & gloriæ studeatis. Nihil agatis à dignitate regia alienum: nullas illius manes inferias gratiores expectant, quàm suarum virtutum æmulationem, à vobisq́; non modò æquari, sed superari quoque æquo animo patiuntur, neque nos aliud exorant, nisi vt concordes quietè glorioseq́; viuamus, & vestigia sua vsquequaque sectemur. Ego autem quem leges & geniture iura iubent, commilitonesq́; salutant, si regem esse iusseritis, non vt solus imperem, qui vobiscum regnare desidero, sed ne præposterè viuamus, néve meo iure defraudari videar, nunquam à vobis, neq; officio, neque pietate, neque studio, neque beneficentia aliqua superari facillimè patiar. non mihi, sed vobis & Gothis regnare percupio, cæterosq́; populos ditioni nostræ subiectos, de me vobiscū benè sperare iubeo. Proinde concordiam in primis pietatemq́; colamus, fratres mei: seditiones & iniurias prohibeamus, nosq́; ad vtilitatem publicam natos existimemus. Quid regia dignitas postulet, die noctuq́; meditemur: paterna gesta, tanquam archetypa semper ante oculos habeamus: néve è nobis aliquē degenerare patiamur. Ego verò de me illud habeo polliceri, nil impensius dignitate, & commodo vestro curaturum, paternumq́; officium resarturum, vt quem natu munereq́; maiorem habetis, eum humanitate, re & comitate minorem esse intelligatis, neque patrem adhuc vobis defuisse sentiatis. Demum quasi lachrymarum profluuio obrutus, orationi finē imposuit. Secundum Thorismundi verba, collachrymantes milites conclamant, magnificentissima quaq; cognominatione ingeminãt. Theodorici corpus in basilica Tholosæ primaria recōdunt, veluti ex testamento mandauerat. Ingēs à filio donatiuum militibus datum, virìumq́; terdena argenti sestertia distributa. Regnum nemine refragante init, magna spe omnium,

& expectatione. Ecius clàm exercitum dimittit,quando auxiliares copiæ, præ nimia multitudine,habita missione recedere festinabant. In eo prælio centum & sexagintaquinque vtrinque hominum milia plerique cęsa scripsere:nonnulli, centum & quinquaginta milia desiderata prodidere. Atila quem maximus iamdudum metus incesserat, & de cōsciscenda sibi morte cogitarat, postquam hostes nescire vincere intellexit, suum ac militum animos confirmauit, in castris die noctuq; tubis ac tympanis intonabat,vt victoriam sibi partam ostenderet. In horam castris erupturum se minabatur: varia metum arte dissimulabat, inclusus ac victus,victores assiduò territans. Metu deinde ingenti liberatus, in Tungros & Trecacenses castra mouit,vniuersam prius regionem cæde, rapina incendioque fœdauit, vt cæsorum iniurias vlcisceretur, plus solito sæuire visus est. Quum in Pannonias redire statuisset,vt in minutis legionibus supplementum faceret,quacunque iter fecerat, perpetua incendij & ruinæ monumēta reliquit. Maiorem quàm antea conceperat animum,quando ab hostibus,ne minus quidem se victū,quàm victorem reformidari intelligeret. Barbara nimium audacia insolescit, in Italiam incipit conuertere animum: veritus ne à Visigothis,quorum vires iam erat emensus, Romanum Imperium occuparetur. Per Gallias igitur retrò iter faciens,igni ac ferro omnia miscet,non modò sexui nihil concessit & ætati, sed ne vllis quidem aris ipse pepercit. Tertia pars exercitus,quæ superatis Pyrenæis montibus è Lusitania Soltanum eiecerat, ad ipsum redire non ausa,quum tanto prælio nō adfuisset, clementiorem hostem, quàm suum Imperatorē inuenit. Tanquam ab eo cum ignominia dimissa, ad Ecium & Thorismundum confugit, sedesq; in campis Catalonicis impetrauit. Ecius patricius cum Romanis copiis in prouinciam rediit.Thorismundus rerum potitus, è paterno instituto regiam Tholosæ sedem elegit, quando vetustissimam opulentissimamq; vrbem illam esse nouerat, & amplificando conseruandoque imperio nimis idoneam. Nam inter Hispanias Galliasq; posita, vtrinque facilè propagat imperium, & mari terraque multa moliri potest. Ad angustissimum nanque terræ limitem sita est; hoc est Isthmum, qui tribus stadiorum milibus à Narbonēsi pelago submouet Oceanum.Si Posidonio fidem adhibebimus,Tectosagûm vrbs quondam fuit, quos in expeditionis societatem aduersus Delphos venisse memorāt. Quinetiam thesauros apud eos à Scipione Tholosæ repertos,ex oraculi donatiuis esse aiunt: sed his ex domesticis non parum fortunis adiecisse tradidere, quibus consecratis iratum sibi numen reconciliarent. Atque Scipionem eas attigisse ausum,multis casibus fuisse iactatum,patria eiectum in exilio parū honestè interiisse, perinde ac sacrilegio pollutum. Ea quoque bona filiis ex testamento legata,inter obscœna scorta absumpta fuisse, turpem denique mortem (vt Timagenes auctor est) eos obiuisse.Posidonius verisimiliora refert,repertas Tholosæ pecunias, quindecim milium circiter talentûm fuisse, easq; partim in templi penetralibus, partim in consecratis lacubus fuisse reconditas,quæ nullos apparatus haberent, aurum & argentum inelaboratum & rude fuit. Templum Delphicum eo tempore exinanitum fuisse, talibus ornamentis à Phocensibus antè spoliatum, quo Sacrum bellum commissum est,& si quid relictum fuerat, in multos fuisse distributum. Ne incolumes quidem domum remeasse credendum est, qui tam miserabiliter digressi fuerant,& postquam è Delphis discessere,in diuersa dispersi,ac facta se ditione discordes abiere. Quare quū regio exuberet auro, & industrij homines tenuem vitam agant, è Gallia passim thesauros habuisse, in tutisq; lacubus aurum & argentum dimisisse,Romanos locorum potitos publicè venundedisse lacus, emptores plerosque fabrefactas ex argento molas inuenisse. Erat etiam quondam Tholosæ templum sanctitatis eximię,quod finitimi peculiari quadam veneratione colebant,& ex collata quotannis pecunia multis muneribus abundabat, quæ nemo tangere audebat.Quare Thorismundus vrbem vetustate ac religione venerandam nimis amauit,regniique sedem ex paterno (vt diximus) instituto constituit. Sed ad Atilam redeamus, qui dum Pannonias supplementi gratia re-

tia re-

tia repetere contendit,quęcunq; superfuerant,latè populatur,& diruit,nullum gloriæ genus antiquius existimans, quàm ruinæ ac incendij monumenta. Sed illud in tam diro principe mirum fuit, perquàm facilè à sanctis sæpe viris fuisse victum. Quum Trecacenses peteret, & eo quidem animo vt suo more diriperet,Lupus Vrbis pontifex maximus,vir planè sanctissimus,vbi feros hostes appropinquare nouit, accito frequenti collegio sacerdotum, pontificio habitu instructus, Atilæ obuius occurrit.Moxq; intrepidus, Tunc(inquit)is es, qui vrbes eruis, gentesq; proteris? Ego sum(inquit Atila) rex Vnnorũ,& flagellũ Dei. Ad hæc Lupus, Felix & faustũ Domini & Dei mei flagellũ adueniat, & patefa-
10 ctis mox portis, cũ magno plausu regẽ admisit. Cuius Atila humanitate victus, per mediam vrbem exercitum tanta modestia duxit, vt ne pullum quidem gallinaceum læserit,haud aliter ac si diuino cuncti numine obstricti forent. aliqui ante consertum prælium id accidisse memorant. Verùm Lupus iste, omnium iudicio vir sanctissimus ea ætate est habitus,Leucorum familiæ decus, Pigniolam Hilarij Arelatensis episcopi sororem, coniugem duxit, septimo coniugij anno, vtriusque consensu de sancto diuortio decreuerunt, vt arctius se in diuina charitate vincirent. Ab Honorato Lyrinensi antistite sacris initiatus, exacto anno in Trecacensem vrbem rediit,vniuersum patrimonium Christi pauperibus erogauit. Pro explorata sanctitate, inuitus pontificatũ maximo donatus,
20 collegia sacerdotum continentissimè gubernauit. Post biennium, sanctæ peregrinationis amore percitus, cum Germano viro quidem Deo gratissimo in Britanniam proficiscitur,vbi miracula multa edidit, variosque populos ad orthodoxam religionem conuertit. Post reditum(vt paulo suprà dictum est) cùm vniuersa Gallia Vnnorum agminibus diriperetur, ciuitatem suam in patenti planicie sitam, neque armis, neque mœnibus munitam,diuina ope propugnauit. Paralyticam in diuino verbo mulierem curauit, liberauit puellam à dæmonio grauiter agitatam, multos à diuersis languoribus asseruit. Inedia & austeritate vitæ corpus affecit, nunquam in lecto recubuit, supra tabulam subiecto capiti saxo dormiuit. Vnica duntaxat toga contentus, interiore semper tu-
30 nica è graui cilicio vtebatur. Vt ab ardentissima cõcupiscentia iuuentutis corpus arceret, biduano semper ieiunio id afflixit, nullo vnquã ientaculo refocillatus,diuinis pro cibo rhythmis vesci solitus.Somni parcissimus,in diuina semper oratione versabatur.Demum quinquagesimosecundo sui pontificatus anno in Domino obdormiuit,& inter deos relatus est.Sed de Lupo hactenus.Ne de Germano quidem sine maximo scelere silendum, quando Atilæ temporibus claruit & vitæ sanctimonia præstantissimus apud omnes est habitus. Necnon & operæprecium reputamus, historiam Scythicam sanctorum patrum gestis quandoque condire. Hunc sacri annales austeræ vsque adeo vitæ fuisse ferunt, vt vbi à beato Amatore sacris inuitus initiatus est, mox animo mutato,&
40 erogato in miseros patrimonio vxorem pro sorore habuerit. Ad nouissimum vsque diem frumentarium panem,vinum,oleum,legumen carnesq; sibi interdixit,quinetiam & sal,ne quo gulam condimento suscitaret. Pransuro mos fuit prælibare cinerem, moxq; panem esse hordeaceũ,excussum quidem & aqua remollitum,item cucullo simpliciq; tunica & interiore cilicio vti,hęc eadem ęstate & hyeme iuxtà ferre, supra dolatas trabes superiniecto cinere dormire,cũ acerbissima vitam pœnitentia ducere, omnibus gratuitò hospitium exhibuisse, hospitibus in humilitatis exemplum pedes lauare solitum. Quum Britanni ad Gallorum episcopos legatos misissent, qui omnes sensim populos Pelagiana hæresi passim infectum iri significarent, in frequentissima sacrorum virorũ sy-
50 nodo decretũ est,vt Germanus & Lupus,veluti potissima Gallorũ lumina,extirpandæ labis mandata susciperent. In peregrinatione illa Genouephani virginem, quam sanctissimã futuram esse prædixerat,sacris initiauit,multa cum Lupo miracula edidit.Saxones, qui Gallos grauissimo bello infestabant,sola diuini nominis acclamatione fugauit. Diffusam per Britannos hęresim extirpauit, in qua expeditione Seuerũ Treuerensem episcopũ,collegã sibi delegit. Quum

ad Tornodurum venisset, cuiusdam discipuli, qui è Britannia eum sequutus fuerat, sepulchrum inuenit, quem cùm eo tumulo euocasset, rogassetq́;,an ne vlteriùs secum militare vellet: respondit,sat sibi esse militatum,seq́; cumulatissimis militiæ præmiis perfrui,proinde orare,se missione donaret.Quiesce(Germanus inquit) ac vale. At ille deposito mox capite, in Domino obdormiuit. Quum in Britannia publicè prædicaret, væsaniente frigore, cum discipulis in regiam confugit,gratum ibi hospitium imploraturus. Quod cùm per interpretem à rege impio denegatum, impetrare nequiuisset, sub dioq́; in algentissima regione pernoctare cogeretur, ecce subulcus regius aduenit, venerabilem virum cum sacra manu conspicatus, eorumq́; miseratus algorem, ad tugurium inuitat. Quo quum pater ille diuertisset,subulcus vxorē monet,ac iubet,vt vnicum,quem haberet, vitulum saginatum viro sanctissimo apponeret. Quod vbi factum est, pro explorata rustici fide, Germanus post cœnam mulierem iubet, vituli ossa legere, lectáque ac pelle inuoluta,ante bouem in præsepio recondere. Mulier postquam imperata fecit,postero die redintegratū vitulum, fœnum cum matre comperit edentem:quod quidem ingens profectò miraculum,tantum viro tribuit auctoritatis, vt pro deo adhuc viuens haberetur. Germanus autem ad regem reuersus, eum regno decedere, meliorìq́; id dimittere iubet, hæsitantem & cunctantem virum, neque in sacrosanctum patrem moliri quicquam audentem, manu depulit: Decede (inquit) nec potestate regia post hac amplius abutare. Rex cœlestem in præsule auctoritatem reformidans, cum vxore liberisq́; spectante populo decessit. At ei Germanus accitū mox subulcum cum coniuge suffecit: & ex ea deinde tempestate,è subulca gente sunt ibi creati reges.Quum è Britannia rediret, per Augustodunumq́; iter faceret,ad Cassiani pontificis tumulum, Scythia oriundi, non sine magna turba peruenit,cunctis audientibus,è tumulo quidnam ageret, & quomodo sese haberet,interrogauit: Dulci quiete (inquit)perfruor, & expecto Redemptoris aduentum. Ad quem Germanus, Quiesce igitur per longum in Christo tempus, & pro salute nostra diligentiùs intercede, vt beatissimæ resurrectionis gaudia assequi mereamur,& vale.Relatus in Galliam,& iter faciens, nudum ecce imminente nocte viatorem aspicit, miseratus hominis miseriam, ne miserum quidem comitem aspernatur.Quum simul in diuersorio quieuissent,asellum, quo Germanus ferebatur,ille subtraxit:illucescente die furtum patratum inueniunt discipuli,patri condolent,quòd pedibus iter facere cogeretur.Nondum tria milia passuum cum sociis ille confecerat,quum è discipulis vnus,Germanum quandam è vultu lætitiam prodere intelligit,patrem hilaritatis causam rogat.At ille quum pedem omnes aliquātulum sistere imperasset, ecce latro clamitans,festinato gradu,subtractum iumentum refert. Patrem ad pedes prouolutus,exorat furti veniam & impunitatem, dum facinus profitetur, se tota nocte irretitum fuisse asseruit,neque quóquam progredi potuisse, nisi quà ad reddendum iumentum pateret iter.Cui Germanus pater ille sanctissimus, Si hesterna (inquit) die tibi nudo togulam dedissem,ne furandi quidem te necessitas incessisset:& exuta mox togula, accipe quod deest, redde quod nostrum est. Tum professorem igitur criminis resipiscentem, non modò venia, sed præmio quoque & benedictione dignum censuit. Paucis pòst diebus à pauperibus circumuentus,quū eleemosynam impensiùs exoraretur, diaconum dispensatorem suum,quodcūque pecuniarum est,in eos erogare iubet. At illi nummorum inopiam causanti, Pauperes(inquit)suos pascit Deus,tu verò quod habes,pauperibus distribuito. Diaconus veluti prudens ex integro mandata non peregit, è tribus aureis duos erogauit,vt futurę prospiceret necessitati.Paulo pòst quidam equites aduentant,ducentos pontifici nummos dono dant,& ad diaconum mox conuersus,Accipe (inquit) quæ traduntur, & recognosce, te fraudem fecisse pauperibus, quando si quicquid tibi erat, inopibus erogasses, remunerator noster trecentos hodie reddidisset. Proinde contremuit ille, conspicatus clandestinam sui culpam,virum sanctissimum latere nequiuisse. Quum in Italiam contenderet,al-

ret, alpesq; superaret, senem claudum, quem torrentem transire non posse prospexerat, propriis humeris præ nimia humilitate & charitate traiecit. Quum Rauennam venisset, à Placidia, quæ cum Valentiniano filio imperabat, honorificè excipitur: & quum ab ea delicatissimi cibi in argentea patina, sine carnis intermixtione mitterentur, cibos inter discipulos distribuit, patinam in pauperum commodum erogauit. Pro regio munere, panem hordeaceum in patella lignea remisit. At illa vtrunque cum maximo plausu accipiens, patellam auro exornauit, & panem ad varios languorum vsus reseruauit. Quum Rauēnæ moram traheret, vita defunctum in lucem reuocauit. A Placidia ad conuiuium in-
10 uitatus, solito iumento vir senio, inedia, vigiliisq; confectus, in regiam delatus est. Inter epulas clandestinus rumor aduenit, asellum improuisa morte esse correptum: soluto conuiuio, pro asello pulcherrimum & mansuetum equum adduci regina iubet. Germanus equum renuit, & asellū suum afferri petit, vt eodem quo allatus iumento fuerat, referatur. Allatum igitur asellum, humiq; iacentem despiciens, Surge (inquit) Muscio, & ad hospitium reuertamur. Ad hęc verba, veluti somno excussus, surrexit asellus: ac ne minore quidem robore, quàm antè, dominum ad hospitium retulit. Anno salutis quadringentesimo quinquagesimo, episcopatus verò trigesimo diem obiit. Corpus vt ex testamēto legauerat, in patriam relatum iri, dum in Galliam refertur, Vercellis ab Euse- 450.
20 bio episcopo, & Aureliani ab Aniano pontifice religiosissimè excipitur: quo quidem tempore tres mortuos in vitam reuocasse ferunt. Non solùm in morte, verùm etiam in vita inter diuos relatus, & diuini honores exhibiti: quando sanctissimam vitam duxit, hæreses extirpauit, & miserrimis Vnnorum temporibus, consilio & precibus Gallis & Britannis mirabili adiumento fuit. Nunc ad Atilam redeamus.

RERVM VNGARICARVM DECADIS PRIMÆ LIBER V.

30 EX Ecij malignitate, qui persequendos Vnnos ad internecionem vsque non censuit, sed Thorismundum ad accipiēdum Visigotharum regnum reuocauit, tantum animorum Atila concepit, vt in Pannonias nequaquam prius redire statuerit, quàm vniuersam Galliam cędibus, incendio & rapinis afflixerit. Sed in hoc varias scriptorum opiniones admiror, quorum aliqui multarum ciuitatum excidia ab Vnnis tunc accepta, ante pugnam Catalonicam, nonnulli post eam accidisse commemorant. Nos autem eorum ordinem planè sectabimur, qui verisimiliùs & elegantiùs ista scripsere, quoniam à præstātioribus ac verioribus hæc ipsa accepisseviden-
40 tur. Quinetiam in temporibus quandoq; tanta dissensio, vt falsa sæpe historia, quam verissimam bellorum monumenta testantur, prorsus esse videatur. Dira igitur Vnnorum tempora quum Seruatius Tungrorum episcopus diuino quodam spiritu prouidisset, ne Atilæ immanitatem cum populo subire cogeretur, quando Tungrensem vrbem, quæ inter Thabulam & Mosam amnes in Gallia Belgica sita est, Scythico furore vertendam sanè prospexerat, episcopatum in Traiectum, quod ad Rheni ostia situm est, transferre constituit. Quin etiā hoc ineuitabile fatum se Romæ à diuo Petro in somniis didicisse affirmabat: quod quum fecisset, Barbaram rabiem euasit. Eodem ferè tempore, quum vniuersa Gallia, Ariana hæresi laboraret, quā inæqualeis sanctissimæ Trinitatis personas
50 esse credebat, Filium enim Patre, Spiritum verò sanctum & Patre & Filio longè minorem esse dicebat, diuino quodam miraculo planè declaratū est, Deum in tribus personis vnius & æqualis esse substantiæ. Nasatensi nanque vrbe diuina ope ab Vnnorum obsidione liberata, quum pontifex maximus pro agendis gratiis sacra faceret, æquales ecce guttas treis super aram cecidisse videt, crystallo clariores, quæ quum vnà congruissent, in vnionem vnicum redactæ

ſunt, quem quum in gemmata cruce collocaſſent, aliæ mox gemmæ decidêre. Imaginem ſanctæ crucis præferebat adorantibus, & ægris valetudinem reddebat. Quin & fidelium ex hoc religionem augebat, quia piis clarus, impiis cõtrà obſcurus eſſe videbatur. Atilæ igitur furorẽ Naſatenſes idcirco euaſiſſe feruntur, quia de indiuidua Trinitate rectè ſenſerunt. Iiſdem quoque temporibus, vndecim milium virginum peregrinationem ſanctiſſimâ duce Vrſula, accidiſſe perhibent: quarum expeditio quanto cruentior, tanto felicior fuiſſe creditur, ne tam noxiis Dei flagellum, quam inſontibus martyrium, dirus Atila fuiſſe videatur. Sed res memoratu digniſſima, ritè referetur. Vrſulam vnicam Dionothi nobiliſſimi Britanniæ principis filiam fuiſſe aiunt, forma, moribus, venuſtate ſanctimoniaq; præſtantem. Eodem tempore Britannorum regem ab orthodoxa fide alienum, regno diuitiisq; pollentem, vnico tantùm filio præditum, ac virginis probitate & fama ſuccenſum, pro gnato inſtantiſſimè poſtulaſſe. Vrſulæ patrẽ grauiſſimè hinc ſollicitudine cœpiſſe angi, quòd filiam Deo dicatam, inuito numine, prophano iuueni deſponſare cogeretur, ſimul etiam & vereri, ne ex repulſa, tyranni crudelitatem omnino ſubiret. Dum in diuerſa diſtrahitur animus, veluti conſilij impos, filiam tandem conſulit, hæc patri ſuadet, regi reſpondeat, hac ſe conditione affinitatem eſſe facturum, ſi decem virgines genere, forma & ætate delectas, rex filię comites daret, ac Vrſulæ, ſingulisq; comitibus, quæ denæ ſint, ſingillatim mille virgines ſubditaret. Item vndenas his triremes compararet, quibus triennij ſpacio, donec ſponſus Chriſtiana religione initiaretur, ac fidei dogmate inſtitueretur, pro virginitatis dedicatione vti poſſent. Quod haud temerè à diua virgine ſuaſum, partim vt difficultate propoſitę conditionis à ſe animum regis auerteret, partim vt occaſione iſta coęuas comites vna ſecum Deo dicaret. Rex conditionem accepit, quęcunq; virgo mandauit, ritè fieri iubet. Filius eius ſanctitate ſuccenſus baptiſmum accelerat, puella ſe cum puellari exercitu Romam omnino profecturã patri nunciat, vt à Chriſti vicario delictorum veniam, tutelamq; virginitatis aſſequatur. Et quando virorum ductu & propugnatione in longa peregrinatione carere non poteſt, viros à patre ſanctiſſimos petit. Vbi virgineas Vrſulæ copias propediem peregrè profecturas eſſe, rumor effunditur, multi ad ſacrum inuſitatumq; ſpectaculum vndique confluxere, in primisq; nonnulli Britannorũ epiſcopi, qui virginum expeditionem ſequi cupiebant. Horum princeps Pantalus Baſilienſis epiſcopus, qui eas Romam vſque perduxit, & cum his pariter occumbere voluit. Quinetiam Geraſina Siciliæ regina, ac Dariæ matris Vrſulæ & Mauriſij epiſcopi ſoror, eius literis admonita, ad ſacram pariter expeditionem conuenit, quę virum nacta crudeliſſimum, ac regno pernicioſum, ad incredibilem manſuetudinem redegit. Hæc cum Babilla, Iuliana, Victoria & Aurea, quæ ſuę filiæ fuerant, aduenit. Quin & Adrianum filium duxit; qui ſororum amore ſacra ſimul ſtipendia fecit, & regnum hæc filio alteri delegauit, huius conſilio virginum ſunt agmina inſtructa. Comparatam igitur claſſem illæ ductu auſpiciisq; Vrſulæ conſcendunt omnes, ſacriq; viri pariter ſequuntur, ac per Oceanum vectæ, dum Gallica littora legunt, in Rheni tandem oſtia deferuntur, & aduerſo amne ad Coloniam Agrippinam primò, deinde Baſileam vrbem perueniunt. Hinc Galli, illinc Germani ſacram claſſem admirantur. E pagis & oppidis ad ſpectandas ſacras virgines homines aduolabant, quæ modulato cantu diuinos hymnos concinebant. Hos choros facilè dixeris angelorum. Sacra carmina vtrinque Rheni ripæ reſonabant. Religioſo vbique hoſpitio excipiebantur, Baſileæ claſſem relinquunt, pedeſtre mox iter initurę, curatis ibi triduo corporibus, à Rheno in Heluetios Leucoſque diuertunt, vt in Italiam rectà contendant. Superato Iuraſo monte, ad Ararim fluuium veniunt, qui Rhodanum influit, deinde ad Budem feſtinantes, traiecto amne, ad Rhodanum contendunt, vbi à cunctis Allobrogum oppidis honorificè excipiuntur. Quum Vezontio appropinquaſſent, ex vniuerſa ferè Narbonenſi Gallia homines ad ſpectanda virginum agmina confluxere, pars plauſibus excipiunt, fauſtis multi acclamationibus extol-

extollunt. Alij hoc exemplo ad religiosam peregrinationem incendebantur, & prophanæ mentis conscij graui pœnitentia corripiebantur, plerique in lachrymas vertebantur, sanctissima virginum studia conspicati, quibus neque labor, neq; languor vllus ex itinere inferri videbatur. Nam incensæ sacræ peregrinationis amore, ferri potius quàm progredi putabantur, sacrorum concentibus rhythmorum cuncta complebantur, angelus Domini ducebat eas. Quum alpibus editissimis, quæ Galliam ab Italia diuidunt, appropinquassent, ne defuere quidem, qui admodum dubitarunt, ne arduum insuperabilemq; cliuum facilè superarent, quando Herculem (vt aiunt) & Hannibalem defatigasse ferunt. Virgineæ tamen acies ita hilari fortiq; animo accliue iter adoriuntur, vt sine labore auium more sublimia iuga conscenderint, nullaq; vnquam in tanta difficultate, neq; ingemuisse, neq; retulisse pedẽ videretur. Nihil est ita arduum & difficile, quod diuinus amor facilè tolerare non possit. Validissimi quæque militis præstabat officiũ, quia nulla militia facilior habetur, quàm ea quæ sponte subitur. Diuino spiritu munitus animus, adamantinum corpus planè sortitur. Vexillum crucis Vrsula ferebat, quã antesignanæ puellæ præcedebant, & non modò ducis optimi, sed strenui militis præstabat officium. O beatissimum puellarum exercitum, in perpetuum virorum ruborem confusionemq; repertum. O egregium delectum, necubi gentium vnquam habitum, & non solùm ad suam, sed omnium quoque salutem adinuentum. At vbi è iugis alpium Italiam despectarunt, magno plausu Romam conclamarunt. Obstupuere Insubres, cæteraque Italia, vbi formosissimas, easdemque sanctissimas cohortes aspexere, quod antehac in Italia nunquã spectare licuit. Quod vbi Cyriaco pontifici maximo significatum est, cum vniuerso collegio sacerdotum ex vrbe Roma prodiens, mirificè exultauit, & quàm honestissimo potuit apparatu, aduentãtes virgines excepit: quod vt faceret, tum patrius, quia Britannus, tum diuinus amor, quia & ipse castissimus erat, effecit. Multæ quoque virgines in eam expeditionem venerant, quæ pontifici neptes proneptesque fuerant, aut quouis alio sanguinis vinculo coniunctæ, quinetiam eadem nocte diuinitus sibi significatum est, se cum illis omnino martyrij gratia occumbere oportere. In sequenti die quum multæ aduenissent, nondum sacro baptismate expiatæ, eas ex more baptizandas curauit, deinde cuncta templa lustrare, & apud omnes basilicas solennia celebrare voluit. Quicquid Deo ibi ex more debebant, eas ritè ac piè persoluere docuit. Quum abeundi tempus instaret, pontifex diuino iussus numine, aduocato sacerdotum collegio, quid facere vellet, aperuit: seq; pontificatu, quum post Põtianum pontificẽ, anno vno ac mensibus circiter duobus Romanæ ecclesiæ præfuisset, sponte cunctis reclamantibus abdicauit. Cardinales eum delirare putabant, quòd in senio mulierculas, non sine sui ridiculo sequeretur. Neq; cœlesti eum interprete admonitum intelligebãt, qui eum vnà cum virginibus in Gallia martyrium subiturum esse nunciarat. Contempta tandem omnium refragatione, sancti propositi tenacissimus, Antherum mira sanctimonia præditum sibi suffecit. Ipse autem quia inuito collegio se pontificatu abdicauit, è Romanorum catalogo põtificum abrogatus est, quin & sacræ virgines, huius causa auctoritatem & gratiam amiserunt. Sacer igitur exercitus, lustrata vrbe, sacris apud omnia puluinaria ritè peractis, ac votis deniq; persolutis, duce pontifice maximo abeunt. Quod quum cæteri vidissent, multi pari charitatis ardore succensi, in eandẽ expeditionem ire contenderant, in primisq; Vincentius cardinalis, Iacobusque Britanno genere natus, metropolita Antiochenus, item Maurisius episcopus, Babiliæ & Iulianæ auũculus, præterea Foillanus Lucensis, & Sulpitius Rauennensis antistes. Quinetiam Etherius Vrsulæ sponsus, qui defuncto patre regno successerat, diuino in somnis admonitus internũciò, vt Demetriam matrem ad ineundam fidem hortaretur, mandata peregit, patremque Agrippinum primo sponsalium anno amisit. Et ne sponsa ignobilior esse videretur, diuinis monitis edoctus, vnà cum sorore Florentina, quum ipse triennio in fide mansisset, sponsæ sanctoque exercitui Coloniam vsque ob-

uiam occurrit, vt pari palma depugnaret, item Clemêtem episcopum è Britannia secum abduxit. Quin etiā Marculus Græcorum episcopus, quum Romam venisset, neptemq; Constantiam, Dorothei regis filiam duxisset, eadem castra sequi voluit. Sed quum Maximus & Aphricanus, prophani Romanorum duces vererentur, ne Christiana fides, quam admodum abominabantur, tam magna incrementa susciperet, quibus falsa religio antiquorum è medio tolleretur, ad Iulium quendam Vnnorum præfectum, quem illi Giula appellant, ad Rheni ripas agêtem, dum Atila cæteras Galliarum oras latè diriperet, scripsere. Si Romanam amicitiam cuperet, operam daret, vt bacchantium mulierum exercitus, quæ à deliris quibusdam sacerdotibus ducerentur, armis omnino deleret, quo nil gratius Romanis, Scythicis numinibus addictis, & præsertim Marti ac Herculi, quos communes cum gente Scythica progenitores ac Deos habent, fieri posset, & patrandi facinoris tunc tēpus fore nimis idoneum, quum ad Coloniam Agrippinam rediissent. Iulius vt Romanis ducibus gratificaretur, & Christianum sanguinem, quo Vnni satiari non poterant, hauriret, se diligentissimè mandata facturum pollicetur. Quum eas ad classem in Rheno relictam rediisse cognouit, Maximi & Aphricani literis edoctus, ad Coloniam tendit insidias, quod nec Vrsulam, nec pontificem Romanum latebat, quando cœlesti rerum futurarum internuncio monebātur. Quum secundo amne deuectæ, Coloniæ appropinquassent, præsidente è puppi Cyriaco pontifice, Vrsula in media classe, inter sacras virgines ita præfatur. Nemo, sorores integerrimæ, legitima præmia consequi potest, nisi prius benè certarit. Neque cuiquam in cœlis animam reperire licet, nisi qui eam hic pro Deo cōtempserit, & amiserit. Iniquum est enim, cum saluatore nostro cœlestium regnorum fieri cohæredes, nisi pro eo vitam deposuerimus. Præ nimio charitatis ardore, qui propria morte sponte nos ab omni perpetua mortalitate redemit, nos Iesu Christi optimi maximi signa sequutæ. Sacra huc vsque stipendia fecimus, diuina ope maxima quęque bella gessimus, opima spolia sæpe retulimus, rugientem hostem sæpissimè vicimus. Intestinas seditiones, quæ perniciosissimæ ac formidolosæ esse solent, benè repressimus, & ducis nostri sapientia omnia prosperè ac feliciter euenere. Quænam maior, quàm sui ipsius potest esse victoria? Quis etiam triumphus potest esse præstantior, quàm captiuam carnē ducere, vincere se ipsam, & de concupiscentia carnis gloriosissimè triumphare? Quod vt facilius assequeremur, in salutarem hanc expeditionem pedibus profectæ sumus, in qua nulla vis illata, quamuis per Atilæ incendia adhuc fumantia, intrepidè iter Deo duce faceremus. Nullus labor sanè perceptus, quamuis editissimas alpes superare cogeremur. Nullus denique morbus ac languor ingruit, nec metus incessit, quamuis fœmellæ in longissima peregrinatione diu versaremur. Quare iam experientia docuit, quàm suauis sit diuina seruitus, & quàm saluatoris nostri leue iugum, in cuius seruitio cuicunque mori datum est, certam veramq; felicitatem illi sperare licet. Sed quis hoc non facilè fecerit, qui ad tanti regis obsequia non modò se natum, sed diuina clementia ab ęterno delectum & prędestinatum esse reputaret? Vbinam gentium vnquam auditum, tot milium virginum habitum esse delectum, quæ tam salutarem ac opimam militiam militarent? O beatas animas, quas ad æterna præmia Deus ipse seruauit. O ineffabilem clementiam redemptoris, si quas ad sacra castra euocauerit expeditione triennij, reddet emeritas, & maiora tyronibus, quàm veteranis stipendia persoluentur. Ni fallor, sanctissimæ sociæ, iam felicitatis nostræ tempus instat, & vt diuinitus hesterna nocte sum edocta, charitatem constantiamq; nostram sacrosancto martyrio, veluti obryzum igni, approbare vult dux noster. Quinetiam & de calice suo diuina benignitate nos cōpotionare dignatur, vt virtutem nostram periclitetur, quam ipse sua gratia roborauit, vt in ruborem virorum, prophanarumque gentium confusionem, in fœmineo sexu orthodoxæ fidei vires ostendat. Dum sæuus Atila per Gallias cædibus vsquequaque grassatur, magnam Vnnorum partem ad Rheni ripas planè reliquit, quæ Coloniensem agrum passim diriperet. Coloniam

loniam Vnni obsident,nosque præter Coloniam transire opus est,si classe vehi decernimus: si verò pedib.iter facere malimus, per media efferatissimarũ gentium castra ire cogemur. Quod à clemẽtissimo saluatore nostro idcirco ita statutum est, & permissum, vt quum ad peregrinationis finem peruenerimus, ab Vnnis corporibus exutæ tot virginum acies, demum ouantes in cœlestia regna inter diuos referamur. O immẽsam saluatoris nostri benignitatem, incontemplabilemq; misericordiam,quippe qui ne diuturniore nos militia cõficiat, breuissima momentaneaq; morte ex his ęrumnis nos eripere dignatur.Quinetiam suo mihi significauit internuncio, Etherium sponsum meum, Demetriam ma-
10 trem à falsa religione vindicasse,& cum sorore Florentina,& magna Britannorum manu cras nobis occursurum,vt diuinitus admonitus,pari nobiscum mortis felicitate fruatur. Neque patitur Deus meus, me sine sponso fieri beatam. Proinde scitote,ac vos ita saluatoris nostri nomine certiores efficio, Vnnos fera rabie nos omnes cras ad Coloniam circumuenturos,& in nos vsqueadeo sęuituros,vt ad vnam omnes contrucident, vt ereptis corporum exuuiis, in cœlum,vnde demissæ fuimus,suffundant,fugentq;,néve inter prophanos ampliùs versemur. Quare quum Scythici lupi in oues sacras irruent, forti animo iugula porrigite,contemnite mortem,præsentis vitæ miseriam recognoscite,& futurę beatitudinem exoptate,citoq; dissolui percupite,vt saluatore nostro,cuius bea-
20 tissimum conspectum tantopere anhelamus, extemplo perfruamur. Nolite expauescere, quia saluator noster nusquam aberit. Et vt tutius martyrium obeamus,nobis vicarium suum delegauit,qui mentes nostras pro demandata potestate lustraret, ipseque nobiscum paria stipendia meritus in astra reduceretur. Quare quum hora mortis aduenerit,hilares ac lętæ,tanquam omni miseria carituræ, forti animo occumbite. Vestra vltrò corpora Deo in holocaustum suauissimum offerte,inter amplexus angelorum animas effundite,in manusq; Domini spiritum commendate. Magnanimæ virginis oratione sic omnium animi confirmati,vt nil hoc felici mortis genere ducerent antiquius, sic eã immodicè anhelabant,vt nunquam moriendi horam adfore reputarent. Cõclamant
30 omnes,sponte morituras. Ad hæc Pontifex maximus præ gaudio in lachrymas cõuersus,qui diuini tãtum ardoris ac roboris in virgineis tenellisq; pectoribus intueretur,& quòd viri à mulierculis, & à tyronibus veterani turpiter superari viderentur.Quare ab eo omnibus est diuino nomine benedictum,simul & edictum,quando postero die moriendum esset, quo in manus hostium erant peruenturæ,insomnem eã in sancta oratione noctem ducerent, & Iesum clementissimum exorarent, ne in truci prælio virginea corda, quæ sibi delegerat,sanè desereret. Illud fuit admiratione dignissimum,ad hæc nullam è tot milibus ingemuisse,nullã expauisse,& fatum instans reformidasse,neque detrectasse mortem.Curatis aliquantisper corporibus,per vniuersam classem nocturnum silen-
40 tium indictum,quęque pro se instantissimè modò Deum orare,ne deserat,modò gratias agere, quòd immaturæ,ac nondum emeritæ æternis militiæ præmiis donarentur,diuinam in se pietatem assiduò contemplari,& ea contemplatione refici & beari. Nihil minus succurrere, quàm aut perhorrere, aut deprecari fatum. Ast vbi noctem tranquillam transegere, prima hora diei, sacra ritè peragunt,& à decimo lapide soluunt. Etherius ecce sponsus occurrit,& Pontificem præueneratus Vrsulam salutat. Ad quem,Salue (inquit illa) Etheri mi,in Christo saluatore nostro suauissime. Faustus & felix sit iste tuus aduentus, quando tanto creatoris & sponsę ardore flagrasti,vt nobis occurreris,dexterrimum statum pro Christi fide subiturus. Et quia vocatio nostra non patitur, vt terreno
50 hic connubio incestemur, ne frustra huc contendisse videare, hodie in cœlo (mihi crede) solennes nuptias celebrabimus. Proinde quando iam iam hostes aderunt,mecum Deum exora, vt quàm primũ apud superos perpetua in saluatore nostro coniugia consummemus. Vrsulam diuina verba resonantem Etherius admiratus, eo magis in Domino sponsam amauit. Respondet se hactenus propter Vrsulam Deum amasse, contrà nunc Vrsulam amare propter Deum,

illius gratia esse felicem, eiusdemq; precibus adiutum, nihil reformidaturum, nihilq; vehementius expetiturum, quàm si cum ea pro Christo mori liceat. Et quando eius intercessione in veram lucem assertus est, se omnia pollicetur pro vero Domino & Deo suo, æquissimo animo subiturum. Pōtifex in strenuissimi sponsi amorem exardens, repente iuuenem amplexus, grauissimis in fide verbis confirmat, amplexantur cæteri patres, plausuq; ingenti à virginum choris excipitur: Sponsæ dextram perreuerenter apprehendit, & pudicissimo eā vno duntaxat osculo prælibauit, quod & pontificis permissu factum est, vt quod virgineum in terris coniugium iniuerint, iam dudum apud diuos in Christo consummarēt. Et quum iam ad tertium classis lapidem appropinquassent, Pontificio mox omnes admonentur edicto, quo sibi hostes propius imminerēt, eo impensius diuinis precibus incumberent, præ nimia apud diuinam clementiam pœnitentia, delictorum impunitatem implorarent, demum exorarent, quum sibi placitum fuerit, ærumnis humanis eriperet. Iussæ imperata faciunt, gemitibus & lachrymis omnia complentur. At vbi Colonię est applicitum, hostes qui vtranque Rheni ripam occuparant, continuò sacra agmina circumueniunt, in ripamq; descendere patiuntur. Vrsula crucis vexilla ferēs, in terram prima desiliuit, mox cum sponso Pontifex, deinde cæteræ naues ripę proras admouent, certatimq; puellæ desiliunt, non vt ad martyrium, sed cōuiuium inuitatę. Quas omnes quum Pontifex planè spectasset, Euolate (inquit) felices animæ, & fragilia hæc deponite corpora. Tu autem Iesu Christe optime maxime, quando tuo ductu huc appulimus, fideles tuos propius respice, & plebis tuæ animas in tua regna, quoniam semper in te sperauimus, clementer admitte. Vix hæc intonuerat, quum Giula Vnnorum præfectus, vexilla crucis abominatus, infesto in virgines agmine ex composito irruit, ne minore quidem in mulierculas, ac in viros ferocia sæuit. Nulla reluctatur, flexis pars magna genibus iugula porrigere, manus Deo ad cœlum efferre, piis numinibus commendare animas. Nonnullę quæ subsidebant, clausis fatum oculis expectare, conuitiis pleræque irritare sicarios, aut in diuersa furentibus sese offerre, inuidere quandoque præmortuis, tanquam vices præripuerint. Discurrere aliæ, ne cædi superessent, pro expirantibus orare aliæ, quæ primo ictu non ceciderint, sacrum quæque fatum admodum sperare. Cyriacus aliquantisper à Giula spectatus, sub pontificio habitu oppetiit, in cæteros patres mox sæuitū est. In medio agmine Vrsula, erecto crucis vexillo animosius stare, orare pro suis impensius, interfectoremq; suum expectare. Quatuor circiter horis virgineæ legiones vndique ferè ceciderant, sola Vrsula tanquam in pręsidio ad triarios redacta, cum paucis vicem suā Deum exorat. Ecce Iulius tanquam longa cæde satiatus, quem Vnni Giula appellabant, cæso in conspectum sponsæ Etherio, qui præ martyrij gratia omnem ferociam planè remiserat, puellam procul exclamans, bene sperare iubet, eius venusta maiestate commotus, suam fore sponsam pollicetur. At hæc neque prophanum canem quenquam, neque dirum hostem, castitatem suam, quā Iesu Christo vouerat, incæstare posse respondet. Conuitiis irritatus hostis, & ab ea viliter aspernatus, virgineum illius pectus sagitta transfigit. At illa cum vexillo crucis procidens, quod adhuc mortua pertinaciter retinebat, in angelorum amplexus animam efflauit. Sola ex vndecim milibus, Cordula virgo remansit, quæ illa nocte metu correpta, sub nauis carina delituit, postero die prodiens, ne martyrium detrectaret, à feriente tyranno letalem ictum exegit. Hæc inter diuas vnà cum cæteris relata non est, quia cum reliquis eo die cæsa non fuerit, sed multo pòst tempore, sacræ cuidam virgini in somnis apparuit, mandauitque, collegio sacerdotum suo nomine nunciaret, Postridie eius diei, quo vndecies mille virginum festa fierent, sua solennia celebrarent. Sedente Anthero pontifice maximo, & imperante Maximiano, quamuis hæc gesta fuisse Annales quidam referunt, ratio tamen temporum nullo modo constare potest. Multo rectius sensere illi, qui quum diu post Constantinum Vnni Gothique sæuierint, hæc imperante Martiano, & anno salutis trecentesimo quinquagesimosecundo accidisse

352.

cidisse

cidisse tradiderunt. Harum corpora Coloniæ in commune sacellum relata. Vnde quum sacerdos quidam his deuotissimus, corpus vnius virginis impetrasset, quòd in ædem suam religionis causa subinde transferret, dum matutina sacra fierent, illa virgo resumpto corpore, spectante vniuerso collegio sacerdotum, magnam aram præuenerata recessit. Antistes mox tumulũ adiens, reconditam virginem non inuenit. Ad harum aras innumera fidelium vota nuncupantur, miræque tabellę templi valuis affixæ sunt. Quendam Germanũ harum religioni addictum, quum morbo admodum laboraret, ex his vna dormientem adit, edocetque, si vndecies mille dominicam orationem dixerit, totidem
10 virginum ope ac patrocinio in hora mortis non carebit, cuius exitus promissa probauit. Atila igitur quum flagellum Dei fuerit, multis ad salutem, quàm plurimis ad supplicium, sibi denique ad perniciem natus est. Vniuersas Gallias, & maximam Germaniæ partem ipse vastauit, solũ Traiectum quod inter ostia Rheni situm est, diuino Seruatij episcopi patrocinio liberatum, quippe qui desertis Tungris, quos ex Vnnorum manibus eripere nequiuerat, basilicæ suæ facultates Traiectum sanè transtulerat. De viro sanctissimo prodigia miranda feruntur. Illis nanque temporibus dum ei sacra fierent, patefacta desuper æde, columna ignis altissima è cœlo, ad tumulum vsque suum, à prima vigilia noctis ad auroram vsque pependit, quod non oppidani solùm, sed finitimi quoque, ac a-
20 lienigenæ plurimi apertè viderunt. Quare tanta religionis facta est occasio, vt hunc potissimũ colerent, inter diuosq; referrent, sepulchrum eius in media æde situm nunquam tecto cooperire valuerunt. Et quamuis ibi sub diuo rem diuinam faciunt, votaq; suscipiunt, nunquam tamen sacris neque imber & grando, neque nix & tempestas vlla obfuit. Vnnorum quoque temporibus Genouepha virgo claruit, ne paruum quidem sanctitatis exemplum. Hanc enim beatus Germanus cum Lupo (de quib. suprà dictum est) in Britanniam profectus, quum ad Nemetodorensem ædem orandi gratia diuertisset, occurrẽte sibi magna ciuium manu, vbi conspicatus est, ad parentes exclamat, quod nam virgini nomen esset. Quũ Genouepham illi nomẽ esse retulissent, O beatam (inquit)
30 virginem, cuius gratia multi quoque æternæ fœlicitatis præmia consequentur. Quam vbi propius admoueri iussit, subinde rogat, án ne Iesu Christo dicari, ac intemerata permanere cupiat? Continuò puella respondit, Nil se vehementius affectare. In eius rei memoriam illi nummũ Germanus æneum cruce decussum è collo suspendit, vt se Deo addictã hæc bulla quotidie admoneret. Quin & aurum, argentũ, lapillos & vniones collo ac digitis interdixit. Profecto Germano Lupoque, quum paucis pòst mensibus mater ad rem sacram proditura, eam domi remanere pręciperet, illa continuò illachrymans exclamauit, Egó ne datam Germano fidem in Christo non seruabo, & saluatoris mei non frequentabo ædem? Moriar potius, ac materna imperia detrectabo, quàm sacri saluta-
40 risque promissi rea fiam. Ad hæc irata parens graui gnatam colapho collisit, quare luminibus statim capta est, nouem ferè menses orbitatis pœnas exoluit. Quæcunque Germanus antè prædixerat, memoria repetens, mira se pœnitentia macerauit. Ecce post hæc vno die filiam orat, vt ad diluendos oculos putei aquam sibi afferat. Obsequentissima virgo ad puteum profecta, dum hauriendæ incumbit aquæ, maternæ miseriæ memor, cuius se auctorem incusabat, in amarissimas lachrymas effunditur, Deum exorat, ne se maternæ orbitatis statuat auctorem, lucem reddat, vt præpotentissimi, eiusdemque clementissimi numinis pietatem intelligat. Mox haustã signo crucis aquam lustrat, quam oblatam parens deuotissimè accepit, admotaque oculis continuò reuidit. Paucis
50 pòst diebus oblata cum duabus fortè pontifici, vt sacris initiaretur, quum tertia sequeretur, Anteferte (inquit ille) nouissimam, quia cœlitus hæc prima sanctificationẽ est adepta. Defunctis parentibus, Parrhisium in Lugdunẽsem Galliam transmigrauit, vbi eius sæpe corpus paralysi vsq; adeo sæua laborauit, vt triduo iam exanime rubentibus tantùm genis obseruaretur, quæ vbi ab aduersa valetudine respirauit, se ad inferos deductam, beatorum campos & supplicia im-

piorum lustrasse affirmauit. Quum Atila Parrhisioru finitimos diro passim bello vastaret, ciues pro se quisque vrbis excidium reformidantes, fortunas in tutiora vicinorum oppida transferre studebant. Genouepha matronas conuenit, eas orat, viros adeant, ac ne fortunas exportent, admoneant, quando finitimæ regiones omnes ab Vnnis latè diripientur, dicere Parrhisiorum prædas & incendia vigiliis & orationibus eas deprecari posse, proinde ab eo consilio viros dehortentur, ad diuinam opem confugiant omnes. Quia Parrhisium sub Iesu Christi optimi maximi tutela situm esset, qua nil tutius excogitari potest. Talia dicenti oblatrare multi, & pseudoprophetam conclamare, blatterare alij ac dicere aut lapidibus competendam, aut Sequanæ gurgite demergendam. At illa, ne publicæ saluti deesset, eo acrius instare ac ingeminare, vrbem sacris precibus esse protegendam, placatis numinibus rempublicam fore tutissimam. Quidam interea sacerdos ab Antisiodoro missus aduentat, testimonium diui Germani in medio foro referens, Genouepham à matris vtero à Deo delectam exclamat. Germani elogia publicè recitata, his igitur maligna multitudo confusa abijt. Acerrimam Atilæ obsidionem, quam Vnni propediem moliebantur, sanctissimis precibus virgo sacra dissoluit: Parrhisiorum agrum, intacta tantùm vrbe, populantur. Ex quibus coniici potest, in calamitosis temporibus sanctæ linguę quanti sit habenda deprecatio. Nam quum ex ira diuina mala proueniant, placatis numinibus cuncta mitescunt. Sed huius vitæ austeritatem & miracula prosequamur, à quintodecimo hęc anno ad quinquagesimum vsque, hordeaceo tantùm pane & faba contenta, bis in hebdomade cibum sumere, talia celebrare ieiunia, nũquam aliquid libidinis fomentum edere, inedia corpus macerare. Quinquagenaria episcoporũ iussu hordeaceo pani lac & piscem adiicere, ne ad mortẽ ferè consciam festinare videretur. Catulacensem vicum, vbi diuus Dionysius morte mulctatus est, præreuerenter frequentauit, cui basilicam quoque deuouerat. Sacerdotum collegia supplex adiit, vt ex collata pecunia ædem illi facerent, at illi modò paupertatem, modò calcis inopiam causari. Contrà illa diuinitus effata, Egredimini (inquit) quæso ad Pontem vrbis, & quæcunque audieritis, nunciate mihi. Egressi dum in foro stant attenti, si quid acciperent, ecce subulci duo aduentantes inter se verba faciunt: alter, Dum suis (ait) vestigium vagantis opertus legerem, maximam fornacem calcis inueni, Ego quoque itidem in sylua, inquit alter. Hæc quæ audierunt stupidi sacerdotes, virgini referunt, ast illa præ gaudio in lachrymas effunditur. Quæ vbi ciuibus significata sunt, magnifica è collata pecunia ædes erecta, Dionysioq; dicata. Ne sacra quidem prodigia in ædificanda basilica defuere. Nam quum potus fabris lignariis fortè deficeret, cadum accepit, quem vbi exorato numine signo crucis expiauit, mox operariis plenum propinauit, pariq; exuberãtia semper redintegratus diuinitus, eorum sitim ad consummatum vsque opus expleuit. Quum in sabbato sub gallicinio, ad diui Dionysii basilicam egrederetur, ecce funale prælatum extinguitur, turbantur virgines, comitesq; eius, ne quid per noctem turpitudinis horrorisve paterentur: at illa funale sibi dari iubet, quod vbi in sacra manu constitit, protinus incensum eluxit, admotumq; languentibus plerosque curauit. Mulier, quæ eius calciamenta subtraxit, luminibus repente caruit, petitáque venia, lucem recuperauit. Hildericum Francorum regem virgini deditissimum, quum de magna noxiorum manu supplicium sumere statuisset, accepissetq; Genouepham pro his oraturã aduentare, portas arcis continuò claudi imperasse ferunt, quibus aditus inhiberetur. At illa intellecto regis consilio, nihil minus remorata ad eum contendit, cui tactæ manu continuò fores patuere: ante regem cõstituta, præ rei miraculo cunctorum capitalium impunitatem facilè impetrauit. In Dionysij æde, huius opera energumeni complures curati. Beatum Simeonem ferunt profusa veneratione eam salutasse, impensiusq; postulasse, vt inter orandum Simeonis quandoq; reminisceretur. Ab Epiphania ad cœnam vsque Domini in cella recludebatur, vt exorando & contemplando, Deo expeditius incumberet, ad cuius ostium quum puella venisset, vt quid nam illa

nam illa faceret,per rimas exploraretur, euestigio lumē amisit, sed exacto quadragesimali ieiunio eiusdem opera lucem recepit. Quum in templo diui Martini,e Pannonia oriundi,ad Turonensem vrbem oraret,correptum à dæmonio quendam è psallentibus continuò liberauit.In agro Meldensi imminente tempestate, perculsisque messoribus,vastata cætera regione,sola sua messis intacta permansit. Annos vixit octoginta,ac tanta præpolluit sanctitate, vt futura diuinitus inspirata prædiceret, omnia morborum genera curaret. Tertio nonas Ianuarias inter diuos relata.Haud parum equidem lætor, me hāc nactum occasionem,quum à procella Vnnica multos eius numen exemerit,diui Martini Pan
10 nonici, non vitam,sed titulos potius esse scripturum,ne in Pannonica historia potissimum Pannoniorum decus videar subticere. Martinum Seuerus ait, Sabaria Pannoniæ oppido oriundum, alitum Ticini, ne infimis quidem parentibus ortum, quamuis orthodoxa fide carerent. Pater tribunus militū fuit,ipse à pueritia primùm sub Constantio, deinde sub Iuliano Cæsare meruit, quamuis inuitus, quando à teneris annis sub Christo optimo maximo stipendium facere voluit.Sed quum ex edicto Imperatorum,filij veteranorum,nomina dare cogerentur, vi adactus militari sacramento obstrictus est.In cōmilitones sibi fuit mira benignitas, inaudita charitas, patientia cum humilitate singularis. Ante baptisma triennium militauit, quo quidem tempore omnia sic pietatis officiá
20 compleuit,vt è stipēdio nihil,præter quotidiano victui necessaria reseruarit. In Ambianensium porta væsaniente hyeme destitutum pauperem, dissecta ensē chlamyde,contexit. In sequenti nocte Christum saluatorem vidit in somnis ea parte tectum, qua horridulum rogatorem piè donarat,& dicentem, Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit. Natus annos duos de viginti baptismate initiatur, Barbaris Gallias inuadentibus.Quum Iulianus coacto exercitu ad Vangionum oppidum pecuniam cum donatiuo militibus erogaret, stipendium cum donatiuo recusauit, vt integrum sibi foret longè meliorem militare militiam, quod ne faceret,nullis Imperatoris minis adigi potuit.Militia exauctoratus humana, Hilarium Pictauiæ episcopum continuò petijt,spectatæ
30 sanctitatis virum, à quo exorcista factus est, per soporem admonitus parentes reuisit, in itinere latronem ad fidem sanctamque vitam reuocauit. Quum pręter Mediolanum iter faceret, apparentem sub humana specie sibi dæmonem sacro verbo repulit. Matrem ad veram fidem reuocauit, indocilem ferumqué patrem dimisit.Quum Ariana hæresis totum ferè Illyricū infecisset,dum in coinquinata sacerdotum collegia concionaretur, publicè virgis cæsus est variisq; contumeliis affectus.In Italiam relatus, quum Hilarium hæreticorum vi in exilium exactum accepisset, Mediolani substitit,ibique monasterium sibi statuit. Vnde Auxentii Arianorum principis factione eiectus,in Galinariam secessit insulam, vbi radicibus herbarum & gramine victum traxit. Helleborum inscius
40 sæpe comedit, omneq; veneni nocumentum in nutrimentum prece conuertit. Facta Hilario redeundi copia,Romæ occurrere conatus,quum non inuenisset, vestigia sequutus adhibuit, ab eo gratissimè susceptus, non longè ab oppido sibi monasterium collocauit.Catechumenum ad se venientem,vt suis disciplinis institueretur, ac mox vita se absente defunctum, reuersus reuocauit in lucem.Lupicini Honorati seruum, qui laqueo sibi vitam cōsciuerat,à morte suscitauit.Turonicum tandem episcopatum inuitus accepit. In episcopatu hominum frequentia infestatus,ad tertium lapidē secessum petijt,hinc montis rupibus, illinc Ligeri amne circumseptum,qui vnica tantùm via,eademq; arcta adiri poterat. Octoginta sacerdotum ibi secum collegium instituit, quibus esus
50 carnium ac vinum erat interdictùm. Mollis habitus pro crimine iudicatus, cilicium ex camelorum pilo ferre mos erat. Locum nō procul à monasterio suo, falsa hominum opinione, pro religiosissimo habitum,sua visitatione expiauit, prophanumq; declarauit. Sordidam ac trucem latronis vmbram palàm loqui imperauit. Vetus altare demolitus,populum ab illo superstitionis errore vindicauit. Diruit in vico quodā templum antiquissimum,mox pinum tēplo proxi-

mam aggreditur excindere, aduersante antistite, turbaq; infidelium, inclinatam in se pinum intrepidus dum excinderetur, expectauit, ruentemq; cum magno fragore arborem, solo salutis signo repulit, tantoq; miraculo ad veram fidem eos conuertit. Quum pauci admodum, immo nulli in Aquitania Christi nomen audissent, maximam Galliæ partem orthodoxa religione illustrauit. Antiqua phana diruit, sacra templa vbique fundauit. Incendia occurrens sæpe coercuit. In vico cui Libroso nomen erat, templum prophanum adorsus demoliri, à magna Paganorum manu cum ignominia reiectus est. Mox implorata diuina ope, cum duobus angelis reuersus, antiquam ædem diruit, idola cunctis spectantibus planè diffregit, quo quidem spectaculo ad veram fidem vniuersa turba conuersa est. In pago Heduorum, cùm antiqua phana, aduersante paganorum turba, dirueret, vt à falsa eos religione vindicaret, multos in se stricto gladio furentes miraculosè repulit, diuinaque virtute conuicit. In Treueris puellam dira paralysi correptam liberauit. Tetradi proconsularis viri seruum ab incluso dæmonio asseruit, in eadem vrbe dæmones è coquo quodam eiecit. Parrhisios ingressus, obuium ad portam leprosum, vno duntaxat osculo, spectãte turba, mũdauit. Quartanariam Arborij puellam, sola curauit epistola. Cilicij fimbriæ, deuotione subtractæ, varijs morbis medebantur. Paulino oculum panniculi contactu, sublato dolore restituit. Martino è scalarum casu multis vulneribus affecto, in sequenti mox nocte, Angelus contusi corporis ita liuores salubri vnguento deliniuit, vt postero die nil sentiret incommodi. Quum ad Maximum Imperatorem ferocis ingenii virum, & bellorum ciuilium victoria elatum, plures episcopi conuenissent, & seruilis eorum adulatio circa principem notaretur, in solo Martino apostolica permansit auctoritas, quippe qui quoties pro aliquo regi supplicare cogeretur, imperauit potius, quàm orauit. Principis cõuiuium sæpe recusauit, dicens, se eius mensæ non posse esse participem, qui duos Imperatores, vnum regno, vita alterum eiecisset. Excusanti se Maximo, imperium non sponte sumpsisse, impositam sibi à militibus necessitatem regni armis defendisse, & non alienam ab eo Dei voluntatem videri, penes quem tam incredibili euentu victoria fuisset, nullumq; ex aduersariis, nisi in acie occubuisse, reconciliatus facilè cessit. Ad prandium principis inuitatus accessit, in quo Euodius consul & præfectus vir iustissimus adfuit, oblatam Maximi nutu à ministro pateram, vt ab illius dextera poculum sumeret, Martinus vbi ebibit, mox presbytero suo propinauit, veluti nullum digniorem existimaret, qui post se subinde biberet, conuiuæ omnes factum non temerè admirati sunt. Maximo antè prædixerat, si ad Italiã pergeret, quò ire cupiebat, cum Valentiniano congressurus, primo se impetu victorem futurum, sed paruo pòst tempore periturum, quod quidem rei exitus approbauit. Nam Valentinianus primo aduentu in fugam versus, post annum resumptis viribus, captum intra Aquileiæ muros Maximum interfecit. Martinum angelorũ colloquio esse visum constàt, contrà cum dæmonibus sæpe congressum, quippe qui eius oculos latere non poterant, eosque conuitiis Martinum frequenter vrsisse, quia fallere non possent insidiis. Omnia diabolorũ præstigia soluit. Iuuenem nomine Anatolium, re verò subornatum diabolũ, sub professione monachi, humilitatem ac innocentiã ementitum, ac Monachis interminatũ, ne Martino crederent, seq; à Deo per angelos cãdida stola donatum esse affirmantẽ, viri sanctitas planè detexit. Diabolus quadam nocte Martino Christi formã ementitus apparuit, ab eoq; delusus, vt fumus euanuit. Summa viro in sermone grauitas, & dignitas inaudita, in absoluẽdis quæstionibus scripturarum perquã acer, efficax, promptus & facilis, diuina in viro reluxit humilitas. Quo die Seuerũ excepit, virum profectò doctissimũ, ipse aquã manibus obtulit, ad vesperumq; pedes lauit. Animus cœlo semper intentus, temperãtia inaudita, incredibilis perseuerantia, rara abstinentia, nullum vacuum ab opere Dei tempus. Nulla vnquam hora momentumque præterit, quin aut orationi insisteret aut lectioni. Neminem iudicauit, damnau it contrà neminem. Nullius vindictæ memor, immo perquam immemor

memor iniuriarum, diuina humanaque charitate semper æstuauit. Neq; iratus, neque commotus, neque mœrens, neque ridens inuentus est. Vnum eundemque vultum, cœlesti quadam æquanimitate suffusum præferebat. Nihil in ore eius, præter Christum: nihil in corde, præter pietatem, pacem, misericordiam & charitatem inuentum est. Quare qui sanctissimum, ac inter diuos iure relatum non crediderit, non alius quam prophanus & sacrilegus iure haberi potest. In secretario sedens, nunquam cathedra vti voluit, rudi tantùm tripode contentus. Algenti pauperi, & intra amphibalum irrumpenti tunicam latenter obduxit. Quum in solennibus ante aram constitutus, rem diuinam faceret, repente
10 flamma caput circumlambere visa est. Euantium languore, puerum quoq; lætali serpentis morsu liberauit. Quum præcedens iter faceret, inusitato habitu mulas, quę currum traherent, fortè deterruit, quare ab essedariis grauiter cæsus est, mulæ pro tali facinore quum loco moueri non possent, essedarij pœnitentia ducti, & ad Martini pedes constrati, veniam & abeũdi copiam implorarunt. Ante episcopatum duos mortuos, vnum in episcopatu suscitauit. Nam in Carnoto vico mortuum mátri filium, ac è morte reuocatum planè restituit. Quum adituro Valentinianus postes iussisset occludi; angeli continuo motu patuere. A Maximo nimium veneratus, & pro Deo cultus ab vxore, quorum familiaritatem minimè recusauit, quo facilius miseris opitulari posset. In confinio Bitu-
20 rigum & Turnorũ Claudiomagus vicus est, celebris quoq; ibi ecclesia, in cuius secretario Martinus quandoq; peregrinando permansit, & in stramento requieuit. Eo abeunte sacerdotes ac virgines stramentum ex deuotione partiuntur, quod quum ad energumeni ceruicem suspendissent, qui dæmonio agitabatur, citius dicto conualuit. Inter duas flammas positus non sensit incendium. Inter ambulandum petitum leporem miseratus, vnica tantùm voce canes inhibuit. Venerandam virginem præ fama visurus, repulsam habuit, quia cum nullo vnquam viro se loquutam fatebatur, quare illam miris laudibus commendauit, ac missum à virgine xenium libenter accepit. In cubiculo à Petro & Paulo, item ab Agnete, Thecla & Maria se sæpius visitatum non negauit. Consultus finem
30 seculi, discipulis respondit, Neronem & antichristum prius esse venturos; ad Occidentem alterum, alterum ad Orientem latè dominaturum. Neronem ad Occasum decem reges subacturum, vt colant idola. Antichristum Hierosolymis imperaturum, vrbem cum templo restituturum, Christianos insectaturum, vt a Christi fidę deficiant, seq; Christum & Dei filium credant. Neronem, totumq; orbem huic sanè cessurum, ac eo vsque regnaturum, donec à Christo adueniente proteratur. Turocenses Aniciani comitis crudelitate liberauit. Mutam à natiuitate puellam, colloquij compotem effecit. Briccionis presbyteri crimina, sola duntaxat patientia diluit, suisque precibus ad meliorem frugem reuocauit. Pagum in Senonico quum quotannis cum vineis sæua grando vasta-
40 ret, Martini oratione omnis tempestas diu lõgè repulsa. Asseruit Anicianum à dæmone, qui tyrãnum ad barbaram semper feritatem irritabat. In vico Aurbaciensi supra ingentem molem simulachrum quoddam fortè consederat, insano sumptu factum, Marcello sæpe presbytero mãdarat, vt idolum dirueret, ne hac amplius religione falsa populi eluderetur, quod quum ille difficultatem causaretur, Martinus sola oratione, orta tempestate subuertit. Simile quoque idolum ingenti columnæ impositum, demissa è cœlo parili columna, diffregit. Mulier quę sanguinis profluuio diu laborarat, tacta vestimenti fimbria, repente curata. Nonnulli qui in naufragio exclamarunt, Martini Deus miserere nostri, continuo desidente procella liberati. Lycontij familia, eius tantùm epistola pestilen-
50 tiam euasit. Quum obitum suum multo antè præsciret, instare sibi propediem corporis dissolutionem, discipulis significauit. Sed antequam obiret, ad componendam sacerdotum discordiam, in Condatensem diœcesim contendit, ratus haud ab re in id tempus suam mortẽ incidere, quo pacem ecclesiæ suæ præstitam delegasset. Arcadio igitur & Honorio imperantibus, diuus Martinus Turonorum episcopus, vir omnium sanctitate præcellens, octogesimo primo

ætatis ſuæ anno, epiſcopatus verò vigeſimo ſexto, apud Condatenſem diœceſis ſuæ vicũ, hac vita exceſſit. Ab vniuerſa paſſim Gallia deploratus, & inter diuos cum magna angelorum pompa relatus eſt, quod patres plerique ſanctiſſimi, veluti Seuerinus Colonienſis epiſcopus, planè ſenſere. Nunc ad hiſtoriam redeamus. Dum Iulius Vnnorum præfectus, Giula dictus, ad Coloniam Agrippinam tanta in virgines feritate graſſatur, Atila cum reliqua parte exercitus, quicquid inter Rhenum & Sequanam populorum effunditur, id omne diripit, & incendit. Batauos, Menapios, Ambianos, Morinos, Belluagos, Veſſones & Leſſubios pariter expugnat. Neque traiecta Sequana, Cenomanis, Venellis, Aulirgis, Diablitis ac Venetis pepercit. Quin & Siſmios, Andicanos, Tricaſſos & Samnitas, Ligeris fluminis accolas, qui Aquitaniam à Lugdunenſi Gallia ſeparat, grauiſſimis incurſationibus infeſtat. Et quos nunc Normannos dicimus, qui inter Ligerim & Sequanam effunduntur, omnes diro bello ſollicitat. Populata demum Gallia, Rhenum traiicit, Sicambros & Buſactres aggreditur, qui intra Rhenum Vidrumque amnem protenduntur. Aſtyburgum & Naualia grauiter oppugnãtur. E Lituergis & Nitrionibus præda ingens affertur. Mox tranſmiſſo Vidro & Amaſo, Phryſii, minoresq; Cauchi interiacẽtes ſpoliantur. Neque traiecto Viſurgo Albiq; fluuio Cauchis maioribus, Teuthonariis & Virunis ignotum eſt. Sed ad Druſi trophæa vſquequaque diſcurſum. Quin & vltra Albim Saxones, vniuerſaq; Cimbrica Cheronneſus graui bello ſollicitata, Sarmaticique ſinus littora paſſim ſpoliata. Vix populi, qui cum Vnnis militarunt, detrimento & rapinis carere potuerunt. Solum Traiectũ ad Rheni oſtia ſitum, diuina ope ſeruatum. Deinde in Turingiam cum vniuerſis copiis ſe recepit, & apud Iſmarum vrbem non ignobilem diebus aliquot requieuit, vt defeſſa longo bello corpora reficerentur, & animi populatis tot regionibus, & ingenti prę da exhilarati, aliquanto commodius recrearentur. Atque vt nulla è Catalonica ſtrage detrimenta ſe paſſum indicaret, ad ludos variaq; ſpectacula animum cõuertit, munus edidit gladiatorium, & varia victoriarum ſimulachra agenda curauit. Quin & illud planè ſuccurrit, haud indignum fore ſolẽnia aliqua feſta celebrare, vt de domita Gallia, de Romanis & Gothis triumphare videretur. Neque ſibi viſum eſt, quem in bello, eundem in pace ſeruare animum. Ad manſuetudinem comitatemque conuerſus, ſe liberaliſſimum benigniſſimumque exhibuit, finitimos principes ac populos, tuti data fide itineris, ad ſpectacula inuitauit. Epulum populis exercituique dedit, ſæpe in ſpectaculis miſſilia ſparſit. Amicis ſæpe in conuiuio congiarium elargitum, militibus ingens donatiuum erogatum. Primipili, legionum præfecti, & centuriones, ac chiliarchi oppidis agriſque donati. Inuitatos principes, ne immunes quidem ipſe dimiſit. Sed qui de Atila nonnulla ſcripſere, inter ſe nimia diſſenſione delirant. Nam ſunt, qui Atilam pro comminutis Catalonica ſtrage copiis, vt ſupplemẽto & auxiliis inſtauraret, Pannoniam vaſtata Gallia repetiiſſe tradunt, inſtauratoque exercitu, non amplius in Galliam, ſed Italiam erupiſſe. Alii reparatis legionibus Galliam repetiſſe commemorant, qui admodum aberrant. Nam quæ commodi honoriſque ratio, ad eas regem oras reuocare potuit, quas vaſtatas incenſasq; reliquerit? In Italiam rectius intendebatur animus, qua perdomita vniuerſi orbis ſperare poterat imperium. Abſurdum eſt callidiſſimum principem, & imperandi auidiſſimum, populatas regiones bello repetere, è quib. non modò quicquam eripere, ſed ne viuere quidem ob rerum omnium inopiam ſanè liceat. Quam quidem coniecturam ad confutandos eos ſatis eſſe nouerimus, niſi fortaſſe Iordanem, grauem quidem hiſtoricum ſequamur, qui Atilam è bello Italico redeuntem, in Galliam iterum Narbonenſem contra Viſigothas caſtra mouiſſe refert, vt in ſequentibus referemus. Et in ſecundo bello Gallico Vrſulam cum comitibus cæſam fuiſſe, plerique non temerè voluerunt, quia Maximus poſt Ecium imperium occupauit Valentiniani iuſſu interfectũ. Atila igitur, antequam Sicambriã ſe receperit, Prutenos Venedici ſinus accolas, cum Lituanis, per prę fectos ditioni ſuæ ſubigendos curauit. Per magnam demum Germaniam, Scythicas

thicas gentes in inferiorem Pannoniam reuocauit, Sicambrięq; Marti Deo patrio victimas mactauit, dicauit exuuias, & spectacula multa edidit. Et eo tempore Vngarorum annales, ob vsurpati imperij suspicionem, Budam fratrē, contra cæterorum scriptorū opinionem, ab Atila interfectum tradunt, quibus nos quoque minus adstipulamur. In patriam relatus, incipere veluti longo labore defatigatus, ad lenocinia voluptatum reuocare animum, eis sponte se dedere, à natura propensum celebrare conuiuia, ludos scenicos & choreas spectare, mollescere inter mulierculas. Vir non tam audacis animi, quàm indomitæ libidinis, crapulas cum amicis agere, cœnas tota nocte continuare. Quinque annos in omnem lasciuiam effusus, intemperatam vitam duxit, inglorio deditus ocio. Plerique non temerè id ab astutissimo principe factum opinantur, vtputa qui non modò animos & conatus hostium, sed sociorum ac subditorum fidem, cessando tentaret, quid cæteri in Dei flagellum molirentur, cautius experiretur, ac euidentius intelligeret. Quare ad quatuor ferè imperij sui limites exploratores, tanquam in specula collocasse ferunt, item è speculatoribus quenque continuatos cursores habuisse, qui celerrimè ad eum cuncta noua perferrent. Alterum in Colonia Agrippina, qui occidentis: ad Tanaim alterum, qui orientis: cæteros partim ad Lituaniam, partim Iadræ statuisse, qui septentrionis ac meridiei res nouas explorarent. Illud in eo rege mirabile, neque laborem bellicum à libidine ac voluptatibus vindicasse, neque ocium à bello, neque feritatem à clementia, Scythicum asseruisse hominem. Pacatas interea prouincias per legatos & præsides administrare, finitimos vndique creberrimis eruptionibus, per præfectos legionum acerrimè sollicitare, ad tutandos regni fines copias disponere. Quare in ocio sollicitus, & in sollicitudine ociosus plerunq; videri, æquata in eo vitiorum & virtutum semina. Pannonios iugo & labore vsqueadeo graui vexare solitus, vt (si Vngaricæ credamus historiæ) relictis pastoribus & armentis, impetrata à rege missione, quàm plurimi in Apuliam emigrauerint. Neque tamen interea desiit legionis cuiusque supplementum curare, pecunias cogere, quæcunq; bello sunt vsui, impensius curare, disponere commeatuum opportunitatem, delectum sensim habere, oppidatim auxilia contrahere, donare largius emeritos, & veteranis iam effœtis darę missionem. Item ocij quinquennio tyrones deligere, delectosque disciplina militari diligentius instruere, adolescentes & pueros ex oppidis & vicis passim cogere, educare in castris, & scholas tyronum prouinciatim disponere. Nouissimo quinquennij anno, instauratis viribus, Italiam, cuius imperium tantopere affectarat, inuadere statuit. Augebat animum, quòd quiescenti nemo bellum inferre audebat. Iam bella, cessante Scytha, vbique desierant, omnes vbique potentatus, veluti longo defatigati bello quieuerant. Martianus Constantinopoli ocium seruauit. Græciam, minorem Asiam, Illyricum, Thraciam & Mysiam pacatam habuit. Pari ocio Gensericum in Africa, in Lugdunensi Gallia Mentoneum, in Belgica Burgundiones, Thorismundum, Sueuos & Alanos in Hispaniis, Aquitania Vasconiaq; fuisse legimus. Quid eodem quinquennio Valentinianus Romæ gesserit, nondum satis compertum habemus.

RERVM VNGARICARVM DECADIS PRIMÆ LIBER VI.

ITALIAM adoriturus Atila, quam diu anhelauerat, & eo vel maximè, quia domitis Romanorum viribus, se facilè totius orbis imperio potiturum esse sperabat, atque admodum verebatur, ne Visigothæ Romanum imperium occuparent, cōmunem orbis pacem ac ocium intercipit. Maritimam Adriatici sinus oram prius expugnare decreuit, ne ingressus Italiam, à tergo ab hoste Græco grauiter adurgeretur, & à fronte Romanum haberet infestum, & si quid aduersi pedem referre cogeret, redi-

tus inhiberetur. Quare coactum vndique exercitum, priore nequaquam inferiorem,è Pannonia per Illyricum ad Adriaticum mare perduxit. In primisque Tragurium aggreditur, ab Isseis conditum, Scardonamq; Liburnicam pariter infestat. Quanquam oppidani acrius instarent, quia nulla deditione ferum hostem sedare posse confiderent, acerrima tamen oppugnatione vincuntur. Nulla maritimæ oræ præsidia Martianus imposuerat, nullaq; munitione firmarat, viri ad vnum cæsi omnes, fortunæ direptæ. Mulieres cum pueris in seruitutem assertæ, planctu & vociferatione completa omnia. Ne id quidem Scythæ satis visum est, vetustissima oppida diruit, domos incendio deleuit. Diruitur Tragurium, ciuium Romanorum marmore notum. Scardona ad Dalmatiæ initium, hostili manu subuertitur. Mox ad Belgradum & Sicum, quod Sibinicum nunc appellant, castra mouit. Haud ignobile oppidum, in quem locum diuus Claudius veteranos misit, obsessum paucis diebus expugnat, in oppidanos pari crudelitate sæuitum, vicos latius incêdit. Vniuersamq; Dalmatiam ad Sardonium vsque montem, igni ferroq; deuastat, cædibus omnia complet. Coronam deinde coloniam obsidet, ad Diomedis promontorium collocatam, quam facta deditione, hominibus iuxtà ac fortunis spoliauit. Nondum hinc pedem mouerat, quum Salonam, nobilissimam populi Romani coloniam, graui obsidione imperat obduci, cuius vestigia ea supersunt, vt quanti momenti vrbs illa fuerit, haud difficulter ostendant. Vix tribus milibus passuum à mari remota, in planicie sita, interfluente flumine diuidebatur, opulenta nimis & fœcunda, quando Dalmatarum celeberrimum semper hæc fuit emporium. Munitam vrbem forti animo Vnni aggrediuntur, varia mœnibus tormenta admouent, turres ac vineas pars adhibent. Multi allatis scalis circumueniunt, arietibus plerique mœnia quatere, portis alij admouere testudines, cæteri muros diuersis artibus oppugnare. Contrà oppidani instare fortius, dicere nullam deditionem sperari oportere, se à Romanis oriundos, aduersus Barbaros, Romana virtute certaturos, ad hæc satis commeatuum habere, neq; inedia neque siti defuturos. Côtrà his verbis Atila irritari, vt aut ibi totum exercitum perdere, aut vrbe potiri statuerit. Quare tertio die iterum pugnę signum dat, fossam compleri iubet, aggerem quoq; proteri, vt sine impedimento mœnia cuique adire liceat, mox turres, arietes, cæterasq; machinas propius admoueri, ad vrbis portas singillatim castella erigi, quibus oppidanos à mœnibus repellant, quæ ad octauam vsque contignationem extulerat. Quæ omnia vbi facta sunt, vrbem vndiq; inuadunt, pars mœnia conscendunt, reiiciunturque instantius ab oppidanis. Pars adacta testudine muros suffodiunt, admotis multi machinis mœnia quassa diruunt, aditumq; vrbi patefaciunt, alij sese ingerere student, in mœnibusq; cæduntur. Côtrà oppidani resistere fortius, & obstinatius in ruinis vrbis cadere, alij reclinato hoste, fimo & egesta terra obstruere aditus, obiicere vasa vinatia completa saxis. Vbiq; clades miserrima oritur, vtrinque cadunt homines, hinc multi à mœnibus deturbati, aut saxorum ruina collisi, illinc supra mœnia sagittis iaculisq; confossi, quin & multi vrbem ingressi continuò obtruncati sunt. Nã in media vrbe præsidium collocarant, vnde laborãtibus dato signo, è vestigio succurrebant. Item mulieres, saxa, conflatam picem, ac sulphur cum aqua feruentissima circumferre, adiuuare viros, præterea hortari, vt pro patria ac liberis, pro aris & focis obnixius dimicent: nil pluris æstiment, quàm pro patria mori. Præterea illæ plerunq; virorum supplementum esse, & in demortuorum loco se vltrò sufficere, pars earum securi, nonnullæ saxis deturbare subeuntes. Harum opera subsidioq; oppidani ita confirmati sunt, vt hostem vndique deiecerint. Atila militem ab oppugnatione reuocat, ne suorũ stragem augeat. In quo prælio Vnnorum duo circiter milia desiderata, ex vrbanis vix cecidere centũ. Multi vtrinque saucij, ciues curatis aliquantisper corporibus, vigilias vbique disponunt, stationem quisq; suam repetit, diruta mœnia aggere alto resarciunt alij. Alij vt tutius vrbem protegant, interiore fossa valloq; vrbem circumueniunt, crassoq; intus aggere muniunt, vt si fortè mœnia deseruerint, intrò sese referãt.

Quibus

Quibus certum erat, aut obstinatissimè patriam tueri, aut si qua fati iniquitate cogantur, cruentissimam hosti victoriam relinquere. Atila reficiendi ac recreandi spacium oppidanis, sibi calamitosissimum fore ratus, quandoquidem hinc victoriam differri, ac suorum cædem augeri intelligebat, iam consilium init, assidua vrbem oppugnatione sollicitare, & modò eludere, modò acrius infestare decernit, vt negata quiete laboribus pariter & vigiliis conficiantur. Quinetiam pro virili parte, sumendi cibi spacium abnegare studet, quod præ nimia gentium multitudine facilè poterat, quare in sequenti die perpetuum vrbi prælium indicit. Clàm præfectos cohortium admonet, vt datis vicibus prælium ineant, die oppidanos eludant, ne respirent, noctu verò grauius adurgeant. E composito pugnam ineunt, à principio, quacunque possunt arte, vehementer infestant, post quintam horam alij succedunt, pugnam redintegrant, pari arte ad vesperum vsque dimicant. Ingruente nocte alij continuant, acerrimè quidem oppugnant, per tenebras eludebantur ictus, & quandoque ex insperato inferebātur. Sub media nocte prælium instauratur, ingenti vtrinque clamore pugna conseritur. Oppidani saxa trabesq; deuoluunt, cùm pinnis murorū hostes appropinquare cœperint, alios securibus è muro deturbant, strages instauratur. Oppidani, continuata pugna, inedia defessi, alicubi cedere cœperant. Contrà isti mœnia conscendere, quod vbi in tribus quatuórve locis factum est, cessere sensim illi, & intra secundam munitionem se recipiunt. Contrà illi à tergo instare, & dum eos prosequi student, in cæcam fossam cadere, vnde se redimere non facilè poterant. Innumerabilis multitudo interiorem fossam sanè compleuerat, quam oppidani saxis telisque confodere aggrediuntur, quod vbi à succedentibus intellectum est, ad lucem vsque è muris pugnatum, quando isti spe potiundæ vrbis perciti acrius instare, contrà illi desperata salute obstinatius resistere. Illucescente die rex mœnia conscendit, quod vbi ab vniuerso spectatum est exercitu, innumera vndique multitudo confluxit, cuius agmine non modò completa fossa, sed æquatus agger, alius super alium vrbem ingredi contendit. His igitur agminibus obruta ciuitas, vtriusque sexus cæde completur, passim diripitur, & nobilia ciuium Romanorum ædificia diruuntur, neque templis quicquam concessum & aris. Ciuium fortunæ aut præda abactæ, aut igni sunt absumptæ. Decuriones omnes ex edicto ante conspectum Atilæ in foro cęsi. Nemo ex vrbe vita donatus est. Non in Salonenses, sed in Romanos ibi tunc sæuire Atila videbatur. Eoq; magis exultabat Vnnus, quo superbiora Romanę gentis ædificia subuerteret. Præstantissima demùm populi Romani colonia tunc solo æquata, nunquàm post hac resurgere potuit, nisi quòd ex quibusdam Salonensium reliquiis, Spalatrum non ignobile oppidum, ad tertium lapidē remotum, pleriq; factum esse credidere. Nostra autē tempestate vix Salonæ vestigia recognosceremus, nisi situs ipse nobilissimus vltrò profiteretur. Tali victoria ita regis intumuit animus, vt hinc occupandi Romani Imperij auguria captaret. Post hæc non modò mediterraneam regionem, ad Adrium vsque montem populatur, qui Dalmatiam mediam diuidit: verumetiam Absyrtium Phariumq; quibusdā Salonensium manibus aggreditur. Vetustissima quidem loca, quādo alterum ab Absyrto Medeę fratre, dum à suis petitur, ibi discerpto nominatum, alterum ædificatum à Pariis, vnde Pharium Demetrium oriundum fuisse prædicant. Verùm Parios quondam Romani, cùm latrociniis cuncta vastarent, in penitiorem terræ partem reiecerunt, & vt colendis agris incumberent, adegerunt. Item Priamonem, Niniam, & Sinocium nouum, & Vetustum oppidum Cæsar Augustus, cum multis aliis, quum plureis annos in Romanos arma gessesit, ferro ignique vastauit. Quin & Melenam, quam Corcyram appellant, cum oppido à Gnidiis ædificato populatur. Mox vt Italiæ appropinquaret, ad Ticium amnē, qui à Rhebiis montibus demissus, Liburnos à Dalmatis dirimens, inter Salonam Iadramque, in Adriaticum mare deuoluitur, castra reuocat. Iadram coloniam Romanam cęteris in eo tractu minimè cedentem obsidet. Decuriones, finitimorum exemplo deterriti, consilium deditionis ineunt. Vrbs

est in peninsulæ speciem redacta, à tergo & vtroque latere mari circumdata, à fronte adiuncta continenti. Ante ciuitatem ad mõtes vsq; planicies, tribus ferè milibus passuum effusa, loci amœnitate, ac feracibus insulis circumueta, quam aliqui Adriæ maris filiam, aut violam interpretantur. Per legatos, quinque dierum spacium sibi dari petunt, donec de pacis conditionibus decernant. Nil abnuit Atila, partim quia munitissima queque loca non sine maxima suorum clade capere poterat, & superiore cæde furor magis aliquanto desederat. Interea Myseos, Tyndaros, & Dryopes, cæteraq; mediterraneæ regionis oppida pagosque diripit. Euona, Cortinum, Argyruntum & Vegliam, maritimas vrbiculas in deditionẽ accepit. Quinto die legati ab vrbe redeunt, deditionem vltrò deferunt, grataq; obsequia pollicentur, si homines cum fortunis incolumes fore promiserit: quod vt facilius assequantur, bis decies mille nummûm offerunt. Accepit conditionem Atila, cõpositis vtrinq; rebus, adeundi sibi copiam fieri mandat. Cum paucis contrà illi supplicant, vrbem ingredi oportere, ne quid militum intemperantia detrimenti committatur. Res in diem posterum prorogatur, deditionem vrbis sibi fieri mandat. Decuriones & metu & promissis confusi, quamuis non deessent, qui eam fieri prohiberent, tandem portas tyranno patefaciunt. Is vbi vrbem ingressus, traditam sponte arcem accepit, omnes ciuilius se gerere mox edicit. At vbi Scythica multitudo opulentam ciuitatẽ circumspexit, ne facilè quidem contineri potuit, quin Barbaro more licentius viueret. Vi nonnulli vti cœpere, plerique rapinas, primò furtim, mox passim agere: malo exemplo sic alienam audaciam augere, dicere plerique, inuitum hanc conditionem Atilam accepisse. Exercitum in sterili difficiliq; regione versatum licentiùs viuere oportere. Contrà oppidani, vim & rapinas à principio iniquo animo ferre: rogare, & obtestari, se mitius agerent, iura pacis non sine maximo scelere lædi posse. Intemperatum & petulantem hostem quum plerique in ædibus tolerare non possent, primò clam mutuò sese interficere, deinde vbi palàm id fieri cœptum est, summa in media nocte seditio suscitatur, tumultuaria in vrbe pugna conseritur: vtrinq; multi cadunt, multi quoque cæcis ictibus suos interimunt. Expetrectus Atila, quum tumultum sedare non posset, ciues ab Vnnis obtruncari, cuncta misceri ac diripi permisit. E decurionibus magna manus, quum in paruam classem fortunas, liberos & vxores redegissent, multis cæsis, ab vrbis tergo soluere, in Italiamq; traiicere. Qui consideratius se gessere, partim in eo tumultu cæsi sunt, partim letali vulnere saucij, nonnulli in latebris delituere. Illucescente die ciuitas Vnno militi in prædã cõcessa, rapinis incendioq; vastatur. Hæc vbi è sententia euenere, in Iapygiam, Atilæ castra mota, saxosam quidem regionem, gregibus tantùm vinoq; pollentem, vbi Senia in primis obsidetur, à Senonibus Gallis dicta, ac condita. E cuius conspectu, in Italia quoq; Senogallia, ac Sena in Hetruria, eodem nomine prædita. Nam ex Gallis etiam Boij in Noricis, & Scordisci in Mysia extitere, in funesta nanq; illa peregrinatione sua, multa oppida condidere. Similiter ex Illyriis Antariatę, Ardei & Dardani, & è Thracibus Triballi fuere, si qua Straboni danda est au ctoritas. Seniã nulla munitione præsidioq; præditam statim occupant, & diripiunt: pari calamitate Orthopliniam, Rhegium, Lepsicam, & Tarpsaticam afficiunt. Vicos inter arduos montes olim reconditos, vsquequaque diripiunt, incendio omnia absumunt: viri agrestes aut cæsi, aut in seruitutem asserti: nulla senibus, quum inutiles forent, habita miseratio. Ad Flauonam demum & Aluonam peruentum est, quæ Istriæ sunt finitimæ, & istæ quoque direptæ pariter & incensæ. Nulla tunc fuit tam sæua ab Vnnis exercitata crudelitas, quæ illorum rabiem explere potuerit. Corruit igitur Illyricæ Liburnicæq; gentis elata superbia, quæ sæpe antea, florente Imperio Romano, grauiter est attrita. Nam inter Arsiam syluã, Titiumq; amnẽ, per totum maris Adriatici littus effusa, regnãte Teutana muliere, populationibus & rapinis nõ contenta, ius adhuc gẽtium maiore facinore violare non erubuit. Quippe legatos populi Romani, qui ad coercenda eorũ latrocinia venerãt, & de his qui deliquerant, iure agebant, non gladio, sed victimarũ more

more securi percussit, cōbussit pręfectos nauium: & in contemptum populi Romani, mulieris vltrò subiuit Imperiū. Quare continuò senatus consulto in Dalmaticam expeditionem Cn. Fuluius Centimanus mittitur, qui tractum vniuersum perdomuit, & vt cumulatissimis legatorum manes inferiis placaret, in principum Dalmatarum colla secures strinxit. Iterum quum in bello Macedonico Perses rex Illyricos pecunia conduxisset, vt Romanos à tergo distringerēt, quia à fide populi Romani defecerāt, ab Anitio prætore sine mora subacti sunt. Deletaque Loscordia, quæ caput gentis erat, statim à cæteris facta deditio. Tale bellum antè finitum, quàm geri Romæ nunciatum. Tertio imperante Augusto, 10 quum syluarum occasione, latrocinia Dalmatę frequentius agerent, hos incensa vrbe Delucinio, ferè detruncauerat, post hæc Asinius Pollio gregibus, armis agrisq; mulctauerat. Deinde Vibio perdomandos Augustus mandauit, qui ferum genus hominum, terram & aurum fodere coegit, Romano ærario obnoxium, vt gens auara in alienos vsus aurum parans, cumulatas auaritiæ pœnas lueret. Populata incensaq; Dalmatia, vniuersoq; Liburnico tractu, Vnni mox Istriam, peninsulæ more in longitudinem excurrentem inuadunt, atque ne inferiore quidem vrbium hominumque præstantia pollentem. Latè in agros excurrunt, vicos populantur, castella multa diripiunt, ingentem prædam abigunt, innumeram agrestium multitudinem captiuam abducunt, inutilem ætatem cę-20 dunt. Istria maritimis exornata vrbibus tota miscetur, quam ab Istro flumine in Adriam effluente, contra Padi ostia, & à Danubio in Italiam diuertente, plerique falsò cognominarunt, & præsertim Cornelius Nepos, etiam Padi accola, quum nullus è Danubio fluuius in mare Adriaticum fluere videatur. Hac duntaxat ratione decepti, quia non procul à Tergeste, nauis Argo secundo flumine in mare descendit. Constat enim, nauim humeris alpina iuga traiectam, quo amne defluxerit. Argonautæ nanque Istro, deinde Sauo, deinde Nauponto, cui ex ea causa nomen est inditum, inter Aemonam alpesq; exorienti, liquidò subiere. Polam in primis, clarissimam populi Romani coloniam, à Colchis olim conditam, deinde Iuliam appellatam, obsident. Indicto prælio, postero die op-30 pugnare adoriuntur: pugna acerba committitur, qua perterriti oppidani, deditionem faciunt, subituri quæcunque hosti placuerit conditionem. Decuriones in foro obtruncati, cæteris data venia. Vrbs demum antiquissima, ab his Colchis condita, qui aduersus Medeam missi, votiq; impotes, ac fugæ desperatione solliciti, Gręcorum lingua exulum, Colchorum verò Polam ædificatam ciuitatem (vt Callimachus ait) appellauerunt, Vnnorum furore corruit. Ne Parentium quidem, cum Hęmonia immune relictum est, quando pari incendio absumptum est, id oppidum à Romanis conditum. Omnes quoque viri, qui Phanaticum sinum, à væsaniente tempestate dictum, accolunt (nunc Carnarium, à Carnis montibus nuncupatum) eodem tempore populati, mediterranea regio 40 pariter incensa est. Quin & Stridonis oppidum, à Gothis prius euersum, quod in Dalmatiæ quondam, Pannonięq; confiniis situm erat, diui Hieronymi reuerentia instauratum, ab Vnnis iterum incensum est. Deinde ad Tergestam vrbem festinatum, claram quidem coloniam Romanorum, centum & octoginta stadiis ab Aquileia remotam, quam paucis diebus expugnauit, diripuitq;. Punicum vino nobile castellum, traiecto Formione, cui nunc Cisano nomen est, & Arsia flumine ad Natisonem vsque discurrit, & pagos oppidaque passim ferro igniq; deuastat. Mox ad Aquileiam, animis tali successu adauctis, ab Vnnis properatum est, quum facilè se vrbem capturos esse sperarent, quia cæterarū more, præsidiis carere opinabantur. Neque nouerant illam Transpadanarum vr-50 bium quondam fuisse primatiam, à Romanis olim conditam, haud secus ac incumbentibus Barbaris impositam, quindecim milibus passuum à mari remotam, quam Alsa, Natiso Tarrusq; præterfluunt. Ad eam olim aduerso flumine, onerariis nauibus obnauigate solebant, per Natisonē amnem, plus stadiis sexaginta, gentes ad Istrum Illyricæ, ad hoc subuehebantur emporium, quibus mos erat, maritimas merces, vinum & oleum conuectare, illis contra, mancipia,

pecora, pelles. Extra Venetiæ fines in planitie sita est, & ab ea flumine ab Alpibus defluente disterminatur, per quod ad vrbem vsq; Noreiam, stadiis circiter mille & ducentis subnauigari solet, vbi Cn. Carbo, collatis aduersus Cimbros signis, re infecta discessit. Locus est, vt ait Strabo, ad purgandum aurum suapte natura nimis idoneus, ne minus quidem ad ferri fabricas. In ipso quoque sinu templum Diomedis fuisse memorant, præstantissimum cum amœnissimo luco ædificium. Diomedis in Adriatico mari potentatum, non modò Diomedeę testantur insulæ, & quę de Daunia gēte, & quæ ad equestres agros memoriæ prodita sunt, sed insignes, qui apud Venetos olim exhibebantur honores, quibus candidum illi equum immolare mos erat. Duo præterea quondam luci monstrabantur, alter Iunoni Argiuæ, Dianæ Ætolię alter dicatus, in quibus feras referunt ita solitas mansuescere, vt passim cerui cum lupis pascerentur: canes hîc damis & leporibus dicto citius reconciliari confabulantur. Præterea fama est, quendam in faciendis vadimoniis fuisse studiosissimum, eoq; officio celebrem effectum, iocis hominum carpi admodum consueuisse, eundem incidisse in venatores, qui irretitum lupum haberent: ab his per iocum fuisse rogatum, an ne pro lupo sponte se vadē statuere vellet, vt illata ab eo damna persolueret: quod si faceret, eos recipere, se continuò irretitam bestiam dimissuros. Hunc pro lupo fideiussisse, emissum deinde lupum, ac maximum equarum armentum agitantem, nulla inustum nota, ad fideiussoris stabulum adduxisse. Eum recepta gratia, equabus lupi notā inussisse, & ex hoc lupiferas appellasse, velocitate magis quàm pulchritudine excellentes. Nomen & notam equarum, successores generi seruasse: ex his nullam alienasse fœmellam, vt eis tantùm stirps ipsa perduraret, equinam hinc sobolem pernicitatis mirę promanasse. Verùm vt ad veriora perueniamus, imminente bello Macedonico, bellum cum Istris initum, quippe qui coloniam Aquileiam deduci prohibebant. Et eodem anno in agro Gallorum Latina colonia deducta. Tunc florere Aquileia cœpit, quum Romani cum populis Danubij accolis bellum iniere. Ne illud quidem, vt Capitolinus ait, prætereundum est, Tanta contra Maximinos fide Aquileienses pro senatu extitisse, vt quum ad sagittas arcuum nerui emittendas deficerent, è mulierum crinibus eos instaurarent. Quin & in marmoreo lapide id legitur incisum, Imperatorem Cęsarem Augustum, Aquileiensium restitutorem, & conditorem. Viam quoque geminam, à porta vsque ad pontem, per tyrones iuuentutis nouæ Italiæ suæ, delectus posterioris, longi temporis labe corruptam muniuit, atque restituit. Sed ad diuerticulum reuocetur oratio. Atila Aquileiam circummensus, & magnitudinem vrbis & munitionem admiratus, non modò tumultuaria oppugnatione, sed ne diutina quidē obsidione facilè capi posse conspicatur. Nam vbi in Italiam ventum est, Valentiniannus maritimis suis vrbibus valida præsidia imposuerat, Scythici furoris non ignarus. Aquileienses quoque ciues, vt expeditius ac tutius cum Barbaro hoste pugnarent, liberos, fortunas, vxores, & inutilem etiam ætatem in proximas insulas exegerant. Acerrima tandem obsidione metropolis ipsa vexatur, contrà verò nec quenquam facilè patitur appropinquare. Sæpe interdiu, quandoq; noctu ex vrbe in castra fiebat eruptio, cæsisq; complurimis clandestina receptui signa dabantur, ars arte sępius vtrinque eludebatur. Neq; æquo animo suos temerè mori patiebatur Atila, patentem feracemq; priùs agrum populatur, vicos & montana castella succendit. in Foroiulienses, cognomine Transpadanos latè ac solita immanitate grassatur, ne temerè quidem id ab Vnno factum, vt præsenti crudelitate oppidanorum animos consternaret, & ad deditionem adigeret. Contrà illi liberis, vxoribus fortunisq; leuati, neq; facilè commeatibus & pręsidiis cariturí, suis freti viribus bene sperare, hostem animosius expectare, irritare sæpius, & dimicādi vltrò facere potestatē, tumultuario sæpe prælio lacessere, vigiles sopitosq; ex improuiso aggredi, & ne mediocre quidem hosti quandoq; inferre detrimentum. Neq; tamen ad hæc Atila quiescere, vereri sæpe, ac idcirco grauiter angi, ne in primo Italiæ propugnaculo vniuersa eius opera eluderetur. Quare ad artē astutiamq; suam

suam se quotidie reuocare,excogitare quæcunque expugnationi sunt vsui,turres ligneas circumerigere,munire pluteis, materiam vndique ad complendam fossam cogere, sæpe admotis circùm machinis mœnia tentare, neque vnquam sine magna suorum cæde redire. Neque vi, neque adactis vndique cuniculis, neque quauis arte vrbem capi posse ratus, fame duntaxat expugnare sperabat. Ne quid aduerso Natisone à Romana classe subueheretur, aut à Carnis Noricisq; deferretur, animum intendit, montium claustra occupantur, custodiuntur ostia fluuiorum, & omnes aditus obstruuntur. Contrà nihilo secius Vnno prouidendum fuit,ne innumera multitudo,interceptis cõmeatibus, fame per-10 iret. Quare latissimè euagari cogebatur, & loca præsidio carentia longè diripere, nequa cibariorum inopia laboraret. Item ne, dum Aquileiæ obsidione remoratur,ocio torpeat exercitus,aut facta seditione soluatur, finitima interea oppida expugnat.Partem equitatus, & expeditos milites Tiliauentum amnem traiicere iubet. Concordiam perbreui occupat, diruitque, ne contemnendam quidem populi Romani coloniam. Item Alcinum more Rauennæ in palude situm, & Opitergium vetusti nominis oppidum euertit. Quæ quamuis postea instaurata fuerint, eodem tamen anno, quo Forum Popilii a Longobardis deleta fuisse legimus.Ex Alcini ruinis Tortellum ædificatur. Taurisiani, Querni, Foretani,Cogienses,Varciani pariter affliguntur. Taurisium Silus amnis diui-20 dit,à Venetorũ paludibus viginti milibus passuum sanè remotum,Alcinum verò tribus milibus. Sensim arctius tamen Aquileia obsidebatur,nam vbi castella multa ante portas,ac circumerecta sunt, nemo ex vrbe prodire,neque inferre quicquam, aut efferre poterat, fossa, egesta terra completur.Iam sub mœnibus cõstiterat hostis,& à mœnibus oppidani repellebantur. Secundus tunc annus agebatur,cùm Carnis,Foroiuliensibus, cæterisq; finitimis latè subactis deletisq;,adhuc Aquileia obnixè restiterat.Illudq; omnibus certũ erat, aut vrbem tueri,aut cum ea pulcherrimè cedere, quoniam nihil Vnnorũ seruitute miserius reputabãt. Decem circiter hominũ milia sub vrbe ceciderant,& nihil adhuc obesse potuere. Spem duntaxat in eo collocarant, ad extremum ita defatigare 30 hostem, vt obsidionẽ deserere cogeretur. Neq; ab Atila promissis vllis adduci potuere,vt sese dederent,quib. non modò personarũ fortunarũq; incolumitas, & immunitas vectigaliũ offerebatur,sed vnicũ tantùm obsequij signum postulabatur. Obstinatiùs ad hęc obstare oppidani,qui vanã Scythicam fidẽ & clemẽtiam aliorum exemplo didicerant.In posterũ cum his Atila se benignius agere, captũ qui fortè prodierit,vltrò reddere, muneribus quandoq; sollicitare decuriones,& hortari,vt aliquam patriæ ac suorum rationẽ haberent: dicere præterea nullũ sibi subsidium,præterquam ab hoste sperandum. Ad hæc illi aures obstruere, nihil prætermittere,quæ ad propugnandam patriam pertinerent,cibaria viritim distribuere, & ea quidem quàm parcissimè, vitam pro salute patriæ 40 pro nihilo ducere, & eo maximè, quando vxores, liberos & fortunas in Gradensi insula collocarant. Quum iam tertius elaberetur annus,diuersus admodum Atila trahebatur,præsertim quum mussitantes milites intelligeret,& seditionem inter varias gẽtes facilè orituram nimium formidaret. Quin & pleriq; proceres de soluenda ad eum obsidione retulerunt, de qua nihil adhuc decernere voluerat. Demum quum vrbis mœnia lustraret, prospexit ciconias, quæ per domorũ fastigia nidos disponere solent, ex vrbe pullos educere, per pagorum culmina instaurare nidos,omnes certatim fugam capere. Captato extemplo augurio, suos princeps acciri iubet, Conspicite(inquit)proceres quàm dextra nobis auspicia dij dederint, qui ne magna cœpta temerè deseramus,per au-50 spicatissimas aues è cœlo nos admonẽt. Vrbem diu obsessam, iamiam interituram, ciconiæ ecce relinquunt: in quãta rerum omniũ inopia versentur hostes, euidentius ostendunt, casuras arces,periculo imminente deserunt,nobisq; imminentem victoriã portendunt. Proinde estote bono animo,cõmilitones,quoniam hæc vna dies, quod trienniũ in graui obsidione præstare non potuit, cumulatè repẽdet.Tuq; Mars pater,& inuictissime Hercules,cętteriq; dij,pręsentia

confirmate auspicia, propiùs respicite gentem vestram, quam in flagellum populorum emigrare iussistis, à facinorosisq; nationib. pœnas exigere voluistis. Ego autem si ope vestra in Romanos victoriam continuabo, pro referenda gratia, tertiam exuuiarum partem vobis ipse voueo, Martiq; patri ex hostili sanguine opimam hecatomben me facturum esse recipio. His Atilæ verbis sic omnium animi passim succensi sunt, qui victoriam dudum desperarant, vt extremas cuique vires se ostensurum certum esset. Dato subinde signo, machinas vrbi admouent, comparatis omnibus, quæ huic rei vsui forent, ita obstinatis pugnam animis ineunt, vt prius quàm in suam potestatem vrbem redegerint, nunquam prælium deserant. Facto vndique agmine, ita cõcursum est, vt temeritate potius, quàm prudentia freti cunctationem nullam fecerint, donec mœnia conscenderint. Oppidani indomita hostium audacia cõsternati, ne tot quidem è propugnaculis deturbare poterant, quot certatim pro se quisq; subibant. Completa corruentium cadaueribus fossa, & æquato iam aggere, plus hinc animo & obstinatione, quàm viribus arteq; pugnarum, contra illinc metu & desperatione certatum. Instat hic & illic Atila, suos hortatur, initam iam victoriam transfigant, munera coronasq; murales, & æterna stipendia pollicetur. Prædam omnem militibus offert, opulẽtissimam eam esse, alteramque Romam exclamat. Nunc cunctatiùs corripit agentes, nunc strenuos & animosos extollit, & modò Imperatoris, modò militis, pro tempore ac loco gerit officium. Nihil eo die prætermisit, quod fortissimi ducis esse videretur. Dum oppidanos iam laborare conspicatur, captam vbique vrbem exclamar. Ipse sumpto clypeo, adiectis muro scalis, conscendere nititur: quod vbi à cęteris spectatum est, tantus in vrbem vbique factus est impetus, vt vltrà defendi nequiuerit. Rex à mœnibus prædam, cædem, incendium & ruinam exclamat. In vrbe & publico & priuato prælio res agitur, frementes hinc voces, miserabiles illinc intonant vlulatus. Aquileienses ad vnum cæsi omnes. Hos pulcherrimè mori, viliùs alios cernere erat, mortem plerique lacessendo carpebant, occurrebant fortiùs aliqui. Multi prædæ dulcedine allecti, dum per latebras incautius euagantur, miserrimè cæduntur. Mulieres quæ superfuerant, captæ omnes & prostitutæ sunt, nulla honestatis, pudicitię, ætatis & clementiæ habita ratio. Ne sexui quidem aliquid indultum, distrahebantur passim virgines, ingenuæq; matronæ, & pro hostis libidine vis cuique illata. Templa, viæ, fora, item publicè priuatimq; cædibus, furtis & rapinis omnia fœdari. Præ virorum oculis vxores incestari, cædi ante ora parentum immanissimè filij, infantes matribus erepti parietibus illidi. Vastari omnia ferro & igni, cruoris riuos passim agi, extincta misericordia, planctis ac cædibus omnia misceri. At vna præstantis pudicitiæ matrona commemoratur, quæ à fœdo hoste petita, dum in tecta fugit, vt eam tueretur, postquam nõ alia via, nisi morte impollutum corpus seruare posse cognouit, è summis ædibus in subiectum Natisonem fluuium vltrò se præcipitem dedit. Inter diuas non immeritò referenda, quando tam præclarum seruandæ pudicitiæ, vniuersæ posteritati legauit exemplum. Vrbem denique nõ prius reliquit, quàm anno salutis quadringentesimo quinquagesimoquarto, humi æquaram ferus Scytha prospexit. Rem aliter gestam pletique tradiderunt, rebus Italis assentari potius, quàm scribere vera conati, vtinam his artibus immanitas Barbara fuisset elusa. Dicunt enim Aquileienses, fame sæua laborantes ex triennij obsidione, hoc commento salutem sibi inuenisse, armatas per mœnia statuas, quæ custodum ordinem mentirentur, ritè deposuisse. Incautum hostem, prospecta vrbis munitione, se ignauiùs egisse, sæpe stationes excubiasq; deseruisse fastiditum, ciues cum liberis, vxoribus & fortunis ex vrbe clàm abiisse, & in proximam insulam quam Gradum dicunt, confugisse. Vnnum spe sua frustratum, & illusum, ex ciconiis, quę statuas insederant, cognouisse, occupatam mox vrbem, desertam inuenisse fabulantur. Vtinam id veriùs, quàm calamitosiùs asserere liceret. Euersa Aquileia, ita omnium Italorum animi cõsternati sunt, vt pro mœnibus hostem instare reputarent, ac maximè Romani, qui non multo antè tem pore

pore direptam à Gothis vrbem acceperant, & nunc immanitatem plus quàm Gothicam reformidabant. Quum Aquileienſe excidium in ſenatu relatum eſt, omnes vſque adeo exanimauit, vt vita defunctis inuideretur, qui ex his malis diuina quadam commiſeratione prærepti viderentur, viuorum conditioni vltrò commiſerarentur, qui ad tam miſera tempora reſeruati forent. Silentium cum gemitu ſingultuq; aliquandiu celebratum, Valentinianus Imperator, diſſimulato parum metu, ne cæterorum exẽplo ſuo animos conſternaret, patres rogare ſententias cœpit. Pauci cenſuere, quando nemo præ dolore verbum facere poterat. E ſenatus tandem conſulto, res diuina apud omnia puluinaria, item 10 iuſtitium, ſupplicationes, ac luſtrum indicitur. Et quum ſuperiore anno terræmotus aſſidui, & cometæ fuerint, item multa loca de cœlo tacta, variáque portenta, expiandam vrbem decreuere, præterea delectum per Italiam paſſim habendum, & ingentes copiarum apparatus. Dimiſſo ſenatu, matronæ in forum prodeunt, patriæ, liberis, focis & aris proſpiciendum eſſe vociferantur. Suam & Aquileienſium calamitatem deplorant, ornamenta offerunt, & Barbaris occurrendum exclamant. In vrbe vbique fluctuatur, & diſcurritur: tumultus ingẽs, & planctus exoritur. Ex patribus multi, qui de religione bene ſenſerant, Leonem pontificem maximum adeunt, quem ſanctiſſimum virum eſſe norant, ei Romanam ſalutem profuſis lachrymis commendant, ac ſimul obteſtantur, vt imminens 20 Italis exitium deprecetur, néve nutanti Eccleſiæ, Imperioque Romano deſit. In prophana Italorum facinora, præſentium malorum cauſas reiiciebat Pontifex. Diuinam iram, purgatis mentibus, & orthodoxa fide placandam, Ieſum Chriſtum optimum maximum piis animis nunquam defuturum aſſeuerabat. Vniuerſa pariter fluctuabat Italia, & multi non modò Romani, ſed varii Italiæ populi, ſi quò potuiſſent, vltrò emigraſſent: at hinc ab Vnnis, à Vandalis illinc, iſthinc à Gothis inhibebantur. Senatus tamen conſultum omnes præſtare conantur. Dum Aquileienſi obſidione remoratus eſt hoſtis, Foroiulienſes & Carni, & vniuerſa ferè Venetia, Patauium vſque ac Vicẽtiam, populata paſſim & incenſa eſt. Venetici ſinus accolæ, vt in tanta trepidatione propriæ ſaluti cõ30 ſulerent, in proximas paludum inſulas, quas confluentia flumina complent, emigrarunt, & præſertim Patauini quidam proceres, in inſulam, cui poſtea Riuo alto nomen eſt inditum. Quin & maxima Patauini agri multitudo, in foſſam Clodiam, Medoatum, Albiolamque confluxit. Quod finitimorum exemplo factum eſt, quippe ex Aquileia ad Gradatas aquas, non procul à continenti remotas, è Concordia Capreolas, ex Alcino in ſex propinquas inter ſe inſulas, ea tempeſtate emigratũ eſt. Quas à portarum amiſſæ ciuitatis nominibus, Torcellum, Maiorbium, Burianum, Maurianum, Conſtantiacum, & Amianum appellauere. Tuta nanque confugia paluſtres inſulæ, ex congeſto influentium amnium limo confectæ, alternoque maris æſtu confirmatæ, neque multum inter ſe 40 diſtantes conuenis præbuere. Vnnici ad hæc incendii reliquiæ confugere, quæ circumfrementem adhuc hoſtem perhorrebant. A principio è paluſtri materia, profugorum multitudo caſas facere, victum piſcatura quæritare, Ichthyophagum ritu viuere, quæque tumultuoſius agere, terram perinde ac pernicioſiſſimam nouercam deteſtari. Poſt Gothorum eruptionem Vnnos perpeti, inſtare ſubinde alias Barbarorum eruptiones. Quare ex hac profuga miſeraque gente, Venetorum conflata ciuitas, è paruo principio, tanta ſumpſit incrementa, vt nunc mole ſua laboret. Ab anno ſalutis quadringenteſimo quinquageſimoquarto, vrbs prępotẽs & opulentiſſima ſumpſit initium, quæ niſi Atilam circunſtantium vrbium euerſorem habuiſſet, nullum adhuc ortum inueniſſet: è 50 multarum nanq; ciuitatum excidio, mutato fato nimis effloruit. Ex Aquileiæ, Concordiæ, Alcini, Paduæ, Opitergij montis, Silicis, Heracliæ, Aquilij, Gradus, Capreolarum, & Laureti reliquiis planè conſtat. Et quum non parua ex parte, è Romano ſanguine conſtet, tantum è priſca Romanorum nobilitate refert, vt citra inuidiam cæteris iure poſſit anteferri. Cui nullum reformidare fas eſt excidium, niſi aut inteſtinis factionibus, cæteræve Italiæ coniuratione vexe-

rur, aut Vnnorum bello, quo quondam sumpsit initium, eodem sanè sibi quærat excidium. Quibus quidem malis si rectè prospicere poterit, nemini profectò addubitandum est, quin eorum imperium ad orbis vsque finem sit omnino perduraturum. Sed de his hactenus. Ad Paduam ferus hostis castra mouit, vrbis nomine percitus, quam etsi munitissimam esse nosset, tamen commeatuum inopia laboraturam, quando eius agrum triennio diripuerat, diu resistere non posse sperabat. Neque etiam ignorabat, relicta tantùm validissima iuuentute, cæteros imbelles cum sacris & fortunis, palustres insulas occupasse, vt hoc tantùm effugio, ab Vnnica se feritate redimerent. Vrbs tandem celebris & vetusta obsidetur, à Troianis & Henetis, Antenore duce condita, populo quondam Romano fidissima semper habita: nam in difficillimis reipublicæ temporibus, pecunia semper & armis iuuit. Et quum noui populi in colonias deducerentur, non eo quo cæteræ modò, Paduam est deducta colonia. Siquidem Paduanis ius Latii datum est, quo in comitiis Romæ suffragia reddere licebat. Tyberij tempore, quingenti equestris ordinis viri in ea censi sunt, antiquis verò annis, centum & viginti militum milia misisse cōstat. Quanta virorum probitate & artium bonitate floruerit, magnitudo quum aliarum rerum, maximo apparatu Romam missarum, tum verò pannorum & vestimentorum varia mercatura declarat. Vetustissima quoque Iouis æde celebrata, cui spolia de Cleomenis Lacedæmonij victoria Patauium relata, affixa fuere, quam ibi fuisse putant, vbi nunc superbissimum diuæ Iustinæ templum, vt lithostrata quotidie ibi inuenta testantur, intuemur. Ne minus quidem hæc viris fortunata censetur, quando Titum Liuium, Romanæ historiæ parentem, item Volusium, Stellam, & Flaccum poetam præstantissimum genuit. Agro prædita feracissimo, quam montes vineis oliuetisque consiti, & præsertim Euganei, quæ præstantia vina proferunt, circunspectant. Et quando Romanorum colonia fuit, tantum Romanæ nobilitatis & gloriæ retulit, vt cum florentissima quaque Italiæ ciuitate conferri posset. Quod eo magis Atilę animum irritabat, vt tāta vrbe potiretur, quoniam alteram Romam sibi expugnare videbatur. Quum paucis acri obsidione diebus eam vexasset, oppidani fame adacti, vt saluti consulerent, sese Vnno dedidere. At is vrbe potitus, quando se Dei flagellum esse reputabat, nullam fœderis rationem habuit. Vrbem cum exercitu ingressus, cuncta hostili more populatur, & incendit, curiam & theatra diruit, atria quæque cum templis superbissima subuertit, in viros reliquasq; fœminas pari feritate sęuitur, præda quoque ingens exportata. Euersa tunc Padua, scriptores cæteri, qui multo elegantiùs ista scripsere, Vicentiam, Veronam, Mediolanum, & Ticinum, quam Papiam dicimus, Scythica castra mota esse, & per Transpadanā semper regionem iter factum. Post hæc ad Minciūm amnem statiua habita, vt inter amicos, an ne rectà Romam contenderet, sanè decerneret. Contrà Vngarici annales referūt, qui vt maiorem sibi gloriam vendicent, dum Atilam sui regni autorem extollunt, Rauennam, Ferrariam nondum existentem, cum plerisque Cisalpinæ Galliæ oppidis, Patauino exitio adiecere. Ad gloriā Atilæ, nobilitatem vrbis nimium pertinere reputabant, quippe quam à Thessalis Græci conditam fuisse perhibent. Qui quum Tuscorū iniurias tolerare non possent, ex Vmbris quosdam vltrò populos assumpsere, qui ædificatam vrbem incolerēt, ipsi verò in sedes patrias rediere, ex nostris aliqui Sabinorum oppidum è Liuij dicto fuisse coniiciunt. Hanc Tyberius imperator, vt in porta aurea sculptum est, muro cinxit. Ferunt ergo Vngari, ea tempestate Ioannem vrbis antistitem, fuisse Ariana perfidia infectum, & Apostolicæ sedis hostem pronunciatum, cui aqua & igni fuerat interdictum. Qui se pontificem cum duodecim cardinalibus Romano more statuerat, & ad sustentandam dignitatem multum sibi auri fortè congesserat. Hunc etiam infulatum, pontificio habitu cultum, cum vniuerso collegio sacerdotum aduentanti Atilæ occurrisse, procidisse ad pedes hostis, & patriæ ruinam fuisse deprecatum, gratum detulisse obsequium, & populum eius imperata facturum promisisse. Deinde monuisse regem, vt opinionem in fide suam vltrò

vltrò sectaretur, & in cæteros Christianos irrueret: quod si faceret, se talem operam daturum, vt sine vllo periculo Italiam pariter & Aphricam subiugaret. Ad hæc Atilã magis imperij spe, quàm fidei gratia exoratum, respondisse, Nefas esse humillimè supplicantibus non ignoscere, neque dedecere, potentem virum humanitatis, vt res postulat, habere rationem, quando ab homine nil humani foret alienum: at in tempore humanitatis & dignitatis simul habendam esse rationem, quia altera sine altera pro seruando decore, considerari non potest. Proinde vt vtriusque & rei & dignitati consulatur, se oblata deditione ita contentum, vt calcanda portarum ostia in limine deponantur, honorificus ac
10 tutus sibi suoq; exercitui aditùs pateat, aliter nunquã deditionem admissurum. Rauennates quamcunque conditionem ille detulisset, ne dum istam (ne omnes perditum irent) lubentissimè accepisse, crates factos continuò, ferreosq; postes humi ac in limine deposuisse, liberum cum maxima humilitatis ac fidei ostentatione fecisse aditum. Exercitum per mediam vrbem sine alicuius detrimento traiecisse, ipsum pro arbitratu suo in vrbe permansisse, mox Flaminiæ partem, & Ferrariam cum Liguria inuasisse. Quod apud cæteros inuenire non potui, de Rauenna nihil dixerim, quando Ioannem nominat hæresiarcham, ex nomine aliquid oritur coniecturæ. De Ferraria & Liguria nihil affirmarim, quia Ferraria non modò non erat oppidum, sed ne pagus quidem, & Vnnos in Liguria
20 nil legerim fuisse demolitos. Ticinum & Mediolanum vsque furor ille grassatus est. Cæteri verò scriptores, post captam Paduam, non Rauennam, sed Vicentiam & Veronam Atilam obsedisse scribunt, quibus auctoritate magis credere cogimur. Vicentia nanque ad Meduacum amnem sita, à Gallis vnà cum Mediolano, Brixia & Verona cõdita, qui vrbem Romam ceperunt, Palæmone grammatico insignis. Meduacum nunc Bachilionem appellamus. Trans Meduacum Vnni posuere castra, quibus perterriti Vicentini deditionem post triduum fecere, quã & si fecerunt, nihil tamen ea profecisse visi sunt: hostili nanque more non modò spoliati, verumetiã & immaniter cæsi, pulcherrima quæque ædificia subuersa. Mox ad Atesim vsque discursum, obsessaque Verona
30 vrbs clarissima, & Gallorum quoq; ædificium, nobilissimo adhuc theatro illustris, quod præterquam Romano, nullis aliis cedere audet. Item viris fortunata doctissimis, Æmylio Macro, Catullo, & vtroque Plinio, cui tãtum debet Latina posteritas. Hæc ciuitas, vbi neque profuturam deditionem esse, neque aliò tutiùs confugere posse, quàm se vrbe tueri arbitratur, Barbaricũ tandem furorem experiri, & in patriæ defensione fortiter cadere maluit, quàm desertis focis & aris palantes fugere, inter fugiendumq; per agrum et pagos, pecorũ more trucidari. Vrbẽ pro virili parte iam diu muniuerant, quod eo studiosiùs fecere Veronẽses, quo perniciosissimũ magis appropinquabat exitium. Cõmeatus vndiq; conuexerãt, vt ingentem hostium multitudinẽ mora ac fame conficerent:
40 sed postquã ter quaterve oppugnari cœpere, & pugna quidem perpetua, facti mox pœnitentia subit. Nam murorũ laxitate, & multorũ fuga, qui in tanto tumultu vrbi se subtraxerant, maximis Vnnorum viribus obstare non poterant. At quando imminentem mortem sibi proposuerant, nil noui accidere poterat, quod cõseruaret incautos, inter obsidendum & excursionibus nihil remissum. Longè lateq; populatur ager, incenduntur pagi, præda ingens ex Alpibus Rhœticisque montibus agitur. Mantuanus & Cremonensis ager passim diripitur, ad mœnia vsque discursatur. Mantuani paludibus se tuentur, Cremonenses miserius agũt. Traiecto Mincio, Cremonenses & Cenomanos pari modo sollicitant. Brixiani munitionem vrbis studiosiùs curant, hostem quotidie portis insultan-
50 tem, & inter Padum Alpesque diffusum prospiciunt & perhorrent. A Veronensibus pendent omnes, qui si restiterint, pari se fortitudine propugnare non diffidunt. At illi postquam se frustra ob rerum inopiam obsidionem soluendam sperare considerant, de facienda deditione decernunt: fit senatus consultum, vt per legatos ab Atila pacem cum venia petant, quacunq; pacem dederit, conditione mercentur, & accipiant. Postero die oratores missi redeunt, nihil præ-

terciuium incolumitatem ab Atila implorare potuisse. Tertiam prædæ partem eum referunt Marti, ac Herculi parenti optimo vouisse, reliquam promisisse militibus, neque tantam gentium multitudinem sine præda posse viuere, vrbem cum ciuibus intactam præstiturum. Dedunt se ciues, patefactis portis Vnnum cum exercitu excipiunt, qui vbi in medio foro constitit, prædam (præter eam quam vouerat) omnem militi concessit. Ad rapinas pro se quisque se conuertit, cum fortunis virgines ingenuæque matronæ rapiuntur, frustra promissorum obseruantia postulatur. Dum viri vxores cum liberis à raptu vindicare conantur, Scythicam in se feritatem irritare occœpere: at vbi in eos arma conuersa sunt, tot in eo furore trucidati sunt, vt mediocris pars euaserit. Argentea & aurea, gemmataq; deorum simulachra, vasa & ornaméta cætera, passim direpta, multa ædificia incésa sunt. Theatro pepercere, operis nobilitate placati. Quum fumantem Veronam Mantua Cremonaque prospiceret, quarum altera ab Hetruscis condita, altera vetus Romanorum colonia fuerat, ingenti vtraque trepidatione quatiebatur. Brixiam tamen castra mota sunt, & Cenomani longè latéque populati, abacta cum hominibus pecora promiscuè cædebátur. Iam ingéti præda oneratus erat Vnnus, tot nobilium vrbium exuuiis ditatus, dum ea oppugnatur. Bergomensium ager infestatur, diripitur, & incenditur. Bergomum cum Brixia à Gallis conditum est (vt vult Trogus) qui Romam occuparunt. Aliter sensisse visus est Cato, quippe qui ex Orumbinorum stirpe, Bergomum & Comum promanasse tradidit. Cornelius Alexander, eam gentem coniectura nominis, Græcam fuisse affirmat, vtpote cui à montium accolatu nomen est inditum. Cæcilius quoque poeta, Comensis fuit. Deinde Comum, colonia fuit mediocris, sed Pompeius Strabo, Cn. Pompeij pater, in eam colonos restituit, quam incumbentes Rhœti laté vastauerant. Cn. Scipio tria hominum milia insuper adiecit, diuus denique Cęsar, quinque inquilinorum milia ad inhabitandum deduxit. Ex his quingenti illustrissimi fuere Græci, quos ciuitate donatos, in habitatorum numero descripsit: neq; ibidē domicilium habuere, sed relicto nomine oppido nouo, Comenses oppidanos vocauere. Huic quum finitimus sit Larius lacus, ab Ada fluuio auctus, miram piscium vbertatem oppido affert. Omnes igitur Comēses & Bergomates, vno tēpore ab Vnnis infestati. Sed Brixia cum Bergomo in deditionem accepta, vno eodemq; tempore populatur, & incenditur. Post hæc Mediolanum, vrbs populosissima, non minus opulentia & vetustate, quàm omnium artium varietate conspicua, Vnnos allexit. Hæc, vt Græci memorant, quamuis non modò quondam Insubrium, verumetiam adauctis deinde rebus, totius Galliæ metropolis est habita, vicum tamen à principio fuisse aiunt. Multi nanque populi, qui priscis temporibus, ex vlteriore Gallia in Italiam emigrarunt, nobilissimarum vrbium feruntur auctores, si Catonis auctoritatem iure obseruauerimus. E Galliis enim Transalpinis profecti Vertamacori Vocōtiorum Nouariam condidere, Leui ac Marici Ticinum Laudēque Pompeii, Cenomani Comum, Bergomum & Liginiforum. Iisdem quoque temporibus Boii, Padi, ac Rheni fuere accolæ. Sed multo pòst tempore à Romanis eiecti circumiacentes Istro locos cum Tauriscis habitarunt, bellumque aduersus Dacos, ad interitum vsque gessere. Insubres denique Mediolanum ædificarunt, & optimis vsque adeo auspiciis, vt in hodiernum vsque diem, totius Galliç principum regia & metropolis esse videatur. Quàm aliqui parum doctè, quia in medio amnium Padi, Adæ, Ticini & Vmbronis sita sit, nomen hoc sortitam fuisse reputarunt: Insubres nanque à principio, quum è Gallia Transalpina prodierint patrium secum adduxere nomen. Multæ hoc vrbes in Gallia nomine dictæ sunt. Vnum in Gallia Lugdunensi Mediolanum est, in Aquitania ad Oceani littus alterum, tertium vltra Rhenum à Gallis quoque conditum, Phrysiisque finitimum, quartum in Asia nulli fluuio proximum. Et ne per alia euagemur, hoc cæterorum præstantissimū in Transpadana regione situm, quod primò ab Insubribus conditum, deinde à Gallis, qui duce Brenno in Italiam eruperunt, vrbemque Romam cepere, mirificè adauctum, vel ex pagis in vrbem
redactū

redactum est. Vniuersam à primo regionem Insubres incolebant, qui è Transalpinis prodiere, & quum Alpium accolæ forent, animorum ferocia, & statura plus quàm humana præstabant: in primo congressu vehementissimi, mox vbi prælio incaluerant, niuium more laxabantur, & abibant in sudorem. In Romanos arma sumere ausi, Britomaro duce, se non prius balthea soluturos, quàm Capitolium ascendissent, sponte iurauerant. Quos vbi Æmilius superauit, vt iuramenta præstarent, captiuos Romam duxit, ductosque in Capitolium subinde distinxit. Redintegrato cum Romanis bello, Ariouisto duce, ex hostiū exuuiis suo Marti torquem aureum vouere, sed Capitolinus Iupiter eorum votum
10 intercepit, quandoquidem Flaminius de torquibus eorum, aureum Ioui trophæum erexit. Viridomaro rege, Vulcano quoq; Romana arma vouerant, sed frustrata eos vota aliò cecidere: cæso nanque rege, Marcellus, tertius post Romulum, Feretrio Ioui opima spolia retulit. Insubres igitur, anno ab Vrbe condita quadringentesimo sexagesimo, in ditionem populi Romani peruenere. In eorum agro Mago frater Hannibalis vulneratus est, & in Corsica obiit, dum in Aphricam, per legatos reuocatus, nauigare contendit. L. Furius prætor Romanus, Insubres rebellātes, & Hamilcarem Pœnum in ea parte bellum molientem acie vicit. Cæsoq; Hamilcare, triginta sex hominum milia in eo prælio desiderara. Cornelius Cethegus consul, Gallos Insubres fudit, fugauitq;. Paulo post
20 L. Furius Purpureo, & Cl. Marcellus, Boios & Insubres superarunt, Marcellusque clarum de his triumphum egit. Deinde Mediolanum per annos circiter quingentos pacatissimum fuisse ferunt, & vsque adeo floruisse, vt eam vrbem Romani sæpe principes, quoad per occupationes licebat, inhabitarint. Statium Cæcilium, clarissimū comœdiarum scriptorem, & contubernalem Ennij, Insubrem fuisse, auctor est Eusebius. Quum igitur per tot secula Mediolanenses illustres essent habiti, eo magis Vnnorum animos incendebāt, quo nobilitate ac opibus præstantiores essent. Existimabat nanq; Atila, expugnato Mediolano, quod Gallicæ gentis caput erat, cætera se facilè consequuturum, atque non minus inde laudis relaturum, quàm si Romam vrbem occupasset, Gothorum ma-
30 nibus exinanitam. Motis repēte castris Insubres inuadit, amplissimamq; vrbem acerrima obsidione circumuenit. Lustrato vrbis ambitu ac tractu, & laxitate suburbiorum, se continuò eam ciuitatem inuenisse cognouit, quæ vniuersum ad obsidendum facilè Scytharum lassaret exercitum. Rei magnitudinem admiratus, remissius cum Mediolanensibus agere cœpit. Nam munitissimā frequentissimamq; vrbem, viribus facilè capere non posse intelligebat, & fame eam sine communi malo conficere non poterat. Populata nanq; regione Transpadana, sæua annonæ caritate tota Gallia laborare cœperat: quare ibi non diutius esse, sed castra sæpe regionatim mutare cogebatur hostis, ne ingruēte fame absumeretur exercitus. Quin & ab inuadenda Liguria, non tam locorum asperi-
40 tas, quàm inopia commeatuum remorabatur. Itaq; Mediolanenses per præconem alloquitur, & hortatur, sponte sese dedant, quod si fecerint, perhumanum eos dominum inuenturos pollicetur. Mediolanenses quid agerent, haud facilè decernebant, aliorum exempla ab omni cōditione deterrebant, nulla ab hoste fœdera seruari, rumor erat. Et longa populum frequentissimum obsidione, ad diram famem redigi posse non ignorabant, aliqua tamen in deditione vitæ spes inerat, quæ ad patres relata, senatus repentè consulto affirmatur. Postero die ad Atilam legatos mittunt, qui senatus populiq; autoritate deditionem, vt clementiorem hostem inueniant, honorificentissimis verbis faciunt. Quam postulasti vrbem, obsequiumque nostrum, rex Atila, ecce sponte deferimus, quando te
50 amplissimum terrarum dominatorem, & terrorem gentium, diuino numine creatum intelleximus. Repugnantia cuncta proteris, superbos deprimis, & difficillima quæque superas. Cedunt Atilæ omnia, & eò redacti sunt potentatus humani, vt beatus hac tempestate is dici queat, qui à tanto hoste ad faciendam deditionem exhortetur. Si tibi omnia iubente fato cedunt, cedent quoque Mediolanenses, & sponte se dedent. Quod non modò necessitate imperante, sed

impellente studio faciunt, ne destinatam è cœlo tibi gloriam remorentur, neve iustum mox exitium subeant, pertinaciæq; debitas pœnas expendant. Extremæ nanq; temeritatis & stultitiæ est, diuino nutui reluctari, factaque intercipere, & præsertim tua, quæ vel inconsideratissimo cuique nota esse debent. Illyricum, Mysias, Thraciam, Macedoniā & Achaiam diripuisti, Rhætos & Noricos spoliasti, Germaniam cum vniuersa Gallia igni ferroq; vastasti, munitissimas Adriatici maris vrbes euertisti. Istria, Venetia, & vniuersa ferè Transpadana Gallia populata, fumat adhuc. Cæteri Itali præ tanta trepidatione, cæterorum exemplo deterriti, de relinquenda Italia decreuissent, nisi supero inferoque mari, ac montium circumseptu occluderentur. Proinde ne victoriæ tuæ deesse videamur, senatus populiq; Mediolanensis nomine, vrbem, homines, & fortunas vltrò dedimus. Et admodum erubescimus, quòd veluti dominus pientissimus iam futurus, nos officio præuenisti, & vti amicos, ne seueritatem tuam experiremur, monuisti, vt deditionem continuò faceremus. Quare gratias maiestati tuæ semper habebimus, supplicantes quanto possumus affectu, quando de voluntate tua non veremur, vt edicto milites cædibus, rapinis, cæteraque vi inhibeantur, focis & aris parcant, inuiolatamq; matronarū ac virginum pudicitiam seruent. Quod si maiestatem tuam exorabimus, nunquam officio meritisq; vincemur. Non modò præsentis, verumetiam absentis tui imperium summo studio viribusq; tuebimur, & in vtraq; fortuna tam gratum tibi semper obsequium præstabimus, vt pro peculiaribus sociis nos habendos esse censueris. Neq; plus fidei in Vnnis, quam Mediolanensibus planè reperies. Ne maiestatem quidem tuam dedecebit, Mediolani regiam statuere quam fœcundissimam omnium artium officinam omnes iure nuncuparint. Atque fidem nostram expertus, non minus hanc, quàm Sicambriam amabis, & excolendam esse reputabis. Quamobrem vrbem tibi deditissimam, maiestati tuæ non indecorem futuram, cum optimis auspiciis exoptatus adi. Accipe bono animo Cisalpinæ Galliæ regnum, metropolimque dextro pede ingredere, non plus diuino quam nostro iudicio nunc oblatam. Quam vt tanquam regiam patriamq; sedem tractes, quando in tua manu omnia collocamus, iterum iterumq; deuotissimè supplicamus. Perorantibus legatis, diuersus Atila trahebatur, vtrum potius faceret, an suauissimis verbis placatus, cum ciuibus benignius ageret, an verba daret, vrbem mox aditam populaturus. Quum rerum opulentia ab omni regem humanitate diuerteret, perfidia pudorem suscitabat, studiosaq; liberaq; deditio ab omni fraude vindicare conatur. Tandem dum pudori ac vtilitati suæ consulit, libenti animo, hilariq; vultu deditionem factam se accipere ostendit, ciuitatem cum fortunis incolumem præstiturum pollicetur, nil præter ius imperij à Mediolanensibus vnquam petiturum. Expeditionem suam, imperandi & non populandi gratia fieri, seq; gloriæ, & non prædæ causa militare significat, quorum alterum latronis, imperatoris contrà gloriosi est alterum. Rapinas, cædes, & incendia in obstinatos & rebelles, iure quandoq; permitti. Proinde omnes bono animo esse iubet, spe simul & promissis onerat, indulgētissimum eis dominum futurum asseuerans. Legati cū lætitia dimittuntur, omnia vrbi tuta ac integra fore nunciant. In sequenti die portas aperiunt, grato Vnnos animo excepturi. Princeps singulari pompa ingreditur vrbem, exercitus longissimo agmine per vrbem transiit, in castris noctem ex edicto acturus, ne qua primo impetu vis cuiquam inferretur. Centuriones tantùm, & præfecti cum veteranis, & cohortibus prætorianis, præ tutela principis in vrbe permissi, totus ille dies in pompa transuectationis actus est. Postero verò cum decurionibus Atila vrbem lustrat, pulchritudinem ac ædificia admiratur. Templum Iouis longa religione celeberrimum perreuerenter adit, ibique Ioui Martique ritè litauit, omnia artium genera circumspectat, & obstupescit, atq; ex his facultatum magnitudinem coniicit. Reuersus in arcem auaricia nimia æstuare cœpit, secum cogitans, non ad exornandam, sed delendam Italiam venisse, imperium sibi in Pannonia statuisse, hac tantùm vrbe totum exercitum ditari posse, immo Mediolanēsium vires sibi

ſibi formidoloſæ videbantur. Quare dum ſe in ſequenti die exercitum recenſere velle diſſimulat, clàm per præfectos legionum, & qui in vrbe pernoctauerant, agit, vt diſpoſitis per vrbem ſtationibus, futura nocte incendia moliantur, ciues inuadant, & omnia populentur. Quod vbi fieri cœptum eſt, acerrimè tota nocte pugnatum eſt, primores vrbis impoſitis è domo pręſidiis ſe tuebantur, atria multa fuerant nobiliſſimæ cuiuſquę inſtar arcis. Aſt vbi dies illuxit, quum plebeij paſſim direpti cæderentur, & in multis locis incendia ſæuirent, tandem decuriones omnes capti, partim cæſi, partim benigniorem hoſtem nacti, magna ſe pecunia redemerunt. Raptæ cum matronis virgines. Et quamuis in fortunas & decuriones ſæuitum eſt, illuceſcente die aliquanto remiſſius actum eſt, cædibus & incendiis ex edicto finis illatus. Multæ ingenuæ mulieres viris redditæ, populus aduectis commeatibus, aliquantulum ex illatis calamitatibus reſpirauit. Vrbs quamuis grauiter eſſet afflicta, non extremo tamen abſumpta eſt incendio. Atila ſe per edictum excuſauit, id ſe inuito ac inſcio factum, libidinem tantæ multitudinis, & cupiditatem haudquaquam facilè contineri poſſe. Dum hæc Mediolani aguntur, interea Ticinum mandat obſideri, agrum diripi, & finitima quæque vaſtari. Eam nanque vrbem haud parui momenti eſſe nouerat, quam nunc Papiam dicimus, à præfluente amne nominatam: quanquam Plinius à Lenis & Mariciis (vt paulo ſuprà ſcripſimus) conditam eſſe tradidit, qui Tranſalpini quoq; populi fuere. Nonnulli tamen, quo tempore Hannibal in Italiam venit, eam nondum fuiſſe, ex Liuij ſcriptis planè coniiciunt. Nam quum Scipio Padũ traiecit, & ad Ticinum amnem caſtra mouit, & quum vtrinque accenſi militum animi forent, Romaniquę ponte Ticinum iunxiſſent, tunc ſi Papia Ticinum fuiſſet, aliquam de vrbe Liuius mentionem feciſſet, neque Romani pontem feciſſent, neque facto caſtellum impoſuiſſent. Nunc ſub Sphorciadum imperio florentiſſimam eſſe conſpicimus, eamquę præ cæteris arx nobiliſſima, Carthuſienſium baſilica inſano ſumptu facta, literarumquę gymnaſium mirificè nunc excolit. Atila Mediolanenſium præda onuſtus, Ticinum cum reliqua parte equitatus ſubinde conceſſit, ad Padi præfluenta ſitum, duodecim milibus paſſuum à Mediolanenſi vrbe remotum. Ticinienſes parem fortunam ſubituri, in tãta rerum omnium perturbatione, quid potiſſimum agerent, neſciebant. Vrbem puſillanimitatis infamia deſerere noluerant, facultates cum vxoribus ac liberis quo potiſſimum mitterent, ignorantes, honeſtius ac tutius in vrbe manere, & tueri patriam reputarunt. Neque vllus eis locus ſuccurrebat, qui propria ſede tutior eſſe videretur, quum agrum ac pagos crudeliter ab Vnnis circumdiripi, incendio prædisquę vaſtari proſpiciunt, indignatione ſimul & deſperatione obdurati, poſtulatam ab hoſte deditionem abnegant. Rati admodum eſſe indignũ, prius quàm de deditione agatur, ſuburbana cum agro vniuerſo immaniter diripi, homines cum pecoribus omnes abigi, alios ad ſeruitutem, ad mortem alios, pro Scythica feritate peti. Proinde generoſi optimatum animi, ſi res ipſa tulerit, cum patria ſimul interire magna ex parte decernunt. Contrà plebs, nobilitatis inuidia, & cupida nouitatis, cui cum exiguis fortunis, exigua quoque ratio ineſt honeſtatis, quum in plebeios Mediolani haudquaquam ſæuitum cognouiſſet, aperta ſeditione aduerſatur, populi commodò & ſaluti conſulere clamat oportere. In tanta tempeſtate ſatis eſſe, ſeruare vitam, ſi neceſſitas coegerit, nullam fortunarum rationem eſſe habendam, ſi quid patres obſtinatius egerint, ſe facta ſeceſſione à mœnibus, deditionem facturam interminatur. Ad hæc Atila omnes vrbem circumuenire, ac magno impetu inuadere ex edicto iubet, teſtudines & arietes mœnibus admouentur, adiectis mœnia ſcalis ſubeunt. Tumultus in vrbe ingens excitatur, aliqui dedendam vrbem, propugnandam contrà aliqui exclamabant. Qui in propugnaculis diſpoſiti erant, partim remiſſius agere, & facere deditionem: contrà aliqui acerrimè obſtare, & deturbare à mœnibus hoſtes. Quare extemplo Vnni ingreſſi, vrbe potiuntur: apertis portis rex equo inuectus, cum magno plauſu à plebe excipitur. Optimates partim latebras, partim apertam fugam petunt, principis edi-

cto,intellecta re,maxima ex parte cęduntur,raptæ cum virginibus matronæ,ac bona omnia populata. In plebem benignius actum,templa donatiuis,preciosis simulachris,gemmatisque scyphis,pari feritate spoliata. Liguriam, qui tempora ista scripserunt,Transpadana regione potitos,Vnnos inuasisse non referunt, quando regionem illam & commeatuum inopia, & asperitate locorum plurimum laborare cognouerant. Et nulla re magis, quàm potiundæ vtilitatis spe bellum initur,initumque seruatur. A Ligustico igitur tractu, alpibusq; difficillimis se abstinuere Scythæ, vbi parum commodi, & difficultatis plurimum inesse,ab exploratoribus intelligebant. Ad Mincium amnem castra reuocata,ad cuius ostia,quibus Padum influit,statiua rex aliquandiu habuit.Dum de inuadenda dudum Italia maturè decernit, optimum fortunæ successum prosequendum censet Atila,& fatorum dexteritatem nullo modo deserẽdam, quam quicunque contempserit, frustra repetat. Transmittendum continuò Padum decernit,ne in tanto rerum successu,ipse sibi defuisse videatur. Multi in principis sententiam pedibus eunt,secessere alij, quos consilij ac sapientiæ compotes esse rumor erat, & exploratæ fidei ac prudentiæ antehac semper habitos. Hi ab vrbis Romę obsidione impensius dehortari,diuino potius quàm humano consilio ducti,ac dicere,Romam diuinis auspiciis fundatam,inuitis quoque numinibus deleri non posse. Deos non solùm humani, sed diuini etiam imperij sedem in Capitolio statuisse,vrbem quandoque captam, nunquam deleri posse. Illius loci Genium tantùm sibi numinis vendicasse, vt aliquo imperio carere non possit. Quin etiam imperium sine fine,à Ioue Marteque parente, Romanæ genti datum. Gallos vrbe potitos,præter Capitolium, grauissimas pro tali facinore pœnas exoluisse, ingentem stragem, erroresque longissimos diu perpessos, multas peregrinas sedes occupasse, & ad breuissima tempora ibi interiisse, paucos demum in patriam reuersos. Porsenam, vrbem obsidere ausum, obsidionem turpiter deinde soluisse: Hannibalem idem facinus adorsum, vitam miserrimè finiuisse. Gothos paulo antè, duce Alarico, captam Vrbem incendisse, Alaricum diro fato pressum, victoria nequaquam frui potuisse. Romam, quando deorum est domicilium, sub Iouis optimi maximi tutela esse. Proinde Atilam orare, quando sat factum erat,vt opulentissima comparata victoria, victorem exercitum prædis onustum, & multis exuuiis & trophæis insignem, in patriam reuocaret. Aut si latius imperium propagare certum erat, aliò Scythica arma verteret,ne in prophanam expeditionem duceret,qua deorum vrbem incendere pergeret.Quia extremæ temeritatis & stultitiæ foret,diis bellum indicere,& vnicum in terris deorum domicilium euertere. Ad hæc diuersus adhuc Atila trahebatur, difficillimam Italiæ partem, non modò victam ratus, sed ad interitum vsque deletam,cęteram nimio terrore perculsam,vltrò cessuram. Hæc procerum consilia, à defatigatis potius assiduo bello animis, quàm è sano iudicio promanare arbitrabatur, quare pusillanimitatis & ignauiæ acerbiusculè increpuit. Quandoque sese colligens, ne delira quidem eorum consilia reputabat,eáque pensitans,fortunam variam & insidiosam considerabat. Neque ignorabat Barbarus illam rerum dominam, eundem semper tenorem nũquam seruaturam,nemini vnquam vsquequaque fuisse fidam,pro libidine sua rotare status hominum, & hoc ludo nimium delectari. Neque tamen nimiam impetandi cupiditatem coercere poterat, castra præter Padi ripam longè latéque disposuit,vbi quando nihil exercitui deesse poterat,eo vsque permanere constituit,quousque à re & tempore consilium mendicatum oblatúmve assequeretur.

RERVM

RERVM VNGARICARVM DECADIS PRIMÆ LIBER VII.

QVVM ad Mincium amnem Vnni statiua habent, vniuersa tumultu ac ingenti trepidatione miscetur, & fluctuat Italia. Leo pontifex maximus, Christianæ reipublicæ calamitatem miseratus, atque non à Valentiniano, verum etiam à senatu populoque Romano exoratus, vltrò ad Atilam legationem pro publica salute suscepit. Continuatis in Galliã itineribus, cum venerando sacerdotum collegio sine cunctatione contendit: Atilæ, qui adhuc anceps ducebatur, ad Mincium flumen occurrit. Romanum pontificem quum vniuersæ Italiæ summã, deditionemq; sibi hostis afferre speraret, ac ita sibi suaderet, elatus animo, ac vultu hilaris, coacta concione, pro viri dignitate eum excepit, data dicendi copia, patrem sanctissimum mitibus intentisq; auribus exaudiuit. Non tam humano, quàm diuino (is inquit) mihi crede, consilio, Rex, mortalium facinorum censor acerrime, ad te cum Apostolico ordine venimus. Neq; ignoramus, quando in diuino cultu, & animorum salutẽ versamur, te flagellum Dei, & terrorem gentium, populis diuina fuisse voluntate tributum. Te ex minutissima gente editum, ad tantum fastigium à deo, non sine maxima ratione euectum intelligimus. Quando Christianæ gentis iniquitas & perfidia vsque adeò redundarat, vt sine diuino flagello coerceri non posset, potestatem exigendarum ab hominibus pœnarum tibi Deus delegauit. Et si veritatem tolerantius audiueris, te iræ suæ idcirco carnificem effecit, vt debitis homines pœnis afficeres, & eousq; tua sæuitia fureres, quousq; diuinæ iusticiæ factum satis reputaueris. Mysias, Thraciam, Pannonias, Illyricum, Macedoniam & Achaiam ferro incendioq; vastasti: quia hæ populi Romani prouinciẹ, non modò Ariana, sed varia quoque hæresi contemeratæ, perniciosissimè laborarunt, huius etiam criminis citerior vlteriorq; Gallia rea fuit. Quare te cædibus ac incendio latè longeque grassantem, hucusque passa est diuina seueritas, mortalem perfidiam & ingratitudinem abominata. Nos, qui Dei omnipotentis vicem gerimus in terris, ac Petri & Pauli tutela & auctoritate potimur, aut in Illyrico, aut in Pannonia Macedoniáve, aut in Gallia tibi occurrissemus, teque diuinæ voluntatis admonuissemus, si diuinæ iusticiẹ putassemus cumulatissimè satisfactum. Nondum tunc diuina ira desierat, nobilissimum maris Adriatici tractum, tot colonis populi Romani, antiquissimisq; vrbibus excultum te inuadentem, ab Vrbe, tanquam è specula prospectauimus collachrymantes. Tamẽ neq; tibi occurrimus, immo ne minimis quidem literis inhibuimus, quia irata adhuc numina & inexorabilia senseramus. Istriam & Transpadanam regionem te flammis & ferro miscẽtem vidimus, ne minimo quidem nuncio adhuc inhibuimus: quod ideo fecimus, vt hac flamma gentes quandoque resipiscerent, suumq; sine labe colerent saluatorem. Nunc autẽ præpotentis Dei voluntatem Atila sic habeto. Te Iesus Christus optimus maximus, nũc pedem referre iubet, neq; patitur traiecto Pado, te cædibus, spoliis & incendiis vltra sæuire. Intra Padum gens pia viget, cæteraq; Italia ab omni labe exempta, in orthodoxa fide consistit, propugnatorem habet optimum, ac cœli terręq; regem, omniumq; rerum creatorem. Si traiecto Pado vltrà contenderis, non eum hominibus, sed diis immortalibus bellum tibi esse senties. Caue tibi Atila, & exuta temeritate sæuitiaq;, coerce furorem. Quid enim magis temerariũ esse potest, quàm aduersus Deum arma gerere? Quid magis ingratum, quàm in eum à quo vitam, dignitatem, imperium, cæteraq; innumera bona acceperis, instruere aciem? extremæ quidem id foret amentiæ. Anianus & Nicasius, item plerique viri Deo deditissimi, magnas à furore tuo vrbes diuina ope vindicarunt. Quid faciet Deus, cuius vel minimo nutu, quum omnia diuinæ maiestati pareant, è summo fastigio facillimè deturbari potes, & ita deturbari, vt nulla tui tuorumq;

Scytharum monumenta supersint? Time Deum, diuino nutui perreuerenter obsequere, & seruo internuncioq; Dei lubenter ausculta. Quandoquidem minimus seruorum Dei, in nomine Iesu, quod est super omne nomen, & in signo salutis, vno duntaxat digito, te tuasq; copias proteret vniuersas. Ne audeas (te quæso) Atila, Romanæ vrbis sedem, quam sibi Deus optauit, inuito numine anhelare, in qua non modò Barbaras gentes, sed ne prolem quidem Romuleam Deus patitur imperare. Diuini est (mihi crede) illa sedes imperij, vbi Deus per vicarios pontificesq; suos, humana vota ac preces exaudiuit, ibi humanam culpam & delicta remittit. Ibi Deus ius quotidie dicit, ibi humana crimina iudicat, ac expendit. Ibi Petrus pontifex maximus, Christi legatus, cũ collega Paulo dominatur. Ibi cæteri pontifices, eius loco ritè suffecti, ac diuina potestate donati præsunt, humanamq; salutem studiosissimè curant. Ne audeas igitur Vrbem inuadere, reginam gentium, sepulturam martyrum, parentem orbis, officinam triumphorum, & diuini potius quàm humani imperij sedem. Parce Apostolicæ sedi, sub Petri & Pauli præpotenti numine tutæ. Parce pontificiæ arci, quæ ex ossibus sanctorum, & calce martyrum cruore suffusa, constructa est. Parce magnæ arx Petri, petra suffultæ. Quicunq; Romam olim, quæ diuini imperij sedes futura erat, inuadere ausi sunt, è tanto sibi facinore exitium inuenere. Senones Galli pari impetu ac viribus Italiam adorti, vrbem inuasere, pręter Capitolium omnia diripuere, tot deinde cladibus & erroribus affecti, ac tam sinistro denique fato vexati sunt, quòd vrbem Romam nunquam vidisse, quàm cepisse maluissent. Porsenna potentissimus Hetruscorum rex, non sine vitę periculo eam obsedit, atque non sine ignominia & detrimento, re infecta recessit. Romanam potius amicitiam, quàm arma cupiuit. Hannibal afflictis (ne deletas dixerim) populi Romani viribus, ad obsidendam vrbem profectus, non modò non expugnare, sed ne videre quidem dirus hostis potuit, mox inde consciscendæ sibi mortis necessitatem comparauit. Et ne per historias euagemur, Alaricus nuper Gothorum rex, idemque Scythia oriundus, Romæ manus iniicere ausus, post fœdatam vrbis maiestatem, commissumq; piaculum, intercepta mox vita, miserrimè obiit. Mitius deinde cum imperio Romano se gessere Gothi, neque viribus, neque feritate Vnnis inferiores. Proinde diuini imperij sede, Atila, nunc abstine. Romam deorum domicilium dimitte. Reginã terrarum, matrem gentium, patriam populorum, antiquitatis sacrarium, monumenta triumphorum agnosce, & venerare. Potentissimam à diui Petri solio coerce manum. Ensiferi Pauli reformida numẽ. Quod ni feceris, diuino simul & humano supplicio tu cum tuis cumulatè mulctaberis, & mox sera pœnitentia ductus, temeritatem tuam frustra deplorabis. Quare omnipotentis Dei ore, sub cuius tutela degimus, & principum sacrosancti Apostolici ordinis mandato, te copiasq; tuas pedem referre iubemus. Itaque hinc properè castra amoueto, feras Barbarasq; gentes abigito, patrias sedes repetito. Padum caueto superare, furori ac cædibus finem imponito. Humano sanguini posthac, quando diuinæ satis irę factum est, parcito. Italia, ac vrbe Roma abstineto. Extra Italiam, prout lubet, etiam in Scythia dominator: quod ni feceris, letale tibi iudicium è cœlo imminere intelligito. Neque illud ignorato, irata numina ex inimicis, per inimicos suos cumulatissimas esse pœnas exigere solita: quod ne tibi accidat, iterũ iterumq; prospicito, & huic Christi vicario credito, & audito. Hæc Leo pontifex minaci ac diuino ferè ore loquutus, ita regem exterruit, vt nõ multa verba facere potuerit. Alarici casum mente agitans, eo magis Leoni credere cogebatur. Tandem pauca refert, se credere ex viri grauitate ac reuerentia vultus, diuina hæc mandata fuisse: idcirco ad Mincium amnem substitisse, vt diuinam voluntatem è cunctatione ipsa dignosceret. Alarici se exemplo deterritum, aliquãdiu ibi statiua habuisse, inuitis Padum numinibus nunquam superaturum, neque acturum quicquam. Proinde asseueranter polliceri, se nõ vlterius castra moturum, moderaturum furori, quem ex diuina mente conceperat, & sanctissimo viro, Christique legato, vti mandarat, è vestigio auscultaturum. Dimisso Leone voti compo-

compote, antistitis aspectu verbisque continuò victum Atilam admirantur omnes. Multiq; proceres subinde percunctātur, cur pontifici Christiano tam facilè cesserit, effœminatumq; præ timore animum ostēderit. Nec parua quidem (inquit) sacerdotum manus, nec Pontifex ipse me deterruit, sed duos senes, qui demissa barba, ac venerando horribiliq; vultu, supra illius viri caput, districtis ensibus adstabant, reformidare coactus sum, qui nisi legato suo paruissem, præsentem infestis gladiis mihi mortem minabantur. Petrum & Paulum suo tunc vicario præsto adfuisse, creditum. Vnni regis edicto in Noricum & Pannoniam statiua mouere, & sedato furore, cædibus & incendiis abstinuere lubenter. Leo
10 impetrata totius Italiæ salute, immortales Deo gratias agit, Romamq; reuersus, publicam Ecclesiæ liberationem retulit. Post hæc pater ille optimus, omnes ingenij neruos ad asserendam orthodoxā fidem, quę ab Eutychianis potissimum, & Nestorianis ea tempestate admodum vexabatur, sanè conuertit. Nestorius enim, Constantinopolitanus antistes, Virginem non Dei, sed hominis tantùm matrem fuisse asserebat, vt vnam carnis, diuinitatis alteram personam faceret, ac seiunctum alterum Dei filium, hominis alterum esse asseueraret. Eutyches, ne huic adstipulari videretur, diuinam cum humana natura in idem compositum recidisse tradidit, vnumque factum nulla ratione oportere distingui. Flauianus metropolita Byzantinus vtranq; damnat hæresim. Synodus Theodosij
20 iussu, Ephesi habetur, in qua præsidente Dioscoro, Eutyches absoluitur, & damnatur Flauianus. Contra Leo post Theodosij excessum, Chalcedonense concilium Martiani auctoritate ac imperio habendum curauit, quod frequentissimum profectò fuisse ferunt, quando è sexcentis & triginta sacris patribus cōstitisse dicitur. Vbi sacri conuentus cōsulto asseueratur, duplicem in Christo fuisse naturam, vnum eundemq; Christum, Deum & hominem esse credendū. Deinde auctores Manicheæ labis, omnium patrum consensu extemplo damnati, libri eorum publicè cōcremati. Fastus Dioscori conculcatus, hæresisq; abrogata. Sub idem tempus Ecius patricius, vir bello clarissimus, non modò Atilæ, sed Imperatori quoq; Romano formidolosus, variis inuidorum criminibus postu-
30 latus, Valentiniani iussu, à Maximo patricio obtruncatur. Trausila deinde Ecij commilito, vt amici mortem vlcisceretur, fauente quoq; Maximo, Romæ Valentinianum interfecit. Hic quum annis triginta imperasset, maioremque vitę partem Rauennæ duxisset, ad amplificandum vrbis dignitatem, Rauennati metropolitæ duodecim subiecit episcopos, vtputa Arimini, Cesenæ, Foriliuij, Foripompilij, Fauentiæ, Foricornelij, Brincij, Bononiæ, Mutinæ, Regij, Parmæ, Placentiæ, vnde hexarchatus nomen huic inditum. Rauennæ præterea mœnia amplificauit. Ioannem episcopum imperiali habitu, qui ex candida lana constabat, vti iussit. Quare cum Romanis pontificibus sese conferre ausi sunt Rauennates. Maximus post Valentinianum, vsurpato imperio, Eudoxiam Valen-
40 tiniani vxorem, vi raptam sibi coniugauit. Hæc facinoris indignitate commota, Gensericum Vandalorum regem, Aphricæ debellatorem, ad inuadendam Italiam, & ad vlciscendum scelus suscitauit. Qui comparato ex Aphris, Mauris ac Vandalis exercitu hominum circiter trecentorū milium, cum maxima classe traiecit in Latium, destitutam à ciuibus vrbem cepit. In quorum fuga, Maximus tyrannus ab Vrso, Romano centurione cæsus. Genserico vrbem intranti, Leo quoque pontifex occurrit, & orauit, vt abacta præda contentus, vrbis & templorum incendio parceret. Quod impetrare non potuit, quando inexorabiliorem, quàm Atilam, Gensericum inuenit. Vrbs tota igni ferroq; à Vandalis Aphrisq; vastata. Abeuntes Vandali, per Campaniam iter faciunt, Eudoxiam
50 cum filia secum ducunt, Capuam cum nonnullis Campaniæ oppidis expugnant. Romani post quartum ac decimum diem, desertā vrbem repetunt. Anitum senatorem in demortui Imperatoris locum sufficiunt, quo cum Martianus pro reipublicæ salute, haud inuitus tunc fœdus iniuit. Leo pontifex ad instauranda templa eum Vrbe animum conuertit. Demetriæ religiosissimę mulieri ac ditissimæ persuasit, vt diuo Stephano ad tertium lapidem, in suo fundo

basilicam ędificaret. Ipse in via Appia beato Cornelio aliam erexit, diruta templa, & sacra vasa instaurauit. Treis cameras in Petri, Pauli, Ioannisq; basilica fecit. Sepulchris apostolorum excubitores adiecit, quos cubicularios appellauit. Monasterium in Vaticano, haud procul à Petri basilica, mulieribus statuit. Acephalorum hæresim, qui in Christo substantias negarunt, suis epistolis acerrimè confutauit. Sanctissimum igitur pontificem, vt ad Vnnorum historiam redeamus, Atila perreuerenter coluit, dimisit honorificè. Ipseq; cum vniuerso exercitu, Italicis opibus & exuuiis onustus, in Noricos euestigio se recepit. Sed antequam ex Italia pedem educeret, illud interminatus est, longè grauiora se Italis bella illaturum, nisi Honoriam Valentiniani sororem, Placidięq; Augustæ 10 filiam cum legitima principalis Gazæ portione, vxoris loco darent. Nam hæc dum Atila ageret in Italia, & ipsa honestatis gratia inter sacras virgines asseruaretur, clàm ad Atilam cum epistola misit eunuchum, qua Vnnum in fratrem irritabat. Hortabatur, vt aduersus eum arma caperet, ipsamq; copiis ac pecuniis adiuuaret, quod vt honestius facere videretur, admonebat, vt suas nuptias haud tali viro indignas postularet. Eunuchũ Atila grato animo admisit, eidem clandestina mandata dat, quibus Honoriam bono animo esse iubet, Augustæ virginis coniugium, quod vltrò detulerat, sibi charissimum esse significat, eamque maximè omnium amaturum. Ex composito legatos ad Valentinianũ mittit, quibus Honoriam cum media Imperij parte postulat, vt hac affinitate coniugati, vtriusque ocio, & saluti vniuersi orbis tutiùs consulant. Quod si præter 20 æquum & fas, à Romano principe repulsam hanc patiatur, se vniuersam cum Imperatore Italiam deleturum, minatur. Valentinianus cum his oratores responsis dimisit, se affinitatẽ tanti principis nõ aspernari, immo nil sibi hoc tempore antiquius accidere potuisse, quàm regem Atilam saluberrimo vinculo sibi conciliare. Hoc modo vtrunque imperium facilè pacari posse, proinde animũ suum sponte id annuere. Interea se sororis, ac senatus populique Romani volũtatem exploraturum, sine quorum iussu & auctoritate nihil in republica ritè fieri possit. Sub idem tempus Valẽtinianus ea, quam suprà diximus, morte diem obiit. Atila omnino verba sibi dari suspicabatur. Reuersum tandem in patriam, 30 aliqui parum vixisse prodidere, nonnulli in Gallias, vt illatum ab Ecio, & Theodorico Visigotharum rege conflictum vlcisceretur, iterum rediisse scripserũt. Et quam scriptorum discordiam suprà tangere occœperamus, hîc prout res postulat, explicabimus. Annales Vngarici, aliiq; permulti, postquam Atila, cum victore ditatoq; exercitu in regnum se receperat, eum de bello Italico & Illyrico triumphasse ferunt, exhibuisse munus gladiatorum, varia edidisse spectacula. Sicambriæ populo ter epulum dedisse, missilia sæpe sparsisse, multa populis conuenientibus prodegisse. Et quamuis de inuadenda Asia atque Aphrica cogitaret, ne sua virtus remollita videretur, virũ tamen summa libidine perditum, inter conuiuia, & ingentem concubinarum numerum mentem remisisse, vt eodem modo elassati cum corporibus Vnnorum animi, vehementius noua bella repararent. Ildico puella ei fuit præ cæteris gratissima, Bactrianorum regis filia, mira pulchritudine, & incomparabili venustate, cuius amore succensus, eam primariæ vxoris loco habere cõstituit. Comparatis pro regis dignitate nuptiis, per omnem intemperantiæ licentiã, in coniugali conuiuio sibi indulsit, Baccho ac Venere corpus ita ea nocte confecit, vt inter dormiendum supino corpore, profluuio sanguinis è naribus continuò suffocatus interierit. Experrecta mulier, virum amplexu repetens, extinctum algentemq; inuenit. Conuocatis mox cubiculariis, elato luctu, fatum regis inopinatũ promulgatur. Fatum (inquam) viro non indignum, nam qui alienum sanguinem tantopere anhelarit, proprio 50 hunc expleri & interire decuit. Martianus ea nocte, qua hostis interiit, arcum Atilæ in somnis fractum vidisse, & hinc eius interitum prædixisse traditur. At vbi mors eius vulgò diffusa est, omnes Scytharum animi extemplo consternãtur. Conspicantur enim tale ac tantum imperium è diuersis gentibus, eisdemq; inter se dissentientibus & infestis, quando Gepidæ & Ostrogothæ, veluti serui,

præ timore cũ Atila commilitarunt, nunquam conseruari, neq; tot nationes in obsequio retineri posse, omnes haud ab re continuò defecturas arbitrãtur. Exequias tandem Chaba & Aladarius, vel (vt alii dicunt) Hernachus & Durichus, eius filij cum cæteris principibus, faciendas curant. Funus pro viri dignitate, cũ maxima pompa, populorumque frequentia celebratum: corpus in sacellum, ac maiorum monumenta relatum, de quibus suprà diximus. Nam in celebri via, vbi columnam Vnni erexerant, Bela, cæterique Scytharum duces sepulti fuerant. Hunc Vngari centum & vigintiquatuor annos vixisse, prætereà quatuor & quadraginta regnasse, post ingressum in Pannonias anno septuagesimosecundo, a salute verò Dominica quadringentesimoquinto, vita excessisse ferũr. Iordanis eius funus ita prodidit, in medus castris, intra circunstantia tentoria cadauer fuisse positum, electissimos Vnnorum equites, vnà cum Pyrrhichia saltatione, modulato cantu, eius laudes circùm concinuisse. Circensium more circumcucurrisse, mox collata strena, corpus honestasse, comessationem cum gaudio simul ac luctu celebrasse. Subinde clam noctu, ad præstitutum locum corpus humi condidisse, dicasse hostium exuuias, multoque deinde humano sanguine parentasse. Iordanis autem longè dissentiens, cui an ne fides abrogandasit, ij iudicent, qui citra inuidiam vetustiora Scythicarum rerum monumenta perlegerint, Atilam refert, post bellum Italicum, reuersum in Pannoniam, expeditionem iterum in Galliam, ad delendos Visigothas recessisse. Quod vt faciliùs efficeret, eosque incautos adoriretur, ad Martianum Imperatorem legatos continuò misisse, per eosq; acerbissimè postulasse, quòd Theodosii quondam Imperatoris sibi promissa minimè præstarentur, proinde Græcorum principi bellum indixisse. Hoc regem callidissimũ idcirco fecisse, vt hostes, qui Gallias occuparant, & Vasconia Tholosæ imperabant, omni sub hoc prætextu suspicione liberaret. Deinde mox in Galliam longis itineribus cum maximo exercitu cõtendisse, Alanosq; prius, quàm Visigothas aggredi statuisse, vt his subactis, Visigothas longè facilius ipse protereret. At non semper è sententia consilia nostra succedunt. Ne Thorismundus quidem, Gothorum rex, mentem Atilæ non intellexit, quippe qui veritus, ne victis Alanis fortiorem hostẽ experiretur, iis cum magnis copiis præstò adfuit. Inuadentibus Vnnis, ne minore quidem animo ac viribus occurrit, conserto prælio diu pugnatũ, Vnnus tãdem inclinatus, ac subinde dare terga coactus, passim funditur, & fugatur. Tanta cędes ibi committitur, vt ne minorem quidem stragem, quàm in campis Catalanicis, quos Mauriacos nunc vocant, Scytha passus fuisse credatur. Si Gothico scriptori credendum esse censemus, Vnni detrimento & ignominia iuxtà affecti, in Pannoniam sese referunt. Exinde Atila, imminuto admodum nomine, contemni cœpit, ne ita quidem, vt antea, formidolosus erat. Thorismundus Tholosam victor rediit, paulo pòst diem obiit. Nam quum tacta vena, morbi gratia sanguinem exhaurit, ab Asculo cliente inimicos adesse nunciante, subtractis armis ipse confoditur. Sed ne moreretur inultus, altera manu, quæ libera erat, rapto scabello inimicos nonnullos interfecit. Theodoricus frater in regno successit. Ante quam ad Atilam redeamus, Iordanem de Visigotharum rebus plura dicentem, aliquantulum prosequamur. Theodoricus regnum adeptus, Riciarium Sueuorum regem, & cognatum suum, qui in Galatia, Lusitaniáve consederat, reperit inimicum. Nam quum Riciarius totam Hispaniam occupare niteretur, Theodoricus moderatiùs agens, à principio eum per legatos admonuit, ab alienis finibus manus abstineret: neque id auderet, quod foret iniquum, sua moderaretur ambitioni, quippe quæ magnam sibi soleret inuidiam comparare. At ille contumaciùs refetens, Nullam (inquit) alienarum rerum curam Theodorico esse oportere, neque decere, se cuiquam negocium facessere, & hinc atque hinc molestias temerè commercari. Immo studiosissimè præcauendum, ne Sueuos infestet. Quare Tholosam hostili manu visere cogeretur, vbi omnis gladio res ageretur. Thorismundus his verbis commotus, eum omnibus finitimis rem componit, Gundicum & Hilpericum, Burgũdionum reges in

Atila ætas. 405.

societatem accipit. Mox cum magnis exercitibus contendit in Hispaniam, ad Vrrium amnem, qui Asturiam Hiberiamq; interfluit. Sueuis occurrit, vbi com missa pugna, tam infestis congrediuntur animis, vt multi vtrinque ceciderint. Sueui tandem victi & ad internecionē vsq; cæsi. Riciarius rapta naui, dum salutem fuga disquirit, in Gothorum manus incidit, in Theodorici conspectum adductus, sibi suisq; veniam inuenit. Quandoquidem benignus hostis, post victoriam amplius sæuiendum esse, non censuit. Domitis Sueuis Agiulphum clientem præfecit, è Varnorum stirpe natum, quæ à Gothici sanguinis nobilitate admodum erat abiuncta. Hunc Sueuorum suasu rebellātem, Theodoricus misso exercitu per præfectos cepit, captumq; mox capite mulctauit, vt exemplum cæ teris ipse proponeret, gratissimi domini obsequia nunquam detrectanda. Sueui reformidata sæuitia, ad placandum regem, cum collegiis sacerdotum misere pontifices. A quibus ita exoratus est, vt non modò Sueuis ignosceret, verum etiam de propria gente deligendorum principum potestatem faceret, ac Rosimundum mox electum confirmauit. Theodoricus tertiodecimo regni anno diem obiit, suffectoq; loco eius Henrico fratre, veneni suspicione non caruit. Mutatio deinde frequens principum & Imperatorum, Visigothis amplificandi Imperij occasionem obtulit. Nam capta prius Hispania, in Gallis imperium amplificarunt. Henricus Aluernam occupauit, Romanorum principum sedem. De his hactenus. Sed vt ad rem nostram redeamus, post Atilæ mortem facta dissensione, Valamir & Theodemir Ostrogotharum, & Ardericus Gepidarum reges, primi ab Vnnorum regno deficiunt, seq; in libertatem vindicant. Id ipsum Marcomani, Eruli, Turingii & Quadi factitant, neque post Atilam, in Ernaci & Durichi, Atilæ filiorum seruitutem recidere patiuntur, quare in Ostrogothas ac Gepidas, Vnnorum principes arma sumunt. Ernacus in Gepidas cum triginta milibus hominum profectus, primo congressu ab Arderico superatur, & cæditur. Durichus à Valamire & Theodemire fusus ac fugatus, cum Vnnis in Scythiam se recipere cogitur. Posthac in Ostrogothas Vnni arma vltra sumere formidarunt. Gepidæ, vt Iordanis auctor est, triginta ferè Vnnorum milia trucidarunt. Ellacum Atilæ filium fortissimè pugnantem interfecere, reliquos eius fratres, iuxta littus Pontici maris, vbi Gothi cōsedere, fugarunt. Variæ gentes, hoc bello libertatem nactæ, in prouincias populi Romani venientes, gratissimo dominio à Martiano susceptæ sunt, distributas sibi sedes accepenūt. Gepidæ fugatis Vnnis, veluti iure belli, totam Daciam sibi vendicarunt. Nil aliud à Romano imperio, præter pacem annuàque solennia, vt strenui viri, amica pactione postularunt, quod Imperator lubenter annuit. Ostrogothæ sedes à Romano imperio petiere, Pannoniamq; impetrarunt. Sarmatæ & Cemandri, ac ex Vnnis quidam, in parte Illyrici, iuxta maritimam vrbem sedes inuenere, ex quo genere Bilina dux Pentapolitanus, eiusque frater Froila, Bessaque patricius promanarunt. Scyri, Sedagarij, cæterique Alani Scythiam minorem, & inferiorem Mysiam acceperunt. Rugi & nonnullæ nationes, Byzim & Arcadiapolim incolendam petiere. Ernacus, minor Atilæ filius, cum suis in extrema minori Scythia sedē delegit. Eumedzur & Vultizintur, eius consanguinei, Ripensi Dacia potiti. Pars etiam Vnnorum in Macedoniam & Græciam diuerterunt, qui Sacromantisij & Fossatisij dicuntur. Minores verò Gothi, populus quidem immensus, Vulsila duce, pontifice suo, in Mysia regionem Neapolitanam, ad radices Hemi montis incoluere. Gothi igitur, qui in Pannonia consedere, regnante Valamire in partes treis diuisi, veluti tres fratres vno consensu imperabant. Valamir inter Scarmurgam & Aquam nigram amnes, Thindimer pręter lacum Pelsodis, Vidimer inter vtrosque quieuit. Defuncto Atila, quid successerit, Vngarici aliter annales referunt, duos eius filios, imperio maturos præ cæteris superfuisse. Germanos, quibus Thetricus Veronensis præerat, atque Vnnos, facta seditione, diuersa sensisse. Alios Chabā, ex Honorij Imperatoris gnata genitum, Aladarium alios, ex illustri Germanorum prosapia genitum postulasse. Thetricus cum Vnnis paucis, Aladario fauebat, quando Germano ille sanguine na-

tus

tus erat, ratus Vnnorum intestina discordia, eorum imperium facilè ruiturum, vnde ingens orta seditio. Vnnorum pars cum Germanis, cum aliis gentibus alii sentiunt. Tātum vtrinque prælium committitur, & tam dirum & acre, vt vix diebus quindecim sit ab intestina clade cessatum. Cruorem gentium, in Danubrum riuos egisse perhibent. In hac pugna semper pars Chabæ superior habita, Thetrici tandem arte proteritur. Chaba cum sexaginta fratribus natu minoribus, ac Vnnorum quindecim milibus, qui è bello superfuerant, in Græciam aufugisse fertur, vbi honorificè exceptus annos tredecim egit. Deinde patriæ haud immemor, vnius anni itinere interiorem Scythiam repetiisse, et auum ad- 10 huc viuum inuenisse dicitur, quod omnino videtur incredibile. Eius consilio vxorem quoque, de Corosmaua, vicina Scythiæ gente, duxisse: ex eaq; Edemen & Eden, filios habuisse. Quoad vixerit, de repetēda semper Pannonia monuisse gnatos, & Pannoniæ ac Sicambriæ nomen, ad nouissimū vsque diem ore agitasse. Neq; vt tempestate nostra videmus, Vnni Pannonijs fuere penitus exacti. Nam qui captiui è cæde superfuerant, quum prope Germanos quibus erāt infensi, cōmodè habitare non possent, in posteriorem Daciæ oram, quam Trāssyluaniam dicimus, secessere. Seq; Siculos, mutata T in C literam, appellarunt: quoniam Vnnorum nomen, omnibus tunc finitimis gentibus nimis infensum esse intelligebant. Hi adhuc sua matrimonia externis non communicāt, ne pro- 20 prium sanguinem inficiant. Seueriores adhuc mores retinent, multumq; à cæteris Vngaris differunt. Literas Scythicas habent, quas non in papyro scribunt, sed breuissimo ligno excidunt, paucis notis multa sensa comprehendunt. Barbati incedunt & austeri, abundāt pecoribus, & ex agricultura ac pastura victum trahunt. Seruitutis impatientissimi, quippe qui vsque adeo libertatem colunt, vt mori, quam tributa soluere malint. Vngariæ regibus nunquam stipendia pendere voluerunt, neque vt id facerent, vlla vi cogi potuere. Nostra verò tempestate precibus tantum, ac regis gratia adacti sunt, vt diuo Matthiæ quibusdam tēporibus domesticatim bouem soluant. Quinetiam (vt aiunt) quum Vnnos, quos deinde Vngaros appellauimus, Pannonias repetere accepissent, ha- 30 bito delectu, eis in Ruteniam, quam Roxiam nunc dicimus, à Roxolanis olim habitatam, occurrêre. Iuncto in Pannonias agmine rediere, vt in sequentibus latius ostendemus. Hi Chabam in Græcia interiisse reputarunt, vnde orta prouerbialis oratio, adhuc per Vngarorum ora vagatur, Tunc redeas, quum Chaba e Græcia reuertetur. Chaba igitur in Scythiam reuersus, quia ex matre Græca natus erat & vxorem peregrinam acceperat, Scythis contemptui haberi cœpit, quandoquidem suum sanguinem infecisse videbatur. Aladarius & Germani, cum paucis Vnnis cæterisque reliquiis exercitus Atilæ in Pannonia remansere. Aladarium cum Thetrico in ea seditione cæsos fuisse credunt, proinde variarum gentium in Vngaria remāsere populi, qui vsque ad Vnnorum reditum, 40 sub Ostrogothis maxima ex parte fuere. Atq; idcirco factum est, vt Germanos Vngaris passim admixtos adhuc Daciam & vtranque Pannoniam incolere videamus. Quia defuncto hic Atila vtrique populi ex Aladario & Thetrico principe remāsere. Sed nescio, quo fato datum erat, vt defuncto Atila, ac fracto Dei flagello, & extincto acerrimo hoste Romanorum, adhuc eius reliquiæ, Italiam iterum & infestare & perdomare perrexerint. Scilicet armis dūtaxat Scythicis imperii Romani fastus semper proterendus erat. Adhuc mortuus Atila Italiam insectatur. Eruli nanque & Turingi, exercitus Atilæ reliquiæ, qui superatis & fugatis Vnnis, ad Danubij ostia consedere, post Atilæ mortem anno ferè vigesimo, Odoacre duce, imperante Augustulo, Italiā adoriuntur. Aquileia ad læ- 50 uam relicta, in Taurisios, Vicentinosque, ac inde in Brixianos flexerunt. Odoacer Orestem patricium apud Ticinum superauit, superatumque interfecit. Augustulum eius filium, imperio eiectum, ad Lucullanum Campaniæ oppidum relegauit, vbi deposito paludamento, priuatam vitam egit. Romanum igitur imperium, quod ab Augusto sumpsit initium, ab Augustulo exitium accepit. Interfecto patricio, Romam conuersum Odoacrem, prodeuntes obuiam

Romani,faustis acclamationibus admiserunt,& cum triumphali pompa in Capitolium duxere.Qui pacata mox Italia,tredecim annis cum summa tranquillitate regnauit, tertiam agrorum partem sibi suisq; diuisit. Ne soli quidem patrij regnum aspernatus est, nam quum Feltheus Rugorum rex, qui & Fena dictus est(Rugi enim vlteriorem Danubij ripam in Germania tenuere)Erulos, qui domi remanserant,infestaret,ac propriis sedibus eiicere niteretur,validissimas habito delectu copias aduersus eum cōparauit.Superatoque Danubio , cum Feltheo conflixit,regem interfecit, Rugos ad internecionem penè deleuit,eorum prouinciam, ne amplius habitari posset,totam ferro igniq; vastauit. His prœliis ab Odoacre Romanorum rege parta victoria, futuræ Italis calamitatis præbuit 10 initium.Siquidem Longobardi,tunc primùm populi Romani prouinciis noti, Rugilandiam,habitatoribus vacuam,Codaoro rege occuparunt,quam ad Andoiui regis vsque tempora,annis circiter viginti tenuere. Post Atilę obitum, vt rem aliquanto altius repetamus, Ostrogothæ, variæque illius exercitus reliquiæ, Pannonias incoluerunt. Apud hos Valamir,cum Tindimere & Vadimere fratribus, vt paulo suprà dictum est , sat quietè regnauit. Annua à Martiano principe dona,vt icta fœdera seruaret, loco strenæ accipere solebat,quæ quum per contemptum intercipi conspicaretur, vnà cum fratrib. furore percitus, coacto exercitu,in Illyricum erumpit,omnia miscet,ac populatur.Martianum facti pœnitet, eius enim ac superioris anni promissa dona mittit,futuri verò tem- 20 poris asseueranter se quotannis cætera missurum recepit. Pacisque obsidem, Theodoricum Thindimeris filium, è concubina Erclina natum,ac optimæ indolis infantem accepit,qui Constantinopolim ductus,aliquanto natu grandior factus , Leonis imperatoris gratiam promeruit. Hinc inter Ostrogothas ac Romanos concordia firmior effecta. Sed Gothi,quum virtutem suam ocio delitescere grauiter ferrent , viresque suas ostentare percuperent,expeditionem aliquam sumere decernunt. Primùm contra Sagadas, qui vlteriorem Pannoniam possidebant,arma capiunt. Quod vbi Duizia rex Vnnorum,& Atilæ filius intellexit,coactis paucis, quos habebat , Vnnis,Vltingures , Angistros, Bittugures, Bardores secum in belli societatem accepit, ad Bassianam Pannoniæ ciuitatem 30 castra mouit, eam obsidet , ac populatur agrum. Quod vbi Gothi compertum habuere, dimissa in Sagadas expeditione,aduersus Vnnos sese conuertūt,quos non modò fuderunt,sed fusos è sedibus suis eiecerunt , & qui remanserant,adhuc Gothica arma formidant. Quiescentibus Vnnis , inter Gothos & Sueuos bellum obrepit.Hunimundus Sueuorum dux , dum ad populandam Dalmatiam erumpit,iterq; facit,Gothorum armenta in campis errantia abigit, quando Sueui à Dalmatis & Pannoniis haud procul absunt.Id ægrè tulere Gothi, quare Sueuis redeuntibus,Tindimere duce,ad lacum Pelsodis, cum magno præsidio insidias collocant,non tam huius prædæ dolore, quàm maioris licētiæ metu ducti , intempesta nocte præter lacum adoriuntur , qui inopinato prælio cō- 40 sternati,haud multum obstitere.In ea pugna Hunimundus rex captus,victique Sueui, quibus omnibus , inprimisq; regi data venia,eiusq; filius à Thindimere adoptatus , paulo pòst in Sueuiam cum suis honorificè dimissus est. At ille accepti beneficij immemor,non multo pòst tempore Scyros , qui supra Danubiū tunc fortè consederant, & cū Gothis quietè versabantur, suscitauit in Gothos. Illi autem ex composito hos adorti , non tam metu, quàm admiratione perculere, siquidem haud mediocrem sibi cum eis consuetudinem intercedere Gothi nouerant,acerrimam inter se pugnam cōferunt, Scyri tandem ab his ad internecionem vsque cæsi. E Gothis Valamir,equo excussus , hostili manu occubuit. Pœnæ à Scyris cumulatè sunt exactæ. Hunimundus & Alaricus, Sueuo- 50 rum principes,idem veriti,& Sarmatarum auxilio freti,in Ostrogothas iterum arma sumunt. Quin & Beuca & Babais , Sarmatarum reges, secum Scyrorum reliquias, & Gepidarum Rigurumque primates, variasque gentes, in auxilium Sueuorum corrogarunt , ad Baliam Pannoniæ amnem castra collocarunt. His infesti occurrêre Gothi , qui vbi in hostium conspectum venere , educta acie

manus

manus conserunt. Tantum sanguinis hauriunt, vt per campos cruoris riui agerentur, hostiũ innumera multitudo desiderata est. Thindimer, cæsis hostibus, elatus, ac fratris mortem, Gothorumq; iniurias vltus, in sedes suas se recepit. Ne multo quidem pòst tempore, is non sat sibi à Sueuis pœnarum exolutum esse ratus, quum Danubius glacie constitisset, magnum in Sueuos traiecit exercitum, à tergo eos ex improuiso aggreditur. Quando Sueui ab oriente Bauaros, ab occasu Francos, à meridie Burgundiones, à septentrione Turingos habent, qui vnà cum Alamanis, qui ingentes alpeis accolunt, cum Sueuis planè consen serant. Gothi Sueuiam, finitimasq; prouincias diripiunt pariter, & incendunt.
10 Hostes omnes proterunt, apportataque ingenti præda, in Pannonias redeunt. Quum victor ac diues è Germania Thindimer rediisset, paucis pòst diebus, Theodoricum filium honorificentissimè ab Imperatore Leone remissum, lętissimo animo recepit. Theodoricus, ne tanto patre indignus videretur, annos iam natus duodeuiginti, sex milia virorum clàm sibi comparat, superato Danubio, Babaim Sarmatarum regem clandestino impetu adoritur, qui interfecto Camundo Romanorum duce, imperiosissimè dominabatur, consternatum prę timore regem obtruncat, regiã, liberos, vxorem & fortunas capit, cætera diripit, & incendit. Mox antequam Sarmatæ sese compararent, opima ad patrem spolia retulit. Singidauam vrbem, à Sarmatis occupatã, in ditionem recepit, quam
20 ne Romanis quidem restituit, sed sibi ipse vendicauit. Quum Gothis finitimorum spolia defuissent, quando eos longè lateq; diripuerant, cætera quoque bona, quæ vitæ sunt vsui, deesse videbantur, quare pacem habere ab eo cœpere. Thindimerem exorabant, noua ac vtilia bella disquireret, Gothis ocium neque commodum, neq; salutare futurum. Tunc Thindimer Vindimerem fratrẽ accersi iubet, quæ fieri oportet, enarrat. Illud cum eo decernit, ne gens Gothica bellicosissima, frequens & fortunata, ocio contabescat, ac fame laboret, relicto ibi præside emigrãdum esse. Et quum præcipua in orbe imperia duo supersint, vtri alterum contingat, missa sorte definiri iubet. Vindemeri occidẽtale, orientale Thindimeri contigit. Arduas expeditiones sortiti, suam vterq; prouinciam
30 curant, Pannoniis præsidem relinquunt. Vindimer quum in Italiam intrasset, cui Glycerius præerat, immatura morte interceptus est. Eiusdem nominis filiũ reliquit, cui expeditionem cum bonis & exercitu legauit. At is Glycerij muneribus victus, relicta mox Italia, in Gallias contendit, quæ ab infestis circum gentibus miscebãtur. Quod vt lubentius faceret, Visigotharum, qui cognati erant, ratio hortabatur. Postquam in Gallias peruentum est, Ostrogotharum exercitus cum Visigothis, vi sanguinis, vtrinque sponte coniungitur, vnum (vt ita dicam) corpus faciunt, vt olim fuerant. Priscam redintegrant coniunctionem, & ita per Hispanias Galliasque regnant, vt parem hostem non inueniant. Thindimer Illyricum inuasurus, traiecto Sauo, cuncta longè latéque discursat, pagos &
40 oppida diripit. Nisam, primam vrbem occupat, & incendit. Aradeam & Larissam in Thessalia expugnat. Mox Nisatanam vrbem in deditionem accipit, impositóque ibi præsidio, Thessalonicam petiit. Quam Alarianus patricius cum magno equitatu tuebatur, Gothorum tamen multitudinem veritus, maximis hostem largitionibus ab eius obsidione diuertit. Icto fœdere, incolenda his locà sponte distribuit, in primisq; Cerras, Peliam, Europam, Mediuiuam, Petiuiam, Bereum, & Sium. Gothi inuentis sedibus, inita pace quiescunt. Thindimer Cerris graui morbo confectus, Theodoricum regni hæredem declarat, à Gothis omnibus exoptatum: ipse mox, ingrauescente valetudine, vita excessit. Quod vbi Zeno cognouit, gratissimo ascitum regem animo suscepit, inter pro-
50 ceres collocauit. Et vt maiore eum afficeret honore, loco filij adoptauit, creauit consulem. Et vt aliqua demum immortalitate donaret, ei pro palatio equestrem statuã dicauit. Quacunq; cum potuit dignitate, exornauit. Theodoricus autem paulo pòst tempore, quamuis omnibus Byzantij honoribus frueretur, tamen cum animo repetebat, Gothos quos in Illyrico dimiserat, rerum quandoque inopia laborare, neque honestum ibi victum posse ducere, clarissimo sudore

potius, quàm turpissimo ocio viuere decernit. Zenonem clàm adit, & exorat, vt quum Italia terrarum domina, in Rugorum & Turingorum seruitute versetur, ac Odoacrem regem vilissimum patiatur, asserendum à fece gentium, Romanum sibi mandet imperium, id magno vtrique emolumento futurum censet. Quandoquidem Imperator grauissimo Gothicæ gentis imperio leuabitur, Romam à Barbaris vindicabit, quod à maiestate sua non erit alienum, si è sententia cœpta successerint. Quando filij loco à Zenone adoptatus erat, haud iniquum futurum, si beneficio suo Imperium Romanum, Gothicis sumptibus viribusq; recuperatum, Gothorum quoq; regi potiundum permiserit. Quod si assequatur, pollicetur se senatum populumq; Romanum piè sanctéq; gubernaturum, & precario nomine possessurum. Imperator ne iuuenem magnanimum exacerbaret, annuit, donatum honorificè dimittit, ratus fore satius, recuperatam Italiam adoptati filij nomine possideri, quàm pati, vt perpetua fœdæ gentis seruitute prematur. Theodoricus voti compos, à Zenone dimissus, ingentem parat exercitum, curat cætera, quæ bello sunt vsui. Per Syrmium ad loca Pannoniæ vicina, in Noricos iter facit. Venetiam ingressus ad Soncium amnem castra locat, ibique aliquandiu, vt hominum iumentorumque corpora reficerentur, quiescit. Interea Odoacer, habito delectu, exercitum comparat, obuiamq; progreditur. Gothus cum exercitu in Veronensem agrũ castra mouet, cui mox Odoacer occurrit, manus vtrinque conseritur, acerriméque pugnatur. Rugi ac Turingi dare terga coacti, palantes funduntur, fuganturq;, in fuga strages maxima patratur. Odoacer cum reliqua parte equitatus, paucisq; peditibus, Rauennam se recepit, vbi regiam sibi sedem ipse statuerat. Theodoricus transmisso Pado hostem petit, adauctaq; audacia, in Italiam penetrat, ad Pineta, ad tertium ab vrbe lapidem castra ponit. Odoacer instructa acie, cum hoste iterum congredi non ausus, in vrbem se recepit, eamq; vallo fossaque muniuit. Improuisis eruptionibus hostem infestat, nocte sæpius stationes adoritur, paucisq; cæsis in vrbem refugit. Ne hac quidem arte quicquam proficit, quia vniuersa regem ac dominum sibi Theodoricum optabat Italia. Triennio tamen obsidetur, faméque quotidie ac bello vexatur, per legatos demum ab hoste veniam postulat, quam si impetrarit, se Theodoricum in Italici regni societatẽ admissurum, vltrò pollicetur. Impetrata venia, non multo pòst tempore ad cœnam inuitatus occiditur: hic Odoacris fuit exitus. Theodoricus igitur tertiò (vt suprà dictum est) anno, Italiæ regno potitur. Quod vt variorum regum affinitate stabiliret, missa legatione, à Ludouico Francorum rege, Andefledam gnato suo matrimonio coniugari petiit. Quam ille lubentissimè concessit, quin & gnatos treis cum ea, ad confirmandi ostentationem fœderis, Romam misit. Sed intercidentia sępe bella, affinitas ista dirimere nequiuit, quæ pro regni finibus suscitabantur, antequam ex vxore liberos haberet. Thendigitonem & Ostrogothonem, quas illegitimo concubitu in Mysia ex amica conceperat, alteram Alarico Visigotharum regi, Sigismundo Burgundionum principi alteram desponsat. Ex Alarico Amalaricus nascitur, quem vtroq; parente orbatum Theodoricus auus in tutelam accepit. Interea Eutharicum Viterici filium, & Berithimundi Thorismundiq; nepotem, Amalorum stirpe editum, iuuenem non minus corporis, quàm animi dotibus excellentem, in Hispania comperit, quem venire iussum, Amalasuentæ filiæ suæ coniugauit. Ad propagandum quoq; suum sanguinem, Amalafredam sororem, & Theodati matrem, qui postea in Aphrica latè regnauit, Thrasamundo Vandalorũ regi in vxorem tradidit. Amalabergã inde genitam, Ermanfredo Turingorum regi consociat. Misit eodem ferè tempore Petanum præfectum equitum, cum plerisq; cohortibus in Pannoniã, vt Syrmium Transarico Trasistilæ filio eriperet, Illyricumque, eiecto Sabiniano magistro equitum, qui cûm Mundone, latrociniis ibi latè grassante, pugnare statuerat, occuparet, quod vtrunq; è sentẽtia præstitit. Petanus siquidem Transarico matrem, Syrmiumque, & Sabiniano Illyricum, commisso feliciter ad Margum oppidum prælio, quod inter Danubium & Magnum amnem situm est, tunc ademit.

Mundo

Mundo Atillanorum genere natus, dum Gepidarum furorem fugit, traiecto Danubio, & collecta non mediocri latronum manu, erectaq; in Danubij ripa quadam turri, quam Ertam dicunt, per inculta loca longè lateq; grassatur. Hunc igitur Sabiniani bello laborantem, Petza subueniens ab hoste liberauit, & ad gratum Theodorici redegit obsequium. Tanta fuit eo tempore Theodorici fortuna, vt quamuis regnum propagatis affinitatibus munitum habuisset, suorum tamen ducum omnis expeditio delegata succederet. Nam quæ in Gallia gesta sunt, ne minus quidem prosperè, quàm quæ in Pannonia & Illyrico successere. Hibla enim, quem aduersus Francos miserat, cęsis hostium milibus circiter triginta, clarissimam inde victoriam retulit. Mortuo Alarico genero, Burgundionum rege, Amalarico Titidem præfectum militum, tutorem dedit, sed pupillus Francorum insidiis irretitus, regnum pariter & vitam amisit. Nulla in occidentali plaga gens fuit, quæ ad Theodorici nutum, aut amicitiam eius, fœdusq; sponte non iuerit, aut obsequium vltrò præstiterit. Siciliam eiusque circumstantes insulas, ad Dalmatiam suo regno adiecit. Quum nouissimam iam sibi diem imminere intelligeret, aduocatis proceribus Gothorū, Athalaricum ex filia Malasuenta nepotem, nondum duodecimum tunc natum annum, & Eutharico patre orbatum, Italiæ regem declarauit. Ac omnes habita concione precatus est, vt creatum regem colerent, & senatum populumq; Romanum vehementer amarent, & obseruarent. Ipse paucis post diebus, Rauennæ, vbi regiam sibi sedem semper habuerat, diem obiit. Nulla graui nota sugillandus, nisi quòd Boetium, Latinorum sanè doctissimum, ac virum senatorium, ob suspicionem affectatæ libertatis, exilio antè mulctatum, ac postliminio reuocatum, prætorioq; præfectum, vnà cum Symmacho senatore, socero suo, aliisq; pręstantibus viris, superiore anno, quàm vita excesserat, dum sibi regnóque timet, obtruncari iussit. Theodoricus igitur Barbarorum omnium mitissimus, se pręstantissimum principem præbuit. Basilicas multas exædificauit, Octauij Mausolea instaurauit, de more spectacula edidit. Tridentum muro cinxit. Italiam ab externo hoste liberauit. Erulos in extremis Italiæ partibus ad prætoriā Augustam collocauit. Interfecto Odoacre, alium regem dedit, vigintiquinq; annis in Italia regnauit. Athalaricus cum matre, maternis sese gerens auspiciis, ob ætatem octo annis quietè regnauit. Exacta iam adolescentia, quo tutius regnaret, Iustiniano principi se cum vidua parente commendauit, libenter princeps cōmendationem & tutelam accepit. At ille infelix, immaturo fato interceptus obiit, mater, ne fœmellæ more à Gothis contemneretur, Theodatū è sorore fratrem, & priuatam in Thuscia vitam agentem accersi iubet, regnumq; communicat. At facinorosus ille consanguinitatis ac beneficij immemor, imperandi cupiditate tractus, paulo pòst tempore eam captam in vincula coniicit: mox Rauenna eductam, ad Bulsinensis lacus insulam relegat: paucis pòst diebus, assiduis calamitatem suam lachrymis deplorantem, inter lauandum, in balneis à satellitibus strangulari mandat. Iustinianus Imperator, audito Amalasuentæ fato, cuius tutelam acceperat, hanc notam sibi inustam ratus, Bellisarium ex Aphrica expugnata iamdudum reuersum, & adhuc Vandalorum cruore madentem, bellatorem gloriosissimum, coacto mox exercitu, in Italiam aduersus Gothos properare iubet, eiq; Italiam à Barbarico seruitio vindicandam delegat. Delegatam Bellisarius prouinciam, vir bello fortunatissimus, forti animo (vt solet) aggreditur. Qui quum haud facilè Gothos superari posse arbitraretur, nisi Sicilia bellorum causa exigerentur, Syracusas prius valida classe adoritur. Qui vrbem cum præsidio tenebant Gothi, desperata propugnatione, cum Sinderico duce, vltrò se Bellisario dedidere. Theodatus, postquam Siciliam ab hoste captam esse cognouit, Euermothem germanum suum, defensandæ Italiæ gratia, ad fretum Siculum mittit. Ad Rhegium oppidum, is castra locat, qui quum Gothorum partibus diffideret, relicto clàm exercitu, cum paucis comitibus, propositi sui consciis, ad Bellisarium proficiscitur, & consternatus ad pedes veniā exorat, seque Romanis, & non Gothis principibus seruire velle testatur. Gothi, qui in

castris erãt, nunciata re, commoti e uestigio seditionem suscitant. Theodatum cum hoste coniuratum, quod è germano transfuga conijci poterat, regno abdicandum & explodendum clamitant, Vitigem eius ducem, regem creant. Qui ne qua fortunæ dexteritatem ignauia pateretur elabi, sine cunctatione Romam contendit, & occupat Rauennam quoque eodem tempore. Fidelissimos quosdam milites subornatos mittit, qui Theodatum incautum obtruncent, obtruncatoq; rege, Vitigem suffectum pronuncient. Illi diligenter & è sententia imperata faciunt, cæso Theodato, creatum in castris Vitigem exclamãt. Interea Bellisarius, traiecto freto Siculo, Neapolim expugnat, mox vrbem Romam adoritur. Vnde paucis antè diebus Vitigis egressus, Rauennam contenderat, Mathasuentamque Amalasuentæ filiam, legitimo sibi coniugij vinculo obstrinxerat, nuptiasq; solennes cum Gothis celebrabat. Dum hæc aguntur, Bellisarius Romam capit, captaq; vrbe, in Hetruriam contendit, & munitissima quæque loca expugnat. Quod postquam Vitigi nunciatum est, Cumunilam Gothorum ducem cum multis cohortibus, & magna parte equitatus, Perusiam repentè mittit, vbi dum is longo munitam præsidio vrbem recipere studet, superueniente Bellisario, ad internecionem vsq; cum exercitu deletur. Vitigis rebus tam malè succedentibus, extremas Gothorum vires cogit. Rauenna egressus, vrbem Romam tredecim mensibus obsidet. Mox vi soluta Vrbis obsidione Ariminũ circumuenire ausus, pari spe frustratus, fugam rapere coactus est. Quum Rauennam se recepisset, graui obsidione circumuentus, vnà cum Mathasuenta vxore, omnibusq; fortunis victori deditionem vltrò fecisse dicitur. Constantinopolim à Bellisario ductus, à Iustiniano Imperatore, patricio honore donatus, ac honorificè admissus est, secundo, postquam venit, anno diem obiit. Mathasuentam vxorẽ germano fratri suo patricio Iustinianus coniugauit, ex quibus posthumus est editus. Hic igitur Ostrogotharum Amalorumque fuit exitus. Iustinianus verò cum Bellisario, consensu omnium atque suffragiis, Vandalicus, Aphricus, & Gothicus cognominatus est. De his hactenus. Hucusq; Pannoniam, quam Vngariam nunc dicimus, à quibus post exactos Vnnos populis & habitata & recta fuerit, quando magnum fuit Gothorum imperium, qua potuimus breuitate, descripsimus. Nunc haud ab re futurum existimamus, si eos qui post Vnnos & Ostrogothas Vngariam occuparint, ordine prosequamur. Adoinus, Longobardorum rex decimus, qui Gepidas superauit, quum Gothorũ regnum nutare intellexisset, his ferè temporibus, quibus Bellisarius, Iustiniano imperante, de Persis triumphare dicebatur, cum innumera gentiũ multitudine Pannonias ingressus est. Sed gentis huius origo, vt solidiorem historiam contexamus, aliquanto remotius repetenda est. Ex Scandinauia, fœcundissimaq; Germania, Gothos, Vandalos, Quados, Erulos & Turingos, & plerasque Barbaras nationes, vt iuniores sensere aliqui, promanasse legimus, Winulos quoq; hinc prouenisse accepimus, quos Longobardos appellant. Insulæ nanque Germanici sinus, tenuissimo mari circumfusæ, tanta populorum fœcunditate luxurian tur, vt non modò Germaniam complesse, sed varios emigrantium fœtus peperisse ferantur. Longobardi igitur, Agione Iboreque duce, Scandinauia, tertia ex parte egressi, in Scoringam profecti, aliquot ibi annis consedere. Finitimam regionem Vandali latè regnantes possidebant, qui audito Lõgobardorum conatu, per legatos pendenda sibi quotannis stipendia postulant. Contrà illi, Pugnare, quàm seruire se malle, respondent, res Marti commissa primo congressu definita est. Nam Longobardi primo prælio superiores, virtute tantùm se à Vandalorum seruitio vindicarunt. Mox rerum inopia ex loci sterilitate laborantes, in Mauringam transeunt, transitumque ab Assipictis è singulari certamine assequuti sunt. Deinde in Gronlandiam venere, quum per plures populos iter tranquillè facerent, & securitate ducti, neglectis vigiliis stationibusq; quiescerent, ecce Bulgari incautos adoriuntur, multos cædunt, magna sæuitia per castra grassantur. Agelmundum regem interimunt, filiamque captiuam abducunt. Resumptis mox viribus illi, ac reuocatis animis, Lamissonem regi

sufficiunt.

ſufficiunt. Qui vir robore corporis, & animi magnitudine iuxtà clarus, inito regno, nil affectatius curauit, quam vt Agelmundi regis necem vlciſceretur. Quare cōparato mox exercitu, in Bulgaros irruit, & in primo congreſſu, quum inclinatos ſuos cerneret, ac iamiam terga daturos, tanta verborum aſperitate corripuit, vt in hoſtes reuocati, patrata magna ſtrage ſuperarint. Victoria, præda, & hoſtiles exuuiæ vſqueadeo auxere animos, vt longè maiora ſponte diſcri mina iam obirent. Hic igitur ſecundus Longobardorum rex glorioſè regnauit, ei Lethus, Ildeochus & Godenus ritè ſucceſſere. His quoque temporibus, inter Odoacrem Erulorum, in Italia latè regnantem, & Pheletheum Rugorum 10 regem, vt ſuprà dicere cœpimus, nō mediocris orta diſſenſio. Nam quum Pheletheus, qui vlteriorem Danubij ripam incolebat, iuxta flumen occupare niteretur, haud mediocre quidem hinc odium exarſit. In Noricorum finibus beati tunc Seuerini cœnobium erat, qui vir maxima abſtinentia, ſanctitate ac auctoritate clarus, cœleſti ſæpè admonitione Pheletheum cum Geſa vxore corripuit, vt à ſolita iniquitate deſineret, eique futura mala prædixit. Quare hunc Odoacer, coacto magno Erulorum ac Turingorum exercitu, ab Italia progreſſus adoritur, hoſtem cum copiis proterit, ac cædit. Abacta ingenti Rugorū multitudine, in Italiam victor redit. Deſertam mox Rugilandiam, Noricis ferè oppoſitam, relictis, quas habebant, ſedibus, Longobardi occuparunt. Landia enim 20 Barbara lingua, patriā ſignificat. Hinc egreſſi in patentes Feldiæ agros deſcendêre, vbi tertio pòſt anno, quum propter mortē fratris regis, à Runtheruda Totonis filia facinoroſiſſimè interfecti, bellū oriretur, Longobardi Erulos profligant, Radulphum Erulorum regem interficiunt. Eruli ex eo tempore vſqueadeo ad internecionem cæſi, vt poſthac regem nunquam habuerint. Adaucto tot bellis proſperè geſtis exercitu, Longobardi tunc bella vltrò capeſſunt, virtute gentis gloriam amplificare ſtudent. Cum Gepidis, Walterio Vacchonis regis filio regnante, bellum ineunt. Defuncto Walterio, Andoinus non ſine magna cæde hoſtem ſuperauit. Parta tam clara victoria, milites regem orant, vt Albuinum regis filium, qui in acie Thoriſmundum obtruncarat, & cuius po- 30 tiſſimum virtute viciſſent, in ſolenni conuiuio ſecum accubare patiatur, vt cuius virtutem in prælio ſpectatam habuit, eius dignitatem triclinij communicatione decoret. At ille, Non ſcitis, inquit, Longobardorum non eſſe morem, regis filium patris eſſe cōuiuam, niſi prius ab externo quouis rege arma ſuſcipiat. Quod ille audiens, ad Turiſindum Gepidarum regem, quo cum bellum geſſerat, proficiſcitur, à quo honorificè exceptus, commiſſa in cōuiuio rixa, Thoriſmundi à ſe prius cæſi arma, concedente patre retulit. Ad Longobardoſque reuerſus, laudata iuuenis audacia, regale conuiuium iure promeruit. Hic regno ſuccedens, vſquequaque clarus iam habitus, Clodiſuintam Lotharij regis Francorum filiam, vxorem accepit, ex qua Albiſuinclam tantùm filiolam genuit. 40 Cum Turiſindo Gepidarum regi Cunimundus filius in regno ſucceſſiſſet, patriſque mortem ab Albuino interfecti ſtuderet vlciſci, læſo Longobardorum fœdere, eos bello laceſſit. Albuinus cum Auaribus, qui prius Vnni dicti, deinde Auares, à rege nominati ſunt, perpetuum fœdus init. Mox cum ſociis Gepidarum fines inuadit, hoſtibus ad internecionem vſque deletis. Cunimundum obtruncat, è cuius capite ſibi poculum parauit. Captiuam abduxit cum magna multitudine hominum, regis filiam, cui Roſimundæ nomen erat, quam quum prole caruiſſet, non ſine exitio ſuo duxit vxorem. Gepidæ ex eo conflictu ita viribus attenuati ſunt, vt vltra regnare nequiuerint. Nam quicunque bello ſuperfuerant, aut Longobardis paruere, aut Vnnis ea loca tenentibus, graui ſer- 50 uitio preſſi ſtipendia pendunt. Amplificato regno gloriaque Longobardorum, quum Totila è Gothorum reliquiis incendium in Italia ſuſcitaſſet, quos Belliſarius paulo antè contriuerat, Gothi enim qui remanſerant, hoſtis abſentia vnà conuenere, Hildebadum, deinde Ataricum, poſtea Totilam regē creauere. De liberanda quoque prorſus Italia Iuſtinianus cogitabat, Narſetem Cartularium cognomento dictum, patricium crearat, eique expeditionem hanc magnam vl-

trò mandarat. Hic cum Longobardis, qui cum Albuino rege Pannoniam occuparant, vnáque cum Auaribus, deletis ferè Gepidis incolebant, fœdus icit, ictóq; fœdere aduersus Gothos auxilium exposcit. Maximum validissimumq; auxiliũ iure societatis Narseti datur, qui vbi cum Romano exercitu in Italiã traiecit, Totilamque cum Gothis omnino deleuit, multis muneribus onustus in Pannoniam rediit. Quousque igitur Longobardi Pannonias incoluere, Romanum semper Imperiũ adiuuarunt. Quare Longobardi trigesimo salutis anno supra quingentesimum, Iustiniano imperante, Pannonias ingressi, annos circiter quadragintaduos eas incoluere, & tribus annis antequam Bellisarius in Aphricam profectus, Vandalorum gentem sanè deleuerit. Sed quomodo hi deinde in Italiam traiecerint, ex ordine videamus. Verum enimuero multa Italiæ infausta & infelicia signa apparuere, quæ futura mala portendebant. In primis ita pestis vsquequaque grassata, vt nulla luctus expers domus inueniretur. Euitandæ labis gratia, domicilia, facultates, ac pecora deserebantur: cessabat agricultura, cæteræque artes, ac studia omnia destituebantur. Parentes à liberis, ac liberi à parentibus destituti, nullum pietatis officium retinebant. His etenim malis etsi vniuersa Italia ad Noricos vsque laborarit, præ cæteris tamen Liguria est absumpta. Sub hæc tempora Iustinianus in amentiam cadens, rebus humanis excessit. Paulo pôst monstra longè sæuiora accidêre. Igneæ in cœlo acies per Italiam visæ, quæ sanguinem effunderent. Tyberis Vrbem inundauit, multosque demersit. Profusissimi quoque per totam Italiam, continuatis diebus fuere hymbres. Iustinus minor, Iustiniano defuncto successit, cui Sophia vxor fuit, quam tanti mali causam fuisse perhibent. Quum Narses Gothis Italiam liberasset, magnumque ex tot belli successibus quæstum fecisset, ne mediocrem quidem sibi a Romanis inuidiam conflasse dicitur. Quippe qui Imperatori significasse feruntur, Romanis multò satius esse, Gothis, quàm Græcis obsequiũ præstare, quum Narsetis imperiosa sæuáque tyrannide ad miseram seruitutem redacti esse videantur. Quòd si Romanæ reipublicæ non consulatur, vt Narsetis Eunuchi liberentur imperio, externis sese gentibus dedituros interminati. His commotus Imperator, suffecto in eius locum Longino, Narsetem mox imperio abdicauit. Sophiam quoq; Iustini coniugem, hæc literis ei minatam fuisse ferunt, se omnino hunc Eunuchum de republica malè meritum, ad dispensanda in gynæceio puellis lanæ pensa, redacturam. Illum ad hæc contrà respondisse, Talem ei telam se exorsurum, qualem nunquam ipse retur expedituram. Is igitur partim odio, partim metu percitus, Neapolim secessit, legatos ad Longobardos misit, quibus relicta misera Pannonia, ad occupandam locupletem feracissimamque Italiam hortatur. At illi, quum ea sibi offerri conspicarentur, quæ semper optarant, mandata libenter accipiunt. Albuinus rex ingenti spe elatus, coactis omnium Longobardorum familiis, acceptisq; secum è Saxonibus sociis, cum liberis & vxoribus, circiter viginti milibus, ad emigrandum se comparat. Pannoniam Vnnis, quibus cum perpetuo fœdere obstricti fuerant, relinquere statuit, quando cum Vnnis quoque, Pannonias annos olim duos & quadraginta incoluerant. Ea tamen conditio sedibus cedendi, Albuino cum Vnnis intercessit, vt si qua vnquam necessitudo ad reuertendum adegerit, propria cuique arma recipere liceat. Ad præstitutum igitur diem, quem calendarum Aprilium fuisse ferunt, quum à fidelibus Paschæ solennia celebrarentur, & anno salutis quingentesimo sexagesimooctauo, Longobardi omnes Pannoniis emigrant. Per Syrmium iter faciunt, Saxones quoque, quos diximus, secum ducunt. Quorum mox sedes, Lotharij, ac Sigisberti Francorum regis edicto Sueui occuparunt.

RERVM VNGARICARVM DECADIS PRIMÆ LIBER VIII.

Italiam Longobardi tertio, quo emigrarunt, mense, cum Saxonibus attingũt. Albuinus rex montem in finibus editissimum conscendit, vt hinc præstantissimæ celebratissimęque regionis situm pulchritudinemq; prospiceret. Quare mons ille posthac Regius appellatus, vbi Bisontes † eius magnitu- *Bonafus.* dinis capi solent, vt in eius pelle (veluti Paulus auctor est) homines ferè quindecim cubare queãt. Italiam subinde ingressus, quando nemo hucusque his impedimento fuerat, Venetiam occupat, & Foroiulianos: quibus nepotem Gisulphum, cum delectis Longobardorum familiis, velut ille petierat, sanè præfecit. Metropolita Aquileiensis, cui Paulo nomen erat, singulari sanctitate venerandus, dum sibi suæq; basilicę timet, cum sacra supellectili, & collegio sacerdotum, in Gradim insulam confugit, ne quid forte detrimenti a feris Barbaris ecclesia pateretur. Eo quoque tempore, Benedictus vir sanctissimus pontificatum maximum gerebat. Atq; Vnni, qui & Auares dicti sunt, & Pannonias, abeuntibus Lõgobardis, in ditionem suam asseruerant, audita Lotharij morte, Francorum regis, spe propagandi imperij, in Francos bella mouent. Fuerunt autem Auares, Vnnorum genus, & exercitus Atilæ reliquiæ, quos diximus, defuncto Atila, a Gepidis superatos, qui se iterum subuei recusabant. Vnni verò, qui cladi superfuerant, Vnnorum nomen exosi, ab Auario, qui Zeliorbi successit in regno, sese Auares nuncupauere, relictisque Pannoniis in Noricum recesserunt, a quibus ea regio Bauaria dicta est. Strabo eam potius Boioariam, à Boiis, qui eam relicta Italia, terram habitare voluerunt, appellãdam esse arbitratur. Ex Lothario quatuor superfuere filij, qui partito regno dominari voluere. Adilbertus Parrhisiis imperabat, Aurelianis Guntrannus, Sasinnensibus Ilpericus, & Sigipertus denique Metensibus, in quem Vnni magno impetu irruere. At ille ne minore quidem audacia fretus, in Turingiam his occurrit, & ad Albim fluuium conserta manu, fundit, fugatque, pacemq; petentibus, ea data. Paulo pòst tempore, resumptis Vnni viribus, eodem in loco cum Francis conflixere, victoriáque potiti, spoliis ac prædis onusti, in Pannoniam rediere. Narses Eunuchus, quum Longobardos è composito aduenisse cognouisset, Romam se recepit, vbi non multo pòst tempore diem obiit. Corpus in plumbea arca cum auro & argento multo reconditum, Constantinopolim perlatum est. Albuino Taurisianis appropinquanti, Felix mox episcopus ad Planem fluuium occurrit, & vt ne quid ecclesiæ suæ detrimenti fieret, graui asseueratione impetrauit. Deinde Vicentiam, Veronam, montem Silicis, Mantuam, ac cæteras (præter Paduam) Venetiæ ciuitates, Longobardi capiunt. Mediolanum, post Brixiam Bergamumq; captum expugnant, paulo antè multis calamitatibus afflictum. Quippe quod quum ad Belisarium defecisset, a Gothis deinde receptum, penè subuersum est, in qua quidem vastitate, triginta Mediolanensiũ ciuium milia cæsa fuisse tradunt. Vniuersa regio Transpadana, præter Ticinum, in Longobardorum potestatem perbreui redacta est. At illa triennio obsessa, tandem expugnatur. Rex vrbem ingrediens, vnà cum equo in porta, quæ ad Orientem spectat, concidisse, neque vnquam surgere potuisse fertur, donec facto voto, quo Christianum populum, qui deditionem in tempore non fecisset, se è medio sublaturum obstrinxerat. Ticinensibus diu resistentibus pepercit, populus venia donatus, faustis regem acclamationibus ad palatium vsq;, quod olim Theodoricus exexerat, prosequutus, ac omnium desperatione leuatus, non illum prius magis odisse, quàm posthac amasse visus est. Sed dum Ticinensi obsidione detinebatur, ne torpesceret ocio, præter vrbem Romam & Rauennam, ac pleraque littoris Adriatici oppida, omnia in Hetruriam vsq; domuerat. Quum post anni superioris vbertatem ac pestem, sæua Ita-

liam fames inceſſiſſet,multós ex variis gentibus colonos eò contraxiſſe dicitur. Diſtributi Galliæ plerique vici, adhuc Gepidarum,Bulgarorum,Sarmatarum, Pannoniorum, Sueuorum, ac Noricorum nomina redolent. Demum quum in Italia annos tres & ſex menſes ipſe regnaret,coniugis inſidiis interemptus eſt. Nam quum Veronæ in conuiuio exhilaratus , vxorem ad bibendum licentiùs inuitaſſet, porrexiſſetque poculum è Cunimundi ſoceri capite fabrefactum,vt cum patre profuſiùs biberet,Roſimunda dolore correpta , inſidias excogitare, adurgente pietate cogitur. Peredeum virum fortiſſimũ adit, multis hunc pollicitationibus in viri cædem allicere nititur,quod quum aſſequi non poſſet,artibus eum circumuenit. Amica quędam Peredeo fuerat,quam ſæpe noctù adire ſolebat:regina ſe ſubornat,ſeque in lecto amicam mentita,aduenienti Peredeo ſupponit. Deceptum, patrata Venere,Peredeum interrogat , qua cum ſibi rem fuiſſe putarit:reſpondit,ſe cum veſtiaria coiuiſſe. At illa ſe vbi patefecit , Peredee(inquit)aut te Albuinum interficere,aut ab eo te interfici opus eſt, regalem quando thorum incæſtaſti:ni parueris, paternamq; mortem vltus fueris,te adulterij poſtulatum, dira morte ſcito moriturum. Ille timore perculſus, ſe regem interfecturum pollicetur : eumq; meridiantem vnà cum Elmicho coniurationis auctore,dato ab vxore ſigno adoritur,& obtruncat. Eius corpus ſtatura procerum, ac bello aſperrimum,pro palatio Veronæ, cum maximo Longobardorum omnium luctu, ſepulchro reconditum. Elmichus poſt hunc, regnũ occupare conatus,quum Roſimundam ſibi deſponſaſſet,Longino præfecto Rauennati extemplò mandat,comparatam continuò nauim ad ſe mittat,quam Elmichus cum Roſimunda, & Albiſinda regis filia, regiaq; gaza conſcendit. Quum Rauennam perueniſſent,Longinus Roſimundæ perſuadet, Elmichum interficiat,ſeq; virũ capiat,vt Rauennæ dominatu frui poſſit. annuit inconſtantiſſima fœmina , Elmicho in balneis venenum propinat : quod ille bibens, vt ſe lethali potionatum pharmaco intellexit,reliquum quod in poculo ſuperfuerat,diſtricto gladio vxorem haurire coegit. Quod quum illa vi adacta feciſſet,venenum vtriq; vitam pariter intercepit. Ex quo quàm iuſta ſint numina coniicere licet, quando facinoroſos mutua ſeſe cæde interficere cogũt. His vita defunctis,Longinus Albiſindam filiam regis , cum vniuerſis opib. ad Iuſtinum Imperatorem, Byzantium miſit. Peredeum cum Elmicho & Roſimunda aufugiſſe, deinde cum Albiſinda Conſtantinopoli vnà traieciſſe, plerique ferunt. Qui quũ horrendæ magnitudinis leonem in harena confeciſſet, atque ideo Imperatori formidoloſus factus eſſet , Auguſti iuſſu oculis captus eſt. Sed ne minus quidem ſe cæcum,quàm videntem exhibuit. Nam quum indignam cæcitatem vlturus, ſecretum principis colloquium poſtularet,vt eorum, quæ ſunt reipublicæ maximè neceſſaria,commonefaceret: duobus cultris ſub vtraq; manu deliteſcentibus,patricios duos internuncios interfecit. Longobardi,habito Ticini conuentu,Daphonem regem creant : qui quum Romanos multos cædi iuſſiſſet, alios extra fines Italiæ relegaſſet, vix annum vnum & ſex menſes,à puero ſuo iugulatus,claudere potuit. Multi nobiles, & ingens multitudo populorum , dum Longobardorum ſæuitiam fugiunt, Venetias traiecere , ſeq; marino tunc aſylo à Barbara feritate vindicarunt. Daphone mortuo , decem annos Longobardi ſine regibus vixere, optimis tantùm ducibus vſi. Totam ferè Italiam,præter vrbem Romam,quam nunquam capere potuerunt , in ditionem ſuam aſſeruere, & præfecturas regionum ac vrbium, pro ducum numero diuiſerunt. Zaban Ticinum, Vullarius Bergamum, Halaius Brixiam , Euinus Tridẽtum , Giſulphus Forum Iulium,atque alij denique alias vrbes ritè ſortiũtur. Triginta præter hos præfecti creati,qui variis vrbibus præeſſent. Quum Romanorum multi ob auariciam morte mulctarentur , reliquis per varia loca diuiſis , tandem factum eſt, vt tertiam frugum partem , quo ſtipendiarii Longobardorum eſſe viderentur, quotannis ſoluerent. Sub tot tyrannorum imperio multæ vrbes dirutæ , multa deorum templa populata, multi quoque ſacerdotes immaniter trucidati,& maxima denique pars Italiæ,in Longobardorum ſeruitutem aſſerta. Longobardi,

amplifi-

amplificandi imperij gratia, in vlteriorem Galliam traiicere decernunt, potioribus hæc prouincia ducibus tributur. Feræ gentis eruptionem, Hospitius vir sanctissimus, qui ad Niceam monachis præerat, diuinitus afflatus sæpe prædixerat. Ciues Nicenses quandoque monuerat, mores vitamq; mutarent, iusticiam colerent, & pietatem: irata Gallis numina, pœnitentia magna placarent, quandoquidem dira Longobardorum immineret eruptio, qui septem vrbes eruent, quum fidem & religionem eiiciant, periuriis, furtis & rapinis obnoxiæ, homicidia pro nihilo ducant, nullaq; charitatis & misericordiæ vestigia seruēt. Quare non mediocre futurum hinc populis exitium ariolabatur, quin & monachos 10 emigrare iubebat, haudquaquam diuinæ voluntatis ignarus. Hæc vir ille manticinabatur, qui tanta vitæ austeritate vtebatur, vt præter cilicium & loricam ferream pro interiore tunica, nullum aliud nouerit indumentum, pane duntaxat & caricis aquaq; contentus: quadragesimale ieiunium radicibus duntaxat herbarum transigere solitus. Monachi viro grauissimo auscultantes abiere, eumq; solum in cœnobio deseruere. Vix prouinciæ finibus excesserunt, quū hostes aduolarunt, qui quum vniuersa disquirerent, desertum cœnobium inuenerunt. Hospitius quum se è turri ostendisset, eam conscendunt, hominem catenis obstrictum, cilicioque inuolutum inueniunt. E catenis noxium & facinorosum rati, quæ homicidia latrociniàve patrarit, subinde sciscitantur. at ille, o- 20 mnium criminum reum se fatetur: quare quum in eum vnus gladium distringeret, vt vltimo miserū supplicio afficeret, elata continuò dextra carnificis riguit, obstupuitq; : quam quum ille reuocare non posset, in signo salutis vir ille sanctissimus repentè exoratus, restituisse fertur. Longobardus restitutū sibi brachium admiratus, orthodoxa statim Christi fide, deinde sacris initiari voluit, in eoq; cœnobio ad extremū vsq; diem religiosissimè vixit. quicunq; Hospitij verbis fidem adhibuere, sospites in patriam rediere: contrà qui aspernati sunt, in ea expeditione crudeli fato obiere. Gallias igitur Longobardi discursantes, pagos & oppida quæq; diripiunt, ferro & incendio cuncta vastant. Arnatū patricium, Guntranni Francorū regis iussu, cum validissimo exercitu occurrentem prote- 30 runt. Ingens Burgundiorū cæsa multitudo, abacta demum maxima præda. Dicati in Italiam sese recipiunt, paulo pòst Italiam iterum inuadunt, sed non fine aliqua iactura rediere. Saxones qui cum Longobardis in Italiam venerunt, eorum exemplo prouocati, in Gallias erupere. Sed coactam prædam, intercedente Mumulo patricio, qui Galliam tuebatur, relinquere coacti, re infecta rediere. Non multo pòst quum iniquo animo ferrent, se in Italia habitare non posse, nisi Longobardis vectigalia penderēt, Sigiperti regis auxilio, in pristinas sedes, cum liberis & vxoribus, quas Sueui occuparant, relati sunt. Quas quum vi recipere cogerētur, neque tertiam mediámve partē, quam Sueui sponte concesserant, recipere vellent, duplici tandem, eademq; ingenti clade affecti quiene- 40 re. Hoc tempore post Tyberium Mauritius imperauit, qui per præfectos, rebellantes Armenios & Persas domuit. Ingens diluuiū, præsertim in Liguria & Veneria, calendis Octobribus magna tonitrua accidere. Romæ exuberās Tyberis inundatio, ingensq; fœtor è serpentibus in ripas eiectis exortus est, vnde magna pestis subsequuta. Præ Nili inundatione varia animalium monstra apparuere, masculini & fœminini generis, quæ ad lumbos vsque humanam effigiem referebant. Adiurataq; per Deum, à prima diei hora vsque ad nonam, se vidēda exhibuerunt. Exacto decem tyrannorum imperio, Longobardi Antharim Daphonis filium regem designant, qui & Flauius ex cognomento dictus: vnde cæteri quoque reges, Flauii cognominati. Hoc duce iniquis auspiciis vrbem Ro- 50 mam obsident, cuius obsidionem, assiduis imbribus tempestatibusq; deterriti, non sine magna hominum pecorumque iactura soluere coacti sunt, pestilentia subinde vehemens & perniciosa successit. Ea quoq; tempestate, Mauritius Imperator Childebertum Francorum regem, icto sibi fœdere adstringit: & quum quinquagies mille sestertiūm misisset, ad inferendum Longobardis bellum impellit. Qui quum innumera Francorum multitudine Italiam inuasisset, multis

muneribus à Longobardis exoratus, re infecta recessit. Mauritius à præpotente rege aspernatus; pecuniam frustra repetitam amisit. Antharis rex Brixellum, quo Druchulphus Sueua gente natus, qui à Longobardis ad imperatorem defecerat, cōfugisse dicebatur, expugnat, diruitq; Druchulphus cū præsidio suo Rauennam clàm aufugit. Deinde Longobardis cum Smaragdo patricio, qui Rauennam cum præsidio tuebatur, triennij fœdus ictum intercessit. Mauritius capta Childeperti regis sorore, iterum per legatos hortatur, vti cum Longobardis bellum gerat: quos si Italia exegerit, non modò sororem, sed cumulatissima præmia pollicetur. Quod quum ille necessitate adactus faceret, comparato ex Alamannis Francisq; exercitu, Italiam iterum adoritur. Sed orta inter Alamannos Francosque seditione, dimissa expeditione, turpiter in Galliam se recepit. Longobardi prospero successu elati, Tridentino duce, ne mediocri quidem exercitu in Istriam contendunt, regionem omnem latè populantur, qua quidem pacata, cum maxima præda rediere. In Amaricina insula, Francionem magistrum equitum, Narsetis partes planè sectatum, qui annos circiter viginti se ibi cōtinuerat, obsident. Qui post sextum mensem, facta abeundi copia insulam dedidit, & cum impedimentis, vxore ac liberis Rauennam tutò nauigauit. Antharis Flauius, à Childeperto germanam in vxorem petiit, sed ille nulla promissi ac largitionis habita ratione, quam à Longobardorum legatis acceperat, intercedentibus Gothorum legatis, qui in Hispania regnabant, ad catholicamque fidem se conuerterant, mutata sententia, Hispano regi vltrò spopondit. Quum hanc affinitatē Mauritius Imperator accepisset, Childeperto clàm nunciat, & hortatur, vt quod antea non fecerat, nunc præstet, in Longobardos hostes arma sumat. Rex Francorum, delectu habito, tertiùm Italiam inuadit, vt Lōgobardorum seruitio liberet. Qui quum fortissimè restitissent, ne parta perderent, magnam ac memorabilem Francis cladem intulere. At Flauius rex iam Gallica strage clarus, ad Garibaldum Bauarorum regem legatos mittit, qui eius filiam suo nomine in vxorem postulent, cui Tendelindæ nomen erat. E sententia mandata peragunt, coniuncta affinitate redeunt. Antharis paulo pòst, cum quibusdam legatorum nomine, ad videndam sponsam subornatus proficiscitur, regiamq; speciem dissimulat: quumq; sibi à spōsa propinari postularet, clàm sponsi signum edidit: nam ab ea dimissus, securi quam arbori grauiter infixerat, quis nam esset, euidentius ostendit. Garibaldus à Francis incursantibus infestatus, filiam cum Gundolpho gnato in Italiam nuptui tradidit. Spōsus spectata virtute ac pulchritudine iuuenis, paulò supra Veronam, in Sardorum agro Tendolindæ occurrit. Idibus Maiis, magno cum apparatu pariq; lætitia nuptias celebrāt Longobardi. Eodem die tacta de cœlo arbor, haud procul à rege Anthari. Agilulphus Taurinensium dux, aruspicem iuuenē consuluit, qui sponsam cuius primæ tunc nuptiæ celebrarentur, non multo pòst Agilulpho nuptui concessuram esse respondit. Quartum cum Longobardis bellum, Mauritij rogatu, Childepertus Francorum rex gerere cogitur, viginti secum præfectos legiōnum ducit, fortianimo Alpes superat. Sed rex ad Biluicionis mœnia lethali sub pectore vulnere saucius occubuit, duces vltrà progressi, haud procul à Mediolano castra ponunt. Legati Imperatoris protinus occurrunt, valida auxilia propediem allaturos se pollicentur. Quorum irrita promissa ad decimum vsq; diem quum expectassent, desperatis auxiliis, ad læua Transpadanam regionem incursant, cuncta ferro incendioq; miscent. Veronam vsque populantur, multa oppida in deditionem accipiunt, multo plura diripiunt, & in agro, præsertim Tridentino sæuiunt. Magna pecorum hominumq; prǽda abacta est. Tres menses cædibus & rapinis latè grassati. Nil tamen Longobardis, qui Ticini se communiuerant, obesse potuere. Mox ingruente fame, dysenteria ita laborarunt, vt vix sese in patriam reciperent. Sub hæc tempora, Antharim Flauium per mediam Italiam fecisse iter, præter Spoletanum transiuisse, cepisse Beneuentum & Samnites, ac demum cum exercitu Rhegium vsque penetrasse, extremam Italiæ ciuitatem, columnam ad fretum Siculum statuisse, eamq; declarasse ferunt, Lon-

Longobardorum imperij fore terminum, quam nostra quoque tempestate Antherianam dicunt. Zottus Beneuento à rege præfectus, annis viginti in Samnio regnauit. Antharis autem, missis ad Gundrannum Francorum regem legatis, virum quidem quietis & ocii amatorem, qui de pace agerent, quum sex annis pulchre regnasset, Ticini veneno absumptus est. Longobardi, Tendelindæ eius vxori, præ mansuetudine & comitate nimia potestatem fecere, quem virum optaret, eum sibi sumere licere, cumque se pro rege habituros pollicentur. At illa optato Agilulpho Taurinatum duce, ad se venire iussum, ex auspicato (vt paulo supra dictum est) coniugauit. Mediolani celebratæ nuptiæ, vbi omnium
10 consensu Longobardorum rex ille declaratur. Quum habenas imperij Agilulphus, qui & Mago dictus est, accepisset, Agnellum Tridentinum episcopum, vt captiuos redimeret, & de pace cum Gallorum rege ageret, misisse fertur, eumque omnia è sententia peregisse aiunt. Eo tempore præcedente maxima siccitate, inaudita locustarum multitudo subsequuta, quæ absumptis biennio longè lateque segetibus, grauissimam Italiæ famem reliquere. Cometes per mensem in cœlo visus. Munulphus, insulæ sancti Iuliani dux, quia Francis se dediderat, à rege cæsus est. Gaidulphus Bergamensis dux, qui à rege defecerat, eidem reconciliatus non fuisse dicitur. Hoc etiam tempore beatissimus Gregorius Dialogum de Vitis sanctorum, Tendelindæ reginæ dicauit. Cuius gratiam ita pro-
20 meruit, vt eius opera Agilulphum regem, cæterosque Longobardos ad veram fidem redegerit, ecclesias depressas leuarit, exactos episcopos restituerit. Romanus autem patricius, & Hexarchus Rauenna Romam profectus, inter redeundum, ciuitates a Longobardis occupatas in pristinam ditionem redegit. Ex his potiores fuere, Sutrium, Polimarcium, Hortum, Tuder, Ameria, & Perusia. Quod vbi Agilulpho nunciatum est, Ticino statim egressus, tumultuario exercitu Perusiam contendit. Graui vrbem obsidione, cum Marisione Longobardorum duce, qui ad Romanas partes defecerat, circunducit. Haud multis pòst diebus, capta vrbe, Marisionem ad se deductum, repentina defectorem morte intercepit, populata regione, magna præda ditatus, in Cisalpinam Galliam reuer-
30 sus est. Eius aduentu cùm Gregorij pontificis animus admodum consternatus esset, Tendelindæ reginæ implorata ope patrocinioq; perpetuum cum Agilulpho fœdus iniuit. Quod in diui Gregorii Epistolis intueri licet, quibus de concessa pace, ingentes regi reginæq; Longobardorum gratias agit. Iisdem quoq; temporibus Bauari, quum in Sclauos irruissent, superueniente Auarûm Vnnorúmve rege ad interneccionem vsque cæduntur. Et Childepertus Francorum rex vnà cum vxore veneno potionatus, interiit. Eadem quoque tempestate Vnni, qui & Auares dicti sunt, Pannonia egressi, Turingiam inuasere, grauissima cum Francis gessere bella. Burunnichildis regina, cum Theudeperto & Theodorico, nepotibus adhuc paruulis, in Gallia imperabat. Data ingenti pecunia,
40 Vnnos regno exegit, ipsaque Guntranno mortuo, cum nepotibus regnauit. Tunc pacem cum Chacanno Vnnorum rege, & Agilulpho factam tradũt. Defuncto Romano patricio, et Hexarcho Gallicinus ritè successit, qui cum Agilulpho paulo pòst pacem iniuit. Agilulphus quoque cum Theodorico Francorum rege perpetuum fœdus percussisse traditur. Mahumetus pseudopropheta, qui leges Saracenis dedit, in Arabia nascitur. Zangulphum Veronensium, Gaidulphum Pergamensium duces, quamuis bis data venia pertinacius rebellantes, vltimo supplicio is affecit. In sequenti anno non modò maritimam sinus Adriatici regionem, sed paulo pòst Transpadanam pestilentia grauis incessit. Post hæc horrenda signa subsequuta, hastæ in cœlo sanguinolentæ, & lux per totam
50 noctem apparuit, hæc portendêre mala. Theodepertus rex Gallorum, grauissimum Clothario patrueli conflictum intulit. In sequenti anno, Ariulphus dux Spoletanus, qui Faroaldo successit, diem obiit. Et quum ante mortem, aduersus Romanos, apud Camertes bellum gereret, victoriam adeptus, mox suos milites percunctatus est, Quisnam ille fuerit, qui tam se strenuè in prælio gesserit. Respondentibus illis, Fuisse Principem, Præpollentiorem fuisse (inquit) ipso

vidi, quippe qui semper me proprio adurgente hoste, clypeo protexit. Deinde Spoleto appropinquans, spectata diui Sabini basilica, vbi corpus eius reconditum est, interrogauit, Cuiúsnam illa foret ædes. Quum responderent, Sabini esse templum, quem inuocantibus militibus præstò semper adesse aiunt, equo repentè desiliit. Ædem ingressus, visa Sabini imagine, hunc mox eum virum, qui inter confertos hostes pugnantem se protexerat, adiecto iuramento, fuisse affirmauit. Ex quo mox creditum est diuum Sabinum, pientissimum militum patronũ; Ariulpho adhuc Christianæ religionis experti deesse noluisse. Ariulpho Tendelapius dux gnatusq; successit. Eodem quoque tempore, diui Benedicti cœnobium, in Casino monte situm, à Longobardis immaniter spoliatum. Mortuo Zotto Beneuentanorum duce, Agilulphi regis auctoritate, Arichis filius subrogatur, ad quem diui quoq; Gregorij extant Epistolæ. His etiam diebus Agilulphi filia vna, cum Godescalco Parmensi, ab equitibus Gallicini patricij capta, Rauennam ducta est. Et Agilulphus fabricandarum nauium artifices, ad Chacannum Auarûm Vnnorúmve ducẽ misit, quibus quandam in Gallia insulã expugnauit. Item Tendelinda regina, beati Ioannis basilicam, ad duodecimum lapidem supra Mediolanum, in Moicia ædificauit, prædiis ac sacra supellectili profusè donauit. Vbi quondam Theodoricus Gothorum rex, vt molliùs æstiuaret, amœnissimã villam insano sumptu exædificatam habuit, diuq; alpium vicinitate, & aeris salubritate temperieq; allectus frequentauit. Ibidẽ Tendelinda superbum palatium erexit, vbi Longobardorum habitum ritumque cernere erat. Quibus mos erat à ceruice ad verticem vsque radere, à fronte capillos discriminatos ad os vsque dimittere, vestimenta ferre laxa fluitantiaque ac linea, Saxonum & Britannorum more, quæ lymbo quoque colore vario exornare solebãt, item vti calceis ad pollicem vsque fatiscẽtibus, eosq; ligularum multitudine obligare. Paulo pòst Patauium, nequicquam reluctante præsidio, à Longobardis deficit, & Agilulphi iussu, iniecto igni absumptum est. Equitatus, qui auxilij gratia venerat, Rauennam redire permissus. Eodem etiam tempore perpetuum cum Longobardis & Auaribus ictum fœdus, missis quoque à Chacanno Auarûm rege in Gallias legatis, qui earum regibus significarent; vt veluti cum Auaribus, ita cum Longobardis pacem fieri oportere iudicarẽt. Interea Longobardi cum Auaribus & Sclauis Istriam ingressi, igni ferroq; omnia vastauere. Agilulpho regi filius ex Tendelinda in Moicia nascitur, Adalaldus. In sequenti anno, Longobardi montis Silicis oppidum inuasere. Smaragdus, qui prius fuerat Rauennæ patricius, ex Vrbe à Gallinico repulsus est. Mauricius igitur quum annum vnum & viginti cum Theodosio, Tyberio & Constantino filiis imperasset, à Phoca tandẽ interficitur: cuius virtute Vnni deuicti sunt, quum adhuc bellum Longobardis cum Romanis obesset. Ob filiæ Regis captiuitatem, Agilulphus Mediolano profectus, Cremonam cum magnis Sclauorum auxiliis, quæ à Chacanno rege Vnnorum acceperat, obsedit, quam duodecimo calendas Septembres captam diruit. Mantuam quoque pari successu expugnauit, Romano præsidio munitam. Milites autem cum impedimentis, Rauennam tutos & incolumes dimisit. Vulturnia in ditionem accepta. Filia regis à Smaragdo patricio, cum viro, liberis & fortunis reddita. Quare pax inter Romanos & Longobardos facta est. Sed quum illa Rauẽna profecta, Parmam peruenisset, partus difficultate interiit. Hoc anno Theodepertus & Theodericus, Frãcorum reges, aduersus Clotarium patruum arma sumpsere, vbi multa vtrinque hominum milia desiderata. In sequenti anno, Adoloaldus apud Lõgobardos rex à patre declaratur, eodemq; die Theodeperti Francorum regis filia, nouo Longobardorũ regi desponsata pronunciatur, quare perpetua cum Francis pax subsequuta. Bellum eodem tempore graue ac perniciosum Francis cum Saxonibus intercessit. Agilulphus cum Smaragdo patricio, sæpe accepta mercede, redintegrauit inducias, quo anno cometem quoq; apparuisse tradunt. Consentiente Phoca, & sedente Bonifacio pontifice maximo, statutum fuit, Ecclesia Romana cæterarum caput esset, quamuis id Constantinopolitana sæpe sibi vsurpa-

vsurpare tentasset. Eadem etiam tempestate, Chacannus Vnnorum rex, quos 568.
Auares appellauimus, habito maximo delectu, per Illyricum Italiam ingressus,
Istriam & Forum Iulium incursat, oppida ac pagos diripit, & incendit. Cui
quum Gisulphus cum instructa Lõgobardorum acie, qui Foroiuliensibus præ-
erat, occurrisset, ab innumera hostium multitudine circumuentus occubuit.
Cæteri desperatis rebus, in finitima oppida se recipiunt, relictis castris, oppido-
rum munitione se tuentur. Tomilda Gisulphi ducis vxor, cum his, qui è pugna
supererant, in Forum Iulium se recepit. Chacannus belli successum sequutus,
acri Forum Iuliũ obsidione coercet. Dum mœnia lustrat, qua potissimum par-
10 te expugnari queant, adhuc virenti ętate formáque conspicuus, Tomilda in vi-
sum continuò hostem exarsit. Clàm per internuncium stulta mulier Chacanni
coniugium petit, quod si annuerit, ciuitatis deditionem pollicetur. Accepit rex
conditionem, portas sibi patefieri postulat: quod quum illa fecisset, ingressus
hostis præter pacta oppidanos passim cædit, populatur omnia, vrbem inflam-
mat. Omnes qui è cæde superfuerant, captiuos abducit. In finibus Pannonię se
collocaturum pollicetur, sed in Pannoniam reuersus, abactos captiuos ætate
grandiores, ad vnum omnes obtruncat: puerorum ac mulierum, cæterarumq́;
rerum prædam viritim diuidit. Prospecta Vnnorum immanitate, Gisulphi &
Romuldæ filij, conscensis equis se fuga præripiunt. Grimoaldus tantùm puer
20 ab insequẽtibus capitur. Qui quum ab Auare captiuus duceretur, clarissimum
facinus ausus, cæso qui præibat hoste, refugit. Adhibitisq́; fratribus pręcoci for-
titudine se ab Auarûm seruitute vindicauit, mulieres ac pueri omnes, Vnno-
rum graui seruitio pressi. Tomilda, quæ tanti mali causa fuerat, vt sibi promissa
præstari viderentur, vna tantùm nocte, Chacanni regis thoro potita. Deinde
duodecim Auaribus concessa, qui assiduo coitu indomitam eius libidinem sa-
tiarent. In campo demum ad palum alligatam, iaculis configi, confixamque ad
necem palo præfigi imperauit. Dignum quidem libidinosissima fœmina suppli-
cium à Barbaro excogitatum fuisse censetur, quippe quæ qualem meruit, est
sortita maritum. Inaudita mulieris audacia, & imperiosa libidine cõcepta, quæ
30 appetitui, quàm patrię, suorumque saluti consulere maluit. Contrà verò eius fi-
liæ haudquaquam matris intemperantiam sequutæ sunt, sed conseruãdæ casti-
tatis gratia, ne à Barbaris procacibus contemerarentur, pulcherrimum ac sum-
ma laude dignum facinus excogitarunt. Pullorum carnes mamillis suppone-
bant, quæ ex calore contabescentes, teterrimũ odorẽ emitterent. Irruentes con-
tinuò proci, quum eas manibus [illegible]ctare occœpere, olidum fœtorem abomi-
nati nõ modò dimittere, sed execrari cogebantur, quãdo Longobardas omnes
olentissimas exclamabant. Quum virginitatem suam ita propugnassent, diui-
no quidem beneficio promeruere, vt honorificentissima connubia sortirentur:
nam altera Alanorum regi, Bauarorum altera nuptui tradita fuisse dicitur. Post
40 Gisulphi mortem, quem Foroiuliensem ducem fuisse diximus, Tasso & Caco
filij successere, qui regionis dominatum pariter obiere. Hęc regio, quæ his sub-
dita fuerat, à Sclauorum parte, quæ Azellia dicitur, ad Meclariam vsque pro-
tendebatur. Quare ad Rachis vsque tempora, Sclaui, qui Dalmatiam ac Istriam
inundarant, Foroiulianorum vectigales fuere. Hos igitur fratres, quum Gre-
gorius Romanorum patricius Opitergium iussisset accersi, vt rasa ex more bar-
ba filios adoptaret, vrbem ingressos, à collatis insidiis capi ac obtruncari præci-
pit, allatóque Tassonis capiti, vt promissa facinorosissimè præstaret, barbam ab-
rasit. Cæsis his duobus, Grasulphus patruus dominatum occupauit. Quod Ra-
doaldus & Grimoaldus iniquè ferentes, conscensa nauicula in Samnium traie-
50 cere, ad Arichim Beneuentanum, suum quondam pædagogum peruenere, à
quo honorificè excepti, filiorum loco habiti sunt. His quoque temporibus,
mortuo Tasilone Bauarorum duce, Garibaldus eius filius ad Aguntum à Scla-
uis profligatur. Qui insolenti victoria elati, dùm agrum latè discurrunt, passim-
que prædantur, resumptis Bauari animis pariter & viribus, eos repetunt, redin-
tegrato prælio, ac recuperata præda, in fugam vertunt, palantesq́; è suis finibus

eiiciunt. Sclaui (vt in primo libro retulimus) è regionibus transistrianis promanarunt, atq; Istriam & Dalmatiam occuparunt, eamq; à se Sclauoniam dixere. Primas sedes trans Danubium non reliquere, ex quibus Boemi, Poloni; Amaxobij siue Ruteni, & Roxiani adhuc permanent, item Bulgari, qui Mysias occuparunt, eandem linguam retinent. Quin & Vandali eodem glossemate vtuntur, qui sub Genserico rege Hispaniam, deinde Aphricam occuparũt, quorum reliquias, Vindelicos, Saxonibus conterminos pleriq; tradidere. Ego autem cõtra, potius Vandalos, à Vindelicis longè celebrationibus vetustioribusq; populis denominatos iudicarim. Agiulphus sæpe cum Romanis & Francis inducias fecit. Eo tamen anno, quo Sclaui miserabiliter Istriam, cæsis præsidiis populati sunt, Theodepertus rex Francorum à fratribus cæsus est. Atque Clotarius, vt solus regnaret, Theodoricum patrem interfecit. Et paucis pòst mensibus Agiulphus, quum annos quinque ac viginti regnasset, extremum diem obit. Adoloaldus cum Tendelinda matre in regno successit. Paulò antè Phocas ab Heraclio patricio cæsus erat. Regnans cum filio Tendelinda decem annos, inter Longobardos ac Italos pacem seruauit. Multas instaurauit ecclesias, Barbarico bello collapsas, ingentiq; eas donatiuo exornauit. Sed quum filius ad insaniam declinasset, regno confestim eiicitur, & in locum eius Arioldus subrogatur, qui quum duodecim annis imperasset, mox extinctus est. Rotheriusque creatus, qui quamuis iusticiæq; cultor esse videretur, Ariana tamen labe contabuit. Duos in quaque ciuitate episcopos, ob Arianam hæresim passus est. A Romanis denium per Aionem Arichis Beneuentani ducis filium, insanię pharmaco potionatus, à pristina sapientia planè defecit. Sed ad Heraclium redeamus, cuius præclarum facinus, quod in Danubij ponte patrarat, ne sine magno quidem scelere præterire possem. Hic enim post initum imperiũ anno quinto, grauissimo Persarum bello vexatur, quippe quorum rex Cosdroas, Palæstinam insanis copiis ingressus, cuncta ferro igniq; vastat. Hierosolymam capit; vbi nonaginta hominum milia immaniter trucidata. Crux nostri Saluatoris aufertur, in captiuitatem patriarcha redigitur. Expugnatur mox Damascus. Sepulchrum Domini nostri, nescio qua remoratus religione, subire non ausus, neq; sanctissimum id sacellum pollui aut dirui passus est. Exorari ab Heraclio nullis vnquã precibus potuit, vt acceptis quibusuis vectigalibus quotannis, sacram vrbem relinqueret, crucem redderet, & patriarcham. Sed paulo pòst Alexandriam expugnat, totamq; Ægyptum, & capta Carthagine, Libyam in ditionem redegit. Heraclius desperata pace, Constantinum [illegible]i filium subrogauit, quem Sergio patriarchæ, & Bonoso patricio commendauit. Ipse relicta Constantinopoli, & comparato ingenti exercitu, per Scythiam in Persas iter fecit. Beatissimæ Virginis iconem secum tulit, mortali nequaquã manu factam. Gazotem venit, vbi Cosdroas esse solebat, qui quum hostem aduentasse nouisset, in Persidem aufugiens, subaduſtisq; segetibus, vt pabulo commeatuq; careret exercitus, in Persidem se recepit. Duos Heraclio cum magnis exercitibus duces obiecit, quorum alteri Sambacę, Sabaro alteri nomen erat, quos traiecto Euphrate Romanę copiæ fortiter expugnarunt. Persam giganteæ proceritatis, Imperator lancea in ponte transfodit. Statim tertio sibi occurrentem singulari certamine, diuq; Virginis numine adiutus, exsuperauit. Irruente mox grandine, ex hostibus multi cecidere, Romana acies illæsa permansit. Cosdroas postremò Razatam præfectum, collectis vndique copiis, opposuit. Qui pari fato cum ingenti multitudine, amissis vigintiseptem militaribus signis, victus occubuit. Nondum insolentissimus Cosdroas animo consternatur, quippe qui diuinos sibi honores instituerat. Pro Deo passim coli, & regem regum, & dominantium dominum à gentibus appellari, ex edicto mandauerat. Turrim sibi argenteã dicarat, illuc escentibus lapillis exornatã. Item solem lunamq; cum stellarum varietate confixerat, cõstruxeratq; thronum, & demissos hinc imbres, & tonitrua fulminaque mentiebatur. Ad postremum coactis vndique copiis, innumerisq; gentium auxiliis, filius Heraclio ad Danubium occurrit. Quum hinc Persæ, hinc Romani constitissent,

ftitiſſent, multáque antehac calamitoſa vtrinq; prælia interceſſiſſent, imperatores ambo ſupra pontem Danubij, quem Traianus victis olim Dacis erexerat, ſingulari certamine depugnare decernunt, vt vtriuſque reipublicæ ſaluti hac duntaxat conditione conſulerent, victori quicunq; foret, ex compoſito omnes vltrò cederent, & imperata facerent. Quum in pontem Imperator vterque deſcendiſſet, nuncupatis vtrinque votis, conſerto duello, Heraclius tandem noſtri Saluaroris numine adiutus, Barbarum interfecit. Opima Ieſu Feretrio ſpolia retulit. Perſæ omnes, parta victoria, vltrò paruere, & orthodoxa fide initiati ſunt. Ad hæc Syrochius, Coſdroam patrem, fratremque Medarſem Heraclio ſe proditurum pollicetur, ſi regnum Perſarum ſibi delegaret. Oblatam conditionem accepit Heraclius, dum modò pons ad Tygrim amnem erectus, Romano præſidio ſeruaretur. Deinde quum in Perſide contendiſſet, Coſdroam in throno ſedentem cum filio interfecit. Syrochium regno præfecit, pontique Romanum præſidium impoſuit. Crucem Saluatoris, abacta gaza regia, Hieroſolymā retulit. Sed illud dictu perquam admirabile, nequaquam prætermittendum. Quum portæ vrbis, quę ad montem ſpectat Oliueti, Imperator paludatus, equo phalerato inuectus, crucem dextra ferens, ſingulari pompa appropinquaſſet, repentè congruentibus vtrinque lapidibus obſtruitur. Multitudo inſolenti miraculo perculſa, extantem in cœlo crucem, & angelum portæ deſidentem ſuſpicit, hæc verba referentem, Quando Rex cœlorum, ad redimendum genus humanum, hanc portam ingrediebatur, Heracli, non paludatus, nō equo inſidens purpurato, non coronatus, ſed humilis aſelli tergo inuectus intrauit, vt ſuis cultoribus, humilitatis relinqueret exemplum. Ad hæc ne minori quidem ſtupore, quàm lætitia Imperator affectus, depoſitis triumphalibus ornamentis, nudis pedibus, linea veſte ſuccinctus, profuſo lachrymarum profluuio, ſumpta cruce, cum vniuerſo exercitu progreditur. Obſtructa iamdudum porta, & cedentibus extemplo lapidibus patefacta, Imperatorem crucem elata manu ferentem admiſit. Sequebatur & innumera multitudo, quę alternatim modulatò cantu concinebat, O crux ſplendidior aſtris: deinde ibi, vnde erepta fuerat, reconditur. Quin etiam odoratiſſima è Perſide aura, in Palæſtinam vſque prouinciam, eam (vraiunt) ſubſequuta eſt. Sed ad Longobardos reuocetur oratio. Defuncto ſub Heraclio, Arichi Beneuentano duce, Aio filius dominatum ſuſcepit, cui Radoaldum Grimoaldumq́; fratres minores natu, vltrò paruiſſe ferunt. Quum vix hic annum vnum, & ſex menſes quietè dominaretur, ecce Sclauorum claſſis, haud procul à Siponto Italiam adoritur, pagos & oppida populatur, Aionem temerè prodeuntem obtruncat. Quod quum fratres cognoniſſent, cum tumultuario exercitu extemplo ſubueniunt, ſternunt Sclauos, abactam ad littora prędam recuperant, cæteros qui ſuperfuerant, fundunt, fugantque. Eodem ferè tempore, Rotarius Longobardorum rex, quicquid à Lunenſi portu ad vlteriorem vſque Galliam interiacet, in ditionem ſuam recepit. Opitergiū, quod Tauriſium & Forum Iulium interiacet, diruit. Imperante quoque Heraclio Mahumetus, quem aliqui Arabem, Perſam plerique fuiſſe volunt, nobili patre natus, Deos gentium adorante, matre verò Hebræa, atque Iſmahelita, quum acri foret ingenio, & Chriſtianorum conſuetudinem non abominaretur, peſtifera ſua lege, magnum animarum parauit exitium. Se magnum æterni Dei prophetam dixit, multos Aſiæ atq; Aphricæ populos, in pernicioſam opinionem aſſeruit. Quos falſa religione infectos, Saracenos à Sara, legitima Abrahæ vxore, appellari iuſſit, veluti legitimos diuinæ promiſſionis ſucceſſores. Hunc quidā Germanus ſcriptor, qui ſanctæ terræ itinerarium ritè conſcripſit, & ex perlecto Alchorano multa retulit, Saracenæ cuiuſdam, dum per Arabiam iter faceret, amore correptum fuiſſe tradit, à qua quum efflagitatum coitum impetrare non potuiſſet, mox aſellam, qua inuectus erat, ex indomito libidinis ardore compreſſit. Mortuo Radoaldo Beneuentano duce, Grimoaldus germanus ritè ſucceſſit, Samnitibuſque annis quinque ac viginti imperauit, vir domi foriſque præſtans. Quippe qui Græcorum claſſem, ad Garganum montem ea tempeſtate

descendentem, vt cœlestis archangeli templum, ingenti donatiuo ditissimum popularetur, vltima strage confecit. Rothatius rex Longobardorum leges, quas mente duntaxat antea seruarant, in codices redegit, edictaq; regia nominauit, vita Constante imperante excessit. Rodoaldus filius mox regnum iniuit, Gundipergam Agilulphi & Thendelindæ filiam, vxorē duxit. Hæc optimæ parentis exemplo, diui Ioānis Baptistæ basilicam Ticini magnifico sumptu fundauit, vectigalibus fundi amplè donauit. Adulterij apud virum falsò postulatur, Carellus eius seruus à rege implorat, vt suæ dominæ delatorē ad singulare certamen sibi prouocare liceret, vt veritas ex hoc periculo, reginæ pudicitiam euidentissimè tueretur. Data dimicandi copia, delator populo spectāte succubuit: quare regina omni crimine liberata, in pristinam restituitur dignitatem. Rodoaldus rex, vt plerique tradidere, quinto sui regni anno, in adulterio deprehensus interficitur. Aripertus Gūdoaldi filius, qui Thendelindæ frater fuit, rex creatur. Saluatoris ædem ad occidentalē portam exædificat, annis nouem regnat. Regnum Bertarito & Godeperto filiis delegatum. Diuiso regno, Bertaritus Mediolani, Ticini Godepertus imperandi sibi sedem optarat. Suborta dissensione, Godepertus ad Grimoaldum Beneuentanū ducem, regno quoq;, virtute ac sapientia non indignum, legatum mittit, vt quàm primùm aduersus fratrem sibi opem ferat, pro referenda gratia germanam pollicetur. Contrà legatus, præter mandata regis, cum ad occupandum Longobardorum regnum hortatur, quòd fratres reguli, facta seditione, ad interitum redigere conantur, comparatis euestigio copiis, properare nitatur. Grimoaldus accepta legatione, omnes ad occupandum Longobardorum imperium, ingenij vires intendit. Filium sibi in Samnio sufficit, ipse delecta manu Ticinum cōtendit. Qui nuptiarum causa, à Godeperto in regia exceptus, intentis à legato insidiis, Godepertum interficit, occupat regnum. Quod vbi Bertarito fratri nunciatum est, qui Mediolano, diuiso regno imperabat, dicto citius in Pannoniam fugam arripuit, ad Chacannumq; Auarûm regem sanè peruenit. Rodelindam vxorem, & Cuntpertum filium reliquit, quos Beneuentum Grimoaldus relegauit. Sed legatus huiusce mali auctor, qui Garipaldus dictus est, Taurinacium dux, non diu fraude ista frui potuit. Nam in templo à Godeperti famulo cæsus est, qui dum sui domini fatum vlciscitur, mortem subire minimè formidauit. In Beneuentanorum deinde ducum manus, Longobardorum recidit imperium, quamuis ex eadem gente foret. Confirmato nanque regno Ticini, Grimoaldus promissam sibi Godeperti sororem, vxorem duxit. Samnitium exercitum, cuius ope regnum adeptus erat, amplissimè donatū dimisit, quos dimittere noluit milites, feracib. prædiis profusè donauit. Sed postquam Bertharitum ad Chacannum Vnnorū regem trāsfugisse nouit, ad eum continuò legatos mittit. Quibus significat, vt aut Bertharitum inimicum regno eiiciat, aut fractum inter Vnnos & Longobardos antiquum fœdus credat. Quare Bertharitus ab Vnnorum rege extemplo dimissus est. Qui, quando, quò tutius fugeret, non habebat, & Grimoaldum clementissimum esse nouerat, si ad inimicum fugeret, se faciliorem apud benignum inimicum veniam inuenire posse reputauit, proinde hac spe in Italiam redit. Quum ad Laudem Pompeii venisset, Vnulphum familiarem suum, ad Grimoaldum Ticinum præmisit, qui eius nunciaret aduentum, ac pro explorata Grimoaldi benignitate Bertharitū profugum, ad ipsum quàm ad Barbaros confugere maluisse, diceret. Grimoaldus audito nuncio, commiseratione percitus clementer admisit, atque nondum suspicione correptus, honorificè tractauit. Sed quum hunc à tota vrbe affectatiùs frequentari nouisset, veneno statim è medio tollen dum esse censuit. Sed astu fretus, sub contumeliosi serui persona obductas insidias Bertharitus euasit, ad Gallosq; superatis Alpibus trāsfugit. Quum rex eum Vnulphi & serui à manu arte euasisse cognouisset, vtriusq; fidem quàm maximè laudauit, assumptos in cubiculariorum numerum, eandem sibi finem persoluendam exorauit. Bertharitus in Longobardos Narbonensem Galliam concitauit. Galli superatis Alpibus quum in Astensem agrum descendissent, pul-

pulchro ſtrategemate eluſi ſunt. Grimoaldus enim ſimulata fuga, metúque ingenti, caſtra Gallis integra relinquit. Irruentes Galli, quum Longobardorum caſtra inuaſiſſent, ac vini, cæterorumque commeatuum copiam inueniſſent, fortuna elati lautiſſimè licentiſſiméque cœnarunt. Intempeſta nocte, vino ſomnóq; grauatos Grimoaldus ex inſperato aggreditur, ac tanta cæde per caſtra graſſatur, vt è Gallis pauci in patriam redirent. Locus pugnæ haud procul ab Aſta vrbe, adhuc Francorum riuus appellatur, ab anno ſalutis ſexageſimoſecundo ſupra ſexcenteſimum. Conſtans Imperator, quum Longobardorum ſeruitio ſuos Italos vlteriùs premi, tolerare non poſſet, Athenas primò deſcendit, deinde comparata ingenti claſſe, Tarentum nauigauit. Quacunq; iter fecerat, omnes Longobardorum vrbes expugnauit. Luceriam, opulentam Apuliæ ciuitatem diruit. Mox Beneuentanum agrum ingreſſus, latè omnia miſcet, & populatur, vrbem ſubinde acerrima obſidione circumducit. Romoaldus dux Beneuentanus Grimoaldi regis Longobardorum filius, Seſualdum alumnum cōfeſtim ad patrem mittit, qui grauiſſimam oppugnationem nunciet, & auxilium imploret. Mandata diligēter peragit alumnus, Grimoaldum cum magno exercitu properare iubet. Quum ad vigeſimum à Beneuento lapidē perueniſſet, Seſualdus a rege prҽire iubetur, vt clam vrbem ingreſſus, filio patris auxilium prҽſtò ſignificet adfuturum. Capitur à Græcis internuncius, qui quum itineris ſui cauſam, & rem omnem retegere cogeretur, ritè omnia enarrauit. Conſtans validiſſimas hoſtium copias reformidans, de ſoluēda obſidione cogitabat. Quod vt honeſtius faceret, ac Neapolim ſe reciperet, Giſam Romoaldi ſororem loco obſidis ſibi dari poſtulat, data obſide fœdus percutitur. Seſualdus ad muros vrbis ducitur, ab Imperatore edoctus, vt Romoaldo patris aduētum nequaquam expectādum eſſe diceret. Contrà ille productus exclamat, Bono (inquit) animo eſto Romoalde, quandoquidem pater prҽſtò aderit, proinde nil tibi cum hoſte ſub turpi conditione paciſcendum. Me autem, quia ſola mors manet, pro explorata fide, liberos cum vxore commendatos habeto. Adhuc plura ſubiicienti, imperatorio iuſſu, caput continuò abſciſſum eſt, baliſtæq; impoſitum, in vrbem iacitur. Quod vbi ad Romoaldum delatum eſt, & multis lachrymis, & crepitantibus oſculis excipitur, atque honorificētiſſimo demum ſepulchro reconditur. Imperator cognito Grimoaldi regis aduētu, ſoluta obſidione Neapolim proficiſcitur. In itinere ad Calorem fluuium à Mitala Campano comite, haud mediocri ſtrage afficitur. Saburus quum viginti milia hominum ab Imperatore, quum Neapoli moram traheret, impetraſſet, pollicitus ſe cum hoc tantùm exercitu Longobardos expugnaturum, haud procul à Beneuento à Romoaldo ad internecionem vſq; ſuperatur. Quum omnem in Longobardos operā Conſtans Imperator eluſiſſet, ad crudelitatem, ſuorumq; rapinas animum cōuertit. Quum Romam veniſſet, & Vitallianus pontifex maximus, cum vniuerſo collegio ſacerdotum, ad ſextum vſq; lapidem officij gratia occurriſſet, duodecim tantùm in Vrbe dies fuit: eam ornamentis omnibus, & æneis quàm maximè ſpoliauit. Pantheon tegulis æneis, quibus tectum erat, exuit, Conſtantinopolimq; tranſtulit. Repetita Neapoli, Rhegium contendit. Quum in Siciliam traieciſſet, Syracuſis moram longam traxit: ac nil aliud egit, niſi quòd Siciliam, Calabriam, Aphricam, Sardiniamq; pari ſҽuitia ſpoliauit. Quin & maritis ſæpe vxores abſtulit, parentibus filios eripuit, aurea argenteaq; ſimulachra, & precioſa è templis vaſa ſubtraxit, ſacrilegia, cædes, rapinas & latrocinia Verre frequentius exercuit. Syracuſis demum in thermis cæſus eſt à ſuis. Poſt Imperatoris interitum, Mezentius imperium vſurpauit. Qui quum imperare pergeret, aduentante claſſe Græcorum, à Conſtantino Conſtantis filio, vnà cum cæteris coniuratis, qui Imperatorem interfecerant, cæſus eſt. Quum hæc Saraceni audiuiſſent, qui paulo antè Alexandriam Ægyptumque incurſarant, magna cum claſſe Siciliam inuadunt. Syracuſas ingreſſi, patrata maxima ſtrage, omnia diripiunt, & ea potiſſimum, quæ Conſtans Roma abſtulerat: mox abacta ingenti præda, Alexandriam repetunt. Eo tempore, Ticinum ſæua peſtilentia vno anno deſti-

662.

tutum. Ignis maximo omnium terrore dies decem in cœlo emicuit, incubuere mox imbres vsqueadeo sæui, & ita horrenda frequentiáque fulmina, vt homines iuxta ac pecora de cœlo tacta caderent. Quare eo anno tanta leguminum copia successit, vt legi omnino nequiuerint, quæ autem neglecta fuerant, vltrò renata ad maturitatem peruenere. Grimoaldus, quum omnes Beneuentanorum finitimos populos in ditionem suam redegisset, pacato Samnio, Campania & Apulia, Ticinum rediit. Thrasimundo Campano comiti, ob operam sibi bene nauatam aduersus Constantem, filiam spopondit. Eiecto Tatone, Potatonem Spoleto præfecit. Postquam Ticinum reuersus est, Lupo, cui regni gubernationem abiens delegarat, ob malam insolentemq; administrationem valde succensuit, quare ille malè cõscius à rege defecit. Grimoaldus, ne inter Longobardos ciuile bellum suscitaret, ad Chacannum Vnnorum regem scribit, vt è Pannonia in Lupum Foroiulianorum ducem castra moueat, grauissimo virum bello castiget. Chacannus, coacta ingenti Auarûm multitudine, mandata peragit. Inuadit maximo impetu Foroiulianos, cuncta incursans diripit, vastatque. Lupus instructa occurrit acie, tribus diebus continuata victoria hosteis insequitur, quarto, superueniente Vnnorum multitudine obrutus, inter confertissimos hostes cum sua legione occubuit. Cæteri fusi fugatiq;, in proxima sese oppida recipiunt, ager vniuersus in hostium potestate, desertus maxima ex parte diripitur, & inflammatur. Quum à vastatione Auares haudquaquam desisterent, Grimoaldi literis admonentur, vti à bello se iam abstinerent, quando sat pœnarum Lupus expenderat, quin & hinc decedere iubet, quod ni continuò fecerint, acerrimum à Longobardis bellum interminatur. Mittuntur Ticinum a Chacanno legati, quibus hæc mandata fuerant, Vnnos agrum Foroiulianum nunquam relicturos, quando quæcunque bello parta fuerant, stultissimum foret, pro nihilo pendere, quæ autem iure belli compararant, se armis asserturos. Grimoaldus quum bellum se propediem indicturum minaretur, coram legatis, quando bellum instaret, se Longobardorum exercitum recensurum esse simulauit. In transuectione, quum paucæ forent copiæ, eadem sæpe agmina repetebantur, vt maximus videretur exercitus. Hoc legati commento à bello deterriti, insanas Longobardorũ vires Chacanno referunt, quo vnà perculsus & elusus, vastata regione, in Pannoniam præda & rapinis onustus rediit. Anaphritus Lupi filius, Caruntum ad Sclauos planè confugit, ratus eorum auxiliis, inuito etiam Grimoaldo, Foroiulianorum dominatum recuperaturũ. Sed longè aliter, ac sperarat, euenit: agrum ingressus, ad Nemas oppidum continuò fugatus, ac cæsus est. Vetarius Vicentia oriundus, Foroiulianorum dux creatur, vir bello & pace clarus, qui parua manu irruentes etiam Sclauos grauiter afflixit. Grimoaldus in bello Græcorum, omnes de ipso malè meritos cumulatè vltus est. Ne eius quidem populus Romanorum oppidum impunè dimisit, nã incautam die paschalis sabbati ciuitatem adortus, omnes ad interitum vsq; cecidit, vrbem vniuersam diruit, quæ nostra vix tempestate resurgere potuit. Opitergium, vbi Tasson & Cacon fratres cæsi fuerant, funditus ita deleuit, vt vix hodie vestigia pauca reperiantur. Aleco Bulgarorum dux, à Grimoaldo sedes sibi dari postulauit. Qui Beneuentum ab eo ad Romoaldum filium missus, Sepiano, Ouiano & Iseruia, ac plerisque desertis vrbibus donatus est. Et eam Bulgari Italiæ regionem incoluerunt, qui quamuis Itala nunc lingua vtantur, propriam tamen ne adhucquidem omnino dimiserunt. Grimoaldus Longobardorum rex, ob fractam ex arcus intentione venam, quam vt medici comprimerent, mala venena apposuerant, Beneuenti diem clausit, non minus consilio quàm robore præstans, vir ad obeunda pericula satis audax, caluo capite, & demissa barba. Corpus, in diui Ambrosij basilicam, Ticinum est relatum. Garimbaldus filius regnum init, sed Bertharitus in vlteriorem Galliam relegatus, repetita Italia, Garimbaldo regnum abstulit, & annis octo regnauit. Cum Guntperto verò filio, annis decem, liberatori Deo basilicam ad Ticini fluenta exædificauit. Rodelinda vxor diuæ Genitrici in suburbano, quod Perticas appellant,

pellant, nobilissimam ædem erexit. Quum diu quiete regnasset, ecce Halaris Tridentinorum dux, repentina defectione ocium Longobardorum intercepit, Tridenti obsessus, ac in regia castra facta eruptione, fugatis hostibus obsidione se liberat. Cuntperti demum opera regi conciliatur, & paulo pòst eiusdem precibus, Brixianam præfecturam ab inuito rege assequitur, quippe qui sæpius abnuens exclamauit, In Cuntperti filij perniciem id futurum. Vita defunctus, ad Seruatoris ædem, ab Ariperto patre ædificatam, sepultus est. Longobardorum tandem regnū quum ad Cuntperti manum redigeretur, Halaris beneficiorum immemor, quum Brixianorum dux esset, duos muneribus subornat, qui regem 10 c[...]ll[...]catis ita insidiis circumueniant, vt eius ad se caput referant: quod si fecerint, cumulatissimam gratiam pollicetur. Dimissi abeunt, & contra mandata faciunt, Ticinum circumuagantē regem reuocant, facinorosa mandata retegunt. Corpertus, coacto exercitu, aduersus Halarim virum ingratissimum castra mouet. Collocatis vtrinque castris, quum in Coronate agro consedissent, de singulari certamine agi cœptum, quod Cuntpertus nimis affectabat, detrectabat contra Halaris. Solenni tandem monomachiæ statutus est dies. Seno diaconus basilicæ diui Ioannis Baptistæ, a Gundiperga quondam regina ædificatæ, dum Cuntperto regi vehementer timet, ei persuadet, vt quando consimiles sunt, ipse pro rege subornetur, in certamenque descendat. Quod vbi factum est, sin-20 gularem pugnam ineunt, diaconusque demum ab Halari obtruncatur. Victor dum elata dextra cæsi caput ostentat, vt regia victoria glorietur, exuta galea clerici caput esse comperit. Delusum sese comperiens, grauiter excandescit, & nuncupatis votis exclamat, si veræ victoriæ compotem dii fecerint, altissimum clericorum testibus puteum se completurū iactitat. Ad hæc Cuntpertus in medium prodiens, se hosti glorioso statim offert, promptaq; audacia, consternatos suorum animos leuat. Instructa vtrinque acie, Halarim altissima voce prouocat ad singulare certamen, vt Longobardorum saluti consulatur. Recusat Halaris, quia Michaelem archangelum supra pila hostium, districto ense infestum, sibi videre videbatur. Exclamantibus cunctis, istum præ pauore hæc cernere, in 30 vtranque aciem ecce pugna conseritur, rex cum rege, miles pariter cum milite congreditur. Strages magna committitur, demum Halaris Cuntperti regis dextra succubuit. Qui ex Halari superfuere, palantes & præcipiti fuga correptos amnis Abdua planè corripuit. Halari caput abscissum. Foroiuliani ante initum prælium, neutram partem sequuti abiere, cæteri magna cæde confecti, pars tamen Cuntperti longè superior. Senonis diaconi corpus, quia pro regia fide vltrò fatum obierat, magnifico sumptu pro Ioannis Baptistæ basilica sepultum. Cuntpertus victor Ticinum reuersus, de cæsis hostibus honorificè triumphauit. Dum in Gallia Cisalpina hæc aguntur, Romoaldus dux Beneuentanus Tarentum, Brundusiumque, & vniuersam Salentinorum oram capit, & an-40 nos ibi sedecim dominatur. Post quem Grimoaldus, qui Vlindā Cuntperti sororem sibi coniugauit, tribus annis Samnites gubernauit. Huic Gisulphus frater planè successit, qui decem & septem dominatus annos, ex Vnniburgi vxore Romoaldum suscepit. Amphridus, quum Foroiulianum dominatum, inuito Cuntperto rege occupasset, ab eoque defecisset, paulo pòst Veronæ deprehensus, Cuntperti iussu oculis captus est. Hoc etiam tempore Cedoaldus Saxonum rex, qui in Britannia consederunt post maxima bella, quæ in patria gesserat, ad orthodoxam fidem conuersus Romam contendit, à Cuntperto pro dignitate exceptus, honorificentissimèque dimissus. Quum ad Sergium pontificem peruenisset, sacro baptismate initiatus est, & paulo pòst vita Romæ excessit. Cor-50 pus in diui Petri basilica sepultum, fortunæ in diuinū vsum omnes ex testamēto erogatæ. Cuntpertum duodecim annos rectè dominatum, mox vitam obiisse, Luitperto gnato adhuc puero Longobardorum regnum delegasse, Ausprandumque tutorem adhibuisse tradunt, quem vix octo mensibus regnasse ferunt. Lampertus Gundiperti filius, superato Ausprando Longobardorum regnum inuasit, quod vix anno vno retinere potuit. Sed Aripertus tunc eius filius re-

parato exercitu, cum Lintperto rege apud Ticinum conflixit. Inclinatis hostibus, Lintpertum in pugna viuum cepit. Ausprãdum in Recomacinam insulam fugientem obsedit. Rotharitum, Bergamum confugientem, capta vrbe in suam potestatem redegit, rasaq; barba in notam insignis ignominiæ, Taurinum relegauit, vbi paulo pòst obiit. Lintpertus in balneo, eius iussu, paucis pòst mẽsibus suffocatur. Oppidum insulæ, quò Ausprandus fugerat, pariter expugnatũ. Ausprandus ad Teutpertum Bauarorum ducem, per Rhœtos confugit, vbi sex annis fuisse fertur. Sigiprandus verò eius filius, ab Ariperto deinde captus, oculis priuatus est: cæteri verò eius cognati variis suppliciis affecti sunt. Alter Ausprãdi filius, minor natu, in carcerem coniectus, cuius tenellam adhuc ætatem miseratus, non solùm omni sæuitia carere voluit, verumetiam ad patrem veniendi potestatem fecit. Qui quum ad regnum euasurus esset, diuina eum numina indulgentissimè tractari permisere. Quare Lintprandus libertate donatus, in Bauariam continuò ad patrem proficiscitur, cuius aduentus Ausprandum mirificè recreauit. Sed ne parem quidem fortunam Theoderada mater, & Aurona soror, sortitæ sunt, quãdo ambabus in vincula coniectis, abscissis auribus & naso, quum alterutra reginam se fore gloriaretur, dehonestatæ facies. Post Adonis mortem, qui Foroiulianis præfuerat, Ferdulphus è Liguria ortus præfecturam init, qui dum Sclauorum victoriam affectat, maxima iactura prouinciam affecit. Nam dum temeraria Sclauorum exercitum audacia circumuenire contendit, aspernatus loci iniquitatem, vnà cum vniuersis copiis ad internecionem cæsus est. Cui quum Corbulus in magistratu successisset, quia regiam maiestatem læserat, excectis oculis miserrimè vitam duxit. Sed Penno longè præstantior, prouinciæq; commodior fuit, qui delegatum sibi munus mox accepit. Hic omnes pupillos, quorum patres in bello Sclauonico occubuerant, sanè coegit, & vnà cum suis liberis pari charitate ac studio educauit. Eodem ferè tempore, Gisulphus Beneuentanorum dux, Goram, Hirpinum, et pleraque Latii oppida occupauit, incendio & rapinis cuncta turbauit. Sed Ioannis Romani pontificis pia legatione muneribusq; sedatus, Beneuentum se recepit. Idem eadem quoque tempestate, Aripertum Longobardorum regem, Scotias alpes à Longobardis olim vsurpatas, quæ apostolicæ sedis esse consueuerant, sponte restituit, maximoque pontifici restitutam donationem, aureisq; conscriptam literis misit. In demortui Trasemundi locum, qui Spoletanus dux erat, Farnaldus filius subrogatur. Hæc Iustiniano, Leone, Philippo Anastasioq; imperantibus gesta sunt. Tunc Ausprandus iam exacto nono exilii anno, quum Teutpertũ Bauarorum ducem ad Italicum bellũ suscitasset, coactis magnis copiis, Italiã inuasit. Haud procul à Ticino cum Ariperto conflixit, quamuis pari ferè spe ad vesperum vsque pugnaretur, tamen dum nox prælium dirimeret, iam Bauari terga vertere cœperant. Sed quum Aripertus dimissis castris Ticinum rediisset, hostibus animos addidit, contrà suis ademit. Mox facti pœnitentia ductus, quum in vlteriorem Galliam fugere decreuisset, auro oneratus, dum Ticinum amnem transnare contendit, planè demergitur, duodecimo regni anno defunctus. Cui mos erat, dissimulare personam, clàm ciuitates & oppida sua lustrare, percontari quales hi forent, qui iudicia gererent, quomodo populi regerẽtur, quis de se rumor & opinio foret. Humili semper veste supellectiliq; contentus erat, quin etiam legatorum nihil immutabat aduentu. Post Ariperti funus, Ausprandus Longobardorum regnum assequitur, vixq; menses treis imperauit, vir ingenti virtute ac sapientia præditus. Sed omnium mox Longobardorum consensu, Lintprandus ad regni fastigium euectus est. Anastasius hoc tempore Philippum in priuatam vitam redigens, Romanum imperium vsurpauit. Theodosius ab exercitu imperare iussus, Anastasium expulit. Et tunc Ægidium sanctitate ac sapientia claruisse ferunt. Tyberis etiam tãta inundatio successit, vt superatis longè ripis arua traxerit, plures in Vrbe domos subuerterit, à ponte Æmylio ad valuas vsque diui Petri basilicæ inundarit, & in via lata ad duodecimum vsque palmũ excreuerit. Theodosius à Leone imperio eiectus, ac sacris initiatus, priuatam

deinde

deinde vitam degit. Eodem ferè tempore Mauri, qui occupatas decem annis Hispanias tenuerunt, quum Gallias inuasissent, non sine magna suorum strage, victi rediere. Saraceni quoque tribus annis Constantinopolim, in castris & in vrbe væsaniente pestilentia, obsederunt. Re tandem infecta, in Bulgarorũ gentes, quæ Danubium accolebant, irruere, & ab his reiecti, quum classem abeundi gratia conscendissent, tantum ex tempestate naufragium perpessi sunt, vt pauci euaserint. Constantinopoli trecenta hominum milia ex pestilentia periere. Quum Bulgaros inuaserunt, duo & triginta Saracenorum milia occubuere, cæteri naufragio absumpti. Regnante in Italia Lintprando Longobardorum rege, inter Gregorium pontificem Romanum & Leonem imperatorem orta discordia. Quare aduersus pontificem Paulus Hexarchus in Italiam missus est, quo interfecto, in demortui locũ Eutychius suffectus est. In quo quidem bello, diuisa Italia, Antepharum Longobardorum ducem, pontifici auxilia præbuisse constat. Quin & cometæ duo, diebus quindecim in Italia visi, quorum alter exorientem præcedebat, contrà occidẽtem solem subsequebatur alter. Hæc etiam tempora Pipinum Francorum regem, principem clarissimum protulere, qui tantæ fortitudinis (ne dixerim audaciæ) fuisse traditur, vt traiecto Rheno cum vno satellite in hostem irruerit, cumque in cubiculo cum suis residentem trucidarit, multaq; bella cum Saxonibus, & maximè cum Rapotto Phrysiorum rege prosperè gesserit. Sed vt ad Longobardorũ res reuocetur oratio, cõfirmato Lintprandus regno, suorum insidias cognatorũ æquo animo pati coactus est. At prosper ex audacia successit exitus. Rotharius cognatus, quum ad conuiuium eum inuitasset, vt inter epulas domi obtruncaret, spe deinde frustratus, detectis insidiis, vnà cum filiis cæsus est. Alpium præterea Scotiarũ donationem, Lintprandus rex pontifici Romano cõfirmauit, filiamq; Theodeperti Bauarorum regis, apud quem fuerat relegatus, duxit vxorem, vnamque tantum filiam ex ea suscepit. Eadem tempestate Penno Foroiulianorum pręfectus, quum bis terve grauem Sclauis conflictum intulisset, suorum vltus iniurias, pacem demum cum peregrina gente cõtraxit. Deinde quum Saraceni Sardiniam adorti diripuissent, ac templa passim direpta amolirentur, Lintprandus diui Augustini corpus, quod ibi esse nouerat, magna mercede redemptũ, Ticinum cum singulari pompa transtulit, honorificentissimoq; sepulchro donauit. Paulo pòst Rauennam obsedit, classeq; oppidum continuò captum diruit. Paulus etiam patricius, tunc Romam quosdam subornatos mittere voluit, qui Gregoriũ pontificem interficerẽt. Sed quum Longobardi, Thusci Spoletanique aduersarentur, Rauennatũ concilium dissolutum est, nihilq; decerni potuit. Orta deinde inter põtificem & Longobardos longè maiore discordia, Lintprãdus Æmyliæ oppida, vtputa Feronianum, Montembellium, Bruxeta, Perticeta, item Bononiam, Pentapolim & Auxinium, & paulo pòst Sutrium vi cepit, quę post dies aliquot Romanis reddita sunt. Eodem quoque tempore, Leo Imperator omnes diuorum imagines quum deponi comburiq; iussisset, iussaq; detrectãtes morte mulctasset, Germanum patriarcham intercedentem, magistratu abdicauit, Anastasiumq; suffecit. Deinde frequens aduersus Leonem Romæ habita synodus episcoporum mille, quorum sacro cõsulto damnatus est Imperator. Romoaldus dux Beneuentanus Guntperdam, Aurone sororis Lintprandi regis filiam, vxorem sibi coniugauit, ex qua Gisulphum tulit. Qua defuncta Ragimundam sumpsit, Gaidualdi Brixiani ducis gnatam. Item inter Pennonem Foroiulianum ducem & Calistum patriarcham orta dissensione, captum patrem tyrannus ad castellum Pogium, quod mari prominet, in vincla coniecit, immaniterque tractauit. Audito Lintprãdus scelere valde succensus hominẽ munere abdicauit, Rachis in eius locum filius subrogatur, qui Pennonem patrem, ad Sclauos transfugere volentem remoratus, regi reconciliauit. Sed paulo pòst regis edicto, pater cum cæteris filiis in vincla coniectus. Rachis Foroiulianorũ dux Carnorum regionem ingressus, quam Carniolam nunc dicunt, à Sclauis olim occupatam, rapinis & incendiis cuncta vastauit, patrata ingenti strage, multos homines

ac pecora abegit. Quinetiam his ferè temporibus, Carolus primi Pipini filius, Francorum rex, Pipinum filium ad Lintprandum misit; vt ex more gentis cæsa coma, in locum filij adoptaret, quem deinde Lintprandus honestissimè donatum remisit ad Carolum. Item paulo pòst quum Saraceni Gallias iterum inuasissent, magnamq; Narbonensis Galliæ partem vastassent, haud procul à Narbona his Carolus Martellus occurrit, ac magna hostium cæsa manu, ne ignobilem quidem victoriam retulit. Præterea quum in sequenti anno rediissent, & Arelatum quoq; oppidum captum amolirentur, Carolus sibi diffisus, Lintprandi regis auxilium implorauit, cuius ope Saracenos fudit, fugauitq;. Post hæc omnia, Lintprandus bella, quæ aduersus Romanos iniuerat, fœliciter gessit: præterquam id, quod ad Ariminum gestum est, vbi se absente cæsus est exercitus: & quod ad vicum Pileum, quum res Pentapoli moraretur: & quod in Rauennate denique agro, quum Hildeprandus regis nepos, & Peredeo dux Vicentinus Rauennam occupassent. Vbi irruentibus vndique Venetis, Hildeprandus capitur, & interficitur Peredeo. In sequenti quoque tempore, Romani superiore victoria elati, Agathone duce Perusiæ præfecto, ad occupandam Bononiam contenderunt, vbi Peredeo & Rotharius Bulgarorum principes castra habebant. Qui comperto Romanorum aduentu, eos aggressi non sine magna strage fugarunt, quum Constãtinus Leonis filius, extincto patre imperium accepisset. Sub hæc tempora Transemundus dux Spoletanus, quum à Lintprando Longobardorum rege, post reconciliationem defecisset, ad Romanos confugit, publicam sedem implorans, quem Ethannus dux Romanus vnà cum põtifice defendendum esse censuit. Rex ira succensus vrbem Romam obsedit, deinde soluta obsidione, Ameriam, Ortam, Palima, Marium, Bloramq; Romanis abstulit. Hildericum Spoletanis ducẽ subrogauit, mox Beneuentum petiit, vti post Romoaldi mortem, Gisulphum eius filium à Lõgobardis patri suffectum, immaturum adhuc ducem, magistratu abdicaret, Hildebrãdumq; nepotem ei substitueret. Ticinum deinde reuersus icto cum Romanis fœdere, quum in aduersa valetudine de morte dubitaret, hunc nepotem regni consortem successoremq; cõstituit. Sed Romani paulo pòst pace ditati, Transemundum in Beneuentum restitui decreuere. Fauit etiam ei Gondestallus Beneuentanorum dux, qui post Gregorij mortem ducis, tyrannidem inuaserat. Item Stephanus patricius, quum se Gondestalli copiis planè coniunxisset, Marsos, Furconios, Valuenses, Pinnensesq; Spoletanæ ditionis populos, in Transemundi potestatem accepit. Transemundus pòst hæc, reliqua recuperauit, quamuis crimine ingratitudinis in Romanos carere non potuit. Quum Lintprandum cum maximo equitatu, multisque cohortibus Romani propediem rediturum intelligerent, à Transemundi societate, licet ingrati, deficere noluerunt. Iunctis vnà castris, ad Fortunę fanum Longobardis occurrunt, in syluis pręlium extemplo cõseritur. Vbi quum Rachisius Foroiulianus dux, singulari certamine Longobardũ quendam Spoletani ducis equitem, in proximam ex equo paludem præcipitem egisset, reliqui mox iniquis perculsi auspiciis, in fugam versi sunt. Stephanus Romam rediit. Lintprandus Spoletum obsedit. Mox captis finitimorum oppidis, ad Vrbem castra mouere statuit. Sed interea Gregorij secundi pontificis maximi mors intercessit, cui Zacharias Græcus planè successit, qui quum aduersus Transemũdum, Lintprando auxilia misisset, Romanos regi cõciliauit, & à Longobardis ablata, ex compacto recepit. Transemundus, desperatis rebus, se vltrò Lintprandi tradidit potestati, dimissaq; tyrannide ad sacerdotium se redegit. Agrandus Lintprandi nepos Spoletanus post hunc dux creatus est. Sed quũ Longobardorum rex, quæ restituere promiserat, longè differret, pontifex ad eum Narniam vsque profectus est. Cui rex ad octauum vsque miliarium, præstandi officij gratia tunc occurrit, sediq; apostolicę non modò ciuitates quatuor ex fœdere sponte reddidit, sed Sabinum quoque patrimonium, quod annis circiter triginta Longobardi possederãt. Item Narniam, in Picentibus Anconem, Chumam, Sutrinum deniq; agrum dono dedit. Ticinum reuersus, in suburbio diui

Petri

Petri basilicam, multaque templa nobilissima ædificauit, in regia Saluatoris ædem dicauit. Demum quũ annos triginta & sex mẽses apud Longobardos gloriosè regnasset, vita excessit, corpus in Adriani basilica sepultum. Hunc multis virtutibus illustrẽ ferunt, quando vir summa prudentia, singulari pietate, item beneficentia fuisse fertur. Bauarorum oppida multa vi cepit. Francorum pacem, & Auarûm, quos Vnnos quoque dicimus, amicitiam diligentissimè seruauit. Post Lintprandi mortem, ne diu quidem Longobardorum durauit imperium. Nam Rachis qui successerat, Romanis infestus, Zachariæ põtificis suasu, relicto regno monasticã vitam iniuit. Astulphus frater qui successerat, quũ Romanos sibi stipendiarios facere contenderet, Stephanus pontifex in Galliam profectus, Pipini Frãcorum regis auxilium implorauit. Qui cum maximis Gallorum copiis Italiam ingressus, fuso fugatoq; Longobardorum exercitu, Astulphum regem ad Ticinum obsidet, atque arctissima obsidione, ad faciendam deditionem compellit. Pontifici vltra Rauennæ amplissimum hexarchatum, Ariminum, Concham, Pisaurum, Fanum, Vrbinum, Cales, Luceolos, Narniam, & in Picentibus Esim, & Senogalliam, & pleraque oppida dono dat, Longobardis ablata. Constantinus Imperator omni scelere imbutus, quum in Christianos in Oriente longè lateq; grassaretur, sanctorumq; imagines deponi aboleriq; ediceret, Stephanus pontifex Romanus, prophanum detestabilemq; principem abominatus, imperialem dignitatem, titulosq; omneis, in Francorum reges, de apostolica sede bene meritos, transtulit. Pipinum cum posteritate, Romanum regem declarauit, eam cæteris dignitatem interdixit. Per Bonifacium Maguntinum episcopum, delegata auctoritate, Pipinum sacro (ex more) oleo perunxit, atque senatus populiq; Romani nomine, patricium consulemq; pronunciauit. In sequenti anno Astulphus de cœlo tactus occidit, quũ annis duobus & triginta regnasset. In cuius locum Desiderius, Longobardorum rex vltimus, suffectus est, qui vix annis decẽ & octo dominari potuit. Nam Carolus Pipini filius, qui non immeritò gestarum rerum gloria, ex cognomento Magnus dictus est, Adriani pontificis precibus accitus, Italiamque, veluti pater fecerat, cum maximo exercitu ingressus, expugnato Ticino, profligatis passim Longobardis, Desiderium regem cum vxore ac liberis captum, in Galliam abduxit. Quare à Romano pontifice, ob rem optimè gestam, confirmata imperandi dignitate, amplissimis titulis & honoribus donatus, extincto Longobardorum nomine, qui ducentis & quatuor annis in Italia planè regnarunt, in patriam rediit.

RERVM VNGARICARVM DECADIS PRIMÆ LIBER IX.

ANTEQVAM Longobardorum in Italia à Carolo Magno deleretur imperium, duobus circiter & triginta annis Vnni, qui posthac Vngari dicti sunt, Pannonias repetiisse dicuntur: nam si eorum Annalib. fortasse crediderimus, ab anno salutis quadragesimoquarto supra septingentesimum, à morte verò Atilæ trecentesimoprimo, Constantino Leonis filio imperatore, & Zacharia pontifice maximo. Cæteri verò Scriptores maiori ex parte, quas semel occuparunt, Pannonias nunquam deseruisse tradunt. Quod in superiore libro, ex Longobardorum bello facilè coniici potest, quibus cum Vnni, qui & Auares dicti sunt, longum sæpe fœdus Cachanno rege icerunt, sæpeque exacto fœdere magna bella gessere. Auares, quum sedes sæpe mutassent, non tam à rege, quàm ab inconstantia (vt mea fert opinio) sumpsere nomen, & vetustissimi Scythiæ fuere populi, magna cum Vnnis cognatione coniuncti, & pro Vnnis habiti. Sed quum Vindelicos occupassent, Bauari, vt pleriq; sentiunt, à Bois & Auaribus appellati, nonnulli (vt suprà disseruimus) Boioarios eos dixere. Quare destitutas ab Vnnis Pannonias, annos circi-

744.

tertrecentos aliorum adstipulatione, haud facilè reputarim. Neque tantum virium duobus & triginta annis in aliena terra sibi comparassent, vt grauissimum Caroli bellum facilè sustinerent, neque sedes vacuas inuenire potuissent, nimia vbertate & benignitate cœli non modò à finitimis, verumetiam à remotissimis gentibus expetitas. Neque eorum inficiantur Annales, exinanitas in reditu reperiisse sedes, quippe quas ex parte Sarmatas, quos Polonos dicimus, tenuisse testantur, Suathemq; Polonum Marothi filium, vt infrà referetur, ad Danubium inuenisse latè dominantem. Vnni igitur & maiorum hortatu, & eorum qui remanserant, literis memoriaq; perciti, è reconditis ac asperis Scythiæ sedibus, iterum emigrare constituunt, & cognatos sibi populos repetere planè decernunt. Emigrationis stato die turmatim prodeunt, liberos, vxores, pecora, & vniuersas denique facultates abducunt. Superato Tanai, per Roxolanos, Sarmatas, Amaxobios & Tauroscythas iter facinnt. Per diuersas gentes agmina ducebantur, quum innumera multitudo simul iter facere non posset, in itinere manus iniuriis abstinebat, easque propulsare potius, quàm prouocare videbatur. Sæpe dum aquatum & lignatum viri irent, ab incolis regionum aliquid inferebatur incommodi, quod dissimulatione potius quàm ferro, ne quo fortè bello retinerentur, vlciscebantur. Tanto Pannoniarum desiderio trahebantur vt legitimam curandis sæpe corporibus quietem denegarent. Iam in Basternarum & Chumorum gentem sanè peruenerant, & in Bessos & Albanos latè diffundebātur, quum longo itinere defatigati de quiete cogitabant. Multi Siculos, qui extremam Daciæ partem cum Atila occuparant, & hucusque tenuerant, quam Trāssyluaniam nunc appellant, his in Roxolanos vsque, audito cognatorum aduentu, & Amaxobios, quos nunc Ruthenos Rossiósve dicūt, occurrisse referunt. Quum sub Amadocis & Peucinis montibus, longo itinere defatigati substitissent, & de incolendis his locis fortè decernerēt, tanta è montibus aquilarum multitudo defluxit, vt non solùm equos & pecora cætera vnguibus rostrisq; peterent, verumetiam epulas è mensis eriperent. Quo quidem augurio statiua mouere persuasi (tres in superandis montibus menses fortè cōtriuerant) diuinaq; numina sequuti, in Transsyluaniam, in Vngariæ finibus positam penetrarunt. Quod quamuis Basternæ, Peucini, Albi, Chumani Bessiq; iniquè tulissent, Vngarorum tamen impetum coercere nequiuerunt. Quum in hac extrema Daciæ parte constitissent, non præteribat eos auita regna recuperare non posse, neque recuperata seruare, ni more maiorum cuncta vi armisq; agerent, finitimorum impetus assiduo bello coercerent. Quare omneis militiæ compotes in septem castra diuisere, septem quoque proposuere duces, addidere præfectos legionum, centuriones & decanos, vt ritè omnia gererentur. Exercitus quisque ex triginta milibus hominum, & octingentis quinquagintaseptem planè constabat. Nam in hac secunda Vnnorum emigratione, ex centum & octo tribubus ducenta & sedecim hominū milia, forte educta sunt, vt liberos & vxores cum fortunis tutos haberent. Septem castra pro exercituum numero diuisa, vallo ac fossa altissima muniuere. Quin & regio illa, in hodiernū vsque diem Septem castra nominantur. Septem duces, non solùm pro se quisque castra diligentissimè custodiebant, verumetiam certatim fines, reiectis finitimis, ampliare nitebantur. Sed Arpadus Almi filius, ne minus quidem viribus & diuitiis, quàm nobilitate, cæteris præpollere videbatur. Matrem Almi, quum grauida esset, aquilam per somnium in gremio, reclinato capite iacentem, vidisse memorant, & mox ex vtero eius fluuium erupisse, eumq; quo longius per aliena loca flueret, eo maiora sibi augmenta fecisse. Ne mulier quidem est se & è somno frustrata, quando ex hac, gloriosa regū multitudo, in aliena terra defluxit. Quare Almus hinc editus, ab almo, quem Vnni somnum dicunt, nomen accepit, cuius longissimam prosapiam referunt. Almus enim ex Elendo, Elendus ex Vegeco, Vegecus ex Edo, Edus ex Chaba, Chabas ex Atila. Atila ex Bendecūco, Bendecucus ex Turda, Turda ex Stemene, Stemenes ex Etheo, Etheus ex Opo. Opus ex Cadica, Cadica ex Berendo, Berendus è Sulthano, Sulthanus

ex Bul-

ex Bulcho, Bulchus ex Balugo. Balugus ex Zambure, Zambur ex Lechele, Lechel ex Leuenta, Leuentas ex Chulcha, Chulchas ex Ompude. Ompudes ex Miſce, Miſces ex Mica, Micas ex Bezture, Beztur ex Ruldo, Ruldus ex Canado. Canadus ex Bucene, Bucenes ex Bondoſardo, Bondoſardus ex Sarcante, Sarcans ex Othmare, Othmar ex Radare. Radar ex Belere, Beler ex Cheare, Chear ex Cene, Cenes ex Cheledo, Cheledus ex Dama. Damas ex Bora, Boras ex Hunore, Hunor ex Nembrotho, Nembrothus ex Chuſe, Chus ex Cham, Cham ex Iapheth, Iapheth denique ex Noe natus eſt. Præterea Almus Arpadum genuit, ex quo Zolthan. Et ex Zolthan Toxus ortus eſt. Genealogiã hanc 10 vnde ſcriptores Annalium Vngaricorum expiſcati fuerint, niſi aut commenta ediderint, aut à maioribus per ætates ad poſteriorum cognitionem iſta peruenerint, nondum compertum habeo. Et illud admodum mirari videor, quum propriis iſti ſcriptoribus caruerint, quibuſnam monumẽtis in Noe genus (quod neque Græci, neque Latini verè factitarunt) referre poſſint. Priſcarum fortaſſe more gentium, parentes iſta liberis per ſuccedentia ſecula tradidere, quemadmodum de Longobardis ſuprà retulimus. Sed vt ad hiſtoriam redeamus, Almus vir Vngarorum ſanè clariſſimus, Pannoniam, veluti promiſſionis terram, intrare non potuit, in Tranſſyluania nanque cæſus eſt. Quare aliquandiu Vngari, antequam Pannonias penetrarent, hîc inter munita, quæ diximus, caſtra, 20 vnà cum pecoribus ac liberis quieuere, dum ne ingrata quidem ibi ocia traherent, Pannoniarũ vbertas, & Danubij ad aures fama peruenerat. Ad explorandam igitur regionem tot votis optatam, habita concione, Cuſidum Chundi filium, ingenio ac viribus iuxtà pollentem, mittendum eſſe decernunt. Cuſidus miſſus cum paucis comitibus, Carpathias in primis alpes ſuperat, deinde quum in ſpaciantes Daciæ campos deſcendiſſet, traiecto Tibiſco, per Metanaſtas iter faciens, ad Danubium vſque peruenit. Profuſiſſimam regionem, vbertatem ſoli, Danubij parentis commoda, cœliq; clementiam admiratur, neque temere maiores in Pannoniis ac Dacia conſtitiſſe conſpicatur. Suathem Sarmatam, & Marothi filium, in Pannonia latè regnantem adit, cauſam aduentus & mandata 30 ſingillatim exponit. Quum à peregrina gente nouas ſedes poſtulari accepiſſet, ne mediocri quidem lætitia Suathes afficitur, legatum hilari animo excipit. Ratus nil ſibi commodius accidere potuiſſe, quàm regionem feraciſſimam exhauſtamque incolis ab Vngaris, quam ruſticam gentem eſſe opinabatur, inſtantiſſimè poſtulari. Quare ſe peregrinam multitudinem lubenti animo recipit excepturum, agriſq; ac ſalutaribus etiam ſedibus ampliſſimè donaturum, deinde legatum honorificè donatum dimiſit. Cuſidus voti compos, nigri ſoli glebã, item herbas, & aqua Danubij lagenam, ad indicanda regionis commoda, in ſeptena caſtra retulit. Arpadus inſpecta terra, herbis & aqua, aduocata concione, omnia è ſententia eueniſſe profatur: ex telluris & herbarum indicio, regionis clemen- 40 tiam & vbertatem auſpicatur. Mox cornu aquam infudit, altáque voce, Mars pater (inquit) tuq; parens Hercules, quorum auſpiciis, maiorum exemplo, almas tam procul Pannonias petiuimus, perpetuas has nobis ſedes cõcedite. Veſtram hic gentem ſiſtite, erroribus noſtris finem imponite, Danubiumque patrem nobis perpetuò conciliate. Ita denique veſtris numinibus nobis ſemper adeſte, ne ab infeſtis finitimis obruamur. Immo quãdo veſtris auſpiciis ductuq; militamus, eas pręſtate vires, vt deorum & hominum propugnatores vbiq; gentium prædicemur. Hæc præfatus, Marti ac Herculi progenitori Iſtrianã aquam ex more libauit. Multaſque victimas patriis diis, per ſingula caſtra mactari edixit, ter ab omnibus feliciter acclamatum. Poſt quatuor dies frequens conuen- 50 tus in Vngaros habetur, vbi omnium cõſenſu planè decernitur, eundem virum ad Suathem remittendum, qui vt à Pannoniæ principe terrã, herbam & aquam impetret, Vngarorum nomine, candidum equum ephippio frenóq; aureo cultum ei dono det, in grati ſemper obſequij ſpeciem. Legatus quum ad Suathem rediiſſet, equumque dono dediſſet, rem vſqueadeo gratam illi feciſſe viſus eſt, vt terræ amplitudinem pro arbitratu ſuo impetrarit. Quum ad ſuos rediiſſet,

m

ritè omnia retulit, à rege callidè impetrata, & nimia quadam animi (ne dono superarent) liberalitate concessa. Hi tunc audaciam concipiunt, Arpadus cũ cæteris ducibus inuadendas esse Pannonias censet, veluti hæreditario iure recuperandas. Refectis corporibus, arma parant, ad præstitutum diem statiua mouent. Quum montes Carpathios transcẽdissent, Danubioq; appropinquassent, legatum ad Suathem tertiò mittendum censent, qui septem ducum nomine significaret, vt terra, quã equo vendiderat, extemplo decederet. Quãdo Vngari, Pannoniam tellurem equo, herbam freno, & ephippio aquã mercati, & is hæc tria, immodica cupiditate abalienarat. Ad hæc ille subridens, equum lignea claua collidendum esse refert, frenum in prata, ephippium in Danubij fluenta proiiciendum. Contrà Vngarorum nuncius, Quid (inquit) illis hinc mali facies, quippe si equum cedere iusseris, nostris canibus escam obiectabis. Si frenum in prata deieceris aureum, aliquem è nostris pabulatum fortè proficiscentem, insperata inuentione ditabis: si autem in fluenta stramentum demiseris, piscatores fortè beabis: nihil igitur ex hac re lucri facis. Proinde si solum, herbam & aquam mercati sunt Vngari, omnia coemisse vidẽtur. Suathes his auditis, in tristitiam repentè conuersus, delectum habet, tumultuarias quoque copias præ timore nimio comparat, auxilia vndique cogit. Comparato exercitu, trans Danubium castra locat, haud procul ab Vngaris, prodit in hostium quandoq; conspectum, & per leuis armaturæ milites pugnam aliquam auspicatur. Concepta tandem audacia, cum Vngaris, infestis signis planè congreditur. Facto statim asperrimæ gentis agmine, inclinata acie terga vertit. Dum ad Danubium cum suis passim fugientibus sese recipit, instantibus hostibus, dum præpropera festinatione amnem retro natare cõtendit, cum maxima Sarmatum manu sanè demergitur. Cæteri in vlteriore Danubij ripa cæsi sunt, perquam ab his pauci capti. Vt pacatiorem regionem haberent, his tantùm ignouisse placitum est, quos linguæ commercia conciliarunt. Nam multi Vnni, qui post Atilam in Pannõnia remansere, Suathis castra sequuti fuerant, nescientes eos sibi esse cognatos. Quum Scytharum mos esset, vt quamuis plures in expeditione duces essent, vnus tamen potissimus haberetur, qui in ducendo exercitu præcedebat, contrà in reducendo subsequebatur: Arpadus inter cæteros principatũ obtinuit, profligatis incolis, traiecto Danubio, in monte, cui Noe nomen est, castra posuit, haud procul ab Alba. Quam diuus Stephanus, Vngarorum rex Hercle sanctissimus, & Arpadi genere natus, haud immemor suæ gentis, quæ ex auspicato in hoc loco consederat, ædificauit. Sed nequaquam ab re fortasse fuerit, si ducum ritè nomina prosequemur, vnde nobilissimæ pleræq; Vngarorum familię promanarunt. Zobolchus dux alter dictus est, vnde Chiaciorum gens magna defluxit. Hic in Pannoniæ agro consedit, vbi Chiacuar fuit oppidum à Chacis ædificatum. Var enim lingua Vngarica, oppidum significat. Id prius Zobolchum dictum, à Zobolcho conditore nomen accepit, deinde Chacuarum appellatum, quod deinde Andre, Bele, & Leuentè temporibus, communi omnium Vngarorum consensu deletum est. Giula tertius dictus est, vnde Giulam Ladislai filium nominatum fuisse ferunt. Hic in Transsyluania, quum venatum proficisceretur, syluasque discurreret, Albam vetustissimam vrbem, multa Romanorum monumenta referentem, succrescentibus vndiq; vepribus & arbustis occupatam inuenit. Antiquitatem veneratus, adempto situ instaurare cœpit, quã nunc Albam † Iulam appellant, non tam à Iulio, quàm à Giula Vnnorum duce nominatam. Saroltha huic erat filia, præstánti specie, proceraq; statura, à multis sæpe principibus postulata, quã Geysa dux, Beliudi cõsilio & ope, qui Chiulanum agrum latè possederat, vxorem duxit. Chulas enim filiam Belindo desponsauit, vt aduersus Cheam fratrẽ arma moueret. Quod quum fecisset, soceri iussu, post eius obitum, legatum sibi Chulanum agrum vẽdicauit. Hinc tertius Giula defluxit, qui quum Vngaris infensus esset, diui Stephani viribus adactus, in Pannonias emigrauit. Quartum ducem Chundum dixerunt, cui duo fuere filij, Cusidus & Cupan, qui quum prope Nyrin amnem castra fixissent, ad ortho-

Chakiorum origo.

Alba Iulia à Giula duce dicta.

ad orthodoxam vbi fidem peruenere, nobile cœnobium erexerunt. Quintus Lehel vocatus est, qui eiectis Bulgaris, Mysiam occupauit, qui cum Boemis linguæ commercio planè cõiuncti sunt, ibiq; diutius habitasse fertur. Hinc Zuardorum familia promanauit. Sextus dux Verbulchus, ad lacũ Pannoniæ, quem Balatonem nunc appellant, castra locauit. Vrsus verò septimus, in Seio agro constitit. Cætera verò Vngarorum genera, pro arbitratu suo, sibi sedes vltra citráque Danubium inuenere. Et ab initio Daciæ vsque ad Illyricum, & à Noricis & Germanis vsque in Getas, extremosq; Mysios effusi, patentissimas (quas diximus) regiones inundarunt. Præter ducum familias, innumeræ quoque aliæ fuerunt, pari nobilitate certantes. Postquã Vngari generatim per vicos oppidaq; diuisi sunt, ad subigendas in primis prouincialium hostium reliquias sese conuertunt, nec prius arma deponunt, quàm Pannonias pacatas efficiunt. Cum Vnnis & Auaribus, qui prius venerant, sese coniungunt, vnam rempublicam statuunt. Sub iisdem signis, pro cognationis iure commilitãt, finitimorum iniurias communi fortuna propulsant, & propagare Scytharum imperium omnino decernunt. Composita igitur republica, & sedibus tributim a Septemuiris iam distributis, ad propugnandam in primis Vngariam, Martialis ludicri aream, ingenium intendunt. Ex eo deinde tempore magna prouinciarum facta confusio, quibus pro mutatione rerum, coercere & amplificare terminos sæpe contingit. Quare Vngaria, vtranque Pannoniam, Danubij ripas nequaquam olim excedentem, item Iazyges, Metanastas ac Daciam, hac Scytharum redundantia latè complectitur. Ineptissimos Vngarorum annales hic detestari licet, quippe qui bella multa memoratu digna, quæ cum Germanis & Gallis gesta sunt, propliana quadam obliuione prætermisere. Nos autem hanc temporum iacturam ex Leoprando, cæterisq; scriptoribus, quantum in nobis situm est, resarcire conabimur. Dum occupatis vniuersis ferè Pannoniis, Vngari in nouis sedibus se componunt, regionem pacant, irruentiumq; finitimorum impetum, tanquam ab hostibus vndique circumuenti, coercere nituntur. Carolus, ex cognomento Magnus appellatus, non modò rex Francorum, sed Romanus Imperator deinde creatus, grauissimum in Italia bellum, Romani põtificis gratia, aduersus Longobardos ea tempestate gerebat. Nam quamuis semper variis expeditionibus distraheretur, omnes tamen mira prosperitate transegit. Non solum inauditam animi magnitudinem, summamq́ue sapientiam in diuo Imperatore recognoscere licebat, sed religionem diuina & humana illi patrocinia suggerentem, cum ineffabili sanctitate coniunctam, in tanto principe quisq; poterat intueri. Aduersus Vanfredum Aquitaniç ducem, qui à regia fide defecerat, adhuc adolescens à Pipino patre missus, Barbonium Clarumq; montem, & multa oppida expugnauit. Feliciter ita pugnauit, vt Aquitaniam, in qua pater æstatibus octo belligerarat, Francorum ditioni stipendiariam fecerit. Mortuo Carlomanno fratre, quum Bertha eius vxor, præ nimia, qua in Hildegardam Caroli coniugem ferebatur, inuidia, Andoarij consilio, vnà cum liberis ad Desiderium in Italiã planè profugeret, vt Longobardorum viribus, ab Adriano pontifice maximo, filij sui reges Galliæ approbarentur, maximum, inter Francos & Longobardos diu concepta simultas, bellum excitauit. Desiderius pontificem ratus, in Gallorum inuidiam, nũquam Carlomanni filios reges approbaturum, belli necessitate eum adigendum esse decernit. Quare coacto exercitu in Rauennates castra mouit, Fauentiam, Ferrariam, Comadum vi cepit. Pontifici ablata repetenti, legatis sæpe respondit, se de pace nihil, nisi cum pontifice prçsente acturum. Archiepiscopus, tresq; tribuni Rauennam pro viribus tuebantur, subsidium quotidie à pontifice postulabat. Interea montẽ Feretrum, Vrbinum, Senogalliam, Eugubium Longobardi cepere. Quin per varia loca latè discurrunt, Vmbriam passim populantur, & Spoletum vsque perueniunt. Legatos pontificios iterum re infecta dimittunt, vrbis Romæ obsidionem interminantur. Adrianus vrbem munire non desinit, mox treis ad Desiderium episcopos mittit, qui Desiderio, si Romanorum fines hostili manu ingrediatur, sub

Zuardorũ familia.

anathemate ignem & aquam interdicant. Quod vbi factum est, pudore quodam rex confusus, Ticinum se recepit. Ad quẽ mox Caroli Legati venere hortantes, vt oppida, quæ pontifici rapuerat, vltrò redderet, sed re infecta ad Carolum rediere. Succensus ira admodum Imperator, magnis viribus in Italiã contendit. Desiderius coactis vndique auxiliis, Francos aditu prohibere conatur. Partem copiarum Carolus, per montem Iouis iter facere iubet, ipse per montem Cinisium ingredi statuit. Hostis Italiam à Francis adiri nunquam posse sperabat, partim propter ea præsidia, quæ aditibus singulis imposuerat, partim propter auia loca, & hostibus ferè inaccessibilia, quæ quidem duo Desiderium sanè frustrata sunt. At vbi Carolum cum magnis exercitibus Italiam penetrasse cognouit, dimissis auxiliis, se Ticini cõmuniuit. Adalgisium filium, & Bertham Carlomanni vxorem cum liberis Veronam misit. Carolus quum in Transpadanam regionem descendisset, Desiderij causa Ticinum mox obsidet, vniuersumq́; agrum populatur. Quod vbi Spoletani & Reatini cognouere, extemplo diuo Petro, pontificiæq́; ditioni sese dedunt, in Petrique basilica barbam capillosq́; deponunt. Hildebrandum Longobardorum nobilissimũ, Adrianus Spoletanum ducem declarauit, cuius potestas Furconenses nunc Aquilanos, Valuenses, Pinnenses, Marsos, Picentinos, Reatinos, Interamnensesq́; complectebatur. Omnibus quoq; Longobardis Romam transmigrare volentibus, vicus in Vaticano pontificis auctoritate datus. Parem quoque pontifici ea tempestate deditionem fecere, ex Picentibus Firmiani, Auximates, Anconitani, qui in Petri basilica, barba crinibusque detonsis, fidelis obsequij iuramento, vt Spoletani fecerant, adacti sunt. Carolus Bernardum patruelem, cum magna parte copiarum, in Ticini obsidione dimisit. Ipse cum vxore ac liberis, quos è Galliis euocarat, Veronam proficiscitur, vrbem sine cunctatione in potestatem suam redegit. Quando Bertha cum liberis Carolo statim se dedidere, Adelgisius Desiderij filius, ad Constantinum Imperatorem aufugit. Omnes Transpadanæ vrbes, facta spõte deditione, in Caroli ditionem peruenere. Quum ad Paschæ solennia, Romam cum vxore liberisque venisset, pontificis pedes perreuerenter deosculatus, cum eo ac vniuerso collegio sacerdotum, basilicas & cuncta templa lustrauit, perpetuum eum Romana ecclesia fœdus icit. Donationem à Pipino patre factam vltrò confirmauit, in qua Liguria cum Corsica insula continetur. Surrianum adiecit, montemq́; Berthecum, quæ loca inter Lucam & Parmam sita sunt, item Parmã & Regium, Mantuam & montem Silicis, ac vniuersum deniq; Rauẽnatem Hexarchatum, præterea Venetiam & Istriam, quæ Foroiuliensis ducatus erat, post Spoletanum Beneuentanumq́; ducatum adiunxit. Ticinum reuersus, Desiderium in deditionem accepit, eumq́; Leodium relegauit. Papiæ ac Mediolano Francos præfecit, qui Lõgobardos ad Alpes vsq; diffusos bene regerent, pacatosq́; seruarent. Necnon & Beneuentanis, Foroiulianisq́; Longobardis, è Francorum gente viros præposuit. Bertham cũ liberis secum in Gallias reduxit. Festinauit eius reditũ Saxonum dira rebellio, quos sæpe domitos, vix annis tribus & triginta ad imperium, & orthodoxam fidẽ redigere potuit. Item ad Lippiam amnem Heresburgium erexit, ac ne quid noui moliri possent, validissimum præsidium imposuit. Interea Saraceni, qui Aquitaniæ fines incolebant, vt à suo rege deficerent, auxilium à Carolo postulabant. Quod vbi is accepit, habito ingenti delectu, cum maximis aduersus Hispaniam copiis contendit, obsedit continuò Pampilonem vrbem amplissimam, eamq́; diu obsessam, & tandem vi captam funditus euertit. Dehinc superatis Pyrenæis montibus, peruenit Cæsaraugustam, quorum ingressu ita trium regum, qui Saracenis præerant, animi sunt consternati, vt suis viribus planè diffisi, Carolum muneribus exorandum esse censuerint. Ibualas, Denises & Alatius, Saracenorum tunc reges erant. Bellum hac conditione diremptum, vt Hispania citerior & Vasconia Carolo dimitteretur, ipsi in vlteriore Hispania imperarent. Ecce iterum rebellant Saxones, gens bello aspera, & à diuino cultu nimis aliena, quod bellum, decẽnio quidem, & vario euentu gestum. Perdomiti tandẽ sunt Saxones. Et

nes. Et Britones, qui Galliæ oram accolebant, in Caroli ditionem concessere. Aragisius dux Beneuentanus, dum Campaniæ vrbes Cõstantinopolitano subditas imperatori, & deinde Pontifici, sibi vendicare studet, Caroli iussu ab incœpto destitit. Qui quum paulo pòst Salerni diem nouissimum obiisset, mox filij cum finitimis Græcis bellnm ineunt. Nam adhuc Constantinus imperator & Leo, quęcunque à Neapoli & Siponto, quam nunc Manfredoniam dicimus, inter Superum Inferumq; mare continebantur, sub ditione sua vnà cum Sicilia retinebant, quin & Neapolis adhuc Græcis fidem inuiolatam planè seruabat. Hac quoque tempestate Constantinus, quamuis paulo antè paratam in eos ma-
10 gnam classem per naufragium amiserat, in Bulgaros tamen bellum redintegrat, qui occupatas Danubij ripas in inferiore Mysia; obstinatius inuitis imperatoribus retinebant. Bulgari postulata pace, quam ob imperatoris morbum facilè impetrarunt, destinatum bellum dirimunt. Sed intellecta Constantini feritate, animiq; malicia, qui non humanitatis gratia, sed morbi necessitate pacem dederat, bellum instaurant. Constantinus ægritudine lenta nondum grauatus, cum multis cohortibus, & ingenti equitatu, Bulgaros per Thraciam temere vagantes adoritur, incautos magna strage profligat. Cæsis fugatisq; Barbaris, triumphans Constantinopolim ingreditur. Diro deinde elephãtiæ morbo increbrescente correptus obiit, eum quidem sortitus interitum, qui facinoribus suis non
20 fuit indignus. Huic Leo quartus hæreditario iure successit, legataq; naturæ iure à patre vitia, si per vitam licuisset, longè spectatiora reddidisset. Ad coercendas Saracenorũ incursiones in Syriam profectus, turpissimè rediit. Sacram coronam in sanctæ Sophiæ sacrario reconditam, publicè ferre, lapillorum amore non erubuit. Dum apud Carolum, & Constantinum quintum ac sextum hæc ita geruntur, Vngari regnum non modò pacauerant, sed cum finitimis plerisq; bella nequaquam contemnenda gerebãt. Multos iure societatis initæ, sibi conciliare, nonnullos cædibus & rapinis lacessere, à potentioribus pacem quandoque mercari, per sociorum amicos iter facere, latius longiusq; populari, omnes vicinos pro viribus exterrere, hos vi, officio illos, ne circumstantium populo-
30 rum bello obruerentur, assiduò remorari, omnia demum agere, vt occupatas vi sedes, vi quoque retinerent. Sed nil eis inauspicatius accidere potuit, quàm Caroli Magni temporibus, qui cum gloriosissimo quoque, vetustate cõferri poterat, sui regni auspicia captasse. O quanto faciliùs & fundare imperium, & fundatum propagare potuissent, si in ea tempora non incidissent. Arduum nanque erat, ac perquàm difficile, tunc aliquod regnum fundari posse, quum is cui diuinitus erat ampla data potestas, latissimè dominabatur. Circa Vngarici regni principia, præter ea quæ de Chacanno Vnnorum rege diximus, grauissimũ inter Vngaros & Francos bellum exoritur, quod sensim & gradatim à Bauaris sumpsit initium. Nam Saxonibus Britonibusq; domitis, cum exercitu Carolus
40 Italiam repetit. Quum Beneuentanum ducem cum Adriano pontifice, ne satis quidem bene se gerere intellexisset, reuisa Roma, Capuam contendit, positisq; castris, Beneuentanis bellum interminatur, nisi quàm primùm deditionem facerent. Quod quum Aragisius dux accepisset, Imperatoris sæuitiam reformidans, Rimoldum & Grimoldum gnatos, obsidum loco obuiam mittit. Concessa Carolus venia, acceptisq; obsidibus, & pacata Italia, in Gallias reuertitur. Bauaricum deinde suscitatur bellum, quod veluti repente ortum est, ita celeri expeditione confectum. Id enim ex Tassilonis Bauarorum ducis insolentia simul & socordia ortum est, quippe qui dum stultè credit vxori, temerè quoq; dominatum amisit. Huic Desiderij Longobardorum olim regis filia, vxor erat, quæ
50 vsq; adeo die noctuq; virũ vexasse fertur, donec eum impulit, vt ab Imperatore deficeret, vt patris exilium per maritum hoc bello vlcisceretur. Quod eo facilius fieri posse sperauit, si gentem Vngaricam bello acerrimam, Bauarisq; finitimam, in societatẽ ascisceret. Sed quum facile sit vxorio imponere viro, ad Vngarorum duces, legatos Tassilo repente mittit, quibus eos hortatur, & orat, vt pro vtriusque partis commodo societatem secum transigant. Admonens Ba-

uaros & Vngaros, inter duos imperatores, sæuissimosque tyrannos esse positos, eosq; nihil impensiùs curare, quàm sub eorum imperium gentem vtranque redigere. Idipsum Bulgaris, Constantinopolitano tyranno proximis, accidisse, qui quotidiano bello vexantur. Saxones, Britones & Vascones, Aquitanosque Carolo finitimos, id esse perpessos. Pipini filium, totius orbis imperium anhelare. Vtriusque partis esse, propriam libertatem salutemq; tueri, & Vngarorum quàm maximè, qui alienas nuperrimè sedes vsurparunt. Proinde eos orare, vt cum Bauaris vnà perpetuum fœdus ineãt, apud quos optimam semper viciniæ societatem inuenere. Alios iniuriis & incursionibus Scythas affecisse, Bauaros peregrinæ profugęq; gentis commiseratione ductos semper cum Vngaris amicè vixisse. Quin & aliquod cognationis vinculũ sibi cum eis intercessisse, quando Bauari, ab Auaribus Vnnorum cognatis, vnde Vngari orti sunt, progenitores suos habuisse ingenuè profitentur. Quum hoc legati ritè narrassent, vniuersæ gentis conuentus habetur, vbi principes ferè omnes hæc vnà censebant. Finitimorum societatem & amicitiam, non solùm non esse contemnendam, sed quum in alieno solo peregrini sint, vltrò appetendam, & pręcipuè Bauarorum, quibus cum semper amicè quieteq; vixerunt. Quin & aliorum quoque venandas esse societates, vt alienas sedes, quas armis occuparint, officio potius, quam iniuriis & bello retineant. Factum est igitur decretum, vt cum Bauaris fidelissimum perpetuumque fœdus ineatur, quod in sequenti die ritè est cum Bauaris initum. Dimissi honorificè oratores, ictum fœdus referũt, quod vtrisque haudquaquam feliciter euenit. Bauari post hæc, non modò Caroli imperata detrectant, sed bello regem prouocare nituntur. Intellecta horum temeritate, Carolus amplissimum delectum habet, auxilia vndique corrogat. Ipse rei indignitate commotus, cum maxima parte equitatus, ac duabus legionibus, ad Lechum amnem properat, qui ab Alemannis Bauaros dirimit. In ripa fluminis castra locat, & dum cætera hic præstolatur auxilia, Tassilonis ducis animum per legatos statuit experiri. Qui vbi ducem inconsultum adiere, amicisq; verbis defectionem eius & inconstantiã corripuere, in resipiscentiam reuocauere hominẽ. At ille facti pœnitentia ductus, quum neq; sibi, neq; genti suæ bene consuluisse reputaret, si qua in Carolum pertinacia vteretur, mutato repentè consilio, supplex sese Imperatori dedidit, se obsides quicunq; iuberentur, vltrò daturum, & imperata facturũ pollicetur. Theodon inter cæteros obsides, filius datus est, quin & iureiurando perpetui obsequii confirmata fides. Quare bello, quod maximũ Hercle futurum videbatur, hic datus est exitus. Tassilo ad Carolum euocatus, quum nulla missione donaretur, Bauaria amplius vti non potuit, cui suos deinde comites Imperator ipse præfecit. Alii alio modo id gestum esse referunt. Carolum aiunt, intercedente Adriano pontifice, cum Tassilone à principio pacem fecisse, eiusque seruandi gratia, obsides promisisse, sed ab eo accersitum, neq; accedere, neq; promissos ex compacto obsides dare voluisse. Quare Carolum maximo cum exercitu venisse Augustam, primariã Vindelicorũ vrbem, diuiso in partes treis exercitu. Eum cum vna parte copiarũ, in loco cui Lothfredo nomen est, locasse castra: alteram partem, quę ex Austrianis, Turingis Saxonibusq; cõstabat, ad Saringam Danubio adiacentẽ consedisse. Pipinum filium, cum Italicis copiis, ad Tridentum & Banzanum † consedisse. Ast vbi Tassilo se ab imminentibus tribus vndique exercitibus circumuentum conspicatur, deditionem, ne maiora mala subiret, continuò fecit. Datis cum Teodone filio obsidibus, Carolum adiit, à quo aliquãdiu remoratus, desperata tyrannide, quum se apud Francos ludibrio intelligeret haberi, monasticam cum filio religionem spontè subiuit. Ea quoque tempestate, quum Constantinus sextus, Carolum Bauarico bello implicitum intelligeret, omnes quos adhuc in Italia sub ditione sua Græcos retinebat, Spoletani, Beneuentanique ducatus fines, hostili manu inuadere iubet: rapinas quoq; pecorum hominumq; iuxtà agere, ferro ac incendio cuncta vastáre. Qui dum imperata faciunt, ab Aterno amne, quem nunc Piscariam dicimus, ad Beneuentum vsque omnia populantur. Verùm quum his Hilde-

† Bolzanum hodie.

Hildebrandus Spoletanus, Grimoaldusque Beneuentanus dux, tumultuario mox exercitu occurrissent, tali Græcos strage affecerunt, vt longo pòst tempore vltrò quieuerint. Quum res Caroli bene succederent, secundum Bauaricum tumultum, bellum Sclauis indictum, quos Galli Viulzos, ipsi verò se Welatabos appellãt. In qua quidem expeditione, magna à Saxonibus auxilia, sub veri prætextu obsequij missa sunt. Causa belli fuerat, quòd Obodritos Francorum socios, calamitosis incursionibus infestarant, neque minis, neque precibus, neque Caroli denique imperio coerceri poterant, quo minus eos armis sæpe lacesserent. Sinus quidam ab Oceano in Orientem fortè porrigitur, incompertæ
10 quidem longitudinis, latitudinis verò longè diuersæ, hunc innumeri populi accolunt. Daui, & Suecones, quos Nortmannos vocamus, alii verò Rusios, septentrionale latus, & omnes eius insulas possident, australe verò, Sclaui & Aisti, diuersæque nationes, ex quibus vel præcipui erant Inieletabi. Quibus quidem Sclauis Danubium accolentibus, indictum tunc à Carolo bellum, vna tantùm æstate confectum est, omnium verò maximum, præter Saxonicum. Huic bello successit Vngaricum, diutinum quidem & horribile, quod octo annos durasse ferunt. Gens enim Scythica, & Vnnorum præsertim, qui semper in patriis alienisq; sedibus longè lateq; dominari consueuerant, iugi impatiẽs, & bello indomita, haudquaquã facilè perdomari poterat. Quare bellum quanto formidolo-
20 sius, tanto animosiùs atq; apparatiùs à Carolo initum est. Pannonicã is expeditionem, vtpote quæ maximi foret momẽti, per se suscepit, cæteras per Pipinum filium, variosq; legatos in Vngaria gessit: & antequã prouincia pacaretur, multum sanguinis vtrinque diffusum. Quot prælia in eo conserta, quot & quantæ clades vtrinq; patratæ sint, exinanita adhuc Pannonia planè testatur. Quin & locus, vbi Cachan rex sibi regiã habere solebat, ne minima quidem adhuc vestigia seruat. Hinc tota Vngarorum nobilitas concidit, hinc vires omnes exhaustæ, & exinanitum ærarium, tot populorum spoliis, tot hostium exuuiis, tot gentium rapinis antè refertum. Franci, qui quondam exiguis facultatibus fuerãt, hinc ita ditati rediere, vt Gallias opibus latè compleuerint, quod rerum vi-
30 cissitudo facilè passa, quando quæ aliis eripuerant, amisere Vngari. Tantum auri & argenti in eorum regia repertum, tam preciosa in præliis erepta spolia, vt ne plus quidem prædarum è Macedonico bello, Paulum Æmilium retulisse putent. Sed tamẽ gens Vngarica, tanta strage & rapinis affecta, nullo vnquam bello deleri, vel Pannoniis eiici extirparique potuit. Quin & succisa frequentius, ita tempestate nostra repullulauit, vt non modò parta tueri, sed ab Adriatico ad Sarmaticũ, & à Vindelicis ad Euxinum vsq; mare, imperãte diuo Matthia Coruino, propagarit imperium. Vngari igitur, quum Carolum corrogatis è toto Occidente auxiliis, in se irruere cognouissent, pusillanimitatem ac stulticiam Tassilonis ægrè tulissent, quòd ipsis insciis, hosti præ timore se dedidisset, fortunas
40 & vxores cum liberis, imbellemque omnem ætatem in Danubii insulas redegere, easq; vallo castellisq;, impositis vbiq; præsidiis, muniuere, nec vrbes sibi erant, quibus tutius sese tueri possent. Quod vbi factum est, coacto ingenti exercitu, ad tutandos superioris Pannoniæ fines, Francis obuiã occurrêre. Carolus intellecto Vngarorum apparatu, in Danubio apud Vindelicos classem comparat, cui multas cohortes cum commeatibus imponit, cæterasque copias cum equitum turmis se terra subsequi iubet. Classem secundo amne demittit, non modò Danubii alueum, sed ripas vtrasque, Francorum exercitum latius inundasse cernere erat. Quum nihil inconsultis inexoratisq; numinibus rex ageret, quum hostium fines, caputq; Pannoniæ superioris attigisset, quando cum pro-
50 phana gente, & Christiani nominis inimica, sibi res erat, solennia triduo sacra in frequentissima militum concione operatur. Piis precibus Iesum Christum optimum maximum, & vnicum humani seruatorem generis, omnes inuocare ex edicto iubet. Cuncta, sacris ritè peractis, numina sibi æquissima & propitia reddit. Et diui præ cæteris Martini numen exorat, vt sibi suisque Gallis apud quos & viuere dignatus est, & vita defunctus quiescere, ac pro mirabilibus

meritis pientissimè coli, prȩterea Pannoniis vnde ortus est, semper adesse velit, néve natale solum patiatur semper, bellorum esse aream, Barbararumq; gentium ludibrium. Vel si quo peregrinam nationem fato ibi patiatur, quum tot populorum incursionibus ac bellis sit exhausta; incolas; quicunque fuerint, ope laboreque Gallorum, qui eius numini sunt addicti, in orthodoxam fidem asseri iubeat. Sacris ritè peractis, captatisq; auspiciis; in sequēti die castra pariter cum classe mouet, ac hostibus appropinquat. Qui vbi omnia hostili manu latè completa prospectāt, desertis stationibus, quas in finibus disposuerant, quum se Gallis impares fore intelligerent, retro se suosq; lintres intra Rabam fluuium recipiunt, apud veteres quondam Arabonem nominatum, Iauriumq; prȩterfluen- 10 tem, qui superiorem ab inferiori Pannonia diuidebat. Quum Carolus eos terga vertisse sensisset, cum expedito insequitur equitatu, palantes multos intercepit, pagos & oppida destituta succendit. Hi in oppositam partim insulam se recipiunt, vt liberos, vxores & fortunas tueantur, partim ad Arabonem, vbi nunc Iaurinum est, & munitis ibi castris, se tueri posse confidunt. Nam quum inter Arabonem & Danubium, ad confluenta castra locassent, à duobus se laterib. vtroque amne tuebantur, à cæteris partibus altissima fossa valloq; se muniuerant. Irruentem Vngari hostem, forti animo prȩstolantur. Carolus cum equitatu & quinque legionibus, Arabonem facto ponte traiicit, multi sine ponte superant, vbi vado transiri poterat, à latere classem per Danubium circunducit, mox pugnȩ signa dari iubet. Castra à Francis obducta, acerrimè oppugnantur, nam 20 primò eminus pugnare hi, vallo, iaculis & sagittis prohibere Vngaros. Contrà illi, telis à fossa reiicere, pars materiam congerere, vt fossam compleant, nonnulli viribus eam superare, sub valloque instantiùs & cominus dimicare. Complendas esse fossas rex exclamat, illi pro vallo & portis audaciùs obstare, classem ripæ admotam repellere obstinatiùs. Sed quum certatim triremis quæq; ripæ appellere niteretur, miserabilis inter Vngaros orta confusio, cui potissimum occurrerent, nesciebant. In ripa res cominus agitur, & ita conferta quandoque pugna conseritur, vt vix agendis gladiis locus esset. Cædes non parua vtrinq; committitur, nonnulli timore mortis in profluentem se proiiciunt, aliqui honestiùs 30 humi inter confertos hostes cadere cupiunt. Quum à ripa validiùs Vngaris pugnare liceret, è classe multos interfecere. Ab Arabone, præ alui altitudine, grauiùs infestari non poterāt. Sed vbi à Gallis fossa vndique completa est, tam perniciosa sub valle pugna conseritur, vt multi vtrinque caderent. Pipinus dum castrorum portis, facto agmine, grauiter insultat, multisq; cæsis penetrare contendit, nimio telorum iactu, equo excussus, à stipante veteranorum multitudine adiuuatur, quod vbi prospexere hostes, adauctis animis, eum mortuum esse rati castris erumpere audebāt. Sed quū prȩtoriana legio occurrisset, à vallo quàm campo certare tutiùs esse censuerunt. Prælium in vesperum vsque protractum, vallum in locis plerisque fractum, castra nisi obstinatissimè restitissent, eo pro- 40 fectò die fuissent capta. Nam ex Vngaris plures, quàm Gallis cecidere, obruti nanque hostium telis esse videbantur. Carolus vt suis parceret, quum eo die satis actum esset, receptui canere iubet. Dirempta pugna, curant vtrique corpora; sed Vngari in statione quisque sua cibum capiunt, quam nemini in tanto periculo deserere licebat. Galli partim fessa quiete membra recreāt, partim ne quid ab hostibus detrimenti inferatur, excubias vbique disponunt. At illi intempesta nocte clàm aduocata concione, inter se quid postero die sit agendum, ex necessitate decernunt. Res Vngaricas ad extrema redactas non ignorant, quando castra tueri posse diffidunt, & quo nam pacto se saluos reddant, ab hostibus vndique circumuenti, haudquaquam facilè prospiciunt. In hanc sententiam con- 50 cessere omnes, vt facta in medio noctis silentio eruptione, fuga salutem quȩrāt, sperantes se locorum notitia facilè euasuros. Hostes eruptione turbatos, sibiq; timentes nequaquam consequuturos, proximos quosque montes sibi non defuturos, vbi propriam salutem propugnare poterunt. Quatuor hominum milia hucusque desiderata sunt in castris, quinto autem die in fuga mille & quingēti
cæsi,

cæsi, sauciorum innumera multitudo, ex Gallis circiter tria millia. Quare media nocte, dato clàm signo prodeunt, in dispositas mox hostium excubias erumpunt, prius custodum maxima pars trucidatur, quàm in castris Gallorũ tumultus excitaretur. Quo vbi omnes experrecti sunt, primò perturbari, sibiq; admodum timere, mox in eos arma capere cœperunt, item credere ad cædem potitius, quam ad fugam erupisse. Iam illi passuum circiter duo milia fugerant, antequam per vniuersa Gallorum castra tumultus effunderetur, præmissis impedimentis, & instructo vtrinque carrorum ordine iter faciunt. Galli adhuc eos castra tenere rati, superato vallo in tentoria penetrãt, ex centone confecta multa præpropera festinatione relicta diripiunt. Mox illucescente die, illos dissimulata fuga euolasse auspicati, celeri cursu subsequuntur, prius quàm eos consequi possent, finitimos Budæ montes occupasse prospiciũt. Quos vbi consedisse vident, & carrorũ circumseptu, pro vallo radices montium cõmuniuisse conspicantur, lentiore gradu progredi cœpere: quò quum venissent, montẽ à planicie castrorum circumductu claudunt, fauces montium cæterosq; aditus, impositis præsidiis obstruũt, inedia potius, quam armis hostem superare cõtendunt. Carolus dispositis circùm stationibus, ita acri cum obsidione adurget, vt neque hinc exire, neq; commeatus inferri queant, quorũ inopia propediem laboraturum esse sperabat. Mox classem vnà cum terrestribus copiis descendere iussam, à ripa Danubii collocat, ne quis exire possit. Duo de triginta dieb. hostis fame absumptus se tuetur, tandem quum nemo pedibus constare posset inedia, deditionem facit. Et eam quam Carolus conditionem obtulerat, accipere cogitur Vngarus. Qui in sacrosanctam Christi fidem vltro se assererent, & vita, & cum fortunis libertate donabantur. Qui in prophana Scytharum religione perstitissent, his adempta cum fortunis libertate, vita dũtaxat permissa. Multi patria religione se exuerunt, ne vectigales forent, & facultates amitterent, pauci diuina charitate succensi. In sequenti tandem die quũ sese dederent, immensus obstinatorum numerus bonis exuitur, cum facilioribus clementer actum. Deinde motis castris ad Budam veterẽ, quam Sicambriã prius appellabant, peruentum est, vbi Chaba rex Vngarorum residebat. Qui quũ per legatos bellũ perquam grauissimum gereret, nimia opum exuberantia præpollens, quas ex multis rapinis ac hostium exuuiis planè congesserat, reformidatis Gallorum viribus, & Caroli fortuna cum sapientia sanè cõiuncta, in munitissima vrbe se tueri posse sperauit. Sed longè aliter atque sperarat, res ipsa obtigit. nam audita vnius exercitus deditione, consternato penitus animo, in diuersa trahebatur. Exhaustam populo ciuitatem retinere diffidebat, & aduersus validissimos hostes commodè pugnare posse desperabat. Ecce vrbs à Gallis circiter centum milibus obsidetur, obsidetur etiam à suis, qui dissimulanter hortantes oppidanos, miserum sibi spectaculum propositum habebant. At illi postulata deditione renitentes, quamuis pro vrbis amplitudine pauci ægrè resisterent, postero tamen die pugnam expectant. Carolus à Danubio nauibus oppugnat, à cætera parte, instructa acie circumuenit. Maximam Vngarorum manum, in primo congressu, Gallicis agminib. anteponit, vt suos prius oppidani, quàm hostes cædere cogãtur. Ciuium pars magna, suos ac hostes æquè tractare, multi longè crudeliùs, remissiùs contrà plerique, & hostem potius admittere, quàm ciuili se sanguine fœdare, itidem factitare dedititij. Tota die pari vtrinque spe pugnatum, inclinante sole Gallis fortuna fauit, quæ Carolum nunquam ferè deseruit: nam dum Vngarorum obiectu protecti tutiùs subnitũtur, admotis scalis, mœnia pleriq; conscendunt. Quod vbi ab imperatore visum, per agmina cuncta discurrens, captam vrbem exclamat, simulque dextra suis ostendit. quare tantus vndiq; impetus elato clamore factus, vt reiectis extemplo ciuibus, vrbem inuaderẽt. Quam vbi captam iri vidêre Vngari, qui superiore die se dediderant, augustam per vicos ac fora misericordiam exclamant, Caroli pietatem ingeminant, suo sanguini parcendũ esse vociferantur. Supplices inter infestas acies sese ingerunt, profusisq; lachrymis vtrinque, vt arma deponantur, exorãt. Deinde mitiùs pugna-

ri cœptum,& intercedentium voces melius exauditæ. Quum pars vtraque sensim cessare occœpisset, eo vehementiùs ad implorandam veniam,& mitem deditionem suos hortãtur. Oppidani desperata publica propugnatione, arma deponunt,& vita se cum vxorib. & liberis donari supplicant. Commiseratio mox victorem incessit, & quamuis è Gallis plerique cecidissent, supplicum tamen precibus vltrò cessere. Munita vrbis loca sibi dari postulant, quæ mox tradita, præsidiis complent, ad portas & fora, multaque compita stationes ritè disponunt, ne detrimenti quid ab Vngaris patiãtur. Carolus vrbem ingressus, regiam sibi dedi postulat. Renitente aliquantulum Chaba rege, arcem cum regia munitissimam,& antiquis tot hostium exuuiis & rapinis sanè completam, deditam tandem accepit. Ærarium auro argentoque refertissimum subinde spoliat, regem in vincula coniectum, & conscia sibi morte peremptum honorificè sepeliuit. Quicquid auri, argenti, Scythicæq; prædæ, tot annos vndique congestæ, Sicambriæ inuentũ est, vna die à Franco ereptum est, priuatæ opes militibus pro dignitate distributæ. Matronarũ seruata pudicitia, nulla vis cuiquam illata, populus vita donatus, & stipendiarius effectus. Pannonia opulentissima populi Romani prouincia, ab extera gente vsurpata, ad Romanum principem redacta. Paucis post diebus, aduocata concione, Carolus populum hortatur, vt Christiana se suosque liberos fide initiet, verum Deum omnium rerũ creatorem,& Seruatorem humani generis agnoscat. Iesum Christum, vnicũ Dei filium intelligere, intellectumq; diligere & adorare conetur, Christianæ religionis dogma sectetur. Martem & Herculem, cæcarum figmenta gentium aspernetur, diuina mysteria discat, quibus animarum immortalitatem adipiscatur, sanctissimam Iesu Christi doctrinam imitetur, ex qua tantùm veritas illuxit. si idolis falsisq; diis renunciarint, recipere se clementissimũ indulgentissimumq; dominum Vngaris futurum, atque Vngaros haud aliter ac Francos benignè tractaturum. Hæc per interpretem eloquutus, paucos inuenit, quos in verã fidem assereret. Prophanam ac obstinatã gentis mentem conspicatus, seueritate potius quàm mansuetudine in eam vtendum esse cognouit. Quare vrbis mœnia primùm deiicere, ne facilè rebellaret, deinde stata vectigalia pendere, arma cuncta tradere,& templa vetera cum idolis demoliri iubet. qui sacrosancta fide initiati fuerant, benignè tractati,& tributorum immunitate donati: qui vt scirent, vbi sacra Christiano ritu facerent, in extrema parte vrbis sub monte, diuæ genitricis Mariæ templum statuit: quo deuotissimè finitimi vndique tempestate nostra populi, supplicatum confluunt,& albæ Mariæ sacellum primùm Christianis in Vngaria nominib. dicatum appellant: idq; lapis adhuc indicat excisus. Deinde pacata vrbe,& composita republica, sapientissimum magnanimumque virum vrbi præfecit, sacerdotes reliquit, amplificandæ gratia religionis, haud ignarus fœdos animos ad veram fidem non facilè posse conuerti. Expugnata Sicambria prouinciæ metropoli, quæ Germanica olim legio dicta, deinde Buda vetus appellata est, vt latè suprà diximus, omnes pagi, & quęcunque erãt vrbes, missis ad Carolum legatis, vltrò imperata se facturas pollicentur. Castra ad Taurinum vsque promouit. Mysias tunc inuadere destitit à Bulgaris occupatas, ne Orientalis imperij fines lædere videretur. Mox per Syrmium retrò castra retulit,& traiecto propè Danubio, per Daciam & Iazyges, Metanastas, ad insulam cum classe rediit, quò maximam Vngarorum partem, cum vxoribus ac liberis fortunisque confugisse retulimus. Hanc adaucta classe circunuenit, tridui oppugnatione, deiectis præsidiis, quæ castellis imposita fuerant, occupauit. Nam insulani iniqua sua fortuna consternati, obstinatiùs resistere verebãtur, ne quid crudelius experirentur,& facilem deditionem sanè distulerant, Danubii vastitate, munitionibusque freti. Quum è Gallis pauci cecidissent, cum victis haud inclementer actum, fortunæ cum armis omnes ademptæ, leges cum præsidiis, vbicunque res tulerat, ritè impositæ. Item præfecti ac sacerdotes qui cõuocato populo supplicarent, sacram legem traderent, & Christianam denique religionem amplificarent. In Vngarico bello è Francorum proceribus duo tantùm occubuere,

cubuere, alter Henricus dux Foroiulianus, in Liburnia iuxta Tarsaticam maritimam vrbem, insidiis (vt aiunt) oppidanorum interceptus: & Geroldus, Bauariæ præfectus, alter, qui quum eductam in Vngaros aciem, equo insidens, ardētiùs hortaretur, interfectus est. Præter hos, incruentū hoc Francis bellum, Leoprandus fuisse tradit, quamuis diutius pro magnitudine sui traheretur, alij cruore pauco factum negant, quando gens fera & indomita haudquaquam facilè superari potest. Sed de Henrico & Geroldo, quod dictum est, id in secunda accidit expeditione, vt paulò inferiùs ostendetur. Lustratis igitur pacatisq; Pannoniis, Carolus insigni victoria præditus, Gallias, & in primis natale solum, cui
10 nunc Franconiæ nomen est, visere decernit. Vbi quum secundum annum ageret, nunciatum est, Saxones, quibus cum tot annos bella gesserat, vt Christi fidem sectarentur, à traditis veræ fidei documentis desciuisse, & in Barbaricam execrabilemque perfidiam recidisse. Quo nuncio vsque adeo ira succensus est, vt nationem perfidam, ab omni pietate alienam, non sine vi, ac magno eius malo, ad resipiscentiam reuocare statuerit. Ne minori quidem obstinatione Saxonum animi obduruerant, quippe qui mori, aut miserrima quæque perpeti mala, quàm verum Deum colere, & imperata facere malebant. Educta vtrinque acie, pari quoque vtrinque pertinacia & crudelitate certatum, sed ea tandem pars effecta superior, quæ iustiore causa nitebatur. Nam è Saxonibus eo præ-
20 lio triginta milia cæsa sunt, terra vbique vastata. Vnde non solùm abducti obsides, principum filii, sed vt eorum vires honestiùs extenuarentur, multæ quoq; ex his in Daciam, Pannoniam, diuersasq; regiones deductæ coloniæ, quarū adhuc innumerę Sarmatiam, vlterioremq; Daciam incolūt. Interea Adrianus pōtifex maximus vita defungitur, defunctoq; Leo vir sanctissimus legitimè subrogatur. Eo quoque tempore, Irene Constantini filii perosa flagitia, à Constantinopolitanis ciuibus impulsa, eum dolo captum, erutis oculis cōiecit in carcerem, vbi nimia percitus indignitate ac rabie, animam efflauit. Dum hæc ita geruntur, ecce grauissimo ac multiplici Romanum imperium bello refluctuat. Saxones enim contempta superiore strage, ac patriæ vastitate, item & Vngari
30 eodem exemplo, à Carolo deficiunt. Præterea Bauari cū his ferè coniurati, proximis Foroiulianis, Longobardis ac Italis, acri bello lacessunt. Ne Saraceni quidem desunt, qui partim ex Barchinone, partim ex Vlyssipone, Christianos incursionibus & rapinis infestant. Omnibus his Carolus prospicere cogebatur, & quando vbiq; vnus adesse non poterat, multa per legatos bella gessit. Pipinum filium in expeditionem Vngaricā delegauit. Henricū autem Francū, quem Foroiulianis præfecerat, à Bauarorum iniuriis Italiam tueri iubet. Aldophondo, Asturiæ Galiciæq; regi Christiano, auxiliares ex Aquitania copias misit, & vt Lusitaniæ Bæticęq; Saracenos armis arceret, orauit. Ad Barchinonenses coercendos ipse contendit, quò quum peruenisset, Zatus qui vrbem sub ditione Sa-
40 racena tenebat, ad Carolum defecit. Qua recepta vrbe, maximā propugnandę citerioris Hispaniæ occasionem nactus est, & grauissimo curatum onere leuatus. Pipinus prouinciā sortitus, in Vngariam contendit. Validissimo quidem exercitu eam ingressus, ingenti audaciáq; animo occurrentes sibi Vngaros adoritur, quos aliquandiu resistentes inclinat, inclinatosq; resumptis animis fundit, fugatq;. Ne satis quidem fuit, hos vno prælio superasse, sed redintegratis sæpe viribus, Herculeæ hydræ more perdomuit. Quos vt in fide confirmaret, hybernare apud Ringinum oppidū in prouincia voluit. Quo quidem tempore Henricus Foroiuliensium dux, Nouiomiri Sclaui ducis & legati sui opera, ab Auaribus, qui cum Vngaris pro veteri cognatione fœdus in eo bello icerant, cumu-
50 latas pœnas exegit, quia Italis bellū inferre tentauerant. Nouiomirus nanq; Ringum, primarium Bauariæ gētis ducem, pręlio superatum occidit. Et quum paulo pòst Cazagon Iuguramque duces, cum copiis vnà in deditionem accepisset, eorum vrbes & oppida hostili more diripuit. Iam res Christianorum vbiq; prosperè gerebantur, & ne minore quidem in Hispania prosperitate. Nam Aldefundus Galiciæ & Asturiæ rex, de Saracenis, qui Lusitaniam occuparāt, cla-

ram victoriam retulit. Vlyssiponem Lusitanorum metropolim, vi expugnatam rapinis militum concessit. Multáque preciosa spolia Saracenorum, ex hac vrbe erepta, ad Carolum, ne victoriæ præmiis redderet immunē, vtputa loricas cassidesque aureas, dono misit. Eo tempore tota Italia, quum Irene rerum Orientalium potita, omnes quos adhuc in Italia populos retinebat, vt Carolo gratificaretur, ciuiliter se cum Romanis & Beneuentanis gerere iussisset, in ocio versabatur. Romanus tantùm populus, noua monstra molitur. Leo enim pontifex maximus, & vir omni doctrina & sapientia præditus, qui clerum & populū sanctissimis semper moribus & documentis excoluit, quum pompam in agendis supplicationibus per vrbem duceret, ad sancti Syluestri ædem, a Paschali Primicerio, Campuloq; presbytero, quorum turpissimam vitam verbis sæpe corripuerat, cum prophana coniuratorum multitudine humi pessundatus, pontificis insignibus exuitur, cui mox linguam cum oculis exeruēre. Mox in diui Erasini cœnobium delatus, Albini cubicularij opera, in diui Petri basilicam relatus, in eo cœnobio linguam & oculos diuina ope Leoni redditos fuisse aiunt. Vinigisius Spoletanus dux, accepto nuncio, cum cohortibus plerisque Romam festinauit, liberatumq; pontificem ad Carolum misit, vt ad pacandas res Romanas, Italiam reuisere hortaretur: à quo perreuerenter exceptus, pacatis rebus, cum maximo equitatu Romā remittitur. Appropinquanti populus Romanus, & omnes ordines, ad pontem vsque Æmylium obuiam congratulatum occurrunt. Carolus compositis in Occidente rebus, classeq; ad piratas inhibendos in Oceano instituta, Aquisgrano profectus, per Maguntinum & Viennensem agrum, item per Noricos & Istrianos, in Foroiulianos peruenit. Vbi quum Henricum ducem, Taurisinorum fraude cæsum offendisset, alium in demortui locum subrogauit, pœnasque cumulatas à coniuratis accepit. Deinde classe Rauennam delatus est, Longobardos Beneuentum incolentes, quum noua in finitimos Græcos moliri sensisset, per Pipinum statim filium, cum tumultuariis cohortibus, ac auxiliaribus copiis bellum composuit. In vrbem Romam singulari pompa admissus, in diui Petri atrio requieuit. Tertio die, frequētissimo sanctorum patrum senatu, eorum causam, qui præter æquum & fas pontificiā maiestatem fœdassent, audire voluit. Perorata vtrinque causa, eos æquè ac reos læsæ maiestatis, capitales esse censuit. Pontifex intercedens, vt vita redonarentur, implorauit. Quare in Galliam, Paschalis & Campulus cum cæteris coniuratis relegati sunt. Ad conuentum Saluatoris nostri natalibus indictum, Pipinus populatis Beneuentanis aduetur, quibus coercendis Vinigisium Spoletanum ducem præfecit, cuius copiis in eo bello auxiliaribus vsus erat. Carolus inter solennia, senatus consulto, scito plebis, populi Romani precibus, & pontificia demum auctoritate, in Petri basilica, Augustali diàdemate, à Leone cū summa omnium gentium acclamatione coronatur: Carolo Augusto à Deo coronato feliciter, Carolo Magno feliciter, Carolo patri patriæ, & pientissimo Christianæ reipublicæ assertori, pacisq; parēti feliciter. Secundum acclamationem pontifex sacrosancto oleo perunxit, ad Pipinum deinde filium conuersus, eum Italiæ regem declarauit, regalibusq; sacris initiauit. Maior deinde cura Italicarum rerum, pontificem & Imperatorem incessit. Ius deligendorum pontificum & episcoporum, Leonem Carolo nonnulli concessisse tradunt. Sed id à Bibliothecario prætermissum, haud facilè credi potest, quum Stephanum pōtificem, qui Leoni successit, à populo Romano creatum fuisse constet. Præcipua ea cura supererat, vt de Græcis & Longobardis, qui Italiam premerent, ita decerneretur, vt firmam pacem Italia sortiretur. Longobardi nihil, præter nomen peregrinitatis, ab Italis alienum habebant, quum annis penè ducentis & triginta Italiam incoluissent. Hi tantùm, qui apud Papiæ Mediolaniq; regiā, & per Transpadanam regionem educati fuerant, nobilitatem suæ gentis seuerius diiudicabant, tantam omnes cum Italis affinitatem contraxerant, vt Italia extirpare, inhumanum fore censerent. Quare Leoni pontifici, Carolóque Imperatori, vbi sedem diu & status sui fundamenta habuerant, Longobardæ genti nomen, solumq;

lumq; patrium conseruandum esse visum est. Vtq; à propinquiore coniunctioreq; Romani nominis memoria, fines illis facerent certiores, & vt haberēt probatæ erga Romanos fidelitatis vicinos, quibus cura foret aut coercendi motus eorum, aut renunciandi magistratus, quicquid Hexarchatus Rauennatis fines complectuntur, Romandiolam placuit appellari. Contra Græcos Italia eiiciendos esse censuere. Quare Pipino totius Italiæ delectus est habitus, quo coacto exercitu Beneuentum contenderet. Carolus per Cisalpinam in vlteriorē Galliam reuersus est. Horribilis deinde terræmotus successit, quo basilicæ, nōnullæque per Italiam euersæ vrbes. Beneuentum Pipinus diu obsedit, amissa po-
10 tiundi spe, Theatinam vrbem acri obsidione circumuenit. Quia Roselimus è Longobardis oriundus, præfectus vrbis, ad Græcos planè defecerat, quam vi captam populatamq; succendit. Mox Ortonam & Luceriam in ditionem accepit. Sed Luceriæ Vinigisium, Spoletanum ducem præfecit, quem morbo correptum Grimoaldus dux Beneuentanus obsedit, Luceriam ei vi captam eripuit. Sed Pipinus occurrēs, Lucerię Grimoaldum clausit, clausumq; eò angustiarum redegit, vt tradita vrbe, Papiam emigraret. Quum hæc Irene sensisset, legatum ad Carolum mittit, per quem iura pacis lædi queritur. Carolus legatos quoque suos cum illo remittit, vt diuiso pacem imperio confirmarent. diuisio hæc fuit. Quicquid ad dexteram à Neapoli, & ad sinistram à Siponto incipiens, Supero
20 Inferoq; mari clauditur, item Sicilia tota, Constantinopolitano imperio adiudicatum: Romano cætera, præter Beneuentanum ducatum, qui etsi Græco magis quàm Romano fauebat, neutri tamen est addictus: & Venetos, qui quamuis in Græcos propensiores essent, quàm Romanos, nequaquā tamen omnino sub Romana ditione versabantur. Sed succedente Nicephoro Imperatore, qui Irenem dolo captam in Lesbon insulam relegauit, hoc pleriq; in imperij diuisione sancitum affirmant. Venetis fuisse concessum, vt vtrunque reueriti imperatorem, propriis legibus vterentur. Carolus compositis Italiæ rebus, ad Germanicas Vngaricasque animum conuertit, ne parui quidem momenti vtraque prouincia videbatur. Nam bellum Pannonicum, vix annis octo confectum. Go-
30 thofredus Dauorum rex, qui Oceani Germani littus accolunt, ingentibus terra marique exercitibus, ad Saxoniæ littora venerat, icto cum Carolo fœdere, Germanos transfugas, quorum motus admodum formidabantur, vltrò reddidit. Confecta pace, in Franciam rediit Carolus, qui superiore anno Aquisgrani hybernans, magnam Saxonum multitudinē cum liberis & vxoribus in Franciam transtulit, eorumq; pagos Abderitis concessit. Paulo pòst Fortunatus metropolita Venetus, in ciuili dissensione Caroli auxilium implorauit. Cui Pipinus succurrens, Heracleam terrestrem vnicam Venetorum ciuitatem, cuius locum nunc Ciuitatem nouam appellant, & Æquilium, eius ciuitatis oppidum inuasit. Sed ciues qui hæc loca colebant, sibi diffisi, deserta patria Venetias cō-
40 migrarunt, ex qua gente centum ferè familiæ in patriciorum ordinē assumptæ sunt. Mox Sclauonicum Boemicumq; bellum, præter opinionem exortum est. Quippe Boemi & Poloni, Sclaua gente editi, vicinos Saxones, & Romano imperio parentes ad defectionem sollicitare ferebantur. Quos Carolus ex concubina susceptus & natu maior, felici Marte profligauit, cęso Leone eorum duce, opima ad patrem spolia retulit, agrum longè lateq; populatus. Lodouicum pater Bauaris, Australibus, Germanisq; præfecit. Redintegrato iterū bello, Sclaui Sorbienses, qui Albis fluuij accolæ sunt, & Boemi rebellant. Carolus minor, parentis imperio, coactis ex Bauaris, Burgundionibus, Alamannisq; auxiliaribus copiis, in Sorbienses proficiscitur, quos vi expugnatos ad obsequium rede-
50 git. Ne facilè quidem rebellarent, duo Salæ Albiq; fluminibus præsidia imposuit. Mox Boemos aggressus, primo eos pręlio fudit, fusisque agrum igni ferroque vastauit. Ne minore quidem enixu Pipinus ad gloriam contendebat, qui quum Italiæ regnum gereret, Mauros, qui Corsicam inuaserāt, per Ademarum Genuensem comitem, classisque præfectum, insula eiecit. Sed Ademarus non sine morte, sua victoria potitus. Carolus quoque imperator, & horum pater,

pari quoq; felicitate vſus,quippe qui in bello Saracenorum, Nauarros, Pampi-lonenſesque Hiſpanos,qui paulo antè ad infideles defecerãt, per legatos in deditionem accepit. Item Mauros,qui Taraconenſem Hiſpaniam & Luſitaniam occuparant, & ingenti claſſe Sardiniam & Corſicam inuaſerant, Bucchardo legato profligauit, quorum quinq; milia deſiderata, & naues tredecim amiſſæ. Veneti quoque eodem tempore,quia fœdus cum Carolo icerant,graui bello à Nicephoro Conſtantinopolitano imperatore vexati ſunt, & ita cum Dalmatis afflicti, donec reſciſſo fœdere in partes eius recidêre. Niceta enim patricius, magna claſſe in Adriaticum mare deuolans,Dalmatiam cum Venetia in Græcorum ditionem redegit. Deinde paucis pòſt menſibus,quum Venetiis moram traheret, inducias cum Pipino conſtituit,Conſtantinopolimque cum vniuerſa claſſe rediit. Si collegam in imperio dignum Carolus ſortitus eſſet, & qualem Occaſus,talem Exortus Imperatorem eo tempore inueniſſet, haud dubiè quidem vniuerſum Romanum imperium inſtaurari facilè potuiſſet. Nam ſi Caroli exemplo, qui ad perdomitandã Europam animum aduerterat, Nicephorus ad ſubigendã Aſiam, Aphricamq; reuocaſſet ingenium, reſtitutam imperij Romani maieſtatem habuiſſemus, & ni fata inuidiſſent,adhuc fortaſſe florentẽ videremus,cuius ne minima quidem veſtigia tempeſtate noſtra reperire poſſumus. Dum Carolus hinc Dauos,& extremã Germaniæ gentem,Germanici Oceani accolam,per Carolum, hinc verò, per Lodouicum alterum filium, Saracenos, qui Hiſpanias totas anhelabant, domitare contendit, Nicephorus prætermiſſa Saracenorum cura, qui Thraciam & Byzantij fines latè vaſtabant, omnes animi neruos in perturbandam Italiam, ſub Pipino rege quieſcentem, intendit. Comparata nanque claſſe, Tyrrhenum mare ingreſſus, Populoniam Hetruriæ ciuitatem diripit. Niceta verò patricius,induciis,quas cum Pipino Venetiis inierat,nondum exactis, per Adriaticum ſinum, maritimam regionem Pipino regi parentem,corrogata ex Illyrico & Dalmatia claſſe,vexare conatur. Quod quũ Pipinus intellexiſſet, per vniuerſas vrbes maritimas præſidia imponit,Comaclum in peninſulæ ſpeciem redactum, Venetisq; obiectum, Gallo Italoque milite complet. Quò quum Niceta Venetiq; appuliſſent,multi vulneribus reiecti ſunt. Niceta ſpe ſua fruſtratus, ducesq; Veneti voti impotes,de componẽda inter imperatorem Nicephorum & Pipinum regem pace agere cœperunt. Duces Venetorum,quorum alter Vbelerius,& Beatus alter dictus eſt, quum Græcos & Francos ad pacem perducere ſimularent, (vt Paulus Aquileienſis auctor eſt) Pipino inſidias tetenderunt. Quod vbi Pipino compertum eſt,ab inita pacis actione,ad vlciſcendas Venetorum inſidias animũ continuò reuocat, exercitum terra marique validiſſimum comparat, Venetias ita claſſe ac militibus circumuenit, vt nihil commeatuum nec auxiliorum inuehi poſſet, duces proditionis auctores vnà cum vrbe,in deditionem accepit. Scriptores alij,qui Venetis aſſentantur, eos ſuperiore bello ſubactos referunt, quum Pipinus Heracliam Æquiliumq; vi cepit. Hoc autem bello Pipinum doloſæ mulierculæ ſuaſu, pontem in riuum altum produxiſſe, quo equitatum inferret. Pontem igni ferroq; diffractum fuiſſe demerſo equitatu,magnam Francos iacturam feciſſe, quod haud facilè credi poteſt. Qui veriſimiliore in aſſentando cõiectura vtuntur,Pipini claſſem,Pauli Ciurani aduentu ceſſiſſe cõmentantur, qui coacta extemplo auxiliari claſſe ſubuenerat. Quare inter Pipinum & Nicephorum pacem ea conditione inſtauratam aiunt,vt Veneti,qua à Carolo quondam donati fuerant,immunitatem retinerent. At ego faciliùs Paulo adſtipulor. Dum hęc ita geruntur,Carolo nunciatur,Gothofredum Dauorum regem, Phryſios Romano imperio ſubiectos, bello laceſſiſſe, victosque quotannis centum argenti pondo, tributi loco mulctaſſe. Quare omnes copias in Tranſrhenanam regionem ad Allaram fluuium, qui Viſaram amnem influit,ad præſtitutum diem Carolus conuenire iubet. Sed dum ad conuentum Gothofredum expectat, mox eum à ſatellite interfectum nunciatur. Ne perempti quidem hoſtis fit longa lætitia,quando eodem die altero nuncio edocetur,Pipinum filium,Italię regem,

gem, extremum Mediolani diem obiisse. Proinde Aquisgranum reuersus, vt rebus suis rectè consuleret, à Græcis, Saracenis & Dauis, quibus Eumigus in demortui Gothofredi locum suffectus erat, legatos admisit, omnes quidem vno ore pacem postulantes, quam confirmandi imperij gratia cum omnibus ex voto transegit. In Britannico Oceano classem instituit, quæ septentrionalibus oris præsidio foret. Terrestres copias tripartito dimisit, vnam partem in Liuoniam, quæ Sarmatici ora est Oceani, in Britones alteram, tertiam in Vngariam, haud ignorans, gentem bello indomitam, & octauo vix anno pacatam, post eius mortem sine magno præsidio, nunquam in obsequio permansuram. Deinde Aquisgrano profectus, Benonem venit, vrbem sanè maritimam, quo classem conuenire iussam spectare ac recensere voluit, vbi quum omnia è sententia constituta vidisset, Aquisgranum rediit. O miseram humanæ felicitatis conditionem, cui nil cõtingit omni ex parte beatum. Occurrunt ecce statim Dauorum & Polonorum Boemorumq; legati, qui Danubium accolunt, magna munera deferunt, nihil impensius, quàm perpetuam pacem exorant. Quod vix iam læto concessit animo, quum tristis de morte Caroli filij nuncius offertur, qui Germaniæ fines tuebatur. Par quoque tristicia res Græcas incessit, nam eodem quoque tempore, quum oratores pacis Cõstantinopoli appropinquarunt, Nicephorus, quamuis Bulgaros sępe vicerit, prius tamen, quàm ad confirmandam pacem in vrbem rediret, inito demum pręlio cum Chrunno Bulgarorum rege, apud Mysiam superiorem, Vngariæ conterminam, superatus occubuit. Staurarius eius filius, post aurem lethali vulnere saucius, Byzantium relatus, imperium obiuit. Quo tertio mẽse abdicato, Michael è sorore nepos, rerum potitus est. Cui profectò nil fuit antiquius, quàm institutam à Nicephoro pacem, cum imperatore Carolo confirmare. Paucis pax pronunciata verbis, Orientem cum Constantinopoli Michael, Occidentem cum Roma Carolus habeto. Compositis rebus, Carolus Bernardũ ex Pipino filio nepotem, regem præfecit Italiæ, quin & Walium, alterius Bernardi patruelis sui filium adiecit, vt terrestri alter, alter nauali incumberet expeditioni. Nam Saracenos Beticæ & Lusitaniæ dominos, ad vexandas Italiæ insulas, magnam classem comparasse rumor erat. Neque rumor opinionem fefellit, Saracenorum nanq; classis bipartito Corsicam Sardiniamq; adoritur: quæ Sardiniam adoritur, deleta est, altera in Hispaniam aufugit. Quare Ambulachus Saracenorum rex, cum Carolo pacem redintegrare curauit, quum res nunquam è sententia cessisset. Sed Carolus, vt Italia ex omni parte ocium sortiretur, fœdus cũ Saraceno instaurauit. Quin & Grimoaldo Beneuentano duci, qui vnicus è Longobardorum reliquiis superesse videbatur, indicto quinquies mille & viginti aureûm tributo quotannis, pacem amicitiamq; concessit. Demum veluti vicinæ mortis conscius, Aquisgrani conuentum edixit, in quo quidem frequentissimo Lodouicum filium, Aquitanię regem, sibi in imperio Romano collegam pronunciauit. Bernardum nepotem, Italiæ regem declarauit. Quum Occidentis imperium ita quiesceret, Michael Constantinopolitanus princeps, dum Bulgaros vtriusque Mysiæ dominos bello vexat, variis eos cladibus affecit. Sed dum victoria vtitur insolenter, apud Adrianopolim funditur, & fugatur. Consternatus animo Constantinopolim reuertitur, & dum sibi à populo timet, mœsticiáve conficitur ingenti, vltrò se abdicat imperio. In cuius locum Leo, Pardi patricij filius, à prætoribus suffectus est. Chrunnus Bulgárorum rex, Adrianopoli potitus, adauctis animis, eò audaciæ euectus est, vt Constantinopolim, Barbara gente fretus, circumuenerit. Dum obsessam vrbem oppugnare sæpius audet, Leo facta cum populo ac militibus eruptione, non modo Bulgaros repulit, verùm etiam Chrunnum eorum regem, cum eo fortè congressus, interfecit, opimaque diuæ Sophiæ spolia retulit. Quæ quidem victoria non mediocre ocium imperio peperit Orientali. Carolus demum gestarum rerum gloria clarissimus, iam ætate grauis, Aquisgrani, ætatis suæ anno septuagesimosecundo, quinto calendas Februarias, imperij verò anno quadragesimo sexto, æquata præstantissimi cuiusque antiquorum principis gloria, vita defun-

ctus est: quem vniuersa Christiana respublica extinctum deplorauit, omniumque iudicio, inter diuos referendum esse censuit.

RERVM VNGARICARVM DECADIS PRIMÆ LIBER X.

VNGARI, qui imperante Carolo, post defectiones tandem varias quieuere, rati contra totius ferè Europæ dominũ, eundemque virtute ac fortuna præpollentem, temerarium & calamitosum esse reluctari, satis profectò iacturam fortunarum ex eo ocio resarcisse visi sunt. Et post mortem eius, eousque cessandum esse censuere, quousque occasio, certaq; victoria offerretur. Lodouicus cognomento Pius, post Carolum ad imperij Romani fastigiũ euectus, audita morte patris, relicta Aquitania, Aquisgranum properauit. Vbi inuentis legatis, qui ad Carolum vndiq; confluxerant, habito populorum suorum conuentu, compositisq; imperij rebus, pacem cum Græcis Beneuentanisque confecit. Accito ex Italia Bernardo rege, duos quos habebat filios, Lotharium Bauaris, & Pipinum Aquitanis pręfecit. Primam, comite Bernardo rege, expeditionẽ in Danos ipse suscepit, vt Heroldum & Raufredum, Danorum reges, socios imperij Romani, & à Gothofredi liberis regno eiectos restitueret. At conatibus eius non modò hyems aduersata, verùm etiam maximus Danorum apparatus, qui ducentis nauibus onerariis maritimam oram infestabant: sed mare contra glacie concretum, illis fuit iniquum. Interea nuncius ex Italia aduolat, in Leonis pontificis caput coniurasse multos, quare ad componendas Italiæ res, Bernardus rex dimittitur, qui morbo correptus, per Gerardum comitem cuncta pacauit. Defuncto Leone, Stephanus quartus pontificatum iniuit, qui profectus in Galliã, Lodouicum apud Aurelianos principem, imperatoris insignibus excoluit. Coronatus imperator, variis perturbationibus agitari cœpit. Nam hinc Vascones, qui inter Garumnam fluuium, & Pyrenæos montes protenduntur, à Romano imperio deficiũt, quia Signinium præfectura prouincię abdicatum, iniquissimo animo ferebant, hinc & Solanius Abderitarum regulus, qui Germanici Oceani insulas incolunt, hinc Britones ac Dani. Item Bernardus rex Italiæ, malo quorundam Italorum suasu adactus, rebellare ausus est. Sed hæc omnia Lodouicus feliciter bella gessit, nam Vascones per finitimos eorum populos edomuit. Franci, qui Saxonum fines obseruabant, oblata occasione, cum Solanio & Gothofredi filiis prælium conserunt, quibus fusis fugatisq;, Heroldum in paternum Nouæ Daciæ regnũ restituunt. Imperator pari quoq; felicitate Britones, qui rebellione laborarant, Murmaniumque ducem, qui adulterinum regni nomen vsurparat, supplicio capitis affecit. Aquisgranum relatus, cum Græcis & Saracenis, qui Cæsaraugustam occuparant, pacem iniuit. Habito ibi frequentissimo conuentu, Lotharium primigenium imperij consortem declarauit. Pipinum minorem natu, Aquitaniæ, Lodouicum verò tertium, Bauariæ regẽ pronunciauit. Deficientis Bernardi causam ad cõuentum retulit, vbi læsæ maiestatis crimine damnatum, Romani imperij hostem iudicauit. Mox coactis vndique è Bauaria Germaniaq; copiis, in Italiam penetrauit. Omnes Italiæ populos, sacramento licèt adactos, continuò tamen in deditionem accepit, quam certatim illi faciebant. Proditionis auctores, dicta causa, extremo supplicio mox affecit. Bernardus rex, quamuis ad primum Imperatoris aduentum, depositis armis, ad eius misericordiam confugisset, Aquisgranum tamen ductus, Conuentus consulto securibus cæsus est. Episcopi pari crimine damnati, pontificiæ synodi decreto, magistratibus abdicati, ad cœnobia quædam relegati sunt. Viomarchus tyrannus, Britanniæ regnum anhelans, cum imperatoriis copiis pugnã conserere ausus, occubuit, cuius morte pacata Britannia. Hinc profectus per Rothomagum, Ambianũ & Camaracum, Aquisgranum repetiit, vbi multos variarum gentium oratores inuenit,

Quin-

Quinetiam Vngaricum, nō sine graui molestia, bellum nunciatum est. Lindeutus enim inferioris Pannoniæ tyrannus, à Romano imperio planè defecerat, & vt id ipsum Dalmatia, superiorq́; Pannonia faceret, variis motibus agitabat. Imperator in primis audita Vngarorum defectione, quàm maximi profectò momenti esse intelligebat, quando idem bellum cum patre Carolo annis octo durasse non ignorabat, repentè legatos omnes, compositis è sententia rebus, dimisit. Deinde apud Rhætos & Vindelicos, itē in magna Germania delectum habuit. Auxilia vndecunq; potuit, extemplo coegit, deinde præter Danubiū iter faciens, in Pannonias descendit. Occurrentē sibi Lindeutum cum magna Vn-
10 garorum manu fundit, fugatque, palantesque hostes in montes vsque persequitur, qui Mysias Pannoniasque disterminant. Lindeutus quum Francum acrius instantem conspicatur, à monte deditionem facit: quare supplex veniam impetrauit. Bulgari, qui post Chrunni regis mortem cum Leone imperatore pacem iniuerant, interfecto Leone, Michaelis fraude ocium intercipiunt. Lodouicus imperator Lotharium, Italiæ regem declarauit: ad Paschalemq́; pontificem, Romam misit, quem ille corona donauit, & appellauit Augustum. Quare Lodouicum, tantum Romanæ ecclesiæ tribuisse aiunt, vt potestati ac iuri, quod Carolo Magno parenti, Adrianus pontifex vltrò cōcesserat, hunc sponte renunciasse plerique confirment. Vrbanus nanque Carolo Magno, ob rem semper
20 erga Romanam ecclesiam optimè gestam, creandorum ius pontificum Romanorum, omniumq́; episcoporum sanè concesserat, quod suo posterorumq́; nomine, tunc Lodouicus filius paschalibus festis sponte remiserat. Quin etiam vrbes Italiæ, quæ imperatorij iuris essent, eodem tempore declaratæ. Ex quibus in Hetruria primariæ sunt, Aretium, Volaterra, Clusium, Florentia, Pistorium, Luca, Pisæ, Portusque Lunensis. Compositis Italiæ rebus, Lodouicus Lothariusq́; imperatores, domandis in Hispania Saracenis, defendendisq́; Germaniç & Pannoniæ finibus animos intendunt. Nam quum Saraceni in Aquitania sensim indies præualerent, nonnullæ ex proximis citerioris Hispaniæ ciuitatibus ad illos defecerunt. Bulgari Pannonias inuadere ausi, sola duntaxat exercitus
30 ostentatione, à Lodouico repressi sunt. Quare bis pacem ab Imperatore assequuti sunt, priorem facilè, alteram per Aldricum & Cherardum, Intarranorum principes, qui sunt Dalmatiæ populi, impetrarunt. Quam nondum ferè initam, Bulgari interceperunt, quippe comparata classe, aduersus Danubium, ad Draui vsque ostia subnauigarunt. Lodouicus ad castigandam suorum præfectorum ignauiam conuersus, in primis in Pipini duces Aquitaniæ regis, qui Barcillonensibus opem in tempore non attulerant, animaduertit: item in Halaricum Foroiulianorum ducem, qui defendendis Pannoniç finibus ab imperatore præfectus, Bulgaros in Sclauoniam Boemorum patriam penetrare permiserat, sed simulatas negligentiæ pœnas exoluit. His ferè temporibus, in Gallia tan-
40 tæ magnitudinis grando desæuit, vt pecora passim hominesq́; interemerit, quin & glaciem pedum fermè duodecim è cœlo concidisse affirmant. Quod quidem portentum iniquam Lodouici fortunam portendisse volunt, quippe qui nimio in filium natu minimum amore deceptus, fraude suorum, imperio abdicatur: Lothariiq́; custodiæ, qui maior natu fuerat, planè committitur. Hinc audaciam ingentem Saraceni cōcepere, instructa magna classe, appulere Centum cellis, quam Ciuitatem veterem nunc appellant. Quum potiundæ vrbis amore æstuarent, Romam properarunt, primum Romanum agrum incursant, rura diripiunt, direptaq́; demoliuntur, homines & pecora passim cædunt. Vrbis oppugnationem adorti, Vaticani suburbia nondum fossa muroq́; munita, abacta
50 præda succendunt. Diui Petri basilicam, incendio, rapinis cædibusq́; fœdant, incensa materia, parietibus tantùm, marmoreisq́; columnis, laboribus non conscientiæ gratia pepercerunt, tectū igni absumptum est. Quum Guidonis aduentum accepissent, à Gregorio pontifice nuper acciti, qui Galliæ Cisalpinæ præerat, soluta vrbis obsidione, qua potiri nequaquam potuere, inter Latinam Appiamq́; viam ingressi, cuncta diripiunt. Ad Hostiensem portam suburbia, & diui

Pauli basilicam pari feritate succendunt. Ingenti sacrarum rerum priuatarumque rapina onusti, in Latinamq; viam redacti, ad Casini saltus monasteriũ peruenere, quod è vestigio direptum concremarunt. Mox præda nauibus imposita, Tarentum Siciliamq; inuadũt, magna in Christianos cæde grassantur. Cùm vno eodemque mense, Michael Græcorum, & Lodouicus Romanorum princeps, vnà cum Gregorio pontifice maximo diem obiissent, nihil in eos parari potuit. Vngari interea Francorum auspiciis ac ductu regebantur, quamuis sub Lodouico sæpe fluctuarunt, pacata tamen prouincia quieuere. Sed nihil eis molestius accidere poterat, quàm aut arma deponere, aut rapinis & incursionibus prohiberi, ociumq; seruare, & aliena imperata facere. Nil die noctuq; mente intentiùs agitabant, quàm è ceruicibus insitatum seruitutis iugum excutere, & imperare potius aliis, quàm parere. Dum idoneam occasionem præstolantur, de Lodouici morte certiores facti sunt, quare spes magnas ex defectione concipiũt, sed tempus expectant. Cùm Lodouico Lotharius, Carolus & Lodouicus filij superfuissent, in paterni regni diuisione dissentiunt. Quare intestinum inter eos bellum exoritur, vbi multa hominum milia cæsa sunt. Compositis tandẽ rebus conuenit inter eos, vt Lotharius cum Italia imperiũ obtineret, Carolus in Gallia, Lodouicus in Germania quietè regnaret. Et cùm Lothario, præter Italiã, ea pars Galliæ Narbonensis, quam Romanã prouinciã appellamus, esset adiecta, vnà cum ea particula Galliarum, quæ inter Scaldũ & Rhenũ amnem sita est, ex hoc ista extrema portio, Lotharingia, à Lothario dicta est. Dum Saraceni, duce Galba, Siciliam & Tarentum, terra marique acri obsidione premunt, Theodosius Constantinopolitanæ classis præfectus, ne sat quidem suis copiis fretus, ad Venetos confugit, simulq; auxiliarem sexaginta nauiũ classem, societatis iure postulauit. Quod quum impetrasset, Petrum Andonicum, Ioannemq;, duces, Spatarij Augustalis dignitate donauit, quæ apud Græcorum imperium maxima censebatur. Sabbas, quum Christianorum classem Adriaticum pelagus emensam, Tarentum appropinquare cognouit, soluta obsidione, ad Crotoniatum repente littora occurrit, vt dissimulato timore, leuique prælio fortunam experiretur. At ex leui pugna, ita vtrinque animi irritati, vt collatis vtrinque signis congrederentur. Græcorum classis à principio fusa fugataq;, Veneti aliquanto obstinatiùs resistentes, maximam cladem perpessi sunt, nauesq; ferè omnes aut mersæ aut captæ. Hac elati victoria Saraceni, Dalmaciam petunt, Ausarense oppidum, vi captum populantur. Onerariæ Venetorum naues, quæ è Syria mercibus onustæ, in Tergestino sinu deliterat, à Saracenis captæ. Negociatores Veneti ad vnum cæsi omnes, quando eorum nomen apud Saracenos abominabile putabatur. Mox in maritimam Picentum regionem diuerterunt, Anconam vi captam populatamq; incenderunt. ex intestino principum bello, non solùm Italia, sed Gallia quoque grauissimam iacturam accepit. Nanque Nortmanni, quibus Emergis appellatio fuit, Romano rege ac duce, per Ligeris ostia ingressi, Aquitaniam totam deuastarunt. Quin & Heriam insulam, multaq; religiosa monasteria incenderunt. Mox per Galliam effusi, vniuersam regionẽ longè lateq; diripiunt. Burdegalam, Xantoniam, Engolismam, Lemouicos, Parrhisios, Turonum, Belluacum, Nouiomagum, Aurelianos, Pictauos, innumeraq; oppida pagosq; populantur. Nortmanni in captis Galliæ vrbibus diu permanere non ausi, ne coactis exercitibus, à Francorũ principibus eiicerentur, demum in Aquitaniam se recipiunt, ibiq; sibi sedes statuũt. Carolus ex cognomento Caluus, superatis Britonibus, cæsisq; ducibus eorum, se Lemouiæ vrbis Regem instituit. Deinde Franciã ingressus cum exercitu rerum potitus est, quippe Lotharius se sponte Imperio abdicauit, in priuatamque religionis vitã se redegit. Lodouicus in Germania, vbi latè dominabatur, diem obiit. Carlomannus & Carolus eius filij, aduersus patruum Imperatorẽ designatum arma capiunt. Dum vtrique ingentes moliũtur apparatus, Carolus Caluus veneno potionatus, Mantuæ vita excessit. Cui Carolus Balbus, ex fratre nepos, optimatum opera successit. Qui cùm rebellantibus Vngaris qui seruitutis iugum

gum ferre non poterant, sæpe bellum intulisset, ita & animo & corpore debilitatus est, vt in priuatam redactus vitam, ab Arnulpho patruele aleretur. Sed post victos Normannos, qui Franciam Lothoringiamq; vastabant, quum nihil laude dignum faceret, primatum factione imperio deiectus: eiq; à Francis Arnulphus quidam, humili genere natus, ea tempestate suffectus est. Francis post Arnulphum ad imperium euectum regnauit Otho Parrhisiensis comes Roperti ducis filius à Caroli Magni genere alienus, post quem Carolus puer, Simplex cognominatus, & Lodouici Balbi filius, Frãcorum regnum accepit. Sed per ea tempora, quibus Carolum Caluum imperare diximus, Nortmanni Aquitanica
10 Gallicaque præda ditati trecentarum & sexaginta nauium comparata classe Constantinopolim traiecerunt, direptis ac succensis illius suburbanis, in Oceanum mare se recipiunt. Saraceni adauctis in immensum animis, Cretam adoriuntur, insulaq; potiti cuncta diripiunt. Maxima eorum pars in Italiam relata, ab Ancone Hydruntum vsq; tractum maritimæ regionis vniuersum latè prædantur, & oppida cuncta subuertunt. Eodem quoque tempore Bulgari longè prius ad Christi fidem redacti: quum adhuc schismatici forent, catholicæ fidei dogmata receperunt. Et eorum rex delegato filiis regno, ad monasticam religionem confugit. Sueropilus Dalmatiæ rex, atque gens Sclauorum illi subdita, quæ à Boemis Germaniæ genus deduxit, tunc primùm Christi fide initiata
20 est. Sed hoc anno salutis circiter octingentesimo & octogesimo accidisse credimus. 880 Iisdem ferè tẽporibus Saraceni è Creta prodeuntes, dum per Adriaticum mare in Christianum nomen vbiq; desæuiunt, Dalmatiam non modò maritimam, sed mediterraneam quoq; grauiter infestant. Grauis & calamitosa Saracenorum fuerat oppugnatio, sed Vngarorum bellũ multo calamitosius, quippe qui per ocium mira fœcunditate adaucti, & sub Carolo Gallo rebellare ausi, vt seruitutis iuga discuterent, Saracenorum & Nortmannorum exemplo successibusq; concitati: neq; inscij, quanta factione Christiana respublica laboraret, oblata occasione, instauratis & amplificatis viribus ab Arnulpho imperatore deficiunt. Inter Longobardos enim & Romanos orta seditio, Lõgobardi, qui Cis-
30 alpinam Galliam, quam ab his Lombardiam nunc dicimus, incolunt, præ facto Italiæ dissidio, & Romanos cum Arnulpho imperatore aspernari, & iterum sibi regnum Italiæ vindicare cœperunt, Vngarorum ferociam ac vires nequaquam ignorantes, magnam in huiusce gentis robore spem profectò locauerant. Quare orta in comitiis seditione, alij Guidonem Spoletanum ducem Italiæ regem declarãr. Vngari igitur non modò deficiunt, & imperata detrectãt: verum etiam prouincias imperij Romani incursionibus & rapinis vltrà lacessũnt, & ne ab humilioribus initium facerent, Germanos in primis adoriuntur. Odium in Romanũ nomen, quod diu dissimularunt, rebus potius quàm verbis detegunt. Tanto tumultu, omniumque consensu se in libertatem asseruere, vt non modò
40 senes, sed mulieres quoque in habendo delectu, nomina vltrò dederint. Quum in Germaniam eruperunt, tanta rapinis ac cædibus adiecta sæuitia, vt nec ætati, nec sexui, locoque parcerent. Nam sacra & prophana loca iuxtà spoliant, & incendunt. Vnni, qui in Pannoniis olim remanserant, mitiorum consuetudine populorum, ipsi quoque mites effecti, & aliqua ex parte Christiani. Sed eorum, qui è Scythia rediere, Vngarorum redundantia, in pristinos feritatis mores recidêre. Quare in diripienda vastandaque Germania, mutua immanitate certabant, a principio, quoscunq; inuenerant, passim cædere, pecora abigere, imbellẽ ætatem in captiuitatem ducere, sæpe in conspectu parentum contrucidare liberos, illidere parietibus infantes, è gremio matrum ereptos, nullum deniq; feri-
50 tatis genus prætermittere, nobilissima quæque ædificia amoliri, oppida, vicos, ac templa incendio absumere. At vbi quacunq; iter per Germaniam fecerant, satis superque sæuitum est, in Franciam Galliasq; penetrant, vbi acceptam à Carolo Magno seruitutem, illatas cædes, ac abactas denique prædas abundè statuunt vlcisci, hic superiorem immanitatem instaurant, quin etiam pro viribus augent. A Francis, qui libertatis gloriam Vngaris abstulere, cumulatissimas

pœnas exigunt, flammis ac ferro omnia destruunt. Contempta sæpe captiuitate, cum pagis ac oppidis omnem æquè ætatem incendunt, magnificas ædes demoliuntur; sacram supellectilem diripiunt, nullum religionis vestigium seruant. Ne his quidem immanitatis criminibus Vngari caruere, vt adustas quandoque ex incendio humanas carnes legerent, lectasq; frustillatim inter se deuorarent, sæpe cum cædibus per pagos & oppida grassarentur, humanum quoque sanguinem biberent. Omnia crudelitatis genera Scriptores, præter pollutam vtriusque sexus pudicitiam, quam domi militiæq; semper coluerunt, in eos commentantur. Tanta vbique cæde bacchãtur, vt hæc Atilæ tempora superasse crederis, neque adhuc cædibus & rapinis satiari potuere. Gallias quoque omnes miscent, ne qua in re Atilę progenitori cessisse videantur. Arnulphus, ac reliqui reges his obstare non audebant, cùm propter innumeram multitudinem, quæ totam Galliam inundarat, tum propter Romanæ reipublicæ dissensionem, intestinasq; Frãcorum discordias, quibus imperij Romani vires admodum labefactæ ac eneruatę fuerant. In Italia creati noui principes, inter se dissident, & ciuilia bella moliuntur. Berengarius, quamuis à principio detrimenti aliquid acceperit, vir tamen rei militaris peritissimus, ac animi magnitudine præstans, eò Guidonem inimicum sanè redegit, vt in Spoletano ducatu, ac Hetruriæ ciuitatibus occluserit, & (vt tutiùs sibi consuleret) Arnulphi imperatoris amicitiam sibi comparare studuit, quod quum impetrasset, missis ab eo auxiliis, adiutus est. Senebaldus cum exercitu haudquaquam contemnendo, ab Arnulpho patre missus in Italiam, Guidonis largitionibus corruptus, vt plerique arbitrãtur, nihil Berengario attulit adiumenti, reque infecta in Franciam rediit. Guilielmus tamen auctor est, Arnulphum, Berengarij gratia, in Italiam cum exercitu venisse, Bergamum cum Ambrosio tyranno vi cepisse, eumq; laqueo suspendisse. A Formoso pontifice maximo accitum, Romam vsque venisse, Guidonem inclinata acie fugasse, eius vxorem in arce, vbi se tuebatur, obsedisse. Guido, sedente Formoso pontifice, diem obiit, Lambertus in regno filius successit. Paulo pòst Arnulphus pediculorũ morbo correptus interiit. Franci Arnulpho imperatori, Lodouicum tertium eius filium in imperio subrogarunt, ac Franciæ Germanięque regem declararunt. Quin & Lamberto regi, Lotharium filium Spoletani hæreditario iure sufficiunt, vnaque cum Hetruscis Italiæ regem creant. Vngari autem, postquam per Germanias ac Gallias omni immanitatis genere satis debacchati fuerant, per alia, atque iuerãt, Germaniæ loca, in Pannoniam reuertuntur. Lodouicus rex Germaniæ, qui vbi erumpentes in Bauariam Vngaros, omniaque passim igni ferroque vastantes acceperat, ad Augustam Vindelicam, prope Lemannum fluuium eis occurrerat, ab hisque simulata fuga, in insidias tractus, vix cum magna clade suorum euadere quiuerat. Qua quidem victoria elati, Bauaros mox & Sueuos, item Francos & Saxones, longè lateque populati sunt. Audito hostium reditu, coactis vndique copiis & auxiliis, his iterum occurrere audet, ratus si victoriam sperare non liceret, prædam saltem & captiuos eriperet. Sciebat enim Vngaros populatis tot ditissimis regionibus, vsque adeo redire onustos, vt ne facilè quidem metiatur quisquam. Multo plus auri & argenti ex Bauaris, Francis & Saxonibus planè retulerant, quàm imperante Carolo Magno, Franci quondam direptis Pannoniis asportarant. Lodouicus igitur, conserto iterum cum Vngarica gente prælio, non modò prædam & captiuos non recuperauit, sed ingenti accepta clade, vix euadere potuit. Maxima Germanorum pars obnixius resistere ausa, non modò ingenti à rege pecunia vix redẽpta, sed vt id assequeretur, statа quotãnis tributa soluere adactus est. Quum Vngari primos Vngariæ fines attigissent, vt de tot clarissimis vno eodemq; tempore prouinciis, quæ antequam in populi Romani potestatẽ quondam redactæ fuissent, tot expeditiones factę, tot cæsæ legiones, tantum sanguinis fuerat effusum, triumphare viderentur, vniuersam prædam, & captiuorum multitudinem in pompam redigunt, quæ quidem pompa, victorum agmina æquare videbatur. Occurrebant vndique spectatum congratulatumque cæteri qui re-

qui remanserant, & cum tanto plausu ex pagis ac oppidis victores excipiebant, vt nullum Vngariæ diem hoc candidiorem illuxisse dixeris. Nulla vxor cum liberis, viro gratulatum obuolauit, quæ spoliis onusta non redierit. Tanta seruitiorum copia fuit, vt præterquam in vbertate Pannoniæ, alibi fame absumpta facilè fuisset. Tunc Scythicæ primùm matronæ ancillas admiserunt, ciuiliusq; viuere didicere, seruitia ne cessarent, aut seditionem molirentur, partim agros colere, pecuariave curare, partim cum dominis militare. Exuuiis hostium, Martis Herculisque templa completa sunt, cætera præda viritim diuisa. Hac igitur expeditione Pannonia tot bellis exhausta, ita auro & argento repleta est, vt nul-
10 lis respublica ciuium vectigalibus indigeret, nullaque decussa pecunia, præterquam externa vteretur. Reuersi in patriam Vngari, totam eam hyemem domi trãsegere, recreauere, ac refecere corpora, superiore expeditione defatigata. At ingruente vere, ne tempus frustra tererent, néve fortunam aspirantẽ per ignauiam remorarentur, aliam expeditionem ineundam esse censent: quare Procerum decreto, aduersus Græcos sumenda arma decernunt. Videbant enim se inter duo potentissima orbis imperia esse collocatos, hinc Romanorum imperio premebãtur, quod in Francorum manus peruenerat, hinc Græcorum, qui Pannonias bello sæpe vexarant. Superiore anno a Germanis & Francis, pro acceptis iniuriis, pœnarum sat exegerant, nunc Græcos supercilie, quos si vicerint,
20 non modo in perpetuam se libertatem facilè asserturos esse sperant, verùm etiam labefactato vtroque imperio quandoq; potituros non diffidũt. Quum hucusque sibi post Arnulphi mortem prosperè omnia successissent, opinionemque superassent, animos a superiore fortuna concipiunt, augentque, ac maxima quæq; sibi facilè promittunt. accedit & illud, quòd vires nunc sunt longè quàm antea ampliores, corpora laboribus obdurata, & animi experientia exactiores fortioresque. Proinde Mysiam superiorẽ, Illyricum, Thraciam Macedoniamq; incursionibus rapinisque lacessunt. Ita magnos ac diuersos comparauerãt exercitus, vt varias vno eodemque tempore regiones inuaderent, quod haudquaquam temerè quandoque fit & in sterili vel maximè regione, ne qua fortas-
30 se commeatuum inopia laborarent. Dum cædibus & incendiis vsquequaque vagantur, abactisq; pecoribus ac hominibus, omnia diruunt, ita Constantinum, qui cum Alexandro patruo imperiũ gesserat, perterruerũt, vt multas vrbes sibi subditas, vi adactas, Vngaricæ genti quotannis tributa pendere pateretur. Quũ bellum hoc è sententia successisset, in Bulgaros peregrinosq; populos arma vertunt. Bulgari nanq; Sclauorum genere nati, quando consimilis est vtriq; lingua, è Scythia velut illi prodeuntes, traiecto Danubio in Mysias consedere, qui quum Thraciam, Illyricũ & Macedoniam armis sæpe vexassent, diu cum principibus Græcorum bella gessere, variæ inter vtrosque intercessere victoriæ, in eorum tandem ditionem concessere. Hi cum Vngaris dimicare ausi, & ad in-
40 ternecionem ferè redacti, stato quotannis stipendio, mulctati sunt. Tam prospero vbique successu, res Vngarorum eò euectæ sunt, vt nihil vsque adeo arduum & difficile foret, quod ingenio & viribus assequi nõ confiderent: nondũ imperandi desedit Vngarorum immensa libido, nec rapinis & cædibus adhuc gens aspera satiatur, tanta populorum fœcunditate pullularat, vt remotas quoq; nationes inũdaret. Tres sibi præpollentes ea tempestate potentatus verebatur, ex quibus Francos & Græcos graui bello confecerant, Itali supererant, qui Berengario principe sibi iura imperij vsurparant. Quare in Italiam innumerabilem ferè exercitum parat, vt quod Atila præstare non potuit, clarissimum imperij Romani nomen extingueret. Accedebant factiones Italiæ, quibus vltrò ad
50 maxima cœpta hortabatur. Ipsa quoque assiduo semper bello vexata, pro referenda vice, cæteras nationes nullo frui ocio patiebatur. Italiam igitur sub Sergij tertij pontificatu, & Lodouici imperio, quum Berengarius in Italia vsurpauit imperiũ, Vngari adoriuntur, per Foroiulianũ agrum iter faciunt, quod quidem Italiæ semper exitio Barbaris natura patefecerat. Quum horum aduentum Berengarius accepisset, cum quindecim milibus equitum ad Italiæ fines occur-

rit, quem primo congressu Vngari profligarunt. Leoprandus eos primo congressu spectata Italorum multitudine, sibi parum cõfisos è Patauino agro ad hybernandum in Pannonias rediisse tradit, vt rem tanti momenti, cui tantum gloriæ ac vtilitatis inesset, si consequi possent, maioribus longè viribus adorirentur. In sequente vere Italiam tanto apparatu repetiisse, vt maximos ac validissimos quosque exercitus facilè protererent, Aquileiam, Patauium Veronamque nemine resistente præteriisse, peruenisse Ticinum, Berengarium habito delectu, & auxiliis ex tota Italia euocatis, in Transpadana regione occurrisse, militũque spectata multitudine præpolluisse. Contra Vngaros numero impares, ac amnium interiectu animo consternatos, ad extrema ferè fuisse redactos, quando præ hostium multitudine, desperata victoria, prælium conferere non audebant, fugamque rapere flumina prohibebant. Demum quũ fugere magis, quàm dimicare decreuissent, dum Abduam fluuium natando traiiciunt, quam plurimos præ nimia festinatione fuisse demersos. Trans Abduam positis castris, per internuncios Christianos orasse, vt se dimissa præda, incolumes redire paterentur: ne id quidem ab Italis impetrare potuisse. Berengarium in quodam oppidulo tempus cum voluptate triuisse, Romanos potius de vinculis, quibus Vngari vincirentur, quàm de armis quibus cæderentur, cogitasse. Ad postremum, quum hostes fuga salutem quærerent, in Veronensemque agrum palantes fugerent, in nouissimo agmine ab insequentibus prælium fuisse initum, quo superiores fuere Vngari, sed vbi ad Brentam fluuium peruentum est, dirimente vtrosque amne Vngaros iterum impensiùs orasse, vt præda, captiuis, armis, equis, & vniuersis denique impedimentis dimissis, præterquam vno concesso viritim equo, quo per se quisque domum repetere posset, incolumes abire liceret. Neque tamen impetrare potuisse, per insolentiam id Romanos sæpe respondisse, si à mortuis munera canibus acciperemus, fœdusque cum canina gente percuteremus, Nos capite insanos, sanus iuraret Orestes. Insolentissima verba Vngaros eò adduxisse, vt fortissimè pugnando mori maluerint, quam aliquam cum turpitudine sperare salutem, cogitãtes, ablata spe fugæ, nil satius esse, quàm cruentam hosti victoriam relinquere, mortem morte fugere: ex honesto interitu, gloriosam sibi vitam quærere: fortunam quãdoque fortium virorum amicam: Martem sæpe fugientem militem potius insequi, quàm fortiter dimicantem: & cuncta deorum numina benignum æquumq; victorem fouere solita, insolentissimum contrà perdere. Quare vt Leoprãdus longè prosequitur, scriptor quidem non aspernandus, dum mutua se exhortatione confirmant, Romanos expectatione suspensos retinent, mox tripartito his insidias obducunt. At illi dum internuncios præstolantur, cunctatione defatigati, magna ex parte equis desiliunt, vt corpora curent. Dum se ex mora tutos arbitrantur, ecce Vngari educta veteranorum validissima acie, traiecto flumine medios adoriuntur, penetrantque, cædem inauditam patrant, & tot viros præ nimia celeritate confodiunt, vt multis ientantib. cibũ in media gula transfigerent: nonnulli, ereptis equis fugã inhibere, eosq; lentiùs iugulare, in obstantes vehementiùs ruere, campos vbique cruore inficere, augebant intestina cladem odia. Nam tantus eos liuor incesserat, vt pleriq; pugnam remoti detrectarent, vt proximi quorum mortẽ anhelabant, præ oculis trucidarentur: quod idcirco faciebant, vt ipsis deinde liberiùs regnare liceret. Mutua enim Italorum inuidia, simultates & odia, non solùm imperium, gloriam, ocium & fortunas abstulere, verùm etiam fuere causæ, quibus hæc omnia funditus perirent. Profusam demum fugam rapiunt, instant contrà desæuiuntque hostes, & qui prius veniam nullis precibus ac muneribus inuenerant, supplicantibus deinde parcere nesciebant, cæsis maxima ex parte Christianis, cæteri per fugã elapsi sunt. Scythicus furor vlterius coerceri nõ potuit, Transpadanam passim regionem diripit, vastatque. Scriptores plerique id addunt, aliquantulum à superiore narratione diuertentes. Post fugatum in Vngariæ finibus Berengarium, Vngaros, quum in Taurisinum agrum erupissent, & cuncta lõgè lateque vastassent, Taurisium quoque vi captum spoliasse. Dum

Medi-

Mediolanum post hæc cōtendere statuunt, Venetorum opibus ac fama remoratos, ab instituto agmen itinere, ad eorum sinum diuertisse. Quorum vrbem (vt aiunt) quum sine classe expugnare nequirent, lembos tumultuarios fabricātur, quos vt celeriùs facerent, asseres pellibus ritè conglutinant. At comparata huiuscemodi classe, primo impetu Ciuitatem nouā capiūt, mox per littoreas insulas late bacchantur. Æquilium caput aggeris, Clodiam, quam nunc Clugiam dicunt, exinde populantur. Additis ex hoc animis, ad occupandum Riuum altum se accingunt, sed quum alia tunc vrbis forma & munitio foret, voti compotes esse nequiuere. Petrus enim cognomento Tribunus, ea tempestate Venetorum dux, quum Vngaros in Pannonia consedisse cognouerat, Vnnorū quidem posteros, quorum sæuitiæ euitādæ causa in palustres insulas, veluti in profugorum asylum, è Venetia quondam populi conuolarant, extemplo vrbem, quod natura loci abhorrere videtur, à Riuo castelli, ad ædem diuæ Mariç in Iubanico nominatam, perpetuo muro cingendam, Canalem verò magnū appellatum, ferrea catena claudendum curauit. Verebatur enim vir ille sapientissimus, ne veluti Vnnorum, duce Atila, terror condendæ vrbis causa fuerat, ita Vngarorum furor conditam extirparet, ne ab eadem infausta natione initium simul & exitium Veneti peculiari quodam fato sortirentur. Tantum viri prudētia valuit, vt patriā ingenti periculo liberarit. Quum igitur Vngari, Clodia mouentes, littus cepissent, quod contra Methamanchum est, vt inde per Albiolam, Methamancho Albiolaq; potirentur, Veneti, Petro duce, obnixius obstitere. In variis quoq; locis acerrimè pugnatū, per quæ Barbari, multitudine freti, irrumpere conabantur. Et quum diebus aliquot vndique, ad festum vsque diui Petri Paulique diem oppugnassent, tandem desperata victoria, quando munitissima & præpotenti classe, & non tumultuaria & commentitia opus erat, se in Patauinum agrum ad castra receperūt. Iam primus annus Vngarorum in Italiam ingressus agebatur, quum Berengarius publicç saluti consulens, datis obsidibus, ingētiq; pecunia, se vniuersamq; Italiam à Barbarica seruitute redemit. Eodem quoq; tempore, imperante apud Græcos Constantino, quum Romanus, præfectus eius, Apulos, Calabros, nonnullosq; populos sub imperatoria conditione facilè retinere nō posset, homo facinorosissimo quoq; scelere perditus, Saracenorum regem cum maxima classe, in rebelles sibi Calabros Apulosq; concitauit. Qui quum ad extremā Italiæ oram appulisset, Calabros, Apulos, Salentinos & Lucanos, non modò Græco imperatori seruire coegit, sed cædibus, incēdiis & rapinis sic afflixit, vt ad internecionem penè redegerit. Item à Supero Inferoque mari, & à freto Siculo, ad vrbis vsque mœnia Romç, ita omnia occupauit, vt deleta Constantinopolitanæ ditionis memoria, Barbarico & prophano cuncta imperio vendicaret. Cui quidem malo, nisi Ioannes decimus pontifex maximus, vir circunspectus & magnanimus prospexisset, iam de orthodoxa simul fide, Italaq; salute fuisset actum. Hic enim Albericū Hetruriæ principem, magistrum equitum declarauit, qui habito repente delectu, & coactis vndique auxiliaribus copiis, in primis prophanū hostem è Latio repulit. Fugientem insequutus ad Lirium fluuium, quem nunc Garlianum appellant, conserto prçlio profligauit, partaq; victoria Romam ouans ingressus est. Saraceni accepta ingenti clade, consternati, in Garganum mōtem confugêre, vnde munita arce, multis postea temporibus Italiam longè lateque vexarunt. Post hæc inter optimates Vrbis dissensio oritur, magna Albericus, quem pontificis fratrem pleriq; reputabant, afficitur inuidia, vrbe Roma propter liuorem & ingratitudinem eiicitur, qui Ortam Hetruriæ oppidum confugiens, cōtra inuidorum impetum se accuratissima munitione tuetur, & vt Romanorum ingratitudinem, & inuidorum iniurias abundè vlciscatur, ad Vngaros literas mittit, quibus eos hortatur & exorat, vt ad capiendam vrbem Romam, qua nunquam hucusq; potiri valuerant, maximis exercitibus Italiam repetāt. Quod si fecerint, facultates, viresq; suas non ignobiles pollicetur, fœdus cum Berengario imperatore initum rescindant: oblatam Vngari occasionem, gens imperādi cupidissima, haudqua-

quam patiuntur elabi, inſanos extemplo comparant exercitus. Per Illyricum iter faciunt,& vſitata quondam via per Foroiulianũ agrum & Venetiam in Flaminiam erumpunt,oppida & vicos paſſim diripiunt.Contempto Alberici mandato,qui in Romanum agrum eos acciuerat,in Hetruriam penetrant,quam ex compacto Albericus ſaluam & incolumem fore iuſſerat. eam cædibus vniuerſam fœdant,incendiis & rapinis omnia vaſtant. Vniuerſam imbellium multitudinem,quæ aut ex clade ſupererat, aut fuga nequiuerat elabi,in ſeruitutem aſſertam,in Vngariam abducunt. Poſtquam igitur Vngari ab Alberico in Italiam euocati ſunt, opulentiſſima eius præda deinde allecti,quotannis ferè(vt Richardus auctor eſt)populandi cauſa,vt quicquid remãſerit,eraderent, repetere con ſueuerunt, à duplici tunc gente, eademque immitiſſima, veluti a duplici lupo miſella dilaniebatur Italia. A Tyberi enim amne vſque in Calabros,& ab Aterno,quem Piſcariam dicimus, in Salentinos quicquid erat, Saracenus populatur Apher. Cæteram verò partem Dalmatiæ Pannoniæque finitimam Vngarus incurſat.Berengarius autem quum vtrique hoſti obſtare non poſſet,in Ciſalpinam Galliam imperij ſui vires reuocarat, ibique pro virili parte ſe tuebatur: & cuncta Italiæ mala, tanquam à ſpecula triſtis proſpectabat. Hac igitur tempeſtate defuncto Lodouico, Conradus Francorum genere oriundus,vir domi foriſque clarus, omnium conſenſu populorum imperator creatur: quo quidem imperante,varii principes ampliſſimis potentatibus freti,claruere:ex quibus in primis Arnulphus Bauariæ dux, Burchardus Sueuiæ, Eberardus Franciæ, Hiſilbertus Lothoringiæ: atque cæterorum quos diximus, potentiſſimus Henricus qui Saxonibus & Turingis imperabat. Secũdo Imperij anno,hi principes à Conrado defecere:in primiſque Henricus ſuę gentis robore fretus, rebellauit. Sed Conradus prudentia ac viribus pollens,ad gratiſſimum omnes obſequium reuocauit.Solus Arnulphus,Bauarorum dux, terrore percitus, nequaquã Conradi miſericordiæ fiſus,cum vxore ac liberis ad Vngaros confugit,ne Conrado inuitus parere cogeretur,néve facilè contumaciæ ſuæ pœnas exolueret. Et hac mente abiit,ſe nunquam rediturum,donec infenſum ſibi Imperatorem,extremum diem clauſiſſe nouerit.Imperante Conrado,Berengarius rex Italiæ diem obiit:cui Berengarius ſecundus eius filius in regno ſucceſſit: quo quidẽ regnante,Lodouicus Boſonis filius,qui Romanæ prouincię & Burgundiæ rex erat,per Taurinos Italiam ingreſſus,à Berengario ſecundo victus & captus eſt:atque ea conditione dimiſſus,quam iureiurando aſſeuerauerat,ſe nunquã poſthac cum exercitu in Italiam rediturum.Sed paulo pòſt non ſeruata conditione,ac reſciſſo fœdere,per Tridẽtinos in Italiam reuerſus,in primis Veronam occupat: ſed à Berengario mox obſeſſus,quum Veronenſes vrbem dedidiſſent, cum copiis interceptus, erutis peierator oculis dimiſſus eſt. Berengarius Burgundionum victoria potitus ad redintegrandam Italię quietem animum aduertit,quam aſſequi deſperabat,ni cum Vngarorum ferociſſima gente pacem ac fœdus iniret, quippe qui quotannis incurſionibus & rapinis Italiam vexare ſolebant. Quod vbi factum eſt, Vngari rabiem,qua in Italos diu ſæuire conſueuerant, in regiones alias planè verterunt. Alemannos repetunt, quos bello ſæpe ſollicitarant, atque ſolita crudelitate diripiunt,& trucidant:quod quidem immanitatis vitiũ apud hanc gentem nondum exoleuit. Neque adhuc icto cum Vngaris fœdere, quieſcit Italia, quando populus Romanus, Alberti Spoletani ducis functus auxiliis,obſeſſa Orta,captoque Alberico,qui in Italiam Vngaros euocarat, cumulatiſſimas de patrię inimico pœnas ſumpſit. Interea Saraceni, qui in Gargano monte conſederant, Apulia Calabriaque vaſtata, Beneuentũ vi captum incendunt. Adauctis animis regnum amplificare conati, à multis oppidis promiſſa obſequia accepere, ſed à Guidone repreſſi, Romanis finibus exceſſere. Aſt vt ad Vngaros redeamus, poſt factam cum Berẽgario imperatore pacem, populatamque Alemanniam, ingrediuntur Alſatiam, quam cum Saxonia pariter deprædantur, & ex eorum inſtituto, cædibus omnia complent, ac homines cum pecoribus abigunt. Sed ad Moresburgum Germaniæ oppidum, quod in Saxonum,

num, Turingiorum, & Sclauorum finibus situm est, ab Henrico rege grauissima clade affecti sunt. Nam vt Leoprandus tradit, Conradus vbi mortem propius adesse conspicatus est, aduocato procerum concilio, Henricum Saxonu & Turingiorum ducem, Regem & Imperatorem creandum esse censuit, euius paulo post expirantis autoritate, omnium suffragiis ad imperatoriam dignitatē euectus est, & tunc primùm à Francis in Germanos translatū est imperium. Quum omnes ei principes legitima obsequia soluerent, Arnulphum tantùm habuit aduersum. Quippe qui cum vxore ac liberis, post Conradi mortem, ex Vngaria reuersus, & honorificentissimè non modò à Bauaris, sed Francis quoque Orientalibus susceptus, & vt oblatum sibi regnum obiret hortatus, Henrici imperio aduersari cœperat. Henricus id ægrè ferens, coactis magnis copiis, in Bauariam contendit, extra Bauariæ fines Arnulphus occurrit. Quum vtrinque instructæ acies constitissent, Henricus vir sapiens, ne quid temerè ageret, quod pœnitentia subsequeretur, ad singulare colloquium Arnulphum vocat, ibi mitissimis verbis sibi hominem reconciliat, creandorumque pontificum potestatem in regione Bauariæ, quod maiores eius nunquam assequi potuere, sponte donat. Is Henrici oratione victus, depositis armis, debitum pollicetur obsequium, semperque recipit se pro imperatore dominoq; suo Henricum vincum habiturum. Cōpositis his rebus, Vngarorum incursiones, rapinæ ac cædes vulgò referuntur, quibus cùm ad illud (quod diximus) oppidum occurrisset, cæsis fugatisque Vngaris, recuperata præda, ac ingenti captiuorum manu, memorabili victoria potitus est. Dum hæc omnia ita geruntur, ecce miserrima in pristina mala recidit Italia. Nam dum Berengarius secundus, icto cum Vngaris fœdere, Romanū imperium instaurare conatur, tyranni, quibus eius potentia formidolosa videbatur, Rodulphi Burgundiæ regis suasionibus agitati, eum è Galliis in Italiam aduocant, cuius viribus Berengarium imperio eiiciant. Rodulphus Italiam ingressus, factionibus optimatum eiecto Berengario, tribus tantùm annis rerum potitur, sed Italas artes, & intestina odia Vngarica continuò vlciscitur immanitas. Berengarius enim ad Vngaros, quos sibi semper amicos habere studuerat, repente confugit, eorum opem, vt in imperium restituatur, implorat. Vngari Salardo duce Italiam repetunt, quacunq; iter faciunt, omnia rapinis, cædibus & incendio vastant. At vbi Ticinum peruenere, obsessam vrbem vi ceperunt, captamque ferro ignique absumere conati sunt. Qui quum Rodulphum in Italiam aduocarunt, quum parum in eo præsidij esse intuerentur, contempto eo, Hugonem Arelatensem principem acciunt. Qui magnis exercitibus Italiam ingressus, imperioque potitus, suspectos optimates, a quibus fuerat accitus, ne se iuxtà ac Rodulphum tractarent, dato Samsoni negocio, qui legionis præfectus erat, omnes in exilium egit. qui mulctati fuerant, Arnoldum Bauarorum ducem in Italiam euocant, qui adita extemplo Italia, principio Veronam venit, & admissus à ciuibus, rex Italiæ, ac Imperator à populo consalutatus est. Quò quum Hugo cum maximo equitatu, multisq; cohortibus occurrisset, conserto prælio profligatur Arnoldus. Berengarium secundum Italia eiectum, qui ad Vngaros cōfugerat, quorum semper amicitiam & auxilium omni studio, fide officioque coluerat, plerique in Vngaria, apud Sueuos alij obiisse tradūt. Tertius verò Berēgarius, primi Berengarij ex filia nepos, ab exilio, multis auxiliis adiutus, in Italiā rediit, sed quorum potentatuum ope id fecerit, præterquam Vngarorum, haud satis cōpertum habeo. Hic quum suarum partium promissum fauorem, & auxilium non inuenisset, Hugonemq; in se arma parare sensisset, ab incœpto destitit, in Sueuiamq; se recepit, id autem Ioanne vndecimo pontifice maximo, à Christiana salute anno nongentesimo trigesimoquinto plerique accidisse prodidere. Eadem tempestate Saraceni, cum ingenti classe, Genuam appulisse dicuntur: quam vbi expugnarunt, inaudita omnis ætatis ac sexus cæde patrata, immaniter cuncta diripuerunt, incredibili præda ditati, in Aphricam rediere. Sed quæ, & quo modo nonnulla Conradi Henricive temporibus gesta sint, ex Vngarorum breuiter annalibus haud abre adiicien-

935.

da esse duxi. Referunt enim eos post Morauiam & Boemiam hostili manu populatas, quæ vltra Danubium magnæ Germaniæ partes sunt, citra Danubium mox arma vertisse, in primisque finitimas sibi Carnorum ac Noricorum regiones, quas Carniolam, Carinthiam, Styriamque nunc dicimus, superioris Pannoniæ caput attingentes inuasisse. Dum eorum incursiones ac impetum Gothofredus Morauiæ dux, & Eberhardus Carinthiæ princeps, cum Gregorio Aquileiensi patriarcha, coercere nituntur, acerrimam pugnam conseruisse, ibi quamuis multi ex Vngaris occubuissent, desideratis tamen ducibus, profligatoque patriarcha, Alemannos quoque fusos & fugatos fuisse. At illos, direptis tribus regionibus, præda oneratos in Pannoniã cum victoria rediisse. Conradum læsis imperij sui finibus, admodum commotum, Augustam Vindelicam petiisse, vt cõparato exercitu, secundo amne Pannonias adoriretur, immanitatemque Scythicæ gentis, omnium populorum ocia perturbantis, pro viribus vlcisceretur, sed Italorum factionibus remoratum ab incœpto destitisse. Quinetiam addunt, Vngaros post hæc tribus annis quieuisse, quarto verò, in Bulgaros memorabilem expeditionem suscepisse, in qua quum omnia è sententia euenissent, cepisse hostium castra, ciuitates & oppida expugnasse, omnia eorum spolia tot annis parta, item quicquid auri argentique illis erat, asportasse, abegisse armenta omnia, & ad nostra vsque tempora erepta illis oppida retinere commemorant. Item post hæc Italiam, quam sæpissime infestarant, repetiisse, Patauium igni ac ferro ab his absumptum. Adita Gallia Cisalpina, Luitarium Vercellensem episcopum, populata basilica, trucidasse. Demum vniuersa Gallia spoliata, opulentissimos in patriam fuisse reuersos, deinceps annos decem seruasse quietem. Deinde Saxoniam, Turingiam, Franciam & Burgundiam incursasse, dum præda onusti redeunt, ab Alemannis ex improuiso interceptos, graue cum his prælium commisisse. Fugatis hostibus, tria Vngarorum milia cecidisse, qui verò pugna superfuerant, reuersos in patriam, annos circiter sexdecim quieuisse. Præterea cum diutino ocio vti non possent, quando ad flagella gentium nati fuerant, Sueuiam repetunt, obsident Augustam. Vrbanum Conradi primi iussu, vrbi cum Italo Alemannicoque exercitu subuenisse, quod quo modo temporibus congruere possit, haud facilè dixerim, quum annis hic septem tantùm imperauerit, & hæc omnia, quæ diximus, sub Conrado primo gesta, eorum Annales fuisse prodant. Ex quo facilè Annalium deprehenduntur errores, & non gestorum, quum non modò hæc Vngari, sed longè maiora omnium Scriptorum testimonio gesserint. Sed quæ referunt, prosequamur, Vngari ab vtroque exercitu in Augustæ obsidione occluduntur, & ita (inquam) occluduntur, vt obsessi potius, quam obsidere viderentur: nam hinc fluuio ex inundatione excrescente, hinc ab Alemanno Italoque hoste arcebantur, nullus fugæ patebat exitus. Alter Vngarorum exercitus, haud procul ab Augusta, in sylua delituerat, & suis qua arte subueniret, haud facilè succurrebat. Numerus erat quadraginta milium, ij dum suos sentiunt partim obtruncari, crucibusque suffigi, partim in captiuitatem duci, alterutrum hostium exercitum secedentem præstolantur, quod vbi factum est, Conradi copias ad Rhenum descendentes adoriuntur. Ex quibus tot capiunt, quot redimendis rependendisque suis sat esse poterant, ne spes quidem eos frustrata est, quando ex his, qui circumuenti fuerant, & capti, quicunque superfuere, facta commutatione restituti sunt. Ex his qui cæsi sunt, nobile Lehelis facinus prædicant, hunc cum Bulcho captum, ad Conradumque ductum referunt. Post hæc percunctanti principi, cur tam diro Christianos animo insectarentur, eum ita respondisse aiunt, Humanorum (inquit) scelerum sumus vltores, & ad supplicia vestra à Deo editi, quum vos persequi desinimus, tunc à vobis, irato Numine, capimur, & obtruncamur. Admiratus hæc Imperator, optandæ mortis potestatem obtulit. Lehel antequam optaret, tubam, qua in bello vtebatur, postulauit, qua data, Conradi caput lethali vulnere, extemplo confregit, Præibis (inquit) ad inferos, & ibi mihi seruies. Credebant enim Scythæ, quoscunque in hac vita cæderent, eorum in altera seruitio esse potitu-

potituros, sed quid credendum sit, quãdo hæc tempori parum quadrant, alij iudicent. Cæteri redemptis sociis vltrà progredientes, ditissimum Vltæ cœnobium prædantur, traiectoq; Rheno, Lotharingiam inuadunt. Apud Argentam occurrentem sibi Erardum, eius prouinciæ ducem, & Bertoldum Brabantiæ tyrannum, conserto prælio, captos obtruncant. Deinde victoria elati, per Gallias effunduntur, templa passim diruunt, & incendunt. Metensem, Treuirensem & Aquisgranensem agrum incursant. Omnia & sacra & prophana populantur, cædibusq; fœdant. Senones diripiunt, Sagusam & Taurinam diruunt. Per alpes denique in Italiam relati, direpta Transpadana regione, in Pannonias ditati 10 redeunt, ac viginti annis in ocio permansere. Exacto hoc ocij tempore, fastidita quiete, posthæc ab Vngaris in Bulgaros instaurata expeditio, Hydropolis expugnatur. Thraciã ingressi, vt intermissum à Græcis tributum recuperarent, Cõstantinopolim acerrima obsidione circumueniunt. Tunc Græcus quidã Giganteæ proceritatis roborisq; ex vrbe prodiens, ad singulare certamen Vngaros prouocat, quin etiam se cum duobus vnà depugnaturum pollicetur. Cui Bothondus Vngarus obuersatus, Ego quidem (inquit) Scythicæ gẽtis minimus, tecum singulari pugna decertare dedignarer, nisi duos tibi socios adiunxeris; quorum exituram tibi animam alter obseruet, alter cadauer tibi humandum curet: quare Imperatorem vestrum, omnino nostræ gentis vectigalem tributa-20 riumque reddam. His dictis, Opouri ducis imperio, in obiectam vrbis portam suas vires experiri iussus, vibrata bipenni ita portam illisit, vt infantibus pateret ingressus. Statuta temporanea pro mœnibus monomachia, quũ vterque in certamen descendisset, postquam aliquandiu decertatum est, interfecto tandem Græco, Vngarus victor euasit. Imperator cum vxore ac ciuibus à muris despectantes, infausta belli auspicia dum ægrè ferunt, faciem auertunt, è singularis pacto certaminis, Vngari tributa repetunt. Dum Græcorum principi ludibrio habentur, longè maiore furore succensi, Græcorũ passim vicos & oppida diripiunt & incendunt, tantaque sæuitia vsquequaque grassantur, vt exinanita vbique Græcia Macedoniaque opulentissimi redierint. Sed de his hactenus, quæ 30 veluti digressoria narratione retulimus. Ad Henrici exitum redeamus, qui primus è Francis in Germanos imperium transtulit, Germaniæque regnum cum laude gessit. Post eius mortem Otho filius suffectus est, qui Matildæ Theodorici Saxonum regis filiæ suspectus erat. Otho non minus animi, quam corporis dotibus excellens, mira virtutum commixtione conditus erat: nam in bello ingens ac ferox animus, alioquin comis & benignus, & præter patriæ morem perquam humanus. Pro domandis Germanorum hostibus etsi multa fœliciter gessit, nullum tamen tutius feliciusq; gessit, quàm id, quo rebelles cõtumacesque proceres æquanimitate, clementia & comitate, in amicitiam societatemque reduxit. Et ea vel maximè ratione fidelissimos habuit, quia se absente, Sa-40 xones Vngaricam gentem, agrum longè lateque prædantem, clade vsque adeo magna confecerint, vt ad multorum ocium annorũ reuocarint. Deinde Henricus, Bauariæ dux, vt Italiæ commodo bene consuleret, Aquileia capta in proximas vrbes castra mouit. Vngari quietem abominari, veluti resarciendæ iacturæ ignauiæ gratia, Italiam repetẽtes, Iustinopolim proficiscuntur. Et dum vltrà progredi contendunt, Henricus occurrit, quos vno alteroque prælio ita profligauit, vt relato pede Pannonias repetierint. Henricus victoria elatus, Ticinum vsque Transpadanum agrum incursat, sed vbi Berengarium, qui cùm Lothario Hugonis filio in Italia regnare cœperat, multas in se cohortes, ac maximũ equitatum comparare nouit, continuato itinere, in Austriam se recepit. Vix Beren-50 garij opera tumultus Italiæ planè desederat, quum Toxis Vngarorũ rex, quem ipsi Toxum dicunt, diui Stephani regis auus, & Geysæ pater, quum Henricum in Italia, pulsis Vngaris, regnare rumor esset, incredibili copiarũ apparatu Italiam inuadere statuit, ne Bauaros in Italia dominari pateretur, & vt contumeliosam suæ gentis repulsam vlcisceretur. Itali audito Vngarorum apparatu, quem (vt fieri solet) multo maiorem fama reddiderat, ingẽti pauore deterren-

tur. Berengarius tertius, cui non prudentia minus quàm fortuna fauit, Albertũ filium ad exorandum Toxim extemplo misit obuiam, vt promissa ingenti pecunia, Scytharum tempestatem deprecaretur. Ita victus adolescentis promissis & precibus est Toxis, vt acceptis decem argentei nummi modiis, Italiæ parceret, Pannoniasque repeteret. Post hæc pacata Italia, Berengarius, Alunda Lotharij vxore in carcerem coniecta, post viri mortem, qui solo nomine regni fruebatur, Albertum filium, data Lombardia, Italiæ Regem pronunciauit, se verò Augustum, & Imperatorem Romanum appellauit. Verùm enimuero eorum imperiosa tyrãnis quum omnibus ferè odio esse cœpisset, & de Pontifice ac optimatibus vterque malè mereretur, Othonem in Germania & Francia res magnas cum summa laude gerentem, Agapitus pontifex maximus, & pars maxima procerum in Italiam conuocant, ac rebus opem afflictis exposcunt. Oblatam ingentis gloriæ occasionem accepit Otho, quinquaginta milium comparat exercitum, & vsitata per Foroiulianum agrum via Italiam adit. Cum Berengario & Alberto congressus, vtrunque superat. Potitus Italia, Alundam Lotharij quondam vxorem, apud Ticinum carcere liberat, liberatamque vxorem accipit. Victis ac supplicibus, Berengario Albertoque filio non solùm facilè pepercit, sed Lombardiam omnem, præter Veronam & Aquileiam, precario nomine gubernandam delegauit. Albertus paulo pòst, apud Rauennam, mercatores Venetos variis incommodis affecit, quippe qui Comaclesium classe fretus, Adriaticum sinum piratico more late discurrens, Venetos admodum infestabat. Quare adacti Veneti, tumultuaria classe Comaclum adoriuntur incautum; atque mox vi captum vnà cum oppidana classe succẽdunt. Dum Berengarius & Albertus in Cisalpina Gallia & Flaminia dominantur, Græci simul & Saraceni, Apuliam, Calabriam, Lucanos & Salentinos miserabili bello vexabant. Romana respublica à duobus consulibus, more maiorum, & præfecto vrbis, qui populo ius dicebat, duodecimque tribunis è plebe delectis, eo tempore gerebatur, quorum magistratus Decarchon Græcè, Latinè Decemuiratus dicebatur. Et quicquid in Hetruria, intra Tudertum, & vrbẽ veterem, item intra Marsos, Reatinos, atque Neapolim continetur, Romanæ reipublicæ ditionis erat. Otho Hugonem Parrhisiensem (vt aiunt) comitem, in Lodouicum Franciæ regẽ noua molientem, duplici expeditione ad regiæ potestatis obsequium redegit. Bogislaum Boemiæ regem, sibi quandoque reluctantem perdomuit. Quod Vngari iniquo animo ferentes, instauratis vtrinque odiis, comparatis munitissimis legionibus, & equitatu, more plus quàm hostili Germaniam repetũt, rati Othonem Franciæ rebus implicitum, patriis populis haud facilè subuenturum. At Imperator Otho, audita Germaniæ vastitate, contractis vndique auxiliis, patriam repetit: Vngaris, qua potuit pernicitate, occurrit. Quum acies vtrinq; constitissent, tantis ardoribus ac odiis ab vtrisque concursum, vt supra excrescentem in medio cadauerum aggerem diebus aliquot dimicarint, sola tantùm nocte à pugna cessatum. Quamuis tunc Germanis victoria cesserit, & illa quidem cruentissima, Vngari tamen victi & superati dici non possunt, quia nunquam cessere, sed obstinatissimis animis ad internecionem vsq; ferè depugnarunt. Quo quidem bello, quum innumera multitudo occubuisset, Vngarorum vires adeo eneruatæ sunt & exhaustæ, vt multis annis in Pannonia ab omni se expeditione continuerint. Tres in eo prælio Vngaricæ gentis reguli capti sunt, quos Germani, præter virorum dignitatem Othonis imperio, vt perpetuum sta tiuis hostibus facerent stomachum, dum infami morte sugillarent, laqueo suspenderunt. Quare Othonis fama ita passim diffusa vagatur, vt ad liberandam à Ioannis duodecimi lue imperioq; Italiam, & à Berengarij sæua tyrannide asserendam, omnes vltrò proceres ac populi conuenirent. Otho verò tanti momenti expeditionem subiturus, filium septimum vix natum annum, apud Aquisgranum Germaniæ regem declarauit, ipse cum multis legionibus in Italiam proficiscitur. Ne defuere quidem nõnulli Italiæ populi, qui montibus editissimis freti, Saracenorũ aduersus Othonem auxilia implorarunt. Ioannes verò pontifex,

omnis intemperantiæ nota ſugillatus, duos Cardinales, quos Othonem literis accerſiſſe nouerat,alterũ naſo, manu alterum mutilaſſe fertur. Otho pacata Italia, Berengarium Albertumque filium in ſuam poteſtatem redactos, alterum Conſtantinopolim,in Auſtriam alterum relegauit,qui ſquallore ſituque obducti,miſerrimè periere. Hunc igitur finem, poſtquam Franci Italiæ regno imperioque eiecti ſunt,imperatores,reges,& tyranni Italia oriundi,qui ad annum vſque quintum & quinquageſimum imperarunt,ſortiti ſunt. Sed ad Toxim redeamus,Stephani beatiſſimi regis auum, de quo Vngaricarum rerum ſcriptores, quæ referant, noſcere erit haud dubiè operæprecium. Hic quum omnium Scythicę gentis procerum ſuffragiis regnum obiiſſet,ne ingrato Vngaricam ferociam ocio torpeſcere pateretur,& vt priſcas Francorum iniurias, & impia facta vlciſceretur, atque his imperare ſtuderet, qui Caroli tempore, diu Pannoniis imperarunt,Gallicam affectatius expeditionẽ ſuſcepit. Quum prouinciam per legatos inuaſiſſet, eaque latè direpta, oneratus exercitus Rhenum in reditu traieciſſet, quamprimùm Germaniam attigit, in partes treis diuiditur. Ex quibus quum duæ ſine honore,contrà verò tertia,cum victoria Pannonias repeteret,quam victricem Saxones redire intellexerant,ad Iſmacam Turingiæ ciuitatem adoriuntur, præter ſeptem, quos viuos ceperant, ex hac ad vnum omnes crudeliſſimè trucidant. Septem, quos captiuos reſeruarant, vt illatam ſuis cladem referrent,amputatis auribus in Pannoniam dimiſerunt.Quibus hęc mandata dedere, Ite (inquiunt) ad veſtros redite Vngaros, & noſtro nomine nunciate,atque re ipſa,& exemplo admonete veſtro,ne ſuppliciorum regionem repetant. Duæ verò partes,quæ ſuperfuerant,audito ſuorum caſu,antequam Sueuiam attigiſſent,ſpolia deiecere,vt expeditius dimicarent: depoſitiſque ſpoliis, quicquid hominum pecorumque occurrerat, contrucidarunt, magnificaſque inferias ad placandos ſuorum manes factitarunt. Illi verò ſeptem, qui auribus deformati rediere,quia cum ſuis mori recuſauerant,aut poſt eorum cædem, in captiuitate ſuperſtites eſſe paſſi fuerant, hac ſeuera iudicum ſententia mulctati ſunt. Omnia eorum bona in ærarium publicum relata,ipſi ab vxoribus ac liberis abdicati,nudis ſemper pedib. incedere,per ſingula in caſtris mendicare tentoria,nihil vſquam,quoad vixerint,poſſidere iuſſi ſunt. Perpetua demum ignominiæ nota his inuſta,quæ à cognomento profluxit:Lazari nanque, & mendici ſunt appellati. Sed Othonis mentio repetatur, qui profligatis Italiæ tyrannis, Romam profectus,honorificentiſſimeque in Vrbe admiſſus,quando vniuerſus Romanus populus in eius occurſum effuſus fuiſſe dicitur, à Leone octauo pontifice maximo, ex more, imperiali corona donatus eſt, & Imperator Auguſtus appellatus. Primuſque fuit,qui poſt tranſlatum in Germaniam Romanum Imperium,imperiales titulos,ac fauſtas acclamationes ritè ſuſciperet,quod in pręſens vſque tempus obſeruatum eſt. Quinetiam eò inſolentiæ prouecta eſt Germana ſuperbia,vt ob hanc vnam calamitoſam & cruentam Othonis victoriam, ex Vngaro neque fuſo neque cedente relatam, imperij quoque Pannoniæ titulos vſurpet. Blandiri ſibi potius ex re parua, quàm alienam gloriam recenſere ſtudet, illud quandoque ſuccurrere debuit, etſi Romanis aliquando formidoloſa fuit, Vngaricæ tamen ſæuitiæ, vaſtationis & rapinæ fuiſſe gymnaſium. Vtinam hæc minus verè,quàm affectatè cuique dicere liceret.Sed Itali ſæpius, & Græci, Vngaris incurſantibus,pependere ſtipendia,aut eorum pacem cariotis mercati ſunt, quàm fari liceat. Galli, Europæ populi haudquaquam ignobiles,propter Vnnorum incendia, vaſtationes & excidia, vix per multa tempora reſpirarunt. Diuinum Vnno flagellum à principio è cœlo datum,Vngaricæ nũc dextræ orthodoxæ fidei propugnaculum. At re ac meritis potius, quàm nomine vmbráve,imperatorium nomen adipiſci,id omnium ſapientum iudicio, glorioſius iure cenſetur. Sed quando apud nobiles pleraſque nationes virtus elanguit,ardorque gloriæ tepuit, quum omnium ſit viciſſitudo rerum, à peregrinis quandoque gentibus,ſi qua geſtarum rerum gloria polleant,opus eſt,æquo animo ſuperari patiamur: vel ſi id pati nolimus, viribus & ingenio ſuperemus.

Toxis.

Sed ad diuerticulum reuocetur oratio. Vrbem Romam Otho Imperator sæpe reuisit, vt pontificum contumelias & vexationes quandoque corriperet. Paulò pòst Saraceni, quos ad Garganum montem consedisse, haud procul a Sipontino sinu, ac Italiam diu vexasse diximus, quos neque Græca Italaq; nobilitas, neque Gallicus Germanúsve fastus eiicere potuit, à peregrina Sclauorum gente, quæ Dalmatiam olim occuparat, cum maxima cæde extrusi dicuntur. Atque hi Sclaui fuisse affirmantur, quos sub Sueropylo rege, Adriani secundi pontificis temporibus, Christianos factos fuisse legimus. Quinetiam si Crescentino Metropolitæ credendum est, Vngaros ille refert, post Sclauos in Italiam classe delatos, reliquas Saracenorum copias quæ remanserant, extrema clade confecisse, quinetiam Græcis omnē eam Italiæ oram, Saracena manu liberatā, redimentibus concessit. Paucis pòst annis, dum Otho in Germania versatur, Saraceni magna cum classe redeunt, & in Calabriam delati, Consentiam metropolim acerrima obsidione premunt, & captam tandem populatamq; succendunt. Græci interea, vt suæ populorumq; saluti cōsulerent, & Calabros, Salentinos & Apulos sine detrimento seruarent, cum Saracenis inducias constituêre. Pandulphus, Campanus princeps, Cephalenæus cognomento dictus, quum ad Othonis aduentum Romam venisset, pontifici imperatoriq; suasit, vt is Germanicas legiones, quas secum attulerat, ad expellendos Italia Saracenos conuerteret. Quare persuasus Imperator, Othonem filium bello haud dubiè immaturum copiis præfecit, Pandulphumq; collegam, vel moderatorem potius adiecit. Saraceni, audito Germanorum aduentu, corrasa vndique præda in Aphricam abnauigarunt. Quòd si Græci, qui cum Saracenis fœdere coniuncti erant, resistere tentassent, haudquaquam facilè illi abiissent. Sunt qui dicant, Othonem expeditionem illam non in Saracenos, sed in Græcos suscitasse, qui desponsatam sibi Nicephori Imperatoris Constantinopolitani filiā, à patre tradi minimè tolerabant. Othonem iuniorem, cōserto prælio, Grecos non modò fugasse, sed vniuersa Calabria & Apulia eiecisse, Romamque cum insigni victoria reuersum, à patre imperii consortem ascitum, & à Ioanne tertiodecimo pontifice maximo triumphalibus insignibus ritè donatum, à populoque Romano Imperatorem, Augustum ac Cæsarem appellatum. Sed quum Imperatores in Germaniam, secundùm coronationis celebritatem, ambo rediissent, paulo pòst Viennæ, Danubii accolæ, Otho maior vita excessit. Otho igitur secundus, extincto patre, Henricum Bauarorum ducem, ab Imperatoria fide desciscentem domuit. Interea Lotharius Rex Francorum Lotharingiam inuadit, dum Othonem Bauarico bello videt implicitum, capta prouincia, Aquisgranum agrum populatur, Parrhisiumque reuertitur. Otho pacata Bauaria, Lotharingiam recipit. In Galliam conuersus, Lugdunensium, Suessionumque agrum diripit, & incendit, vltraque profectus, Parrhisiorum suburbia ferro igniq; vastauit. Mox à Græcis Othoni in Italia bellum instauratur. Nam Basilius & Constantinus, nulla habita affinitatis ratione, quum exactis è Creta insula Saracenis, pacta stipe conductis, vt oram Italiæ sibi ereptā recuperarent, Barum in primis vrbem capiunt, & ne amplius rebellare posset, eius ciues partim cæsi, partim in Græciam relegati sunt. Vltrà progressi, Matheram diruunt, quare Apuliam & Calabriam, quum vltrò se dedidissent, in potestatē repentè redigunt. Quum hæc omnia Othoni nunciarentur, facta cum Lothario pace, in Italiam rediit. Theophoniam vxorem, Ioannis Constantinopolitani Imperatoris sororem, secum duxisse fertur. Sichardus auctor est Othonem prius quàm in Græcos copias duceret, Sclauoniam & Dalmatiam, eorum prouincias præsidio carentes, incendiis, cædibus & rapinis admodum affecisse. Mox exercitum in Italiam traiecisse, venisse Romam, ibique delectum habuisse, & tumultuaria vndique auxilia contraxisse, ad præstitutum omnes diem conuenisse Romam, mox cum exercitu in Apuliam profectum, ad Beneuentum habuisse statiua, quò Beneuentani, Campani, & cum Salernitatis Neapolitani ex edicto conuenere. Quibus ante cæteros ordines præmissis, ad Basentellum mox oppidum præ oculis hostem

ftem habuere: quum ibi congredi placuisset, pari vtrique odio & ardore à principio dimicarunt. Sed quum Romani Beneuentaniq́ ex acie profugi, non solùm prælium detrectassent, verùm etiam signa deseruissent, cęteræ Imperatoris copiæ omnibus ferè auxiliis destitutæ, dare terga cogebantur, quare non modò fusæ & fugatæ, sed ad internecionem vsque cæsæ. Othonis quoq; vires eousq; eneruatæ, vt si Græci victoria potiri sciuissent, iam tunc de vniuersa Italia fuisset actum. Otho ad littus deuolans, quum scapham conscendisset, vt ea salutem fuga quæreret, a piratis interceptus, in Siciliam delatus, promissaq́; ingenti pecunia, Romam dimissus est, quod vbi sensere Siculi, a piratis supplicia sumpsere. Legendis fugati exercitus reliquiis, omnem, quam potuit, operam Imperator intendit, copiarum præsidio destitutus, quum in Romanos signorum desertores sæuire non auderet, in Beneuentanos iram exercuit. Nam cæteram Romani populi multitudinem armorum compotem, cum reducibus eduxit, Beneuentanos nil tale timẽtes adortus, sub prætextu defensionis, vrbem cepit, captamq́; populatur, diruit, & incendit. Otho Romã deleto Beneuento reuersus, paucis post diebus diem obiit, corpus in diui Petri basilica reconditum. Quum Romæ Germani de eligendo Imperatore decernerent, alij Othonem tertium huius filium, alij Henricum Bauariæ ducem, Othonis primi ex fratre nepotem optarunt. Contra Romani Imperium in Italiam reuocandum esse censentes, Crescentium Nomentanum consulem crearunt, vt sub specie consulatus subiret Imperium. Germani tandem in patriam relati, Othonem tertium, Imperatorem designarũt. Dum hæc in Italia Germaniaq́; geruntur, Vngari, primi Othonis conflictu eneruati, de quo paulò suprà dictum est, quum nihil ab his aliud gestum inueniam, præter ea, quæ de Toxe retulimus, in quiete mansere. Sed vt Vngarici referũt Annales, post regis Toxis obitum, Geysa filius, Pannoniarum regnum (vel ducatum potius) hæreditario iure suscepit, vir quidem religiosissimus, amator ocij, sanctitatis & iusticiæ, Numæ Pompilij more. Trucẽ feramque gentem, ac bello semper obnoxiam, contra instituta maiorum, à belli studiis auertere, & ad mansuetudinem cultumq́; diuinum reuocare cœpit. Neque ignorabat sapientissimus ille princeps, prima post Carolum Magnum fidei fundamenta iacturus, Vngaricam gentem quamcunque opinionem admitteret, pertinacissimè sectaturam. Quòd si facere posset, vt Christianam fidem prægustaret, eam haud dubiè semper retenturam. Bella in Austrlam tantùm aliquantò obstinatius gessit, quam mortuo Rudigerio tyranno occupauit. Sed Henricus primus Cæsar in Germania declaratus, Leopoldo illustri Sueuiæ duci, qui sororem eius vxorem duxerat, Austriam Imperio Romano recidentem, ea conditione delegauit, vt si Vngaros hinc eiiceret, ea quæ quondam Orientalis Marchia dicebatur, ducis primus nomine potiretur. Leopoldus expeditionis conditionem accepit, in Geysam comparato exercitu proficiscitur. Ad Mellicum oppidum, quod Danubio prominet, cum hoste congreditur, cedentibus Vngaris, Geysa, ne rem alienam vi occupatam peruicacius tenere videretur, Austria excidit, & cum Alemannis pacem fecit. Henricus, ex cognomento Rebellis, Leopoldi filius, post mortem patris, in ducatu successit: sed cùm Imperio parere recusaret, dominatus iure priuatur. Quod vbi sensere Vngari, vt armis olim parta recuperarent, regnante Aba (quem Albuinum, vel Ouonium Annales plerique nominant) ea validissimis copiis repetunt, occupantque. Sed quum Henricus deposita cõtumacia, ad Imperij fidem rediisset, vt auxilium pro recuperando ducatu imploraret, ex Vngarorum manibus eruere nequiuit. Demum Albertus eius filius, & Leopoldi frater, impetratam ab Henrico diuo prouinciam, paucis mensibus in potestatem suam redegit. Vnde cęteri Austriæ duces, ac diuus Leopoldus ritè profluxere. Sed ad Geysam redeamus. Imperante igitur Carolo Magno, Pannonia prima orthodoxæ fidei rudimenta habuit, à paucis tamen imbibita. Sed Carolo vita excedente, quum paucis pòst annis rebellare cœpisset, prægustata religio exoleuit, & si qua eius vestigia remansere, in tanta feritate abolita sunt, vt nonnulli diuinitus inspirati, quæ de vera religio-

ne sentiebant, in publicum edere non auderent. E quibus, si qui aliquo indicio delati fuissent, aut publicè ludibrio habebantur, aut prophani reputabantur, quando Deos patrios contemnerent, & peregrinas superstitiones sectarentur. Sacra clandestina ab his fieri, qui catholica fide fuerant initiati, nocturni conuentus haberi, & finitimorũ sæpe consuetudine, vt ab his in sacra lege erudirentur, vti. Carni & Norici, item Bauari & Germani vltrò Christi nomen profitebantur. Hi vicinos sibi Vngaros, qui in finibus habitabant, fidei coniunctione, mitiores reddebant, & ad propagandam in alios fidem hortabantur. Hi sæpe cunctis votis optarant, aliquem quandoque dari principem, qui potentia & auctoritate tantùm polleret, vt in salutarem sapientiam Vngaricum genus asse- 10 reret, idque ita instirueret, vt non minus animi incolumitate, quàm robore corporis præcellere videretur. Sed veluti ea, quæ intempestiuius præcoquuntur, citiùs quoque deficiunt, contrà verò, quæ tardius, exactiorem ac magis diuturnam maturitatem assequuntur. Ita populi diuinam serò nacti gratiam fidei, eam multo pertinacius retinere consueuerunt. Citò nanque orta, citò quoque occidere solent. Piorum votis Geysa princeps occurrit, qui acceptam Christi fidem, regno potitus, amplificare contendit. Animorum salutem, multo impensius, quam seculi gloriam, & corporum voluptates curare videbatur. Vehementer indolebat vir publicæ saluti natus, progenitorum seueritatem nondum mitescere, eorumque labem adhuc aboleri non posse ægrè ferebat. Contra maio- 20 rum instituta obnitebatur, qui præter rapinas, cædes & incendia, nil vtile ac gloriosum reputarant. Ne minus quidem ipsorum cæcitatem deplorabat, quando eos tot & tantas vires, conatus & labores in cassum effudisse intelligebat. Non pręteribat mortalia duntaxat curare, mortalis tãtùm esse animi, illud quotidie succurrebat, se a diuina benignitate idcirco regno donatum, vt non tam corporibus, quàm animis hominum imperarent. Item se diuino fidei lumine, idcirco diuinitus illustratum, vt qui solus præ cæteris diuina sapientia saperet, alios auctoritate sua ad resipiscentiam reuocaret. Quare sanctos vndique viros acciri iubet, qui per Vngariæ populos effusi, veræ fidei rudimenta traderent, falsam ac Barbaricam religionem abrogarent, erudirent feros homines, eosque 30 patria religione eximerent, & Iesu Christi nomen vnigeniti Dei filij pro virili parte prædicarent. A principio maxima pars procerum, haud parum regis superstitionem mirari cœperat, ac illud in primis, quòd cæremoniis potius, quam bello intentum conspicarentur. Quin & sæpe incusare, parum sibi esse negocij, indicenda bella negligere. Ad inediam, ac inopiam omnes extremam, continuò redigi, nisi foris incursionibus & rapinis exercerentur. Obdurandam assiduo bello iuuentutem. Nouas religiones disquirere affectatius, muliebris esse stoliditatis. Ne deerant quidem sæpe aliqui, maiestati regiæ illudere ausi, & eam pro nihilo ducere: item, qui imperia detrectarent: necnon & multi, qui prophana mente væsanius agitati, stulticiam regis liberius increparent. Quine- 40 tiam & sæpe ioco ab his multa obiici solebant, quæ animorum iniquitatem indicabant. Omnibus tamen, prout cuiusque res postulabat, prudentia regia rectè prospexit. Mites verbis, difficiles minis, obstinatos armis, aliqua ex parte perquam commodè curauit, & diuinæ lucis compotes effecit. Quum proceres, multique tyranni obnixius reluctarentur, & longè maiora curanda esse inclamarent. Neque sua vi facilè coercere posset, finitimorum auxilia implorauit, quibus ad veram sapientiam peruicaces animos retraheret. Quin illos populos sibi studiosius reconciliare curauit, qui maiora ab Vngaris detrimenta acceperant. Omnes nanque finitimæ regiones, quum Christianum regem Vngaris imperare nouissent, insperato affectę gaudio, societatem & fœdera vltrò de- 50 tulere, item vt ad sacrosanctam eos fidem redigerent, omnes fortunas & auxilia promisere. Bauari, Saxones & Sueui, cæterique Germani, Geysam non modò pecuniis, sed auxiliaribus quoque copiis adiuuarunt sperantes, si fortè Vngari Iesu Christi fidem acciperent, ne amplius quidem latrociniis ac cædibus grassaturos, diuino timore præditos, Scythicam facilius immanitatem exuturos.

Geysa.

ros. Quare quum nostri Saluatoris nomen per Pannonias liberè promulgaretur, falsum deorum cultum, homicidia, furta, crudelitatem publicè abominari ferè cœpere omnes, item prælibare fidei dulcedinem, vtranque intelligere charitatem, pietatem & iusticiam amare, detestari falsa numina, & diuino denique amore succendi. Geysa quoque sacras ædes erigere, disponere collegia sacerdotum, rem sacram quotidie facere, exẽplo suo alios cohortari. Quum Vngari, hospitalitatis olim expertes, & externorum inimici forẽt, aut quia finitimos omnes bello lacesserant, vel quia sedes alienas, quas occuparant, aliena consuetudine amittere vererentur, peregrinos imbuti fide mercatores admittere, eo-
10 rumque commerciis vti non reformidarunt. Versari familiariter cum vicinis populis, & mutuis hospitia meritis instituere, deponere feritatem, & vrbanitatem tunc discere visi sunt, ex quo facilè colligere possumus, Christi fidem, virtutum omnium esse fundamentum, contrà verò perfidiam prophanam, vitiorum omnium fore gymnasium. Dum rex Geysa diuino spiritu afflatus, dura Vngarorum pectora mollit, mentes lustrat hominum, & cœlestem lucem infundit, quod sine longo tempore nequaquam fieri poterat, Otho tertius, copiarum multitudine, & Vngarorum quiete fretus, qui vt ad verum Dei cultum redigerentur, cum familiari potius hoste, quàm externo pugnare cogebantur, Italiam repetit, ac vrbem Romam, quæ ab eius defecerat imperio, acri obsidione cir-
20 cumuenit. Populus verò Romanus, qui præcipiti consilio, magnoque furore Crescentium consulem crearat, ac veluti dictatori, reipublicæ summam tradiderat, ne quid illa detrimenti pateretur, quum nihil vulgo instabilius ac magis varium inueniatur, mutatis repentè studiis, pacem misericordiamque Imperatoris supplex exorauit. Patefactis mox, haud inuito consule, portis, Germanos admisit. Consul, & Pontifex Ioannes eius nepos, in munitissimam Adriani molem, quam nunc sancti Angeli arcem dicunt, se receperunt, quæ quum neque longa obsidione, neque diutina oppugnatione capi posset, Germani vnà cum optimatum perfidia, oblata spe salutis, ad Imperatoris obsequium ac veniam descendere iussos fefellere, medio in itinere intercipiunt. Crescentius extem-
30 plo trucidatus, Pontifex oculis orbatus est. Gregorius autem quintus pontifex maximus, vndecimo exilij mense restitutus, iniurias à populo Romano susceptas vlciscitur. Paulò pòst Germanorum ope, in dignitatem pontificiam reuocatus, & quum ipse quoq; Germanus esset, Saxonũ genere natus, & arctissima consanguinitate Othoni coniunctus, imperatoriaq; opera & auctoritate ante hæc ad pontificatum euectus, vt nationi suæ blandiretur, eam de Imperatorum electione sanctionem promulgauit, quæ per annos vltra quadringẽtos diligentissimè seruata est. Solis licere Germanis, quibus eligẽdi potestas data est, Principem creare, qui statim Cæsar, & Romanorum Rex dicitur, & quum à Romano pontifice maximo, corona donatus, approbatur, Imperator Augustus appel-
40 latur. Ex metropolitanis Electores hi sunt, Maguntinus, Treuerensis, & Coloniensis: è principibus tres, Brandeburgẽsis, Palatinus, & Saxoniensis: è regibus vnus tantum, Boemiæ rex. Sanctio facta salutis anno secundo supra millesimum, distincta inter Electores officia. Tres primi Cancellarij sunt, Germaniæ primus, secundus Galliæ, Italiæ tertius. Brandeburgensis Camerarius, Palatinus Dapifer, Saxoniensis Ianitor, Rex Boemiæ Pincerna est. Promulgata sanctione, Otho in Germaniam rediit, Gregorius Pontifex paulò pòst diem obiit. Sed futilis & vana eius Imperij censenda est gloria, quæ non æqua & integra sanctione, non præstantia virtutum, & gestarum rerum excellentia, sed prauitatæ charitatis nititur affectu. Sanctiones enim Christianæ reipublicæ, quæ
50 tanti sunt momenti, non priuatæ dignitatis rationem, sed vniuersorum commoda, & principum merita respicere debent, ne qua inter nationes, peculiari aliqua potestate dissensio oriatur. Quare hæc sanctio aliquantulum ampliata, nam Henrico, post Othonem ad imperium assumpto, primùm institutum fuit, vt in futurum, non per sanguinis successionem duceretur Imperium, sed proceres quidam in Germania principes, vnà cum quibusdam Pannoniæ princi-

Gregor. V.

1002.

pibus (vt Palmerius auctor est) eligendi Imperatoris potestatem haberent, quod in hodiernum vsque diem seruari solet. Geysa igitur, de quo nil ferè Vngarorum Annales referunt, iactis haud paucis veræ fidei fundamentis, vita excessit: diuumque Stephanum, qui hæreditario iure ad potestatem regiam elatus est, filium reliquit.

PRIMAE DECADIS FINIS.

ANT. BONFINII RERVM VNGARICARVM DECAS SECVNDA.

Eiusdem ad diuum Vladislaum, serenissimum Vngariæ Boemiæq; Regem, Præfatio.

RES Vngaricas idcirco altius, serenissime Vladislae, superiori Volumine repetendas esse censuimus, vt gentis tuæ nobilitas, quæ Scriptorum inopia in obscuro diu delituerat, quantum fieri potuit, reuocaretur in lucem. Quod vt facilius efficeremus, vtranque Scythiam & Vngariam à principio descripsimus. Scytharum originem, mores ac gesta, qua potuimus breuitate, retulimus. Et cum Vnnis, Gothorum, Vandalorum, item Alanorum & Gepidarum bella complexi sumus. Neque Longobardos, Bulgaros, ac Romani Imperij gesta prætermisimus. Adiecimus alia quoque permulta cognitu non indigna, vt Historiam non iniucunda rerum varietate condiremus. Ad diui tandem Stephani Regis tempora venimus, vt in hoc Opere, quod adspirante tuo numine, felicibus auspiciis adorti sumus, sua cæterorumq; Vngariæ Regum gesta, ex diligenti inuestigatione comperta, ad Sigismundum vsque Romanorum Imperatorem, ex ordine prosequeremur. Proinde nostro faue ingenio, Princeps inuictissime, ac sanctissimi Regis, cuius nomen tantopere veneraris, in primis hinc vitam & gesta religiosius recognosce: vt hac pientissima commemoratione, res Vngaricæ, virtute ac sapientia tua latiùs amplificatæ, Diuino eius patrocinio communiter persistant.

ANTO-

ANTONII BONFINII RERVM VNGARICARVM DECADIS SECVNDÆ LIBER I.

Toxis. *Geysa.*

DIVO Srephano, Toxis vetustissimo Vnnorum genere natus, auus fuit, pater verò Geysa, & Michael patruus, patrueles autem Caluus, Ladislaus & Vazul. Geysam ferunt Scythicam immanitatem abominatum fuisse non parum, postquam è prophana illa Vnnorum impietate resipiscere cœperat, & se longè alienigenis, quàm suis mitiorem præbuisse confirmant. Quippe qui ne vi aut ferro coinquinatos, & infestos Vngarorum animos curare cogeretur, cum finitimis vndique populis, pacem suis incognitam iniuit. Quinetiam tutum Christianis omnibus aditum, & inuiolabilia hospitalitatis iura, solenni edicto exhibuit. Sacerdotibus, & sacræ legis præceptoribus, vt in Pannonias alliceret, stipēdia magna proposuit. Passim sanctos viros disquisiuit, qui veri Dei nomen rudi & insolentissimæ genti publicè profiterentur, ipse cum plerisque aulicis, orthodoxæ fidei sacris initiatus est. Et vt in superioribus scriptum est, nulla vehementiori sollicitudine premebatur, quàm quòd plebem duræ ceruicis, & feros procerum animos ad religionem veram, non sine magno labore ac ingenti sæuitia reuocare posse videbatur. Succurrebat & illud, quantæ molis erat, ingenitas deorum opiniones exuere, abolere patrios ritus, nouæ religionis templa statuere, & antiquatis maiorum cæremonijs, sacram ab hostibus, quos grauissimo sæpe bello contriuerant, legem accipere. Dum Geysæ animus, præ diuino timore, ac populi salute fluctuat, ecce diuina clementia, quæ cultoribus suis semper occurrit, per cœlestem ex alto interpretem, in somnis eum consolatur, omnem sollicitudinem deponere, ac bono animo esse iubet, neque eum tali cura vexari oportere, vt sacella dicet, sacrosanctos introducat antistites, Scythicamq; gentem a prophana religione vindicet, quādo sanguine pollutas manus habet. Neque vllo modo fas esse, infectas humano cruore manus, pias ędes erigere, orthodoxæ fidei fundamenta iacere, quæ pias tantùm & nullo facinore contemeratas exposcunt. Sanctissimū ex eo filium proditurum pollicetur, qui ad hæc quæ tanti momenti sunt, à Diuina benignitate est prædestinatus. Hunc etiā Diuino consilio, sacrosanctum Vngariæ Regem futurū, propagaturum Christi nomen inter suos, & hunc vnum plebi suæ salutem veram pariturum. Demum admonet, se virum sanctissimum propediem esse missurum, cuius monitis eum obtemperare iubet, quum Diuina hunc mandata delaturum, & gratissimam Deo victimam dicaturum esse significet. Quum cœlestis in auras se recepisset interpres, Geysa repente somno experrectus, immortales Deo gratias agit, se, regnū, filiumque futurum Iesu Christo optimo maximo commendat, grauissima sollicitudine leuatur. Diuinum somnium & mandata, cum fidelibus plerisque familiaribus communicat. Paucis pòst diebus sibi nunciatur, Adalbertum virum grauissimum, Boemiæ Antistitem, ac mira vitæ sanctitate præstantē propediem adfuturum, vt Vngaros à falsa religione redimat, Deique mandata, publicamque salutem Scythis enunciet. Hunc extemplo eum virum Geysa fore intellexit, cuius in somnis fuerat admonitus, quare neq; vana, neque irrita sua somnia fuisse conspicatur. Cùm Sacerdotibus Adalberti aduētum patefecisset, ne parua quidem inter eos lætitia mox exorta. Rogati huiusce viri mores, sanctissima quæque illi referunt, hunc ex optimatibus Boemiæ natum aiunt. Patri Sclauicum fuisse nomen, Matri verò Stresilauam. Parentes vtrosq; probitate ac opibus præpolluisse, imperasse Lubeco, quæ quidē metropolis sita est, vbi Cidlina

fluuius Albim influit. Quinetiam in Boemiam, ad Surinam & Nisam vsque fluuium in Teuthones, ad mediũ vsque Hercinię syluæ, versus Morauiam, ad Suitanam vsque amnem, & in Poloniam, ad Glastum vsque oppidum, agrum amplificasse referunt. Ab infantia quoque, grauissima febre correptum, ad Diuæ Mariæ Virginis ædem perlatum, à parentibus nuncupato religionis voto, si morbo euaderet, repentè conualuisse. Deinde ingenuè educatum, optimarum artium disciplinis mirificè claruisse, decedẽte Boemorum episcopo, omnium Procerum suffragiis, in demortui locum fuisse suffectum, quando moribus & doctrina, in vniuersa ferè Germania, ne alter quidẽ facilè reperiri poterat. Quinetiam eo die quo Boemiensis Pontifex designatus est, huius viri sanctitate miracula edita fuisse adiiciunt. Hominem dæmonio percitum, inter exorcizandum ab eo fuisse destitutum, ac exclamasse, se in homine, quem incesserat, diutius idcirco residere non posse, quia postquam Adalbertus pontificatum iniit, omnes è Boemia cacodæmones, huius Antistitis potestate procul abigi cogerentur. Inito pontificatu, nil ei fuisse antiquius, quàm impias populi mentes ad salutem reuocare, obstinatos procerum animos pia religione mollire, ac sacerdotum denique intemperantiam coercere. Quod quum præstare non posset, ne in cassum piscari videretur, relicta obduratissima gente, Romam venisse, ac monasticum habitum sumpsisse dicebant. Quare iratos Boemos, Lubecum eius patriam clàm inuasisse, quinque Adalberti fratres, dum sacra facerent, ante aras obtruncasse, cæteros verò ad vnum omneis interfecisse. Deinde Boleslai Boemiæ ducis opera, Pragam reuocatum, quum pristina populum perfidia obduratum inuenisset, continuò abiisse, ac rediisse Romam, vt in salutari ocio requiesceret. Paulo pòst tempore, habita synodo fuisse decretũ, pastorem quenq; susceptum gregem curare oportere, neq; sine maximo scelere deserturum. Adalbertum promulgata hac sanctione, cum Põtifice summo peregisse, vt si propriæ oues suam vocem non audirent, liceret sibi inter exteras peregrinari nationes, veræ religionis expertes, vt aut eas ad Christi fidem reuocaret, aut si non posset, aliquam apud has martyrii palmam sortiretur, nunc denique famam esse, hunc in Pãnoniam non temerè aduenturum. Quum hæc à sacerdotibus piis Geysa cognouisset, Adalbertum facilè auguratur eum fore, quem somnia sua portendebant. Quare ad accipiendum eum honorificè, Rex omnia parat, quæ & suæ & diuinæ forent dignitatis. In primis obuiam cum ornatissima procerum pompa, & nouorum collegio sacerdotum prodiit, pontificemque Pragensem pro dignitate accepit. Ad auertendas à prophana religione Vngarorum mẽtes, huius opera & oratione vtitur. Multi à pristina religione deficiunt, pars magna baptismatis aqua expiatur, & in plerisque locis, veri præpotentisque numinis sacra celebrantur. Ex eo tempore in Vngarica gente lux diuina latiùs emersit. De qua illud, quod dici solet, verè prædicari potest, Vidit lucem magnam Gentium populus, qui ambulabat in tenebris. Et lux lucis inuisibilis est Christus, quem tunc Gentes videre meruerunt, quum à tenebris reuocatę, ipsum verum Deum & hominem esse crediderunt. Dum hæc passim fidei fundamenta iaciuntur, ecce vxori Geysæ, cui Sarolthæ nomen erat, & Gyulæ hæc filia fuerat, Stephanus protomartyr in somnis apparuit, vt quum grauida esset, aliqua futuram tanti regis parentem consolatione firmaret, Confide in domino Iesu Christo (inquit) mulier, & ex diuino mandato sic habeto, Te propediem scitum fortunatumque puerum edituram, cui Pannonici regni diadema debetur. Eumq; scito talem fore virum, vt parem nunquam sit visura Pannonia. Demum inter diuos euasurum. Et quum ego Stephanus sim protomartyr, qui ei nũquam abero, meum gnato nomen imponito. His dictis abiit. Sarolcha somnio confirmata, repentè Deo gratias egit, diuoque protomartyri apud omnes aras rem sacrã fieri curauit. Dum ingenti spe diuinitus cõcitata vexatur, ecce tempestiuo partu elegantissimus Strigonij puer editur, ab anno salutis nongẽtesimo nono, cui mox Stephani protomartyris nomen inditum, vt numini promissa præstarentur. Vngari mira lætitia gestiunt, quando primum regem potius è cælo, quàm huma-

909. *Stephanus.*

humana ſorte datum intelligunt. Somniis adaucta fides, & quæ in his maxima portendebantur, obſtinatiſſima expectatione ſperantur. Adalbertus Stephanũ ſacro baptiſmate initiauit, quare diuino numine percitus venerat in Pãnonias. Inſtituit pater ille grauiſſimus, quomodo infans aleretur, & qua diligentia educaretur, illudq; in primis, vt quum per ætatem fieri poſſet, cum lacte præcepta ſacræ legis imbiberet, & in timore Dei ſemper inſtitueretur. Quinetiam Theodatus, qui apud Sanſeuerinates latius in Apulia quondam imperauerat, in Vngariamque patriis finibus eiectus euaſerat, & à Geyſa duce mirificè obſeruabatur, Stephanum è ſacro fonte eduxit: quare ſacroſancti patris iure, ab eo ſemper
10 vernacula Italorum lingua prærenerenter Tata, id eſt pater, ſalutatus eſt. Et *Tata.* quum haud procul à Danubio cœnobium fundaſſet, ac villam erexiſſet, nunc quoque id cum rure Tata nominatur, vbi celeberrima à diuo Matthia Coruino, tempeſtate noſtra, regia cum viuariis & lacu conſtructa eſt. Ex Theodato quum nulli liberi ſuperfuiſſent, huius familiæ nomen in Pannonia paulo pòſt extinctum. Infans autem à Deo ſelectus & diuinitus edoctus, prius Saluatoris noſtri, quam panis nomẽ inter prima ac blæſa verba enunciaſſe viſus eſt. Nondum tenellis exceſſerat vnguiculis, cùm Grammaticis, præceptoribus ſacerdotibusq; cõmittitur, vt literis pariter ac ſacris diſciplinis imbueretur. Nullis bonis artibus carere debet, qui ſe ad regnandum natum eſſe arbitratur, vt Deo gra-
20 tus pariter & hominibus ſalutaris eſſe videatur. Et quicunque aliis præfuturus eſt, huic in primis enitendum eſt, vt non minus virtute, quam honore præſtare cenſeatur. Nihil à patre Geyſa prætermiſſum, quod ad futuri Regis inſtitutionem pertineret. Neque defuit Diuinæ benignitatis exuberantia, quandoquidem princeps optimus potius natus, quàm factus eſſe putabatur. Ab Adalberti latere nunquam aberat, à quo & doctrina & exemplo tantum hauſit ſanctitatis, vt hunc ſuæ gentis ſalutis ac vitæ auctorem magiſtrumq; vnicum prædicaret. Sæpe puer aduocata concione, de religione, de timore Dei, de charitate publica, de iuſticia & pietate acerrimè diſſerebat. Deteſtabatur crudelitatem, homicidia, rapinas, vim, adulteria. Nil Diuino cultu & amore præſtantius, nil pie-
30 tate ac innocentia dignius & commodius aſſerebat. Infremebat quandoque in Scythicam crudelitatem, & auerſos à Dei charitate animos, præcoci ſeueritate ac vehementia corripiebat. Nunquam à Diuini nominis mentione, cõtemplationéve alienus inuentus eſt. Innocentibus & commiſeratione dignis, prompto patrocinio occurrebat, tuebatur eos apud patrem, quẽ ne quid iniuſti faceret, quotidie admonebat. In collegio ſacerdotum, & in ſacris aſſiduò verſabatur. Inita adoleſcentia paternum ſæpe munus obibat, vt hunc ſenio confectum & labore moleſtiaq; leuaret, & reipublicę detrimentum auerteret. Sæpe pro patre ius dixit, oratores audiuit, & reſponſa dedit. Quum Geyſa ſe ætate effœtum, ac filium regno haud immaturum eſſe cognoſceret, conuocata concione, ac cun-
40 ctis regni principibus hæc verba fecit: Quum grauiſſimæ ſenectuti noſtræ matura mors immineat, mihi vobiſcum prouidendum eſt, ſocij, ne quid, me decedente, mali Reſpublica noſtra patiatur: nám quum peregrini in alieno ſolo ſiti ſimus, ab infeſtis vndique vicinis circumuenti, iam tempus & res poſtulat, vt futuris periculis proſpiciamus, & ſaluti noſtræ optimè conſulamus. Nota enim perpetua ſugillaremur, ſi Imperium, quod à maioribus partum & amplificatum accepimus, negligentia noſtra deleretur. Difficile eſt, res amplas ſibi parare: ſed partas tueri, multo difficilius. Quod quum mecum ipſe quotidie reputarem, quem Reipublicæ ſummè præfeceratis: præter inſtituta maiorum, pace & religione vera muniendum Imperium eſſe duxi: ratus ad humanam Diuinamque
50 felicitatem nil eſſe accommodatius. Pace finitimorum animos nobis conciliauimus. Et iam pro inita Chriſtianorum religione, Vngari, quos haud aliter ac Anthropophagos, omnes abominabantur, externorum conſuetudine mitiores effecti, æquis vbique oculis videntur. Nunc autem decernendum eſt, quomodo hæc confirmandi Imperij fundamenta, quę per inſtitutam pacem & religionem iecimus, indies coaleſcant. Verùm ſi ſententiæ meæ ſuffragia veſtra ſuc-

cesserint, ea vobis deliberatio oblata est, in qua non humana consilia disquirere, sed Diuina potius mandata sectari opus est. Faustissimũ illud à me somnium sæpius audiuistis, in quo per cœlestem mihi Deus internuncium significauit, me veram religionem passim per Vngariam nunquam propagaturum, neq; veri Dei templa per Pannonias fundaturum, quando sanctissimi huius operis fundamenta, a pollutis humano cruore manibus iaci nequeant. Sed eum me filium geniturum, qui hæc omnia peraget, & ad rectam fidem, ac veram Dei opinionem vos conuertet vniuersos. Multos in religionem nostram traximus, cæteri autem, qui sunt innumeræ multitudinis, ne prophanis Scytharum cæremoniis desciscant, obstinatis adhuc mentibus reluctantur. Ne vxoris quidẽ somnium ignoratis, in quo a diuo protomartyre Stephano, eiusdem rei est admonita, filioq; idcirco Stephani nomen est inditum. Hunc igitur imperio vestro quam maximè salutarem, numina cuncta significant, quod fortasse non vehementer asseuerarim, ne quo priuato in rebus publicis traherer affectu, nisi filij indoles, immo vita, mores ac gesta, hæc omnia, quæ diximus, euidentius affirmarẽt. Testor Saluatorem nostrum Iesum Christum, quem Adalberti opera nuper agnouimus, eum ab ineunte pueritia incredibili arte, & obseruantia quadam inaudita, paternam sæpe insipientiam increpuisse, commonefecisse, vt Diuino cultui semper incumberem. Comem me vobiscum agerem, remitterem vectigalia, coercerem vim, cædes & latrocinia, bella componerem, miserabilibus prospicerem, pauperibus omnia erogarem, pariq; discrimine Proceres humilesq; tractarem. Multa me Pueri consilio & efflagitatione fecisse non diffiteor, neq; me aliter ab eo, atque ab aliquo Diuino internuncio admoneri reputabam. A me genitum esse non inficior. Vobis, & saluti publicæ natum, prodigia cuncta portendunt. Ego quoq; conscientiæ imperio sæpius adigor, hunc præter paternam obseruare dignitatem: quia quanti momenti sit, & Deus admonuit, & res ipsa præ oculis ostendit. Proinde viri optimi, qui mecum & Rempublicã optimè gessistis, & catholicam fidem subiuistis, vos oro & obtestor, quando me ad extremum vitæ redactum videtis, vt Stephanum vobis, & saluti publicæ natũ, in patris locum sufficere iubeatis. Idq; dum curetis, populi sanctione, & exercitus auctoritate faciendum: ne contra numinum imperia, ac mandata, quæ saluti vestræ è cœlo prospiciunt, reluctari videamini. Quod si vestro nunc decreto confeceritis, cæteri vestra auctoritate ducti, hæc eadem approbabunt. Quod vt faciatis, non tam miserabilis mea senectus & oratio, item meæ in vos charitatis memoria, quàm vestra vtilitas, & Imperij salus Deique voluntas adhortari debet. Ego autem si precibus hęc vestra & Populi commoda à vobis impetrarim, ac demũ in filij manus planè iuraueritis, cuncta eius imperata facturos, cumulatissimo me beneficio à vobis affectum, ex hac vita dimittetis. Quare Stephanum vobis è cœlo datum colite & obseruate, concordiam ociumque retinete, catholicam fidem propagate. Quam si Vngarorum dura pectora semel admiserint, multo pertinacius in posterum retinebũt. Ac idcirco Deus asperrimam Scytharum prolem in his Christianæ reipublicæ finibus collocauit, vt vera imbuti religione, orthodoxã fidem ab omni infidelitate obstinatissimè tueantur. Vix hæc senex perorauerat, quum lachrymarum profluuio clauditur oratio. Quicunq; aderant, pari pietate commoti, in eius sententiam omnes vltrò contendunt, quando nihil reipublicæ salutarius decernere, neq; cumulatiores duci, de cunctis optimè merito, gratias referre poterant. Præsente patre, omnium consensu Stephanus, non tam humano, quàm Diuino iudicio, non dux, vt pater erat, sed Vngarorum Rex creatur, vniuersæ Reipublicæ summa traditur. Cunctique nobiles & plebeij in manus eius cõiurant, se nunquam imperia detrectaturos, gratissima ac fida præstituros obsequia, & cœlestis internuncij loco eum habituros, mox procerum manibus elatus in solium, Rex ab omnibus consalutatur. Delatus in castra à prætorianis legionibus eadem consalutatione comprobatur. Geysa pro suscepto beneficio, multos è patribus muneribus honestat, remittit vectigalia, militibus annonam, sestertiaq; pro cuiusq; dignitate distri-

Stephanus eligitur rex.

distribuit, in populum missilia sparsit, in publicæ hilaritatis speciem ludos edidit, passimque apud omneis aras solennia celebrauit. Deinde paucis pòst diebus, increbrescente senili pituita, non sine maximo Vngarorum luctu diem obiit, ac ingens sui desiderium Pannoniæ reliquit. Extinctum patrem pientissimus filius honorificentissimo funere, ac singulari pompa exornauit. Initum iam pridem regnum, incredibili diligentia & æquitate gerit, siue ius diceret, siue quid decerneret, siue cum amicis colloqueretur, siue iter faceret. In cunctis eius actionibus, præ oculis Deum semper habere videbatur, quem perinde atque diuinum iudicem, & censorem actionum suarum intueretur, in cuius aspectu, se 10 quot horis reum effingeret, tanquam rerum omnium rationem redditurus, & si quid meruisset, pœnas subinde daturum. Adalbertus pontifex, defuncto Geysa, vbi se Pannonicis rebus pro diuina voluntate abundè satisfecisse putauit, aliò sibi peregrinandum esse decernit, & vt in extremas orbis oras Dei verbum effunderet, Barbarasque gentes vera religione imbueret, in eos Sarmatas, qui nunc Pruteni appellantur, Venedicumq; sinum accolunt, iter arripuit, ratus se aut populos diuini cultus expertes, reuocaturum ad lucem, aut pro Christi nomine pulcherrimè moriturum. Delectis sibi duobus tãtùm comitibus, quos laborum tolerantissimos esse nouerat, in Prusiam venit. In locum diuertit, qui peninsulæ speciem referebat. Quum diuersæ religionis hominē pagani aduen-20 tasse cognoscerent, coacta mox ingenti multitudine, eò conueniunt, vbi virum alienigenam esse senserant. Quem quum orantē inuenissent, facto repentè impetu, certatim sæuiūt, solo ingeniculatum ac supplicantem immaniter cædunt. Desidente aliquantulum Barbarorum furore, rogatus quisnam esset, Christianum se respondit, atq; illius numinis esse cultorem, à quo omnia facta sunt: ex dedita opera in Prusiam venisse, vt eã veræ religionis expertem, è diaboli faucibus eriperet, exueret prophanis ritibus, & Iesum Christum, & omnium rerum creatorem gentes edoceret. Talia dicente clamor exoritur, pro ridiculo maximo virum habent: quare eo vehemētius infremunt, terram pedibus fustibusq; feriunt: vno ore vanæ superstitionis hominem continuò explodendum excla-30 mant, illudunt pleriq;: multi, ni e uestigio se è finibus eripiat, crudelē interitum interminantur. Quum nil se proficere intelligeret, de mutando habitu, de capillis barbaq; demittenda, quo familiarius cum Barbaris versaretur, cogitare cœpit. Nam si qua se inter eos consuetudine insinuare posset, gradatim & sensim inter ipsos verbum Dei satûrum esse confidebat. At vbi nil sibi succedere intellexit, desperata horum salute in Liboniam, quæ in maritimã Sarmatici littoris oram ad Septentrionem effunditur, iter capit: & ea quidem mente proficiscēs, vt aut eam regionem, quamuis immitissimam, Christianæ fidei vendicet, aut in propagando sacrosanctæ religionis Imperio gloriosissimè moriatur. Liboniam ingressus, dum obstinatos efferarum gentium animos verbo Dei mollire con-40 tendit, ecce Gaudentius alter è comitibus, in somnis inter sacrificãdum custodem altaris rogasse ipse sibi visus est, an totum calicem in ara situm, sibi haurire fas esset. Contrà custodē renuentem respondisse, Calicem põtifici tantùm Pragensi esse destinatum, eum totū poculum haurire oportere. Quod quidem somnium quum Adalberto retulisset, intellexit pater ille sanctissimus, optatissimi sibi martyrij tēpus imminere. Sexto pòst die quum Gaudentius coram eo rem sacram fecisset, hic sacris ritè peractis secessum petiit, vt membra aliquantulum fessa relaxaret, inter dormiendum ecce impiorum multitudo confluxit, qui circumuentum intrepidumq; capiunt, vinculis obligant, efferunt in iugum mōtis, paloq; alligatum septem lanceis corpus effodiūt, hæc inter cruciatus verba per-50 fecisse perhibetur, Habes Adalberte, quod optasti, nunc vltrò pro Christo morere, qui pro te, cæterorumq; mortalium salute, crucem sponte subire voluit, septem donis te ornauit, & mira virtute muniuit, quãdo septem te lanceis in honoris speciē confodiendum esse decreuit. Proinde pulcherrimè morere, calca tartarum, & ad dulcissimum seruatorē tuum, ex his ærumnis solutus euola. Demum quum de martyrio pulcherrimè triumphasset, statim post efflatã animam,

vincula quibus erat obstrictus sponte soluta, mox in terram è palo procidit, dispansis manibus in crucifixi speciem, corpus humi dimissum, caput palo præfixum in ludibrium Christianorum, per pagos & oppida circumtulere. Viuum ac defunctum miracula multa edidisse ferunt. Dum Pragensem pontificatum gereret, apparuisse Iesum, eique hęc verba obiecisse, Adalberte stertis, & populus hic præceps fertur. Quibus calcaribus agitatus, per Morauiam & Vngariam Christianam fidem passim prædicauit, & Poloniam subinde petiit. Neque illud admiratione dignissimum tacitè prætermittendum. Carnifices sectum è cadauere digitum, cuius gestu inter prædicādum plurimùm vtebatur, in Vandalum amnem proiecisse, proiectumq; piscem absorbuisse, absorptumq; in facis speciem, in ventre piscis illuxisse. Piscatores hoc edoctos portento, mira industria captasse piscem. Quem quum exenterassent, Adalberti digitum facis more lucentem inuenere. Sed ad Stephanum Regem reuocetur oratio. Quum Geysa ab anno salutis nongētesimo nonagesimo septimo diem obiisset, filius inita iuuentute, omnium suffragiis principum diadema iam assequutus, nihil maiore studio aggredi cupiebat, quam vniuersos Vngaros in lucem asserere veritatis. Neque illud ignorabat, nullum diu principem esse regnaturum, nisi iusticia & religione præpolleret. Huc omnes ingenij neruos intendebat. Et vt hæc facilius assequeretur, diuinis codicibus incumbebat. Adhibebat sæpe sacrarum rerum præceptores, quibus familiarissimè & assiduò vtebatur. In re quaq; grauissima viros sanctos consulebat, ne quo se suosq; piaculo inscius incæstaret. Sed quum publicæ saluti in primis intēdisset animum, quam sine finitimarum ocio adsequi non poterat, in primis cum omnibus vicinis inita & cōfirmata pace regnum communiuit, vt si qua inter suos populos principésve pertinaces seditio pro subeunda fide Christi oriretur, his nulla foris auxilia sperari possent. Verebatur enim, veluti mox accidit, Scythicas nationes haudquaquam facile ritus patrios esse deposituras. Quin & ex his, qui baptismate abluti fuerant, multos pudore, nonnullos Regis gratia, perquam paucos vltrò catholicam fidem accepisse sentiebat. Contra verò populum perniciosa deorum opinione, vniuersum ire perditū, æquo animo perpeti non poterat: quin sibi certum erat, aut ad salutarem fidem eum reuocaturum, aut regno simul & vita cariturum. Dum aliquanto seueriùs in reluctantes agendum esse censet, quando quàm plurimi sine vi ad resipiscentiam cogi non poterant, principes plerique cum ingenti multitudine in eum coniurant, intestinum bellum moliuntur: & ne Scythicam feritatem exuant, cæteros ab instituta religione deterreant, primùm in pagos latè desæuiunt, prædia vastant, mox adauctis viribus oppida regia adoriūtur. In primisq; Vesprinium iuxta Balatonium lacum sitam, vrbem quidem non ignobilem obsident, vt maiorem regi stomachum facerent, & eorum qui ab eius fide desciuerant, animos augerent. Nouitatis huiusce auctorem Cupam, Calui Zirindi filium, qui in Simigiensi agro dominabatur, Vngarorum Annales fuisse tradunt. Quippe qui defuncto Geysa, Stephani matrem, per adulterium in connubium allicere conabatur: vt eam nactus vxorem, Stephani vitam dolis interciperet, ac rerum deniq; potiretur. Occasionem explendæ libidinis quum indies sibi dari expectaret, in hac rerum nouitate quiescere non potuit, tumultui non solùm adesse, sed præesse voluit. Nam imperandi cupiditate correptus, religionem pro nihilo habere, fas & nefas æquè ducere, iusticiæ simul & pietatis expers. Item feritatis esse plus quàm Scythicæ, pagos æquè ac oppida hortari, vt à regia fidelitate ac superstitione deficerent. Se coniurationis principem, deperdita quadam audacia profiteri, criminibus regem ad augēdam inuidiā onerare. Passim prædicans, hunc suæ gentis hostem, patre perniciosiorem futurum. Quando externæ, quam suæ gentis studiosior & amantior esset, Martem, Herculem, patriosq; Deos, quorum numinibus res Vngarica tantopere adoleuerat, aboleri iussisset: eorum sacrosancta simulachra vbiq; disiecisset, statuā inducere superstitione niteretur. Quin & ocio & desidia bellicosam gentem eneruaret, pacem indiceret ærumnosam, quum vi & bello Vngari victū semper traxerint.

Margin: 997. — Cupa dux Simigiensiū. — line numbers 10, 20, 30, 40, 50.

rint. Quum inferiorem ita Pannoniam totã ferè suscitasset, graui Vesprinium, in contemptum regis, obsidione premebat. Cõtrà verò Stephanus, in tanto tumultu nequaquam animo consternatus, quando sub Diuina se tutela esse intelligebat, ad coercendam Cupæ audaciam, mox summa celeritate ac prudentia, omnia moliri. Passim per Vngariam delectum habere, in primis diuinum è cœlo auxilium implorare, exorare impensius diui Martini numen, ne suæ Pannoniæ deesse vellet. Item maximam exuuiarum ac prædæ hostilis partem, nuncupatis votis polliceri, ad hæc tumultuarium cogere exercitum, accire Principes, quos & sua & patris beneficentia fidos habebat, nihil prætermittere, quod bel-
10 lo vsui fore duceret. Coacto demum exercitu, ad Garam amnem castra locat. Ibique primùm iuuenis Deo deditissimus, defendendæ publicæ salutis necessitate adactus, sibi ensem accinxit. Duos ibi magistros equitum pronunciauit, fide, ac militari disciplina præstantes, quorum alter Huntes, Paznan alter dictus est. Hi Teuthones fuisse traduntur, qui quum Christiana fide pollerent, imperante Geysa in Pannoniam venerant, nobili genere nati: & quum bello ac pace, de Vngaris essent bene meriti, principatũ semper inter proceres apud Geysam tenuerunt: multúmque in propaganda Christi fide, patrem ac filium adiuuere. Hi reluctantes in fide, pro seruis habendos esse censuerunt: item vt qui ex Vngaris prius in religionem confluerent, inter eos hi nobiliores haberentur.
20 Atque in istorum sententiam, à Geysa edictum factum est. Post hos Vencellinum Alamannum, hospitij iure sibi coniunctissimum, dictatorem creat: cui exercitus vniuersi summam tradidit. Hæc vbi ritè constituta sunt, instructa acie in Cupam itur. At vbi coniuratorum castris appropinquarunt, infestis vtrinq; signis extemplo concurritur. Quum prælium consereretur intestinum, eo obstinatius & crudelius vtrinq; pugnabatur, dum fortuna nunc his nunc illis adridet, & pari spe vtrinque dimicatur. Ex hoc factum est, vt longam cruentissimamque pugnam ederent. Rex diuina potius oratione, & militari hortatione, quàm armis certare: per legiones modò discurrere, legatorum & centurionum animos confirmare, turmas cohortesque hortari, vt pro Christi charitate fortis-
30 simè dimicarent: reuocare terga vertentes, & quandoque timidos grauiter increpare: subsidia mittere laborantibus, & nullum Imperatoris officium prætermittere. Vencellinus, qui in dextro cornu pręsidebat, & quadrato agmine, Cupæ se obiecerat, ratus inclinato ducis agmine, cæteros omnes facilè cessuros, acerrimè pugnabat. Disquirebat vbique vbi Cupas esset, vt singulari certamine cum eo dimicaret. Dum dubio vbique Marte pugnatur, Rex elatis in cœlum manibus, his fugam verbis deprecatur: Clementissime Deus, qui lucem veritatis tuæ in durissimo ac truci populo, quem mihi commisisti, infundere voluisti, vt tuæ fidei radiis illustratus, perpetuò Christianæ reipublicæ fines tueatur, te supplex exoro, vt nutantium animos confirmes, vires plebi tuæ è cœlo demit-
40 tas, vt cœlesti auxilio munita, tuos proterat inimicos. Et tu Iesu Christe optime maxime, cuius ductu & auspiciis bellum gerimus, per salutarem tui (quæso) passionem populo pro te dimicanti propius adesto, tuisq; fidelibus victoriam pro clementia tua concedito, fœdam fugam sistito. Ego autem omnium rerum decimas, pro referenda gratia gloriosissimo nomini tuo, passimque basilicas dicabo. Vix hæc dixerat, ingens ecce clamor per legiones exoritur, Cupæ cornu à Vencellino inclinatum vtrunque ducem singulari certamine congredi. Quum hæc audiuisset, illuc cum validissimo agmine continuò properat. Laborantes & iam inclinatos inimicos proterit. In media acie Vencellinũ offendit, & congratulatur, Deo gratias agens: qui Cupæ caput absciderat, & opima de hoste
50 spolia referebat. Quo per acies circumlato, ita hostium animi consternati, vt palantes fugerent. Magna cædes ac miserabilis oritur, principes coniurationis maxima ex parte capti, & in castris cæsi, in cęteros regis edicto remissius actum. Parta victoria, Cupę corpus in parteis quatuor dissectum: vna Strigoniensi portæ affixa est, Vespriniensi altera, tertia Iauriensi, in Transsyluaniam quarta, ad deterrendos Dacorum animos oblata, & Albæ Iulæ præfixa. Quam quidem re-

gionem olim Vngari, ab auri feracitate Kenchies Herdell appellauere. De cæteris captiuis, pro facinorum grauitate pœnæ sunt exactæ. Contra ex militibus & præfectis, qui se in prælio optimè gesserant, præmia pro dignitate è regia liberalitate tributa. Dictatori præmia multa, magniq; honores redditi. Item oppidis, villisq; a Rege amplissimè donatum ferunt, ex quo Radus natus est. E Rado Misca, & è Misca Cupas & Martinus orti, qui inter primarios Vngariæ Proceres præclari semper habiti. Diuo autem Martino, Pannonicæ gentis Patrono vt debita vota exoluerētur, perpetuo regis edicto Simigiensis Populus, qui Cupæ tyranni audaciam sectatus est, non modò frugum, vini, ac pecorum, verùm etiam liberorum decimas, Diui Martini basilicæ quotannis pendere iussus est. 10 Præter hæc, tertia prædæ pars templi postibus affixa. Pro hac salutari victoria, supplicationes habitæ apud omnes aras solennia celebrata. Tali successu regis animus non elatus, sed ardentissima Dei charitate succensus est, quotidie humi prostratus Deo supplicat, vt sibi salutare cōsilium diuina ope perficeret, totamq; Vngariam, antequam rebus humanis excedat, ad verā fidem reuocare liceat. Quod vt a Deo assequeretur, sæpe in cinere & cilicio supplicabat, & in templo assiduè exorabat, laudabile propositum suis diplomatibus longè lateque declarauit. Quare plerique sacerdotes, publica vtilitate commoti ad prædicandum Dei verbum in Vngariam vltrò confluunt, & pro catholica fide peregrinari gestiunt, alliciebantur quoque sanctitate principis. Cuius nomine multi è remotissimis in Pannoniam partibus euocabantur, in primis Astricus vir sanctitate 20 conspicuus, cum discipulis aduenit. E quibus Bonifacius in inferiorem Pannoniam demissus ad prædicandum nomen Domini, clara morte affectus, inter diuos relatus, item ex ea Dalmatiæ parte, quam Polianam dicunt, eremitæ duo: quorum alter Andreas, Benedictus alter dictus est. Andreas vitæ sanctitate miracula edidit. Benedictus quum pro Christo sanguinem effuderit, inter diuos martyres adnumeratus. Astricum & discipulos Rex honorificè excepit: & ad radicem Montis ferrei collocauit, vbi diui Benedicti cœnobium magnifico sumptu exædificare permisit. Quin & basilicam illam ingenti donatiuo, multisque prędiis pagisq; donauit, quo monachi commodius in regulari vita consistere possent, horum consuetudine, quando viros optimos esse intelligebat, 30 mirificè delectabatur: quorum auxilio ac opera Vngaros, partim sponte, partim vi ac metu in lucem veritatis asseruit, mandata sacræ legis & orthodoxæ fidei axiomata omnes scire coegit, prophanis dira supplicia indixit, deinde vt dignas Deo gratias ageret, ac ouile sacrum, pastoribus impositis tueretur, ad fundandos episcopatus animum aduertit. Et quum natale solum naturæ lege vnicè diligeret, Strigoniensem in primis ecclesiam erexit, eamq; metropolitanam sedem esse iussit, mox Colecensem basilicam statuit, eiusq; pontificem Astricum designauit, quem moribus & doctrina præstantem esse nouerat: eumq; post initum pontificatum Anastasium appellauit. Hunc quarto post obitum patris anno, Romam ad summum Pontificem mittendum esse censuit, mandata dat, vt à 40 Christi vicario in Vngaros, qui eius fidem nuper iniuerint, Apostolicam benedictionem imploret, & inter oues Petri adnumeret. Post hæc, vt Strigoniensem basilicam metropolitanā esse iubeat. Item cæteros episcopatus in Vngaria nuper erectos, sacrosancta auctoritate confirmet. Demum quādo potestas omnis a Deo est, & maxima cœpta sine Diuina ope confirmari nequeunt, regalia insignia cum pontificia benedictione piis precibus assequatur. Astricus Romam properans, vt legationis officio diligentissimè fungeretur, die noctuque iter facit. Quid facit Deus, qui piorum consiliis & honoribus semper incumbit? Nimirum dexterrimis eos prosequitur auspiciis. Eodem enim anno Misca, Polo- 50 niæ dux, ad fidem cum populo conuersus, eadem a Benedicto pontifice maximo per legatos postulabat. quare coronam Pontifex ingenti sumptu compararat, vt religionis ac fidei accessione lætatus, Miscam ducē & nouū Christi militem ob rem bene gestā, regio diademate insigniret. Pridie eius diei, quo Polonis destinata corona tribuenda erat, Astricus vrbem ingreditur, ecce in somnis

Misca Polonus.

superiore

superiore nocte Dei internuncius Pontifici apparet: Salue (inquit) pontifex, cras Pannonicæ gentis legatum ad te venturum esse scito, qui vt tuo beneficio & auctoritate suum principem regio diademate dones, exorabit, destinatam Polonis coronam, quando ita merita postulant, huic dato, proinde Diuina mandata seruato. Quum is in auras recessisset, secunda hora diei Astricus in Senatum apostolicum admissus est. Vbi quum Regis mandata ex ordine retulisset, eiusq; sanctissima gesta subiecisset, & quantum catholicæ fidei vltra citráque Danubium accessionis fecisset, quam in Getas & Sarmatas vsque propagarat, enarrasset, incredibili apostolicum ordinem gaudio compleuit. Re ad Senatum relata, pro voluntate Regis & Legati postulatione, nullo refragante decernitur, vt non modò Christianissimus Rex regia corona donetur, in regno apostolica auctoritate confirmetur, & regis acta cuncta, cum institutis episcopatibus approbentur, verùm etiam quia verus & fidus Dei miles est, & Apostolus, ad exaggerandam eius dignitatem, in perpetuum pontificiæ legationis insigne, qua sibi posterisq; regibus, semper fungi fas sit, præferendæ crucis potestate honestetur. Quum legatus omnia non solùm è sententia, sed præter spem & opinionē impetrasset, magno refertus gaudio, in Pannoniā se recepit. Strigonio appropinquāti Rex cum singulari sacerdotum pontificumq; pompa obuiam prodiit. Astricum pontificia munera deferentem, & coronam & crucem ostentantem, honorificentissimè Deo gratias agens, excepit, Apostolica Insignia prçreuerenter accepta. Quando ad vnamquanque Romani pontificis mentionem, Stephanus spectante populo, inclinato capite sese ingenieulabat, vt exemplo suo ad Romani Pontificis Apostolicique senatus obsequium & obseruantiam omnes hortaretur. Post hæc ne fundamenta pacis interciperentur, cuius se filium fore profitebatur, varias leges & edicta tulit, in primis de sicariis, adulteriis & homicidiis, item de vi, latrociniis & furtis capitalia supplicia promulgauit: in sacrilegos, prophanos, numinumq; cōtemptores perquam seuerè animaduertit: iniurias, audaciam, ac omne facinus, graui censura coercuit: ne quis indicta causa, vicinū læderet, diligentissimè cauit: viduarum & pupillorum causis mirificè fauit: vt trium liberorum iura foueret, coniugatis præmia proposuit: cœlibes à sacerdotio alienos, infames habuit, vt seminarium Christianæ reipublicæ exemplo suo foueret. qua cum affinitatē contraheret, aliquandiu secum cogitasse ferunt, ne quam sui dissimilem sibi coniugaret. Henrici secundi in primis affinitas succurrebat, Imperatoris quidem sanctissimi, qui tertio Othoni planè successerat, tum humano, tum diuino consilio ad imperium euectus, è nobilissimo Bauarorum ducum sanguine natus. Hic è beati Volfgangi Ratisbonensis episcopi oraculo Imperatorem se fore Romanum, in somnis accepit. Inito paulo pòst imperio Italiā ingressus à Stephano octauo Imperator appellatus, vbi piam expeditionem feliciter peregit (Nam Capuam à Saracenis occupatam, eiectis hostibus recuperauit) Buboganum Meli suffectum, & Constantinopolitani Imperatoris præfectū, cuius auxilio Saraceni Italiam repetierant, acerrimo bello insequutus est, ac Troiam vrbem in Apuliç finibus sitam, vbi castra Hannibalis fuisse ferunt, & a Bubogano deducta Græcorum colonia instauratā, vt eo faciliùs Calabros Apulosq; in Græcorum fide contineret, obsessam quarto mense expugnauit. Sancti Miniatis cœnobium in edito monte ante vrbem Florentiam fundauit. Fesulas a Florentinis occupari diruique permisit, quare multum vrbs illa percrebuit: quinetiam Boemos, Polonos & Sclauos, armis in Christi fidem asseruit. Et quum sæpe eucharistia ante prælium muniret exercitum, Laurentium, Georgium & Adrianum cum armato angelo diuos aciem suam præcessisse suspexit. Deinde momentanei huius imperii non cōtentus angustiis, ad immortalia regna animum erexit, quibus vt facilè potiri posset, omnes ingenii vires ad Diuinum cultum sanè conuertit: basilicas & pontificatus multos statuit, episcopalia delubra, Sclauorum vicinitate diruta, propria impensa instaurauit, veluti in Hildensi, Magdeburgensi, Argentina, Misnensi, & Mechelburgensi denique ciuitate, quemadmodum intueri licet, varias ædes & cœnobia fun-

dauit, quæ prouentibus & sacris ornamentis magnificè donauit. Castitate erat incomparabili, consimilem nactus vxorem, quæ Chunegundis est dicta. Diuinum hi potius, quàm humanum coniugium sanè contraxerant, non prurienti libidine, sed intemerata voluntate conflatum: in quo vna fides ex composito, inuiolatæ castitatis, vnus animus iusticiæ & veritatis, vna repulsa intemperātiæ & iniquitatis, par cœlestis charitatis affectus. Inito dudum cōnubio, vltrò perpetuam Deo castitatem vouent, & sub Augustali dignitate virginitatem celaturos esse sperant, de diis & hominibus certatim benemereri contendunt, vnde miracula non temerè multa pomanarunt. Sed vt Scriptores plerique referunt, Henricus pridie eius diei, quàm è vita decederet, accitis vxoris parentibus imperiiq́ue primoribus, immaculatam, quam acceperat, Chunegundim se reddere fassus est. Stephanus igitur, Henrici Secundi sanctitatem, gestorum gloriam, & religionem conspicatus, cuius ope & hortatu Vngaros in veram fidem asseruerat, cum pari probitate coniungi cupiebat, accedebat & Imperatoris dignitas & potentia, quam ad rem suam nimium facere intelligebat. Contrà verò Henricus, Stephani præstantiam, & ingenitam sanctitatem non ignorans, nihil ducebat antiquius, quàm aliqua cum eo affinitate vinciri, qua infestissima vtraque natio, quæ tot annos cruentissima bella gesserat, reconciliaretur, & diui Regis sanctitas propagaretur, cuius sapiētia ac studio factum erat, vt Vngari, qui finitimos diu Scythica feritate vexarāt, in Christi fidem asserti, & vicinis & Christianæ reipublicæ salutares fore viderentur. Proinde postulatam à Pannonico rege sororē, cui Gysle nomen erat, vltrò Henricus coniugauit, vt pari cum viro sanctitate certaret, pacemq́ue perpetuam inter Alamannos & Vngaros pacisceretur. Hæc affinitas ab omnibus Annalium Scriptoribus affirmatur, præter cæterorum opinionem, Vngarici aliter sentiunt Annales, quippe qui diuum Stephanum in vxorem, Gyslam Guilielmi ducis filiam, asserunt accepisse. Guilielmum sancti Sigismundi Burgundiorum Regis fuisse fratrem, & post Sigismundi martyrium, ne interitum dixerim, ad Henricum Imperatorem confugisse, eius iussu Venetiis fuisse collocatum, Gertrudem imperatoris sororem, in vxorem habuisse, & ex ea Gyslam filiam accepisse, Vngariæ regi desponsatam. Gertrude intempestiua morte subrepta, sancti Stephani sororem sibi copulasse, ex eaq́ue genuisse Petrum, qui ad regni fastigium euectus est. Ex vxore hac plures filios diuum regem tulisse ferunt, & in primis Emericum, vt de cæteris sileam, quorum nomina non traduntur, tot diuinis dotibus imbutum, vt è diuinis quoque parentibus promanasse videatur. Præter pudicam temperantissimamq́ue vitam tantum in deos & homines pietatis ostendit, vt Diuino potius, quam humano consensu, se Stephano Gysla coniugasse reputetur. Certatim vtrinque sanctissima facta manabant, Diuina charitate neuter æquo animo superari patiebatur, & in Christo coniuncti, coniugalem amorem redintegrabant. Quanquam in omnes pientissima, præcipua tamen beneficentia in miserabiles ac calamitosos, in sacerdotes, ac templa vtebatur. Basilicas omnes profusa liberalitate prosequebatur, ne quid Diuinarum rerum ornamentis deesse videretur, simulachra deorum expostulato argento obryzoq́ue multa dicauit. Item gemmatas phialas, sacras vestes ex auro contextas, insano sumptu factas, per collegia sacerdotum sæpe distribuit. Vespriniensem basilicam propria impēsa exædificauit, abundeq́ue donauit rebus omnibus, quę cultui Diuino, vsui esse solent, vberrimos quoque prouentus adiecit, vnde antistites, cæteraq́ue sacerdotum collegia pro dignitate viuerēt. Simili quoque diligentia vir eius, ne mulieri cederet, metropolitanę basilicæ, cæterisq́ue episcopis tam abundè prospexit, vt nihil sibi superfuisse videretur, vti Deo, cultui Diuino non modò se, verùm etiam sua omnia addixisse videretur. Quin & hæc agris, villis, oppidis, portorisq́ue donarat, quotannis eorum accessionem fieri iubebat, ne quid Dei cultoribus deesse pateretur. Quotannis quoq; cœnobia, basilicas, ædesq; sacras perlustrabat, vt ædificiis hominibusq́ue prospiceret, inter lustrandum non modò sacerdotum, verùm etiam pontificum mores exacta inuestigatione recognoscebat,

Vxor D. Stephani.

Emericus.

scebat, increpabat negligentiæ reos, studiosissimum quenque diligebat, obseruabatq́. Per quæstores autem singulis fere mensibus, urbanos paganosque antistites, cuncta sacerdotũ collegia recensere, recognoscere vitas, & cuiusq; verba factaque diligentiùs pensitare studebat, ne quid publicè priuatimq; piaculi cõmitteretur, aut in Christi fidem intenderetur. Illud sibi præcipuæ curæ fuisse tradunt, vt viros moribus & doctrina probatissimos, in rebus sacris præficeret. Quum in Diui Martini cœnobio Sebastianus, singulari vita, & sapiẽtia nõ mediocri præditus esset, miro amore a rege cõplectebatur, eiusq; fauore & auctoritate eo vsque euectus, vt Strigoniensis Metropolita crearetur. Supremã in Vngaria dignitatem assequutus, nescio quo, mox fato cæcus effectus est. Cui quũ cæcitatis casus sacri muneris exercitationem inhibuisset, eius officium, permissu apostolico, accitus Astricus Colociẽsis episcopus æquè resarsit, ac si eius loco suffectus esse videretur. Tertio cæcitatis anno, instauratis luminibus, in pristinam is dignitatem a Romano pontifice restitutus. Paribus igitur studiis rex & regina in præstantissimo quoque virtutum genere certabant. Emericus autem in tam ardenti charitate Christi natus, quid aliud, quam suauissimum Deo holocaustum esse poterat? Ab ineunte pueritia, quò sanctitatis euasurus esset, facilè declarauit, quippe qui quum esset somni parcissimus, à secunda ferè vigilia noctis, ad lucem vsq;, Dauidicos rhythmos lectitabat, & per singulos repetito mentis examine, à Deo veniam implorabat. Id sæpe rimatus pater, ingentem de filio spem cõcepit. Quin & illud minus omittendum, quum pater Diui Martini cœnobium, quod in monte Pannoniæ insano sumptu fundarat, monachisque compleret, reuisere decerneret, filium secum ducere statuit, haudquaquam ignarus, quanta Dei gratia puer ille polleret. Inito itinere quum templo appropinquasset, monachi longo agmine obuiam prodiere, vt qua decet, Regem dignitate acciperent. Contrà verò Rex, vt Emerico æquè ac cœlesti angelo prodeuntes patres honestaret, filium præmisit. Qui præreuerenter ab his exceptus & consalutatus, tanquam diuinitus esset admonitus, Monachis ne paria quidem oscula distribuit, sed pro cuiusq; meritis impartitus est, quoniam huic duo, tria illi, nonnullis quatuor, quinquéve, & plerisque septem libasse dicitur. Pater à tergo, tanquam è specula, cuncta cõsiderabat, & quamuis filium nil temerè fecisse confideret, admiratione tamen carere non poterat. Quare sacris ritè peractis Emericum percunctatur, cur inæqualia patribus oscula distribuisset. Pro continente (inquit) tempore oscula dedimus, quibus autem septena data, hos perpetuę castitatis cultores esse sciro, & ex numero septenario, absolutissimam prępotentissimamq; virtutum virginitatẽ esse intelligito, quippe quę ad penetralia cordium vsq; penetret, quæ Deo duntaxat patere solent, reconditas quoq; hominũ mentes intuetur. Rex inde profectus paucis pòst diebus, quum quiescere non posset, donec rem exploratam haberet, vt euidentiùs hinc auspicatam filij sanctitatem cognosceret, cœnobium duobus tantum accitis comitibus repetit, non solùm diurnis, verùm etiã nocturnis sacris interest, vt quinam forent, qui septena oscula susceperint, exploraret. Post matutina sacra, inter monachos insinuatus animaduertit, omnes, præter eos, qui cumulatissima oscula nacti fuerant, cubicula repetiisse: illos contrà, in sacello remansisse, & in secretiorem quenq; angulum decessisse, vt sacros ibi rhythmos Deo succentarẽt, ac reliquũ spacium noctis in Dei laudem absumerent: hos veluti à specula singillatim adoritur, consalutatisq; benedixit: ad Maurum demum peruenit, septies osculatum, à quo ànne castitatis intemeratæ compos esset, neque blandiciis, neq; minis, neq; quauis alia artificiosa percunctatione extorquere potuit. In sequenti die conuentũ edixit, vbi hunc ex industria variis criminibus postulatũ periclitaretur. At ille nihil obiectis calumniis respõdit, haud inscius omnes mortalium animos patere Deo: quare facto periculo, Rex enarrata sui aduectus causa, Mauri virtutem publicè approbauit: paucisque pòst mensibus eum Quinqueeclesiensi episcopatui præfecit. At illud de Emerico, ne sine piaculo quidem subticeri potest. Quum Vesprinii esset, antiquam religiosamq; diui Geor-

gii ædem vno tantùm ex amanuensibus accito nocte adiit, ibique inter supplicandum ante aram constitutus, Deum pia obsecratione percunctabatur: Quid numini potissimum præstare posset, quod illi foret acceptissimum, ædes extemplo ingenti splẽdore completur. Et hinc vox diuinitus audita, nil Emerice Deo virginitate antiquius gratiusque futurum putes. Proinde vt gratissimam mihi victimam facias, mentis & corporis à te virginitatem postulo, hanc offer, & in proposito persta. At ille, Domine Deus meus, qui omnia conspicis, & humanam firmas imbecillitatem, item principibus ac regibus terræ dominaris, tuam in me voluntatem perfice, perniciosas in me concupiscentias fore misericordię tuæ penitus extingue. Cõfirma fragilitatem seruuli tui, vt in tuo seruitio vsquequaque persistat, à lubricis eum voluptatibus, & ab omni labe, pro tua clementia redime, ne vnquam è tua gratia elabatur. Amanuensem mox admonuit ne viuente ipso vnquam de re hac quicquam proderet. Post hæc pater, vt publicæ saluti de successore consuleret, Emericũ parandis liberis haud intempestiuum, digno coniugio obligandum esse censuit, ratus neminem regno commodiorem futurum, si viueret: sin minus, sanctissimam hinc prolem sperari posse, & regendis Vngaris accommodatissimam. Quare excellentissimam forma & virtute virginem, ac regali genere natam, huic desponsat pater, operamque liberis quandoque dandam edocet, ne legitimus, idemque optimus Pannoniæ regno successor desit. Quamuis hoc haud facilè efficere potuit, quando non sine multis eò precibus filium redegerat, ipsum tamen obtemperantissimum, & decenti coniugio iam obstrictum, nunquam cum vxore rem patrasse, sed maiorem (si dici potest) quàm antea castitatem seruasse comperit. Quinetiam vxorem, quam virginem Emericus acceperat, sub coniugalis prætextu cõsuetudinis castissimã sanctissimamque præstiterat, ratus multo fore præstantius, virtutum, quàm liberorum fœcunditate pollere. Cum vxore iuuentutẽ non exegit, quandoquidem virtutum cumulum adeptus, ex hac continuò vita ereptus est, & cœlesti potius, quàm hac misera mortalium conditione dignus est habitus. Non gnati fatum, sed malam regni fortunam flet pater, quando illum ex hoc felicissimum, contrà verò id miserrimum conspicatur. Spe tanta orbatum, vna tantùm fiducia & consolatio paternæ accesserat orbitati, quòd nati, quem inter Diuos relatum esse non ignorabat, patrociniũ apud Superos maximũ, & sibi & suis hinc se nactum esse intelligebat. Post Diui Emerici mortem, eius vxor integram vtriusque virginitatem, dum perpetuam viri castitatem testari cupit, cogitur profiteri. Amanuensis, quod in Georgij æde viderat, post eius obitum publicè prædicauit, & intemeratam testatus est castitatem. Quin & Eusebius Metropolita Cęsariensis, publicarum die supplicationum, hunc in cœlum elatum se vidisse asseuerauit. Auxit huiusce rei fidem ingens memorabileque miraculum, quod Ladislai Regis temporibus accidit. Conradus enim Teuthonum genere natus, omnium facinorum grauitate completus, quum Diuina quadam gratia, sub tãta scelerum mole resipisceret, vrbem Romam adiit, vt detecta mentis labe, pontificia auctoritate expiaretur, imperataque supplicia penderet. Quum ante Hildebrandum Diui Petri vicarium se constituisset, patefactis non sine summa cordis pœnitentia facinoribus, hac pœna mulctatur, qua loricam loco interioris tunicæ ferre, quinisque catenis ferreis obstringi, à lustratore Pontifice iubetur. Item pugillares dati, in quibus longa facinorum omnium confessio continebatur, iidemq; pontificio anulo obsignati. Postremò iniunctum, vt religiosissima quæque orbis sacella, Diuorumque monumenta eousque perlustraret, quousque illuc perueniret, vbi vinculis vltrò fractis exolueretur, & pugillares reserarentur, qui scelera longo orationis ordine complexi, minima quaque litera sponte caruissent. Ingentiis pœnitentia correptus, monumenta quęque sanctissima lustrat, neque Hierosolymam prætermittit, Saluatorisq; sepulchrum. Sancti demum Stephani Regis fama ductus, in Pannoniam se recepit, venit ad regalem Albam, vbi corpus eius in magnifico sacello reconditum, & ea quidem mente, ne vnquam inde recederet, quousq; solutis per se vinculis, & deletis vltrò pugillaribus, se nosceret

ſceret expiatum,quin & iuramento propoſitum cõfirmarat. Baſilicam mox Albenſem ingreſſus, ante Diui Regis aram ſe conſtituit, ingenti rerum à ſe peſſimè geſtarum pœnitentia conficit, vehementiſſimis Numen precibus ſollicitat, vt eius patrocinio ſcelerum omnium veniam cõſequatur. Quum à prima hora diei ad nonam vſque, obſecrationibus incubuiſſet, corpore animoq; defatigatus,ante aram ſubinde graui ſomno correptus eſt. Ecce inter dormiẽdum huic Diuus Rex apparet,Surge mox(inquit)amice,ne meis quidem meritis opéve apud tribunal Diuæ maieſtatis tibi confidendum eſſe ſcito,quando pro tanta facinorum mole, patrocinium meum ad impetrandam delictorum impunitatem,ne tibi quidem ſatis eſſe poteſt.Proinde Emerici mei monumẽtum, quod iuxta eſt, adito, qui quum præ virginitate ſua præcipuam apud Deum gratiam promeruerit,ſi aduocatus adhibeatur,omnium(mihi crede) ſcelerũ impunitate donaberis. Ipſe enim ex eorum numero vnus eſt, qui veſtimenta immaculata ſortitus,agnum ſequitur, quocũq; ierit, & ante thronũ Dei nouum rhythmum ſuccentat aſſiduè,quare eò propera,& opem eius implora. Mox ille ſomno experrectus,ad beati Emerici ſacellum confugit,exorat Diui numen, adoleſcentis deinde opinione celeriùs vincula, quibus erat obſtrictus, vndique diſrupta concrepuere.Pugillares facinore confeſſionis nudi,reſciſſo ſigillo ſponte patuere, in quibus nullum peccatum, ne minima quidem litera inſpici poterat. Ad catenarum crepitum quum æditui,ac alii complures conueniſſent, rogatus vir ille rem ex ordine vniuerſam aperuit. Qui tunc aderant, hac rerum inſolentia in Dei Diuique Emerici religionem conuerſi, vehementiſſima omnis huiuſce numinis deuotione ſuccẽſi ſunt, eiuſq; ſacello tãtum religionis acceſſit, vt è remotiſſimis regionibus huc homines planè confluerent, qui pro grauiſſimis rebus vota nuncuparent.Quum hæc regnante Ladiſlao accidiſſent,qui Dei quoque cultor erat eximius,tantæ rei admiratione percitus Rex ille optimus, Pontificum Procerumq; omniũ frequentiſſimum concilium habendũ eſſe duxit,vt eorum auctoritate grauiſſima ſanctio fieret, qua inter diuos Emericus referretur.Quin & omnib. triduana paſſim ieiunia edixit, mox nonis Nouembribus, circumlato ſingulari ſacerdotum pompa Emerici corpore, vrbem luſtrauit,dicauit mauſoleum,ibiq; reconditũ eſt,diuiniq; honores exhibiti,vota quoq; frequentiſſima ibi quotidie ſuſcipiuntur, eduntur q; miracula. Mater eius obitum aliquanto intemperantius tolerabat, & grauiter angebatur, quòd optimum regni ſucceſſorem amiſerat. Sed tamen illud fuit admirabile,trigeſimo poſt eius mortem die, quum Albæ ab Vngaris frequentiſſimæ ac ſolennes celebrarentur exequiæ,non mœroris,ſed publicæ lætitiæ dies ille viſus eſt haud aliter,atque ſi maximum apud Diuos patrocinium ſibi ac regno omnes ſortiti viderẽtur. Poſt filij mortẽ Stephanus eo magis quàm antea pro regni ſucceſſore ſollicitari cœpit,quo potiore ſpe fruſtratus eſſe ſibi videbatur. Quod ſecum quotidie agitãs, ad Diuinam opem,vt ex inſtituto ſuo facere conſueuerat,repente confugit. Aſſiduis diuam virginem precibus exorauit, vt ſe ſuumque regnum perpetuo magna mater patrocinio tueretur, cuius tutelæ ac poteſtati ſe Vngaroſque omnes addixerat,omniaq; ſuorum ſtudia fortunaſq; dicauerat. Quinetiam illud ſolẽne promulgauit edictum,vt omnes diem beatæ Virginis,quo inter diuos relata fuit,inter celebratiſſimos haberent,dominæque diem appellarent, ac cætera eius feſta ieiuniis & ſingulari ſolennitate tranſigerent.Hanc demum peculiarem ſibi deam pientiſſimamque patronam in cœlo terriſque ducerent. Quinetiam vt eius numen ſemper Vngaris æquiſſimum redderet, celeberrimã in Alba regali baſilicam dicauit,vbi regum corpora reconduntur, ibique ex inſtituto creati reges diadema ſuſcipiunt. Opus eſt mirabili ſumptu, incruſtationibus marmoreis renitẽs,vbi pauimenta teſſellata cernere eſt,magnificas columnas,aras, iconibus ac tabulis nonnullas mirum in modum exornatas, ex puriſſimo auro argentóve conflatas,item ſacella regia, ac monumenta pleraque in mauſoleorum ſpeciem, præterea ſigna ſunt quædam & tabellæ lapidibus & gemmis exſculptæ, quin & ſupra menſam Chriſti acuminata teſtudo inſano lapillorum &

auri sumptu elaborata, ne varia quidem vasorum genera desunt, multa crystallina, pleraque myrrhina, onychina multa, ex porphyrite & alabastro complura gemmata, nonnulla in quibus nil auro & argento vilius intueri licet: de vestibus, supellectilique sacra nil dicendum, quando cunctarum rerum mira copia, quæ Diuino cultui sunt vsui. Quum peculiarem hanc regũ ædem esse iuberet, tanta eam immunitate priuilegioque donauit, vt huius antistes nemini episcopo, præterquam Pontifici Romano subiiceretur. Quin & regibus ius esset expiationis, & cuiusuis consecrationis tempore pro arbitratu suo episcopum optare, ac illuc ad exhibenda sacramenta mittere. Omni basilicam, qua potuit, liberalitate potestateq; donauit, præsente absentéve Rege nulli pontifici rem sacrã ibi facere, ius & fas esse, nisi cui Rex præsúlve basilicæ demandarit, quẽ præpositum appellant. Quinetiam populus nulli decimas pontifici, præterquam huic suoque collegio pendere iubetur. Item nemo Rex Vngariæ reginàve institui, regiisque insignibus donari poterat, sine præsulis huiusce præsentia. Hanc nostra tempestate basilicam, aliquo vetustatis situ obductam, diuus Matthias Coruinus non instaurare, sed multo magnificentiore sumptu amplificare cœpit, & fundauit magnæ aræ testudinẽ, quam si per vitam absoluere poterit, opus non modò auctore dignissimum, sed cæterorum præstantissimum fore reputatur. Item ne à Diuina beneficentia, quam sibi indulgentissimam nactus erat, ingratitudine aliqua destitueretur, Hierosolymis spectabile monachorũ cœnobium fundauit, qui ad sanctissimum Saluatoris nostri monumentum, sacra quotidie pro publica salute operarentur. Idque prædiis abundè donauit. Romæ quoque Stephano protomartyri ædem dicauit, cum duodecim collegio sacerdotum, item adiecit hospitium, vbi Vngari, qui Petri Paulique basilicam viserent, commodè & gratuito excipi possent, vtrique villas, vberrimosque prouentus addixit, ne qua rerum inopia laboraret. Constantinopoli quoque templũ haudquaquam ignobile statuit, pari quoque liberalitate donatum, multa pietatis & clementiæ suæ monumenta reliquit. Vnde qualis in omnes, & potissimum in pauperes & calamitosos fuerit, facilè coniici potest. Quotidianas egenis, ac mendicantibus impensas exhibuit. Multas noctes transigebat insomnes, vt clandestinas miserabilibus eleemosynas erogaret, Christiq; fideles sua beneficentia, miseria liberaret. Verùm illud referunt admiratione dignissimum, quadam enim nocte, cœlesti percitus instinctu, clàm sine comite è regia prodiit, distentos nummorum loculos ferens, quos miserrimo Christi popello distribueret. Quò quum venisset, stipemque viritim daret, inter petulantes rogatores mox orta seditio, regi per contumeliam ab auidioribus plerisque barba distracta, & ne parua quidem ex parte conuulsa, ac is nequaquam ex hoc succensus, immo solido quodã gaudio agitatus in genitricis ædem properauit. Diuæ gratias egit, regina (inquit) cœli, ac diuum magna parens, vnica Vngaricæ patrona gẽtis, immortales tibi gratias ago, quòd me quem regem esse voluisti, milites tui hoc modo tractarunt, colueruntque, si has ab hostibus iniurias accepissem, tuo auxilio vlciscerer. Proinde hinc futuræ felicitatis auspicia capto, neque irrita filij tui verba scio fore, quum suis apostolis ne minimum quidem è capite capillum periturum esse recepit. Haudquaquam casus iste pietatis officium interpellauit, immo exuberantiore post hac beneficentia vsus est, cui quum ipse satis esse non posset, familiares, monachos, sacerdotes, & occultos quosdam dispensatores adiecit. Cuius quidẽ rei Guntherus eremita Boemicus, grauissimus testis est, qui principis liberalitate pellectus, in Vngariam sæpe adiit, eiusque monitu cœnobium in regione, quam Beel nunc appellant, à rege ædificatum, ampléque donatum, vbi Gerardum monachum, virum quidem religiosissimum, contemplatiuam vitam egisse fama est, quem post Regis obitum ad pontificatum euectum fuisse ferũt, sed fluctuante in Pannonia Christiana fide, lapidibus obrutum, & inter diuos relatum affirmant. Nũc ad diuum regem reuocetur oratio, tantùm sua in Deum pietate præpolluit, vt sub tutela auspiciis Diuinis regnum geri experientia declararetur, quadam nocte in somniis è cœlo admonitus,

nitus, continuò experrectus cubiculo exiliit. Veredarium præfectum legionis euestigio accitum, in Transsyluaniam vlteriorem Daciæ partem properare iubet, vt populos vicatim degentes admoneat, imperetq; facultates omnes in oppida munitissimaq; loca conferant: Quum Bessi, qui Istri ora accolunt, ab omni religione alieni, & Vngaricæ gentis hostes acerrimi, regni limitibus immineât, Vix veredarius mandata peregit, ac illi in tutum bona congesserant, ecce Barbari immites aduentant, agros passim discursant, igni ferroque cuncta vastant, quos inueniunt, licèt perquam paucos, sine aliqua sexus & ætatis ratione trucidant. Desides tantùm aliquos inuenere, hiq; socordiæ suæ luêre pœnas, & nisi 10 hoc monitu suis rebus ipse prospexisset, iam de Transsyluania fuisset actū. Item alia successere bella, quę Diuina benignitate prosperè gessit. Ab anno salutis secundo supra millesimum, inter Stephanum & Gyulam auunculum intestina bella exoriuntur. Is enim nepotem Christiana fide initiatum, & à Scythica religione desciscentem iniquissimo animo ferebat, quare non solùm verbis sæpe Regem acerrimè corripuerat, verum etiam armis lacessere nitebatur, vt ad patrias hunc cæremonias reuocaret. Vbi verbis se nihil perficere posse intellexit, à Transsyluaniæ montibus, cui pręerat, Vngariam quotidianis incursionibus & rapinis infestat. Contrà Rex pientissimus, ne cum suo sanguine manum conserere cogeretur, per legatos & feciales admonuit, obsecrauitque sæpissimè, ne in 20 Scythica feritate persisteret, verum Deum, & Seruatorem suum agnosceret, omnis tamen opera eludebatur. Proinde hunc Vngaris quotidie insultantem, & varia detrimenta inferentem, armis coercere cogitur. Comparato ne mediocri quidem exercitu, in Transsyluaniam contenditur, paucis mensibus vniuersa capitur. Gyula cum vxore duobusq; liberis postremò captus, in Pannoniamque ductus. Preciosissima regio, & auri, vini, frumenti, pecorum, omniumque rerum feracissima, ex eo tēpore, Vngariæ regno est adiecta. Populi omnes, qui eum Daciæ tractum incolebant, partim vi, partim sponte in Christianam fidem asserti sunt. In auunculi regia ingens auri & argenti copia deprehensa, facinorosissimè comparata. Ex qua basilicam Albæ præstantissimam Rex erexit, quæ 30 quum sæpe incendio fuerit obnoxia, hinc publica nata est opinio, & explorata fides, templum idcirco diro sæpe incendio laborasse, quia ex pecunia scelestissimè parta fuerit ædificatum. Gyula cum liberis & vxore inuiti orthodoxam fidem subiere, baptismate expiati, à Rege vinculis liberati sunt, & pro dignitate tractati. Paulò pòst ingēs è Bulgaris, Sclauorum genere natis, bellum exoritur. Quippe qui inferiore Mysia quondam potiti, quæ vltrà citraque Istrum, ad Euxinum vsque Pontum effunditur, nunc iidem, Cea duce, finitimos adoriuntur, prædas abigunt ingentes, & latrociniis ac incursionibus latè vagantes, pro viribus cunctos infestant, nunc Transsyluaniam, nunc Vngariam diripere contendunt. Ad coercendam horum audaciam, magnum vbiq; delectum Rex habere 40 cogitur. nam non solum hostes numero roboreq; potentes, verùm etiam locorum difficultate munitioneque inaccessibiles aditurus erat. Comparatis igitur magnis copiis, inferiorem Mysiam ingreditur, durum hostem inuenit, sæpius manu æquo Marte consertum. Bulgari tādem nouissimo prælio terga vertunt, latèque funduntur, fuganturq;. Ceas eorum princeps in pugna cæsus, castraque direpta, è quibus tanta pręda acta est, vt nemo spoliis hostium inoneratus abierit, tantaq; auri, argenti, ac lapillorum inuenta copia, vt quicquid multis illis bellis congesserint, vno prælio amiserint. Et quum pugna in vlteriori Dacia, quam Transsyluanam dicunt, gesta fuerit, ditissimæ regioni præfecit proauum, quem Zoltan nominabant. Hostilis præda non in vsum humanum, sed Diuinū con50 uersa, aurum & argentum cum gemmis in cruces, calices, phialas, & vestimenta pontificia erogatum, vnde tot templorum ornamenta confecta sunt, vt ne minima quidem Pannonię ædicula, expers tam piæ fuerit prodigalitatis. Et basilicæ præsertim Albensi donatiua duo dicauit, quæ rationalia nunc appellant, horum vtriusque oram cernere erat, è septuaginta obryzi pondo sanè constantem, vbi lapilli latè discintillabant. Quæ quum Benedictus Pontifex maximus

1002.

q

spectasset, eo donanda priuilegio censuit, vti quicunque in sacris faciundis his vteretur, coronandi Regis Vngariæ integram sibi potestatem inesse sentiret. Multa huic ornamenta a Gysla sunt adiecta, vt nemo hæc sine maxima admiratione spectare queat. Præterea quum ante beati Emerici mortem, Bulgaricum bellum gestum esse tradatur, ad Budam veterem, Germanicam quondam legionem, & Antonini ac Seueri temporibus ad coercendos Barbarorum impetus ibi collocatam, quam ante Budæ appellationem, Sycambriam nominabant, Rex & Regina cum filio venerunt, vbi quum nullum veri Dei templum conspicarentur, in quo pia sacra operarentur, exædificandum ampleq; donandum continuò cœnobiū cum æde censuere, quam Diuo Petro Pauloq; dicarunt. Artifices omnes è Græcia acciti, vt opus memorabile facerent, statuarij, ac plastici vndiq; magna mercede cōducti. Vt magis ferueret opus, Stephanus & Gysla Budæ constiterant, verùm quum hic operi, signis, tabulis ac ornamentis ille incumberet, neuter voti compos esse potuit. Nam quum ante mortem ipsorum perfici nequiuerit tāta moles, à Ladislao tādem Rege sanctissimo pronepote suo consummatur. Perpetuum diuo Stephano institutum hoc fuisse ferunt, ter quotannis basilicas & cœnobia, quæ fundarat, reuisere solitum, ad aras primùm omneis, pias preces & sacra fecisse, vt magnis numinibus supplicia debita exoluere videretur. Deinde singulatim templa lustrasse, ne qua quicquam negligentia collaberetur, si quid vitij, imminentisq; ruinæ tectis & parietib. intuebatur, extemplo instaurasse. Peculiares semper loculos à latere circumtulisse, ex hisq; propria manu mendicantibus & egenis erogasse pecuniam. Emericum quoq; regali habitu indutū, quum templa cum Patre lustraret, ante aras se continuò exuisse, vt altaria excoleret. Pari quoq; studio Gysla vtebatur, cui nihil erat antiquius, quàm cum viri probitate certare, sacras vestes & ornamenta sacerdotū diligentissimè recognoscere, vt absumpta reficeret, aut lacera resarciret. Viuente Henrico principe sanctissimo, paribus vtrinq; studiis, pax longè lateq; seruabatur, omniaq; apud Vngaros è sententia gerebantur. Pòst vbi Imperator ille optimus inter Diuos relatus est, Conradus natione Sueuus, itē Conradi Varmaciensium ducis filius, qui Othonis tempore in Vngarico bello occubuerat, ex Gallica matre natus, matrona quidem nobilissima, & Henrici tempore præfectus equitum, Cæsar designatus, in imperio, non in probitate successit, quippe qui institutam pacem vtrique genti apprimè salutarem intercepit. Hic quum aduentum in Italiam tribus fermè annis distulisset, Italiæ principes ac populi, inita coniuratione, se in libertatem asseruerunt, aduentumq; Conradi armis inhibere adoriuntur, quare non sine validissimo exercitu Italiam adire coactus est. Ex quo quidem tempore illam Gregorij quinti, Othonisve primi sanctionem in Imperatores olim promulgatam primùm obseruatā legimus, qua, quicunque Cæsar in Germania declaratus, Italiam aditurus erat, vt a Romano Pontifice Augustali corona donaretur, duas prius in itinere, vnā Moguntiæ ex palea, altera Mediolani ex ferro confectam à metropolita cōsequi iubebatur. Quum Mediolanenses sibi infestos inuenisset, qui Heliprando tunc duce regebantur, vrbem obsedit, suburbia incendit, obsidionem tandem Coloniensis metropolitę consilio, haud aliter ac diuinitus admonitus, soluere coactus est, quoniam inter sacrificandum, diuum sibi Ambrosium apparuisse asseuerabat, extremum Germanis excidium interminantem, si vrbem suo numini dicatam dicto celeriùs non relinquerent. Romam profectus cū vniuerso exercitu, à Ioanne Decimonono Pontifice maximo, auream est coronam, & Augustalia insignia ritè consequutus. Italiæ principes, qui Sclauorum & Vngarorū potissima auxilia implorarant, dum præ illorum cunctatione, & Imperatoris viribus sibi diffidunt, mutato consilio, omnes vltrò gratissima illi obsequia deferunt. Pacata is Italia, in Germaniā rediit, qui rebellantibus Italis, auxilia magna promiserant: re detecta, cognouit omnes. Vngaros & Sclauos potiores audiuit, ne difficulter quidem hæc credere cogebatur. Nam quum populos vtrosque in Christianā fidem nuper assertos nosset, facilè ad defensandū Christianæ reipublicæ

blicæ caput, postulatis impensius auxiliis coniurasse putabat. Diuumque Stephanum, quem Christianissimum intelligebat, Apostolicę sedis gratia, quæ tantis cum honoribus & immunitatibus excoluerat, omnia moliturum arbitrabatur. Hinc belli causas promanasse ferunt, pleriq; defuncto Henrico, concordiæ ac pacis auctore, ingenita Germanorum Vngarorumq; odia diutius contineri nequiuisse prodiderunt: quare prius in Sclauos, deinde in Pannonios Cōradus castra mouit. Tota nanq; Boemia, Polonia, & vniuersa ferè Sarmatia, sub Sclauorum nomine continetur: nam eadem his omnibus est lingua. Boemorum igitur & Polonorum motus vno alteróve prælio repressit, & ad obsequia grata redegit. sed cum Bolezlao Polonorum duce, vt auctor est Otho, quum regni sibi nomen vsurpare contenderet, quod sub Henrico occeperat, magna prius bella gessit, eumque subegit. Item & Mesconem filium, eadem paterno more molientē, qui eiecto Othone fratre, se Regem appellarat, Polonia eiecit, Othonemque restituit. Deinde in Vngaros haud facilè bello domitabiles itum. Stephanus vbi Conradum cum vniuersis Germaniæ viribus Pannoniam irruere intellexit, pontificum, procerumq; omnium repente concilium habendum esse censuit: quantum à Germania periculum instaret, edocuit. Habuit delectum, quàm vnquam antea longè maiorem: pontifices, sacerdotes, item sacri & prophani omnes pariter arma capessenda decernunt, quo facilior resistendi copia daretur. Cum potētissimo hoste rem esse intelligunt. postquam comparato validissimo exercitu, castra habere cœpit, Diuinum in primis auxilium his breuiter implorauit, quamuis in exorandis placandisque numinibus die noctuque nunquam cessare videbatur. Si placet tibi regina cœli, & Vngarici patrona soli, hoc regnum hæreditario iure tibi legatum, igni, ferroque ab hostibus vastari, & plantatam nuperrimè Scythicis pectoribus fidem filij tui, cōtinuò extirpari, ne meæ (quæso) desidiæ, sed numini tuo hoc tribuatur, si quod Regi patratum est, cui plebem tuam commisisti, ipsum (te precor) pœnas luere patiare, innocentibus parce, nouam hæreditatem tuam pro solita benignitate tuere. mox effusus in lachrymas, & diuæ Genitricis numine confirmatus, in Germanos signa moueri iubet, quum nunquā fidelibus pia numina desint. Res non tam cōmemoratione, quàm admiratione dignissima, pridie eius diei, quo in hostium conspectum futurus erat, accidisse dicitur. Tesserarius nanque per omnia militum contubernia & tentoria quidam discurrit, qui Imperatoris edicto Germanum quenq; solutis castris domū repetere iubet. In sequenti nocte ante lucem Conradus, soluta castra comperit, videt domum quenque festinare. Rei nouitate percitus causam disquirit, omnes vno ore referunt, Tesserarij voce, missione donatos, accitis tesserariis, neminem inuenit, qui missionis edictū circumtulerit. Mox Conrado Stephani sanctitas explorata succurrit, cuius gratia cœlestē internuncium sub tesserarij specie, castra soluisse reputauit, ne sancti Regis populus oppugnaretur, ne qua inter seniores, iunioresq; Christianos seditio defectione suboriretur. Approbauit Diuinæ missionis edictum Imperator, instaurataq; pace in Germaniam se recepit, cū grauissima asseueratione pollicitus, se Pannoniis, quos sub Diuina tutela esse intelligebat, perpetuò manus abstenturum. Rex autem è vestigio quum diuæ Genitricis patrocinium laboranti sibi, suæq; Vngariæ adfuisse conspexit, humi prostratus, clementissimo numini gratias egit, & per cunctas aras Pānonicæ Deæ sacra fieri passim edixit. Deinde eo ardentius pro explorata Diuinæ clementiæ gratia, in Dei charitate permansit: quē in partiendo tempore, tali vsum instituto fuisse ferunt, interdiu, dicēdo iuri, ac regalibus officiis & negociis incumbere, noctes ferè insomnes ducere, in Diuina contemplatione versari, cum assiduis lachrymis pro publica & priuata salute supplicare, piis precibus æquiora numina reddere, in Diuinam quandoque cōtemplationem vsqueadeo rapi, vt humo subtractus, in aere pendere videretur: nam quum in remotam quādam basilicam secessisset, numinis exorandi causa, distentis circùm tentoriis noctem transegit: qua quidem intempesta, quum in tabernaculo ad contemplandum suscitaretur, vsqueadeo in Diuini-

tatis contemplatione correptus est, vt corpus, euectam in aera mentem subsequeretur. Quin & tabernaculum, ne vehementissimam contemplationem interciperet, corpúsve inhiberet, ne cum animo in aera raperetur, ipsum quoque simul tractum in aere diu pependisse tradunt: quum patefactum cuidam sancto viro miraculum intellexisset, mox eum admonuit pariter, & interminatus est, ne quid de hac re se viuente proderet. Fama tamen regiæ sanctitatis, ea latè diffusa vagabatur, vt è remotissimis multi oris ad venerandum hominem planè confluerent. E Bessis Bulgarisque, quos graui bello domitarat, sexaginta circiter viri, ac iidem nō ignobiles, eius fama succensi ad adorādum Regem in Pannoniam venerant. Carros multos ducebant, quibus magnam auri & argēti copiā, cæterasq; fortunas imposuerant, vt nō modò eum prærreuererentur, verùm etiam inter regia seruitia perpetuò se insinuarent. Quum Pannoniæ fines attigissent, plerique sceleratissimi tribuni cuiusdam famuli, auri cupiditate tracti ex insidiis hos adoriuntur, multos trucidant: exanimes aliquos relinquunt, cæteris fusis fugatisq; onusta plaustra diripiunt, nummatiq; in syluas se recipiunt. Qui ex hac Bessorum societate superfuere, ad Regem tandem perueniunt, illatas sibi cædes, & latrocinia, item peregrinationis causam ex ordine referūt. Rex miseros consolatus, confestim & clam tribunum per apparitorem cum vniuersa familia ocyssimè ad se venire iubet: quod nisi continuò fecerit, perduellionis pœnam indicit. Tribunus mox edoctus, coacta familia, opinione celerius aduenit. Ante conspectum Regis, famulorum agmen explicat. Quum malè mentis conscij vultu facinora proderēt, quæ nuperrimè patrarant, Cur (inquit) contemptis numinibus & Diuina lege, præter ius & fas diri grassatores, hospitum sanguine manus infecistis? Cur in humanum genus, & in eos, qui veræ sapientiæ cupiditate peregre iter faciunt, tam impiè sæuiistis? Cur viros innocentissimos morte mulctastis? Proinde sicut in alios à vobis actū est, ita & vobiscum nunc in conspectu meo Deus aget, mox capitales eos pronunciauit. Ad omnes regni aditus, singula horum paria, quando multi fuerunt, crucibus affigi iussit, vt liberum peregrinis iter in Pannoniam quondam hospitabilem omnibus fore significaret. Quare factum est, vt quoad vixerit, ne minimum quidem latrocinium in Vngaria posthac patratum senserit. Hoc enim seueritatis exemplo ita facinorosorum audaciam coercuit, vt nemo peregrinis manum iniecerit. Eos verò qui læsi & spoliati fuerant, non solùm indemnes, verùm cumulatissimè donatos, & voti compotes præstitit. Paucis pòst annis, quando virtus aduersitate perficitur, & quos Deus diligit, corrigit (vt aiunt) & castigat: Quum magno Rex dolore torqueretur, & Emerico orbatus, nemo sibi nepos & cognatus erat, cui regnum & Vngaricæ fidei conseruationem tutò committeret, quumque intelligeret Scythicam gentem, intermissa Diuini cultus, fideiq; custodia, in pristinam insipientiam cōtinuò recasuram, varios ex hoc morbos subire coactus est. Emericum ab anno salutis trigesimo primo supra millesimum, extinctum aliqui scripsere. Ipse tanto corporis languore correptus est, vt ne pedibus quidem stare posset, quare aliquanto remissiùs regnū gerere videbatur. Hinc proceribus quatuor, qui adhuc prophana cordis perfidia laborabant, suscitatur audacia, consiliumque adoriendi Regis ineunt, rati morte regia, se non modò Vngaros in pristinam immanitatem reuocaturos. Ex cōposito ex his vnus imminente vespera, antequam lucernæ adhiberentur: dum cauto gradu, vbi ille recumberet, inter tenebras percontaretur, nescio quò gladius incuria decidit, fragoremque non paruum edidit. Rex inquisita statim casus huiusce causa, quamuis diuinitus admonitus non ignoraret: emissarium tamen aduocat. Quid sibi velit, interrogat. At ille mox ingenti pœnitentia & ingenua cōfessione correptus, rem vniuersam, prostrato ante pedes corpore retegit, amplexus genua multis veniā lachrymis precatur. Rex eius obsecratione victus, concessa impunitate dimisit. Eius edicto in coniuratos subinde quæsitum, de quibus recōperta, pœnæ legitimæ sunt exactæ. ingrauescente indies ægritudine, inopinata febris incessit, quam quum sibi vitam propediem correpturā intelligeret, Pontifices ac

1031.

ces ac proceres omnes acciri iubet. Ad quos in primis de rege eligendo, deinde de fide conseruanda retulit, quin & pientissima omnes admonitione instituit, initam Saluatoris nostri fidem pertinacissimè retinerent, colerēt iustitiam, concordiam simul & pacem amarent, mutua inter se charitate certarent, nihilque ducerent antiquius, quàm in Christiana fide versari, eam sanctitate armisq; tueri, malle mori, quàm falsa vanaq; numina colere, ab humano sanguine, item furtis, latrociniis, & omni denique vi manus abstinerent: Diuina præcepta summo studio obseruarent, ita demum viuerēt, ne quid Deo charius haberēt, operamq; pro virili quisq; sua semper darent, ne qua Deum hominemque capitali
10 iniuria læderent, cum finitimis quietè viuerent, & Regum edicta Pontificumq; decreta præstarent. Ad postremum basilicas & vniuersa collegia sacerdotum, item regnum animamq; suā cum vniuersa fideliū multitudine, profusis lachrymis, & elatis in cœlum manibus, in concione diuæ Genitrici perpetuæ virgini, ac vnicæ Vngarorum dominæ Deæq; instantissimè cōmendauit. Instabat dies Augustæ Virginis, quo inter diuos relatam dicimus. Hunc nouissimum vitæ diem sibi Stephanus ex voto optarat, & cum summa contentione a numinibus implorarat, vt pari cum ea die in cœlum referri videretur. Compos tandem voti inter cœtum pontificum & sacerdotum, coronamque procerum sacris ritè peractis, à salutis anno trigesimoquarto supra millesimū, regni verò trigesimo- 1034.
20 septimo animam efflauit, ab omnibus desiderio deploratus. Ad celebrandas diui Regis exequias, non solùm ex vniuersa Pannonia Daciaq;, verùm etiam e finitimis populis multi conuenere, vt singulari pompa funus efferretur, corpus succollantibus pontificibus, supremisq; magistratibus Albam delatum, quum nondum diuæ Genitricis basilica ritè sacrata foret, metropolita cum pontificibus & collegiis sacerdotum, prius eam ex more dicarūt. Mox in medio templi marmoreo sepulchro condidere, riteq; inter diuos retulere. Vix cōdito corpore, innumera ad eius aram multitudo confluxit, vota nuncupantium, grauiter languentium: multi tamen cunctis mirantibus, voti compotes, Deoque gratias concinētes rediere. Complura diu miracula ad eius aram edita, ibi angelorum
30 concentus nocte sæpius auditi. Sed prius quàm ad cætera flectatur oratio, illud interiiciendum censeo, quod de substituēdo nouo Rege Vngarici Annales referunt, à cæteris Scriptoribus prætermissum. Quum paulò ante mortē Stephanus successoris cura admodum sollicitaretur, ne quis à suo sanguine alienus regnum obiret, Budam Egruthi filium extemplo Nitriam properare iussit, vt Vazulem patruelis sui filium, quem propter ętatis suæ lasciuiam in vincla coniecerat, continuò liberatum ad se duceret, vti eum, antequam vita decederet, Regem Vngariæ declararet. Quod vbi Gysla nouit, cum Buda scelestissimo consilium iniit, quónam modo Regis mentem interciperet, neque Vazul, sed Petrus Stephani ex sorore nepos, & Guilielmi filius, Alemannico genere natus, regnū
40 assequeretur. Quare Sebum Budæ filium, Nitriam præmisit, qui nomine regio, Vazuli efforeret oculos, & infuso aures plumbo compleret, ac patrato demum facinore, fugeret in Boemiam. Sebus Budam præcedens, Nitriam cōtendit, dira reginæ mandata peragit: in sequenti die, Buda aduenit: Vazulem exertis luminibus, & obstructis auribus inuenit, atque immaniter tractatum, potissimisq; naturæ adminiculis defraudatum, ad regem duxit: quem ita deformatum vbi Rex aspexit, in profusissimas repente lachrymas conuersus est. Quare adaucta ægritudine, confirmatoq; dolore, in effœta iam ætate, neque de facinorosis hominibus pœnas exigere, neq; vitam vltra propagare potuit. Sed mox Calui Ladislai filios, patrui quondam sui, ad se iubet acciri. Quorum vnus Andreas, Be-
50 la alter, & tertius Leuenta dicebatur, hos admonet dicto celerius Boemiam Poloniámve petant, insidias euitent, fugaq; salutem sibi comparent, quando ipse imminente morte, neque eos tueri, neque malorum audaciam, & obstinatam reginæ mentem coercere potest. Regis imperio iuuenes obtemperant, se ocyssimè dolis expediunt, clandestinumque iter in Poloniam ineunt. Admiranturque pleriq;, quòd Vngarorum Annales referunt, Gyslam tantum facinus fuisse

Successor D. Stephani.

Geisla.

ausam: quum omnes planè Scriptores, sanctissimam mulierem, & diuo Rege, ac fratre Imperatore non indignam affirment. Quare si vtrorumque scripta tueri volumus, duas vxores Stephanum duxisse, cogimur affirmare: & vtriq;, Gyslæ fuisse nomen: vnam, eamq; sanctissimi Henrici sororem: alteram verò, Guilielmi filiam, qui sancti Sigismundi frater fuit, & è Burgundiensium ducum familia prodiit. Atque diuersis vtranque moribus fuisse asseuerabimus: nam & Conradus Imperator Gyslam quandam Caroli magni genere natam, vxorem nactus est, quæ & Rodulphū Burgundiæ Regem habuit: & antequam Conrado Imperatori nuberet, Ernesti Sueuię Ducis, & Alberti fratris, qui Austrię dominabatur, fuit vxor: ex quo Ernestum, Hermannumq; filium suscepit. Sed ad diuerticulum reuertamur. Eius corpus antequam pontificia sanctione, vel Diuina potius declaratione extolleretur, annis quinque ibidem iacuit & quadraginta. Demum postquam Ladislaus, vir Deo deuotissimus, regno potitus est, id auctoritate Apostolica sancitum, & ita diploma in Pannoniam missum est, vt quicunque primùm in Vngaria Christianæ fidei fundamenta iecerunt, ne legitimo honore defraudentur, omnia corpora eorum, in gloriæ speciem, solenni celebratione ostentarentur, vt hic inter diuos, relatos esse credant. Accepto diplomate, Ladislaus eius pronepos, habito optimatum antistitumq; conuentu, tridui cunctis ieiunium indixit: omnes hortatus, vt precibus, inedia, supplicationibus, eleemosynis, auspicia Diuina captarent, quibus Diuinam voluntatem intelligerent. Exacto ieiunii tempore, ad diui Regis tumulum peruentum est: cuius lapidem quum amouere contenderunt, nulla vi loco mouere potuerunt. Hoc eo tempore portentum intercessit, quo exorta inter Ladislaum & Salomonem fratrem seditione, alter alterius iussu, graui carcere coercebatur. Conatus ingens Regem frustratus, in admirationem summam adegit: ac tali ostento deterrebat omnes, qui iratum numen auspicabantur. Tunc virgo quædam Charitis nomine appellata, quæ haud procul à basilica in Seruatoris æde sanctissimè viuebat, repentè Ladislaum admonuit, Eum frustra conari, neque lapidem è tumulo dimoueri posse, quousque frater carcere educeretur. Rex sacræ virginis oraculo admonitus, Salomonem è vinculis continuò expediri iubet: tridui ieiunium iterum indicit: tertio die sacris ritè peractis, spectante frequentissima populorum multitudine, ingēs lapis facillimè ablatus est. Corpus diui Regis tumulo eductū, & acclamantibus omnibus, per basilicam circumlatū, mox pro dignitate reconditū, euidentissima subinde numinis benignitate, tot edita miracula, vt nemo corpore mancus, aut ægritudine languens, voti impos abierit. Ibi in tāta multitudine cernere erat, ambulare claudos, cæcos instauratis luminibus videre, mutos loqui, leprosos paralyticosq; curari, nutantes in fide animos cōfirmari. Omnes denique corporis & mentis ægritudines abigi. Quin & iuuenis, qui annis circiter duodecim paralysi solutus, manuū ac pedum carebat officio, carruca huc aduectus, implorato numinis auxilio, repēte desiluit: ac Deo gratias agens, Stephaniq; laudes proclamans, ad aram per mediam multitudinem repentè cucurrit. Puer septennij neruorum contractione correptus, ad sepulchrum allatus, distētis mox brachiis ac pedibus expeditus incessit. Ladislaus autem Rex, tot miraculorum successu in stuporem conuersus, mediæ aræ imposuit, sacelloque elaboratissimo donauit. Iam dudum tanti numinis sic fama percrebuit, vt ex omnibus Vngariæ finibus languentium agmina festinarent. Ex his qui grauiùs laborabant, & cunctatius venire cogebantur, diuum Regem impensè exorantes, in itinere conualuere, & in testimonij speciem, ibi lapides in aceruos planè congesserant. At illud fidem exsuperat, mulieri vnicus erat puer, qui repentina morte correptus, animam efflauit: mater numinis patrocinio freta, immenso cordis affectu, extinctum filium, in sancti Regis ędiculam defert: & ea quidem mente, se nunquam loco moturam, donec ex voto in puerum animam reuocaret. Ne audacem quidem mulierculam fides & spes ipsa fefellit: sacellum ingressa tam vehemēti obsecratione numen exorauit, vt spectante frequentissima hominum turba, mulieris orbitatem deplorantis, puer

humi

Ladislaus.

10 20 30 40 50

humi porrectus subsilierit,& in matris amplexum se effuderit. Quanta hinc diuo Regi gloria successerit, quot omnes præter opinionem stupor inuaserit, pro se quisq; facilè cogitabit. Item post Virginis Augustę anatheosin die quinto omnes Vngariæ principes, præterea pontifices, sacerdotumq; collegia, cum Ladislao Rege religiosissimo Albam conuenere, vt in basilica solennia facerent,& pro mortuis parentarent. celebratis mox inferiis, ad sancti Regis monumentum peruentum est, quod vbi regio iussu præreuerenter exorato prius numine reclusum est, tanta odorum fragrantia hinc effluxit, vt vniuersam basilicam veluti cœlesti quodam rore compleret. Deinde quum ossa tractarent, balsamo 10 quodam delibuta & humecta compertere. Lectis subinde ossibus, & in syndone reconditis, anulum aureum, vetus eius gestamen, in liquore disquirere occœperunt, quem quum nulla percunctatione, in arca marmorea indipiscerentur, de hauriendo liquore cogitatum:is vbi exhauriri cœptus est, completis plerisque phialis ac doliis, nunquã penitus exantlari potuit. Nam ad singulos haustus, vi numinis iste liquor reparabatur. Quod vbi compertum est, quod fuerat exhaustum, continuò reconditis ossibus infudere,& post infusionem liquor ille neque creuisse visus est. Ex inuento ibidem thesauro Diuæ Virginis ara instaurata. Quin & paucis pòst tẽporibus, eximij principis vxor, cui Mathildi nomen erat,& intestinorum dolor tribus annis incesserat, huius fama commota, in Vn- 20 gariam peregrinatur, atque adito sacello, mox penitissimo cruciatu liberata est. Sed ad dexteræ anulum redire cogimur. Mercurius Vngarico genere natus, & Cathipani Alberti Præpositi pater, ac basilicæ Albensis æditus, qui vitę quondam politicæ renunciarat, vt religioni expeditius inseruiret, quum Ladislaus Rex imperasset tumulum aperiri, ne quid è sancti Regis reliquiis subtraheretur, cum plerisque aliis, qui sepulchro inhæserãt, regio iussu procul amotus est. Is tristi vultu repulsus abiit, & quum monachus esset, in sacrum chorum se recepit, vbi quum pudore suffusus grauiter angeretur, quod sanctissimum corpus neque videre, neque osculis attingere potuisset, ecce iuuenis quidam intempesta nocte coram adstitit, forma incredibili, liberali facie, candidissimoque habi- 30 tu, nescio quid, bysso inuolutum deferens. Accipe (inquit) Mercuri, quod optasti,& hoc donum preciosissimum, quod tuæ fidei committitur, commendatissimum habeto, asseruato diligentissimè,& quum tempus dabitur, ipse depromito. Nocturnis sacris ritè peractis, Mercurius petita latebra, rem traditam explicat, sancti Regis dexterã & annulum inuenit, iuxtaq; admiratur, ac numini gratias agit. Is ad Carpathij montis radices secessit, qui Transsyluaniam ab Vngaria dirimit, olimq; Ripensem, citeriorémve Daciam, ab vlteriore & Transalpina diuidebat, vbi cœnobium quoddam ligneo opere confectum gubernaturus erat, tanto dexteram studio asseruabat, vt neque sibi neq; alij credere auderet. Terræ committere satius esse ratus, infodit, & quotidianas ex monachis excu- 40 bias instituit, ne quo modo surripi posset, indies promẽdi tempus dari expectabat, quin & huiusce rei cœnobij Auctores admonuit, vt pari studio curarẽt, demum id ex ordine Ladislao Regi, quem virum sanctissimum esse intelligebat, aperuit. Mox Regis edicto, pontificum optimatumq; conuentus habetur, vbi solennis dies Regiæ dextræ extemplo decernitur. Deinde cum vniuerso Ladislaus collegio Sacerdotum, dextram Diui Stephani reconditam ostendit, basilicaq; intulit, quam magno deinde sumptu ac ditissimo apparatu instaurauit, multisque pagis, oppidis, & prouentibus donauit. Id autem salutis anno supra millesimum septuagesimooctauo accidisse, illius cœnobij scripta & priuilegia 1078. sanè testantur, abbatiamq; Regiæ dextræ nunc appellant. Cui tempestate no- 50 stra Antonius Salonensis, vir magno ingenio, ac sacris literis non mediocriter eruditus præfuit,& priuilegia, vnde hæc accepimus, nobis ostendit. Sed illud omnes ne satis quidẽ admirari poterãt, Stephani corpus in puluerem redactum, nil præter ossa superesse, & ea quidẽ carie iam absumpta: contra verò dextram anuli gestamine præditã, integram permansisse, neq; vermibus, neq; liuidę fuisse obnoxiam vetustati. Quãnam causa potius dextra, quàm caput, & cor Deo

dicatissimum, se à carie vindicare debuit, nempe quia dextera pietatis & misericordiæ fuerat, quæ è peculiaribus loculis, calamitosissimo cuique eleemosynam erogabat, illud omnes miraculum accidisse confirmant. Quis enim illud è Diuino Seruatoris nostri ore promanasse inficiabitur, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Meritò igitur manus illa corruptionis expers esse debuit, quæ neminem mendicare, esurire, in captiuitateq́ue, aut quauis miseria iacêre perpessa est. Proinde Diuum Stephanum, ne iniuria quidem, primum patriæ Patrem, omnes vna voce congeminant, & præuenerantur. Eius obitum incendia multa, terræ motus, ac varia portenta sequuta sunt, item decimo calendas Iulias, duo soles in cœlo visi, neque fames & pestilentia defuit, 10 bellorumque calamitas. Henrici Stephaniq́ue temporibus, varia quoque in Italia gesta sunt. Guilielmus quidam natione Nortmannus, Ferrobrachius ex cognomento dictus, ne mediocrem quidem Hetruriæ partem cum tota Flaminia possedisse dicitur. Huic Trancredus pater fuit, fratres verò vndecim, Samus, Gothofredus Roberti pater, Drago, Trancredus, Gunfredus, Malogerius, Robertus cognomento, Guichardus, Rogerius, Alberedus, Gothofredus, & Frumentinus. Trancredum è comitibus Lombardiæ promanasse ferunt. Guilielmus cessantibus Italiæ moribus, cum Molocho Græco Apuliæ, Calabriæque prouinciam, Constantinopolitani Imperatoris nomine gerente, item cum Salernitano Capuanoq́ue principibus fœdus init, vt expeditionem gloriosam adoriantur, Siciliam diu à Saracenis occupatam, à prophana Barbaria vindicent, 20 ac demum prædam insulæque imperium, si è sententia res euenerint, tripartito diuidant. Quatuor exercitibus ex composito adoriuntur, ac cæsis captisve hostibus insula tota potiuntur. In præda quidem à Molocho seruata æquitas, sed in dominatu prætermissa, quando ex Græcis tantùm oppidis præsidia & magistratus imposuit. Conceptũ hinc stomachum Guilielmus dissimulat, cum vtroque principe in Calabriam se recipit. Dimissis deinde sociis, cum proprio exercitu in Apuliam diuertit, obsidetque Melphiam, eamque facta deditione capit. Molochus accepto nuncio statim adfuit. Et dum pro portis & mœnibus castra locat, facta à Gulielmo eruptione, cum vniuerso ferè exercitu cæditur imprudens. Quare magna confestim prouincię parte potitur hostis. Quum anno salu- 30 tis secundo supra millesimum Germani Henricum Bauariæ ducem Cæsarem declarassent, isque Gallorum & Metensium bello remoraretur, ecce Saraceni Sicilia exacti, duplici classe per Superum Inferumque mare Italiam repetunt. Hinc Capuam occupant, hinc Barum obsident, cui nisi ab Vrseolo Duce Veneto, & Gregorio Capitaneo, quod magistratus imperialis nomen est, fuisset tumultuaria classe subuentum, iam de vrbe foret actum. In sequenti anno Turci Palæstina potiti, Hierosolymam capiunt, atq; Dominico sepulchro, item cæteris basilicis finitimis manus Diuino numine abstinent. Adrienses etiam quũ Venetias infestarent, apud Lauretum, qui Padi Athesisque ostia vicus interia- 40 cet, ab Othone Vrseolo magna clade superati, defuncto Guilielmo Drogo frater Apuliam occupat: sed à Capitano ab Imperatore misso, paulo pòst eiicitur. Capua Henrici Pij opera à Saracenis liberatur, vt suprà retulimus. Verum imperante Conrado, qui successit Henrico, quum Nortmanni Græciq́; Apuliam tenerent, inter Aufidum amnem & Oliuentem vrbem, magnis viribus, de regionis imperio dimicarunt, demum cedẽtibus Græcis Nortmanni victoriam adepti sunt. Item anno duodecimo supra millesimum Colomannus vir sanctissimus in Stochetauensi oppido è suspendio martyrij coronam nactus est, ibique sepultus, sed in sequenti anno à Megigando Ebestatensi episcopo in Medelichã honorificè translatus: item Ernestus Sueuorum dux, ab Albertino comite in- 50 ter venandum sagitta confossus interiit: orto inter Conradum diuumque Stephanum bello, Ernestus, qui à Conrado defecerat, ad deditionemque redierat, vnà cum Verardo comite in Alemannia cæditur. Rodulphus Burgundiæ Rex, quum Conrado Imperatori regnum commisisset, quod ipse à suorum seditione tueri desperarat, ex eo tempore Burgũdia in ius Imperij concessisse visa est, quam

Marginalia: 1002. (beside line 31); 1012. (beside line 46)

quam quum inuisus adiisset, totam ferro igniq; vastauit. Quo quidem tempore sol ingenti defectu laborauit: ac Sarmatæ Christiani nominis ignari, quum Germaniam inuasissent, Virbinam vrbem frequẽtissimam in Saxonum finibus sitam, magna ciuium strage occuparunt. Sed ab Imperatore exacti, mox victi, vectigalesque facti sunt. Conradus autẽ anno salutis trigesimonono supra millesimum, haud multo post Regem Stephanum, imperij verò quartodecimo, diem pulcherrimè clausit. 1039.

RERVM VNGARICARVM DECADIS SECVNDÆ LIBER II.

10

POSTQVAM Gyslæ opera & arte, Petrus sanctissimi Regis è Sorore nepos, orbato luminibus Vazule, regno potitus est, eò insolentiæ euectum ferunt, vt non tam ex genere, quàm feris Teuthonum moribus cuncta gessisse videretur. Se nanq; è Rege creato, intolerabilem tyrannum exhibuit, neque Diui Auunculi vestigia sectari, neque regiæ maiestatis officium cum decoro seruare studuit. A principio nobilissimũ quenq; habere ludibrio, intumescere superbia plus quàm Barbara, Alemannis plus æquo credere, gerere cuncta eorum arbitrio, suos aspernari, & habere pro seruis, magnifacere peregrinos, & externis vsquequaq; blandiri. Arcibus ac oppidis Teuthonum præsidia cunctis imponere, ex his quoq; creare magistratus, & sibi custodiam adhibere, peculiarẽ populum abominari. Accedebat intemperatissima libido, ingensq; lasciuia hominis, quo imperante, ne vlli quidem ingenuæ matronæ tuta poterat esse pudicitia. Quin & virgines & mulieres à suis satellitibus, prætorianisq; militibus passim incestabantur. Sæpe Antistites, nonnunquam etiam Optimates ad Regem ex composito conuenere, profusis contendêre precibus, ne tantum malis ac petulãtibus hominibus indulgeret. Teuthones admoneret, vt se modestiùs agerent, pudicis mulieribus abstinerẽt, vim demum omnem inhiberet. Asseuerabant etiam haud parum esse dubitandum, ne qua ex hac insolentium improbitate nouitas oriretur, quæ si acciderit, quã dij auerterent, irritam in posterum pœnitentiam sequuturam. Contrà Rex optima consilia spernere, & præ insolenti leuitate interminari, se, nisi monitis abstinerent, quæ ex ingenita iniquitate, ac Scythica improbitate darent, eò indignationis euasurum, vt potissimos ordines, item præfecturas, & magistratus omnes Teuthonica tantùm gẽte compleret, vt ne minima quidem munia Vngari domi militiæq; gererent, immo se in eorum potestatem, vniuersam Pannoniam redacturum. Ad postremũ illud adiicere, Vngariam idcirco nominatam, quia perpetuo angore agi oporteret. Quæ quum insolentissimè iactitaret, diræ coniurationis semina iecit, quippe Vngarorũ animi eò vsq; irritati, vt omnia, quàm tyrannidẽ perpeti malint. Quare tertio initi regni anno, non inuitis põtificibus, sacerdotumque collegiis, optimates, præfecti, legatiq; legionum, & tribuni militum cum exercitu, ad vnum omnes in Petrum coniurant. Clãdestina inter se concilia habent, in quibus de exigendo Rege decernũt, & quem eius loco sufficerent, regia stirpe natum affectatẽ disquirunt. Augebat indignitatem superiorum memoria principum, qui non solum Patres patriæ iure appellati, sed meritò inter Diuos relati fuerant. Ad omnium disquisitionem succurrebat vnus qui ab Vngaris Aba, a cæteris Albonius dictus est, plerique Ouonem nominãt. Hic ducta Sorore Diui Regis, præ fausta affinitate nimis emerserat. Proinde hunc abdicato Petro, regem creant, in castra ferunt, vt à militibus approbetur. Ab his acclamationibus exceptus, & Rex continuò salutatus, in Petrum aciem educi iubet. Quod vbi Petro significatum est, quum in se arma publicè ferri & regni hostem pronunciatum esse cognosceret, ab omnibus destitutus, in Vindeliciam, quam nunc Bauariam dicunt, iter arripuit. Vbi regem euasisse Vngaria intellexere, in Budam cognomento Barbatum, malorum omnium aucto-

Margin: Petrus. — 20 — 30 — 40 — Aba. — 50

rem se conuertunt, frustillatim hunc concidunt, duobus filiis oculos eruunt. Sebum, qui Vazulem iussu Gyslæ excæcauerat, amputatis manibus pedibusq; perimunt. Cæteros regis amicos & familiares, partim lapidibus obruunt, partim ferreis clauis attritos, crudeli morte conficiunt. Aba igitur regno potitus, habita concione, nouitatis causam explicat, se non ambitione largitionéve aliqua, sed vi regium diadema sumpsisse. Petri insolentiam intemperátiamque refert, de se omnes bene sperare iubet, & ad bene viuendum hortatur. Mox omnia eius edicta, leges & decreta rescindit, antiquatque, ac noua promulgat. Coniurationis principes tres fuere, Visco, Toizlanus, & Peslucz, qui gẽtis libertatem salutemque quærebant, ac regnum regio sanguini præripi tolerare non poterant. 10 Vix Aba tribus annis planè regnarat, ecce Petrus cum magnis Alamannorum copiis in Vngariam irruit, Henricumque Tertium, Conradi ex Gysla filiũ, cuius auxilium implorarat, secum ducit. Contrà Rex, quum Petrũ ab Alemannis exceptum, & auxilia validissima consequutum nouisset, legatos ad Imperatorem repentè mittit, anno salutis quadragesimo secundo, supra millesimum, antequam is Vngariæ fines attingeret, quibus hæc mandata dantur. Cæsaris voluntatem percunctentur, an exacti Petri gratia, cum Vngaris bellum, an pacem velit, vtrum potius optet, enunciet, vtrunque ab Vngaris facilè exacturum. Ad hæc perquam breuissimè Cæsarem respondisse ferunt, se perpetuas suorum iniurias, & inustam præter æquum & fas Petro notam nũquam perpessurum. Sed 20 mox pro vitandis his contumeliis, quid & quantum valeat ostensurum, ne qua ex hac patientia, cæteris post hac accedat audacia. Reges apud omnes gẽtes suo iure sacrosanctos esse oportere. Adhęc illi subiecere, nulla Petrũ ab Vngaris iniuria fuisse affectũ, sed regio potius diademate honestatũ, se ipsum sibi tantum obfuisse, & exuisse regno. Reges sacrosanctos apud eos semper habitos, tyrannos tantum tolerare non posse. Deinde explorata Henrici voluntate, succensus Aba, comparato repente exercitu, ex vtraque Danubij ripa, & Austriam & Bauariam inuadit, hostes audacia vincere mauult. Quæcũque offendit, omnia diripit, & vastat, qui occurrebant, omnes iuxtà cædit, capit sese dedentes, & Tulnam vsque discurrit. Mox abacta ingenti hominum pecorumque præda, in Vn- 30 gariam se recepit, deinde altero Carinthiam exercitu iubet inuadi. Sed Gothofredum, pręda onustos ad Patauium hostes aggressum, exonerasse ferunt. Dum hæc agebantur, Henricus Coloniæ, paschæ anniuersarium celebrabat, vbi habito conuentu, de grauibus Vngarorum iniuriis ad principes retulit. Fit consultum, vt ingens in Vngariam expeditio instituatur, captiui inde abacta præda armis tantùm vindicentur. Aduenere iterum Abæ legati, qui intellecta Germanorum voluntate, Henrico omnia, quæ vellet, se præstituros, item captiuos ad vnum restituturos pollicẽtur, dummodo Petri restitutionem dimitteret, quam morte grauius toleraturos profitentur. Contrà verò id potissimum Imperator affectabat, quod Alberti efflagitatione ducis Austriæ, qui sororem Petro coniu- 40 garat, ei vltrò receperat, se omnino Petrum in Vngariã restituturum. Sed ab intenta expeditione, à Gothofredo Lotharingorum Duce, & Gozilonis filio, qui in Germania res nouas agitabat, reuocatur. Assidua legatione, Imperatoris animum eludere Aba conatur, quippe qui in sequẽti anno oratores remittit, qui de pace agerent, promitterent captiuorum liberationem, qui superessent, de his quæ reddi nequirent, ipsum cumulatè satisfacturum. Responsa inde referunt, Cæsarem de componendo bello nihil acturum, donec in Bauariam venerit, vbi detrimenta pensitet, & qui præter æquum & fas læsi fuerant, componendis rebus adsint. Paulò pòst non modò in Bauariam, sed Iauriensem vsque agrum castra mouit, & quum ad Rapezam & Arabonem amnem, quem nunc Raban 50 appellant, Bratislai Boemiæ Ducis consilio peruenisset, munitiones Vngarorũ ostendit, qui turribus, aggere ac fossa, aduersus Alamãnos ibi se muniuerãt. Interea per internuncium Aba ab Henrico idoneum restituendorũ captiuorum tempus exposcit, & maxima dona pollicetur. Largitionibus igitur allectus hostis, & negociorum mole grauatus, accepto ingenti donatiuo, in Alemanniam se rece-

1042.

se recepit, venitque Byzantium, quod est Burgundiæ oppidum. Rex autem ratus se post hac tutum fore, ac muneribus obstrinxisse hominem, & eò redegisse, vt quodque maximum cum eo bellū se facilè compositurum speret, vsq; adeo insolens effectus est, vt competitore perniciosior esse videretur, quippe qui & fouere humiles agrestesq́;, & in nobiles immaniter sæuire cœperat. Hinc insolentiæ Petri obliterata memoria, & recentiora Abæ facinora prædicantur, vtpote qui optimates abominari, & ignobiles magnificare videbatur. Quare tanta nobilium oritur indignatio, vt ad vnum omnes cōspirarint. Et quū non mediocre Petri desiderium hos incesserit, hoc prius monstro rem publicam liberandam censuere. Sed patefacta conspiratione, quicunque capi potuere, indicta causa vltima expendêre supplicia. Vnde tanta in regem cōflatur inuidia, vt vix euadere posse putaretur. Sed accessione sæuitiæ salutem sibi sperans, quum quadragesimale ieiunium Chianadini ageret, ex his quinquaginta sub concilij habendi prætextu Iam dudum accitos, mox in vincula coniectos clàm à militibus cōtrucidari iussit, quibus nulla curandorum prius animorum est habita ratio. Quod vbi Gerhardus Tanadiensis Episcopus intellexit, acerrimè crudelitatem Regis increpuit, eiq́; extremum vitæ periculum imminere manticinatus est. Cæteri qui superfuere, fuga sibi salutem compararunt, conuenere ad Henricum, apud quem hominis feritatem prædicabant. Nihil illi antiquius esse referebant, quam nobilitatem extirpare, illustrare humiles, cum rusticis conuersari, colloqui, & obambulare. Proinde Cæsarem impensius obsecrabant, hanc patriciorum pestem è medio tolleret, quando Abæ scelera extremo supplicio expiari deberent, quippe qui neque promissa præstiterat, neque captiuos remiserat, neque Bauarorum damna resarcierat. Succensus his admodum Hēricus, dissimulato hostili animo, & coacto ingenti ex Noricis, Boemis, & Germanis exercitu, in Austriam descendit, simulq́; simulat, se id, quod inter ipsos conuenerat, ab Aba exacturum, & mox se in Germaniam rediturum. Interea legati à Rege missi perfugas Vngaros repetunt, eosq́; variis criminibus insimulāt, quòd hi omnis dissensionis & belli sunt auctores, pacē abomināntur, in qua tutò grassari non licet. Item quòd victum & dignitatem è maximo quoque facinore tueantur, & discordiarum semina semper seuerint. proinde impēsiùs orant, vt aut eos imperio Romano exigant, aut quod cumulatissima remuneratione rependet, immortalis loco beneficij, & perpetuæ pacis gratia, hos Abæ vinctos reddat. Contrà Henricus postulata recusat, cuiq; asserens lamentandi esse potestatem, ne lamenta quidem seruis interdici, mentem pro virili parte dissimulat. Legatis re infecta dimissis, à Sempronii agro mox Vngariā inuadit, sed quum Babuthi itinere, Rabezam amnem stagnantibus aquis traiicere vellet, quū nemoribus, tum inundatione maxima, illac transire nō potuit. Sed cùm Vngarorum ductu, Arabonis & Rabezæ ripas subiret, illucescente die conscendit, vt vado vtraque flumina transiri possent. Ad Iaurinum Aba occurrit, eductaque acie se hosti obiicit, ratus se victoria facile potiturum, quando se à quibusdam Bauaris accepisse affirmabat, Imperatoris exercitum non esse magnum, sed cum paucis copiis, vt aliqua dona reciperet, festinasse. Postquam conserendæ pugnæ copia facta est, collatis vtrinq; signis, & obstinatissimis quoq; pectoribus vtrinq; concursum, in dextro cornu Henricus, in sinistro Albertus Petri affinis prēsidet. Vngari, qui præ Abæ sæuitia ad Imperatorem confugerant, in prima acie pugnant, obiectum Vngarorum agmen hortantur, vt à feritate Regis deficiant, ac Petri partibus adhæreant, ne intestino prælio pariter vtrique concidant. Contrà illi hos proditores appellare, sæuissima quæque imprecari. Ad hæc Aba magno agmine manum conserere, perfugas & proditores vsquequaque disquirere, vt in medio prælio pœnas exigat. Quum hæc Albertus intellexisset, laboranti cum Vngaris Petro succurrit, acerrimum prēlium instauratur, magna vtrinq; strages oritur. Dum confertim vtrinque dimicatur, ac nemo alteri cedere nititur, ita Martis opus feruere videtur, vt in cōmunem omnes cędē coniurasse viderētur. Deinde tam infestis vtrinq; animis pugnatū, vt ad triarios res peruenerit. nam

quum Henricus cum validissima acie se medium ingessisset, ab extremis vtrinque præsidiis concursum est. Interea dum cædes iterum instauratur, & pari vtrinque spe pugnatur, iam Aba superior euasisset, si fidos sibi præfectos vbique habuisset. Sed pro crudelitate sua quum multos sibi infensos reddidisset, ex hoc multi in medio prælio ab eo defecere, quippe qui cōculcatis Abæ signis, in aduersam se aciem transtulere. Quare Vngari loco sensim cedere coacti sunt. Alemanni quoque plerique tradunt, ab initio pugnæ cum cœlesti signo tenuem in aere nebulam apparuisse, mox hinc ventum vsque adeo væsanum fuisse suscitatum, vt puluerem Vngarorū luminibus intolerabilem obiiceret, liberumque obtutum impediret. Miraculum hinc editum fuisse affirmant, quia paulo antè quàm pugnam inirent, ab apostolico Legato, Abæ ac Vngaris, ob iniustam Petri exactionem, promulgato anathemate, humana consuetudine fuerat interdictum. Sed quum prælium cruentissimum diu prorogaretur, Henricus tandem, ne incruenta quidem victoria, hostes fudit, fugauitque. Aba inclinato exercitu, traiectoque Danubio, ad Tibisci amnis vicum effugit, vbi multas nobilium cædes olim patrarat. Vico Scoebe nomē erat, ibi à suis cæsus est, & in proxima æde sepultus. Non multis pòst annis corpus eius effossum, cuius sudarium cum paludamento incorruptum repertum est, quin & vulnera obducta cicatrice curata, quare ad cœnobium, apud Saar ab eo exædificatum, deinde translatum est. Imperator, difficili potitus victoria, & fusis, & cæsis hostibus, in castra rediit. Ac vt meritas Deo gratiàs ageret, deposito paludamento, sumptoque cilicio, item nudis pedibus, porrecto humi pectore, ac profusis coram legionibus lachrymis, ante sacrosanctum & salutare crucis signum procidit, immortalem Diuinę benignitati gloriam retulit. Immortales quoq; gratias egit, quòd Vngarorum manus euaserat, sæuitiam eorū & vires Diuina ope represserat. Eadem quoque religione vniuersus exercitus Deo laudes, ac sacros hymnos concinere visus est, vt Imperatoris exemplo Diuinum beneficium recognosceret. Ex Teuthonibus sagittariorum arte, innumera multitudo desiderata, ex Vngaris numerus paulò minor, qui postquam terga vertere occœpere, salutem sibi fuga compararunt. E cadauerum fœtore aliquot mensibus nemo illac iter facere potuit, vnde locus ex vtraq; lingua sibi nomen inuenit. Dū victor ex ingenti labore respirat, milesque aut corpora aut vulnera curat, Vngaricæ reipublicæ legàti continuò adfuere, vim, prædam, & agri deuastationē deprecantur. Petrum Regem repetunt, quem Abæ scelere exactum indoluere, proinde veniam exorant, & Cæsaris edicta seruaturos pollicentur. Benigno hilarique vultu hos Cæsar admisit, omniaque postulata vltrò præstiturum se recepit. Post hæc vnà cum legatis, ac exercitu vniuerso Albam peruentum est, vbi in æde Diuæ Genitricis Petrum regno eiectum his ritè restituit. Diadema, sceptrum, cæteraque insignia reddidit, & Regem Vngaris, Vngarosque Regi reconciliauit. Omnesque antistites, & optimates, Cæsaris edicto, in Regis manus vltrò iurarunt, se perpetuò eius imperata facturos, neque legitima vnquam obsequia detrectaturos. Mox rebus compositis, pacataque Vngaria, Henricus Ratisbonam se recepit. Petrusque Alemānorum auxilio, recuperato regno potitur. Ne minus quidem in hoc, quàm Boemico bello, quod ante Vngaricum, primo imperii sui anno gestum est, præclarum se Henricus ostendit. Quare à Caroli Magni sanguine, quando Gysla mater, eademque Cōradi vxor, inde genus duxisse fertur, haudquaquam degenerasse videtur, immo in hoc tanti gloria principis repullulasse visa. Sed res aliquanto altiùs repetenda. Boleslao Tertio Boemiæ Duci, Mesconem Poloniorum principem, Graccouiam dolo eripuisse ferunt. Post bellum deinde gestum & grauissimam agrorum vastationem, induciæ demum indictæ, item statutum, vt Graccouiam ambo duces conuenirent, ibiq; de perpetuo fœdere decernerent. Boleslaus accepta fide quum venisset, in conuiuio captus, ac luminibus orbatus est, comites immaniter trucidati omnes, præter Vrsonicenses, qui fraudis conscij, hosti dominum facinorosissimè tradidere. Hi domum reuersi Iamirem Boleslai fratrē, pari perfidia perdere student. Quare Tochares, qui

res, qui Vrsonicensibus, opibus & fortunis longè præstabat, iuuenem sub prætextu venationis in syluam traxit, tractumque ac stipiti alligatum sagittis confodi iubet. At Ouoras eius famulus, clàm elapsus ad suos trāsuolat, domini periculum populo exponit. Qui raptis ocyssimè armis, in syluam properat, proditores adoritur, & obtruncat, Iamirem morte liberatum reducit. Mesco deinde aperto Marte, cum validissimis Boemiam copiis adoritur, agrum longè lateque populatur, pagos incendit, demum Pragam obsidet, eamque biennio fame laborantem occupat. Vicegradensem arcem capere non potuit, quandoquidem semper in Iamiris fide permansit. Fuerat Odelricus Boleslao frater, quem Henrico Imperatori, eximiæ educationis gratia, pater dederat instituendū. Is accepta Mesconis perfidia, clàm ab Henrico admissus, castellum, cui Dieuiczo nomen est, subit, exinde coacto milite, mōtes repentè occupat, Pragæ vrbi prominentes. Mox dispositis circùm æneatoribus, clangoribus eos cuncta complere iubet, Pragensibusque per præconem nunciat, victos prælio Polonos in fugam iam dudum conuerti, victorem cum copiis adesse principem. Quum Polonorum præsidia Pragæ imposita hic rumor incessisset, perculsa metu prosiluere. Pragenses adauctis animis, hostes fundunt, fugantq;, multi in fuga cæsi. Mesco spe sua frustratus, quàm plurimis desideratis Poloniam rediit, Odalricus vrbe potitur. Sed fortuna viri, mores immutauit, quippe qui quum fratrem sibi ætatis beneficio præferri conspicaretur, ambitione ductus, ei oculos eruit. Variis facinoribus claruit. Quum è venatione rediret, puellam vidit vestimēta lauantem, rusticali genere natam, liberali facie, forma eleganti, & venustate nimia, cui Bocenæ nomen erat, primo obtutu in eam exarsit, accedebat suauissimum virginis eloquium, ingenuiq; mores, quibus is miserrimè captus est. Hanc mox inuitis familiaribus vxorem accepit, ex qua Vinceslaus natus est. Qui vbi adoleuit, tāta fuit audacia, vt Iuditham Othonis filiam, Ratisbonæ in sanctimonialium cœnobio permanētem, sola fama peramarit, eamq; clàm è loco sacro subtraxerit. Pater quum hanc multis validissimisque copiis repeteret, ac vtrinque acies constitissent, Iuditha in medium progressa, Sabinarum more vtrunq; reconciliauit. Odalricus deinde filium Morauię præfecit, quam à Polonis magna ex parte occupatam, deletis hostibus, in potestatem suam asseruit. Quin & innumeram Polonorum multitudinem, qui bello capti fuerant, in Vngariam vænundandos misit. Boleslaus Graccouiæ excæcatus, interiit. Odalricus quoque filius vita excessit, quod quum Iamir accepisset, nepoti Boemiæ ditionē sponte concessit. Huic quinque ex Iuditha fuere filij, Spitigneus, Vratislaus, Conradus, Iaromirus, & Otho, quorum numero fretus, in auum Polonorū principem arma vertit. Graccouiam vi captam diruit. Gnesenium regionis metropolim diripuit, abstulit crucem auream trecentorū pondo. Hēricus igitur Tertius grauiter indignatus, quòd Poloniam iniussu suo deuastarit, Odalrico, filioque bellum indixit. Quia Romano imperio ducatus ille subiectus erat, quotannisque boues centum & viginti, item argenti pustulati quinquaginta pondo pendere cogebatur. Quare Imperator cum Othardo Saxonū duce, à duplici latere Boemiam inuadere decernit. Sed quum regio syluis sit obducta, in primo aditu parum prosperè rem gessit, quandoquidem equitatus nemoribus impeditus, & ab insidiis circumuentus, vix multis desideratis euadere potuit. Othardus ingressus ferro ac incendio agrum latè vastauit, mox abacta maxima præda, in Saxoniam se recepit. In sequenti anno Hēricus & Othardus, instauratis & auctis exercitibus, Boemiam repetunt, syluam iniecto igni transmittunt, exin totam regionem populantur, & incendunt. Odalricum & Byzetislaum Pragæ obsident, vrbem Seueri Pontificis consilio, qui noctu in castra prodierat, occupant. Dedentibus sese Odalrico ac Byzetislao, leges ab Imperatore pro arbitratu datæ, exacta trium annorum vectigalia. Slesia quotannis triginta auri, quinquaginta argenti pondo, Boemiæ principi tantum dare iussa. Byzetislaus deinde Vngariam aggredi ausus, quæ quum propriis legibus vteretur, Romano imperio parêre recusabat. Hostile solum ingressus, conuocatis Boemię primoribus, Spi-

tigneum primogenitum successorem sibi declarauit. Reliquos filios, diuisa inter eos Morauia, fratri parêre iussit. Mox æstuantissima febre correptus obiit, corpus Pragam in antiquorum monumẽta relatum. Spitigneus Boemiæ suscepit imperium. Sed ad diuerticulum reuertamur. In sequẽti post restitutum Petrum anno, Henricus Vngariam reuisit. Quem Rex Petrus tam mirificè excepit, vt ab eo regnum, vt re vera acciderat, se recepisse ostenderit, cum omnibus optimatum magistratuumque ordinibus obuiam prodiit, diadema cum aurata hasta detulit, moxq; magnificentissimè donatum in Germaniam remisit. Dum hæc ita agebantur, Andreas, Bela, & Leuenta, qui sancti Regis iussu, extorres in Boemiam aufugerant, egestate affecti, in Poloniam se receperant, vbi à Mescone, Poloniæ principe benignè suscepti, & pro dignitate tractati sunt. Hac tempestate inter Pomeranos, Christianę fidei expertes, Polonorumque vectigales, & Polonos, qui ad fidem sese conuerterant, orta discordia, res armis agi cœpta, quia annua vectigalia hi Polonis expendere recusabant. Contrà illi vi exigere pergebant. Verùm quum vtrinque acies constitissent, vtrique genti visum est, vt commodiùs saluti publicæ consuleretur, ambo duces singulari certamine litem dirimerent. Si Pomeranus caderet, postulata tributa penderentur, si verò Polonus, ius omne tributorum amitteret. Placuit populis vtrisque conditio. Sed quum Mesco, ac filij singulare certamen reformidarent, Bela in medium prodiẽs, Si vobis (inquit) Poloni placet, vt pro principatu ac dignitate vestra in certamen ipse descendam, quamuis me pagano prophanoq; hoste nobiliorem reputo, hoc tamen vltrò pro vobis subibo periculum. Accepit Mesco, quod Bela detulerat, ac gratias egit, ne subrogatum quidẽ perduellionem Pomeranus ipse recusat. Quare vbi se certamini ambo commisere, cum infestis hastis primò concurrerent, dicto celerius Bela hostem equo deturbat, mox gladio confossum prostrauit humi. Bellum & causa singulari certamine dirempta, Pomerani se Polonorum vectigales profitentur, vectigalia ritè persoluunt, & quotannis statuta tributa, sine cõtrouersia, se posthac expensuros pollicentur. Mesco, qui Belæ opera victoriam ac dignitatem cum salute sibi compararat, ne ingratitudinis reus esse videretur, Belam non modò multis muneribus affecit: verum etiã filiæ nuptiis, & Pomeranorum prouincia amplè donauit, & pro viribus hominẽ quotidie honestauit. Bela ex Mesconis filia, Geysam Ladislaumq; suscepit. Andreas verò & Leuenta, quum se regio genere natos cogitarent, & apud Mesconem longè inferiorem, tanquam mendici se vitam degere reputarent, fortunæ indignitate perciti, relicto fratre, impetrata missione abiere. Quũ ad Lodomeriæ Regem appulissent, nequaquam admissi sunt. Et quum vbique prohiberentur hospitio, adaucta desperatione, in Cumanos, reconditos Sarmatiæ populos penetrarũt. At illi suspicione perciti, & exploratores fore rati, quando validissimis corporibus hos esse videbant, vltimo iam supplicio affecissent: nisi quidam fortè Vngarus ibi captiuus intercessisset, qui se illos agnoscere, & patria præter ius & æquum exactos, atque commiseratione dignos esse testabatur. Aliquandiu apud Cumanos in captiuitate manserunt, mox liberati, in Roxanos, quorum regionem nunc Rusciam dicunt, cõtendêre. Quum Petrus Rex se ab omni periculo tutum esse existimaret, quando inimici sui vbinam gentium delitesceret, ignorabant: liberè regnare, cunctisq; ciuitatibus & oppidis Teuthonas & Italos præficere, omniaq; ex eorum consilio gerere cœperat, ratus se perpetuò in portu nauigaturum, quod pleriq; optimates ægerrimè ferebant. Quónam modo Vngariam ab horum tyrannide liberarent, quotidie cogitabant. Quinetiam profugum diui Regis genus, Andream, Belam, & Leuentam, quia eius beneficio emerserant, non modò memoria ac fide clàm prosequuti fuerant, verumetiam sæpe pecuniis adiuuerãt. Ex his Visca, Bua, & Buna, auctoritate opibusq; præstabant, qui vnà cum vniuersa cognatione diui generis reliquias, non sine suspiriis & gemitu repetebãt. Occasionem dari cupiebant, qua hos in regnum restituerent, paremq; gratiam numini sancti Stephani de his optimè meriti referrent. Petrus Henrici Tertij patrocinio fretus, in eam

reuectus

reuectus est audaciã, vt se potius tyrannum, quàm Regem ostẽderet. Et quamuis suopte ingenio Vngaris infensus esset, accedebant improbi mores eius, ac illorum nondum delenita feritas, qua peregrinas gentes æquis oculis vltrò intueri prohibebantur. Quin & pars magna sacrosanctæ fidei iugum ceruicibus excutere ex ipsa nouitate sperabat, vt in Scythicam recideret prophanitatem. Dum coniuratorum numerus indies augetur, neque prę incremento facilè celari potest, ad Budę Deuecherisq; aures res ipsa peruenit, qui apud Petrum, delationis gratia nimium poterant, hi coniurationem Petro referunt. Quare tam væsano repentè furore percitus est, vt coniurationis principes, eorumq; cognatos continuò capi, captosq; eculeo imponi iusserit, de quibus dira vsque adeo facta est quæstio, vt ibidem expirarint, multis oculi sunt exerti, & vltimis demũ pœnis affecti. Deinde in cæteram sæuitur Vngariam: & ita sæuiter (inquam) vt omnibus malle mori, quàm miserrimè viuere, certum esset. Hi nouis vectigalibus, criminibus illi affecti sunt. Quod quum optimates, antistites, principesque regni tolerare non possent, sibiq; pro se quisque timeret, Cianadini conuentum habuere. Vbi illud omnium consensu fit planè consultum, vt publicis oratoribus, Andreas & Leuenta è Roxanis in regnum reuocarentur. Quibus gratissimum ex iuramento obsequium, ac regnum ipsis debitum, sine periculo pollicentur. Auditis oratoribus, Andreas & Leuenta, quum his parum crederent, ipsi ad explorandam rem in Vngariam venere, in oppidoq; ab Aba condito delituere, quod Nouum castrum nunc appellant. Hoc vbi latè mussitatum est, innumera Vngarorum multitudo confluxit, qui consalutatis regibus obstinata efflagitatione postularunt, vt vniuersum populum pagano ritu viuere, Scythicaq; numina recolere, ad hæc episcopos, collegia sacerdotũ, & Christianos, vel maximè peregrinos passim trucidare, demum basilicas, & templa omnia dirimere permitterent. Quod si impetrarint, se interfecturos Petrũ, exacturos Teuthones Italosq;, item pacatum eis regnum pręstituros pollicentur. Quum reguli sine permissione ista, regnum recuperare non possent, vltrò postulata concessere. Quare ex Vngaris primus omnium Vatha, ex Belo oppido natus, se cacodæmonibus planè deuouit. Caput Scythico more rasit: cincinnos pagano ritu treis dimisit, quo nunc Turci more vtuntur. Multo pòst tempore Ianus eius filius, ex instituto paterno sibi magos magasque ac aruspices adhibuit. Quorum carminibus magnam principum gratiam sibi venabatur. Præ cæteris incantatricem præuenerat est, quam Varasolo appellabant. Quæ à Christiano deinde Bela in carcerẽ coniecta, tanta fame confecta est, vt pedibus lacertisq; comesis se interemerit. Horum igitur opera, populus ferè vniuersus à vera fide defecit. Recidit in dæmonum deuotionẽ, & equina carne vesci cœptum est. Proinde in Christianos omnes, & in primis in antistites & sacerdotes ita sæuitum, vt neminem fecerint superstitem: basilicæ, ac delubrum quodq; religiosissimum passim diruitur: sacra donatiua, ac dicata diis spolia diripiuntur, mox in Petrum Regem inclamatum. Et Teuthonici cum Italis, ad mortem vbique postulati, cæduntur ex his, quicunque munia diuersa gerebant. Item in castra Regis Petri æneatores tres missi, qui Andreæ & Leuentæ, Regum nomine, edictum pro vallo graue ita præcinerent: Vngarus quicunq; est, antiquas maiorum cæremonias resumito, Scythicos Deos recolito, Christianos peregrinosq; ritus exigito, aduersus Christianos arma sumito, Petrum tyrannum interficito, Teuthonem & Latinum quenque cædito, noua templa amolitor, pontifices ac sacerdotes vbique trucidato: qui contra sanctionem hanc dixerit, fecerítve, capitalis esto: ac hostis Vngaricæ gentis, haud aliter atque si Martis Herculisve aris ac focis vim intulerit, promulgato. Per noctem edicto pernicibus statim equis æneatores aduolarunt. Hinc Petrus regulos rediisse nouit, quod dudum ignorabat, eorumque opera ab orthodoxa fide defecisse Vngaros, & præfectos cum sacerdotibus passim cæsos intellexit. Quare dissimulato metu, amotisq; castris Istrũ traiicit, vt Albam contenderet, caput gentis. Quod vbi inimici animaduertêre, præoccupata vrbe, turribus & basilica aduenientem regem repulêre. Interea

Andreas & Leuenta, cum validissimo Vngarorum exercitu præstò appropinquarunt. Quod quum Gerardus, Beztertus, Buldus, & Benetha episcopi, item Zonuchus princeps Albanus accepissent, regulis obuiam vltrò prodeūt, vt honorificè nouos reges excipiant. Quum ad Gyodi pagum venissent, in diuæ Sabinæ templo rem prius sacram facere decernunt, quam regulis occurrant. Gerardus igitur Pontifex antequam sacra facere adoriretur, socios admonuit, eo die se cum eis martyrium subire oportere, & iamdudum inter diuos cœlesti benignitate esse referendos. Affirmabat enim se superiori nocte Iesum Christum optimum maximū in somnis vidisse, in diuæ Genitricis tabernaculo iuxta præsidētem, eucharistiam calicemque sui sanguinis nobis omnibus, præterquam Benethæ, æquè propinantem, qui martyrium fortasse detrectabit. Demum eos hortatur inter se mutuo delicta confiteantur, futuram beatitudinem spe obstinatissima expectēt, interea peccatorum impunitatem à Deo lachrymis implorent. At illi salutarem mortem haudquaquam reformidātes, monita peragunt: deinde sacris ritè peractis, vt regulis occurrant, versus Pesthum iter ineunt. Gerardus vir statura breuis, & præ singulari vitæ asperitate, viribus effœtus, curru vehebatur. Verùm vbi ad Danubium peruentum est, Vata duce, qui se cum liberis dæmonibus planè deuouerat, omnes in sacrosanctos patres saxa capiunt, mox facto agmine irruūt, obruuntque. in eos qui ipsum lapidibus petunt, signo salutis assiduo, Gerardus se præsignat, atque eo magis in eum plebs impia irritatur, curru deturbatum rapit, bigisq; in montem fluuio prominente subuehit, subuectumq; è prærupta rupe in subiecta saxa præcipitat. Post casum palpitante pectore, quum adhuc spiritum inesse putarent, hasta transfuerberant: caput lapidi illisum præter Danubium, lapis sancti viri sanguine fœdatus, nulla Danubij inundatiōne dilui potuit: quamuis annis circiter septem ibi permāserit, donec eius à sacerdotibus lectæ reliquiæ, in sacellumque Chanadini sunt reconditæ, lapis in altaris superficie in rei testimoniū collocatus. Nunc autem in suburbio Budensi, vbi ille deturbatus est, sacellum est diuo Gerardo dicatum. Hoc igitur martyrio vir ille sanctissimus, natione Venetus, qui in Budēsi agro vitam duxit eremiticam, & pro spectata vitæ sanctitate in Chanadiensem pontificatum euectus erat, immortalem sibi vitam comparauit. Buldus pari morte affectus, Beztritus & Benetha transmisso amne, vbi Pestho applicuere, alter impiorum vulneribus cōfossus, postero die vita excedit: alter intercessione regulorum, ex eorum manibus ereptus est. Zonucho Istrum equo traiicienti Murthmur parua cymba occurrit, vt periculo liberaret, qui sacro baptismi vinculo ei coniunctus erat. Quod vbi à prophana multitudine prospectum est, elato clamore mortem interminatur, nisi amicum à Scythica opinione desciscentem interficiat. Inuitus igitur Murthmur Zonuchum obtruncat. Eo quoque die magnus sacerdotum fideliumque numerus pari crudelitate absumptus. Petrus autem postquam vniuersam gentem in regulorum partes recidisse cognouit, cum non mediocri Alemannorum manu, in Austriam fugam init. Quum in Mosoniensem agrum venisset, vt exhinc in Austriā se subriperet, præoccupatos regni exitus offendit: qui impositis vbique præsidiis acri custodia obseruabantur. Superuenere legati regulorum, qui sub specie ineundæ pacis, in Vngariam reuocarent: inuitus retrahitur, neque maximæ suspicionis expers, quippe qui subtractum sibi exercitum intelligebat. Qui quum in pagum, quem Zamurem appellant, diuertisset, legati dispositis mox insidiis circumuenere, vt captiuum ad regulos ducerent. Quare in quandam domum cum parua aulicorum manu ille se recepit, & quum se acerrimè tueretur, vix triduo cōfossis ad vnum omnibus suis capi potuit: at vbi in legatorum potestatem venit, continuò excæcatus est, Albamq; ductus, præ dolore nimio paucis pòst diebus, ac tertio restitutionis anno diem obiit, & in Quinqueecclesiensi basilica, quam ipse fundarat, diuoque Petro & Paulo dicarat, sepultus est. Ex Abæ Petriq; discordia, & regulorum reuocatione, tot calamitatibus affecta est Vngaria, vt ex intestino bello exinanitū regnum videretur, quandoquidem Petri gratia Henricus Tertius eam infestis

sæpe

sæpe armis repetierat. Neq; defuere Adalberti Leopoldique filij bella, qui protegendæ Austriæ gratia, quam Vngari sæpe inuaserant, cum Aba Rege ad internecionem vsque crebrò concurrerant, quod anno salutis quadragesimo secundo supra millesimum accidisse ferunt. Et in sequenti anno, quinto idus Decembres, Leopoldus Miles fortis, ex cognomento dictus, & Adalberti filius, diem obiisse dicitur. Sed Adalberto Ernestus filius successit, quo in Saxonum bello occumbente, Leopoldus Leopoldi Pij pater, Austriæ dominatum init. Quater in Abam Henricum tertium castra mouisse plerique tradidere. Agnes fuit eius vxor, mulier quidem imperio digna, quæ post Petri mortem, vnà cum viro Augustalia insignia, dum natalitia Saluatoris celebrantur, à Clemente Secundo summo Pontifice Romæ suscepit, & auctoritate Pontificia cõfirmatum his imperium. Mox Capuam vsq; proficisci placuit, à quo Pandulphus captus, in Germaniamque ductus est, qui ea tempestate princeps res nouas in Campania moliebatur. Eodem fermè tempore, Saraceni Scunum Calabriæ oppidum occuparunt. Quin & Dragone Nortmannorum principe in Apulo agro defuncto, Hunfredus frater tyrannidem inuasit, cui paulò pòst vita decedẽti Gothofredus subrogatus est. Item Guaimmarus Salernitanus princeps, eadem gente oriundus, quum suorum occubuisset insidiis, Gisulphus dominatum accepit. Quum Nortmanni, ambitiosissimũ genus hominum, Beneuentum vrbem pontificiæ ditioni subditam occupassent, Leo Pontifex maximus, auxiliaribus copiis Imperatoris adiutus, aduersus eos castra mouit. Sed ex inauspicato inito prælio, quum Romanus miles terga vertisset, Pontifex in pugna captus, & pro dignitate ductus, paucis pòst diebus singulari pompa Romã remissus est. Item Pallantis Romæ corpus insanæ magnitudinis, inuentum adhuc incorruptum, cuius hiantia quoque vulnera cernere erat. Præterea lucerna ad caput ardens, quæ neque vento, neque aqua, vel quouis alio liquore extingui poterat, verùm subacto stilo, mox illo foramine ingruente aere, lumen euanuit. Tale huic Epitaphium fuisse fabulantur,

Filius Euandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, more suo iacet hic.

Præterea in Apulia, marmorea comperta statua, cuius caput circulus ex ære his inscriptus literis ambibat, Calendis Maiis, exoriente sole, aureum mihi caput erit. Quidnam id portenderet, Saracenus quidam Roberti Guischardi captiuus interpretatus est, Quum sol ad præscriptum terminum peruenerit, si quis statuam subfoderit, maximum ibi thesaurum deprehensurum. Neq; interpretationem res fefellit, nam calendis Maiis, magna auri copia ibi comperta, qua Saracenus se à captiuitate redemit. Sed ad historiã redeamus. Exactis vsquequaque hostibus, ac Petro vita defuncto, Andreas cum Leuento, ac vniuerso Vngarorũ exercitu Albam contendit, vt ibi ex more Pontificum, Principumq; consensu & auctoritate, regni insignia planè susciperet. Sed quum Episcoporum pars magna cum Getardo cæsa fuissent, vix tres tãtùm ex illa strage superstites inueniri potuere.

ANDREAS igitur ab incarnatione Domini, anno quadragesimoseptimo supra millesimum, diadema regium accepit. Qui postquam se rerum potitum esse cognouit, hoc per vniuersum regnum promulgauit edictum. Quicunque Vngarus, Vngariæve incola, peregrinúsve frequentans, deposito pagano ritu, cæremoniisq; Scythicis abrogatis, quas Rex, quia vsus ita postularat, paulo antè permiserat, ad veram Iesu Christi fidem e vestigio non redierit, ac sacram legem à Diuo Rege Stephano traditam non receperit, capitalis esto. Vicus, oppidum, & ciuitas quæque, demolita templa, basilicasque reficito. Pontifices, collegiaque Sacerdotum pristino more obseruato, & pareto. Christianorum ritus reuocato. Prophanas cæremonias falsosque Deos exigito, eorum simulachra demolitor. Si quis magnis verisque numinibus ac sacerdotibus maledixerit, feceritve, Deûm hominumque hostis esto. Si quis sacra legerit, lecta continuò restituito: quicunque sacro, vel quouis alio humano sanguine manus fœdarit,

Margin: 1042. — 10 — 20 — 30 — 40 — Andreas. 1047. — 50

commissa piacula expiato. Vngarus demum quisq; cædibus, latrociniis, ac cætera denique vi & iniuria abstineto. Sanctionem igitur hanc quicunque contempserit, aduersusve iuerit, capitis ac rerum omnium reus esto. Iisdem fermè diebus Leuentæ mors intercessit, quam non sine Diuina benignitate accidisse arbitrantur. Is enim satis superq; Christianis infestus erat, neque Scythicas cæremonias, dirosq; mores facilè exuere posse videbatur. Quare ne instauratam à fratre fidem labefactaret, à diis immortalibus intempestiua morte ereptus esse reputatur, & in vlteriore Danubij villa sepultus, vbi quondam Toxis proauus ritu Scythico sepultus esse, ac villæ nomen tribuisse dicitur. Sed de parentibus horum, diuersa sensere: alij nanque regulos istos Vazulis excæcati, ac filiæ Tati: plerīq; verò (& fortasse rectiùs) Calui Ladislai filios prodidere, qui Roxanā, vel Ruthenam vxorem accepisse fertur, ex qua Andream, Belam, & Leuentam sustulisse creditur. Pacato deinde regno, ac vniuerso ferè populo ad rectū Dei cultum reuocato, ad reprimendos finitimorum impetus incursionesque animum aduertit. Bratislaus enim subacta Polonia, ter Pannoniam inuasit, ne mediocria quidem detrimenta intulit, sed tertiùm ingressus, repentina febre correptus, pedem referre coactus est. Ex testamento quinque filiis, Morauiā, Boemiam, cæterumque dominatum ritè distribuit, legauitq;. Spitigneus natu maior, Morauiæ regno potitur. Boemiæ pars media Bratislao, altera Conrado & Othoni obtigit, Iaromirus adhuc in literario ludo versabatur. Paulò pòst comperta Spitignei sæuitia & ambitione, Bratislaus timore percitus, relicta in Olumucensi vrbe vxore, in Pannoniam secessit, vbi ab Andrea Rege, gratissimo hospitio exceptus, & pro dignitate tractatus & exornatus est. Spitigneus receptis Fratribus, qui remanserant in regia, Conradum venatoribus, epulis verò regalibus Othonem præfecit. Mox Bratislai vxorem capi, & in Lesca munitissima arce asseruari iussit, quam præfectus arcis tam dura ac immani custodia seruasse dicitur, vt alterutro vterque noctu pede vna compede constringeretur. Verùm Seueri Pragensis Episcopi, ac optimatū intercessione, mulier exacto mense carcere liberatur. Quæ quum ad virum in Pannoniam grauida properaret, edito immaturo partu, in itinere animam efflauit. Bratislaus audito vxoris obitu, parentis agnati fatū iuxtà deplorare coactus est. Ac nihilo deplorare secius Rex Andreas, suauissimi hospitis dolore cruciatur, ad ineundam consolationē hortatur, neq; quicquam sine Diuina voluntate asseuerat accidere. Fallaces spes hominum reputare oportere, omnemq; spem, & curam in Deo collocandā, quem humanis commodis longè sapientius vtiliusq; hominibus consulere existimandum est. Atque multa, quæ accidunt nobis, incommodissima miserrimaque videri, quæ si æquè pensitentur, præter opinionem vtilissima iudicabuntur. In vtraque fortuna, & modum, & æquum animum omnino retinendum, post mala semper benè sperandum. Subinde delinito aliquantulum viri dolore, hospitem Rex ad cœnam inuitat, lautissimis epulis ac vino exhilarantur animi. Andreæ vnica erat gnata, cui Adleithæ nomen erat, matura iam ætate, ac eleganti forma cum summa venustate coniuncta, primo obtutu hospitem obstrinxit, cuius amorem vbi pater intellexit, hancei continuò desponsauit. Quod vbi Spitigneo fratri significatum est, ratus hūc auxiliaribus Vngarorum copiis adiutum, Morauiam sibi facilè occupaturum, vt rebus suis tutò consuleret, legatos ad Bratislaum mittit, qui eum è Pannonia euocent, ac polliceantur, se veluti pater ex testamento legauerat, omnia vltrò restituturum. A quibus persuasus ille rediit, atq; fratri ex composito reconciliatus, legata cuncta recepit. Quanquam imperandi amore Spitigneus traheretur, ac immodicæ ambitioni foret obnoxius, bonis alioquin moribus fuisse traditur. Sed qua in matrē Iuditham, Bratislai senioris coniugem, impietate vsus est, haudquaquam hinc commendari potest, hanc enim regno eiecit. Quę quum gnati crudelitatē alio modo vlcisci nō posset, in eius cōtumeliam, Boemorumq; contemptū, Petro Vngariæ Regi extemplo nupsit, in Pannonia vitam exegit. Sed post filiorum reconciliationē, a Bratislao filio in prioris viri sacellū relata, & Pragæ in Diui Vencessai templo, anno salutis

salutis quinquagesimonono vltra millesimũ, pro dignitate sepulta. Hinc igitur Andreæ cum Boemis, Polonis, Australibusq; orta dissensio, quas expeditiones ita prosperè gessit (Vngarorum Annales referũt) vt tribus annis, hos treis (quos retulimus) potentatus, stipendiarios sibi fecerit. Contrà Alemannorum, qui ne hac Australes insigni nota sugillarentur, Andream Henrico Tertio per Legatos obsequium, ac stata quotannis tributa vltrò detulisse referunt, id cæteri nequaquam memorant Scriptores, præter ea quæ paulo pòst sequentur. Sed illud constat, anno salutis quinquagesimoprimo vltra millesimum, Andream cum Adalberto, qui Austriæ dominabatur, pacem fecisse, item Boemiã Poloniamq; post aliquot bella pacasse. At quum se ad senium declinare, ac liberis carere animaduerteret, ad Belam fratrem, de quo suprà diximus, in Poloniam legatos misit. Bela exhortatus, vt cum vxore ac liberis expectatione celeriùs in Pannoniam redeat, & veluti communibus erroribus ac miseriis agitati fuerant, ita & nunc bonis auitis, ac regno pariter perfruantur. Quinetiam reri neque fas, neq; iustum esse, se sine fratre regno, eodemque amplissimo potentissimoque potiri, item per orbitatem neminem sibi esse, cui regnum legari queat. Hac igitur obsecratione Bela victus, coacta familia, dimissoque ne mediocri quidem Sarmatiæ ducatu, quo à Mescone, ob rem clarè gestam, in singulari certamine donatus fuerat, in Vngariam cum familia se recepit. Tam grato ab Andrea fratre animo, & tam insigni populorum plausu exceptum ferunt, vt vniuersa in eius occursum, non modò regis aula, sed Vngaria sit effusa, nullusque dies lætior actus. Postridie quàm venerat, conuentu habito, Vngaria treis in partes diuisa, duæ regi, tertia Belæ fratri, omnium consensu tributa est. Hinc discordiarum seminarium sanè profluxit, hinc dissensionũ bellorúmve causæ, quibus semper Vngaria fluctuauit. Quare inter Duces Regesque Pannoniæ, dissidia, cædes, ac assidua prœlia intercessere. Eodem quoque tempore, ad inferioris Pannoniç lacum, Andreas in insula Tychonia, cœnobium magnum cum basilica fundauit, quam diuo Aniano dicauit. Mox ad propagandam sobolem animum adiecit, vxorem duxit Agmundam, Ruthenorum Ducis filiam, quos olim Roxanos & Roxolanos nominabant, ex hac Salomon & Dauidus orti. Ex cõcubina, quam in Morothensi pago clàm tenuit, Georgius natus est. Ex Bela, in Polonia, Geysa & Ladislaus. At vbi in Vngariam reuersus est Lampertus, ac filiæ sunt editæ, inter fratres hos tanta semper charitas intercessit, & concordia, vt vna eademque ambobus voluntas inesse videretur, contrà verò in filiis nepotibusque accidit, vt ritè inferius referetur. Dum magnum in Pannonia ocium agitur, mutua fratrum charitate munitum, ingens Alemannia bellum molitur. Henricus enim Tertius, Petri iniuriam, & Vngarorum inconstantiã ac perfidiam vlturus, coactis vndique copiis, eo hanc expeditionem animo suscipit, vt aut Vngariam imperio Romano vectigalem faciat, aut ad extremum vsque ibi vires eludat. In primis adita Pannonia, Pisoniũ obsidet, tormenta diuersa mœnibus admouet, turres erigit, commeatus inhibet. Classem etiam, quæ secundo amne defluxerat, à Danubij parte disponit, vt ciuitas vndique oppugnari queat, castella in turrium speciem nauibus imposita, vt hinc oppidanos à mœnibus arceant. Duobus hæc mensibus vndique oppugnatur, omnis tamen Teuthonum eluditur opera. Vngarorum præsidium ab Andrea vrbi impositum, ne qua rerum caritate premeretur, néve Danubij aditus occluderetur, vnde ab inferioribus regionibus commeatus & auxilia inferri possent, nouum sanè commentum excogitauit. Vir inter eos nandi arte peritissimus, mox inuentus, cui Zothmundo nomen erat, hic intempesta nocte Præfecti iussu, nando clàm hostium naues subit, sensim eas tenui terebro suffodit. Dum naufraga vniuersæ classi vitia subigit, vix renãdi ad suos spacium datur, ne illucescente die in facinore deprehenderetur. hæ non modò proprio onere, sed machinis etiam onustæ, secunda ac tertia hora diei imo desidere occœpere, à principio pleræque incautis adhuc nautis demersæ sunt. Hac igitur arte elusæ Alemannorum vires, obsidioque soluta, quando ex oppidanis & centurionibus plerique, quotidie facta eru-

1059.

1051.

ptione, in hostium castra sæuiebant. Ex his potissimi nominantur, Maiothecus, Andreas, Vilungardus, Brosa, & Martinus, qui magna sæpe strage ex improuiso hostes affecerant, quare in Alemanniam spe sua delusi rediere. Quum re infecta Henricus Imperator cedere cogeretur, eo magis in Vngaros exardescit, exercitum longè maiorem instaurat, onerariamque classem reparat, qua commeatus deferat. In sequenti anno dispositis abundè omnibus, quæ bello vsui erant classi, Gebarthum Episcopum, & eundem fratrem eius præfecit, Danubioque defluere iubet, ipse cum turmis & cohortibus, præter Zalæ Zelitęque fontes amnium, in Vngariã iter facit. Andreas ac Bela frater id edocti, ea parte qua hostis iter facturus erat, aceruos frumentarios ac pabula cuncta comburi, incolas & pecora hinc abduci præcipiunt, ne qua prædæ commeatúsve copia foret hosti. Imperator adita Pannonia, & incensa ab incolis, quacunque iter fecerat regione, neque milite, neque equo adminiculi quicquam inuenit. Et quum vbinam classis esset intelligere non posset, in omniũ rerum egestatem incidit. Trãsmissa sylua, Bodoatinis montibus appropinquauit, intolerabili commeatuum pabulique inopia laborans. Iaurinum interea classis applicuit. Præfectus classis tabellarium ad Imperatorem continuò misit, qui literis se certiorem ab eo fieri postulabat, vbinam cum classe expectaturus esset exercitum. Is ab Andreæ militibus, qui viatorib. insidias fortè tetenderãt, intercipitur, ducitur ad Regem, Belamque, & adhibito interprete Nicolao Iauriensi Episcopo, Andreæ omnia patefiunt, qui astu pro tẽpore vtitur, Vngaricæ reipublicæ apprimè salutari. Ad Gebartum, Henrici nomine, adulterinæ per hospitem literæ remittuntur, quarum sum̃a talis erat. Salue Frater optime. Sæpe quæ præter opinionem accidunt, ad mutandam sentẽtiam homines impellunt. Proinde scito, nostrum ab aliis hostibus imperium grauissimè infestari, nos autem, vt propria tueamur, ab Vngarica expeditione inuiti reuocamur. Quare classem dicto celerius soluito, & deleto. Ratisbonæ confestim nobis occurrito, quando tibi in Vngaria tutò consistere non licet. Præfectus temeraria fide percitus, mandata peragit, soluta repentè classe, in Vindelicos se recepit. Imperator expectatione frustratus, extrema cum milite fame absumi cœpit, neque præfecti suæ classis desidiam satis poterat admirari. Accedebat magna sagittariorum manus, quæ ex Bulgaris Bessisque confluxerat, hæc cum Vngaro pariter hostilia castra per noctem lustrans, venenatis spiculis infestabat, quin & calones, lixas ac seruos, iniecto inter tentoria laqueo, captos plerunque trahebat. Tanta & tam cæca sagittarum tempestate afficiebatur hostis, vt terram subfodere, sub fossaque iniecto clypeo delitescere cogeretur. Sæpe viuus cęsi, & cæsus contrà viui fossam præoccupauit. Quum se ac exercitum ad extrema non sine Diuino numine redactũ, Henricus intelligeret, necessitatis imperio, mitius cum Vngaris sibi agendum esse decreuit. Quare ad Regem misit oratorem, qui suo nomine tutò abeundi potestatem, & cõmeatus postularet. Quod si concesserit hostis, se perpetuum cum Vngarico Rege successoribusque, fœdus & pacem initurum, neque re, neque verbo, neque quauis arte obfuturum. Item si quis è posteris Pannoniæ bellum indiceret, detrimentúmve inferret, extemplo se Deorum hominumq; hostẽ Augustali decreto pronũciatum intelligeret. Quin se vltrò Sophiam filiam, forma spectatissimam, quam paulò antè Philippo, Hẽrici Franciæ Regis filio sacra asseueratione spopõderat, rescissa affinitate coniugaturum, in arctissimum æternę pacis vinculum, testimoniumque grauissimum. Andreas igitur & Bela, exaudito honorificentissimo oratore, quum ocium potius, quàm bellum anhelarent, postulatam cum Imperatore pacem cõfecere, cuius iura, ne quo malo dolo læderentur, vtriusque sunt iuramento munita. Mox ad explendam Alemãnorum inediam, quinquaginta piscium corpora insaniæ magnitudinis, quos Vsones appellant, item multa lardi, pecorum, vini & frumenti copia gratuitò ad Imperatorem missa. Qua plerique fame confecti, ac immodica statim edacitate distenti, interiere. Curatis deinde corporibus, vniuersus exercitus, relictis impedimentis, præpropera festinatione in Noricos & Vindelicos se recepit. Præterea locum

Henrici Imperatoris iusiurandũ & anathema.

locum castrorum, vbi extrema fame laborauit, Vngarus & Alemannus vterque sua lingua Clypeorum montem appellauit, vigintiquinque milibus passuum à Buda remotum, qua iter est Viēnam, longa sylua obsitum. Hic haud ab re Germanorū Annales erit admirari, qui Vngaros cum Andrea rege ab Henrico Tertio perdomitos, ac stipendiarios fuisse factos prodidere, quod procul à vero esse constat. Quónam modo despōsatam filio Regis Galliæ gnatam, rescissa præstantissima affinitate, Andreæ filio spopondisset, nisi aliqua vehementi necessitate adactus, ad eas conditiones descendisset? Sed vt hanc perpetuam Germanorum & imperij Romani notam, Diuina magis, quàm humana opera
10 inustam obliterarent, ex industria subticuere, at contra fieri debet. Scriptor enim quisque Historiarum, veritatis potius, quàm alicuius patrocinij affectator esse debet, quin & omni amicitiæ inimicitiæque carere oportet affectu, vt suam apud posteros auctoritatem retinere posse videatur. Postquam igitur Henricus Tertius in Alemanniam redierat, paucis pòst mēsibus Rex Andreas per Legatos oblatam sibi filiam postulat, ne vana illius expectatione eludatur. At ille respondet, Se non modò gnatam, verum & minima quæque promissa præstiturum, neque vnquam initum fœdus ac sacramentum detrectaturum. Diem sponsalibus nuptiisque ad Moram amnem præstituit, qui Morauiam ab Vngaria plane disterminat. Huc ad præstitutum omnes diem conuenere, cum
20 summo Vngariæ ac Germaniæ plausu, frequentissimoque Pontificum Principumque conuentu, solenni ritu celebratæ nuptiæ, confirmata fœdera. Sophia in Vngariam deducta, singulari pompa, vtrique principes cum summa concordia gratiaque digressi. Salomon infantia nondum excesserat, & tam intempestiuus vir factus est. A morte sanctissimi Regis Stephani, ad Andreę Regis initium, anni secundùm Annalium supputationem) vndecim circiter, & menses quatuor intercessere. Interea Petrus, qui Venetus potius, quàm Teuthonicus, a patre Venetiis vitam agente, appellari potest, quamuis interpellato tempore, annis tamen quinque, & mensibus sex regnauit, Aba tribus. Quum autem liberorum affectus præ cæteris in quoque homine dominetur, & priuatus amor ab

Petrus Venetus.

30 aliena charitate & æquitatis officio animum auocet, hinc dissensionum inter fratres promanauit origo. Andreas tot errorib. laboribusq; vexatus, grauescente iam senio in paralysim inciderat, quandoq; carruca, hexaphoro sæpius ferebatur. Quum solutis membris incedere non posset, cœpit vir prudens, his incōmodis circumuentus, de successore ac filio cogitare. Succurrebat & illud, quod Henrico receperat, se Regem filium declaraturum. Et vt promissis stare videretur, duodecimo regni sui anno, infantem adhuc filium, conuocatis Pōtificibus ac Principibus vniuersis, Salomonem Regem pronunciauit, legitimeq; coronauit: Imperatoris causatus postulationem, qui ex compacto, generum diademate insigniri quotidie flagitabat, neq; alio modo, sine hac affinitate, pax foret
40 inita, quæ vtrinque fiduciam securitatemq; peperit. Inter coronandum quum ex more caneretur illud Israeliticum, Esto dominus fratrū tuorum, & hæc quidam Belæ interpretaretur, ex quib. reputabat se sub infantis imperio futurum, admodum rei indignitate commotus est. Pleriq; verò, Belæ filiorumq; consensu, & totius conuentus acclamatione, Salomonem Regem fuisse creatum tradidere. Quod haud difficulter ipse crediderim, quandoquidem hæreditario iure, & salutaris huiusce affinitatis excellentia, is regno fraudari non debebat. Sed paulo pòst a factiosis disseminata seditio, quippe alij Andreæ consulebāt, vt hac arte gratificari viderentur, puerum, nisi frater è medio tollatur, nunquam tutò regnaturum. Contra hi Belæ, tanti momenti regnum haudquaquam infantu-
50 lum addecere, immo ad regis fratrem pertinere. Item vsurpandi regni occasionem optimā deferri, quando Rex infans est, & pater senio ac valetudine grauissima plane conficitur. Ne Andream quoque præteribat, inuito fratre, filium nunquam regnaturum. Proinde inito consilio cum duobus tantùm intimis, quum in ferarum viuaria descendisset, in cubiculum relatus, ante se coronam & gladium, strata humi purpura, inferri iubet: hæc regnum, ille ducatum refe-

rebat. Fidissimos comites admonuerat, vt introducto Bela,& proposita optione,si gladium is eligeret, laude ac donis cumulatus abiret, si verò coronam, eo confestim gladio fratrem obtruncarent. Initum Nicolaus ianitor tantùm cum his consilium audiuit,deinde ex composito Bela accersitur, cubiculum subiturus,quàm primùm à ianitore admonetur,vt si vitam amet,gladium accipiat. Ad Regem ingressus,duo proposita ibi insignia admiratur. Cui hęc mox Andreas, Salomonem (inquit) filium,Bela,regem declaraui,regalique diademate donaui,non tam vt priuatæ dignitati,quàm vt publicę consulerem saluti. Quid ab Alemannis semper accepimus, & quàm magnis conatibus nuperrime regnum inuaserint,non ignoras,& quàm salutaris sit ista reconciliatio,ac pax nuper inita, pro se facilè quisque considerat. Tibi autem, ne qua ex nouitate hac expostulandi copia detur, qua pientissimum fratrem insimules, nunc optionem facio. Coronam tibi,& gladium præ oculis habes,vtrum vis potiùs,accipito,alterum filio relinquito. Tunc Bela vel præmonitus periculi,vel conscientia & fraterna liberalitate victus,optatum sumpsit gladium, coronam vltrò nepoti concessit. Spectata fratris modestia Rex, lectica, ante Belæ pedes, profusis lachrymis,extemplo prosiluit, genua præter dignitatem amplexatus, ingentes gratias egit. Multis in fraterna charitate ac filij tutela verbis eum confirmauit, dimisitq; donatum amplissimè, ratus id absque aliqua dissimulatione ab eo factum, & sicut vltrò Leuenta sibi cesserat,præ simplici charitate, idem à Bela factū, sed id Belam præ timore fecisse, ostendit exitus. Quippe paucis pòst mensibus, ad declinandas insidias vir sagacissimus, cum vniuersa familia, ad Mesconem socerum(de quo suprà diximus)in Poloniam effugit. Quod vbi Regi significatum est,vt pari cautione certaret,Salomonem ad Henricum socerum,cum maximo optimatum Vngariæ equitatu misit. Interea cum Mescone, Poloniæ duce, acceptas a fratre iniurias Bela communicat,hortatur, vt datis auxiliis, in regnum sibi debitum restituat. Non tam generi,quàm nepotum,ac vel maximè filiæ dignitatem curet;si contemnatur,neminem sibi fore alium,ad quem exorandum confugiat. Addit commodorum accessionem,si vota successerint: nam si vires vtriusque gentis vnà conueniant, facilè fore, vt non modò se tueantur, verùm etiam amplificatis finibus, aliena regna occupare confidant. His Mesco commotus,legiones treis comparat genero,Vngariæque finibus appropinquare iubet. Quum se tot copiis Bela munitum esse cerneret, quot recuperando regno & explendæ spei sat esse nouerat,fraternum regnum inuadit. Quod vbi factum est,ex Vngaris ad eum quàm plurimi cōfluxere,qui eius partes antea sectabantur. Rex audito fratris ingressu, duas ab Imperatore Henrico legiones accepit, quarum alteri Guilielmus, Pothus alteri præfuisse fertur. Bratislaum quoque Boemorum Ducem,& Spitignei fratrem, cui filiam olim coniugarat, cum validissimis copiis planè conduxerat. Neque in Vngaria delectum habere contempsit, quare maximum sibi exercitum comparauit. Ad Tibiscum igitur amnem fratres ambo conuenere, vt regni litem, commisso prælio, dirimerent. Quum acies in ripa fluminis vtrinque constitissent,ab Alemannis prælium initum est. Guilielmus enim & Pothus,transmisso amne,tam infestis in Belā animis concurrêre,vt confertissimam cruentissimamque pugnam extemplo commiserint. Pari quoque audacia,ac robore certè maiore,Polonorum & Vngarorum agmina obstitere, quippe qui ne cedere viderentur, lethales fortiter ictus excipiebant,inferebantque. Sed quum diu pari spe conatuque vtrinq; pugnatum esset,Teuthones tandem dare terga cœpere,inclinatisq; hostibus,tanta animorum Vngaris facta fuit accessio, vt redintegratis viribus, à tergo instare viderentur. Tunc ex illis cecidere multi, cæteri palantes fugiunt. Quod vbi alij, qui Andream sequebātur,Vngari prospexere, mutata repentè sententia, in Belæ parteis contendêre,& in suum regem vertêre arma. At is quum à se suos defecisse conspicaretur, consternatus animo,in Noricos fugam capit. Insequuntur eum inimici, & tanta quidem pernicitate, vt ad portas Musienses adhibuerint,ceperintque, in Baconiensemque syluam deduxerint. Ibi negligentissimè deten-

detentus, ad crucem suam, quam Sterziam dicunt, diem obiit: sepultusq; in cœnobio Tychoniensi, circa Balatonem lacum, quem in inferiore Pannonia fuisse diximus. E ducibus & præfectis hi potiores capti referuntur: in primis Boemorum dux, quem inscio Bela, continuò exæcatum plerique retulere: item Giulielmus, & Pothus, qui ad Belam ducti, quàm primùm honorificè dimissi. Circa hæc tempora schisma & contentiones maximæ fuere in Ecclesia Dei. Tres vno tempore Pontifices Romę dissidebant, vnde permagnum apostolicæ reipublicæ detrimentum emersit. Tunc Pontifices ab Imperatore creati. Qua quidem tempestate Theophilus alius Pontifex, Ioanni pontificatum vendidit.

10 Ac seditio ista ab Henrico Tertio sedata, schismateq; diremptо, Augustalem sibi coronam promeruit. Item in Florentina synodo, Episcopi multi de ambitu adulterioq; damnati. Quinquagesimo autem sexto vltra millesimum, Adalbertus dux Austriæ diem obiit: Ernestus successit filius. Et Cuno dux Bauariæ, ab Henrico eiectus, Pannoniamq; relegatus, expirauit. In sequenti anno Imperator diem clausit, infantemq; sui nominis filium sub materna tutela reliquit, & sub ea annis aliquot prospere imperauit. Matri Agnes nomen fuit, quæ Bauariæ ducatum sibi vendicauit, grauissimaq; cum Gunthario Episcopo bella gessit. Italiæ administrãdæ Gibertum Parmensem, virum præstantissimum ritè præfecit. Florebat in Italia Gothofredus & Matildis vxor, quæ Beatricis fuit filia, & Hen

20 rici Tertij è sorore neptis. Beatrix enim Bonifacio Hetruria oriũdo, viro quondam potentissimo, nupserat. Matildis cum Gothofredo Lucæ, Parmæ, Rhegio, ac Mantuæ imperauit. Item eam partem Vmbriæ ac Hetruriæ, quod Petri patrimonium appellamus, hanc quoque possedisse, & Ecclesiæ legasse tradunt. In synodo ad Sutrium habito, propulsandi schismatis gratia, vt Pontifex quisque legitimè deligeretur, tunc sanctio facta, vt a Cardinalibus is in posterum ritè crearetur, pœnaque aduersantibus negligentibusque indicta.

1056.

RERVM VNGARICARVM DECADIS SECVNDÆ LIBER III.

30

POST Andreæ Regis interitum, Bela fraterno bello superior, fusis hostibus, rerumq; potitus Albam contendit, vt à Pontificibus primatibusq; Vngariæ vniuersis approbatus, ritè coronaretur. Inito regno, ad pacandam regionem, & curanda gentis cõmoda animum aduertit, & quod à principio intendit, è sententia consequutus est: siquidem absque graui hostium molestia, pacem & ocium in regno seruauit, ne qua in commerciis fraus ac dolus cõmitteretur. Ex argento pustulato pecunia ex edicto decussa, æqua rebus venalibus indicta precia. Et ne quo argẽtariorum ne-

40 gotiatorũmve astu ac versutia simplices rudesq; deciperentur, & nummus & rebus venundandis leges præscripsit: quæ si contemnãtur, magna hinc paupertatis & inopiæ detrimenta proueniunt: si verò bona curentur cautione, nemo emendo vendẽdoq; circumueniri potest, monopolia instituit, diẽ sabbati mercatibus dicauit, emporiis omnib. locum tempusq; præstituit, Byzantios aureos admisit, quorum vnus pro quadragenis argẽti nummis solebat expendi: hac igitur aurea argenteaq; pecunia promercali vtebatur: nulla quoad vixit, alia mutata. Sed illud facinus memoria non indignum præstitit. Quicunq; enim Salomonem regem sequuti fuerant, eorum vxores, liberos, ac fortunas incolumes illæsasq; seruauit, vt quum vellent, omnibus postliminio redire foret integrum,

50 quin & solẽni his edicto redeũdi data copia. Quo beneficio victi, rediere quàm plurimi, hique fidelissimi facti sunt. Aucta deinde regis pietas in vniuersum, nam vectigalium grauitatem leuauit, prouinciis tributa remisit. Quare perbreui plebs cum nobilitate eousq; diuitiis excreuit, vt ne minimus quidem rusticus inuentus sit egenus: & è finitimis nemo etiam diuturno adiutus ocio tanti census fuerit, qui cum Vngari opulentia conferre se potuerit. Quum ortho-

Bela.

doxam fidem, ob rerum omnium copiam, & longum ocium, vnde ingenia facilè lasciuire solent, & ad quodque facinus esse prompta, clàm labefactari conspicaretur, promulgauit edictum, vt vicatim duo seniores euocati Albam conuenirent. At vbi conuētum propediem futurum omnes intellexere, non solùm agreste genus hominum, sed cætera multitudo iniussa confluxit, Rex, & cum optimatibus pontifices, admodum formidarunt, ne qua à cæca multitudine vis aut iniuria inferretur. Quare inito consilio, in vrbem omnes se recipiunt, contrà vulgus eam seruant, & tuentur. Interea rusticorum agmina inter se pagatim, præfectos sibi creant, quibus mandata dant, vt per internuncios à Bela Rege pristinam Vngarorum fidem impetrent. Item abolendam nouam Christianorum superstitionem, lapidandos episcopos, presbyteros omnes è medio tollendos, amoliendas deorum ædes, & publicanorum demum exitium efflagitēt, exorentque. Quum hæc Regi detestabilia renunciarentur, se tertio die responsurum esse dixit, & commodè deliberaturum. Interea pagorum præfecti, quos Præpositos appellabant, pro se quisque passim conciones habebant, vbi aduersus Christi fidem, & ad extirpandas fidelium opiniones triduo prędicabāt, congratulabantur plebeiorum animi, & gratis concionibus cum magno plausu acclamabant. Tridui spacium Rex prudētissimus idcirco sibi dari postulauit, non vt quicquam de fide consuleret, quam exploratissimam habebat, sed vt interea exercitum tumultuarium cogeret, quo prophanam & inconstantem paganorum plebem circumueniret, de auctoribus factionū supplicia sumeret, ac reluctātes gladio interciperet. Tertio igitur die, quo responsa daturum se receperat, turmis equitum, multisque cohortibus insipientem multitudinem obducit. Mox dato signo, milites in eam strictis ensibus irruūt, à principio, vt metu percellant, nonnullos cædunt, capiunt Præpositos, captosque ad vnum omnes, ex altis turribus deturbant, captiuamque plebem, partim vinculis & carcere, partim flagellis afficiunt. Hæc tertia fuere iacta fidei fundamenta. Nam postquam à sancto Rege Stephano, exuta infidelitate, ad veram religionē conuersa est Vngaria, hac tempestate tertiò defecit, sed Andreæ, ac demum Belæ opera cōsilioque reuocata est. Deinde tertio regni sui anno, quum ad Demes oppidum venisset, ex Heliocauum ruina confracto solio, ita Regis membra cōtusa, ita nonnulla ossa luxata sunt, vt desperata valetudine ægrotare cœperit. Mox pro quibusdam regni causis, quæ magni momenti fuerant, ad Canisam fluuium, lectica succollantibus prætorianis militibus delatus est, ibique vitæ diem increbrescēte morbo clausit. In Diui Saluatoris cœnobio sepultus, quod ipse exædificarat: locus ille Zegzardus ab Vngaris appellatus, quia claudus Bela fuerat, ac nigro colore suffusus.

Salomon. AVDITO Regis obitu, Salomon Henricum Quartum nomine Imperatorem ac Sophiæ vxoris fratrem indulgentissimum extemplo adit, rogatque, vt se in regnum restituat, hæreditario iure sibi debitum, néve patiatur, se cum Sophia Augustali sorore, vlteriùs regia dignitate carere. His precibus ille victus, validissimum repentè exercitum cogit, legiones & auxilia vndique conuocat. Deinde comparatis omnibus, quę bello sunt vsui, in Vngariam castra mouet, quam & Rege orbatam, & propugnatore carentem offendit. Geysa, ac Ladislaus, viri quidem pro ætate circūnspecti, quum se Imperatoris viribus impares esse intelligerent, saluti consuluere, se ad suos, vnde ex matre orti fuerant, in Poloniam recepere. Indoluere fortunam regulorum Poloni, eosque bono anĩmo esse iussere, nam data occasione, in Vngariam, & opinione citius, se restituturos esse pollicentur. Henricus cum Salomone Albam contendit, ibique habito sacrorum prophanorumque ordinum conuentu, ita disseruit. Nescio Pannones, quónam fato vobis datum est, vt non solùm in rebus humanis, verùm etiam & Diuinis, tanta animorum imbecillitate, perfidia & infidelitate laboretis, vt sub nullo Deo ineatis trāquillitatem, sub nullo Rege verum ocium inueniatis. Diuo Stephano vestræ salutis auctore, in veri Dei agnitionem peruenistis. Subiuistis salutarem religionem, & non solùm documentis, sed ingenti miraculorum experien-

experientia, quàm vtile & beatum sit, Iesum Christum Seruatorem nostrum vnicè colere & adorare didicistis. Deinde, vt prima quæ à Carolo Magno rudimenta acceperunt maiores vestri, nunc omittam, bis post Diuum Regem, ab orthodoxa fide defecistis. Vtinam hac tantùm perfidia vobis exitio fuissetis, & familiarum dūtaxat vestrarum ruinam cum vestra traxissetis, vt pro vestris tantùm detrimentis vos pœnas luere oporteret. Verùm ita in alienan perniciem, præter ius & fas, scelera vestra grassata sunt, vt nisi clementissimum indulgentissimumque numen coleretis, neque humana, neque Diuina supplicia vobis digna excogitari possent. Quid enim in Andreæ Leuentæq; ingressu intactum prætermisistis? cæsi pontifices. Quid cæsos dixerim? immo rapidis curribus distracti, iacti è rupibus, sacerdotes ad aras ante numinum conspectum obtruncati, dum pro publica, immo nostra salute operantur. Basilicæ dirutæ, ignis deos patrios, ac potissimorum simulachra numinum passim absumpsit. Extincto hospitalitatis iure, in Italos & Alemannos, ita vsquequaq; sæuitum, vt nemo lachrymis commiserationem inuenerit. Ab Italis prouincias, leges, mores, lucem fidei, optimasque disciplinas: à Germanis & Alemannis, politicas artes accepistis. Esto, in externum sanguinē sæuiatur, & in viros sacrosancti ordinis, quādo Scythica immanitas neque veram religionem, neque peregrinam consuetudinem æquo animo pati potest, at quid in vos ipsi furitis, efferatissimi homines? Duos fratres vestro genere natos, præ intestino liuore, ac vestris factionibus dimisistis, commisistis in certamen, & nemini fidem, immo ne vobis quidem ipsi seruare potestis. Si mutuo dissidio laboratis, quam vobis quietem sperare licet? Cupidi semper estis nouarū rerum, & ab ipsa nouitate, sacrilegii, homicidii, ac rapinarum, & latrociniorum materiam quæritis. Bela pacato iam regno, vobis ocium pepererat, remiserat vectigalia, & quo potuit studio, a miseria & calamitate redemit. Contrà ocio & opulentia vos abusi, nil aliud quærere occœpistis, nisi vt reiecta fide, iterum atque iterum in pristinam feritatem, & prophanam deorum opinionem recideritis. Quousque tandem Vngari vester hic furor, & immanitas inaudita, in Deos hominesque grassabitur? quādo acerbissima hęc vestra ingenia mitescent? Sed hoc quod ad deos pertinet, Scythico generi tribuatur, quod ita ab humano cōsortio quondam secessit, vt prius cum Faunis, Syluanis & dæmonibus, quàm hominibus, maiores vestri versati reputentur. Ad vos ipsos tandem veniamus, & peregrinam consuetudinem dimittamus, quid est, quod tantis inter vos factionibus & intestinis odiis quotidie laboratis? Nescitis, nescitis (inquam) Vngari, quanta vis concordiæ numini insit, quippe quæ humilia extollit, & illustrat obscura, & non modò rempublicam & regna conseruat, verùm etiā amplificat, ac immortalitate donat. Nónne maiorum exemplo iam didicisse debueratis, quantum coniunctio animorum & concordia valeat? illi è recondito septentrionis angulo incogniti, in Sarmatiam Europicam prodiere, non tam viribus, quàm vnione pollentes, quacunq; iter fecerant, omnia subegere. Et ita subegere, vt nō modò Illyricos, Gallos & Germanos, verùm etiam Italos rerum dominos protriuerint, spoliarint, ac ferro incendioq; absumpserint. Contrà vos diuersa sentientes, & intestina labe cōtabefacti, non solùm potentatum amplificare, sed ne regnum quidem à maioribus traditum retinere potestis. Semper inter se fluctuat Vngaria, quę si mutuis simultatib. carere posset, & à vera fide nō deficeret, vnde hæc omnia mala prouenere, ô quāta splendoris & potētiæ rebus Vngaricis fuisset accessio. Proinde vos quæso, omnes malos mores exuite, in primis timete Deum, Iesum Christū Seruatorem nostrum toto corde ac mente complectentes amate, Diuina mandata seruate. Post hæc, verum legitimumque Regem vestrum Salomonem, Diui Stephani pronepotem colite, & obseruate, huic vni obtemperate, hunc esse iubete Regem, huius imperio parete omnes. Abdicate regulos, & exigite, ac pronūciate hostes, quicunque in Salomonem aut arma sumpserint, aut obsequium detrectarint. Vos autem Pontifices ac Satrapæ, hunc ex more create Regem, ac solennibus cæremoniis sacrosanctū facite. Ego verò quem vos iusseritis esse Re-

f

gem, Salomonem, Augustali auctoritate confirmabo. Ad postremum orthodoxam fidem obseruate, amate pacem, & mutuam inter vos charitatem, & concordiam retinete. Imperatoris dicta, primùm à Pontificibus & primatibus, deinde ab vniuersa multitudine approbata, Salomonem Regem pronunciant, & exclamāt. Mox de more in sancti Regis basilica, sceptro ac diademate eum honestant. Omnes deinde ritè in eius manus, in solio collocati iurarunt, se nunquam eius imperium edictúmve detrectaturos, sed sponte gratissima quæque obsequia præstituros. Restitutionem hanc sacris solennibus, magnis plausibus, & faustis acclamationibus celebrarunt. Item edita spectacula diebus aliquot, variiq; ludi, & sparsa missilia. Henricus autē restituto Salomone, ac pacata Vngaria, ab eo magnificentissimè donatus, in Alemanniam reuertitur. Quod anno ab incarnatione Domini sexagesimotertio supra millesimum accidisse, Austrialium Annales prodidere. Multa eo tempore mala emersere, quæ & monstrum pago editum portendit, fœmineo sexu, suprà vmbilicum geminatum hominem, vnum infra referens. Incessit ingens quoque fames, & perniciosa pestis. Nam quum Alexander pontificatum maximum obiisset, Cisalpina Gallia, quæ à Romana sede defecerat, indignum rata aliunde Romanum Pontificem, quàm è paradiso Italiæ, quam Lombardiam esse dicebant, deligi, Candolū Parmensem Episcopum, habito Episcoporum conuentu, Pontificem maximū creat. Quin & hanc deligendi Pontificis potestatem, inuita Agnete matre, ab Henrico Quarto impetrauit. Huic Longobardi omnes iuxtà paruere, præter Matildim, & Gothofredum virum eius. Candolus cum exercitu Romam properās, in Neronis prata descendit. Nutantibus Romanis, Alexander Pontifex cū Gothofredo, qui cum auxiliis aduenerat, ad Lateranum se continebat. Conserto in Vrbe prælio, Candolus funditur, & fugatur. in sequenti anno corruptis largitionibus patriciis nonnullis, Vrbem repetit, Vaticanum, ac Diui Petri ædem occupat. Sed irruente Populo Romano, à suis ibi destitutus, & à Cincio ciue Romano, Præfecti filio in arcem sancti Angeli perductus, & mox à Romanis simul obsessus est, & biennij obsidione eò adactus, vt trecētis argēti pondo se redemerit, strigosissimoq; inuectus equo, in Germaniam aufugerit. Otho Coloniensis Metropolita, qui artibus Henricum adolescentem circumuenerat, vt is Agnetem pientissimam parentem administratione priuaret, sibiq; gubernationem rerum committeret, ad pacandam Italiam, prophano schismate laborantem, Imperatoris mandato aduenit. Concilium Mantuæ huiusce rei gratia habendum edicit, ibiq; extirpato schismate, verus Pontifex Alexander cōprobatur, & adoratur ab omnibus. Qui Romam rediens, pacatam Vrbem, sed Campaniam perturbatam offendit. Quippe Richardus Normānus, cum Gulielmo filio Capuam subegerat, inuaserat Beneuentum, & Cepetanum obsederat. Rogerius Brundusium obsidione cinxerat. Item Henricus anno regni sui nono, in Paschæ solennibus gladio accinctus est. Paulò pòst Bertam, Othonis Comitis Augustalis filiam, vxorem duxit, ac multa vndiq; mala mox exorta. Nam Otho Bauariæ Dux, ab Henrici fide defecit. Gelpho Othone eiecto, tyrannidem occupauit, ac deinde cū Rodulpho Sueuorum, ac Bertoldo Carinthiæ Duce, aduersus Henricum coniurauit. Regemq; hi cum cæteris coniuratis, Rodulphum elegere, Saxonico is bello admodum vexatus est. Sed ad rem nostram redeamus. Postquam Geysę ac Ladislao, Henricum Vngaria abiisse significatum est, haudquaquam rem differendam rati, cum Polonicis copiis regnum repetunt. Salomon nondum satis expertus, audito aduersariorum aduentu, vt in tutiore se loco collocaret, Mosouiensem arcem petiit, pro loco ac tempore munitissimam. Pontifices ac sacerdotes, ne fraterna bella vltrà conspicarentur, se inter vtrosq; medios ingerunt. In primisq; Desiderius Episcopus, vir nō minus probitate, quam eloquentia potens, cum magno sacerdotum ordine Geysam adit. Ad pacem & concordiam tanta dicendi copia, ac orationis vehementia & suauitate hortatur, vt ad reconciliationem inclinarit. Fœdus inter patrueles fratres hac cōditione ineundum persuasit, vt Salomoni, quamuis iuniori, regno cederet, &

1063.

ret, & veluti legitimo Regi pareret, ipse verò paterno ducatu potiretur. Huius monitis precibusq; victus Geysa, vna cũ Ladislao fratre, in totius Vngarię conspectu, in Iauriẽsi vrbe Salomoni se recõciliat. Fœdus inter eos solenne ictum, mutuoq; iuramento munitum, quod dum Fabiani Sebastianique anniuersaria celebrantur, percussum fuisse ferunt. Reconciliatis animis, Regi cũ Geysa Duce, & Ladislao, mutua charitas, & assidua consuetudo intercessit. Subsequutum Pascha, in Quinqueeclesiensi vrbe, ab his cum vniuersa aulicorum ac primatum multitudine celebratum, vbi in Diui Petri basilica, inter solẽnia, Salomon iterum acclamante populo, à Geysa coronatus. Quod tanta Vngarorum omnium lætitia celebratum, vt diem publicæ hilaritatis inter fastos retulerint. Deo Iesu optimo maximo, humanæ pacis Autori, per omnes aras gratiæ actæ, & factæ supplicationes. Sed ingens futuræ discordiæ portentum proxima nocte intercessit, tota enim Petri basilica, contiguaque ædificia repentino quodam incendio absumpta sunt. Quare exorto tumultu, maximus vtrunq; metus incessit, alter alterius id factum insidiis esse rebatur, vterque tamen culpa vacabat. Diuersa quoque fuga fertur, ad solis exortum, re per fideles internuncios explorata, omnibus planè constitit, nihil ex vtraq; parte doli fraudisve tentatum repentino inopinatoq; id igni accidisse comperiunt. Quod vbi satis ambo compertum habuere, amota omnium suspicione, pacem concordiamque redintegrant. Adleitha Salomonis soror, & Bratislai Boemici Ducis vxor, duobus ante annis vita excesserat, quæ haud mediocri tristitia fratrem affecerat, id anno salutis sexagesimosecundo supra millesimum accidisse Annales prodiderunt. 1062. Vir eius, Spitigneo fratre vita defuncto, omnium consensu Boemiæ ducatum obiit. Morauiæ regnum inter fratres diuisit. Orientalem eius plagam Othoni, venationi nimis idoneam, & piscibus exuberantem, occidentalem verò fertiliorem, Conrado adiudicauit. Iaromirum natu minorem, quem ad literarũ studia conuerterat, inuitum sacris initiauit, & Hẽrici Imperatoris auctoritate, Pragensem Pontificem creauit, qui deinde post initum pontificatum, Geboardus dictus est. Ex Bratislao igitur Duce, & Adleitha coniuge, Andreæ Regis filia, Iuditha, Ludmilla, & Bratislai duo editi. Post vxoris obitum, Zuaranam, Cazimiri Poloniæ Ducis filiam, Bratislaus sibi coniugauit, Boleslai, Bladislaique sororem, ex qua liberos quatuor optimæ indolis accepit, vnus Boleslaus, Botuius alter dictus est. Bladislaus, & Sobeslaus reliqui. Sed inter Bratislaum Ducem, & Gebeardum fratrem, qui Pragensis Præsul erat, exorta dissensio. Et Ducis arte factum est, vt Rodulphus apochrysiarius, à Gregorio Pontifice missus, Pragam venerit, Gebeardoq; antistiti sacra interdixerit. Nihil enim Bratislao Duci erat antiquius, quàm si frater, quemadmodum reformidabat, põtificatu Pragensi abdicaretur. Is igitur Romam ad Gregorium Pontificem maximum venire iussus, Matildis patrocinio, intuius genus maternum sanguinem referebat, abrogato anathemate, in pristinam dignitatem pontificia auctoritate restitutus est. Sed ad diuerticulum reuertamur. Dum Salomon ac Geysa mutua se concordia fouent, ecce noua expeditio his offertur. Zolomirus Dalmatiæ Rex, qui Geysæ & Ladislai sororem connubio sibi copularat, per legatos ab vtroque auxilia sibi dari postulat: quum à Carinthiis, qui magnam Dalmatiæ partem dudum occuparant, grauissimo se bello infestari diceret. Subueniendum socio censuere fratres, inito consilio expeditionem suscipiunt: comparatis copiis veniunt in Dalmatiam, quam eiectis perbreui Carinthiis, ac Noricis, Zalomiro pacatam reddidere. Is tanto beneficio iam affectus, Salomonem, ac Geysam, cum vniuersis equitum præfectis, amplissimè donatos remisit. Dum in Vngariam redeunt, Atha prætorij præfectus, quem Palatinum appellant, in Zelyzem agrum, vbi Diuo Iacobo cœnobium cum æde exædificarat, Regem cum Duce precibus multis inuitat, vt dedicationem templi, fausta præsentia honestarent: quod à Principibus facilè impetrauit. Hac Rex Salomon cum Dauide fratre, infelicitate non caruit: quando tanta vterque sterilitate laborauit, vt liberos nunquam habuerint, in ipsis Andreæ Regis semẽ planè defecit. Quod Diuino quo-

dam fato factum arbitrantur: nam quum Andreas cum Leuenta fratre in Vngariam rediit, regnandi cupiditate tractus, efflagitantibus Vngaris Christianorum interitum, ac fidei sacrosanctæ abrogationem permisit. Item Vatham prophanorum principem, cæterosq; sceleratissimos in Gerardum, aliosq; Pontifices & Sacerdotes sæuire passus est. Contra è Geysa, liberorum mira fœcunditas. Colomānum nanque genuit, & Almum, filias quoque nonnullas, vnde Regum Vngariæ seminarium promanauit. Pax & concordia inter Salomonem ac Geysam, tredecim circiter annos perdurauit. Quare factum est, vt non modò regnum opulentum effecerint, verùm etiam nulla bella sine magna laude peregerint. Per id temporis, Bratislao Duce, Boemi audacia & temeritate elati, in Trencheniensem agrum erupere, abegere pecora, multosque cepere, ac agrum denique ferro incendioque vastarunt. His iniuriis Vngarus accensus Salomonis & Geysæ ductu auspiciisque, Boemiam tam validus inuasit, vt hostibus in aciem prodire non audentibus, vniuersam ferè spoliarit, vastaritq;. In quo quidem bello Bathor Opos, Martini filius, præclarum facinus præstitisse fertur. Nam cum Boemo insanæ magnitudinis, qui gigantis instar erat, singulari certamine dimicauit: eumque mox prostratum humi, obtruncauit. Qua victoria potitus, apud Vngaros ita claruit, vt sibi ac suis perpetuum nomen compararit. Post exactas à Boemis cumulatissimè pœnas, Salomon cū exercitu, magna præda onustus, in Vngariam se recepit. Deinde, ne fortuna Pannoniam ocio torpere pateretur, Chunorum bellum exarsit, qui prophana infidelitate laborantes, eam Getarum plagam incolebant, quam nunc Valachiam dicunt. Hi nanque cum innumera paganorum multitudine, à superiori parte patefacto aditu, per portas & claustra, quæ Mezes appellant, Vngariam inuadunt, totamq; prouinciam, quam Nyr vocant, vsque ad Byhor oppidum discurrunt. Pecora cum hominibus abigunt, diripiuntque cuncta, & opinione citiùs traiecto Lapo Zamoque fluuio, cum ingenti præda redeunt. Quum iterum successu rapinarum allecti, ea loca repeterēt, Salomon cum Geysa duce, tumultuariisq; copiis portas occupat, ad Dobokam vrbem septem diebus moratur eos. Interea speculator quidam è Nouo castro natus, cui Fantisca nomen erat, aduenit: admonuit iamdudum Chunorum exercitum appropinquare, ingenti prꝑda ditatum: quare hosti continuò occurrendum Rex esse censet. Proxima nocte eorum castris adhæsit, atque illucescente die, qui Veneri dicatus erat, ex edicto omnes prælium subituri, sanctissima animos eucharistia muniunt. Mox educta acie, collatis signis in hostem properatum. Quod vbi Osul, Giulæ Chunorum Regis Prꝑfectus, haud procul aspexit, nimia confisus audacia, quosdā leuis armaturæ milites obuiam præmisit, qui Vngarorum vires tentarent, ratus nullos esse populos, qui cum Chunis dimicarent. Ast vbi præmissa cohors, quadrata Vngarorum agmina, & cataphractos equitatus aspexit, nequaquam manum conserere ausa, ad Osulem prꝑpropere rediit, instructas validasque hostium copias refert, vix vniuersis Chunorum viribus expugnari posse: quare Osul sibi consulens, proximum montem & eundem editissimum repentè occupat, munitissimum ibi præsidium imponit. Montem accolæ Cherhelem appellant, quia syluarum quasi domus esse videretur. Postquam Vngarus montem ab hoste occupatum esse videt, eum continuò amplo legionum ordine circumducit, datoq; pugnæ signo radices pedetentim cōscendit, decurrunt obuiam sagittarij, funditoresq;, vt subeuntem hostem cliuo montis arcerent. Tanto impetu pugna conseritur, vt sagittarum imbribus aer obscuraretur. Obstant Vngari, grauique armatura ictus facilè perferunt. Ex Vngaris hippobalistæ quidam audacissimi, concitatis equis, arduum montis cliuum conscendunt, è sagittariis quosdam obtruncant, perturbant eorum aciem, suisque succedentibus animos addunt. Salomon acerrimo succensus animo, nullam cliui difficultatem euitat: recta cum equitatu suo, quasi reptabundus hostem suppetit. Sub maxima spiculorum nube dentibus infremit, neque laborem, neq; periculum reformidat, hostem tantùm anhelat. Contra verò Geysa, longè consideratior, faciliorem cliuum prudentissimè

captat:

captat: quem vbi equitatui suo facilem & benignum inuenit, ea subit, repentè cum sagittariorum acie congreditur. Ladislaus in primis se inter cõfertissimos hostes inserit, primo impetu quatuor in fronte pugnantes interficit: dum quintum subinde petit, graui ab eo vulnere lęditur, sed ne impune quidem, quando hominem statim obtruncat. Diuina mox ope, virum Deo gratissimũ curatum ferunt. Hoc impetu consternati sagittariorum animi, cedere occœpere. Instant eo magis hi, atque in rasa Chunorum ex more capita, valde desæuiunt: ea, cucurbitarum more, districtis gladiis planè distringũt. Sed hic præclarum quoddam Ladislai facinus, præterire non possum: qui quum equitem quendam raptam virginem, equo auferre prospiceret, hominem continuò insectatur, vt sanctæ virginitatis assertor esse videretur: fugit hostis, hic pro virib. à tergo instat: & quum vulnere impeditus raptorem capere non posset, ad virginem exclamat, mira venustate præditam, vt se præcipitem ex equo dedat, hostemque secum trahat. Dicto celeriùs imperata præstitit puella, quam Varadiensis Episcopi filiam esse rebatur, opinione deceptus. Postquam Chunum equo deturbatum Dux magnanimus conspicatur, indignum fore ratus, nõ æquo cum hoste, & præsertim singulari certamine dimicare, ex equo repentè desiliit. Eamq; securi percussisse, ac assertori suo succenturiatam fuisse ferunt. Contrà alij, pro hoste supplicasse scribunt. Adiiciunt aliqui, equum Ladislai, non tàm viribus & pernicitate, quàm natura fuisse præstantem, quippe qui domini mandata nutumque mirificè obseruaret: cui mos erat, hostem morsu calcéque impetere, nunquam deserere dominum, & in periculo maximo miram ingenij dexteritatem adhibere. Superato iam medio cliuo, quum hostes se ab Vngaris circumuentos conspexere, defectis animis, quò fugerent, nesciebant. Dum feruntur diuersi, captiuorum multitudo facta seditione, & elato clamore, suos hortatur, iugum ipsa montis occupet. Ne qua spes hosti supersit, subreptis armis in hostium terga desæuit, eos in infesta Vngarorum arma deiicit. Tanta Chunorum strages in monte patrata, vt nuncius non superfuisse dicatur. Salomon igitur & Geysa cum Ladislao victoria potiti, liberata ingenti captiuorum multitudine, & gloriosa lætitia exhilarati, in Vngariam rediere. Is publicæ hilaritatis dies inter fastos relatus: gratiæ diis immortalibus, sacris hymnis actæ, & celebratæ supplicationes. Tres circiter annos in ocio permansere, magnáque inter Principes concordia viguit. Vix tertium annum exegerant, ecce à Mysia bellũ graue suboritur. Quippe Bessi, ac Bulgari, qui inferiorem Mysiam, & Danubij ostia (veluti suprà diximus) accolunt, traiecto Sauo ad Taurunium, quam Albã Grę cam nunc vocant, in Syrmium, inferioremque Pannoniam effusi, cuncta diripiunt, pecora cum hominibus abducunt: & remenso amne, rapinis onusti, in Bulgariam se recipiunt. Vngariæ Principes, huiusce mali Albenses auctores esse dicunt: quibus inuitis Bulgari, Bessiq;, in Vngariam nunquam traiicere potuissent: quare proditionis crimine acerrimè sugillantur. Et illud grauius Vngaris esse videbatur, quod à vicinis, iisdemque amicis, vnde minimè decuit, vastationes, prædas & incendia acciperent, fœdus ac pacem fregisse criminabantur. Proinde à Rege ac Duce Geysa, per feciales Albensibus bellum indictum. Habitus in vtraque Pannonia delectus, ad Zalankemensem pagum, qui sub Buda prope Danubium, ad septuagesimum lapidem situs est, primę copiæ conuenere. Ibi primùm castra sunt habita, & auctus legionibus & auxiliis exercitus. Et de vlciscenda Albẽsium proditione disceptatum, tandem de obsidione prius decretum est: ac motis subinde castris, ad Sauum vsque peruentum. Postquam in fluminis ripa constitere, prima hora diei promulgatum est edictum, vt omnes traiecto Sauo, Albam obsiderent. Milites dicto citiùs imperata faciunt. Bulgari, Thraces, Macedones, & Græci, qui tutandæ vrbis gratia illuc conuenere, his aduersari occœpere: & præsertim Græci, qui amnica classe Istrũ subierant, Pannonicam classem, quæ secundo amne defluxerat, iniecto igni comburere nitebantur. Contrà Vngari, irreuocabili fluxu in hostes delati, nauium multitudine, viribusq; freti, iniectas flammas ciliciis mox extinguere: prosilire

in celoces hostium, atq; in aquam deturbare nautas: hos pilis, gladiis illos impetere, nullum recusare discrimen. Sed secundo Marte succensi, nil magis quàm hostilem sanguinem anhelare. Illi verò irruētibus suprà nauigiis, quum obstare non possent, omnes vnà trahi, ac misceri. Demum Græci classe partim demersa, partim capta, qui superfuerant, coacti terga vertêre. Dum hæc nauali pugna geruntur, ne minus quidem prælium in Saui ripa committitur. Bulgari tandem cum auxiliaribus copiis, ab Vngaris inde reiecti, mox fusi, fugatique. Quippe nauali victoria consternati, ac sinistris his exanimati auspiciis, prosperè se pugnaturos esse diffidebant. Reiecto igitur terra mariq; hoste, Bulgariam, quæ vtranq; sibi Mysiam vsurparat, Pannones inuasere: ac regione longè lateq; populata, tertio die reuersi, Albam circumueniunt. Græci Bulgariq; in vrbe occlusi, imminens ex obsidione discrimen reformidantes, Bessos clam literis admonent, sibi subueniant, quando parui momenti foret obsidio, asseuerantes vrbem neq; à Rege, neque à Duce Geysa, sed à Vido tantùm regali comite legionisque præfecto, cum cohortibus Bachiensibus obsideri: proinde hos exorant, tempestiuam opem afferant, Albamq; obsidione liberent. Bessi stolida fide ducti, tumultuario exercitu coacto, repentè succurrunt: qui postquam castris hostium appropinquarunt, quum exploratam se victoriam adepturos dudum crederent, prædæ cupiditate perciti, in Sempronienſiū stationes irruêre, quorum Ianus præfectus erat, adoriuntur incautos. Contrà hi Bessorum impetum forti animo sustinentes, perbreui cæsis, qui in prima acie prostabant, cæteros inclinarunt. Quod vbi factum est, tam malè ab illis pugnatum, vt pars magna desiderata, reliqua capta fuerit: vix Bessorum principi, cui Cęsari nomen erat, cum paucis euadere licuit. Ianus ob rem benè gestam, multis donis, itē villis, & honoribus à Salomone, Geysaq; donatur: præda militibus concessa, & dena viritim sestertia distributa. Quum in edito loco ante vrbem Rex cum Principibus accumberet, eo die quo cum hoste consertum est, vnde facilè ab oppidanis prospectari poterāt, ecce milites cæsorum capita, item equos & hostium spolia ante mensam Regis contulere, ibiq; allata capita percensebant: vt hoc immiti tetroq; spectaculo, oppidanorum animos à pertinacia dehortarentur, ad deditionemq; conuerterent: quod à ientandi hora ferè, ad occasum vsque perdurauit. Post hæc de oppugnatione vrbis inter proceres disceptatum. Demum Principibus visum est, octenas circùm turres erigere, in castellorum speciē, quæ multò altiùs mœnibus imminerent: vnde non modò oppidani à propugnaculis ac muro amoueri, verùm etiam in mediam vrbem tela saxaq; torqueri possent, ac eas pluteis, machinisque aliis iuxtà munire. Item inter turres bellica tormenta disponere, ingerere vineas & arietes, admouere testudines, ac cętera instituere, quæ ad amoliēda mœnia facerent. Dispositis ex ordine cunctis bellicis instrumentis, vrbē primùm quatere, plerisq; locis muros aperire, instructa mox acie, subire mœnia. Cōtrà illi, mœnibus arcere, in subiectā aliquos fossam deturbare incipiunt. At vbi non facilè vrbē præsidio, loco, arteq; munitam, capi posse conspicantur, propugnaculis ac mœnibus ad solum vsque demoliendis animos intendunt, septo ac fossa eam circumueniunt, ne quid efferri, inferrive posset: deinde muros ariete, testudine, cæterisq; machinis vsque adeo quatere adorti, vt nunquam sanè cessarint, quoad solo ęquata mœnia conspexere. Quumque eam inuadere tentassent, tam forti præsidio sensere defendi, vt non modò intra muros cōtinere, sed ne erumpentes quidem hostes quandoq; incauti tolerare possent. Sexagesimus adhuc dies in obsidione teritur, nil tamen profecere: sæpe egredientibus ex vrbe oppidanis, vtrinq; cruenta nimis pugna dimicatum, at illi partim cæsi, partim intrò reiecti. Paulò pòst tres Bulgari, ne minore quidem robore, quàm audacia præditi, ex vrbe prosiliūt: hic iaculis, ille lancea, sagittis iste sæuit. Ex improuiso nonnullos aggressi, grauiter agunt. Salomon quidam hippobalista regius, ex his vnum lethali vulnere confodit, humiq; prosternit. Hunc Vngari moribundum rapere, contrà retrahere socij nitebantur. Dum is ita vltrò citroque distrahitur, & sat à suis retinere videtur, Rex statim exclamat, Vtinam talis

talis his, qualis maioribus nostris, virtus inesset, qua nunc freti res Vngaras tuerentur. Quod vbi milites audiuere, tres cōtrà ex Vngaris, in eos irruêre: quorū vnum Opum, Georgium alterum, tertium Borsum fuisse memorant: tanta vi ac ferocia adoriuntur, vt statim terga dare cogerentur. Opus ad portas vsque insequitur, sed mox oppidanorum telis saxisque reiectus, in castra rediit illæsus. Cadauer hostibus ereptum, Georgij Borsique suasu, ab Vngaris vnco tractum, in excrementariaq; loca proiectum. Vix tertium ferè mensem obsidionis inierant, quum Pannonica virgo in Syrmiensi agro capta, & Albæ in seruitutem asserta (quod an casu, an ex industria, vlciscēdæ captiuitatis gratia factum sit, ne satis quidem compertum habeo) clam in vrbe incendium suscitauit, quod Subsolano flante vsque adeo adauctū est, vt mox longè lateq; grassari videretur. Vngari, quà facilior dirutis mœnibus aditus offerebatur, hác vrbem subeunt. Bulgaros, Græcos, ac Bessos obtruncant, qui primùm occurrerant. Cęteri in fugam reuersi, cum Nicota eorum duce, in arcem se recipiunt. Capta vrbe, ac desidente postero die incendio, reconditi sub terra thesauri quàm plurimi patuere. Scrobes in plerisque locis inueniunt, in quibus aurum, gemmas, lapillos, argentum, ac preciosa pallia infodêre. Tanta diuitiarum deprehensa copia, vt nemo miles inditatus abierit. Quare inter Salomonem & Geysam suborta discordia. Qui autem in arcem confugerāt, deditionem eius pollicentur, si relictis impedimentis, redditaque arce, vita duntaxat & libertate donentur. Data fide Rex & Geysa, eos loco decedere, ac liberè abire iubēt. Quod vbi factum est, Nicota primus, prælata Diuæ Genitricis icone, succedente præsidiaria turba, ex arce descendit: & per almæ Virginis numē exorans, ad pedes Geysæ, quem religiosissimum pientissimumq; nouerat, se prouoluit. Ad Regis genua procidêre pauci, quippe quē inclemētem audiuerāt, & perniciosis Vidi Comitis consiliis auscultantē, qui & deorum contemptor, & hominum insidiator esse ferebatur. Quum Rex ex dedititiis hostibus plures ad Geysam, quàm ad se implorandæ salutis gratia, venire conspicaretur, animo vehementissimè commouetur, ira & liuore iuxtà absumitur. Ac ne satis quidem probabilem indignitatis causam reperire licebat. Capta Alba, solutisque castris, dum iter in Vngariam remetiuntur, in Buziæ pagum, & Vidi prædia diuertêre. Quumque ibi prædam, spolia, captiuosque, qui ex arce se dediderant, Rex diuidere vellet, nihil Geysæ intercessione fieri potuit: quo magis Rex succensus est. Hinc dissensionis & discordiæ augetur initium. Thesaurum Albæ repertum, ibidem nemine refragante, diuidere placitum est. Vidi, & Radoani Busaris filij, item Iliæ Vidi generi, Francique Episcopi consilio, quadripartita diuisio facta. Regi prima, secunda Vido, Iliæ tertia, quarta Geysę cessit. Vnde is indignatione summa corripitur. Sub hæc tempora, ab anno salutis septuagesimo ferè vltra millesimum, inter Boemos & Australes orta dissensio, ac bellum vsque adeo atrox, vt magnam cladem ediderit. His Leopoldus, Diui Leopoldi pater, quem Pium ex cognomento nominant, illis Bratislaus cum Othone & Conrado fratribus imperabant, è finibus bellum exarsit, quum arcta prius essent charitate cōiuncti. Morauiam ab Austria, non montes, valles, amnésve dirimunt, quando vndosa vtrinque planicies effunditur. Vnus duntaxat riuulus interfluit, quem Dian appellant. Hic primùm latrocinia inter finitimos pagos cōmitti, abigi, subtrahíve pecora. Mox prę facinorum impunitate, increbrescente audacia, vis palàm inferri, vicique vastari, ac ferro res agi, & suorum denique quisque fouere iura cœpit. E scintilla demum emersit incendium, quod vix multo deinde sanguine potuit extingui. Conradus Morauiæ diarcha Leopoldum sæpe literis admonuerat, suorum audaciam coerceret, inhiberet iniurias, & futuri belli causas extirparet. Nil præter verba is præstabat admonitus. Demum Bratislaum fratrem, ad coercendam Australium temeritatem & insolentiam, in auxilium exorat. Quin & auxiliares copias, quamuis suis non diffideret, Danubio planè demissas, à Ratisbonensi Episcopo, amicitiæ iure recepit. Demum ad Leopoldum, vnum è primatibus suis mittit, qui hostem edoceat, & hortetur, vt solenne conuiuium paret, vbi se Martis

1070. *Bratislaus.*

aleam lusurum esse profitetur. Quod vbi ritè nunciatum, Leopoldus non modò sacros milites, verùm etiam & euocatos vndiq; rusticos ad bellum cogit, ad statutum diem vtrinque conuenere cohortes, equitumque turmæ. Quum hinc & hinc instructæ acies constitissent, collatis concursum est signis, & tam infestis animis conserta manus, vt cruoris multum haurirent. Bradislaus, qui in sinistro cornu Conradum & Othonem fratres, in dextro Ratisbonensium auxilia, & in fronte se cum validissimo agmine collocarat, tanto impetu in Australes, qui in cuneum se redegerant, extemplo fertur, vt amplius sustineri non potuerit. Circumuentus hostis repentè concisus, Australium tanta cædes acta, vt pauci euaserint. Paulò pòst, ob vsurpationem alieni iuris, tanta inter Henricum Quartum Imperatorem, & Gregorium Septimum Pontificem orta seditio, vt Pontifex eum Augustali dignitate abdicaret, & Rodulphus Sueuiæ Dux, in eius locum à Germanis quibusdam Principibus sufficeretur. Qui quum ad Ellestrum amnem, collatis signis, cum Henrico prælium cõseruisset, non solùm victus est, sed abscissa dextera mori coactus. Quin & diro vulnere affectus exclamauit, Spectate (inquit) proceres, dexteram legitima supplicia expẽdentem, quæ fidem sacramento munitam, & Henrico meo domino datam, præter æquum & fas temerè violauit. Deinde quum infestis armis Italiam ingrederetur, capta Apuliæ magna parte, ad Canusium se Pontifici reconciliauit, Romam profectus, Augustalia insignia recepit. Circa hæc tempora, salutis anno octogesimoquinto supra millesimum, Iuditha Bladislai Poloniæ Ducis coniunx, & Bratislai Boemiæ Ducis filia diem obiit. Quæ quum multis precibus, cuncta numina, habendæ prolis gratia, sollicitasset, his demum inuitis filium concepit, intempestiuumque peperit, sed tertio die baptismate initiatus obiit. Duobus annis pòst, Henricus Imperator, habito Maguntiæ frequenti Pontificum Principumque consensu, Bratislaum, primum Boemiæ Poloniæque Regem declarauit, quæ Ducum prius imperio regebantur. Potestasque Egilberto Treuirensi Metropolitæ data, qui Augustali auctoritate eum Pragæ, quæ regia est metropolis, regalibus insignibus exornaret, is mandata peragens, eum cum Zuatana coniuge coronauit. His quoque temporibus, exorta inter Imperatorem & Ecclesiam fortè discordia. Henricus repetita Italia, Florentiam põtificiis partibus obstinatissimè fauentem obsidet. Gregorius Pontifex, habita synodo, nonnullos diuersæ partis Episcopos sacro munere abdicauit. Quare Imperator Vrbẽ obsidet, & capta Vrbe, in Adriani mole Gregorium tam diu clausum custodit, quoad Gregoriani, Roberti Guischardi auxilio freti, qui in Apulia dominabatur, eos qui obsidebant, abire compulerunt. Quinetiam non multo pòst ad expugnandam Florentinorum peruicaciam, eorum vrbem magna iterum obsidione circumuenit. Eadem fermè tempestate, Leopoldus Austriæ Dux cum Almanno Episcopo Patauiensi, cæterisque Principibus in Imperatorem coniurauit. Sueui quoque cum eodem ad Hoestetensem Danubii pagum dimicarunt. Octogesimo quoque septimo salutis anno supra millesimum, sextum cum Sueuis & Saxonibus ab Henrico Quarto bellum instauratum. Verùm vnde diuertimus, reuertatur oratio. Quum inter Salomonem Regem, & Geysam simultates & odia, hostilis prædæ partitione redintegrarẽtur, maiora indies incrementa inuenere. Quippe Græcorum Imperator, audita Ducis Geysæ liberalitate & clementia, fœdus cum eo per internuncios init. Quare omnes, qui ex arce deditionem fecerãt, à Geysa dimissi sunt. Contrà à Salomone, quicunque ad eum supplices venerant, violato iure deditionis, in captiuitatem asserti. Salomon quum longè maiore apud externos Principes gratia Geysam, quàm se pollere intelligeret, inuidia percitus, eo magis excãduit. Accedebat Vidi perniciosa suasio, maledicentiaq; lethalis, qui crebris suspicionibus, vtriusque animos irritabat. Augebat discordiam, & vt patruelem fratrẽ è medio tolleret, quotidie hortabatur, illud semper obiiciens, neq; regnũ duos capere, neq; vaginam geminos enses continere. Neque Maiestatem & Amorem, in vna sede residere posse, vnum Solem, & vnum (vt aiũt) Iouem homines intueri. Ad hæc dicere,
nihil

nihil regno suspectius, nihil homine ambitiosius esse, ingenitam esse cuique imperandi cupiditatem. Comparatumq; imperium neminem alteri, immo ne filio quidem concessurum. Et accidisse sæpissime, filium in patrẽ, contra patrem in filium, regnandi gratia coniurasse. Item Regem auctoritate, gratia, opibus & copiis præpollere, iisdemq; verbis ac variis criminibus suspicionẽ quotidie Regis augebat. Itaque tanto magis his irritamentis Rex æstuat, & non magis odio, quam inuidia vexatur. Fluctuabat indies animus, & quas potissimùm commentaretur insidias, impensiùs inquirebat, liuorem odiumque dissimulat, ostentat fraternam charitatem. Postulato cõmeatu, lubentissimè Geysam & Ladislaum,
10 oppida & pagos ditioni suæ dicatos reuisere permisit. Ex dedita non multo pòst industria, fratrem vtrunque literis accitum, ad capiẽdum Græcorum oppidum quod Nyr Vngari nominabant, proficisci iubet, vt pristinas Græcorum iniurias, qui cum Bulgaris Pannoniam inuaserant, vlciscerentur. Quod eo consilio à Rege fiebat, vt ambos in tempore caperet, aut quibusuis insidiis circumueniret, contra illi, sibi præcauere, nihilominus imperata facere. Ladislaus cum maxima parte ad oppidi obsidionem proficiscitur, Geysa cum cæteris Regem sequitur, ratus (sicut euenerat) Salomonem nunqua alterũ sine altero inuasurum, quod si faceret, Ladislaum absentem, vim fratri illatam cumulatè vlturũ. Postquam ad Nyr peruentum est, oppidani se largitionibus & precio redemere, ap-
20 pensáque multa pecunia hostem amouêre. Ad Cenen deinde vrbem reditum est, vbi corpora curarunt: mox inde profecti, alter ab altero diuertêre, Rex Strigonium versus contendit. Geysa Ladislaum præmonet, ad declinandas Salomonis insidias, ex oppido, quod Byhor appellant Vngari, in Roxanos, quos Rutenos Rossiósve nunc dicunt, è vestigio proficiscatur, eorumq; amicitiam auxiliumque, ad coercẽdam Regis iniquitatem ac dolos imploret, demum quæcunque ad tuendam salutem ac dignitatem facerent, summo studio moliatur, & curet. Interea agnatorum discordiam Principum rumor passim effuderat, & ita sæuæ vtrinque suspiciones emerserant, & assiduis mussitationibus augebantur, vt hinc & hinc ad fraternum bellum copiæ compararẽtur. Iam dum omnia
30 fluctuant, Pontificum quorundam opera, ad sedandam discordiam nuncii intercedunt. Hoc primùm conuenit inter eos, vt colloquij diem, in Danubij insula, prope Strigonium præstituerent, vterque octenis tantùm Episcopis associatus, ad colloquium veniret inermis. Ex composito ad statum diem venere ambo, vbi multa vltrò citroque obiecta, & confutata crimina, magna in purganda suspicione interiecta contentio. Tandem redintegrata pace reconciliantur, Geysa in Ducatum, in Albam regalem Salomon se recepit. Post hæc in obsidum speciem, Rex Vidum, dissensionis seminarium, ac Diis & hominibus abominabilem, & Erneum mansuetum, ad Geysam misit, qui diligenti apud eum custodia, præ timore proditionis seruabantur. Contra Dux ad Regem,
40 Varadiensem Episcopum, sceleratissimumque Vatham legauit, qui pari apud eum diligentia custoditi. Sed quum Salomon accepisset, tres è Noricis & Vindelicis Duces propediem adfuturos, qui ipsius precibus exorati, promissa aduersus Geysam auxilia ducebant, è Megyero pago mouens, extemplo ad Rapczhan amnem his obuiam occurrit. Contrà verò Geysa, quum neq; Ladislaum fratrem præsentem, neque parata amicorum auxilia tũc haberet, dato sex mensium commeatu, Vidum, Erneumque dimisit. Rex quoque Varadiensem Episcopum, & Vatham pari missione donauit, vtrorumque commeatus à festo die Diui Martini, ad Georgij vsque anniuersarium prorogabatur. Salomon proxima Saluatoris natalitia eo tempore, ad Castellum geminum (vt aiunt) celebra-
50 uit. Mox Zalam venit, vbi Marcarthus Alemãnorum Dux, & Vidus, prauis Regem consiliis circumueniunt. Hortantur enim vt Geysam omni auxilio carentem adoriatur, neque commeatus terminum, & quasi induciarum initium præstoletur: quãdo Ladislaus abest, & ipse sine copiis est, cõtrà Regi omnia abundè suppetunt, adsunt Alamannorum auxilia: quòd si hanc commodissimam occasionem elabi patiatur, nunquam aliam affirmant similem esse nacturum. Ve-

rũm quum Rex Saxardiam venisset, in cœnobiumq; diuertisset, ad vespertina sacra, Vidus iterũ, & plerique alij eum circumueniunt, consuluntq;, Geysam e-uestigio adoriatur, neque rem differat, quando Ladislaus frater eius in Rutenicam, & Lambertus in Poloniam, impetrandorum gratia auxiliorũ properarãt, vt regnum inuaderent, sibiq; tyrannidem occuparent. Demum precibus ac monitis Regem adurgebant, Ducem in Giuanensi sylua venantem, omni pręsidio & custodia destitutum, ac incautum aggrediatur, & capiat, captumq; excæcet. Ladislaum & Lambertum, quum redierint, fraterno casu consternatos, vltrò fugam esse arrepturos, ne minima quidem parte aduersaturos, etiam si auxiliares copias abduxerint. Deinde ademptum Geysæ ducatum, Vido fideli consiliario addicendum. Quare nulla firmiora regno fundamenta iaci posse asseuerabant. Rex consilio tali haud parum allectus, ad matutinum vsque se cogitaturum esse respondit. Monasterij antistes, Latinus genere, cui Villarino nomen erat, ex abdito loco dicta cuncta perceperat, ad Geysam clam nuncium mittit, vt sibi ipse caueat, tensarum insidiarum admonet. Dux accepto nuncio, sibi a Rege timere cœpit. Quod vbi Petrudus, Zunuchus & Bichassensere, qui proditionis causa apud eum versabantur, continuò iniectas suspiciones dissuadere, nihilq; timendum asseuerare conantur, antistitem ebrium dicere, & crapula distẽtum, tunc ista scripsisse. Proinde omnem metum amouere, vt securum & incautum Salomoni proderent. Horum aliquantisper dictis ille confisus, dum in sylua, quam Giuam dicunt, venatur, suscitata suspicione caruit. Vir tamen circumspectus, ne qua imprudentia caderet, Ladislaum è Rutenia Ruxiáve nuperrimè sine auxiliis reuersum, in Boemiam mittit, ad Othonem Bratislai & Cõradi fratrem, de quibus supra scripsimus, vt aliquas ab eo copias, defensandę salutis gratia imploraret, & hoc potissimũm tẽpore quo non pro dignitate, sed vita cogitur dimicare. Salomon autem, qui ad matutina sacra consulendi spacium postularat, & responsa promiserat, antequam ædem iniret, antistes, qui Geysam cœnobii fundatoris filium vnicè diligebat, protegendæ salutis gratia, anticipato tempore, in ædicula quadam delituit, vt tanquam è specula, Regis responsa exploraret, ne quid in amicum intẽderetur, quod ille inexploratũ haberet. Matutinis igitur sacris ritè peractis, Salomon & Vidus tantùm ad magnam aram in æde remanserat. Rex ista respondit, Se Vidi consilium commodum & salutare omnino sequuturum. Quód vbi antistitis hausere aures, extemplo sacro se habitu exuit, sagum subit, & lateri gladium accingit, conscenso equo ad Geysam, quem dormientem offenderat, euolauit. Euóque experrecto, Fuge (inquit) fuge Geysa, crudeles terras desere, iam dudum Salomonis copiæ hic aderunt, vt te capiant, obtruncéntve: quod ni feceris, iacebis. Dux audito periculo, quàm ocyssimè cogit exercitum, in Boemiam, quo frater paulò antè contenderat, euadere nititur. Sed rex Vidi suasu, cuius consilio cuncta gerebat, obuiam occurrit, vt eius fugam intercipiat. citra Rex, vltra Tibiscum amnem Dux agebat agmen, cui in Chemeiensi agro, à regio equitatu protinus occursum. Interea cohortum turmarumq; ducalium præfecti, ad Salomonem literas mittunt, seque conserta pugna à Duce defecturos, & victoriam parituros pollicentur, si integram apud eum dignitatem gratiamq; consequantur. Rex vincendi causa, adiecto etiam iuramento, postulata omnia pollicetur, & maiora, si promissa præstiterint. Quod vbi factum est, exploratam sibi victoriam ratus, Tibiscũ, quem Titiam appellãt, obdurata glacie sanè constantem, omnes sicco pede traiicere iubet. Trãsmisso amne, ad proximam basilicam in Nogiano agro sitam, aciem instruit, vt aperto cum Geysa Marte depugnet. Petrudus & Bycas ex composito, cum triplici agmine, à Duce deficiunt. Dux tamen a suis destitutus, necessitate adactus prælium detrectare non audet, & vno tantùm validissimo, eodemque quadrato agmine, aduersus triginta regia obstare non recusat. Proditores qui defecerant, ex composito data signa faciunt, clypeos eleuant in deditionis speciem, inclinatũ tamen Geysam sequuntur. Regiæ verò acies, quę signorũ commonefactæ non fuerant, eos haud aliter ac cæteros inimicos persequuntur,

parió; ferocia proterunt, & ad internecionem vsque trucidant, vt meritas proditionis pœnas luant, quod Diuino quodam iudicio factum omnes arbitrantur. Geysa profligato exercitu suo terga vertit. Transmisso Tibisco in Chotoydum agrum aufugit. Georgium Nigrum peculiaris ædiculæ sacerdotem misit, qui Ladislaũ suo nomine ocyssimè redire iuberet, imminentisq́; periculi causam enarraret. Iuancam quoque haud parum literatum ad Lambertum reuocandum concitauit. Er quum Vaciam contenderet, Ladislaum & Othonem è sorore affinem cum validissimo auxilio properantem offendit. Quos quum vidisset, in lachrymas statim effusus est. Quum fidelium interitus, proditorũ scelere commissus, tũc sibi succurrisset, facinorosorum perfidiam incusabat, & ab ingenti dolore magnam lamentorũ materiam educebat. Ladislaus, contra præstanti virtute munitus, modò fratrem consolari, modò fœmineos vlulatus seueriùs increpare, magnanimitatis, patiẽtiæ, ac fortitudinis admonere. Item dicere, Diuinam potius clementiam exorandam, vt iustis faueat, superbosq́; deprimat. Et quando potestas omnis à Deo est, definiendam Diuino iudicio controuersiam præstoletur, atque ita fratris animum confirmare. Prælium hoc ab ineunte vere, paulo ante quadragesimale ieiunium, in Cemeyensi agro gestum, vbi alterum ab Opo Martini filio, ex Vecillini genere nato, præclarum facinus patratum memorant: quippe qui Petrum, Geysæ equitem audacissimum, singulari certamine, traiecto pectore superauit. Mox in cæteros vsque adeo sæuit, vt facto virtutis suæ periculo, totus cruore madidus videretur. Salomon victoria potitus, stãtem, rigẽte bruma, Tibiscum traiecit, in Toroydumq́; pagum properauit, ibiq́; filij Petri hospitio vsus est. Atque statim nunciatũ, Geysam Ladislao, & Othoni Boemiæ Duci, cum auxiliaribus copiis aduenrantibus, occurrisse. Vidus tunc regem adit, monet, quum inimicorum exercitum profligarit, primores ceciderit, terroremq́; incusserit ingẽtem, nil amplius ei reformidandum. Geysam ad extrema redactum, sollicitasse seruitia, pagatim rusticos coegisse, vt ex hac ignobili manu castra repararet. Proinde haudquaquam cũctandum, reliquias inimicorum proterendas, ne quid à scintillis incendij suscitaretur. Demum Boemorũ auxilia, quæ aduenerant, se cum Bachiensi legione profligaturum pollicetur. Dum hæc à Vido, dissensionis auctore, disseruntur, Erneus, vnus è proceribus, vir optimus iudicatus, & amator pacis, lachrymas effundit. Quem vbi Salomon lachrymantem conspicatur, En (inquit) adhuc Geysæ beneuolentiam dissimulare nequis Erneu, neque meam æquis victoriam oculis spectare potes. Ad hæc ille, Nequaquam (inquit) domine, sed quis fratrem cum fratre, cum filio patrem, & ciuem cum ciue hostili more dimicantem, sine lachrymis intueri potest? Tu autem Vide, ne commodè quidem ac fidè Regi regnoq́; consulis, quando fraternum, cognatum, & ciuile bellum non modo approbas, sed suscitas, & incendis. Agrestem messoriamq́; manum in nos coactam iactas, quæ multo plus quandoq; metit, quàm cæteri omnes colligere queant. Proinde mihi pro Rege, quum res ita tulerit, vltrò mori certũ est, quid ipse facturus sis, nescio. Sed reconciliationis pacisque cõsilium multò salutarius inire possemus. Iisdem fermè temporibus, Iadrenses à Venetis ad Salomonem planè defecerãt, à Petro Vrseolo primùm capti, sed à Dominico Contareno, properata classe mox recepti, ne cæteræ Dalmatiæ vrbes ad Vngarorum fidem sese reuocarent. Rex igitur Vidi consilio fretus, motis castris, in campos præter Danubium Pesthuq́; diffusos, vbi comitia regalia haberi solent, quos à cancrorum nomine, Racos appellant, quarto die descendit. Contrà Geysa, Ladislaus & Otho in syluam, vbi Vacia nunc est, contendêre, quæ viginti milibus passuum hinc aberat. Magnum quondam ibi nemus fuisse aiunt, ab vno tantùm eremita habitatum, cui Vacio nomẽ erat. Hic humanæ vitæ miseriam abominatus, veraque resipiscentia percitus, in solitudinem istam se receperat, quo saluti suæ commodius acrutius inseruiret. quare virum sanctissimum euasisse, ac Geysam victoria deinde potitum, locatam ibi cum basilica ciuitatem, ab eo Vaciam nominasse ferunt. Quum in hac sylua, Ladislai ac Geysæ copiæ constitissent,

ibique Duces concilium haberent, vbi nunc Diui Petri ędiculam esse vidimus, atque de ineundo cum Salomone prælio disceptarent, ecce Ladislaus, quem Deo charissimum successus ostendit, quum Angelū delatam è cœlo coronam, fraterno capiti imposuisse aspexisset, Vidistine frater (inquit) quo te honore benignitas Diuina honestauit, & quàm dextris nunc auspiciis victoriam portendit? Cœlestis dudum è cœlo internūcius aureum tuo capiti diadema deposuit. Proinde bono nunc esto animo, quandoquidem propitia sunt nobis Numina, neq; fides nos nostra fefellit. Salomonem insolentia sua furentem fundemus, ac fugabimus, regnoque cedere cogemus. Contrà verò Geysa, Sic Deus omnipotens, in cuius manu sunt omnium iura regnorum, prodigia ista cōfirmet, quę tuis tantùm oculis patuere, quādo te tua pietas & religio augurem præstitit Diuinæ voluntatis exploratissimum. Quòd si tua te auspicia frustrata nō fuerint, nunc Diuæ Genitrici vota ritè suscipio, me rerum potitum, celeberrimam hic basilicam exædificaturum. Vix hæc dixerat, quum vexilla tolli iussit, & in villam proximam moueri castra, quam Zynthkotam vocant, vt postero die cum Salomone congrederetur. Inter vtrunq; Moniorodus mons assurgebat, quem vbi superassent, manum statim cū hoste conserere decreuerant. Sed imminente nimia nubium obscuritate, remorati, neque montem superarunt, neque pugnæ se commisere, in sequenti nocte, in sua quisque statione permansit, hostem expectans. Illucescente die Salomon instructa acie montem ascendit, seque è vertice inimicis ostendit. Quin & clitellariis mandauit, in iugo montis præsiderent, vt non impedimentorum gratia, sed præsidij loco ibi constituti esse viderētur. Ad hæc Vidus sæpe iactabundus, Regi affirmabat, hostes vbi regia castra viderint, continuò fugituros. Contrà Ladislaus & Geysa, qui suberant, planiciemque tenebant, vbi Salomonis copias suspexere, aciem prima hora diei, prout res ipsa tulerat, diligentius instruere. Ladislaus sinistrum, Otho dextrum cornu tenere, Geysa in medio se statuere, munire fortissimo præsidio quanque aciem. Ex Bihoriensibus Ladislai legio, Geysæ verò, ex Nitriensibus cōstabat. Diuo Martino Ladislaus ante initam pugnam, ædem vouit, si eius numine fretus, victoriam assequeretur, votoque potitus, haud ignobilem fundauit. Quum descendente in certamen Salomone, istorum exercitus præstantior videretur, Erneus his Vidum dictis aggreditur, Quónam hostes nunc, Vide, fugiunt, quos nostrum præ formidine conspectum minimè toleraturos esse iactabas? Si timent, cur à tergo Danubium habere non verentur? Sed longè aliter ac blatteras, res ipsa se habet, nimirum quando talem sibi locum optarunt (mihi crede) hos aut victuros, aut ad vnum morituros omnes, quum nullam sibi fugæ potestatem reliquerint, tandem decreuisse. Vidus ad hoc, temeritatis & insolentiæ conscientia correptus, obticuit. De Ladislao prodigium referunt, à viri sanctitate non absonum, quippe qui quum equum apprehensa lancea conscendisset, & vertisset in gyrum, vt & oratione & exemplo, militum animos confirmaret, veprem fortè inter flectendum hasta tetigit, cui quum mustela candidissima insedisset, veluti imminentis victoriæ nuncia, per hastam in ducis gremium gratulabunda delabitur. Spectate (inquit) hæc signa socij, quæ pręsentem nobis victoriam portendunt. Sub Diuina nos tutela dimicamus, quia pietatem cum religione colimus, Vngaricamq; gentem à Germanorum seruitute liberare contendimus. Salomonem delatoribus prauisq; consultoribus obnoxiū, in officio retinere nequimus. Egestatem, errores, exilium, ac difficillima quæq; pertulimus, ne cognato sanguine manus inficeremus. At vbi Germanorum consiliis, malè nobis, ac regno consultū iri vidimus, vnà cum publica salute, nostrā quoq; tueri enitemur. Piis animis nunquam Diuina numina defuisse nouimus, quæ nobis Iesu Christi optimi maximi benignitate, per quam propitia esse scitote, atque id ex candidissimæ mustelæ prodigio exploratum habete. Proinde fortissimis dimicate animis, & ex auspicato instantem victoriam capessite. Me autem recipio, si Deus annuerit, ita hodie pro regni commodo & salute pugnaturum, vt aut victorem ducem, aut inter confertissimos hostes pulchrè occumbentem specta-

ſpectaturi ſitis. Mox dicto celerius pugnæ ſignũ dari iubet,ipſeq; in primis magno impetu in hoſtem fertur,quod vbi videre milites,pari quiſq; ferocia certamen adoriuntur. Otho Boemorũ Dux,qui in dextro cornu præſidebat, haudquaquam minore impetu pugnam conſerit.Salomon,qui è monte in campum deſcenderat,in ſiniſtro cornu Vidum cum Bachienſibus,in dextro Erneum, ſe cum validiſſima acie in medio collocarat. Conſerta manu, Boemicus miles in Vidum vehementi vſq; adeo impetu fertur, Othone Duce, vt iactabundũ Regis Comitem,aliquantiſper obſtare conãtem inclinarit, inclinatumq; cum Bachienſibus, adauctis mox animis, inſigni ſtrage fugarit. Quod non immeritò, omnium iudicio, obtigiſſe viſum eſt, vt qui fraterni execrabiliſq; belli auctor fuerit,primus ipſe pœnas expenderet. Ladiſlaus ingenti pietate ductus, dũ fratri Geyſæ admodum timet,ex induſtria,ſigna cum illo commutarat,ratus vt acciderat,Salomonem in primis Geyſæ ducis agmen,extremis conatibus inuaſurum, quem paulo antè deuicerat, taliq; ſucceſſu fretum, cæterorũ facilè victoriam aſſequuturum.Quare fraternæ ſaluti intentus,omnem belli impetum in ſe conuertit. Neq; conſilio ſuo fruſtratus eſt,rex enim extemplo proſpectis Geyſę ſignis,maximo furore in eius aciem fertur,ſperans ſuperatum quãdoq; hoſtem facilè inclinaturum. Vix ipſe manum conſerere cœperat, quum ſibi non cum Geyſa,ſed Ladiſlao viro fortiſſimo ac inuictiſſimo rem eſſe intellexit,& cõmutata vexilla nouit. Continuò ſpe ſua falſum ſe intelligens, cum formidoloſo vſque adeo Duce haudquaquã dimicandum eſſe cenſuit, immo agmen aliò diuertẽdum,vbi melior ſucceſſus iam ſperari poſſet,quare dato tergo, in Geyſam repente ſe conuertit. Quum Ladiſlaus præ ſui formidine Regem aliò declinaſſe aciem cõſpicatur,eueſtigio eum inſequitur,inſtat à tergo,a fronte Geyſa obſtat,inter duos fratres ſe redactũ Salomon intellexit. Et quamuis à fronte cum validiſſimo agmine pugnaret,à tergo tamẽ grauiter cædebatur. In his anguſtiis collocato Regi nil aliud ſuccurrebat,niſi vt pro ſe quiſq; ad mortem vſque fortiſſimè dimicaret.Quum nullus declinandæ pugnę exitus videretur,victoriam hoſti nequaquã incruentam eſſe relinquendam reputabat. Ingens interea Alamannorum cædes editur, & non parua Italorum manus cum his pariter oppetere cogitur: quæ ne inulta mori videretur, non paucos ex Vngaris trucidauit. Ad poſtremum Salomon, cæſa maxima parte ſuorum, reliquaq; capta cũ paucis elabitur,ad Zygethſienſem vicum fugiens,Danubium traiicit. Opo Martini filius,ab eius latere nõ diſcedit. Tandem in Moſouienſem agrum ſe recepit, vbi cõiugem ac matrẽ eſſe nouerat. Ladiſlaus ac Geyſa,cæteris partim cæſis & captis, partim fuſis, à ſecunda hora diei ad ſerum vſq; Regem inſequuntur. In hoc prælio non ſolùm ex Alamannis & Ialis, verùm etiam ex Vngaris, magnus deſideratorũ numerus fuiſſe traditur:quin & victores,qui ſuperfuerant,magna ex parte vulnerati.Pius autem Ladiſlaus inſigni victoria potitus,vbi aliquantulum ſeſe collegit,& eorum qui ceciderãt,corpora luſtrauit, in profuſiſſimas lachrymas conuerſus eſt. Dum ſecum reputat,omnes qui ceciderant,in Chriſto fuiſſe fratres,deplorabat exercitus vtriuſq; caſum,& fortunæ poteſtatem incuſabat,in primiſq; humanam ſtulticiam, & huiuſce ſeculi cæcitatẽ deteſtabatur, quum nemini pacẽ & quietem ſperare liceat. Nam qui ad regnãdum nati ſunt, debita ſibi regna ſine multo ſanguine & periculo capeſſere nequeunt: qui verò ad ſeruiendum,quotidianis inſidiis à debitis obſequiis ſubducuntur. Hanc miſeram mortaliũ vitam,perpetuam procellam eſſe affirmabat.Illudq; vociferantius ſæpius ingeminabat,Huc me meumq; fratrem neceſſitas adegit, vt ſine fraterno bello neq; dignitatem,neq; paterna bona retinere poſſemus, nullaſq; ſedes formidoloſiores nobis, quàm auitas haberemus. Tantum malorũ apud patruelem valuere conſilia,& iniecta ſuſpicio, vt nihil ille miſer, exitio noſtro reputaret antiquius. Quin & tam iniquam iniuerat opinionem,vt tutiorẽ ſe cum exteris, quàm ſuis reputaret. O miſerum Salomonem, malis vſque adeo conſiliis obnoxium,vt nihil fraterna charitate deteſtabilius arbitraretur. O nos longè miſeriores,quibus non tam pro aſſerenda vita & dignitate noſtra, quàm re-

gni libertate certantibus, manus à nostro sanguine abstinere non licuit. Atque me præ cæteris dixerim infelicem, quem ad Diuina ministeria natũ & euocatum, fraterna charitas & regni ratio remoratur. Vtinam mihi pro his omnibus mori obtigisset, & pro publica salute deuouisse caput, aut pro scelerib. omnium vltimas pœnas exsoluisse. Nimirum Ladislao nil hoc laudabili ac salutari fato accidere potuisset optatius: ne me quidem patruelis odium, & fraternus amor ad hauriendũ cognatum sanguinẽ protraxisset, nisi protegendum esse fratrem, eundemq; futurũ regem, suis auspiciis Diuina benignitas admonuisset. Quòd si nefario bello mihi pugnandum fuisset, maluissem profectò etiam mori, quam certasse cum meis, & parui diuina monita & mandata fecisse. Tu autem clementissime seruator mundi, qui omnia mortalium facinora sanctissimo tuo sanguine expiasti, & ex corde preces supplicantium non aspernis, omnium qui hic oppetiere fidelium animos, maculis omnibus exue, ac perlustra, culpas dele, & ob sanctissimæ mortis tuæ memoriam, hos ab æterno interitu redime: priusq; me peccatorem maximum, & huiusce cædis auctorẽ, quàm hos qui ceciderunt, ex libro vitæ dele: quod vt impetrem, & tua ineffabilis in nos charitas, effususq; in cruce sanguis, & magnæ Deæ pientissimæ Genitricis tuæ exoratio, ac patrocinium efficiat. Ast vbi satis ploratum & conclamatum est, cuncta cadauera ritè sepelienda curauit, iusta cuiq; pro dignitate, ac votam Diuo Martino ædem in Monyorod, adiectis hostium exuuiis, exsoluit. Prouentus quoq; nõ mediocres adiecit, quibus assiduæ mortuorum celebrarentur inferiæ. E captiuis Marchardum Teuthonum, & Sentepolugum Boemorum præfectũ, cæso vtriusq; equitatu, ac ipsos lætali vulnere saucios memorant. Ne illa quidẽ Ladislai pietas silentio præteriri potest, quũ enim porrecta humi cadauera obequitaret, ne quẽ sui officij relinqueret expertem, vbi inter confertos hostes iacentem Erneum agnouit, non mediocrem pacis & ocij amatorem, equo repentè desiliit. Cruentumq; eius caput amplexatus, osculatusq; miserabiliter, Hiccine iaces (inquit) Erneu, amator pacis & fraternæ cõcordiæ, publicæq; salutis assertor vnice? Nõ hoc probitas, non equitas tua merebatur. Pacem, quã in hac vita non inuenisti, in altera benè merendo & moriendo comparasti. Cecidisti Erneu, cui probitatis iure viuẽdum erat, & longè maius hostibus, quàm amicis tui desiderium reliquisti. Eò vehementius tuum interitũ deploramus, quo ardentius pro cõmuni concordia priuatim & publicè contendere consuesti. Multa demũ conquestus miserabiliter super eum, postquam pietati factum satis arbitratur, de sepulturæ honore cogitat. Quarè continuò eius mandato, succollãtibus Ernei corpus militibus, eò delatum, vbi nunc Vacia est, ibiq; honorificè sepultum. Paulò vlterius inter cadauera agnoscenda victor ipse prodierat, ecce à latere, Vidi corpus offertur, non modò pectore, sed capite saucium. Quod vbi est agnitum, doleo equidem, ait, morte tua Vide, quamuis inimicum in nos animum nunquã dissimulasti. Vtinam tibi vltrà viuere licuisset, vt post resipiscentiam nos Salomoni reconciliare potuisses. Verùm si mortuos quandoq; percontatione vexare fas est, nimirũ illud mirantur omnes, si non regio nobiliue genere natus es, cur dominatum, ac regnum aliquod affectasti? Cur anhelasti coronam regiam, & supra conditionem immodica libidine æstuasti? Quare, vt quodq; peccans, præsentaneam sibi pœnam esse sentiat, cor tuum nimia ambitione saucium, adacta lancea pœnas luit, caputq; diadematis auidissimum, ne legitimo supplicio careat, gladio scissum est? His dictis, ritè sepulchro cõdi iubet, at equites, quicunque aderant, & infensum cadauer spectabant, vtpote cuius cõsilio tot fratres & filij occubuissent, ira perciti, in id sæuiunt. In patefactũ pectus, sæuoq; militum ludibrio propositum, puluerem obiiciunt, eoque oculos opplent exclamantes, Nunquã Vide, tui oculi honoribus ac donis satiari potuere, coniecta nunc terra, auidum pectus & lumina exple. Otho Boemorum Dux, qui affinitatis iure, auxiliaribus copiis Ladislao fratriq; subuenerat, abundè donatus, in Boemiam rediit. Salomon autem turpiter victus, ac regno ferè eiectus, quum in Mosouiensem agrum confugisset, & sapientissimam matrem adiisset, ab ea repentè dura

dura increpatione correptus est. Huccine, fili, parentis tuæ consilia aspernatus (inquit) peruenisti? Ad has te miserias, perniciosa Vidi consilia redegerunt, vt regio fastigio deturbatus, cæsis tot cohortibus, equitumq; turmis, solus, ac vno duntaxat Opo comite, egenus rerum omnium, nusquam tutum tibi locum inuenias. Si pientissimæ matri ac Erneo, cæterisque fidelissimis olim credidisses, quietè tutoque regnares, non minus obseruatus, quàm amatus ab omnibus. Si Ladislaum & Geysam patrueles tuos, vt par est, cum dignitate seruasses, dominatuque legitimo donasses, perpetuam tibi regnoque pacem & salutem comparasses. Quem tibi fidum fore iam sperare licebit, si tuis hostis esse cœperas? Quę maior insania esse potest, quàm secum reputare, alienos sibi, quàm suos, fideliores fore, deque alienis potius, quàm suis esse benè merendum, & de his præcipuè, qui nimia pietate, ac religione præcellunt? Ladislaus neque virtute cuiquam, neque charitate cedit, accedit vitæ sanctitas, & honestatis amor. Neque Geysam ab æquitate & modestia quisquam dixerit alienum. Quo cum officio & pietate commodiùs tibi certare licebat, quàm cum vtroque fratre? qui si à te pariter redamari, & non insidiis se peti sensissent, nihil dignitate, ac imperio tuo duxissent antiquius. Nunc autem tuorum consiliorum moderatorem tantùm Vidum habuisti, cui quando te concesseras, in deditionem te æquè ac tuos, ad vltimam internecionem redegisti, quos omnes vno tempore, ac vnius consilio perdidisti. Dum delatoribus facilè credis, minimaque iniecta suspicione ab his, qui tibi gratificari student, ad libidinem traheris alienā. Ad hæc ita Salomon ira excanduit, vt matrē plura subdere conantem, præter æquum & fas pulsare perrexerit, & iā fecisset, nisi Coniugis dextra remoratus fuisset. Cui incusato sæpe Deo, quē in bello sæpe iniquū habuisse querebatur, ac conserta aliquātisper conuitiorū duntaxat velitatione, furor subinde deferbuit. Relictis in Mosouiensi agro matronis, ipse collecta (quanta fieri poterat) manu, Pisoniū cōfugit, vbi se tutius habere, ac exercitū facilius reparare sperabat. Vngari, qui vicinos pagos incolebant, quotidie Regis literis sollicitati, parua ex parte ad eum conuenere. Quandoquidē Principis insolentiā, ac trucem animum Alemānis, quàm Vngaris æquiorē esse intelligebant. Hi tantùm sequuti sunt, qui ne quid per vicinitatem mali paterentur, inuita Regi obsequia præstare cogebantur.

RERVM VNGARICARVM DECADIS SECVNDÆ LIBER IIII.

POSTQVAM Geysa & Ladislaus victoria potiti, mortuorum corpora nullo sepulchri honore, pro cuiusq; dignitate, defraudarant, ac iusta piè persoluerant, motis castris, Danubium transmittunt, vt ad Albam regalē contendant, vbi frater natu maior diadema ritè suscipiat. At vbi Albam peruentū est, castellum portæ, quod Bobuch appellāt, item vrbem ipsam, cęteraq; oppida, imposito præsidio muniunt, quo tutius regnarent. Exauctoratis militibus, dimissisq; præsidiis castra soluunt, atq; ciuilius inter Vngaros sese gerunt, vt his liberū esset, eum coronare Regem, quem potissimum optarent. Succendebat Pontificum & Optimatū animos, hæc haudquaquam simulata modestia. Nam quod cæteri anhelarunt, hi virtute potius, quàm ambitione petere videbantur. Proinde habito frequentissimo cōuentu, Geysa maior natu, omnium consensu & acclamatione, Rex Vngariæ declaratur, & in sequenti die, ex more ritè coronatur, Ladislaus ab eo Dux regni pronunciatur. Rerum potitus vir ille optimus, nō ad sæuitiā vel ad voluptatem, sed ad religionem, ac soluenda Deo vota animū conuertit. Non immemor enim Diuinæ benignitatis, cum Ladislao in Vaciensem agrum rediit, vbi frater ei delatam cœlo coronam Angelū imposuisse dixerat: & quum de statuēda Diuæ Genitrici basilica, ibi cū fratre loqueretur, vbi Diui Petri sacellum est, ecce ceruus expansis cornibus insignis, quæ ardentissimæ faces circumsederant, præ oculis apparuit,

Geysa.

mox in fugam conuersus, syluam petiit inuestigabilis, ibiq; tantùm vestigia fixit, vbi ædes deinde collocata. Quem quum milites sagittis peterent, in Danubium se proiecisse, nec vsquã postea visum fuisse memorant. Ladislaus ostenti admiratione correptus, Nimirũ (inquit) Dei angelus erat iste. Sed quid faces in cornibus, ait Geysa? Mox Ladislaus, Non cornua, sed alæ, frater (inquit) neq; illæ, quas ardentes appellas, sunt faces, sed fulgentissimæ pennę. At vbi fixit vestigia, nobis locũ ostendit, vbi basilicam exędificaturi sumus. Quare vbi prima die auguria visa sunt, ne locus numine plenus, legitima religione careret, ibi diuo Petro ædiculã dicarunt, mox delubrum magnæ Matris statuerunt, multisq; villis & ornamentis donarunt. Diuæ quoq; Virginis ædem Budæ fundauerunt, cui Pesthana vectigalia, & tres in Symigiensi agro vicos addixerunt, elaboratissimis aureisq; vasis exornatã reddidere. Pòst vbi religioni ac votis factum satis arbitrantur, ad cõponendum regnum animum aduertêre, grauissima in sicarios, cęterosq; facinorosos promulgata sunt edicta, salutares quoq; leges editæ, inhibitæq; iniuriæ. Regnum, ne parua quidẽ ex parte pacatum, nisi quòd tãtùm Salomon victus supererat, qui Pisonium adhuc cũ Mosouiensi agro retinebat. Et ne Vngariam quotidie incursaret, Besseni intercessere, qui precibus instantissimẽ à Geysa Rege impetrarunt, vt data libertate, ipsis tantùm expeditionem illã delegaret, recipientes solos se eos fines a Salomonis impetu, immunitatis duntaxat beneficio defensaturos. Horũ postulationibus vltrò Rex annuit, si promissa præstarent. Extemplo Bessenorũ Princeps, cui Zultan nomen erat, coacto expeditissimo equitatu in Salomonẽ contendit. Qui vbi redintegratum in se bellum intellexit, Leopoldum Ducem Austriæ, ac Diui Leopoldi patrem, promissa ingenti stipe in auxilium aduocat. Atq; eo facilius ille in societatem belli veniebat, siquidem intelligebat rem cõmunem agi. Boemos hostes suos, Vngarorum esse socios. Othonem Bratislai sororem, in coniugem duxisse, & in bello, quod aduersus Salomonem sub Monyorod gestum est, magno his adiumento fuisse senserat. Neq; cladis a Boemis olim illatæ, facilè poterat obliuisci. Quare & precibus & largitione à Salomone exoratus, cũ eo fœdus init. Sed pusillum mox animum ostendit, nã vbi instructo equitatu, in Bessenorum cõspectu fuit, quos olim Bessos appellabant, truces hostium vultus cõspicatus, quam primum animo consternatus est. Nam illis mos est, vexillationib. vti, demissas ferre barbas, & labri vel maximè superioris nutrire pilos, caudata cristatáve secum ferre pilea, fluitantibus quoq; vestibus indui, iisdemq; sericeis, in Persarum morem, & equorum pernicitate admodum delectari. Illud quoque metum addebat, quum succurrebat Guilielmum Potum, ac nuperrimè Marchardum legatos legionum in Vngarico bello immaniter occubuisse. Quare vt timori diuerticulum inueniret, Dux Salomonem hortatur, quadragesimali tẽpore, quo animorum potius, quam corporum, & diuinarum magis, quam humanarum rerum habenda est ratio, à pugna abstineat. Quòd si omnino pugnare pergeret, vbi instructa est vtrinque acies, pro sua voluntate pugnaret. Demum polliceri se, quamuis dimicare non decreuerit, nunquam tamen permissurum inclinatam (quod dij prohibeãt) Salomonis aciem, æquis sibi oculis spectari posse, sed mox laboranti socio subsidio certo futurum. Quum obstinato manum animo conserturum eum aspexisset, ipse proximum montem, quẽ Bachin vocant, conscendit, veluti in Martiali spectaculo præsideret. Salomon cõtinuò cum Besseno equite, collatis signis, pugnam conserit: & eo quidem furore, quo iniuriarum omnium cumulatissima vltio proponeretur. Addebat animũ cataphractus equitatus, qui velites ac vexillarios facilè proterit Quare e uestigio terga dare hostis cogitur. Cæditur manus ne mediocris quidem, & in proximum stagnum, quod Fertheu dicunt, euadendi spe demergitur: cum paucis Zultan euadit. Quum res prosperè successissent, cæsis fusisq; Bessenis, Leopoldus pactam a Salomone pecuniam, ob subsidium, quod præstiterat, continuò postulat. At is nullam ab eo opem accepisse causatus, nil ei se debere respondit. Quin & illud addebat, eum non modò dedisse subsidium, sed ne aspectum quidem hostium præ timo-

Zultan.

re tolerare potuisse. Quòd si quid in ipsum acrius moliretur, apud Henricum Imperatorem, se diem indicturum interminabatur, cui sanguine coniunctissimum omnes esse sciebant. Cõtrà ille, reformidata Imperatoris sæuitia, se omni iniuria abstinere coactus est. Plerique non Leopoldum, sed nescio quem Hermichum Teuthonum Principem, vt Vngarici Annales referunt, fuisse volunt. Quippe qui ob linguę diuersitatem, nomina ita confundunt, vt Historię veritatem sæpe inuertant. Haud parum animi præsens victoria Salomoni addiderat, ac superiore clade grauatus admodum respirarat, statuit noua moliri, vt si quo modo posset, amissum regnum recuperaret, domestica in primis cura leuare se
10 statuit, vt quæ maiora sunt, expeditiùs disponeret. Agmundam igitur matrem, Ruteno sanguine natam, vxoremq; Sophiam, Henrici Tertij filiam, secum in Stiriam duxit, in monialiumque cœnobio reliquit. Deinde in Mosouiensem agrum se recepit, vt in Vngaros aliquid grauius moliretur. Quorum res quum successu magno indies cognosceret augeri, ad Imperatoris auxilium sibi confugiendum esse intellexit. Quare Henricum Quartum Imperatorem adit, cui quamuis magnam nummorum copiam attulisset, quo quidem stipẽdio copias assequeretur, nullum tamen militem ex Italis Teuthonibusque habere potuit. Quippe qui Vngarorum metu perculsi, nulla stipis magnitudine in formidolosam expeditionem conduci potuere. Quare eo vehementius apud Imperato-
20 rem Salomon in querelas exarsit, non tam sibi, quàm Imperatoriæ maiestati iniuriam illatam esse subiiciens, quandoquidem ad ius Romani Imperij spectare dicebat Vngariam, vbi cum Augustali auctoritate regnabat, imperata cuncta præstabantur, statuta vectigalia soluebantur: & nil erat, quod Cæsareæ ditioni non obtemperaret. Nunc postquam ipse regno, à quibus minimè decuit, eiectus est, legitima abnegari obsequia referebat. Nihilq; Cæsareo nomine in Vngaria infensius audiri: quin & in Germanos eorum Regem quotidie bella moliri, sollicitare finitimos, & quacunq; potest arte, in Henricum coniurare. Item Scythicum hoc genus nulla cõsuetudine molliri posse, cum immitibus populis facilè consentire. Contrà verò cum ciuili gente, ex qua præstare Germanã in-
30 telligit, nullo modo versari posse. Atque idcirco perpetuam cum vtraq; inimicitiam fuisse, ac futurã longè maiorem, ni solito legitimoq; iugo in ciuilem humanitatem asseratur. His igitur verbis Henricus Quartus ita succensus est, vt habito statim delectu, magnas in Germania copias compararit, auxilia nõ pauca coegerit, nõ ignorans quanto se apparatu Scythicam gentem adoriri oporteret. Commeatus abundè cum ingenti manu militum, instructa classe, Danubio deuehi imperauit. Ipse cum vniuerso equitatu, præter vlteriorem Danubij ripam, in Vngariam properat. Atq; vbi ad Vaghum amnem peruentum est, castra ponit, cum Præfectis equitum consulturus, in quam potissimum vrbem esset erumpendum. Nitriam, quæ proxima castris erat, primùm inuadere visum
40 est. Quare Salomoni legiones duæ, cum decenti equitatu datæ, vt Nitriam oppugnaret. Quibus copiis, quum de Semthe vico se mouisset, instructa acie ciuitatem adoritur. Contrà oppidani, pari audacia freti, aduersus hostes prodeunt. Incruenta aliquandiu cõserta manus, & pugnæ potius simulachrum, quàm pugna videbatur. Hi nunc impetere, contra illi terga dare, vicissimq; victoria modò his modò illis aspirare. Opos Bathor equo insidens, tali ludo nequaquã delectatus, & vir spectatissimæ virtutis habitus, acrius oppidanos vrget. Quin & per medios hostes cursum faciens, ad portam vsque peruenit, ibique spectante populo vnum interfecit, complures vulneribus affecit, & dum inter confertissimos hostes acerrimè dimicat, equum multis confossum iaculis amisit, ipse tan-
50 dem fortissimè resistens, ad suos incolumem se recepit. Alamanni spectatam equitis fortitudinẽ admirati, ad Imperatoremq; reuersi, illius audaciam ac vires prædicant. At is Opum cõfestim acciri iubet, qui postquam in conspectũ venit, mirificè laudatus, adauctum quoque stipendium, & non sine promissis ac præmiis dimissus est. Mox ab Imperatore Salomon interrogatus, An multi milites pari robore corporis & animi apud Ladislaum & Geysam forent. At ille magis

Opus Bathor.

Vngaricæ gentis, quàm propriæ vtilitatis charitate correptus, multos cõsimiles, ac longè meliores apud Geysam esse respondit. Quibus verbis consternatus Imperator, Si tales (inquit) hostes nactus es, nunquam (mihi crede) Salomon regnũ recuperabis. Postquam Rex Vngariæ Imperatorem, Vaciam peruenisse cognouit, arte sibi potius, quàm viribus cum Germano Principe agendum esse intellexit. Patriarcham Aquileiensem consiliorum Imperatoris moderatorem esse: Item cæteros Alamannorum optimates, illius dicta haud parum obseruare senserat. Quare nil sibi commodius fore intellexit, quàm si hunc & precibus & largitionibus obstringeret. Et non Patriarcham solùm, verùm etiam cæteros Germanorum Optimates muneribus obligaret, vt omnes dimittendam hanc expeditionem & in Germaniam continuò redeundum esse, Henrico suaderent, maiora his Imperio Romano imminere negocia, neque pro Vngaris res Germanicas periclitari oportere dicerent, item alij ad reuocandum Henricum varia commentarentur. Ne sua quidem arte ac spe Geysa frustratus est. Patriarcha Aquileiensis insomniorum auctoritate sua dicta muniebat, quibus ni Germanus quàm primum reuocaretur exercitus, præsentaneum interminabatur exitium. Ne minore quidem industria à Germanis principibus diuersa commenta excudebantur, nam in sequenti nocte in castris ex composito seditionem suscitant. Quosdam subornant milites, qui clamore, scutorumq; fragore exercitum circumueniant. Quod vbi factum est, magnus hinc horror Imperatorem ac vniuersos incessit. Tumultus ingens editur, & in lucem vsque passim fluctuatum. Mane autem coacto senatu, Imperator rem ad Patres refert, & de reuocãdo exercitu sententias rogat. Patriarcha, qui prę auctoritate viri, primùm sententiam dicere rogatus, ac ingenti pecunia corruptus erat, decernit, exercitum cõtinuò reuocandũ, inuito milite nullo modo dimicandum. Hanc expeditionem ex inauspicato susceptam, Germanum Scythico bello defatigatum, huiusce gẽtis feritatem abominari. Proinde ne, exorta seditione militari, Romanum periclitetur imperium, cõmodius videri, si ab Vngarico bello reuocetur exercitus: quod ni fecerint, apprimè verendum, ne externum bellum in domesticum transferatur. In Patriarchæ sententiam pedibus iuere cæteri proceres, qui pecunia quoque à Geysa coinquinati fuerant. Cæsar igitur suorum consilio deceptus, soluta expeditione, in Germaniam se recepit. Salomoni se excusat dicens, rerum grauissimarum necessitate reuocari, ac in posterũ, quum tempus dabitur, auxilium polliceri. Nunc potius rei suæ, quàm amici rationem haberi oportere. At Salomon vbi se ab omnib. destitutum conspicatur, magna desperatione circumuentus, Pisonium venit, Romanæ gentis opus, quod quum munitissimũ esset, ibi se tutò futurum rebatur. Prætorianam ibi tantùm legionem habebat, qua se ac vrbem tutari posset. Geysa pacato vbique regno potitur, ac Magnus ex cognomento dictus. quum huc Salomonem se recepisse Ladislaus accepisset, haud inscius patruelis insidiarum, nequaquam respirandi tempus illi dandum esse censuit, & ea vel maximè tempestate, qua à Germanis destitutum audiuerat. Proinde Pisonium continuò obsidendum decernit, non vt fratrem ad extrema redigat, sed vt inuitum fraternam charitatem ac ocium edoceat. Quod vbi factum est, ingens ex obsidione Salomoni adaucta est desperatio, vtpote qui subiectos iure regio coercere deberet, nunc ab eis contra ius & fas arctissimè obsideatur. Quare quotidie sui milites cum oppidana manu, in certamen prodire, conserere cruentam pugnam, & à desperatione sæpe vires sumere. Quin & vtrunq; Ducem mutatis insignibus, & adulterinis armis in certamen quandoq; descendere, & nunc strenui militis, nunc Imperatoris optimi officiũ agere. Sed illud quod in hac obtigit obsidione, quæ dieb. aliquot solui non potuit, silentio nequaquam prætermittendum. Ladislaũ memorant mutatis armis, meridie solum mœnibus appropinquasse, veluti aliquid exploraturũ. Contrà spectantibus cunctis, tanquam ad singulare certamen prodiisse Salomonem, quippe qui non hominem agnoscebat, sed Ladislai militem esse arbitrabatur, quum ad eum venisset, Diuino quodam ostẽto deterritum, e uestigio pedem retulisse.

Inter-

Interrogantibus deinde militibus, Cur hostem præter institutum & audaciam suam aufugisset? continuò respondisse, Se non hominē, sed Deos infestos perhorruisse. Spectasse duos Angelos, hostis humero desidentes, qui candētibus & infestis ensibus hominem propugnarent. Tali miraculo, eo magis post hac militem reformidasse & obseruasse ferunt. Item quicunq; milites, aut bello capti, aut ab ingēti rerum caritate deinceps ad Ladislaum peruenere, ad Salomonem tutò remissi, & ne pro meritis quidem ac dignitate indonati, quare tantum gratiæ apud hostes promeruit, vt pro amico ac Duce exoptatissimo haberetur. Post hæc quum Saluatoris nostri natalitia appropinquassent, hæc in Saxardia Rex
10 Geysa celebranda curauit. Eum Desiderius Strigoniensis Metropolita, cū vniuerso Pontificum collegio, procerumq; manu sequutus, inter sacrificandum de fraterna concordia, de humana charitate, item de publica pace ac ocio concionem habuit, neq; se, neq; auditoribus indignam. Hac vsque adeo Regis animus commotus, & ita resipiscere visus est, vt spectante populo, lachrymabundus ad Metropolitæ pedes se deiecerit, suum scelus ingenuè professus: Quòd Salomonis legitimè coronati regnum vsurparit, quòd verum regem exegerit, quòd ius denique alienum occuparit. Proinde se pœnitentia ductum publicè polliceri, vsurpatum Salomoni regnum, vt ipse tertiam regni partem, cum suscepta corona retineat, quæ ducalis quondam iuris erat, Salomon duas, cum primario dia-
20 demate possideat, quemadmodum olim possidebat, quæ iuris regij esse solent. Hac Geysæ resipiscentia ac dignatione, spectatorum animi vsque adeo prægestiente lætitia exhilarati sunt, vt Diuinis Regem laudibus extollerent, verè Magni cognomento dignum prædicarent, hunc patrem patriæ, ac pacis Vngaricæ auctorem ingeminarent. Legati ad Salomonem extemplo creati, qui pacis ac restitutionis conditiones deferrent. Quæ si placerent, tunc ei fore integrū Vngarici regni recipere potestatem. Legati mandata peragunt, responsa referunt, quæ de proposita conditione aliquid deterrebant. Sæpe vtrinq; Oratores missi, & vltrò citroque conditiones variè tentatæ, nulla tamen reconciliatio fieri potuit. Dum agitur de pace, Geysa aduersa valetudine correptus, quamuis nil an-
30 tequam è vita decederet, hac reconciliatione auidiùs affectabat, impos tamen desiderij, septimo calendis Maiis, rebus humanis excedere coactus est, desideratus æquè & deploratus ab omnibus, quando non minus virtutibus, quàm orthodoxa fide præstabat. Corpus Vaciam delatum, ac celeberrimo funere in basilica Diuæ Virginis, quam exædificarat, sepultum est. Annos tres regnauit, & primo regni sui anno maxima Pannoniam fames inuasit. Filiam (aiunt) Othoni Venetorum Duci desponsasse, illius virtute ac nomine impulsum. Acceperat enim hunc Petri Vrseoli fuisse filium, qui primus vniuersam ferè Dalmatiæ, Liburniæ, ac Istriç oram, suo ductu, Venetæ potestati adiecerat, ac filium in demortui locum continuò subrogatū, inito statim magistratu, Adrienses, qui Ve-
40 netorum fines infestabant, ad Lauretum inter Athesis & Padi ostia insigni clade superasse, fugasse Murcimirum Croaciæ regulum, quem alio nomine Heresimum Scriptores plerique nominant. Mox Dalmatiam Liburniamque lustrasse: omnesq; populos à patre olim domitos nouo iuramento adegisse, vt in posterum semper in fide manerēt. Sed quum nulla solida in rebus humanis videatur esse felicitas, scelerata Dominici Flabenici coniuratione circumuentū, abrasa illi barba in Græciam ocyssimè relegatum, & pauco pòst tempore mortuum fuisse perhibent. Post funeratum honorificè Geysam, de Rege eligendo Vngari cogitare cœperunt. Et quamuis Salomonem legitimum Regem in finibus haberent, quē tutò reuocare potuissent, & vt id facerent, quotidie literis ac
50 precibus, & quandoq; largitionibus sollicitarentur, nequaquam tamen Ladislaum mente obliterare poterant. Nam quoties de regni cōmodo & salute consultabant, nil sanctissimi Ducis probitate ac fortitudine succurrebat optatius. viri nanque iusticiam, pietatem, prudentiam, fortitudinem, & in primis sanctimoniam cum summa religione coniunctā memoria repetebant. Quippe quem neq; arridētem huiusce seculi fortunam magnifacere, nec ambitioni obnoxiū,

nec prauis libidinibus æstuantem, sed mortalia cuncta fastigia contemnentẽ, & perpetuæ castitatis obseruantissimum intellexerant. Accedebat animi magnitudo, robur corporis indomitum, item rerum verborumque constantia, inaudita popularitas, comitasque, ac suorum & cæterorum charitas ineffabilis. Quæ quidem omnia tantam sibi gratiam conciliabāt, vt nuncupatissimis hunc votis expeterent, & pronunciarent. Ne miracula quidem viri, memoria exciderant, neque fortissima gesta, quæ Ladislaum non solùm imperio, sed Diuinis dignum honoribus præstabāt. Item succendebat animos profusæ beneficentiæ liberalitatisque memoria, quam obliuioni nemo tradere poterat. Plerique hunc vnicum Vngaricæ pudicitiæ assertorem, confugium miserorum, sanctitatis exemplar, ac suæ gentis liberatorem ingeminabant, humanorũ officiorum hanc vnicam alij officinam prædicabant, mendici miseria liberati, depressi qui eius ope leuati fuerant, virgines raptu vindicatæ, dotéve donatæ, item boni illius tutela seruati, cæterique ex omni genere hominum, & ex vniuersis ordinibus eius beneficiis affecti, ad regalia comitia certatim conuenere, vt sine ambitione & nomenclatore vltrò suffragia redderēt. Hortabatur ad hoc omnes maiestas aspectus cum summa venustate coniuncta. Item proceritas corporis ex membrorum consensu valde spectabilis, cæteros homines humerorum tenus præ altitudine supereminebat. Et in dicendo iure, tanto temperamento vtebatur, vt non minus iustum, quàm misericordē reputaris, quare Pius ex cognomento dictus.

Ladislaus. POSTQVAM ad ista comitia Pontifices, Optimates, & ex oppidis ac vicis magistratus omnis conuenere, Ladislaum vno cõsensu regem declarant, & antequam in comitia descendisset, omnes regem consalutarunt. Dignitatem hanc obnixius recusantem, adurgentissimis precibus accipere coegerunt. Haudquaquàm enim eum fugiebat, quantæ molis, formidolosi ac fluctuantis huiusce regni gubernatio foret, quantique momenti, publicam subire personam, quum in priuata honestè viuere videretur esse difficillimum, & tot populorum ac gentium reddere rationem. Quin & cogitatio Diuini ministerii, quæ diu animo insederat, ab hoc publico remorabatur officio. Sed quum illud Platonicum veniebat in mentem, nos non modò nobis, sed patriæ & amicis esse natos, de republica quoque bene mereri cogitauit, victus tādem precibus, faustis regni habenas auspiciis accepit, regio diademate coronari nõ permisit: quia Salomonē adhuc viuere intellexerat. Iniquum enim reputabat legitimi Regis vsurpare coronam, futuram sibi cum eo concordiam sperabat, quam ex hac modestia promanaturam esse confidebat. Nec vnquam id insigne suscepit, quousque se legitimè hoc accipere non posse intellexit. Plerique id ob contemptum humanæ gloriæ factum memorāt. ad regni fastigium iam euecto, nihil profectò fuit antiquius, quàm basilicas fundare, incumbere religioni, sacerdotum collegiis abũdè prospicere, ad Diuinum cultum exemplo suo alios inuitare, & nihil colere vehementiùs, quàm pietatem, cuius officia ne minima quidem ex parte deseruit. At illud in Diuo Principe admirabile nimis est habitũ, quòd Diuino cultui, ac gerendis rebus iuxtà satisfecit. Neque alterum alteri impedimento fuit, quamuis vtrunque præstare, quàm difficillimum reputetur. In primis nanque data occasione res Vngaricas amplificauit. Quandoquidem Dalmatiam cum

Zelomirus. Croacia perpetuo iure, regno Vngarorum adiecit. Ea tempestate Zelomirus Rex Dalmatis imperabat, cui Ladislai soror, vxor erat, vir sine liberis, legato coniugi regno, vita decessit. Regina variis inimicorum iniuriis affecta, & eorum præcipuè, qui ad tyrannidem aspirabant, à potentissimo fratre petit auxilium.

Valeria. Ladislaus habito delectu exercitũ parat, Dalmaticamque expeditionem affinitatis iure suscipit, traiecto Drauo Valeriam vniuersam, quæ inter Sauũ Drauumque protenditur, in Dalmatas concitat, sororis inimicos continuò fundit, fugatque. Occupata oppida recipit. Pacatum denique regnum, quod breui bello recuperarat, integrum sorori restituit. At illa liberorum orbitate laborans, quum neminem haberet, cui regnum æquius legaret, fratri repentè ac posteris addixit, iussitque deinceps Dalmatiam & Croaciam vniuersam, Vngaricæ ditionis

onis haberi. Ex quo quidem tempore Dalmatis & Croacis Vngari iure imperare cœperunt. Ad Salomonem reuertamur, qui è Pisonio Romana colonia, assiduas regno excursationes Interminari videbatur. Omnes antistites proceresque Pannoniæ nihil maiore sollicitudine quotidie cogitabant, quàm de reconciliandis Principibus, è quorum cõcordia pax perpetua sperabatur. Nec res ista confici potuisset, nisi Ladislaum cùm iustitia tum pietas ingenita vicisset. Siquidem trucem ingenio, & animo inexorabilem Salomonẽ intelligebat. Neque prçteribat illud, patrueli potius quàm sibi, nisi viri crudelitas & ferocia inhibuisset, regnum hæreditario iure competere. Maluit tandem fraternæ charitatis, quam priuati commodi habere rationem. Hac igitur conditione fœdus ictum, & quarto regni sui anno, inita concordia, vt ea quotannis Salomoni stipendia penderet, quæ regiam addecerent dignitatem, adeundi tamen regni potestate careret, vnicus Vngariæ Ladislaus imperaret. Pacis conditionem Salomon accepit. verùm si fratrem constantẽ fore sensisset, Ladislaum aiunt, regio muneri vltrò cessurum, ducaliq; tantùm dignitate contentũ omnino futurum. Sed intercessere Proceres Põtificumq; collegia, qui Salomonis restitutionem, sancti Timiq; Regis abdicationem sibi calamitosissimam fore rati, nullam regni partitionem fieri passi sunt, quin etiam prius extrema se quæque subituros prędicabant, quam pientissimum fortissimumq; Regem & è cœlo datũ, ac propugnatorem inuictissimum deserant. Ne ignorabant quidem, quanta Vngaris mala imminerent, si in sæui Regis manus fortè reciderent. Inexorabilem eius iracundiam intelligebant, quod mox rei exitus ostendit. Reconciliatus nanque fratri dirus Salomonis animus aliquantisper acquieuit, sed mox vindictę occasionem è cõcordia nactus, de parandis insidiis cogitare cœpit, quod an pro subiecta suspicione, malorumq; consiliis, an pro resurgente iracundia fecerit, haud satis exploratum habeo. Illud tamen omnibus apertum esse debet, virum imperandi cupidum, ac regno exactum, nihil impensius, quàm de recuperanda dignitate cogitare, & non modò inconstantiæ notam aspernari, verumetiam vt voto potiatur, æquum & iniquum pro nihilo ducere, item fas & nefas sæpe confundere. Proinde Ladislai literis in Mosouiensi agro colloquium exorat, quo perpetuam inter se concordiam vehementius confirment, sperans sub hoc prætextu, eum per insidias facilè circumuenturum. Ad statum diem adfuturum se recipit Ladislaus. At is quum sub Diuina tutela foret, paucis pòst diebus clandestino admonetur internuncio, cum Salomone in colloquio sibi caueat, paratos à fratre dolos esse sciat, quibus ni prospexerit, mortis sibi periculũ imminere sentiet. Commonefactus ad hæc Rex, pari arte cum Salomone certandum esse intellexit. Quare postquam ad colloquium peruentum est, Ladislaus munitiore pręsidio fretus, quod dissimularat, deprehensum in fraude Salomonem circumuenit, cepitq;. Qui vbi se arte sua captum vidit, neminem profecto alium, quàm se ipse incusare poterat, & nisi imposita custodia foret inhibitus, de consciscenda sæpe morte cogitasset. Eius calamitatem, cœli quoq; prodigia significarunt. nam eodem anno tactam de cœlo Saluatoris crucẽ aiunt, quæ in Diui Stephani basilica apud Albam colebatur. Captus igitur Salomon Vissegradum ducitur, quæ vetus olim regia fuerat, in quem cõiectus est carcerẽ, non ad dehonestandam dignitatem, sed atrocitatem molliẽdam. Quin & solatij gratia Bodus adiectus, Boconis olim filius, qui facinorum grauitate, easdem pœnas luere cogebatur. Quanquam in fratrem Ladislaus plus æquo sæuire videbatur, vt indomitam eius iram sedaret, nunquam tamen die noctuq; à Diuina oratione cessabat, vt in fraternæ pietatis officium, cœlesti ope restitutũ hominem intueretur. Regno sæpe vltro cessisset, in ducatumque se lubentissimè redegisset, quem, ne regnum interturbaret assiduò, publicæ salutis gratia, etiam inuitus carcere coercere cogebatur. Sed quàm Deo abominabilis sit fraterna discordia, id potissimum ostendit, nam quum Diuus Stephanus in veneratione corporis, quod annis quinque & quadraginta delituerat, suum numen indicaturus esset, haud mediocre Ladislao Regi promendarum huiuscemodi reliquiarum de-

ſiderium inſpirauit, vt pro nepotis beneficio Diuinos ſibi honores compararet. Quare Patrum conſulto, & edicto Regis, triduo viris æquè ac mulieribus ieiunium indictum,& in delubris omnibus lectiſternia. Item ſupplicia apud omnes aras,vt aliqua diuinitus ſigna darentur,quibus omnipotentis Dei voluntatem intelligerent. Quarto die ad eius ſepulchrum frequentiſſimi cõuenere, vt è ſubterraneo fornice ſanctiſſimi Regis corpus expromerẽt,quod quum rentaſſent,lapis vi nulla amoueri potuit.Cõſulta virgo miræ ſanctitatis,quæ in Saluatoris cœnobio aſſiduò verſabatur, reſpõdit, Eos fruſtra niti, donec Salomon carcere liberetur. Ladiſlaus oraculo virginis auſcultans, eum continuò liberari iubet,ieiunium quoque triduanum cum ſupplicationibus indicit.Quibus ritè peractis, quum in baſilicam cum vniuerſa Pontificum Procerumque manu iterum cõueniſſet,tactus lapis,qui ſepulchro diu inhæſerat, facilè amoueri paſſus eſt, & Diui Regis erutæ reliquiæ. De Salomonis captiuitate Blondus Hiſtoricus longè aliter,ac rerum Vngaricarum veritas poſtulat,ſcripſiſſe viſus eſt, quum eorũ Annales non perlegerit.Nam anno decimonono Imperatoris Henrici,qui ſecundùm Hẽricorum numerum, qui Cæſares creati ſunt,Quartus,ſecundùm verò eorũ,qui non modò creati,ſed à Pontificibus max.coronati ſunt, Tertius eſt appellatus, magnam inter Gregorium Septimum Pontificem Romanum,& Imperatorem ipſum, diſcordiam exarſiſſe refert. Quippe qui contra æquum & fas ſimoniæ vitio percitus, Eccleſiaſtica & Diuina munera venundabat, nec Pontificia admonitione correptus, hac prophanæ auaritiæ labe ſe abſtinere poterat.Eodem quoque tempore ſubdit,Vngaros Salomone Rege ſuo in carcerem coniecto,quem Germanis reſiſtere neſcire dicerent, Henrico indixiſſe bellum, contra illum maximas in Pannoniam copias induxiſſe. Qua quidem tempeſtate, Agnes Imperatoris mater, adminiſtratione abdicata, Romæ vitam duxit. Seuerum à Põtifice mox edictum de Simonia promulgatum, quo nõ ſermone ſolùm,verumetiam aqua & igni Simoniacis interdictũ. Quin & hac lege multi notati ſunt Epiſcopi,qui Imperatoris inſaniæ gratificari ſtuduerant.Concilium quoque apud Lateranum ab Epiſcopis eſt habitum profectò frequentiſſimũ,quo Guibertus Rauennas Metropolita,& magna Lõgobardorum Epiſcoporum manus, item Matildis ſui ſeculi gloria, & matronarũ decus, ac Siſulphus Salerni Princeps,præ cæteris conuenere. In eo Robertus Guiſcardus Northmannorum Princeps, qui è Gallia cum exercitu profectus in Italiam, Apuliam fugatis ex ea prouincia Græcis & Aphris, occuparat, qui inuitis eam partem Italis vſurparant,& mox Siciliam,exactis Aphris,ſibi vendicarat,fratrique Rogerio dono dederat.Quum Picenum quoque agrum, pontificiæ ditionis habitum nuper occupare cœpiſſet, cum cæteris Northmannis anathematis nota ſugillatus eſt. Poſt varias tandem inſidias, ſeditiones, ac bella, Robertus malorum conſcientia percitus, ad eam humilitatẽ redactus eſt, vt ſupplex cum perpetui obſequij promiſſione, pontificiam veniam implorarit. Sed de his hactenus. Salomon igitur carcere emiſſus, paucos cum Ladiſlao Rege dies agit, nam in ſolitum furorem iracundiamque recidens, ad vlciſcendas iniurias animum aduertit.Et cum fraternis,item antiſtitum optimatumque cõſiliis ac precibus parum audiret,diſſimulata fuga,miſſionem petit. Diuerſus trahebatur infelix, & quem in Vngaros ac fratrem potentatum ſuſcitaret, ne facilè quidem ſuccurrebat. Si ad Henricum Imperatorem, à quo ſuo iure auxilium poſtulare poterat, cõfugiſſet,eum partim Pontificio,partim Saxonico bello diſtineri ſenſerat. Quamuis ille Saxones, cæſis ex ſuis hominum quinque milibus, inſigni clade ſuperarit. E Chriſtianis nemo ſibi offerebatur, à quo magnam opem ſperare potuiſſet, quare ad prophanos animum adiecit. Illud enim continuò ſuccurrit,Cutheſcum Chunnorum principem,Barbara manu potentiſſimum,vicinum regni, ac Tranſſyluani dominatus auidiſſimũ, ad hoc bellũ facilè ſuſcitari poſſe.Itaque Barbaricum clàm auxilium exorat,quo ſi in priſtinam dignitatem reſtitui poſſit,pollicetur,ac iuramento affirmat,ſe Tranſſyluaniæ regnum Chunorum ditioni perpetuò conceſſurum, accepturum quoque filiam in vxorem,

& æter-

Blondi Error.

& æternum cum eo fœdus percussurum. Barbarus inani spe tractus, coacta ingenti multitudine, in Vngariam erumpit. In primis duo castella adoritur, quorum alteri Ong, & alteri Borsua nomen erat. De Chunorum eruptione tumultus exoritur. Ladislaus confestim cogit exercitum, contendit in Barbaros. Vix rumori credere poterat, qui Salomonem cum Chunorum gente coniurasse referebat. Desperata tandē fraterna salute, continuatis itineribus in hostium castra peruenit, curatis corporibus, forti ita animo hostem aggreditur, vt dare terga coactos continuò fuderit, fugaritq;. Ex Chunis dena milia cæsa, ex Vngaris vix mille desiderati. Cuthescus cū Salomone clandestina sibi fuga salutē comparauit. Rex clara potitus victoria, cum ingenti præda rediit, fecit apud omnes aras rem sacrā, & supplicationes pro agendis Deo gratiis celebratæ. Spolia templis Deorum affixa, in victoriæ monumētum Diuina ope comparatæ, Saluatori erecta ædes. Postquam Salomon rem è sententia minus prosperè euenisse cognouit, mutato consilio, Chunorum vires in inferiorem Mysiam, quam nunc Bulgariam dicunt, subinde conuertit. Sollicitat Thraciam, prędis & rapinis vexat omnia, proinde Nicephorum Constantinopolitanum Imperatorem ad arma irritauit. Itaque Græci cū tumultuario exercitu, quando Chunorum latrocinia tolerare non poterant, his occurrunt, obstantque, facta pugnandi copia, Barbaram multitudinē tanto furore adoriuntur, vt in fugam verterint. Maxima Chunorum pars cæsa, cum Salomone pauci euasere, qui dato tergo, ad Istrum festinarunt. Quod eo magis facere cogebantur, quo vehementius phalangem Macedonicam instare à tergo cum valido equitatu respiciebant, timebant admodum, ne antequam Istrum traiicerent, ab hoste circumuenirentur. Augebat periculi magnitudinem fugæ difficultas, quando magna ex parte, qui cum Salomone aufugerant, grauis armaturæ milites erant, quorum is ope discrimen euasit. Accedebat spurcissimum iter, hyemisque sæuitia, quæ niuis turbine lumina præpediebat, quare neque præcedentes videre socios, neque expeditum iter facere licebat, ferebantur auij ac incerti, & à tergo cominus instabat hostis. Ad desertum tandem oppidum peruētum est, quod quum celerrimè incolumitatis gratia occupassent, confestim à Græco milite occluduntur, vno die tantùm ac nocte curata ibi corpora, & redintegratæ vires. Sed quum Salomon prærepta spe salutis, cum sociis loco euadere nullo modo posset, potius pulchrè mori, quam fame perire statuit. In sequenti die, ex oppido in hostes erupit, contrà illi obstinatis animis obsistere, circumuenire vndiq;, ne manibus elaberentur, at hi gladio sibi iter aperire, proinde sæua cædes oriri. Quum vtrinq; multi cecidissent, Salomon cum nōnullis ense sibi viam inuenit, & quum ad Istrum cucurrisset, sicco congelatum amnem pede traiecit. Mox citatiore cursu in proximam syluam se recondidit, vbi continuò socios curare corpora, equos pabulatum ducere iubet, ipse deposito scuto, veluti dudum reuersurus secretum petit, atque vbi se sociorum oculis eripuit, nusquam vltrà visus est. Hominem aiunt tot casibus agitatum, afflatum Diuino spiritu, & salutari pœnitentia mox percitum, se in solitudines recepisse. Quum castigantis Dei manum intellexisset, nō reluctando, sed cedendo à se declinasse, cumulatissimas in eremo pœnas exsoluisse. Et quo ferociorem se hominibus exhibuerat, eo mitiorem deinde se pręstitisse Deo. Sæuientem in se fortunam deinde laudasse, reputasse sibi felicissimam, quācunq; olim subiuerat, aduersitatem, ratum quemcunq; mundus oderit, Deo fore charissimū. In solitudine delitescenti mos erat, herbis ac pomis vltrò nascentibus sedare famē, corpus cilicio & subiectis quandoq; ferarum pellibus tueri, siccis frōdibus lectum sternere, vincere sitim aqua: somnum vigilia & labore captare: conficere perpetuo ieiunio corpus, ac die noctuque in sacris hymnis & Diuina oratione versari. O ineffabilem Saluatoris nostri benignitatem, cui quum placitū fuerit, durissima continuò corpora permollit, sapientiam inspirat, & ad salutē dirigit, trahitq;. Nimirum Salomonis Regis nemo satis resipiscentiam admirari potest, hominem animo elatissimo, indomita iracundia, regio genere natum, collocatum in regali fastigio, & versatū semper in deliciis,

extemplo postquam Diuinus eum spiritus incessit, ingenitam vltrò deposuisse superbiam. Pro trabea cilicium, pro purpureo strato frondes aridas, pro epulis regalibus baccas ac glandes, pro Syrmico sæpe vino palustrem aquam, & pro frequenti stipatorum manu, commutasse solitudinem, in eaque salubriorem quietem, quàm in regno inuenisse. Nil studiosius, quàm hominũ occursum colloquiumque vitasse. Colomanni Regis tempore, semel tantùm in Vngaria visum perhibent, & euestigio delituisse, nec vsquam amplius apparuisse. Ad postremum in syluis Istriæ degentem, in Deo obdormiuisse memorant, ac Polæ sepultum. Matrem verò, ac vxorem in Agmondensi cœnobio, quod in Stiria situm est, vita decessisse, ac reconditas esse ferunt. Ladislaus eum iam diu mortuum fuisse ratus, quum nusquam extaret, ad defensandum ab hostili impetu regnum omnes ingenii neruos intenderat. Quando in dextera salutem publicam se ferre, comissamque sibi gentem omni studio gubernandam esse intelligebat. Interea ecce iterum Chunorum furor erupit, & Copulcho Duce, Cruli filio, in Vngariã sæuitur. Primo impetu hæc innumera multitudo ferocissimam auriferamque Transsyluaniam inuadit, homines ac pecora iuxtà abigit, deuastat omnia ferro igniq; ue. Cui tantum immanitatis est insitum, vt nullam deorum hominumque rationem habeat: direptis rebus omnibus, populisque in seruitutem assertis, in templa desæuit, succendit aras, nec diis hominibúsve parcit. Populata Transsyluania, superatoque monte Carpatho (cui à nimio salis auriq; fossilis fructu, non iniuria nomen est inditum) extemplo in Bihoriẽsem agrum, vbi Varadinum est, properatur. Ad flumen, cui nunc Vnsoer est nomen, Chunorum castra locata, aliquot ibi diebus immoratum. Post hæc Tibiscum traiicere visum est, & in agrum, quem Thocaydum vocant, hi castra mouere, exercitum deinde in treis partes diuidere visum est, vna & altera ad vastandum Sabulẽsem agrum destinatur, ad incursandas Tibisci ripas tertia relinquitur. Depopulatis igitur ex composito regionibus, ad vicum quendam aquámve cõuenere, quam Bechen appellant, vbi intolerabili præda onusti, confestim redeundi consilium ineunt, gloriosè inter se iactantes, Belligerãdo venimus, & venando reuertamur. Ex immensa prædæ magnitudine, qua nil maius antè fuerat auditum, hæc insolentia exorta, quando innumera liberorum matronarumq; nobilium multitudo captiua abducebatur. Ladislaus, qui in Illyrico tũc agebat, & Sclauoniæ regnum à sorore legatum, & ab ipso antè propugnatum, ditioni Vngaricæ adiecerat, quando longè aberat, his rebus præstò adesse non potuit. At vbi in Transistriana Vngariæ parte edoctus est, à fera gẽte omnia diripi, initum iter properat, celerem præmittit equitatum, cum cataphractis ipse die noctuque subsequitur. Abeuntes Chunos, continuatis itineribus ad Themesium amnem cohibet, qui traiecto iam fluuio, se tutò in proprias sedes redire posse crebant. Postquam eò peruentum erat, vnde miserabilis prę da spectari poterat, aduocata concione, Ladislaus exclamat: Heu miserabile spectaculum, commilitones. Prospicite longissimum captiuorum agmen, vbi pro se quisque vxorem liberosque suos longo fune obligatos, pedibus longum ocyssimè iter facere coactos, & in miseram seruitutem properantes agnoscere potest. Ingentem exaudite vlulatum, vestrorumque infantium vagitum, qui è materno collo pendentes, earum coaugeant vociferationes, & vna cum eis à tergo respiciunt, si quam sibi opem videant adhiberi. Spectate, quo pacto aliæ, filiorum sarcina grauatæ desidunt, hostiumque calcibus suscitantur. Aliæ à dolore ignauiam causatæ, quàm immaniter à tergo vibicib. inscribũtur. Æquis adhuc oculis hæc spectatis Proceres, ac liberos coniugesque vestras passim cum matribus ad fœdæ gentis seruitia trahi toleratis? Proinde mihi potius mori statutum est, quàm abactis tot ingenuis hostiliter matronis, & tam ingenti liberorum turba, in quibus spes omnis regni sita est, turpissimè viuere. Mox lachrymarum profluuio confusus, rubraque simul vexilla inferri iubet, cæteri pari dolore perciti, fortissimũ ducem ne minore quidem animo subsequuntur. Chuni postquam se à tergo peti respiciunt, agmen sistunt, seque in aciem instructam redigunt. Acerrima confestim pugna

pugna conferitur, quando his timor, suorum charitas, & indignatio captiuitatis illis animos obfirmabat. In confertissimum se prælium Rex ingerit, & dum indulget pietati, neq; sibi parcit, neque pericula vlla reformidat, cadunt à principio vtrinq; multi. Interea captiuorum agmen properare iussum, à tergo sibi opem adesse prospectat, in adurgentes reluctatur. Viri ac mulieres cum liberis æquè se expedire student, soluunt reuinctas mutua ope manus, deponunt charissima matres pignora, vt à fronte suis opitulentur, quod vbi properè factum est, cum gratulatione voces edunt intensissimas. Infantes humi iam depositi, vbi se à parentibus destitui conspicantur, insolito spectaculo perculsi, pari contentio-
10 ne conuagiunt. Contrà à tergo viri passim exclamant, iubent bono esse animo, & lachrymas æquè ac sanguinem fundunt. Chuni in angustias se redactos vident, à tergo grauissimè cæduntur, à fronte impedimentis, & captiuo vel maximè agmine præpediuntur, in quo matronæ cum pueris ac senibus à fronte, pariter suis viris, qui à tergo instabant, fortissimè succenturiari videbantur. Nam senio grauati, pro vallo, dispansis brachiis obstare, sæpe ad protegendam imbellem multitudinem, pro clypeo corpus opponere. Mulieres quoque morsibus ac pugnis digladiari, rapere quandoque arma de manibus hostium, audacia ac spe iuxtà completæ, pueri quoq; subsequi, matrum exemplo tracti. Quare Chuni, à latere terga dare cœperunt, palantes fugiunt omnes, insequuntur Vngari. Quod
20 vbi à pientissimo Rege visum est, cõtinuò exclamauit, Parcite humano sanguini, parcite milites, sat cruoris hostilis effusum. Fugiẽtem capite multitudinem, vt si fortè ad orthodoxam fidem animum aduertere voluerit, Dei populum amplificemus, qua re nil Deo gratius, & nobis salutarius facere poterimus. Deferuente his verbis ira militum, quicunque superfuerant ex Chunis capti, vnus tantùm seruus, qui Escenibus dictus est, veluti memorandæ cladis nuncius euasit. Copulchus cum præstantioribus, initio pugnæ occubuit. Parta victoria, Vngari ad charissimum captiuitatis agmen, in libertatem dudum assertum conuolarunt. Repetit quisque suos, & non tam nomine, quàm voce agnoscebantur omnes, tanta insperatæ salutis ac tam lachrymosa congratulatio mox exorta, vt
30 hostes quoque humanitatis expertes pio spectaculo collachrymarent. At vbi publicæ rei seu congratulationi satis aliquantisper factum est, subito regis edicto supplicationes diis indictæ, celebrata lectisternia, & apud omnes aras omnipotenti Deo gratiæ passim actæ, & in perpetuum insignis victoriæ monumentum, Themesus amnis in hodiernum vsque diem, à clara infidelium cæde Paganus cognominatus est. Chunorum populi cognita ab eo, qui euaserat strage suorũ, publico luctu, indicto iusticio, Copulchi Ducis, ac cæterorum interitum deplorarunt, quum innumeram suorum manum captiuam apud Vngarum detineri sensissent, vno eodemq; bello & Ducis mortem vlciscendam, & eam à seruitute vindicandam decreuere, itaq; copias instaurant, & ad redintegrandum
40 exercitum seruitia quoq; sollicitant. Pro virili parte vndiq; auxilia contrahunt, item Cumanos, Hamaxobios & Rutenos in Pannoniam ciere conantur. Post hæc legatos ad Ladislaum mittunt, quibus mãdata dedere, vt Regem captiuos reddere iubeant, aut recusanti subinde bellum indicant, diemq; pugnæ præstituant. quum hi in Ladislai conspectum venissent, ex mandato captiuos insolentissimè repetunt, nulla præreuerentia vsi. Adiiciunt contumelias, & non veluti à victore, sed tanquam à subdito captiuos exposcunt. Quin & hos continuò dimitti, insolenter imperant. Ad futilia Rex verba subrisit. Ne imperiosa quidem verba dicens, addecere victos: & tunc vel maximè, quum à benigno victore sunt aliquid petituri, quod magni momenti esse videatur. Commemorat item
50 Chunorum iniurias, qui nullo Pannonum bello lacessiti, iam tertiò Vngariam inuaserint, & animo plus quàm hostili, homines ac pecora abegerint. Proinde huiuscemodi superbiæ nihil indulgendum esse affirmat, ac re infecta hos abire iubet. Qui prius quàm pedem retrò ferrent, e uestigio belli diem indicunt. Quàm primùm Rex munitissimũ cogit equitatum, oppidatim & pagatim homines euocat. Ad regni fines quàm ocyssimè contendit, vt ante diem hostibus oc-

u

curraт,néve hos regnum ingredi patiatur. Contrà ad prꝗstitutum illi diem cùm innumera multitudine adfuere, haud procul ab Istri ripa sabbato die ex composito pugnam ineunt, & cùm collatis vtrinq; signis, & obstinatissimis etiam animis pugnarent, nihil tunc Ladislao occurrit antiquius, quàm cum eorum Duce singulari bello certare. Quare declinato à plerisque congressu, passim Chunorum Regem inquirit, & vsquequaque discursans, Acum, Acum ingeminat. At ille peculiare prælium detrectare non ausus, extemplo adfuit. Inito congressu, & tentatis Ladislai viribus ita animo concidit, vt ad primum securis ictum capite nutarit, & adiecto mox ense transfossus expirarit. Spectata Ducis Aci morte, Chuni animo consternati, instantibus Vngaris terga dare coacti sunt. Palantes deinde fugiunt, passimque cæduntur, in insolentissimam Rex Barbariam vsqueadeo sæuiit, vt paucos captiuos fecerit. Ne minus quidē suorum ferociam in hostes, præter morem sæuire permisit, ne vlteriùs Chunico bello vexaretur Vngaria. Ad postremū insigni victoria potitus, opima diuo patri Stephano spolia retulit, cumulatissimas Deo gratias indictis supplicationibus exsoluit. Hæc igitur Ladislai tempore vltima Chunorum eruptio fuit, quamuis regnante Salomone, & vigente adhuc fraterna concordia, hæc gens (vt eodem loco scripsimus) magnum quoque Vngariæ detrimentum intulerit. Tunc enim traiecta Transsyluania, ac superatis montibus Carpathiis in Bihoriensem vsque agrum, vbi Varadinum est, ab his latè discursum & populatum fuit. Quo quidem tempore ingenuam virginem à quodam Chunorum principe raptam, a Diuo Rege liberatam, supra latè retulimus. Post Chunorum igitur stragem Roxanorum bellum exortum est, quos Rutenos nunc appellant. Regionem verò Ruxiam dicunt. Roxolanos Latini frequentius nominant. Ladislaus autem attritis Chunis, Rutenos aggreditur, quando eos in se Chunos suscitasse, misisse auxilia, ac hominibus commeatibusq; iam ter bellum fouisse nouerat. At illi meliori consilio freti, non armis, sed obsequio inuictissimum Principem superandum censuerunt. Ne consilio quidem suo falsi sunt, nam quum supplices eum adiuissent, ingenueq; culpam faterētur, & imperata se cuncta facturos planè reciperent, ipse confestim errata remisit, & clementi ita animo omnes amplexatus est, vt non tam vi quàm pietate hostem sibi perpetuò cōciliarit. Polonicum deinde bellum exarsit, quia cum Rutenis & Chunis in Vngaros coniurasse rumor erat. Nam sine magnis auxiliis, Chuni totiens in Vngaros bellum instaurare nequaquam potuissent. Ladislaus igitur, quum hostem potius audacia, quam cunctatione deterrendum esse censeret, post cæsos ad internecionem Chunos, & acceptos in deditionem Rutenos, in Polonos se conuertit, quos neq; necessitudo sanguinis, neq; vetus amicitia, neque vicinitatis iura in officio retinuere. Iam Sarmatiæ fines penetrarat, quum Polonorum occurrit exercitus, aliquandiu acerrimè pugnatum est, & vtrinque multi cecidere. Polonica tandem acies inclinatur, instat vehementius crescente spe Vngarus. Sed quum in fugam effunderetur hostis, illius impetus vltrà remorari non potuit, fugientem vsquequaque cædit, fugatque, & è victoriæ successu tantum animi victor accepit, vt quousque Graccouiam, à Gracco Romano ciue conditam, & Polonorum regiam non peruenerit, nusquam pedem sistere voluerit. At vbi ad metropolim peruentum est, Ladislaus vrbem acerrima obsidione circumuenit (eam Vistula fluuius influit, qui Scythiam Sarmatiamq; à Germania planè disterminat, in Sarmaticumq; Oceanum defertur) iam in tertium mensem prorogatur obsessio, ac magna fames, & rerum ferè omnium egestas iuxtà obsessos & obsidentes incessit. Commentum verò nouum inuenit ingeniosa necessitas. Intempesta nocte, Regis edicto, quisq; miles ocream galeámve effossa terra completā ante vrbis mœnia conferre iubetur. quod vbi factum est, congestꝗ terræ mox tumulus haud mediocris exsurgit, quem farina quàm primùm Rex aspergi iubet. Illucescente die, oppidani editissimum farinæ montē ante muros arcis aspiciunt, hostium cōmeatibus inuident, ac pariter admirantur, vrbanā commiserantur inopiam. Publicæ mox salutis consilium ineunt, se cibariorum egenos, & ad extrema re-

ma redactos, longam hostium obsidionem, qui re frumentaria diutissimè se munierant, vltra tolerare non posse, immo tanta iam fame laborare, vt vix in horam resistere liceat, quare in sequenti die sese cum arce dedunt. Rex castigata aliquantulum eorum peruicacia, post humilem deditionem, ius omne cum ciuitate restituit, in posterum admonuit, ne contempto amplius amicitiæ iure, in Vngaros quicquam molirentur, quod se facturos omnes recepere. Deinceps in Boemiam declinatum iter, vbi quum aliquot infestos habuerit olim sibi populos, exacta iniuriarum vltione, multisq́; in captiuitatem assertis, cum dexterrimo vbique eiusdem fortunæ tenore, veluti gloriosissimus victor in Vngariam
10 eum ditato iam exercitu se recepit. Quum post tot bella, se in ocium reuocasset, in Bihoriensi agro inter venandum cœlesti admonetur internuncio, vt ad Chrysium fluuium Diuæ Virgini basilicam dicaret, eamq́; adiecto populo muniret, quem locum magnæ Matri gratissimum futurum esse significabat. Diuina statim mandata præstitit, magnificentissimam ædem erexit, eiq́; Pontificem præfecit, oppidum fundauit, Varadinumque iussit appellari. Pontificiam ædem amplissima donatione, Diuini cultus gratia, exornauit. Quum Henrici summique Pontificis discordiam Germani iniquo animo tolerarent, eum ad capessendum Romanum imperium multis etiam precibus inuitarunt, quem quum obstinatissimè recusantem inuenissent, Rodulphum declararunt, Saxoniæ princi-
20 pem. Nihil auidius an[illegible]bat, quàm expeditionis Hierosolymitanæ præfecturam, vt pro eius Dei n[illegible]ue sanguinē effunderet, qui multo nos cruore à morte redemit. Eius sepulchrum, cæteraq́; delubra à fœda Saracenorum gente vindicaret, qui in prophanos vsus illa redegerant, ratus Saluatori suo nihil hac expeditione futurum antiquius. Augebat spem iam rumor effusus, Petrū eremitam, Gallica gente natum, ac mira vitæ probitate præditum, è sancta peregrinatione reuersum, Diui Petri iussu non modò Vrbanum Pontificem, sed Gallos, Hispanos, ac Germanos monuisse, Palæstinam, & Augustissima illa loca, vbi Saluator mundi & natus & mortuus est, omnino à Saracenis asserenda. Nec vltrà tolerandum, illa sacraria, vbiq́; Christianus quisque facinorosissimus facilè
30 expiatur, prophanis quotidie piaculis incæstari. Quando ingenuæ, quæ peregrè veniunt, matronæ nefandis ibi concubitibus fœdarentur, contra viri, aut inauditis cruciatibus orthodoxam fidem abnegare cogerentur, aut latrocinijs accędibus afficerentur. Proinde Petrum Apostolorum principem iubere Gallos, & Germanos hanc continuò expeditionem suscipere, Terram, quam sanctam vocāt, à fœda seruitute vindicare. Quin & Vrbanum, Petri eremitæ verbis admonitum, in Galliam profectum, ad Montemclarum in Aluernis frequentissimam habuisse synodum, cunctis qui aderant Principibus, vehementissima quadam dicendi copia, suscipiendam hanc sanctissimam expeditionem persuasisse. Godothredum, Eustachium, & Balduinum, præstantissimo Boloniorum genere na-
40 tos, Bonomaiæ Gallicæ regulos, item Podiensem Antistitem, Raymundum Ægydij Comitem, præterea Hugonem Magnum, Philippi Gallorum Regis fratrem, duos Robertos, alterum Normandiæ, alterum Flādriæ Principem, & Stephanum denique Carnoti regulum, sanctissimæ vltrò militiæ nomina dedisse. Quin & trecenta hominum milia, promulgato bello, deposita toga, sumpsisse sagum, dextrumque humerum signo crucis inscripsisse, quod anno octogesimo- 1084. quarto supra millesimum plerique contigisse memorant. Ac eodem quoq; tempore, impediendæ huius expeditionis gratia, Henricum ferunt, Roberto Flandriæ Principi bellum indixisse. Ad Ladislaum, salutari hac gloria succensum, & ad Bodrogum oppidum Paschalia festa celebrantem, ecce ex Gallia, Hispania,
50 & Britannia legati veniunt. Quinetiam Guilielmum Gallorum Regis fratrem, peculiares quosdam oratores misisse Pannonici referunt Annales, qui præ cæteris Regem instantissimè orabant, vt cum Pōtificia auctoritate, ac populi Christiani iussu, pro asserendo a Saracenorum potestate Saluatoris nostri sepulchro, hanc susceperint expeditionem, delegatam sacrosancti exercitus præfecturam, gubernationemque libenter acciperet. Neque sacrarum legionum recusaret im-

perium, quæ inexpiabiles infidelitatis iniurias sunt vlturæ. Rex pluribus exorari non permisit, Iesu Christo optimo maximo, quod tam præclarum facinus suę plebis Optimatibus inspirarit, deinde Christianorum potentatibus, vel his maximè, qui legationis officio gloriosissimam præfecturam detulerint, gratias egit. Sacram expeditionem laudauit, ac demum hilari fortique animo sanctissimum accepit imperium, legatos honorificè tractatos, & amplè donatos remisit. In illis item solennibus, cunctis Vngariæ Antistitibus Optimatibusq́; se expeditionem Hierosolymitanã eo anno perfecturum significauit. Quare omnes amplexatus, commendata Regni salute, tristes lachrymabundosq́; dimisit. Deinde ad Conradum Boemorum Ducem, Othonis filium, suumque è sorore nepotem, extemplo tabellarium mittit, qui delatum sibi Hierosolymitanæ expeditionis imperium significaret, iuberetq́; iuuenem se militiæ accingere, componere domum, exercitum ad vlciscendas Saluatoris iniurias pro sua virili cõparare. Lubentissimo animo imperata suscipit nepos, ad statum se diem adfuturum pollicetur, salutari expeditione admodum exhilaratus. Dum peregrino vterque bello se accingit, ecce Sentapolux, qui arctà iuuenem consanguinitate tangebat, Conradi Ducis nomine, ac intempesta nocte Pragam adit, capitque. Postero die à coniuratis honorificè susceptus, fauente Pontifice Pragẽsi, tyrannidem occupat. Conradus dominatu exactus, ad auunculum effugit, cõsanguinei facinus enarrat, implorat auxilium, paternamq́; fi[illegible], & antiqua benefic a memorat. At Rex meritorum Othonis haudquaquam [illegible]inemor, nõ modo auxiliares copias, sed pro restituendo nepote, se & Imperatorem & militem fore pollicetur, exercitum igitur continuò cogi iubet, & validissimum parat equitatum. Quin & alios ex fratre Geysa nepotes duos, bello se accingere præcipit, quorum alteri Colomanno, Almo verò alteri nomen erat. Almum Colomanno magis amabat, quando illum multi sanguinis effusorem, contrà verò hunc mitiorem è sapientia sua fore prospexerat. Quare Colomannum sacerdotio destinarat, vt dirum religione mitesceret ingenium, & consilio motus Agriensem Episcopum declarauit. Quod vbi nepoti significatum est, iu sequenti nocte in Poloniam effugit, ingenita ferocia ductus, neque veterum rerum ignarus, patrem & auum a Polonis olim honorificè exceptos. Plerique iuuenem nobiles sequuti, quorum principes Marcum & Vgram memorant. Colomanni fugam iniquo animo Rex tulit, improbitatem indolis abominatus. Comparatis tandem copiis, in Boemiam cõtendit. Vix fines attigerat, ecce eum morbus incessit, & languor ingens. Quare Principes Antistitesque omnes confestim imperat acciri, vt rebus consulat Vngaricis, & antequam humanis excedat, de futuro Rege disponat. Item ad Colomannum, Marcellum Presbyterum magna sanctitate præditum, & Petrum Comitem oratores mittit, qui suo nomine eum è Polonia reuocent. Increbrescente deinde ægritudine, conuocatis optimatibus, Almum mitiore ingenio, ac præstantiore indole adolescentem regno sibi succedere iubet. Mox ex testamento quæcunque apud eum bona comperta sunt, omnia basilicis cœnobiisq́; sacris legat, nullam in Vngaria ædem beneficentiæ suæ reliquit expertem. Postero die Rex ille sanctissimus, omnium populorum iudicio habitus, anno salutis nonagesimoquinto supra millesimum, tertio calendas Augustas, anno verò regni sui vndeuiceno, in Domino obdormiuit. Sine liberis aliqui decessisse ferunt, neque an ne vxorem duxerit, satis constat, nisi quod ex Epitaphio quodam sepulturæ inscripto ad Vispriniensem basilicam, in quam antistes quidam Gesla & Olhait reginarum ossa congessit, Epigramma tale est: Ladislai, sanctissimorum Pannoniæ regum consortum hic ossa quiescunt. Quod ego haud difficulter crediderim, quum Pyriscam Ladislai filiam, vt in Secundi Stephani gestis referetur, & Constantinopolitano Imperatori matrimonio collocatam, eorum Annales planè tradant, nomen Imperatoris prætermittunt, quem Emmanuelem fuisse puto. Corpus Varadini honorificentissimis exequiis sepultum est. Almus autem bona simplicitate ductus, ac natu minor, Colomanno è Polonia redeunti regno cessit, ne primogenituræ

fratrem

[Margin: 10, 20, 30, 40, 50; 1095.; Almus.]

fratrem iure defraudare videretur. Promulgato diui Regis interitu, tantus vniuersam Vngariam planctus inuasit, vt ne minimum quidem pagum inueneris, qui non assiduo planctu resonaret. Alij Patrem patriæ, pientissimum Regem ingeminare alij, pars vnicum regni seruatorem, propugnatoremque fortissimum exclamare, plerique Parentem pauperum, multi sanctissimum Principē, & virginitatis assertorē dicere, faustissimis omnes cognominationibus certatim extollere. Nemo autem pro dignitate laudare. Omnes in pulla veste, demissave barba Regem optimum ac pientissimum annos treis deplorarunt. Quies choreis ac ludis, & silentium cantibus & citharœdis indictum. Quisque sibi vltrò
10 festiuitatem inhibuit, ac interdicti passim ioci. Quem principem amiserint, subsequuta miracula ostenderunt. Quibus enim sacri corporis custodia delegata fuerat, dum Varadinum iter faciunt, corpusque deuehunt, quum labore, tum assiduo mœrore defatigatos, altissimus eos somnus inuasit, plus æquo dormitur, quin & ad tertiam vsque diei horam stertitur. Currus, cui corpus eius fuerat impositum, sine iumentis, quæ dudum pabulatum emissa fuerant, per se citatus, creditum sibi pondus rectà Varadinum effert, & tam rapidis vltrò rotis properat, vt ab expergefactis custodibus nunquam assequeretur, nec vsquam remorari potuit, donec ibi constitit, vbi Ladislai numen sibi sepulchrum optarat. Insuper inter sepeliēdum, quum vnus ex omnibus malè id olere diceret, in-
20 crepantibus cæteris, qui suauissimam odoris fragrantiā sentiebant, os illi in tergam repentè retortum, ac humeris vsque adeo mentum inhæsit, vt nullo modo amoueri posset, sed repentina correptus pœnitentia continuò exclamauit, Peccaui in sanctissimū Principem, ac Deo charissimum, & execrabili maleloquentia pium numen violaui, proinde sancte Ladislae, miserere mei. Deinde sepulchrum supplex veneratus, iratum sibi numen conciliauit, mentum, quod humero inhæserat, non sine obducta cicatrice auelli potuit. Nec desunt, qui referant cubicularium, Regem ad postes templi præstolantem, ac nimio moræ tædio affectum, repetita basilica, spectasse dominum diuina contemplatione ita subtractum, vt in aere pendentē intueretur. Item in omnibus angustiis ita pro-
30 pitia sibi numina habuisse dicitur, vt quum ipse per Getarum solitudines Bessos insequeretur, qui cum ingenti pecorum hominumque præda ex Vngaria properabant, & fame nimia laboraret exercitus, exorato Christo optimo maximo, in tantum mox ceruorum bubalorumque gregem inciderit, vt esurientem abundè militem pauerit. Erat præterea quidam miles, qui argenteam patinam a Diuo quondam Ladislao, patri dono datam, apud procerem non mediocrem oppignorarat, paucis pòst mensibus, reddita pecunia, pignus repetit. At ille eius pulchritudine captus, impudenter pignus abnegat, & patinam quam haberet, in loco pignoris habuisse, verum etiā semper suam fuisse asseuerat. Prætor contentiosam litem ita diremit. Patinam Diui Ladislai sepulchro imponendā esse
40 censet, & ab vtroque præreuerenter accipiendam, ac illi demū adiudicandam, cui impunè è loco sacro amouere fas erit. Vterque prætoris sententiam approbat, veritatis fit periculum. Imponitur sepulchro patina, qui pignus abnegarat, prior numen periclitatur; vix supplex sacrosanctum monumentum attigerat, cùm repentino morbo correptus, neque patinam capere, neq; loco moueri potuit. Aduersarius contrà, quum tumulo supplex appropinquasset, ac numen orasset, vt quod patri quondam primipilo dono dederat, nullius iniquitate filium defraudari pateretur, è vestigio suffragante Deo, patinam accepit impune, ac maximas Diuo Ladislao gratias egit. Qui verò membrorum syntomia torquebatur, placato subinde numine liberatus abiit. Nec se in cæcos, mutos, paraly-
50 ticos, aut aliquo naturæ defectu laborantes, minus officiosum exhibuit, quos quidem omnes diuina potestate curauit. Sed hæc omnia maius ocium postularent. Quare anno centesimotertio post mortem, miraculorum multitudine, quæ vim numinis testabantur, coactus Pontifex maximus Romæ inter Diuos retulit, atque eadem anatheoseos hora, se inter Diuos relatum ostendit. Siquidem puer ad sepulchrum eius allatus est, cui pro manibus ac pedibus informis

caro fuit, vbi neque ossa, neque neruos cernere erat: vix parentes pro filio vota susceperant, cùm pedibus ac manibus conualuisse norunt. Sed de sanctissimo Rege hactenus.

RERVM VNGARICARVM DECADIS SECVNDÆ LIBER V.

Colomannus.

DEFVNCTO Ladislao, Colomannus ritè successit, sed quomodo id acciderit, diuersa est opinio. Hunc aliqui Varadiensem fuisse Episcopum, è fratribus vnicum superfuisse, & ne regnũ à regia stirpe destitutum, in alienam potestatem concederet, optimatum iussu, & permittente summo Pontifice, adactum referunt, se sacerdotia dignitate abdicasse, ac regiam obiuisse potestatem, ne regnum suapte natura fluctuantissimum, hac potissimùm occasione iret perditum. Atque ab Vngaris idcirco Kenues Calman appellatum, quia canonicarum horarum librum Episcoporum more gestaret. Alij contrà (& verisimiliùs) prodidere, Colomannum audita diui patrui morte, è Polonia continuò rediisse, cedente Almo ritè fuisse coronatum, ac Ducatum fratri vltrò concessisse, quo tertiam regni partem sibi comparabat. Is animi potius quàm corporis dotibus pollens, aspectu turpi fuit & monstroso: quippe cui hispida & pilosa membra, neque inter se consentientia, haud mediocrem corporis contemptum afferebant. Accedebat lingua blesa, qua gratiæ conciliatrice nequaquam prosperè vti potuit, & gibbus à pectore prominens, item claudum ferunt, ac parum sibi æqnam sortitum fuisse naturam. At detrimenta corporis resarsit animus, siquidem callidus & astutus erat, cui docile ac versatile fuit ingenium. Verùm in homine libido potius, quàm ratio dominari. Animus crudelitate magis, quàm humanitate delectari. Præterea difficilis, morosus, suspicionibus ac furori nimis obnoxius. Pietatem parum colere, & multo minus inuidia carere. Quæ quidem vitia diutiùs delitescere nequiuere. Iam dudum in Germaniam fama diffunditur, & mox per Gallias passim vagatur, Ladislaũ Hierosolymitanæ expeditionis præfectum vita decessisse, Colomannum ex fratre nepotem ei subrogatum, vniuersum in obsequio tenere regnũ, item diuitiis & copiis æquè pollere. Quamobrem ne mediocris quidem tristitia regulorum omnium animos incessit, siquidem in Palæstino bello sanctissimum fortissimumque Imperatorem se amisisse reputabant. Vnicum his leuamẽ succurrebat, Colomanni nepotis memoria, quem à patrui sui probitate ac magnitudine animi non degenerare sperabant. Itaque oratores ad eum mittunt, hisque mandata dant, vt in primis amicitiæ officio fungantur. Communem è Ladislai morte dolorem iam conceptum referant, atque iuuenem consolentur. Post hæc pro regia dignitate, quam nuper iniuerit, ex more congratulentur, omneisque vires & auxilia deferant. Ad postremum exorent, vt delatum tot Principum nomine, sacrosanctæ expeditionis imperium, quod Ladislao paulò antè contulerant, lubenter accipiat. Rebantur enim iuuenem, quantum in se situm erat, illius vestigia imitaturum, & non minus nominis quàm regni hæredem fore. Sed longè aliter atque sperarant, res accidit. Nam quum legati in Vngariam venissent, & mãdata exposuissent, nihil impetrarunt. Quinctiam statim, vbi ante Regem constitere, præ infausta eius præsentia diffisi, se re infecta abituros arbitrati sunt, neq; (veluti accidit) quicquã boni ductu & auspiciis eius fieri posse credidere: rati, velut corpore, ita & animo, hunc Ladislao multò inferiorem futurum. Ille autem multa impedimenta causatus, obstinatissimè delatum sibi munus recusauit. Neque tantæ gloriæ renũciare puduit, nullis expeditionem copiis adiuuit. Quinetiam (vt paulò infrà referetur) eos hospitio transituque prohibuit, veluti hos non ad vindicandum sepulchrum, sed populãdam Asiam profecturos peregrè arbitraretur. At Principes spe sua frustrati, nequaquam propter hoc animo cõsternantur. Copias innumerabiles, & quæcunque bello sunt vsui, comparant. Mox alij

per

per Italiam, per Pannonias Thraciamq; alij in Asiam contendere. Nã Petrus eremita, expeditionis auctor, cum Balduino à fratribus per Germanos, Vngaros ac Thraces Constantinopolim peruenire nititur. Episcopus autem Podiensis, Hugo, Magnus, Raymundus & Stephanus, superatis Alpibus, in Italiam ad Romanum Pontificem conuenere. Mox tripartitò profecti, pars vna Barium, Brundusium altera, tertia Hydruntum abiere. Boemundus Guischardi filius, pari amore gloriæ tractus, se cum validissimo equitatu his socium addit. Colomannus quum per Germaniam & Vngariam hos iter facturos esse sensit, ne qua vis oppido vicoq; Pannonico inferatur, cogit exercitum. Quando non fidei gratia, sed prædandi cupiditate, hos extra fines proprios euagari reputabat, ex ingenio suo alios emensus. Quum inclytæ expeditionis exercitus regni finibus appropinquare sensisset, treis obuiam legiones præmittit, quæ Vngariæ iter inhiberent, aut parum auscultantes armis repellerent. Postquam sacra aduenere agmina, non solùm duces, præfecti legionum, & centuriones, verùm etiam gregarius quisque miles improbitatem Regis, quem tanto bello præficere voluere, quàm primùm admiratus est. Quippe qui Christi milites, & Saluatoris nostri tesseram ferentes, nulla religionis habita ratione, non modò nullis commeatibus & auxiliis adiuuit, sed præclusit iter, & interdixit, immo bellum pertinaciis obstantibus indixit. Ne parua quidem Ladislai commiseratio omnes incesserat, vtpote qui omni ex parte beatissimus iudicatus, degenere demũ successore fugillaretur. Postquam autem occlusum iter intelligũt, id ense aperire decernunt. Itaque agmen in aciem redigunt munitissimam, in medio impedimenta locant. Et post exploratores, velitum agmina præmittunt, obstãtes in finibus Vngaros forti animo adoriuntur, & proterunt. Mox cætera subsidia admouẽt, ne Christi legionibus iter impediant, néve cibaria pabuláve subtrahant, postquam auxiliares copias abnegant. in primo cõgressu ex Vngaris cecidere multi, qui impio Regis edicto ducti obstitere, in cæteros, qui terga verterunt, mitiùs actum. Dehinc inuito factum iter, commeatus allati, & exoluta hospitalitatis officia, item clandestinis multi donis, pars magna pecuniis, & aliis alij adminiculis, sacrã militiam pro facultate iuuarunt, ne edicti sæuitia punirentur. Rex vbi pro libidine sua rem minimè successisse conspicatur, cùm pudore, tum iracundia succensus, ad Themesum amnem castra locat, veluti inita iamdudum pace, eos abire permitteret. Hi postquam ad Zemlinum peruenere, oppidum continuò obsident, expugnantq;, ne quæ ad postremum à Colomãno sibi tenderentur insidiæ. Capto Zemlino, commeatuũ gratia, quos innumera multitudo postulabat, vniuersa regio diripitur, ac præda omnis eò congeritur. Mutato deinde mox consilio, Rex cum his pacem init, cibariorum ac rerum omniũ copiam reficit. Ex principibus quéq; pro dignitate donauit, & pro resarcienda iactura nominis, quando maximam infamię notam sibi inustam esse intelligebat, nullum humanitatis officium omisit. At illi, reconciliatis ex beneficẽtia animis, per Daciam, Mysias ac Thraciam, Constantinopolim venere. Quod vbi factũ est, quum Alexius Imperator profusam sacræ militiæ licentiam ægrè ferret, nihil diligentius & affectatius curasse visus est, quàm vt primo hi tempore Thracium Bosporum transmitterent, in primisq; ductor Petrus eremita, probitatis potius quam militaris disciplinæ cõpos, etiam inuitus in Asiã traiiceretur. Traiecto exercitu, Raymundus Germano sanguine natus, dux creatur. Mox Nicomediã, Niceamq; versus mota castra. Paucis pòst diebus Turcorũ insidiis circumuentus, cum magna suorum clade ad hostes transfugit. Dum hæc in Bithynia geruntur, cęteri Constantinopolim principes conuenere. Traiecere tandem omnes, & ad Nicomediam copias coniunxere. Quod vbi factum est, Niceam vnito consensu obsident, Bithynię metropolim, quę ab initio Antigonia, ab Antigono Philippi filio, deinde Nicea, à Lysimachi coniuge fuit appellata. Hæc & loco & opere munitissima, haudquaquam facilè poterat expugnari, magno Turcorum præsidio defendebatur, præter ipsam ingens lacus erat, quo auxilia, commeatus, & cuncta quæ vsui erant, inuehi poterant. Quin & sexagin-

ta Turcorum milia superuenere, qui laboráti dudum vrbi subuenirent, quibus partim cæsis, partim reiectis fusisque, adhuc vrbs capi non poterat, nisi Alexiana classis lacum inuecta, in coronę speciem eam circunstetisset. Quare desperato auxilio, oppidani paucis pòst diebus deditionem faciunt. Vrbs Alexio tradita: qui deditionem fecerant, vnà cum rebus omnibus Constantinopolim commigrare iussi. Vix quatuor dierum itinere fortè præcesserant, quum nuncij vndique veniunt, innumerabilem Turcorum ac Saracenorum multitudinem appropinquare dicentes. Nondum aciem eduxerant, quum mira pernicitate hostis adfuit, conserta pugna, à mane ad serum vsque pugnatum. Inaudita Barbarûm cædes edita, præda incredibilis inde relata, cuius magnitudine omnis expeditionis inopia abundè resarta dicitur. Solymanus Turcorum dux, dissimulata clade, ante pia castra discurrit, obuia cuncta diripit, spoliatque, ne quid alendo hosti relinquat. Post hæc iter per aridam siticulosamque regionē factum, ad Iconium tandem peruentum est, haud procul à Tauro monte remotū, quod in Boemundi potestatem statim cōcessit. Curata ibi corpora, & refectus admodum exercitus, mox præ Turcorum insidiis, quadrato agmine iter fieri placuit. Quum Heracliæ appropinquassent, oppidani præsidio destituti, vltrò supplices his occurrunt, deditionemque faciunt. Balduinus & Tancredus, quum id præsidio carere sensissent, Tarsum properant, facilique deditione potiuntur: oppidum his cæterorum principum consensu traditum. Insuper vtranque Armeniam maximis copiis adoriuntur, oppida præsidio destituta haud difficulter capiunt, eaque omnia Palinuro Armeno, qui signa crucis sequebantur, Galli duces concessere. Deinde adita Cappadocia, Cæsaream capiunt. Receptisque nonnullis oppidis, & præcipuè Sura & Murensi vrbe, superato monte Tauro in profusissimam irriguamque planiciem descenderunt. Et Antiochiam obsedere, vrbem olim clarissimam, duodecim milibus passuum à Cilico mari remotam, cui arx munitissima ad exortum solis, duplex in gyrū murus, alter latericius, ex quadrato lapide alter: item sexaginta turres supra quadringentas, & piscosus prope lacus. vrbi Cassianus Rex dominabatur, Babylonici Regis stipendiarius. Boemundus ingenti ferocia percitus, primus in vrbem impetum facit, fugatoque frumentario, qui obuiam occurrerat equitatu, vrbanos commeatus intercipit, quibus militarem admodum famem declinat. Dehinc vrbē obsident, ac in longa obsidione, non tam perniciosa fame, quàm formidoloso Barbarorum bello laborarunt; quin & plerique ductores inedia & labore perterriti aufugere. Ex quibus Petrum eremitam, Guilielmum Carpentanum, Tancredi Boemundi necessarium, præ cæteris memorant, qui veluti desertores, non sine ignominia ex fuga reuocati, ac nouo militiæ sacramento sunt adacti. Iam nonus mēsis obsidionis agebatur, & hinc sæua fames, hinc ingēs hostium numerus adurgebat. Quare ex ipsa desperatione est parta victoria: nam cum hostibus in conspectu vrbis acerrimè dimicatum est, quippe qui media ex parte cæsi, cæteri fusi fugatique. Galli & Germani hac victoria confirmati, ad expugnandam Antiochiam animos multo vehementius conuertere. Ad postremū eodem ferè mense, Pyrrhi Antiocheni proditione, ac intempesta nocte vrbē occupant. Cassianus Rex auersa porta elapsus, in propinquos montes se recipit, vbi ab Armenis inter vagandum cæsus est. Capta Antiochia, paucis pòst diebus sæuissimum bellū cum Persis exoritur. Nam cum Corbana, præfecto Regis Persarum, & Sensadolo Cassiani filio, haud procul ab vrbe prosperrimè dimicatum est, ac incredibilis abducta præda, quando centum ferè milia hostium ibi cæsa creduntur, & præter equorum ac iumentorum numerum, camelorum circiter quindecim mil: a sunt abacta. Quum victores se in vrbem recepissent, Boemundo Normanno, præfectus arcis, quam hactenus atrociter propugnarat, eā vltrò dedidit. Antiochia omnium suffragiis, excepto Raymundo, qui aliquātisper intercesserat, Boemundo tradita. Quarto autem mense, hinc motis castris, Rugia & Albania vi capta est, & imminente hyeme exercitus in hyberna redactus. In sequenti autē vere Tripolim adoriuntur, mox Tortosam, Gybellumque recipiunt. Cum Tripolitano

[illegible] Rege, quia vrbem tribus iam obsessam mēsibus, haud facilè expugnare poterant, [illegible] actum, æquioresq; conditiones oblatæ: quippe quem pecunias, arma, & commeatus pollicentem, in fidem continuò recepere. Dehinc Betelon & Zeberim properatum, vbi magna siti laborauit exercitus. Tertio die ad Brani amnem castra locauere, hinc per arduos montes iter factum. Et quinto die Beritum peruenere, maritimam vrbem, mercatoribusque celebrem. Inde profecti decimo die ad Cęsaream, demum Hierosolymam venere, tripartitò vrbem obsedere, ad portam protomartyris, quæ ad Septētrionem spectat, Nortmannus & Flandrensis Comites, ad Occidentem Gothofredus & Tancredus, 10 ad meridiem, montemque Sion Raymundus metatus est. Vnde quadragesimo obsidionis die, quum Balduinus per tabulata quædam cum legione validissima primus in vrbem penetrasset, patefecissetq; portam, vrbs capta ab ortu Saluatoris vndecē esimo anno supra millesimum. Turris Dauidis in deditionem accepta, satis superq; in omnem ætatem sexumq; sæuitum, miserrima in templo v[illegible] que cædes edita. Quare in pedis altitudinem supra pauimentum ibi cruor excreuit. Infelix profectò ciuitas, continuatis tot excidiis obnoxia, quando, vt vetustiora dimittam, a Ptolemęo primo Ægyptiorum Rege, deinde a Tito Vespasiani filio, item ab Adriano Imperatore, & a Carolo Magno, & nunc a Gallis & Germanis euersam legimus. Gothofredus omnium suffragiis Rex Hierosolymitanus declaratus, qui quamuis cætera regni insignia accepisset, coronam tamen pertinacissime recusauit: exclamans, haudquaquam fas esse, Christianum hominem auream in ea vrbe gestare coronā, vbi Christus Rex maximus spineam pertulisset. Paulò pòst quum ingens hostium multitudo aduentare nūciaretur, quæ vrbem ab Europicis eriperent, cōtinuo his occursum, atque non procul ab Asdoua ductu & auspiciis Gothofredi feliciter pugnatum, & cęlis fusis que hostibus clarissima est relata victoria, vbi centum milia hominum ex A[illegible] ticis cecidisse perhibent. Quingenta in certamen milia hostium descendisse plerique tradiderunt. Ad Colomanum itaque redeamus, qui postquam dimissis sacrosanctæ expeditionis exercitibus, in regiam se recepit, Almumque fratrem ad sua oppida redire permisit, maledicentium opera, magna inter vtrunque fratrem intercessit suspicio. Aliqui huic, dum gratificari studēt, pręcauendas fratris insidias admonent, contra verò plerique alterum edocent, ne quo fratri modo confidat, quem nunquam dolo carere, sat exploratum haberēt. Ex inita suspicione simultas oritur, e simultate mox in apertas inimicitias ac bella prorumpitur. Quid plura? fraternum indicitur vtrinq; bellum. Et ad Tibiscum amnem, ac Varkhon oppidum, cum validissimo equitatu Rex properat, contrà Almus haud procul ab oppido castra locat, Tibiscus inter hos medius interfluit. Iam pugnæ dies instabat, quum bonorum quorūdam opera, paucorum dierum induciæ fiunt, & de fraterna interim concordia agi cœptum. Proceres vtrinque cum militibus sine ducibus cōuenere: quum seniores plerique sententias dixissent, [illegible] potissima visa est, & in eā mox decretum factum, qui de intestinis Vngariæ bellis, & quæcunque mala Petri Salomonisq; temporibus acciderant, compositè & copiosè dissęruit. Non fas esse fraterna bella fouere, neque redintegrare ciuilia, neque pro duobus fratrib. omnes ire perditū. In summa iniquum esse, quum nulla sit Vngaris inter se dimicandi causa, eos nullo modo intestinum prælium conserturos, neque in eare ducum imperio auscultaturos, [illegible] autem fore integrum, si sæua pugnandi libidine rapiantur, singulari certamine dimicare. Quicunque re verbòve faueant, capitales iam futuros, demum Vngaros, duelli victorē pro Rege habituros. Approbata vulgo sententia, Graecus ad Regem, ad Almum Ilias mittuntur, qui decretum nuncient. quod vbi re[illegible]c, duces continuò castra soluêre, ac a fraterno bello manus abstinuerunt. Nam quum Colomannus (vt aiunt) luscus, claudus & gibbosus esset, non æquo Marte cum Almo certare posse videbatur. Deinde mutato Rex consilio, quum resipisceret aliquantulum, in Rutenos, quos Roxolanos olim appellabāt, arma vertit, ratus multo melius fore, domi colere ocium, ac arma foris agere, quàm

1099.
Turris Dauidis.

intestino,eodemque calamitosissimo bello periclitari. Comparato igitur maximo exercitu, in Rutenos contendit: postquam fines adiit, hostili more cuncta igni ferroq; deuastat,homines ac pecora passim abducit. Quod vbi reginæ nunciatum est, cui Lance nomen erat, Colomanno obuia prodiit, profusis lachrymis supplex,ad pedes hostis procidit, exclamans veniam ac pacem orat. Pro viri sui rapinas deprecatur,instantissima supplicatione amplexatur genua,vt Rutenis ignoscat. At Rex impudentissima efflagitatione mulieris offensus, hanc præter dignitatem regiam calce repulit,haud fas esse referens, maiestatem Regis fœmineis vlulatibus incæstari. Sed illa vi reiecta,elatis in cœlū manibus,diuinam opem ingeminat,diramq; repulsam incusat. Aduentarunt insuper Chunorum legati,qui multis precibus,Rutenorum veniam ac pacem orabant. Nullis tamen precibus Rex exorari potuit. Interea Ruteni Mircodem Chunorum Ducem cum auxiliarib. copiis acciuerant,& vtrique quinque ferè milibus passuum prope Colomannum metati sunt. Quum legati desperata pace rediissent, pertinaciamque viri retulissent, extemplo curatis coporibus, secunda vigilia noctis, & quadrato agmine,incautum hostem adoriuntur,& præ insolentia nil tale formidantem,protinus in castra carris circunsepta impetum faciūt,irrumpuntque,somno & labore grauatos obtruncant,& expergefactos obstantesque partim proterunt,partim in fugam vertūt: nam improuiso impetu perculsi, alij fugere, resistere alij,pars arma edito clamore capessere. Non statario,sed tumultuario quisque prælio vti. Ad postremum desperata salute, palantes omnes fugere, syluarum disquirere latebras, & ita vitam tueri. Ruteni, præ indignitate rei,& fortunæ dexteritate, vsquequaque sæuire. Quare Vngarorum exercitus ad internecionem vsque ferè cæsus, vix cum paucis nobilibus Colomannus euasit. Veterana enim legione munitus,cæsis compluribus, reliquis maxima ex parte vulneratis,erupit. Quem dum Chuni insequuntur, Euczen, Almasi genere natum, ac virum fortissimum, cum magna manu suorum, item è Pontificibus Cupam & Laurentium,multosque alios sagittis intercepere. Instabat à tergo Monochus,vnus è Chunorum principibus,in quem Matthæus prætorianæ cohortis præfectus se conuertit,audaciam hostis repressurus. At ille mox auersus spicula mittit, Matthæique pedem sagitta traiicit: quo vulnere præpeditus, iam in hostium manus peruenisset,nisi clypeis expediti socij protexissent. Exin Petrus Monochum adoritur,& à sagitta fessum capit,vulneratque, viuumq; ad Regem ducit. Iulas quoque Comes traiecto pede, vix è manibus Chunorum euasit, quo tabifico vulnere paucis pòst mensibus in Vngaria expirauit. Vngari igitur castris exuti magnam in ea strage iacturam fecere, quando amissis impedimentis,vestibus, præterea vasis,armis opibusque regalibus, pauci superfuere. Qui in syluas effugerant,præ inedia,calceorum soleas igni arefactas deuorarunt. Hāc Vngari cladem ita insignē fuisse tradidere,vt cæteris anteferant. Eodem fermè tempore, duos è priore vxore liberos Regem accepisse dicunt, Ladislaum & Stephanum. Ex quo genere mulier illa fuerit, & quod ei nomen, nō reperio. Post hæc Nortmanni vniuersam Dalmatiæ ac Græciæ oram, Rogerio duce,qui Boemundi frater erat, infestare cœperunt. Veneti, qui maritima quædam paulò antè in Dalmatia occuparant,quum cætera & præsertim mediterranea iamdiu Vngari possiderent,veluti in hunc vsque diem retinent, fœdus cum Colomanno percussere,quandoquidem ad vtrosque propugnatio Dalmatiæ pertinebat. Conditionem fœderis Rex haud inuitus accepit,ratus vt accidit, si sub amicitiæ prætextu Dalmatas reuiseret, veteres Vngarorum socios, ac Pannonicæ ditionis auidissimos, aliquando fore, vt in fidem sui regni facilè reuocarentur. Icto fœdere,hi confestim expeditissimos equitatus,ingentem classem illi comparant: quam vbi conscendere, Brundusii portum occupāt, captæ vrbi præsidium imponunt. Mox in continentem effusi,longè lateque Apuliam populantur,homines ac pecora iuxtà abigunt,& vbi satis superque onustā classem, & locupletissimum quenque esse sensere, in Dalmatiam se recipiunt. Ne Colomannum quidem spes sua frustrata est. nam quum videret Venetos Scythica

... expeditione occupatos, & modò cum Nortmannis, modò cum Patauinis propugnatoribus bella gerere, ipse iure fœderis liberiùs in Dalmatia diuersari cœpit. Quem quum illius oræ nobiles tutius adirent, continuò admonebantur, vt pristinæ libertatis, & Vngaricæ societatis memores essent, seq; quum hi voluerint, omnes à misera Venetorum seruitute lubētissimè vindicaturum. Quare ad vnum ferè omnes Dalmatæ à Venetis defecere, & ad Pannonum societatem rediere, atque in primis Iadrenses, qui eiecto Veneto magistratu, missum à Rege præsidium admisere. Horum exemplo cæteri ducti, Venetos vndique exegerunt. Colomannus auxiliaribus copiis Dalmatiam compleuerat, quibus Dalmatæ freti subitò defecerunt. Regis mox edicto, veluti antè promiserat, perpetua libertate Dalmatia donata, fœdus cum Venetis initum, quemadmodum diximus. Veneti etiam hac conditione ictum ferunt, ne cui Venetum nomen, in expeditione Italica, ob Dalmatiæ vsurpationem, aliquo conuitio lacessere liceret. Verebantur enim, ne qua mentione Dalmatiæ orta cōtentio militarem suscitaret in eo bello seditionem. Vngarorum Annales nulla arte scripti, sed simplici tantùm veritate prædati, rem aliter ac illi referunt. Colomannū aiunt, collatis cum Petro signis, qui eius regionis Rex erat, in monte Medrusię editissimo, quam Petergazdiam, id est Petri montem, nunc appellant, atrocissimè pugnasse, cæso Rege, Dalmatiam iure belli Vngariæ adiecisse. Immo à Petro, post Ladislai mortem, qui eam Pānonibus addixerat, occupatam potius recuperasse videbatur, recuperatam à Nortmannorum classe cœpisse vexari. Post hæc Regem, ad coercendam Nortmannorum audaciam, qui latè in Apulia dominabantur, & Adriaticum vbique mare infestabant, Venetam classem conduxisse, accitis vndiq; auxiliis. Mox bello maritimo, ad Brundusium Apuliā inuasisse, tribus eam mensibus igni ferroque vastasse, retulisse hinc magna spolia. Item Brundusium & Monopolim expugnasse, has Venetorum præsidio communiisse, vti ciuitatem vtranque Colomanni nomine custodirent. Colomannum deinde cum Vngaris se in Pannoniam recepisse, haud multo pòst, Venetos commissas sibi vrbes vsurpasse, & in ius suū asseruisse. Eas deniq; eiectis Venetis, à Pisanis militibus iussu Cæsaris fuisse receptas. Hæc igitur Annales referunt, qui quamuis auctorū inscitia res incompositè scribunt, nihil tamen à veritate alienū commentari videntur. Atq; illud in hodiernum vsq; diem apertè constat, præter occupatas quasdam maritimas vrbes, & easdē quoq; potissimas, quibus classe prædominari posse videbatur, nihil Venetos in mediterraneis possidere. Maritimos insuper populos, Vngarici nominis immemores adhuc nunquam fieri potuisse, & nisi magnis iisdemq; sollicitis pręsidiis accuratissimè obseruarentur, sæpissimè à Veneta potestate defecissent. sed his rebus sat magnam Iadrēsium nouitates coniecturam facient, qui vix arctissimis munitionibus, vigilumq; præsidiis coerceri potuere, ne ad Pannonicam libertatem respirarent. Scythica nanq; illa libertas pro veteri cōsuetudine, ita Dalmatarum animis inhæsit, vt ad nostra vsque tempora diuelli nequeat. Confirmabat asperitas montium, quos non immeritò Adrios appellamus, & Dalmatarū atrocitas, quę cum Scythico potius, quàm cum Italo consentire videbatur. Quapropter Adriatici maris interuallo, ad Scythas potius, quàm Latinos, illorum mores declinarunt. Sed ad Iadrensium defectionem redeamus. Imperante adhuc Henrico Quarto, qui annis circiter quinquaginta regnauit, & eo etiā tempore, quo Ordephalus Phaledrus Venetę reipublicæ præerat, Iadra, eiecto Venetorum magistratu, præsidioq; ad Colomannum planè defecit. Quo quidem nuncio Venetorum animi vsque adeo consternati sunt, vt longè maiorem hinc dolorem, quam è fœdissimo vrbis incēdio, quod nuper acciderat, concepisse videantur: non enim ignorabant perbreui futurum, vt eodem exemplo vniuersa Dalmatia rebellaret, & ne opinione quidē ac metu suo frustrati sunt. Colomannus recepta Iadra, cæteros paulò pòst Dalmatiæ populos recepit, quos vt maiore diuturnioreq; beneficio sibi obstringeret, vltrò libertate donauit, item vrbiū templa donariis amplissimis excoluit. Qua quidem beneficentia ita Dalmatarum

animos sibi conciliarat, vt in hodiernum vsque diem, Pannonici nominis obliuisci nequeant, & vix cum maximis præsidiis, in Venetorum obsequio retinentur. Colomannum Veneti grauiter incusabant, perpetuaque violati fœderis infamia notabant, quod ipsi sanctè hucusque seruassent. Contrà ille, se neque fœdus violasse, neque in socios arma sumpsisse, neq; detrectasse amicitiam, sed suos recepisse populos, qui vltrò se dediderant, quos hæreditario iure retinere debebat. Magnam igitur Veneti mox classem parant, Ordephalum Ducem in Dalmatiam mittunt, quod tertiodecimo ducatus eius anno factum esse memorant. Ordephalus Iadram acri obsidione circumuenit, circumuentamque oppugnat. Obstat Vngarorum præsidium, vrbemque pertinaciter tuetur, quin & 10 in certamen sæpe prodiit, vbi multi vtrinque cecidere. Demum quum hi terra marique perpetuo prælio vrbem infestarent, imminente fame Vngari deseruere, & ad propugnanda cætera oppida properarunt. Ordephalus recepta Iadra, impositoque præsidio, Sicum, quod nunc Sibinicum dicunt, nauigat, mox id in deditionem accipit, quum annonæ caritate laboraret: quod ne vltrà rebellaret, mœnibus nudauit. Dehinc ad cætera maritimæ oræ loca properatum, quibus Vngari, præ rerum inopia, decedere coacti sunt. Venetos deinde superatis montibus, eodem duce, optimo successu elatos in Croaciã penetrasse, ac regionem armis totam occupasse, aliqui prodidere, & tunc Croaciç titulum à Venetis ducibus occupatum, quod apud cæteros non inuenio. Postquam autem Vngaris 20 significatum est, Venetos Dalmatiam recepisse, & Croaciam ingressos longè lateque grassari, maximam quoque prædam abducere, Colomannus extemplo pro sociis arma capi iubet. Vtranque Pannoniam ad bellum suscitat, quippe cui posthabita Vngaria, nihil Dalmatarum societate erat antiquius. Non modò vicatim & oppidatim euocantur armati, sed domesticatim quisque nomen dare iubetur. Edicto Regis ad Drauum omnes copiæ cõuenere. Mox traiecto amne, vniuersam ferè Valeriam, quæ Sauum Drauumq; interiacet, pro sociorum salute secum militare cogunt. Sed vbi ad Saui ripam substitere, Venetos populata Croacia, receptaque Dalmatia, ouantes se in patriam recepisse nouerũt. Sed Vngaris potissimam id augebat iracundiam, quòd multos Dalmatiæ regulos & 30 non paruam nobilitatis manum Venetus secum abduxerat, quos ouationi non modò præferret, verùm etiam Venetiis ne vltrà deficerent, relegatos haberet: quare continuatis itineribus, ad Colopim venere. Traiecto amne, populatam Thraciam offendunt, atq; ne mediocris quidem tristitia & commiseratio Pannones incessit, quũ incensos pagos, & capta quædam oppidula spectauere. Sed illud longè grauius videbatur, quòd captiuos nobiles multos abduxerit. Paucis in prouincia diebus remorantur, quibus vi cuncta recipiunt, quæcũque illi oppida occuparunt. Mox superato monte Adrio, in maritimam Dalmatiæ oram descensum est. Ordephalus accepto Vngarorum aduentu, nequaquam in tanto discrimine cessandum ratus, consulto Senatus confestim classem aliquanto 40 quàm antè maiorem cogit, in Dalmatiamque transuolat, & in primis Iadram, illius oræ metropolim, venit, qua recuperata, facilè totius prouinciæ victoriam sperat. Pãnonica ibi castra reperit, & vrbem obsidione liberare fortiter incepit. Vngarus nihil dimicandi copia auidius anhelabat, sperans adepta victoria, facilè omnia recuperaturum. Idipsum quoque Venetus exoptabat, ratus vno labore hoc bellum absoluturum: quare in littus militẽ explicat, vniuersam classem ordine collocat, ibiq; tormenta cuncta disponit, occupato littore aciem instruit. Quod vbi ab hoste spectatum est, ipse quoque arma parat, educit cohortes, ac validissimo munit equitatu. Mox dato signo, pugna conseritur, maximo vtrinque impetu concurritur, aliquantisper eminus pugnatum. Succensis dein- 50 de animis, tam atrox & cruẽtum prælium est initum, vt non pro imperio & gloria, sed pro liberis & vita dimicare quisque videretur, cominus sic vbique certari cœptum, vt vix agendis gladiis locus esset. Duces vtrique imperatoris militisque optimi officium præstare. In media acie Ordephalus ingenti clamore suos hortari, vt forti animo Barbaros adorirentur, eorum ferociam Italico ro-

bore

bore cõtunderent, reipublicæ ac Veneti imperij non essent immemores. Contra Colomannus Pannonios monere, vt pro sociis strenuè dimicarent, sibi non cum veterana legione, fortique milite, sed cum piscatore rem esse; Neque Ichthyophagorum insolentiam vltrà tolerandã, qui eò arrogantię euecti sunt, vt hunc totum Adriatici maris tractum, nobilissimis populi Romani coloniis excultum, piratica sibi arte vendicare iam audeant. Quin & in Syriam nuper successu nauigationis elati, effœta quędam antiquitate oppida, & ferè deserta, cum nonnullis Cycladibus insulis occuparunt. Proinde iubere omnes, pro regno, dignitate, ac sociali salute fortissimè dimicare, Vngaricæ virtutis & gloriæ ne-
10 quaquam obliuisci. Confirmati igitur vtrinque animi, tam vehementi robore decertabant, vt mori, quàm cedere quisque malit: miserrima hinc cędes oritur. Aliquandiu fortuna vtrisque ęqua fuit, & dum pari victoriæ spe vtrinq; pugnatur, non parum sanguinis effusum. Hi pro sociorum charitate, pro imperãdi libidine illi obstinatissimè dimicant: quum multi cecidissent, ad triarios redacta pugna. Rex à dextro cornu extremas vires experiri statuit, & obstinato vsque adeo dimicat animo, vt aut Dalmatiam à Veneta seruitute vindicare, aut cum Vngaris vnà mori decreuerit. Redintegratur igitur hinc prælium, & cataphractus admouetur equitatus. Veneti ne minore quidem adhuc spe freti, extrema quoq; tentare non verentur, quãdo desperata victoria, se in proximam classem
20 referre poterant, & ne reditus interciperetur, pręsidiũ in littore collocarant. Ad nouissimum periculum, veluti ad spem victoriæ vltimam inuitati, vniuersas in dextrum cornu vires, vbi Regem enixius agere intellexerant, cõuertêre, subsidio laborãtibus submisso. Ne minore quidẽ audacia pugnam instaurant, quum equitibus carerent, ac vel maximè cataphractis, eorum loco grauis armaturæ milites exposuerant, succedebant hastati, ferentarij, & ingens sagittariorũ manus, neque variæ tormentorum insidiæ deerant, quæ hostium turmis obstarẽt: quare truculentissimum ibi certamẽ redintegratur. Quum Veneti defectis viribus aliquanto remissiùs pugnarent, & iam inclinari cœpissent, Ordephalus ne minore quidem pertinacia fretus, viso periculo, se inter confertissimos milites
30 ingerit. Et elatiore quàm antea voce suos hortatur, ne in hoc extremo labore præsentem victoriam deserant, neque prouinciam nobilissimam tanto sanguine comparatam Barbarico imperio dimittant, itẽ memoria repetant, se nunc quoque cum illis pugnare, quos è Dalmatia sæpe fugarint. Sed non hortatione solùm, verumetiam viribus laborantem aciem iuuare pergit. Et vt exemplo quoque magis prodesse videatur, nihil de optimi ducis officio prætermittens, extẽplo se inter confertissimos hostes inseruit, vbi lancea transfossus occubuit. Fortissimi repentè ducis casu, ita phalangis vniuersæ animi concidêre, vt inuiti cedere cogerentur. Contrà hostis casu sic Vngarus animatus, vt vltrà cõtineri nequiuerit. Soluto ordine cessere Veneti, & in apertam mox fugam effusi, ad clas-
40 sem cucurrere. Ne minore quidem pernicitate pedites ac equites à tergo instabant, qui antequam in classem se reciperent, intercipiebant. Quare Veneti ante Iadræ mœnia, vt ipsi quoque cum suis Scriptoribus ingenuè fatentur, maxima ex parte cæsi captive, pauca manus cum classiariis euasit, quæ vix reducendæ classi sat esse videbatur. Accedebat ad miserię cumulum clarissimi ducis interitus, qui reipublicæ admodum calamitosus reputabatur. Accepta clade, ita populus cum vniuersa nobilitate exanimatus esse fertur, vt triginta dierum iustitium indiceret. Ordephali corpus Venetias relatum, publicè deploratum, & in æde Marci honorificentissimè conditum. Profligatis hostium copiis, & ad internecionem ferè cæsis, Vngari Iadram vltrò se dedentem recipiunt. Ad cæ-
50 tera deinde oppida properarunt, quæ prospectis continuò signis, ad Vngaricam fidem rediere. Pacata Dalmatia, dispositisq; vbique præsidiis, prout loci cuiusque conditio postulabat, Colomannus in Pannoniam se recepit. Et quum accepisset, Ordephalum ducẽ eiectis ab initio è Dalmatia Vngaris, reuersum in patriam, haud mediocrem Dalmaticæ nobilitatis numerum, secum abduxisse captiuum, & in triumphi speciem mirabili pompa explicitum prætulisse, æquio-

re nunc fortuna potitus, in Venetorum inuidiam, non de Dalmatis & Croacis, vt ille, sed de captiuis hostibus, cùm oppidatim, tum vicatim ritè triumphauit. Multi quoque illius prouinciæ nobiles, & plerique reguli, non inuito Rege, raso capite, velut in nouam libertatem asserti, ante triumphum processere, vt Rex non tam de victis Venetis, quàm liberatis Dalmatis ritè triumphare videretur. Spectatum passim occurrebant ex omni genere homines, qui & victoribus & sociis congratularentur, & frequenti spectaculo regiam gloriã honestarent. Ad Albam demum, & Diuorum Regum monumenta peruentum, vbi longè maiore pompa triumphatum. Supplicationes solenni more celebratæ, multa basilicæ cum hostium signis affixa spolia, & actæ triduo Diuis gratiæ. Dalmatæ verò illum victoriæ diem, quo à Venetorum seruitute liberati sunt, inter fastos retulerunt, diuæque Libertati dedicarunt. Hoc immortale beneficium ita deinceps posterorum animis insedit, vt nostra etiam tempestate alieno iugo pressi, Vngarici nominis nequeãt obliuisci. Quare hoc præclarissimo tantùm facinore, Colomannum immortalitate dignũ omnes censuere. Venetis tanta clade ac mœrore confectis, amissa omnium retinendæ Dalmatiæ spe, quum variis quoque molestiis distraherentur, legatos demum ad Colomannum mittere placuit, qui pacem peterent, aut si eam assequi non possent, inducias saltem quàm longissimas impetrarent. Legati, vt ipsorum Annales referunt, Vitalis, Phaledrus, Vrsus Iustinianus, & Marimieus, Mauzorenus Scriba, Senatus consulto decreti sunt, qui primo tempore in Pannoniam proficiscuntur. Rex vbi eos appropinquare intellexit, multos Pontifices Proceresque præmisit, qui hos pro dignitate exciperent, & ad ipsum honorificè introducerent. At illi honorificentiùs opinione sua suscepti, & ante Regem constituti, Vrsum Iustinianum pro cunctis verba facere iubent. Nisi compertum satis haberemus, pientissime Colomanne, quem Regem essemus adituri, nunquam profectò Senatus populusque Venetus ad te nos mittere decreuissent, ne illi frustra quicquam postularent, aut nos diri hostis potestati committere viderentur. Sed quando te Diui Ladislai nepotem & alumnum, & sanctissimi Regis Stephani abnepotẽ esse acceperunt, quibus te neq; religione, neq; clemẽtia, neq; quouis genere pietatis cedere cognouere, nos ad te, non vt ad hostem, sed vt ad quendam humanarum rerum moderatorem, amicumq; sanctissimum Reipublicæ nostræ delegarũt, vt de pace non tam æquitatis, quàm amicitiæ iure, nobiscum agere videare. Neque nos latet, te non magis alios, quàm te ipsum vincere didicisse, quod est in clarissimo quoq; Rege potissimum. Pro retinenda Dalmatia vtriq; certauimus: sed diuersæ vtrisque fuere causæ, nos amplificati imperij iura retinere, vos antiquæ societatis libertatem tueri perrexistis. Multa vtrinque bella, & profectò grauia intercessere, in quibus variam sæpe vidimus fuisse fortunam, quæ vt maiore ludibrio nos afficeret, modò Venetis, modò Vngaris arrisit, & quò dexterior adesse videtur, eò se vtrisque insidiosiorem ostendit. Ne Dalmatas quidem diffitemur, & Sclauos prius in Vngaricũ, quàm Venetum ius cõcessisse. Vniuersum hunc tractum, antequam Venetiæ forent, Atila passim diruit, ac incendit, indigenamq; Dalmatiæ gentem prorsus extinxit. Sclauos, qui deinde Dalmatiam & Croaciam inundarunt, grauissimo sæpe bello infestastis, perdomuistisq;. Si quod imperium subire deberent, Vngaricum his prius esset optandum, quando vtrique Scythæ estis, & Vnnis diuinitus imperandi est data potestas. Post Vnnos Veneti è paruis initiis imperare cœperunt. Et ne iniquiore quidem fato, nos ipsi ad dominandum incitari trahique intelligimus, ita fortuna voluit, quæ regnantium certamine delectatur, vt sæpe vincere & vinci obtigerit, quin & in Dalmatico bello, quàm grauissimã hominum rerumq; iacturam nos fecisse libere fatemur, si facta potius corrigi, quàm dãnari possent. Multa sunt Colomanne, quæ pro infectis habere mallemus. Quodcunq; bellum nobis tecũ intercessit, ægerrimè ferimus, & de Dalmatia tecũ decertasse pœnitet, atq; fortasse, aut vtrique eodem crimine conuinci, aut absolui possemus, si in pari fortuna versaremur. Sed victis omnia iura infesta sunt. Si quid in Dalmatico bello deliquimus,

mus, multo prius delicti pœnas dedimus, quàm veniam impetraremus. Ad te igitur venimus Colomanne, vt Senatus populique Veneti nomine pacem cum venia postularemus: aut si præter fas & æquum illa non daretur, inducias tandem quam longissimas impetraremus. Neque vos pusillanimitate, aut exhaustis viribus à nobis pacem postulari reputetis: quando quot expeditiones vno tempore terra marique geramus, non ignoratis. Pia Syriæ expeditio nos hinc auocat, in qua longè maiora nobis præmia deferuntur. Gothofredo Hierosolymitano Regi, vt olim accepistis, Balduinus frater successit. Hic superatis Ægyptiis, & Calipha Rege interempto, diem obiit. Huic alter Balduinus suffectus
10 erat, qui quum superioribus diebus cũ Dolocho Parthorum Rege confligeret, captiuus Carras ductus est: qui Hierosolymis superfuere, nostram classem lachrymis multis exposcunt. Quod bellum multo magis vestram maiestatem, quam nostram Rempublicam addeceret. Itaque eum generosa sanctorum Regum posteritate, cum sociis quoq; vestris, è Scythico vestro genere oriundis, vltra bellum gerere nefas & iniquum admodum reputamus. Quapropter eum laborantibus Christianis, qui Augustam sanctamq; regionem a fœda prophana barbaria vindicarunt, ingenti classe hoc anno subuenire sit animus, vt pro Iesu Christo saluatore nostro strenuè dimicemus, qua militia nil erit optatius: te vehementer oramus, vt Venetis tuis pacem tribuas, fœdus perpetuum nobiscum
20 percutias, pro arbitratu tuo Dalmatia potiaris: pristinam societatem & amicitiam, qua freti aduersus Nortmannos in Apulia prosperè militauimus, nunc te Colomanne quæso redintegremus, neq; vlteriùs in nos sæuias, quem omnibus in rebus diligemus & obseruabimus. Neq; à sanctissima Syriæ expeditione reuoces, ne prophanę seruitutis Hierosolymæ apud omneis gentes auctor habeare. Id non tam Veneti postulant, quàm clementissimus ille Deus, de cuius nomine nro agitur, qui te creauit, qui te creatum sanctissimo nobilissimoq; genere in solio regio collocauit, vt non modò Pannoniæ Septentrionisq;, sed vniuersæ Christianæ reipublicæ saluti consuleres, infamiam (vt ita tua bona venia dixerim) quam in Hierosolymitana expeditione contraxisti, si pacẽ nobis perpe-
30 tuam dederis, nunc penitus abolebis. Ne minus quidem hoc Vngari, quàm Veneti tibi supplicant, quum illi quoq; religiosissimi habeãtur. Proinde nobis pro erratis, qualiacunq; sint, te Colomanne quæsumus, haud difficulter veniam tribue, pristinumq; fœdus, perpetuamq; cum Venetis pacem instaura: aut inducias, si adhuc te ipse vincere non potes, concede longissimas: ne quid diuis tuis progenitoribus, ne quid dignitate & religione tua indignum facere videare.

Iustiniani oratione in lachrymas Rex aliquantisper effusus, pro difficultate loquendi pauca verba facit: Se cum senatu populoque Veneto nunquam bellum optasse, rapinis, cædibus, ac cęteris, quę vltrò citroq; intercessérint, detrimentis admodum indoluisse, pro sociorum salute, intuitum semper arma cepisse. Dolo-
40 rem inde conceptum, hac duntaxat pacis petitione leuari, quæ è Marte prouenit, se pacem non modò Venetis, qui socij quandoque sui fuere, sed prophanis quoque hostibus nunquam abnegaturum. Se vna duntaxat re deterreri, ne pax ex animo parum postuletur. Quare se pacem Venetis in quinquennium promittere concessurum, & rectè sanctèq; seruaturum: quinetiam eampto Venetorum arbitratu, dummodo Dalmatia manus abstineant, instauraturum. Respirarunt ad hæc responsa Legati, se à grauissimo bello patriam liberasse reputantes. Aliquot dies apud Regem mansere, non minus honorificè quàm vrbanè tractati, deinde haud sine muneribus in Italiam dimissi sunt. Patres acceptis quinque annorum induciis, omnes vires in Syriacam expeditionem intẽdunt,
50 quando nullum sibi ab Illyrico periculum imminere conspicantur, numerosam classem subinde cogunt, quam ex ducentis nauibus constitisse ferunt, in qua onerariæ septuaginta, longæ reliquæ fuere. Supplementum è Dalmatia sumptum, postquã in Syriam peruentum est. vbi Ioppen vrbem Michael dux classis offendit, acerrima Barbarorum obsidione circumuentam, quæ Christianæ ditionis erat, cum hostium statim classe conflixit, Ioppensesque Saracenorum

periculo liberauit. Multi deinde Tyri obsidionem Michaelem sortitum ferũt. Nam quum liberata Ioppe Hierosolymam venisset, à Varimundo Antistite, cæterisq; congratulantibus perhumanè acceptus est. Vbi postquam gerendi belli ratio est habita, Tyri obsidio non tam ex consulto, quàm sortito obtigit, & ea(vt aiunt) conditione, vt quæcunque fuerant à Balduino, priore bello concessa, rata ac firma manerent. In quibus hæc potissima erant, vt in omnibus Hierosolymitani regni, Antiochenięq; principatus vrbibus, primam arcem, primum vicum, primumq; forum Veneti possiderent. Vrbs terra mariq; oppugnari cœpta, demũ quinto obsidionis mense facta deditio. Tertiam vrbis partẽ Venetis Varimundus, ob nauatam operam, ac fidum auxilium, concessit: Balduinus postliminio reuersus, id omne ratum ac firmum esse voluit. Hunc Michaelem aliqui Scriptores, qui Venetis blandiri, quàm explorata scribere maluere, in reditu Chium, Samum, Lesbum, Andrum, multasque è Cycladibus insulas, & in Peloponeso Mothonem, in Dalmatia denique Iadram, Spalatrum & Traguri- um expugnasse prodiderunt. Aliqui nullum à Dominico Michaele, è Syria redeunte, oppidum præter Iadram receptum affirmant. Nam Tragurium, Spalatrum, Ragusium, & pleraque Dalmatiæ loca à Vitale, Michaele duce capta fuere. Sed quæcunq; in Dalmatia gesta sunt, cæteri prætериere, ne quid à veritate aut notitia scriberent alienum. Res Christianorum, vsque ad Balduini Quinti regnum, semper retrò fluxisse visa, quo quidem tempore Hierosolymam à Saladino rege Ægyptiorum receptam ferũt. De Venetis hactenus. Dum hæc, quæ diximus, omnia geruntur in Syria, Colomannum in Dalmatia aliquandiu diuersatum ferũt, & Iadræ, quæ caput est prouincię, diutius immoratum. Ibi quoque memorant, non paruo sumptu regiam ædificasse, vbi somnium adiiciunt Vngarorum Annales, non sine magno scelere prætermittendum. Colomãnum aiunt, ibi sæpe de ciuium inconstantia multa secum reputasse, item memoria repetiisse, quãtum præ illorum nouitate vltrò citroq; sanguinis fuerit effusum, demum id sibi consilium potissimum succurrisse, fore quàm optimũ, si vrbem tanti belli causam iniecto demum incendio perderet, vt quàm lõgissimis finem malis imponeret. Dum hæc animo volueret, ecce diuus Nicolaus Iadrensis quondam Episcopus in somnis apparet, truci hunc vultu crinibus corripit, correptumque huc & illuc distrahit, aureis quoque virgis cædit, terga miserabiliter inscribit, & atrociter interminatur, ne quid mali in Iadrenses, qui sub numinis sui tutela viuunt, hoc tempore moliatur. Rex exacto somno, adhuc metu perculsus, & admodum pulsatus, membra circumspicit, an vera hæc forent insomnia, inspecturus, cuncta veluti vibicibus inscripta, ac liuida intuetur. Postquam seuerissimi penè consulis iam sæpe virgis cæsum esse sensit, ad declinandam numinis iracundiam, consilium cõtinuò mutat. Iadram, licèt nouarum rerum cupidam, suis tamen moribus vti permisit. Quum Rex, compositis rebus Dalmaticis, in Rutenos aliam expeditionem moliretur, quorum adhuc iniurias & acceptam cladem nequiuerat vlcisci, de Almi fratris aduentu, qui vt Noricos & Vindelicos in Colomannum suscitaret, vel vt fraternas insidias euitaret, Pataуium se contulerat, passim rumor effunditur, quod anno salutis centesimosexto supra millesimum, Vngarorum Annales accidisse referunt. Dimissa, quam excogitauerat, expeditione, Almum ad se liberè ac tutum venire iussit, quem perbenignè susceptum sibi reconciliauit. Paucis pòst mensibus, intercedẽtibus vltrò citroq; suspicionibus, quas vtrinque perniciosi quidam amici suscitarant, in Poloniam Almus aufugit. Ibiq; accitis Sarmatarum & Vngarorũ, qui suas partes sectabantur, auxiliis, paulò pòst in Pannoniã reuersus est, veluti aperto Marte de regno cum fratre decertaturus. Oppidũ subitò, quod Castrum ferreum† appellant, occupauit. Quod vbi Regi nunciatum est, ne illi cedere videatur, oppidum obsidet, in sequenti die id acerrimè oppugnare decernit. Sed Almus huiusce nouitatis pertæsus, humanitate potius quàm vi fratrem duxit esse vincendum. Quarę postero die antequam oppugnatio iniretur, solus patefacta porta, equo insidens in regia castra properauit, & quum ad tabernaculum venisset, ad fratris

Marginalia: 10; 20; 30; 40; 1106.; †Vasuar.; 50

fratris continuò pedes procidens, genua amplexatur, suam inconstantiam & credulitatem clata voce incusat, veniam & misericordiam precatur. Item Vngaris & Polonis, qui ipsum temerè sequuti fuerāt, supplex postulat ignosci. Rex tandem fraterna pietate motus, veniam omnibus vltrò concessit, auxiliares copias impunè dimisit, fratrem in regiam reuocauit. Hæc plerique ante Venetum bellum gesta fuisse credidere, quibus ego quoque libenter adstipulor. Almum insuper Hierosolymam peregrè profectum perhibent, reducemq; à Colomanno gratissimo vultu receptum ferunt. Qui quum venatione admodum oble-ctaretur, Rex mira indulgentia & liberalitate, fraterna studia fouisse dicitur, sa-10 gaces, mordicos, celeresque canes passim disquisiuit, vt illius voluptatibus inseruiret. Post hæc Almus ad ædificia conuertit ingenium, in primisque in Demesiensi agro, supra Danubij ripam, fanum haud modico sumptu construxit. Sed quod diuæ Margaretæ dicauit, dedicationis die eò fratrē inuitauit, ne templi dedicatio sine legitima celebritate transigeretur. Aliqui Almum id cōmentatum aiunt, quo Regi faciliùs insidias tenderet, quod ne satis quidem verisimile esse dicitur. nanque etiam prętermissa summi piaculi ratione, in tanto hominum conuentu, Pontificumque collegio, patrandi facinoris occasio non dabatur. Ad statutum dicandæ ædis diem Rex cū suis aduenit, conuenere ex pagis oppidisque frequens Procerum & Sacerdotum numerus. Aliqui ex amicis 20 Regem commonefaciunt, vt sibi caueat, ne Almi fratris insidiis circumueniatur. His continuò Rex commotus, eum capi, & in vincula coniici iubet, intercessere mox Antistites, Optimates, cæterique ordines, qui dissensionem fraternam iniquo animo tolerabant. Regem omnes impensiùs exorarunt, vt Almo ignosceret, suspicionibus non facilè crederet, quæ à mutuis suscitarentur inimicis. Horum igitur opera in gratiam rediere fratres, quam iuramēto muniri placuit. Almus a Rege perbenignè dimissus, cui etiam permissum est, vt in Bachouiensi agro pro arbitrio suo venari liceret. Duo quoque comites dati, qui sub honestandæ missionis prætextu, semper studio ac diligentia eius animū explorarent, ac si quid in Regem mali vnquam moliretur, quum id exploratum ha-30 berent, continuò nunciarent. Quum ad Chour is venisset, & in aucupio versaretur, emissus accipiter cornicem accepit: hac præda lætatus, ad comitesq; conuersus, qui subornati potius exploratores, quàm comites poterāt appellari, hæc incautiùs loquutus est: Nónne cornix hæc, socij, nunc accipitri sponte iuraret, se nunquam garrulitate vociferationeque sua dominum amplius esse læsuram, si impunè dimitteretur. Ad hæc illi respondere, Neque accipitrem vnquā cornicem ex iuramento dimissurum, nec à cornice iuramentum præstari posse, quum oratione careat, quæ homini tantùm à Natura tributa est. Ante lucē hæc verba longè aliter, ac dixerat, Colomanno deferunt. Quum in Bachouiensem agrum Almus venandi gratia cum his venisset, concepta de exploratoribus su-40 spicione, clandestina fuga se subripuit, Patauiumq; contendit, vt veluti antea, nunc quoque Alamannorum auxilium impetraret. Sub eius fugam Nicolaus, Colomanni filius, intempestiua morte corripitur, quod anno salutis centesimo ac duodecimo supra millesimum accidisse dicunt. Paulò antè coniunx expirauit, cuius obitum ægerrimè tulit: vxorem deinde alteram duxit, Rutenorū Regis filiam, qua parum prosperè vsus est. Nam in adulterio deprehensam repudiauit, & ne qua in eam sæuitia vteretur, hac duntaxat repudij pœna cōtentus, ad parentes remisit. Ex adulterio Borichum illa genuit, ex quo alterum Colomannum postea natum fuisse ferunt. In sequenti anno, sub Nicolai mortē, inter Colomannum & Henricum Quintum, ob Almi causam, bellum exarsit. Hic 50 Henricus, illius Quarti filius fuit, qui rerum potitus, nefario scelere, patrem vsque ad mortem carcere macerauit. Italiam ingressus, Romam venit, vbi quum benignè ac honorificè fuisset exceptus, paterno ductus exemplo, Paschalem Pontificem maximum, cæterosq; Romanæ ecclesiæ Antistites per insidias intercepit, eorum quoq; bona militibus loco prædæ concessit. Quo quidem tempore, in Æmyliano & Flaminio agro, idibus Iuniis sanguinem pluisse prodide-

1112.

Henricus V.

tunt. Imperator igitur Almi precibus motus, euocatis vndique copiis, ad Vngariæ fines venit, vt aut fratrem regi reconciliaret, aut inique renitentem vi ad concordiam redigeret. Vix Vngariæ fines attigerat, quum per oratores Colomannum ad colloquium inuitat, significans de publico commodo, & fraterna concordia, se cum eo multa communicaturum. Ad præstitutū diem Colomannus aduenit, ne ab honesta causa decidere videretur. Præmiserat Imperatori honorificentissima dona, quibus seueritatem Principis eneruaret, ne quid in ipsum seuerius decerneret. Henricus quum in colloquium in æquo loco habitum venisset, Regem pluribus admonet, & hortatur, vt cum Almo fratre se mitiùs agat, ab omni suspicione vindicet animum, & communium inimicorū artibus hanc discordiam sæpe suscitatam fuisse intelligat. Neque id eum fugiat, quicunq; plus potest, si quid sibi cum illo, qui humilioris fortunę sit, intercedat, quamuis ius suum repetat, iniuriam tamen facere, reputari. Multa pati, dissimulari quoq; multa his opus est, qui cæteris præsunt, ne inferioribus videantur iniurij, néve sæuæ tyrannidis nota sugillentur. Neq; miseram hanc ignoret dominantium esse conditionem, vt multa quoq; inuiti remittere cogantur, vt dignitati suæ ac publicæ deseruiant vtilitati. Sedato Regis animo, Almum aduocari iubet, ac pluribus admonet, vt fratrem maiorem natu, ac in regio fastigio collocatum amet, veneretur, & obseruet. Imperata faciat, nihil à fraterna charitate suspicetur alienum, demū vt alter alterius mores dexterrima æquanimitate toleret. Quæ quidē omnia, si mutuus amor intercesserit, quando charitas omnia sustinet, facilè præstari queant. Oratione Cæsaris vterque castigatus, coràm reconciliatur. Almus veniam supplex exorat, quam nō sine lachrymis Colomannus dare videbatur. Abituro dudū Imperatori certatim ab vtroq; actæ gratiæ, & adiecta munera. Almus cum Rege in Vngariam se recepit. Continuata aliquandiu concordia, tandem pristina malorum arte, simultas & suspicio redintegratur. Nam pleriq; ex intimis Regi suadebant, viuo Almo Belaque nepote, sibi post mortem, Stephani gnati subrogationē sperare non licere, quandoquidem Almum euestigio regiam inuasurum asseuerabant, quare fraternā ei mortem improbi consulebant. Rex tandem, quamuis de morte nihil audire voluit, de quodam tamen nefario temperamēto cogitauit, quo a fraterna cæde manus abstineret, & Almum cum filio, regiæ dignitatis impotem efficeret. Proinde fratrem ac nepotes, accito carnifice, occæcari iussit. Item Belæ nepoti, quum adhuc infans esset, testes exeri mandauit, ne qua hinc propago proueniret. At ille, cui patrādum facinus delegatum erat, quum diuinam iram, ac regni orbitatem reformidaret, exertos catuli testes pro his qui forent infantis, ad Colomannum tulit, pioque commento Regis sæuitiam elusit. Quin & alios quoq; nobiles iusserat excæcari, ex quibus Vron, Vacchan, & Paulum, haud mediocres è nobilitatis ordine viros fuisse legimus. Verùm diram eius sæuitiam præsentaneum est supplicium subsequutum, siquidem effusum innocentiæ sanguinem diuina iusticia diu tolerare non potuit. Nam vix Almus cum filio oculis orbatus, in Demesiense cœnobium traductus erat, quum rumor exoritur, Colomannū repentino morbo fuisse correptum, ingenti capitis dolore, vel maximè circa tempora laborare. Medicus illi fuit, Latina gente natus, cui Draconi nomen erat, ac in cæteris ægritudinibus pro explorata fide & experientia nimium confidebat. Hunc in nouissimo languore sibi tantùm adhibuit remittendi doloris causa. Draco pertinacissimū auribus cataplasma admouerat, quod quum diutius Rex pati non posset, tandem excandescens, ex aure reglutinauit, inspiciendumque Othomaro porrexit. Quod vbi comes ille regius inspexit, quum eductum in eo cerebrū intueretur, euestigio exclamauit, Ad iter mortis tibi, tibi ocyus accingendum est, domine, quando cataplasma certissimū lethi signum ostendit. Proinde quæ ad æternam salutem pertinent in primis cura, mox regnum dispone, ac ede testamentum, ne nos tecum periclitari videamur. Ad hæc ille ingemuit, plus humanis, quàm diuinis rebus intentus. Cum sceleratissimis familiaribus consilium init, quid de Almo fratre, & nepote Bela, quem è matris gremio ereptum

ptum iusserat excæcari, sit agendum. Horum princeps Marcus Simonis, & Achilles Iacobi filius erat. Illud his potissimum visum est, vt Almus cum filio repentè caperetur, ne amicorum auxiliis adiutus, regnũ inuaderet. Illa enim cæcitas maximam Colomanno inuidiam conflarat, contrà huic gratiam & cõmiserationem adiecerat. Capiendi Almi negocium Benedicto Bothi filio delegatur. Rex increbrescente morbo, antequam expiraret, Stephano filio, cui legauerat imperium, ac cæteris principibus diligentissimè præcepit, vt post mortem suam aduersus Rutenos expeditionem continuò susciperent, & acceptas à Roxolanis iniurias vlciscerẽtur. Quam de se opinionem Rex ille posteris dimittere potuit, quum se inultum mori, quàm ægerrimè tulerit, nihilq; ex iniuriis remittendum esse duxerit? Benedictus mandata peragit, cum equitatu modico ad Demesiense cœnobiũ contendit. Quum equites appropinquare Almus accepisset, se confestim in ædem diuæ Margaritæ dicatam iussit inferri, & constitui ad magnam aram, apud quam quotidie cæcitatem miseriamque suam inter supplicandum consolari solebat, ratus se in sacrario tutissimum futurum: ecce Benedictus circumuento ab equitatu cœnobio, in ędem irrumpit, constitutum ad aram, eamq; amplexatum Almum offendit. Prophanus ille, nulla religione numinis remoratus, cæcum corripit, correptumq; ab ara diuellere contendit. Reluctatur ille, ac ita vtraq; manu aræ inhæserat, vt hinc facilè reglutinari non posset. Dum vtrinq; obstinatissimis animis agitur, pertinacissimæ Almi manus nequaquam prius diuelli potuere, quàm cutim digitorum ibi dimiserint, aramque promanante sanguine infecerint. Sacerdotes ab initio perculsi, deinde quum indignitate rei, tum piaculi grauitate commoti, fani postes occluserant, vt prophanum carnificem caperent, & à piaculo coercerent. Benedictus contra veritus, ne à sacerdotibus occluderetur, dimisso Almo egredi studet, stricto ense ianitores adoritur: qui quum cessissent, ex æde protinus exiluit, & ne quis in pagis Almi tumultus suscitaretur, clàm per syluam Pilissiam aufugit. Ne impunè quidem mandatum facinus audere visus est: quãdoquidem inter fugiendum, equo statim excussus, & illiso mox capite, interemptus est. Auxit capitale supplicium, canina discerptio, quum ab insequentibus repente canibus, veluti à diris vltricibus ita frustillatim dilaniatus fuerit, vt ne minima quidem particula superfuerit. Quo portento, quod extemplo venit in lucem, Vngarorũ animi in commiserationem Almi ac Belæ filij vsque adeo suscitati sunt, vt ni Stephani potentia obstitisset, cæcum etiam Regem optassent. Rex post reglutinatum cataplasma, tertio die vita excessit. Qui propter rem in Dalmatia aduersus Venetos bene gestam, haud mediocre sui desideriũ reliquisset, si intestinæ crudelitatis nota carere potuisset. Anno regni sui vigesimoquinto, mense sexto, & die quinto, salutis verò centesimo quartodecimo supra millesimum, corpus Albam aductum, & cum honorificentissimo funere in priscorum Regum monumenta relatum. Sed de Colomanno hactenus. Ladislai, Colomannique temporibus, Vradislaus Othonis & Conradi filius, populata Austria, ad Maguntiam habito conuentu, ab Henrico Quarto Rex Boemiæ primus declaratur, ac Imperatoris auctoritate, Principumque decreto, Boemiæ regno, Morauia, Polonia, Slesia, Lusacia est adiecta. Gilbertus Treuerorum metropolita Pragã missus, qui regalibus hunc sacris initiaret, & honestaret insignibus. Suetana quoque vxor cum eo coronata. Huic Conradus frater successit, qui sex mensibus regno potitus, morte deinde correptus, quinis ex fratre nepotibus cessit, qui ex ordine successere. Ex his duo ab Vrsouicẽsibus, qui regum semper hostes fuere, dolo intercepti obiere, vltimus autẽ, qui Bladislaus dictus est, trecentos Henrico Quinto Romam profecturo equites dedit, qui plurimas sanctorũ reliquias hinc Pragam retulerũt. Sed Boemorum Annales post Vratislaum primum Regem, aliquandiu interregnum fuisse, Conradum, & Vratislai filios, nõ Regis, sed Ducis tantùm nomine vsos esse prodiderunt. Bladislaum quinto loco ab Vratislao natum, à Friderico Primo, cum vniuersa posteritate, regali dignitate fuisse donatum. Quin & ob nauatã egregiam in Mediolanensi expugnatione operã,

1114.

pro insignibus, albo clypeo, ac leone rubro, bifurcata cauda, ab Imperatore honestatum ferunt. Insuper candelabrum Salomonis Mediolano ablatum, hunc Pragam in Viti ædem transtulisse memorant.

RERVM VNGARICARVM DECADIS SECVNDÆ LIBER VI.

Stephanus II.

SECVNDVM Colomanni Regis obitum, filius Stephanus optimatũ consensu ritè patri suffectus est, qui nondũ ephebis excesserat. Omnia Regis insignia ex more consequitur, & in manus eius Principes ac Populi cum vniuersa nobilitate iurarunt, se legitima nunquam detrectaturos obsequia. Quum impos adhuc per ætatem gubernationis esset, omnia ex Antistitum Procerumque consulto gerebat, nihil insolentius audere poterat: quando ab Optimatibus spectatæ virtutis & prudentiæ coercebatur. Quo quidem temperamento res Vngarica prosperè gerebatur. Octo pene annis alieno ductu & auspiciis regnum gubernauit, deinde inita tempestiuæ virtutis ætate, se in libertatem asseruit, pro libidine sua cuncta gesturus, quum sibi nimium arrogaret. Nam asperitate ac superbia, item ferocia & crudelitate, nequaquam patri cedere. Obedire parum aliis, qui fidè consulerent, proinde non mediocriter cunctis formidolosus videri. Quum belli potius quam ocij studiis teneretur, Dalmatiamque à Venetis, non modò clandestinis quotidie artibus, sed aperta sæpe vi piratica vexari cognosceret, ex paterno instituto defendandam esse decreuit. Quare nono regni sui anno in prouinciam contendit, vbi vulgò honorificentissimè receptus, prouincialium fidem redintegrauit. Nutantes plerosque præ Venetorum largitionibus & promissis, animos confirmauit. Præsidia, accepto ex Vngaria supplemento, instaurauit oppidatim, mox curata prouincia, in Pannoniam se recepit. Quare ne satis quidem verè hi de rebus Venetis scripsisse visi sunt, qui à Dominico Michaele, è Syria redeunte, receptam Iadram cum potissimis Dalmatiæ ciuitatibus, tradiderunt: Quum hanc à Vitale Michaele, qui aliquot pòst annis ducatum obiit, ex Venetorum etiam Annalibus, receptam fuisse constet. Nec aliquod bellum memoratu dignum, quum Stephanus Rex prouinciam visit, tũc gestum fuisse, apud Vngaricam historiam inueniatur. Postquam in Vngariam reuersus est, in Polonos exercitum misit, qui & sibi & patri sæpe iniurii fuerant, neque fines incursationibus & rapinis tutos seruarant, sed latrociniis & incendiis sæpe violarant. Inductus miles longè lateque grassatur, cuncta igni ferroque vastat, abacta ingenti præda domum redit. Mox in Boemos bellum molitur, quorum regnum, vt paulò supra relatum est, in ducatum iterum reciderat, quum Vratislai primi Regis successores ab eo fortasse longè degenerassent. Optimates contra id haud temerè sumendum censuere: quare Boemorum ducem ad colloquium inuitandum esse iudicarunt, vt in præsentia vltrò citroque suspiciones & calumnias expurgarent, rati verborũ multo melius, quam telorum velitatione rem cõponi. Quod quum Boemorum duci significatum esset, placuit quoque sententia, & inuitatus ad præstitutum diem, citò adfuit ad Orsonam amnem, vtriusque confinia disterminantem. Boemum quidam Vngarus sequebatur, atrocissimæ cuiusque discordiæ ac seditionis artifex, & præ facinorum grauitate in Boemiam relegatus, quem Soltham nominabant. Hic tempus discordiarum nactus idoneum, præ maxima ingenij iniquitate, veluti ad seditionem humanam tantùm natus esset, occasionem hanc communis exitij temerè prætermittẽdam minimè censuit. Proinde ad Regem clandestinè hæc scribit: Fidelitatem in maiestatem tuam, ad cuius obsequium me natura genuit, quamuis exul & relegatus, tamen dissimulare non possum. De Boemis hæc accipio, quum te inermem cum tuis ad colloquium venire senserint, te cõtinuò armis circumuenturos, captutosq; esse certò. Quare ni caueris, intercipieris. Contrà Ducem admonet, Vratislai filium,

Boemia in ducatum.

filium, de quo suprà diximus, ne inermem ad colloquium ducat exercitum, neque ipse Regem inermis adeat. Quando sat ipse compertum haberet, Regem malo dolo nō carere, moliri insidias, & sagittariorum manus in primis præmissurum. Proinde rogat, diligentissimè sibi caueat. Boemi repentino Ducis edicto, arma capiunt. Quod eo libentiùs faciunt, quando genus est hominum vltrò ad bellum natum. Interea Soltha Regem clàm edocet, vt sagittariorum ac leuis armaturæ cohortem ad Boemica castra præmittat, quæ eorum aduētum intercipiat. Monitis Rex facilè credens, cohortes aliquas præmisit. Contrà Boemi, quum e castris Vngarorum iam educi cohortes, ac sibi appropinquare vident, 10 verissima fuisse Solthæ dicta rati, in eas continuò impetum faciunt. Quæ quum maxima ex parte Bessorum ac Scytulorum forent, facilè terga vertēre, ac in fugam effusæ, ad regia castra festinabant. Rex inconsultis amicis ac optimatibus, prospecta suorum fuga, ipse quoque conscenso equo fugam rapit. Id ipsum cæteri facere cogebantur, partim quia inermes erāt, partim etiam quia his qui arma attulerant, in tanto tumultu & trepidatione, quum Boemus hostili animo aduentare diceretur, armandi tempus non dabatur. Quòd si regiæ voluntatis conscij fuissent, his aliquo modo periculis prospexissent. Tumultuariæ pugnæ omnes ignari, quid facerent nesciebant: ex quo palantes, in Vngariam se recipere cogebantur. Extēplo Boemi castra Regis inuadunt, diffringunt carrorum 20 septa, passim impedimenta ac cętera alia diripiunt. Dum hæc ita geruntur, ecce Ianus Brosæ filius, & Palatinus Comes, qui procul à Rege metati, prospecta suorum fuga, & populatione castrorum, continuò arma capiunt, instructaq; acie, cum munitissimo cataphractorum equitatu, Boemos in castris adoriuntur. Difficili aliquandiu prælio dimicatū. Tandem Boemi terga dare coacti, insigni clade affecti sunt. Nondum ab hoste pedem retulerant, quum per cursores desperatæ ac insignis victoriæ Regem fugientem & ignarum admonent: qui fausto nuncio recreatus, Deo gratias egit, & confestim in castra se recepit, vbi Iani ac Palatini virtutem mirificè laudauit, neque hos indonatos ob rem gestam pro dignitate dimisit. Vnum vehementer indoluit, quòd Soltham tanti mali aucto- 30 rem aut capere, aut interficere nequiuere. Quippe qui facinoris huiusce conscius, quum apud neutrum tutus esse posset, latebras & effugiendi facultatem, haud secus ac cæteros dolos excogitauit. Deinde de optanda Regis vxore, inter Optimates agi cœptum est, quum cœlibatum suum intemperātissimè duceret, & ita muliebri impudicitiæ videretur obnoxius, vt nō modò grauem infamiam, verumetiam ex tentata matronarū pudicitia, magnam admodum inuidiam sibi conflauerit. Accedebat regię stirpis ratio, quæ si ad orbitatem redigeretur, de regni excidio haud parum dubitandū esset. Quare cùm precibus, tum publici periculi ratione, eum ad vxorem ducendam impulerunt. Roberti Guiscardi filiam, qui in Apulia & Sicilia latè dominabatur, nō solùm genere Nort- 40 mannorum, & forma, sed muliebri quaq; maxima virtute præstantē, ei desponsarunt, honorificentissimasq; paulò pòst nuptias celebrarunt. Post hæc in Rutenos bellum exoritur. Dux enim eorū, cui Bezen nomen erat, ad Stephanum confugit, ac se dominatu suo à fratre, vnde minimè decuit, eiectum queritur. Regiam igitur clementiam exorat, quæ illius plagæ moderatrix esse deberet, vt missis in ducatum auxiliis restituat, & pro referenda gratia, fidelissimū ac perpetuum obsequium pollicetur. Rex autem nō tam Ducis huiusce gratia, quàm vlciscendæ paternę iniurię cupiditate, auxiliares copias, item ductum auspiciaque sua promittit. Itaque statim habito delectu cogit exercitum, quæcunq; bello sunt vsui, omnia diligentissimè parat. At vbi motis castris in Roxiā peruen- 50 tum est, potissimum regionis oppidum obsidet, ne quid inferri efferrive posset, summo studio curat, quare machinas parat ingentes. Bezen, de cuius restitutione agebatur, studio longè maiore, necessaria cuncta disquirit. Dū illucescente die mœnia lustrat, vt exploratis oppidanorū munitionibus, idoneū expugnādi locū inueniat, ecce cōtinuò ex oppido in Vngarorum stationes hostis erumpit, atq; exactum hic ducē in primis offendit. Bezen dum eius impetū coercere

contendit, ipse cum non parua suorum manu multis vulneribus afficitur. Audito lethali Ducis vulnere, mortem eius Rex admodum timẽs, mox in iras exarsit, & amici casum affectat vlcisci. Itaque oppidum acerrimè iubet oppugnari, cunctis Vngarorum ordinibus edicit, vt ita cum oppidanis pugnam ineant, vt eo die aut se oppido potiri, aut ad vnum omnes mori decernant. Principes euestigio inter se consultant, dicuntque oppidi expugnationẽ Vngarorum nemini commodo futuram, quando non pro Vngarorum imperio, sed pro Ruteni ducis restitutione pugnatur. Neque sat bene communi saluti consultum iri, si pro alienigenæ vtilitate, cruentissimo prælio dimicetur: bellum hoc inconsultis Optimatibus initum, pars maxima obstinatissimam oppugnationem detrectandam censet. At vbi ad Regem, soluto concilio, omnes cõuenere, quum pars timore, cæteri publica vtilitate ducerentur, dissensio ante Principem manifesta detegitur. Quum diuersa hominum studia detegerentur, vnus è Proceribus, cui Cosmæ nomen erat, è nobilissimo Paznami genere natus, his verbis litem repentè diremit. Quidnam (inquit) Stephane, nunc facere pergis, si cum maxima tuorum cæde oppidum expugnare contendis, ad postremum potitus, nullo Vngarorum superstite, quem huic præfeceris? nimirum neminem è tuis. Quòd si tu perdita hîc Vngaria, & posthabito regno, hunc tantùm Ducatum affectas, nos profectò pro exitio publico, & destituendo regno non pugnabimus, sed continuatis itineribus in regnum redibimus, ibique postquam a te deserimur, alium nobis Regem optabimus. Huius verba æneatores tubarum clangore interpellarunt, qui ex composito dato signo, solutis in Vngariam castris, omnes redire iubebant. Quare Stephanus mentem obstinatam mutare coactus, ne prorsus à suis destitueretur, in Vngariam reuersus est. Nondum treis annos domi requieuit, quum exacto mox ocio, immissis legionum præfectis & legatis, Poloniam haud ignobilem Sarmatiç partẽ hostiliter inuadit, terrore ac tumultu complet vniuersam, & in pagos & oppida abiegna materia constructa, ferro igníque grassatur. Infestandos vsquequaque finitimos reputauit, vt metu potius quàm amore, & iniuriis magis quam officiis à bello coerceret. Deinde ne quid relinqueret inultum, inferiorem Mysiam, quam Bulgariam nunc appellant, & vniuersam ferè Macedoniam, cum superiore Mysia, per prætorianas cohortes, & veteranas legiones, atroci bello infestauit, ac deuastatis regionibus, in Thraciam & Græciam castra mouit. Huius belli causam hanc referũt: Pyrisca diui Ladislai filia, Constantinopolitano Imperatori olim nuptui tradita, quem Emmanuelem fuisse plerique volunt, quum in sermonem Regis Vngariæ cum viro incidisset, eum aiunt Stephanum dirum & immitem appellasse, contradicentem aliquanto obstinatiùs vxorem grauiter pulsasse, hanc ira percitam, omnia ritè significasse nepoti. Quæ quum is ægerrimè tulisset, nefandam amici iniuriam, non verbis, verùm & armis vlcisc ẽdam esse statuit. Maximum in Pannoniis delectum habuit, quin & auxiliares copias à Gallis & Nortmannis, ob affinitatem cum ea gente contractã, haud ignobiles assequutus est. Nam septingentos cataphractos equites, Rogerium Apuliæ Siciliæque Regem misisse perhibẽt, quorum viribus & ingenio, Mysos, Thraces, & Macedonas atrociter infestauit, obuia quæque diripuit, oppida nonnulla vi capta subuertit. Imperatorem in occursum adhuc nequaquam prodeuntem, quotidianis his conuitiis prouocauit, quòd neque Augusto, neque regio, sed aniculario tantùm nomine dignus esset, quando anicularum more situ obsitus, in sordido semper ocio versaretur, neque imperatoriam virtutem foris ostẽderet, qua aliquid laude dignũ posteritati commendaret. Formidolosus igitur vsque adeo apud Grçcos Mysosque est habitus, vt ad mentionem Stephani Regis, vagientes peruicacius infantes, præ formidine conticescerent. Hçc autem vbi Græcorum principi relata sunt, Hoc (inquit) anno, quando is me aniculam appellat, Vngariæ Regi ad vmbilicum vsque virilia abscindam, vt se potius, quàm me, euiratum intelligat. Itaque delectu habito, exercitum illicò comparauit, & contractis vndiq; auxiliis, ita castra compleuerat, vt Pannonias vsquequaque vexare confideret.

Primum

Primum iter in Haram fecerat, proximam Vngariæ partem, vbi quum omnia igni ferroque miscerentur, nequaquam Vngari obstitere. Nauale in Danubio prælium ab initio commissum, vbi cùm immisso sulphureo igni, rudes Pannonum biremes sic absumerentur, vt in mediis vndis Argiua arte conflagrarēt, infeliciter pugnatum est. Classis magna ex parte obruta, incēsave, qui in fluminis ripa dimicabant, classis exemplo concessere, terga continuò dedere, & ad proxima sese castella receperunt. Postquam Stephanus cum Græcis nauali bello malè pugnatum esse sensit, quos nauticæ disciplinę suapte natura magistros esse nouerat, nihil hac fortunæ iniquitate concessit. Neque mirabatur, nauali bello
10 eos facile fore superiores, vtpote qui assidua nauigatione exercitati, plus maritimo, quàm terrestri bello valerent: quare terra dimicādum censuit. Omnes regni vires qua potuit celeritate coegit, quas in Græciam conuerteret. Huic bello quendam præfecit, cui Stephel nomen erat, consilio ac prudentia præstantem. Quum hic ad Carasum amnē, versus Boroh, castra mouisset, hostiles copias inuenit, Thracum ac Macedonum phalangibus cōpletās. Collatis ad tenuissimum amnem castris, signa quoq; cum manu non conferre, ignauum & turpe vtriq; visum, quandoquidem periclitandæ virtutis causa, illuc Græcia Pannoniaq; conuenerat. Inito igitur roboris vtriusque periculo, pari spe, ac æqua vtrinque fortuna diu pugnatum, hinc Vngari, illinc Græci sæpe præpollere visi
20 sunt. In dextero cornu vincere, in sinistro cedere vtriq; putabantur, vltrò citroque cecidere multi, & ad extremum nutante Marte, à triariis prælium redintegratur. Gręci, qui numero plus posse videbantur, ac viribus nequaquam inferiores, in vltimis angustiis phalangas, cæteraq; subsidia duplicare, recentia quoq; auxilia submittere, quę ex Asia nuper euocarāt, nihil etiam prętermittere, quæ nouissimi laboris esse solent. Vngari longo bello defatigati, quum triariorum supplemento carerent, defectis animis inclinare occœpere. Contrà obnixiùs instare alij, paulò pòst confusis ordinibus terga dedere, & in fugam effusi, ita in suam cladem insequentium animos inuitarunt, vt miserè passim cęderentur. E tanta multitudine pauci euasere, cæteri partim capti, partim desiderati, raram
30 Vngari consimilem sibi cladem accidisse memorāt. Carasus autem fluuius, qui inter vtraque castra fluebat, cruento torrente adauctus huiusce cladis testimonium exhibuit, quem cadauerum congerie redundantem, velut aggere remoratum dicunt, & congesta quandoque corpora, pontem præstitisse affirmant. E proceribus eo prælio occubuere multi, quorum primum Cizum Comitem referunt. Cæterùm pòst, vbi satis superque est vtrinque sæuitum, per internuncios de pace agi cœptum est, vtrique in colloquium coire ex composito placuit. In Istri insulam conuenere, quæ oppido proxima, quod Boronchum appellant, vtrinque principes pro arbitratis adfuere. Obiecta vtrinque multa, & confutata pariter, expurgatis animis, & damnata satis vtrinque discordia, vltrò pacem
40 ineunt: percussoq; perpetuo fœdere, solutis castris, in patriam quisque suam redeunt. Stephanum Regem ita furori ac iracundiæ obnoxium tradunt, vt furiis agitatus, nullum diræ crudelitatis genus omitteret. Christianam mulierē ob minimam noxam incendio damnauit. Multos equino excremēto infossos adussit. Plerosque adactis per obscœna facibus, aut ardentissima cereorum distillatione ducta, immaniter cruciauit. Ducem Almum, qui patruus erat, miserabili cæcitate confectum, impotem sceleris, ac nullius mali ferè cōscium relegauit in Thraciam. Quò quum venisset, ab Imperatore honorificè exceptus est, & Constantius cognominatus, quum singulari constantia propriam miseriam tolerare videretur. Quinetiā pagis ac oppidis in Macedonia ab eo donatus est,
50 vbi Constantinam ciuitatem ex cognomento nominatā ædificauit. Quam confugientibus Vngaris, aut amicitiæ gratia, aut tyranni metu, planè compleuerat. Ibi quoq; vita defunctū fuisse accepimus. Cuius obitum quum Stephanus audiuisset, patrui cæci fatum tandem miseratus, Fulbertū antistitem in Macedoniam extemplo misit, qui defuncti corpus in Vngariam referret. Quod vbi Albam relatū est, honorificè iusta persoluit. Quam enim ex relegatione impia sibi

conflarat inuidiam, ex honore ſepulturæ abolere voluit. Bela quoque filius, pari cæcitate affectus, à quibuſdam Principibus in Pannoniam clàm reductus eſt: & declinandæ regiæ crudelitatis cauſa, in occulto ac tuto ſemper aſſeruatus, ne regno maxima orbitate laboranti, legitimus hæres deeſſe videretur. Poſtremò quum regem liberis carere conſpicarentur, ipſumque iam prolem omnino deſperaſſe intuerentur, inito Proceres conſilio, rem Stephano patefaciunt, Belam patruelē adhuc viuere, & in Vngaria eſſe cōfitentur. Quem quum ille ex cæcitate mortuum olim credidiſſet, ex inſperato in maximam lætitiam effunditur, ad ſe continnò adduci iubet. Quem quum ſola duntaxat cæcitate dehoneſtatum intueretur, alioquin aſpectu venerandum, re verbóque grauiſſimum, & ad gerenda quæque maxima accommodatiſſimum, collachrymaſſe, ac diu fratrem amplexatum fuiſſe memorāt, item adoptaſſe in filium, ac in præſentia recepiſſe, ſe pro reſarcienda patris inclementia, ad extremum Belæ regnum legaturum. Paulum Epiſcopum, & Othomarū Comitem, quorum opera Bela ſeruatus fuerat, primos rem pateſeciſſe dicunt. Veteribus inimicitiis ac ſuſpicionibus extinctis, non ſolùm dignitate, verùm etiam honeſtiſſima affinitate exornandum hominem ſubitò cenſuit, vt quem pro filio adoptaſſet, ei paternæ pietatis officia ſolueret. in primis ne ad orbitatem, ac regię ſtirpis interitum redigeretur Vngaria, ad Vron Auguſtalem comitem, ac Macedoniæ prouinciam cum perpetuo imperio retinentem ſcribit, Si ſuæ voluntas eius acceſſerit, ſe nimium appetere, vt initam cum ipſo amicitiā, affinitatis vinculo arctiùs obſtringat. Et huiuſce rei gratia, ſe pro Belæ filij vxore, gnatam expoſcere, cui Helenæ nomen erat, vt ex antiquo vtriuſque genere imperio digna proles edatur. Scythas & Macedonas pari virtute ac magnanimitate fuiſſe ſemper. Excellentē filię conditionem Vros accepit, haud inſcius ſecundùm Stephani Regis obitum, eam Pannonię reginam perbreui futuram. Neque generi cæcitatem aſpernatus eſt, cui patrem Almum, ac regiam viri probitatem in Macedonia olim optimè nouerat, quo cum familiariſſima ſibi diu cōſuetudo interceſſerat. Nuptiæ paulò pòſt honorificentiſſimæ celebratę. Ex hoc fauſto cōiugio Geyſa Secūdus natus eſt, qui magno gaudio Regem affecerat. Belam in Tulna eſſe iuſſerat, cui vt honorificè cum vxore viueret, regale ſtipēdium decreuit, nimiumque dilexit, quando legitimum ſucceſſorem ſe reperiſſe intelligebat. Ante compertū Belam, quum liberis careret, Saulem è Sophia ſorore nepotem, poſt mortem, publico decreto, futurum Regem declarauit, & in id omnes Antiſtites Proceresque regni iurare adacti ſunt. Quum autem Agriæ graui morbo correptus eſſet, & iam de morte dubitaretur, Borſus Comes & Iuan, ſpe vana allecti, ſuffragātibus coniuratis, Reges ambo declarati. Mox conualeſcēte Rege, ad ſupplicium extremum poſtulati, capitales Iuan pœnas exoluit, Borſus in Græciam relegatus eſt. Regia poſteris perpetuò interdicta, in qua quicunque deprehenderentur, pro capitalibus haberentur, vel haud aliter, ac ſi aris & penatibus ignem inieciſſent, perpetua hac infamia ſugillata familia. Hinc autem pateſaciendi Belæ cauſa orta eſt, quum in optādo ſucceſſore quàm ſollicitiſſimum Regem intelligerent. Patefactus ergo Bela ſollicitudinem hanc ardentiſſimam ademit, in priſtinamque hilaritatem Regem reſtituit. Sed paucos cum Bela annos ſibi viuere contigit, quādo mors intempeſtiua improuiſum gaudium intercepit: dyſenteria nanque correptus indomita, iam de ſalute omnino deſperare cœperat. Quum anceps ac dubia vita ſua videretur, Vngari Chunorum inſolētia diu oppreſſi, in eos ſæuire cœperant. Qui Regis indulgentia vſque adeo elati fuerant, vt in patrando quoque maximo ſcelere nil penſi haberent, impune contumeliis & rapinis Vngaros paſſim afficerent. Thathar dux Chunorum fuerat in cauſa, qui ob bene nauatam operam in bello Græcorum, vnde ſolus cum paucis euaſerat, tantum gratię apud Regem ſibi comparauit, vt nemini magis ille crederet. Item ob huius fidelitatem, tantum cæteris Chunis indulgebat, vt pro libidine ſua omne intemperantiæ ac turpitudinis genus impune patrarent. Deſperata igitur ſalute Regis, hi ab Vngaris malè tractari, & ſuperiorum rapinarum pœnas ex-

ras expendere occœperet: hinc orta seditione, ex Chunis multi cecidere. Thathar audita clade suorum, Regem aliquantisper cõualescentem adiit, de immerita Chunorum cæde queritur, & vociferatur. At ille, quamuis morbo iam absumptus, ad Chunorum tamen lamenta, quos plus æquo diligebat, ingemuit: pollicitus, quando conualere iam cœperit, se pro singulis Chunis, denos Vngaros capitali supplicio mulctaturum. Quin & eos omnes bene de salute sua sperare iussit, & in asseuerationis ac beneuolẽtiæ signum dextram porrexit, quam Chuni certatim apprensarunt, religiosissimè deosculantes, & tanto agmine facto, ad dextræ oscula corruêre, vt immodicè iacentẽ depresserint, attriuerintq;.
10 Qua quidem pressura vsq; adeo defatigatus est, vt redintegrato profluuio ventris, paulò pòst vita decesserit, anno regni sui decimooctauo, salutis verò centesimo trigesimoprimo supra millesimum. In morte monachalem sibi habitum 1131. optauit, in pœnitentiæ signũ. Corpus ex Agria Varadinum translatum est, ibiq; honorificentissimis exequiis honestatum ac reconditum. Eius mortem, sedente Henrico Secundo Pontifice maximo, & circa Lotharij Secundi Imperatoris initiũ accidisse putant. Regnante Stephano, Boemundus Antiochiæ Princeps, qui cum Alexio Imperatore Constantinopolitano bellum gesserat, humanis excessit. Boemundum filiũ, è Constantia Philippi Frãcorum Regis filia natum, & Tancredi nepotis curæ commissum, Antiochiæ dominatui ex testamẽ-
20 to præfecit. Henricus Quartus, cum Paschale Põtifice maximo, ac Populo Romano bellum gessit. Quia à Pontifice, in Germania sacram pragmaticam vsurpare contendens, extorquere non poterat, demum capto Pontifice, ac cæteris Cardinalibus, sacram potestatẽ veluti ab inuitis extorsit. Pisani quoq; his temporibus à Pontifice exorati, in Saracenos claram expeditionem suscepere, impositaq; classi, quam nuperrimè comparararant, vniuersa iuuentute, ad Volaterrana vada conuenere, vbi dum tempestiuam nauigationem expectant, Lucenses destitutam defensoribus vrbem inuasere. Sed Florentini Pisanorũ precibus impulsi, reiectis Lucanis, ciuitatem his incolumem conseruarunt. Quare Pisani Balearibus insulis potiti, vnde Saracenos exegerant, abducta maxima præda
30 reuersi sunt. Duas columnas illinc auectas porphyritici marmoris, ob seruatam patriam, Florentinis dono dedere, quæ ad Diui Ioannis fanum adhuc cõstitutæ spectantur. Paulò pòst habito frequenti ad Lateranẽsem basilicam conuentu, pragmatices Henrico vi data potestas reuocatur. Quo quidem tempore Matildis senio confecta, quum Romanæ Ecclesiæ, quicquid agri Pisam, sanctumque Cyricum, & alpes mareq; interiacet, ad Ceperanum vsque, ex testamento legauit. Cuius matronæ magnificentiam, probitatem & sapientiã, nulla secula conticescent. Alius deinde conuentus in Cisalpina Gallia Guardastalli est habitus, quo vrbes Æmyliæ, Placentia, Parma, Rhegium, Mantua, & Bononia, ditioni Rauẽnatis Metropolitæ, quia diu Romanæ ecclesiæ rebellis fuerat, publico de-
40 creto abalienatæ sunt. Itẽ persistente adhuc in Italia Henrico, & Pontificis partes persequente, Gelasius Pontifex maximus, qui Paschali successit, in Gallias refugit, ibiq; extremum diem obit. Hierosolymis autem, post mortem Balduini Primi, Secũdus Balduinus regnum iniuit, qui Gaium Persarum Regem prælio victum interemit, & Damascenorum Ascalonitarumque Regem prostrauit. Callixtus Gelasio subrogatus, ab Henrico pacem accepit, atque Imperator Ecclesiæ reconciliatus rediit in Germaniam. Eadem tempestate ignis immensus in Orientali plaga, circa auroram, per sex horas flammas emisit, quoad ex Occasu turbo promanans, copioso imbre illam extinxit. Insuper deficientib. quotidie in Palæstina Christianis, qui illuc ex Europa trãsmiserant, Balduinus mul-
50 tos Christi fideles, è Transiordana regione, ad incolendam Hierosolymam euocauit, quos quidem omnes ciuitate donauit. Et tunc etiã Tyrum, florentissimam Phœniciæ vrbem, Christiani occuparunt. Insequuta quoq; hyems sæuissima, qua non modò exustæ fruges, vnde miserabilis fames exorta, sed multi etiam homines pariter cũ pecoribus absumpti sunt. Et Tyrum, cũ ingenti strage populi, terræ motus penè subuertit. Sed illud in Gelasij creatione potissimum

referunt Annales, patriciam Frangepanûm familiam, iuxtà viris ac opibus potentem, quum assequi nequiuissent, vt è suis Pontifex crearetur, facto agmine, refractis postibus, ad Lateranum in conclaue penetrasse, variis nouum Pontificem cum Cardinalibus iniuriis affecisse. Cincium familiæ principem, raptum Pontificem humi calcibus contriuisse, mox vinctum transtulisse domum. Romanos id ægrè ferentes, elato tumultu, è Cincij manibus Pontificem asseruisse, solenniq; pompa in Lateranũ restituisse. Sed cum Henrici Imperatoris aduentu, Tyberi delapsum, Teuthonumq; sagittis inde petitũ, demum Caietam effugisse. Mauricium Bacharensem Metropolitam, ab Imperatore in Vrbe Antipapam constitutum, & Frangepanûm auxilio fretum, post Imperatoris abitũ, Pontificium munus apertè gessisse. Gelasium Guilielmi Apuliæ Ducis, & Roberti Capuæ Principis, item Richardi Aquilani præsidiis adiutum, in Vrbem rediisse, deinde in æde Praxedis inter sacrificandum, irrumpentibus Frangepanibus, vix amicorum euasisse ope. Mox orta in vrbe seditione, Hostiensi via aufugisse in Galliam, ibique in Cumacensi cœnobio pro dignitate exceptum, paulò pòst humanis excessisse ferunt. Paulò antè Alexio Imperatori Caloioannes filius ritè successit. Pater, Venetorum classe adiutus, cum Nortmannis, in Apulia & Sicilia dominantibus, bellum gessit. Sed quum parum prosperè in Epiro & Dalmatia sibi res succederet, cum his pacem iniuit. De rebus externis hactenus. Nunc tempus postulat, vt ad res Vngaricas redeamus, & de Stephani successione videamus, quando satis superque diuagati sumus. Quemadmodum Stephanus vulgò sæpe prædixerat, ita Belam cæcum, patruelem suum, ex testamento Regem declarauit. Nam apertis testamenti tabulis, præter regni successionem, ex dodrante hæres legitur. Quicquid supererat ex legato, partim amicis, partim sacris ædibus & pauperibus distribuitur.

Bela II. VNGARI, intellecta Belæ probitate ac sapientia, ne minus quidem cæcum, quàm oculatum amabant, nuncupatis votis hunc optabant, & in comitiis regalibus, omnibus suffragiis, ptout Stephanus Rex optarat, Regem pronunciarunt. Nescio quid popularis commiseratio cæcitatis & paternæ calamitatis addebat, optimum principem futurum quisque augurabatur. Nam multo plus animo a diuina benignitate datum esse, iudicabant omnes, quàm à fortuna corpori fuerit ademptum. Orbitate nanque illa oculorum ita se ipse collegerat, vt in consultando ac deliberando semper versaretur. Varias ad rationis tribunal sententias citare videbatur, & illius imperio intentus, matura responsa decretaq; haud aliter, ac oracula expectabat. In consultatione quaq; grauissima, Deum patronum, consiliarium, ac iudicem inuocabat, ne quid inconsultum, ne quid a diuina & humana pietate ageret alienum. Quare illud Dauidicum in prouerbium eius vsurpatum: Dominus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos. Item & illud: Factus est Dominus protector eius, & deduxit eum in multitudinem misericordiæ suæ, de fructu ventris sui posuit supta sedem suam. Hic enim ex Helena, Vri Macedonis filia, liberos quatuor tulit, elegantissimæ indolis: primus Geysa, secundus Ladislaus, Stephanus tertius, & quartus Almus vocatus est. Rerum igitur potitus, mira sapientia, cuncta disponere, edicta in sicarios & latrones grauissima promulgare, conciliare Principum animos, & æqua in omnes iusticia & benignitate vti. Item nihil antiquius habere, quam oblitterare veteres contumelias, pacare regnum, iniurias ac vim passim inhibere, cultumque diuinum studiosissimè seruare. Ita demum pueros educare, vt non minus sibi, quàm regno chari viderentur. Illud in eius ore sæpe versatum, Hominẽ multo plus pro læua, quàm dextera fortuna debere Deo, quando altera insolentem & iniurium, contrà verò sapientem & fortem altera facit. Neminem alloquentem audiebat, quin eum statim ex verbis expenderet. Mos illi fuit admirari nibil, vtranque fortunam magna æquanimitate tolerare. Se ex assidua malorum serie, in quibus & natus & alitus erat, iam diu didicisse noscere seipsum, & omnia perpeti, sæpius affirmabat. Illud sæpissimè dicere solebat, Disce pati, & humana contemnere. Item, Neminem scite frui bonis, qui

qui nunquam mala subiuerit. Impatientibus & superbis modò suam, modò etiam patris fortunam obiiciebat, qua quidem commemoratione, in effœminatæ leuitatis & intemperantiæ ruborem eos adducebat. Item re ac verbo grauis. Deus aduersus inimicos felicem reddidit, quos tot calamitatibus ac probris affecit, vt in hodiernum vsque diem, in ludibrium gentium perdurarint. Præ iusticia & probitate sua, pulchra liberorum fœcunditate claruit, vt diximus, qua freti Vngari, reginę verbis accensi, cumulatissima de inimicis supplicia sumpsere. Dicunt enim, ad Arad oppidum, Regis edicto frequentissimum conuentum fuisse coactum, vbi pręsidente Bela cum Regina ac liberis, hæc verba Helenam
10 fecisse ferunt: Dicite, quæso, viri fideles, Proceresque magnanimi, quum oculos naturæ beneficio omnes assequamur, quorum ductu in hac operosa mortalium vita ducimur, cur Belam Regem cæcum intuemur, quē cæteris oculatiorem circumspectioremq́; esse oporteret? Quorum hoc tantum facinus consilio & audacia factum sit, in hoc celeberrimo conuentu nunc agite, vos oro, dicite, & ingens hoc aperite piaculum. Ab auctoribus tanti sceleris pœnas hic exigite, ne quis posthac in sacrosanctos Principes manum iniicere audeat. Quanquam diuina benignitate, pro duobus oculis, quatuor liberi ad resarciendam orbitatem dati sunt, quos hic præ oculis habetis, infandum tamen facinus haudquaquam est impune dimittendum, vt parcere Regibus, qui pro Diis habendi sunt,
20 hoc exemplo discat vniuersa posteritas. Facinorosæ igitur audaciæ nunc finem imponite. Ad hæc ocyus dicto, in concione tumultus ingens suscitatur, sceleris auctores vulgò ad supplicium exposcuntur, quicunque ibi deprehensi sunt, præsentanea capitis pœna mulctantur. Nonnulli præ libidine vlciscendi, væsamente multitudine, in frusta dissecti, multi in Gemonias vnco tracti, octo ac sexaginta cæsi. In eos qui non grauiter errarant, aliquanto mitius actum, ex iis nonnulli in vincula coniecti, vt perpetuo carcere marcerárentur, cæteri longè relegati, liberi, vxores, necessarij, cognationes omnes in exilium exactæ, proscriptorum bona basilicatim distributa. Vindictam hanc Bela per se ægrè tulit, sed furorem accensæ multitudinis coercere non potuit. Sæpe Helenæ verba in
30 concione interpellauit, damnauit vxoris iracundiam. Immodicè vindictam appetere, muliebris potius, quàm virilis ingenij esse affirmauit, tamen ne quid simile filiis accideret, sæuitiam tolerauit. Hinc Rutenorum Polonorumq́; bellum exarsit. Nam postquam sese Vngari, desidente furore, collegerunt, damnata crudelitate, immodicaque vltione, fluctuantissimum genus hominum, ac nouitatis auidissimum, quum exulum precibus & commiseratione subducerētur, noua moliri occœpere. Accedebāt Leuiatanis filij, qui magnam factionem sanè conflauerant. Borichum, adulterinum Colomanni filium (velut suprà diximus) quotidie literis ad inuadendum regnum hortabantur, pollicebantur auxilia, & quæcunq; bello vsui forent, quando legitimum Colomanni filium esse
40 credebant. Borichus sat his persuasus, Rutenorum Principum opem implorat, vndecunque potest, copias cogit. Et quum Rutenorum vires, ad Vngariā adoriendam nequaquam satis viderentur, Polonorum auxilia contrahit. Motis castris, iam Vngarię appropinquabat, & ei quàm maximè fluuio, quem Seum appellant. Ne Rex quidem in tanto periculo cunctandum esse censuit, delectum quàm primùm habuit, ac tantum copiarum sibi comparauit, quantum ad coercendum hostem, & deprimendam factionem duceret esse satis. Nutabant Proceres, & hi quidem haud pauci, quando nouitatis cupidissimi sunt. Quare antequam in Borichum castra moueret, cōuentum habuit, vbi Principes omneis ritè percontatus est, an ne Borichum, legitimum Colomanni filium, an ex
50 adulterio natum pro explorato haberent. Ad hæc Optimates, qui de regno benè sentiebant, respondere: Diu se hoc compertum habuisse, Borichum adulterinum esse filium, ac nunquam ex Colomanno Rege genitum, neq; vllo modo corona dignum. Mussitare ad hæc pleriqne factionis principes, ac dicere, Borichum è legitimo matrimonio natum. Rutenam Colomanni cōiugem falsò Regi delatam, & præter fas & æquum adulterij infamia fuisse repudiatam.

Hoc familiares quosdam Regis fuisse commentatos, vt misellæ inuidiam conflarent, ne a viro amaretur, & præsertim si ex ea liberos susciperet, néve is Rutenos amaret, quos infensos sibi semper habuerat. His verbis multi, qui leuissimi & inconstantes erant, in coniuratorum parteis concessere, & eorum numerum auxerunt. Bela hæc edoctus, non amplius cunctandum esse ratus, ne forte coniurati ac proditores elaberentur, ad Borichumq; transfugerent, in eadem concione supplicium de his sumendum continuò censuit: id ipsum cæteris amicis & optimatibus visum est. Quare mox signū dedit, vt proditores in media concione vagantes, qui regni exitium moliuntur, extremis repentè suppliciis afficerentur, ne forte si res ipsa differatur, multum detrimenti vninersa Pannonia patiatur. Itaque in coniuratos continuò fit impetus, seditio magna oritur. Illi dum se tueri conantur, aut fuga salutem quærunt, vulgò cæduntur. Proditionis crimine notati deferuntur, disquiruntur passim principes factionis, & deprehensi, indicta causa, obtruncantur. Lampertum Comitem, è Regis pedibus, ad quos confugerat, euulsum, frater proditionis impatiens, subselliorum fragmine, diffracto capite, interfecit. Nicolaum eius filium in medium adduxit, & ante Regem obtruncari iussit. Maylatus Aci genere natus, & è nobilibus complures ibidem trucidati. Desperatis rebus, cæteri coniurati cum magna manu secessere, & reparato agmine, antequam occumbāt, ne inulti pereant, Regem inuadere decernunt, rati, cæso Rege, inimicorū furorem subitò desiturum. Coniuratorum princeps Thyodor erat, ex vetere Symadi familia editus, item Folcus, Titus & Samson, cui Thomas & Turdo filij erant, non minus nobilitate, quàm virtute viribusq; præstantes, qui temerariam patris audaciam admodum augebant. Sedata seditione, coactisq; in vnum coniuratis, in secessu Rex ad Seon fluuiū castra locauit. Vltra amnem haud procul hostis erat, Samson ac socij, vituperandi Regis consilium ineunt, vt conuitiis prouocatus, prælium conferere cum hoste cogatur. Quare tabernaculum Regis adit, quem cum Optimatibus diuersa loquentem inuenit. Quò quum uenisset, his Regem verbis adoritur. Quid hîc facis, tu vilissime canis, quum iam sit decedēdi tempus, & multo plus regno Borichi prouidentia, quàm tua cæcitas conferre videatur, & instituto paterno, in religioso cœnobio tibi potius viuendum esset, quàm in rerum humanarum gubernatione versari? Quinam tuo ductu & auspiciis amplius militabunt, si te ipse ducere non potes latro? Proh temeritas, & deperdita hominis audacia. His verbis irritati Principes, qui Regem circumsteterāt, Ioanne Duce, Othonis filio, qui Regis seruus ab epistolis, & Symekiensis Præpositus erat, item prouocante Budo Comite, in Samsonem irruêre. At ille ocyssimè pedem referens, in equum se recepit, & aperta fuga salutem quæsiuit. Isti quum equos in promptu non haberent, elato clamore, Samsonem pedibus insequuntur. Ad hæc accensus quidam, Budi Comitis tumultu percitus, rapta lancea, præpropera festinatione, sine ephippiis equum conscendit, aliorū exemplo, fugiētem illum ad Seum amnem insequitur: qui quum se præcipitem in fluuium dedisset, vt nando traiiceret, a tergo graui vulnere confoditur. Thyodor cum cæteris coniuratis, qui nauim conscenderant, vt periclitantē socium exciperent, in tempore adesse nequiuere: at ille saucius, & ænea lorica grauatus, ibi demersus est. Borichus iam amni appropinquarat, & in ripa castra metari cœperat, qui vbi è conspectu fuit Vngarorum, Proceres cum Ruthenorum & Polonorum Ducibus, præstita vtrinque fide, in colloquium conuenere. Vbi Budus ista verba fecit: Quid vobis nobiscum rei est, Poloni? quid nostrū agtum Ruteni inuasistis? Iam pacatos fines habebamus, & nullæ nobis vobiscum intercesserant iniuriæ, quibus finitimum bellum suscitari oporteret. In Pannonia inter Polonum & Vngarum discrimen nullum erat, idem de Ruteno dici poterat. Et quando omnes Scythæ sumus, nō modò hospitalitatis, verumetiam cognationis nos mutuo iure fouebamus. Nūc iniustum & prophanum pro adulterino homine aduersus nos bellum geritis, ferro & incendiis sæuitis. Et quam causam belli suscepistis, si intelligeretis, mox solutis castris domū quisque suam repeteretis.

Si Bo-

Si Borichum Colomanni, & non adulteri filium esse, exploratum satis haberemus, nunquam profectò ad cæci Regis, alioquin sapientissimi optimiq; Principis, imperia peruenissemus. Oculatum, quàm cæcum Regem habere maluissemus, sed postquam id assequi nequiuimus, ne adulterino sanguine sacrosanctũ nostrorum regum ordinem incęstaremus, ad Belam Colomanni nepotem confugimus, vt verum legitimumque Regem haberemus. Omnium populorum consensu, Belam à Stephano Rege nobis delegatum elegimus, electumq; omnibus regiis insignibus confirmauimus. Quod idcirco fecimus, quia Colomanno Stephanoq; Regi, qui in suum sanguinem sæuiere, res parum prosperè successit:
10 per immanem sæuitiam ac sterilitatem eò redacti fuere, vt neminem ex liberis haberent, cui regnũ ritè delegarent, nisi ad eos confugerent, sui sanguinis quos olim excæcarant. Inuiti nostra mala confitemur. Colomannus fratrẽ Almum, vt sæpe accepistis, cum Bela filio excæcauit. Duas vxores duxit, ex vna Stephanum, qui paulò antè regnauit: ex altera, quæ Rutena fuit, nullum filium tulit, præterquam hunc vnum ex adulterio conceptum, quem nobis præficere contenditis, quod ipsa luce clarius est. Nã pollutæ pudicitiæ coniugalis impatiens, Rutenam repudiauit. Et post repudium, Borichum illa edidit, quem inuitis legibus, immo numinibus, regiisque manibus, nobis præficere studetis. Quamobrem si vnquam pacis & iusticiæ iura nouistis, si hospitalitatis, amicitiæ, ac hu-
20 manitatis officia prægustastis, adulterinum, quæsumus, quem induxistis, reuocate Regem. Borichum nonnullorum leuitate ad imperandum temerè inuitatum auertite, aut reluctantem deserite. Abducite auxilia, quæ contulistis, ne inuitis numinibus bellum gerere videamini. Neque Vngaros desidia, pusillanimitate ac socordia iniuriarum fore immemores reputate. Officio potius, quàm quouis maleficio beneuolentiam ac ocium conseruate. Quod si abnuitis, etsi nos tædet, hucusque tamen vobis occurrimus, vt ad vnum omnes mori, quàm adulterinum, quem adducitis Regem, perpeti malimus. Hæc vbi Polonorum Rutenorumque Principes accepere, vltrò sententiam mutarunt, se falsò subductos e uestigio cognouere, præ belli iniquitate, ex ipsis neminem aduersus Vn-
30 garos pugnaturum respondent. Se malè persuasos ingenuè cõfitentur, & quando nondum manu consertum est, sat ad resipiscendum esse temporis. Proinde ne hospitalitatis & veteris amicitiæ iura violare videantur, polliceri se postero die iniustam militiam deserturos. Duces promissa præstitere, nam solutis castris, in patriam quisque rediere. Populi tantùm cum Boricho, & vulgaris multitudo remansit, quando inustam Boricho notam cęteri abominabantur. Poloni igitur & Ruteni, qui cum ipso remãserant, transmisso amne ad pugnam prouocati, Boricho duce, in ripa prælium cum Vngaro conseruere. Bela, quamuis cæcus, prudentissimè tamen ductam aciem instruxerat, in vtroque cornu validissimum cataphractorũ equitatum collocarat, vt sagittariorum ac velitũ im-
40 petum facilè sustineret, quin & alas duas adiecerat vexillationum, quibus gregariam multitudinem complecteretur. In feruentissimo prælio occlusa quædam Polonorum auxilia, maxima ex parte cecidere. Ruteni animo cõsternati, qui quadrato agmine iamdudum pertinacissimè dimicabant, inclinata acie terga vertêre. Instabant à tergo Vngari, ac insigni cæde sæuiebant, ad internecionem cædere hostem pergunt. Sanguinis ergo tantum hausere, vt pauci cũ Boricho euaserint, quia fusi & fugati in rusticorum manus incidentes, immaniter trucidati sunt. Ex his qui in hoc pręlio se pulchrè gessere, Micsan, Gaaban, & Bathora prædicãt, qui præter cæsorum multitudinem, maximum captiuorum numerum retulere, thoraces, cæteraque arma hostili cruore madefecerant. Micsa
50 Thyodorem malorum omnium auctorem, Vosus Vitalẽ, Gaaba Graccouiensis Comitis fratrem, Bathor deniq; Andream, qui coniurationis principes erãt, & patriæ inimici, captiuos ante Belæ conspectũ adduxere. Quare Bela haud parum lætatus, præfectos de regno benè meritos mirificè laudauit, & non modò maxima parte spoliorũ, verùm etiam pagis oppidisq; amplissimè donauit. Mox ingẽtes Deo gratias egit, apud omnes aras rem sacrã fecit, ac supplicationes op-

pidatim ex edicto celebratæ. In Diuæ Magdalenæ solennibus prælium hoc gestum, dies inter fastos relatus, ac publicæ saluti dicatus. Hostium exuuiæ passim templorum postibus affixę, & præsertim sacris Magdalenæ ædibus, cuius numine freti, victoriam clarissimam compararãt. Captiui victoribus dono dati, præterquam coniurati, de quibus supplicium ex lege sumptum: nam grassatorum more attritos, rotis imposuerunt. Ex hac victoria tantum Regi gloriæ & auctoritatis accessit, vt hunc vnicũ venerarentur, & prædicarent omnes, non cæcum, sed circumspectum, & ad regnandum diuinitus reseruatum dicerent. Quare gratissima huic Vngari obsequia deinde præstitere, fecere fideliter imperata omnia, finitimi quoq;, missis vndiq; legatis, pacẽ efflagitarunt. Rex extinctis hoc bello factionibus, se mirissimum æquissimumq; præbuit. Iussit omnes bene ac quietẽ viuere, atque edicto, superiorum partium mentionem inhibuit. Pacato regno, Bela se in ocium redegit, cum amicis sępe comessabatur, & in multam noctem conuiuia protrahebat. Quo factum est, vt Vngarico more in ebrietatem inciderit: quæ quum voluntaria sit insania, virtutem pristinam admodum eneruauit. Tunc multo mero grauatum Principem, aulici in petẽdo impudentissimi adoriebantur, & præ crapula & temulentia sæpe nonnulla impetrabant, quæ iniquissima sunt habita. Exacta autem ebrietate, quæcunq; per vinum indulserat, rescripseratq;, ne facile quidem recipere vel rescindere subinde poterat, vnde non parum simultatis & infamiæ sibi comparauit. Nam in maiestate regia eo conspectius ac grauius id vitium iure cẽsetur, quo maior viri dignitas habetur. Inter cætera temulentiæ facinora, illud potissimum commemorant: Pochum enim & Saulem, sacræ religioni initiatos, in conuiuio exoratus, præ ebrietatis indulgentia, tradidit inimicis, à quibus mox temerè cæsi sunt: quare perpetua sugillatione non caruit. Cæterùm hunc omnium laude dignissimũ illa secula censuere. Ex conuiuiis & ocio, quod cæcitas confirmarat, in hydropisim incidit, quo morbo correptus, nono regni sui anno, ac mẽse vndecimo, naturę necessitati cessit, salutis verò centesimo quadragesimoprimo, ac idibus Februariis supra millesimũ. Corpus Albam delatum, vbi à quatuor liberis superstitibus, Helenaq; coniuge, non minus piè, quàm honorificè sepultum est, & ab vniuersa Vngaria deploratum. Regnante Bela hæc accidisse ferunt. Innocentius Pontifex, Transtyberina regione oriundus, qui successit Honorio, Rogerium ad sanctũ Germanum castra metantem, ex improuiso aggressus, in fugam vertit, oppidumq; recepit. Sed paulò pòst, quum ad Galucium Rogerium obsideret, à Guilielmo filio, Calabriæ Duce, non modò superatus, verumetiã cum Cardinalibus captus est. Et mox honorificè ab eo dimissus, reuersus in Vrbem, Anacletum antipapam inuenit, qui ingenti pecunia, quam ex argento & omnibus basilicis crepto conflarat, Populum Romanũ planè corruperat, & ita pontificiam auctoritatem interceperat, vt eum præ timore Roma cedere coegerit. In vlteriorem igitur Galliam fugiendo concessit: interea Rogerium, vtriusque Siciliæ Regem appellatum, antipapa in partes suas traxit. Innocẽtius apud Clarum mõtem sacram synodum habuit, ibi antipapam cum sectatoribus damnauit. Philippum Gallorum, & Henricum Britanniæ Regem adiit pro salute fidelium, & in Lotharingiam flectens, Lotharium à Germanis Romanum Regem electum inuenit. Promissa imperij approbatione, sacramento virum adegit, vt in auxilium Hierosolymitanorum, expeditionem compararet. Quare à Lothario in Lateranum restitutus, Imperatorem haud immeritò Romæ coronauit. Mox Pisis concilium habuit, ibiq; iterum damnauit antipapam. Sed quum Anacletum patricij quidam, Rogerij regis auxiliis freti, iterum aduersus Pontificem suscitassent, Lotharius è Germania reuocatus, Romam repetit. Pisani Pontificis gratia maximam classem compararunt, qua Campaniam & Calabriã infestarunt. Pontifex & Imperator, quum Rogerium terrestri maritimoque bello vexarẽt, quicquid in Italia posséderat, acceperunt. Multa oppida vi capta diripuerunt, Rogerium in Siciliam tandem traijcere coegere. Raymonem Imperatoris Comitem, attributo Ducatus Apuliæ titulo, cum aliquot Germanorum cohorti-

cohortibus,prouinciæ Pontifex præfecit. Lotharius Germaniam repetens, Veronæ moritur. In Asia verò defuncto Balduino, Falco Andegauiẽsium Comes, & illius gener, Hierosolymæ regnum accepit. Turci, qui sinum Persicum incolebant, multas copias in Antiochenum agrum duxerunt: quo quum Falco irruisset, cæsis tribus milibus, capta totidem Hierosolymam retulit. Hac clade suscitatus Alaph, Turcorum Princeps, Babyloniis auxiliis vsus, Edissam Mesopotamię vrbem inuasit, quam Balduinus a Gothofredo fratre receperat. Capta vrbe crudeliterque direpta, omnes Christiani, qui orthodoxam fidem abnegare noluerunt, ad vnum à Barbaris trucidati. Mulieres ingenuæque matronæ, in fidei nostræ ludibrium, super Diui Baptistæ aram violatæ. Falco in venatione, dum leporem sectatur, procumbẽte equo occubuit, Balduinusque filius regnum accepit. Nunc tempus postulat, vt ad Belæ cæci successorẽ veniamus, & res Vngaricas, quantum fieri potest, ritè prosequamur.

Geysa II. immò III.

DEFVNCTO Bela, Geysa primigenius, qui ephebis nondum excesserat, omnium Principum consensu, votisq; Populorũ ad regni fastigiũ effertur. Quandoquidem præclaræ indolis, & magnæ humanitatis esse videbatur, immo potius a Deo datum, quàm ab ipsis optatum reputabant. Quare cum magno plausu, gestientissimaq; lætitia adolescentem, Regem declarant, faustis acclamationibus ingeminant. Paulò pòst Albæ, in solẽnibus Diuæ Ceciliæ ritè coronant. Rerum potitus, optimos sibi cõsiliarios elegit, nihil sine Pontificum Procerũq; consulto agebat, & tam sollicitè regnum curare videbatur, vt præter ætatem ageret. Obseruabat seniorum consilia, & mira comitate affabilitateque illos orabat, ne sibi regnoque deessent. Nondum annum post initum munus exegerat, ecce Alamannorum bellum erupit. Belli causam fluctuantissimam dedit Austria, nouarum rerum semper auida. Henricus enim quidam, Dux Austriæ, ingenitæ memor inimicitiæ, quæ Australibus cum Vngaris diutius intercessit, quum ad pueri manum Pannoniæ regnum redactũ esse cerneret, ratus id tempus ad euertendas res Vngariæ accommodatissimum, bellum grauissimum molitur. Accedebat occasio magna auxiliorũ, quæ nunquam sibi antea fuerat, siquidem Henrici, Leonis pupilli tutor erat, ad quem Saxonia, & Bauaria tota pertinebat. Hic Saxonum & Vindelicorum viribus fretus, præterea Noricorũ, qui eius ditionis erant, Pannonias aggredi non dubitabat. Quin & Cõradi Tertij Romani Imperatoris copiæ accedebant, quem Henricus in belli societatem adduxerat. Et in hanc expeditionẽ Conradus duas legiones se missurũ receperat, vt Vngarum, veterem quidem Alamannorum hostem, è medio tolleret. Quare antequam regnum Henricus inuaderet, de occupando Pisonio primùm cogitauit, haud inscius ab illa arce se totam Vngariam facilè vexaturum. Id negocij Iuliano Comiti datum, vt quacunque arte posset, Pisonium occuparet. Is Rapoltum militem Alamannum dolis instruit, & equitatu munit, ac mãdat vrbem ante illucescentem diem sub prætextu festinati itineris adeat, portamque occupet, & eam cousque retineat, donec ex insidiis ipse collocatus aduolet. Pisoniani custodes nil tale suspicantes, subornatum Rapoltum cum comitibus excipiunt, quum nulla adhuc belli suspicio foret, mox ex composito porta & turris capitur, ac inde sociis signũ datur. Quod vbi Iulianus prospectauit, cum validissimo confestim equitatu ad portam aduolat, succeditq; deinde in forum, & facto agmine prodiit. Suscitato tumultu, omnes oppidanos arma deponere, & nihil hostile timere iubet. Data fide, illæsam amicitiam pollicetur, mox coacto senatu aduentus sui causam enarrat. Ciuitas quum ab Alamannis incolatur, his verbis continuò pacatur, & in Germanorum redigitur obsequium. Rumor in Vngaria statim effunditur, Pisonium à Germanis captum, quare vniuersa Pannonia nimium perturbata. Secundùm Pisonij captiuitatem, Alamannorum subitò incursiones successere, quibus non solùm superior, sed inferior quoque Pannonia grauissimè vexabatur. Adolescentis animus ingenita quadam magnitudine præditus, haudquaquã his cõsternatus est. Habito quàm primùm senatu, periculi magnitudinẽ ad patres refert, sententias rogat, suscipitur

omnium consensu bellum. Et quisque Pontifex, nobilis, præpotensque, arma ex edicto capit. Habetur delectus, & domesticatim ad bellum hoc apprimè necessarium viri euocantur. Exultat frequenti & affectata militia Geysa: & tiro aduersus imperatoria castra prodire gestit, non ignorãs multo plus laudis in victoria, quàm turpitudinis in fuga propositum. Nam si vicerit, & Cæsarem Germanicum fuderit, supra ætatem fecerit; si cesserit, adolescentia & fortuna ab omni dedecore vindicabit. Quum sibi à proceribus periculi magnitudo ac robur hostium obiiceretur, quia Saxones & Germani, vt de Vindelicis & Noricis sileatur, indomitas vires haberent: eum respondisse ferunt, Se diuinum auxilium, & sacros habere milites, & ductu auspiciisque Christi optimi maximi facere stipẽdium. Quinetiam edictum promulgarat, vt apud omnes aras, donec belli dexter exitus extaret, quotidie omnia Sacerdotum collegia diuinam opem implorarẽt, & Diuam in primis Virginem, peculiarem Vngarorum patronam, exorarent, cuius patrocinio, ex testamento Diui Regis Stephani, id regnum fuerat commendatum. Ita vulgo Rex animosus apparuit, ita omnes ad gregarium vsq; militem ad pugnam hortabatur, vt exanimatissimum quenque facilè suscitaret. Spectata adolescẽtis magnanimitate, sic cæteri seniores cõfirmati sunt, vt bellum, quod puer non expauit, ipsi quoque minimè reformidare cogerentur. Hinc etiam præfectos, primipilos, tribunos, item turmas & cohortes haud mediocris rubor incessit, quum veterani à tyrone animari viderentur. Motis igitur castris, in Austriam iter facit. Quum regni finibus appropinquasset, quidam homo liberali aspectu, cui Henczel nomen erat, non parum præferens auctoritatis, & Scythicæ Germanicæq; linguę compos, occurrit, prope hostes esse nunciat, eosdemque perpaucos, quando hi qui auxiliares copias promiserant, promissum numerum non prę̃stiterant. Proinde nunc conserendæ manus tempus esse, antequam alia supplementa veniant. Occasionem hanc nulla cunctatione prætermittendam, & certam adstantemque pro limine victoriam, nullo modo repellendam. Tunc Rex aduocata concione, virum in medium adducit, hęc eadem referre iubet: quod vbi factum est, ipse ad tempestiuum prælium præfectos omnes inuitat. Hunc Dei angelum, & futuræ victoriæ nuncium esse asseuerat, proinde non vltrà cunctandum, sed imperandum, passim arma capi. Idipsum cæteris visum est, audacia deterrendum hostem: quare omnium consensu in prælium itur. Quum Germani nondum limites attigissent, quadrato agmine, castra in eos vltra fines mota: quæ vbi in hostium cõspectu fuere, tãtum vtrinque ocij permissum est, quantum instruendæ aciei satis erat. Vngarus duas velitum alas in vtroque cornu produxerat, quibus cataphractorum equitatus succedebat, in medio quadratum agmen etiam cataphractorũ collocarat, quod à dextra læuaque duplici peditum acie muniuerat: post hæc præsidium validissimum substitutũ. Ne minus quidem impigrè Germani se in ordines instruxerant, qui altissimis equis insidentes, Gigantum instar planè constiterant, Vngaris numero superiores. Geysa quàm primùm pugnæ signum dari iubet, pari furore vtrinq; concurritur. Alamanni nõ minus armis, quàm clamoribus & conuiciis, Vngaros impetunt, quò facilius eorum audaciam coerceant. Contrà Vngari, inter dimicandum omnipotentis Dei ac magnæ Matris auxilium inuocant, patronam suam ingeminant. Alamanni, qui leuis armaturæ equitibus parum vtuntur, sed cataphracto equitatu delectantur, Bessorum ac Scytulorum alas, quas ante cornua productas diximus, statim inclinant. Hi nanque Vngarorum agmina præire solent, & tunc veluti oues à lupis deterritæ, in primo congressu terga dedere, antequam Vngari manum conserere cœpissent. Et hi prospecta istorum fuga, aliquantulum præ timore cessere: instant illi, & hinc animos augent, quia inclinatum hostem, ac fusas alas vident. At Vngaris, qui animos continuò reuocarunt, pertinacissimè resistentibus, in primo cõflictu nimium defatigati deferbuere, dimicare multo remissiùs occœperunt. Ban enim Regis auunculus, qui callebat mores hominum, & in medio agmine præsidebat, excito simul equitatu regio, qui veteranorum erat, ac laborantibus sociis subsidebat,

debat, facto maximo impetu in hostes ruit, in quibus furor ille desederat, & tāta vi prælium conserit, vt multis in primo congressu prostratis, cæteros inclinarit. Henricus Dux Austriæ, qui victoriam dudum præ manib. habere videbatur, concitato triariorum agmine, succurrit, prælium atrocissimum instauratur. Rex ex Procerum Præfectorumq; consensu, vtrunque cornu, quod admodum nutarat, continuò confirmauit, in hostemq; conuertit. Et quum hostem ad triarios redactum prospiceret, ipse quoque præsidia vltima concitauit: quare vtrobique acerrimè pugnabatur, cruor passim effunditur. Germani cum Saxonibus inclinati, ab vtroque cornu, & à reuocatis alis circumueniri cœpere, & ab vtroque latere grauissimè sauciari. Veteranæ legiones Henrici agmen post multorum cædem terga dare coegerunt, mox palantes Alamanni aufugêre. Inter fugiendum innumera multitudo intercepta, quæ partim cæsa, partim capta. Henricus cum cæteris magna ex parte vulneratis, castris exutus, turpiter aufugit, & in Austriam, pertæsus audaciæ suæ, se recepit. Cæsorum numerum ex Alamannis ad septem milia memorant, ex Vngaris tria milia desiderata. In eo bello Rapoltus Alamannus, quem per nocturnas insidias Pisonium occupasse diximus, ab Vro equite, & Otho, à Gabriele captus est. Rex victoria potitus, spoliatis castris hostium, cum vniuerso exercitu in Vngariam rediit, horum exuuiis templa ditauit. Pro agendis Deo gratiis, supplicationes egit, & apud omnes basilicas regni, rem diuinam operatus est. Tantum ex hac victoria sibi nominis comparauit, vt hunc duntaxat puerum Germanica potentia formidare videretur. Henricum quoque tantus mox timor incessit, vt non modò Vngariam penitus vexare, sed ne pagos quidem finitimos attingere auderet. Victoriam hanc Vngari potius diuinæ benignitati, & fortunæ adolescentis, quam sibi tribuêre. Quando extremis vtrinque viribus, à tertia hora diei, ad serum vsque tempus dimicatum affirmant, & se à principio cessisse, deinde per atrocissimam pertinaciam, inclinata hostium fortuna, vicisse confitentur. Secundùm hoc bellum, Pannonias (vt Annales memorāt) sæua fames inuasit, qua vulgò grassante, maxima pars hominum est absumpta. Quo quidem tempore, in Gallis regnante Lodouico, tam diuturnus æstuansq; calor fuisse dicitur, vt compluribus in locis, non citra populorum terrorem & exitium, terra conflagrarit, ex æstu igitur fames illa edita. Successit his temporibus, Conradi Imperatoris transitus, qui haud parum detrimenti & sacris & prophanis attulit. De quo prius aliqua referenda esse duximus, quam vltra progrediamur, vt res ipsa cognitu facilior esse videatur. Sedente Lucio Tertio Pontifice maximo, Bernardus Clarauallensis Abbas claruit, qui ardentissima Christi charitate succensus, Principes ferè omnes adiuit, hortaturus vt laborantib. in Syria & Palæstina Christianis, validissimis aduersus Saracenos copiis subuenirent, néve paterentur diuini sepulchri propugnatores è sacra vrbe exigi. Ad persuasionem sacræ militiæ, Conradus Imperator, natione Sueuus, primus nomen dedit. Interea Rogerius Rex Siciliæ, per negligentiam Pontificum in Italiam reuersus, quæcunque amiserat, omnia recuperauit. Deinde cum maxima classe in Aphricam traiecit, Libycumque Regem stipendiarium sibi fecit, atque annis plus quàm triginta illinc tributa recepit. Conradus igitur, coacto ingenti Crucigerorū exercitu, è Germania castra mouit. Et præter Danubium iter faciens, in Vngariam descendit, vbi fortasse, præ veterum memoria inimicitiarum, non peregrini Ducis, ductu & auspiciis Iesu Christi militantis, sed acerrimi hostis, vlciscendi occasionem nequaquam deferentis animum ostendit. Nam quamuis faciendi per Vngariam itineris potestatem à Geysa prius litteris perhumanè impetrauerat, aliquanto tamen insolentiùs, ac par erat, iter fecit. Et quum se in sacrosanctam expeditionem peregre proficiscentem diceret, sub viatici, stipendiíve sacri nomine, è cunctis sacris ædibus, cœnobiis, & xenodochiis immodicam pecuniam extorsit, quin & multæ basilicæ, ac religiosa loca, collatam præ timore illi stipem detulere. Quod quamuis Geysa, cæteriq; Pannones ægrè tulissent, sanctissimę tamen expeditionis gratia patientissimè tolerarunt, adiuuarūt muneribus & cōmeatibus, & nul-

lum hospitalitatis ac diuinæ charitatis officium prætermiserunt. Conradus autem per Mysiam & Macedoniam iter faciens, in Thraciam Constantinopolim contendit, vt Emmanuelis Secūdi Græcorum Imperatoris adiumento, per fretum Euxinum commodè traiiceret. Ibi ab Emmanuele infido malè persuasus, traiecto in Asiam exercitu, Iconium obsedit, qua vt ille promiserat, commeatus omnes à Constantinopoli se habiturum esse sperabat, quippe qui aliunde haberi non poterant. Quum munitissimam is vrbē obsedisset, sceleratissimus Græcorum Imperator, vt Romani Principis præ liuore perderet exercitum, farinæ semper gypsum immiscuit. Quare milites adulterata re frumētaria, passim morbo correpti, magna ex parte interiere. Itaque Conradus re infecta, paulò pòst in Germaniā redire coactus est. Atque id tantum emolumenti sua expeditio præbuit, quod Balduinus Hierosolymitanorum Rex Quartus, tantum animi ex Imperatoris aduentu concepit, vt Ascaloniam diu obsessam ceperit: quum paulò prius Gazam, vetustissimam vrbem, sed ab incolis destitutam, instaurasset, fratribusque Templariis (vt aiunt) inhabitandam concessisset. Quin & eodem ferè tempore, Turcorum satrapas aggredi ausus est, qui Hierichontinos admodum opprimebant: quos quum prælio superasset, quinque milia Turcorum cæsa referuntur. Insuper Noradinum Damascenorum Præfectum, & Hierosolymitanum agrum assiduò infestantem, insigni clade fugauit, ad Damasci vsque mœnia persequutus. De Cōrado hactenus. Sed de Lodouico Gallorum Rege dicendum, qui in expeditionem Hierosolymitanam, eodem tempore, post Conradum profectus, & per Vngariam iter faciens, multo diligentius hospitalitatis iura seruauit. Eugenium Tertium Pontificem maximum, Pisis oriundum, Romanorum factionibus vrbe Roma exactum, in Gallias cōtendisse aiunt, partim vt sanctissimum patrem Bernardum viseret, à quo sacris fuerat initiatus, partim vt Ludouicum Regem, diuino cultui deditissimum, ad suscipiendam Palęstinæ expeditionē hortaretur, & crucis tessera Christi ducem insigniret. Quam quum forti animo Rex ille accepisset, ne longa nauigatione vexaret exercitum, per Rhœtos, Vindelicos & Pannones, deinde per Mysos & Macedonas, Constantinopolim ad Emmanuelem peruenit. Quo quidem tempore, quum per Vngariam transiret, à Geysa honorificentissimè acceptus est: nam Conradum paulò pòst sequutus, vbique sanctissimum se piæ militiæ ducem ostendit. Tanta seueritate duxit exercitum, vt ne minimum quidem rusticum læserit, nullum pecus abegerit, vim militi passim inhibuerit. Qua quidem continentia, cum singulari humanitate coniuncta, ita Vngarorum gratiam promeruit, vt à Rege ac cæteris Optimatibus, diebus aliquot, & aliquanto diutius, ac par erat, sub reficiendorum corporum prætextu, in Vngaria remoratus fuerit. Item aiunt, eodē tempore scitum Geysæ puerum fuisse natum, & sacra fontis aqua, Lodouici Regis testimonio, inter Christianos assertum. Item sacrosancti iure vinculi, illū à Geysa non modò honorifico comitatu, gratissimo hospitio & commeatibus passim exercitui gratuito datis, verumetiam regiis donis honestatum, in Thraciæ finibus fuisse dimissum. Is autem quum ad Emmanuelem Constantinopolim cum exercitu venisset, haud aliter ac Conradus, à fraudulentissimo Imperatore tractatus est. Nam ab illo persuasus, vt per Syriæ deserta iter faceret, tantam iacturam, partim rerum inopia, partim locorum difficultate fecisse dicitur, vt Antiochiæ hybernare sit coactus. At Rogerius, qui Siciliæ imperabat, Emmanueli infensus, comparata maxima classe, Corcyram, Corinthum, Thebas, & Euboiam perfido Græco abstulit. Quin & Constātinopolim cum classe nauigasset, ni quadraginta Venetorum naues longas in Adriatico sinu reformidasset. Quare ad Asiatica littora deflexit, magnæque Christianis felicitati fuit. Nanque Lodouicum Regem, in Palæstinam ad sancti Symeonis portum nauigantem, Saracena classis fortè interceperat. Quò quum nescio quo fato, veluti à Deo missus, Rogerius cum sua classe præstò interuolasset, periclitantem piumque Regem liberauit, insperatęque lętitiæ omnibus Christianis & saluti fuit. Mox in Syria multa occupauit, quæ sine pręsidio relicta à Venetis recuperata sunt. Deinde quum

Lodo-

Lodouicum ad Ioppen reliquisset, Constantinopolim cum vniuersa classe properauit, vbi spectante etiam Emmanuele ab arce, suburbia cum appendicibus hostiliter incendit. Mox arcem adortus, quum expugnare non posset, vsque eo dimicando processit, vt ex hortis Augustalibus, propria etiam manu, poma legerit. Sed in reditu cum Veneta classe parum prosperè conflixit. Conradus autem, Lodouicus & Balduinus, quum vnà conuenissent, vnito cōsensu Damascum obsident, ab Arabiæ quondam seruis fundatam, sitam in planicie. Quæ natura soli, sterilis foret & arida, nisi à proximo tenuique fluuio, fistulis & cuniculis ager irrigaretur, ex quo tanta feracitas, & pomorum suauissimorum copia
20 profluit, vt nihil in orbe lætius iudicaueris. Obsessam vrbem perbreui ad deditionem redegissent, si aquā inhibuissent, quam aliò facilè diuertissent. Sed cuiusdam Assyrij dolus intercessit, qui Balduino quandoque se fidum ostenderat. Hic enim ciuium pecunia coinquinatus, Balduino significauit, vt aliam partem vrbis obsideret, si ea breui potiri cuperet, quando illinc murorum infirmitate facilius expugnari poterat: quod quum ille fecisset, mox iste occupandum esse fluuium, & munitionibus hosti inhibendum, commeatuumque viam præcludendam censuit. Id vbi factum est, ita siti ac fame absumpti sunt, vt soluta obsidione, Lodouicus & Conradus, multis amissis, exercitum in Europam commi-nutissimum reduxerint: quod anno centesimo quinquagesimosecundo supra 1152.
40 millesimū, accidisse legimus. Quo quidem tempore, Eugenius Romam reuersus, à populo Romano honorificè receptus est. Balduinus autem Hierosolymitanus Rex, deinde Ægyptios & Babylonios superauit. In quo bello, quinq; Barbarorum milia cæsa sunt. Sed de Lodouico & Conrado hactenus, qui per Vngariam iter, regnante Geysa, fecisse traduntur. Qua quidem in re, longius aliquanto, ac par erat, diuagati sumus, ne rem memoria dignam, iniquo silentio præteriremus. Nunc ad res Vngaticas redeamus, & quæ post Germanicū Geysa bella gesserit, quantum ex inopia Scriptorum indagare possumus, ritè prosequamur. Sed antequā vltrà progrediamur, quod de Boricho adulterino intercessit, nequaquam subticēdum. Quum Lodouicus per Vngariam iter faceret,
30 à Georgio quodam milite Rex Pannoniæ admonetur, Borichum, adulterinum Colomanni Regis filium, in Gallorum castris esse, accitum quorundam Vngarorum consiliis & precibus, si sacrosanctæ militiæ castris insinuatus, Pannonias fortasse subiret, facilè fore, vt multi in Vngaria nō ignobiles, à Geysa Rege ad eum deficerent. Ne falsus quidem rumor erat, siquidem in Lodouici castris Borichus delituerat. hoc vbi Geysæ relatum fuit, hæc Lodouico repentè significauit: In tuis (inquit) castris, Lodouice, Borichus est, qui ex adulterio genitus, Regis Colomanni, maioris olim patrui mei, se filium esse mentitur, se inter tuas copias insinuauit, vt aliquid aduersus me moliretur. Proinde si me beneficio tuo dignum existimas, Borichum interitus mei anhelātem redde, ne improbo
40 patrocinio fugilleris, néve quod à bonorū ingenio nimis alienum est, & quàm maximè Principum, pro bono malum cumulatissimū rependere videare. Obrepit fama inter Gallica castra, quendam ibi Rutenum delituisse, vt bene merenti de Gallis Vngariæ Regi, per insidias regnum occupet, illum esse spuriū, & legitimum Regem, quibuscunq; potest artibus, exacturū. Ad famam continuò tumultus excitatur, per omnia contubernia in paricidam disquiritur. Borichus, his auditis, huiusce mali conscius, crimen læsæ maiestatis admodum veritus, liberè Lodouicum Regem adit, ad cuius pedes prostratus, vitam simul & veniam exorat, vt tutò cum exercitu abire sibi liceat, impensissimè supplicat, vt ex Vngaria sine periculo euaderet. Geysa iam certior factus, Borichum in Lo-
50 douici castris esse, iterum precatur, vt suum inimicum ad se vinctum remittat. Ad hæc pientissimum Gallorum Regem ita respondisse ferunt: Num hæc Geysa Rex ignorat, cuiusque Regis optimi tabernaculum, haud aliter ac religiosum templum, ac pedes Regis pro aris haberi oportere? Quonā iure, diuino aut humano, hunc reddere possum, si ad tabernaculū, velut ad ædem, & ad pedes, tanquam ad altare confugit? Ad hæc nuncium respondisse aiunt, Adulterinam

sobolem è republica exterminãdam: nulla promiscuum genus hominum indulgentia prosequendum, immo vndique diligentissimè extirpandum, ne legitimi hæredes bonis propriis amoueantur. Quũ hæc ad Borichi aures peruenissent, reformidata morte, subtractoq; Lodouici Regis equo, subinde aufugit. Quod vbi ab hipparcho stabulique præfecto cognitum est, sumpto alio equo, pari pernicitate subsequitur: qui quum Borichum assequutus esset, in primo congressu, statim ab eo, disciso capite, interfectus est. Hac igitur audacia adulterinum Vngariæ Regem, sequutoris periculum euasisse ferũt. Sed qualis in fratres ipse fuerit, fraterna satis ipsa testimonia planè testantur. Almus præ cæteris mortem obiit, Ladislaus & Stephanus fuere superstites, quos & paterna & regia liberalitate ac indulgentia, vt par erat, prosequutus est. Nam vtrunque Ducem statuit, pro dignitate prouentus & vectigalia magna disposuit, iussit viuere more regio, vt paruum inter eos videretur esse discrimen. In media sæpe concione fratres amplexabatur, vt non tam pietatem suam ostentaret, quàm suorum inter se pristinam crudelitatem, & infamiam impietatis aboleret. Post hæc Rutenorum bellum exarsit. Nam quum Rex, Minoslai Rutenorum Principis filiam, duxisset vxorem, ex qua Stephanum & Belam tertios accepit, cum nonnullis aliis, qui immatura morte subrepti sunt: præ Rutenorum factionibus, hanc pro socero expeditionem suscipere coactus est. Lodomerius enim Chunorũ fretus auxiliis, Minoslaum regno eiicere, & tyrannidem inuadere ausus est. Rex quum socerum à Lodomerio grauiter oppugnari accepisset, exercitũ in Roxaniã misit. Qui quum hinc à Chunis, à Rutenis illinc infestaretur, sedato tandem bello, multis amissis, in Vngariam rediit. Deinde haud multo pòst tempore Lodomerius iterum Minoslaum adoritur, multa eius oppida vi capit, diripitque, mox agrum vastat, & quibuscunque potest calamitatibus & iniuriis afficit. Iterum à socero efflagitatur auxilium. Rex ne periclitantem eum desereret, comparato magno exercitu, vnà cum Ladislao ac Stephano fratribus in Rutenos contendit, vt affinis iniurias & pristinam legionum iacturam vlcisceretur. Quum hostium fines attigisset, Lodomerium cum magna multitudine occurrẽtem offendit. Pauci dies curandis corporibus, & reficiendis equis, longo itinere defatigatis, dati sunt: mox prælium initum. Quo cæsis vtrinque multis, Lodomerius cum Chunis & Rutenis passim fusus & fugatus est. Minoslaus profligato hoste generi opera, cuncta quæ amiserat, subitò recuperauit. Rex cum fratrib. victoria potiti, ac superiores iniurias vlti, ouantes in Pãnoniam rediere. Dum hæc omnia, quæ diximus, ita gerũtur, Rogerius Rex Siciliæ diem obiit, Guilielmus filius regnum accepit, qui paulo post mortem patris, Beneuenti suburbia, Ceperanum & Babuchum oppida occupauit. Quare ab Adriano Pontifice maximo, & regni titulo, & Christiana consuetudine, quando aqua & igni sibi fuerat interdictum, priuatus est: subditi quoque à præstito iuramento absoluti. Hac etiam tempestate, Noruegia Christi fide initiata. Et Fredericus Primus, Sueua gente natus, Romanumque imperium sortitus, in Italiam venit. Tordonem obsessam vi cepit, contendit mox Romam. Pontifex ei per internuncios conciliatus, in Sutrino agro statim occurrit. A quo legitimam reuerentiam exegit, coronauit mox in Diui Petri basilica, & legitimum Populo Romano hunc Imperatorem esse declarauit. Tunc Vrbis consules Adriano infesti, & vtriusque concordiam veriti, portas clausere. Plebs iniussu consulum, per pontem Traiani eruptione facta, Teuthones in Vaticano obseruatos, multis interfectis, hostiliter spoliauit. Sed vltio subinde facta: nam ex castris Imperatoris, quæ in pratis Neronianis locata fuerant, suscitato tumultu, innumera militum manus effluxit, quæ profligata Romana plebe, captiuos multos abduxit, quos Põtificis precibus Imperator exoratus, continuò dimisit. Deinde quum per Vrbem ad Lateranum iter vterque facere nollet, ad Mallianum se contulit, mox per pontem Lucanum, traiecto Tyberi, ad Lateranum peruenit, vbi cõpositis rebus Christianæ reipublicæ, Fredericus in Germaniam rediit. Adrianus à regni Proceribus exoratus, Beneuentum se contulit, ac maiorem regni partem Guilielmo abstulit. I-

lit. Item Palæologus quidam Græcus, nobili genere natus, Emmanuelis Imperatoris nuncius, Anconam appulit, mox Beneuentum ad Pontificem properauit, data ab Imperatore mandata detulit, in quibus hæc potissima continebantur: Emmanuelem, si tres duntaxat Apuliæ vrbes maritimæ sibi permittantur, quinque milia pondo auri, item Guilielmi ex Italia expulsionem offerre Pontifici. Quæ quum Guilielmo nunciarentur, ad Pontificem repentè confugiens, se omnia, quæ Ecclesiæ Romanæ abstulerat, redditurum, adiecturum insuper oppida nonnulla, item Romanos rebelles vltrò subacturum. Demum aurum à Græco Imperatore promissum, accepto legitimo temporis interuallo, persoluturum pollicetur, si pontificia auctoritate sibi sit integrum, in vtroque Siciliæ regno liberè dominari. Placuit Pontifici oblata conditio, sed Cardinales auaritia ducti intercessere. Quare Guilielmus, ob repulsam iratus, Apuliam inuasit, cuncta longè lateque deuastans. Et profligatis ad Brundusium, Græcorum Apulorumque copiis, Apulos & Salentinos in deditionem accepit. Quare Pontifex indignatus Cardinalibus, Beneuētum Guilielmum acciri iussit: quò quum venisset, pro oblata conditione, auctoritate sua liberam vtriusque regni potestatem dedit. Adriano paulò pòst ad Agrianum defuncto, Alexander Tertius, patria Senensis, duorum & viginti Cardinalium suffragiis, Pontifex designatur. Contrà verò trium tantùm suffragiis Octauianus, Romanus Pontifex creatur, qui Victor appellatus est. Orta inter vtrunque contentione, Alexander Imperatorem Fredericum, eo tempore Cremam obsidentem, missis internunciis orauit, vt sibi præstò, prout vtriusque postulat officium, adforet. Ille respondit, Vtrunque Pontificem Papiam ire oportere, vbi vtriusq; partis rationes lubentissimè se auditurū pollicetur. Quare Alexander Auaniam, Octauianus Segniam se contulit. Fredericus missis duobus Episcopis, Alexandrum hortatur, vt ad conuentum Papiæ celebrandum veniret. Sed Episcopi à Pontifice cōfutati, Segniæ Octauianum visitarunt, eumque Papiam deduxerunt. Hunc Imperator, in cōuentu Papam declaratum, adorauit, deduxit eius equum ex more per Vrbem. Alexander, quum hæc omnia nouisset, & admonuisset vtrunq;, confestim præmissa admonitione, Octauiano & Imperatori humana consuetudine interdixit, longè lateque per Christianam rempublicam nuncios misit, qui suæ causæ iusticiam testarentur. Philippi Gallorum Regis monitis & precibus adactus, in Campaniam rediit, deinde paulò pòst in Galliam vlteriorem cōtendit. Postea in Pessulano & Claromonte, Imperatoris anathema, habito conuentu, pronunciauit. Dum hęc in Europa sic aguntur, mortuo apud Hierosolymam Balduino Tertio, Almericus frater in regno successit, qui cum Ægyptiis haud multò pòst congressus, magnam cladem his intulit. Obsedit Alexandriam, quam Tiracunus, Saladini Turcorum Regis Præfectus, Soldano Ægypti fraude subtraxerat. Alexandrini quum nullo pacto Christianum iugum subire vellent, ea tamen conditione se Almerico commiserunt, vt in Soldani potestatem sua opera & industria reducerentur. Recepta ingenti pecunia, Soldano vrbem Almericus planè restituit. Mox intellecta Soldani fraude, Carras, quam nunc Carim, vrbem potentissimam, appellant, obsedit. Fredericus autem ad tyrannidē conuersus, direpta Tordona, Mediolanum diruit, populum in sex portarum tribubus, diuisum in sena loca, procul ab vrbe, ad decimum lapidem habitare coegit. Cremam ingenti detrimento affecit. Quare Venetorum consilio, Veronenses, Patauini ac Vicentini inter se fœdus icere, vt præter legitimum imperij tributum, nil obsequij vltrà præstarent. Mox Imperator iste, Ænobarbus ex cognomento dictus, missis oratoribus, Gallorum Regem orauit, vt Alexandrum ad præstitutum conuentum duceret, quum ipse Victorem se ducturum reciperet. Cōuentus ad Diuionem indictus, vbi Franco amnis Gallos disterminat à Germanis. Quum Principes ex composito illuc mira frequentia conuenirent, Alexander, qui apud Dolense cœnobium Aquitaniæ substiterat, se eam synodum aditurum esse negauit, quam ipse non indixisset, ne quid pontificiæ potestati derogare videretur. Quare soluto conuentu, Fredericus in Germaniam rediit.

Alexander ad Turonium, synodum indixit, vbi multa decreta promulgata. Interea Octauianus Lucæ mortuus est, & Guido Cremensis in antipapam subrogatus. Fœdus ciuitatum Italiæ amplificatũ. Nam Cremonenses, Brixiani, Bergomenses, Mediolanenses quoque dissipati, cum Placentinis in eandem societatem admissi. Alexander demum, creatis Consulibus, qui ex veteri amicitia dignitati suæ suffragabantur, à Romanis è Gallia Romam reuocatur, quod anno centesimo sexagesimoquinto supra millesimum accidisse legimus. Hæc igitur regnante Geysa acciderunt. Insuper iisdem ferè temporibus, Alphonsum Hispaniæ Regem, ab expugnatione Terræ sanctæ reuersum, diem obiisse ferunt. Cui Sanctius filius natu maior, in regno successit, & illi non multo pòst Ferdinandus frater, quem in Arabia, pro Christi nomine bellando, occubuisse memorant. Huic Alphonsus filius subrogatus, regnum accepit, quin & illius quoque temporibus, crucis figura in luna publicè visa. Geysa tandem in aduersam valetudinem incidit, qua indies ingrauescente, ne intestatus obiret, accitis amicis Pontificibus, & Optimatibus, regnum disposuit. Stephanum Tertium, grandiorem natu, regem pronunciauit. Exorauit etiam Proceres, vt eundem pro Rege vltrò susciperent, colerent & amarent, filios hæredes è semisse constituit. Cætera partim sacris ædibus, partim calamitosis hominibus, ac variis sanctissimisque vsibus legauit. Demum inter liberorum ac fratrum amplexus animam efflauit. Annis viginti, mensibus tribus, & diebus quindecim regnasse fertur, incolumi fama, & integra regni potestate. Obdormiuit autem in Domino, anno salutis centesimo sexagesimoprimo supra millesimũ, pridie calendas Iunias, maximumque sui desiderium omnibus reliquit. Corpus Albam elatum, ac publicè deploratum, & inter monumenta Regum filij retulere. Celebratis honorificentissimè exequiis, ad comitia regalia studia conuersa sunt. Nam quamuis Regem declaratum, ac legitimum haberent, ne priscam consuetudinem abolerent, comitiorum diem indixere.

1165. | 10 | 20

Stephanus III.

QVVM defuncto Rege Geysa, frequentissima comitia haberentur, adductis in medium publiceque perlectis testamenti tabulis, omnes cunctis suffragiis declaratum a patre Regem Stephanum Tertium comprobãt, & faustis cognominibus ingeminant. Stephano cuncta feliciter exclamant, Stephano nouo Regi laus & gloria, Stephano felix vita, & continuata victoria, Vngariç fausta omnia & felicia. Paulò pòst Albæ ex more coronant, & sacro Diui Stephani progenitoris diademate confirmant. Is regno potitus, & ad regnandũ haudquaquam intempestiuus, nihil sine senatus auctoritate & patris amicorũ consilio gerit. Triennij regnum immunitate donauit, & multa captandæ popularis auræ gratia, edicta promulgauit: ocium & quietem pro viribus ab initio retinuit, mox sociorũ & regni causa in bella descendit, quæ vario gessit euentu, neque suorũ perfidia caruit, vt suo loco referemus. Verum enim vero hac re potissimum execrandi sunt Vngarorum Annales, quippe qui etsi ineptissimè scripti sunt (qua in re veniam damus, quia historiã potius, quàm eloquutionẽ quærimus) nonnullorũ tamen Regum, veluti Stephani gesta, cuncta nefario silẽtio prætereunt, quæ prçstantiores plerique Scriptores minimè prætermisere. Quare vt hanc grandem rerum Vngaricarum iacturam resarciamus, quid cum Venetis, & Emmanuele Græcorũ Imperatore gesserit, in primis referemus. Emmanuelem, & Fredericum Ænobarbum simul illa tempora protulere, impietate, perfidia, & crudelitate pares, vtpote quibus nihil tunc sæua tyrannide videbatur antiquius. Dum Gallia Cisalpina Frederici reditum reformidat, & vrbs Roma reditu Alexandri Pontificis exultat, Emmanuel in Italos, Dalmatas & Istros multa molitur, quæ altiusculè repetemus, vt apertior res ipsa videatur. Ex eo tempore, quo Veneti, afflictis Hierosolymæ rebus, Balduino Rege in captiuitate demerso, auxilia pia, duce Dominico Michaele contulere, hostilẽ Emmanuel animũ Venetis ostendit, quos hactenus fidelissimos sibi socios semper habuerat, haud dissimulãs, collata illis auxilia ægerrimè tulisse. Vt Venetis obesse posset, Stephanũ Tertium Vngarorũ Regem, itẽ Dalmatas, Istros, Liburnos

Vngarorum annales.

30 | 40 | 50

& An-

& Anconitanos,cum Græcis in societatem admisit. Stephanus vltrò fœdus iniit,vt antiquas pro Dalmatia inimicitias commodius vlcisceretur.Dalmatę verò,Istri & Liburni, longè propensiùs in ista fœdera conuenere, vt quamuis Imperatorij & Cōstantinopolitani iuris olim fuerint, & tunc partim Venetorum, partim Vngarorum imperio parêrent, ista tamen rerum nouitate, trini potentatus è ceruicibus iuga discuterent,multoque licentius,vt antè,piraticam exercerent, quos maritimis latrociniis assuetos fuisse Liuius affirmat, quod vt facilius facere possent,horum trium amicitias sæpissimè ludificarāt. Quare Dominicus Maurocenus dux Venetus, anno salutis vndequinquagesimo & vndecies 1149.
10 centeno, Senatus Populíque Veneti iussu, in Istros mare Adriaticum infestantes,quinquaginta triremium classem duxit,qua Polam,Rubinum, Parentium, Hemoniam & Humagum,in Venetorum perbreui potestatem asseruit. Anno inde septimo in demortui Ducis huiusce locum, Vitalis Michael suffectus fuerat.Quo quidem tempore Adrianus Pontifex,Gradensem Ecclesiam,super cęteras Venetiæ,Istriæ,ac Liburniæ basilicas,principatū tenere pronunciauit. Id Vlricus Aquileiæ patriarcha sentiens, ægrè tulit: impetratis à Stephano Vngarorum rege auxiliis,quo cum societatem hac duntaxat causa iniuerat, Gradēse oppidum,partim dolis,partim viribus occupare cōtendit, sed spes hominem frustrata est, quandoquidem immissa Venetorum classe, cum septingentis par-
20 tim Foroiuliensibus,partim Vngaris captus est. Et hi omnes hac conditione dimissi,vt Foroiulienses quotannis duodenos porcos,totidemque panes Venetis tributi loco penderent. In sequenti anno, Arbenses & Liburni a Venetis subacti. Per id etiam temporis Stephanus Rex,simulata cum Vitali Michaele amicitia, duas eximiæ nobilitatis Vngaricæ virgines, duobus illius Ducis filiis matrimonij loco collocauit. Quare paulò pòst eius arte & opera factū est, vt Spalatrum,Tragurium,& Sibinicum, à Veneta republica deficeret. Quinetiam & Iadrenses, qui tunc Venetæ ditionis erant, quum Ecclesiæ subiectionem Gradensi factam, iniquo animo tolerarent, instigante etiam tunc Rege Stephano, Venetis rebellarūt, qui ea tempestate,ita omnes ingenij neruos in Venetorum
30 detrimenta intenderat, vt nil impensius curare videretur. Quare Vitalis Dux, cum triginta longis nauibus ad recuperanda quæ amiserat,in Dalmatiam contendit,& re infecta,repulsus recessit. Item Anconitani,Emmanuelis Imperatoris iussu,in cuius potestatem eo tempore se penitus asseruerant,Guiscardo Anconitano Duce, cū quinis triremibus, excursionibus & latrociniis, omnia Venetorum littora admodum infestarunt. In quos tandem Michael emissus, nauali bello Guiscardum cepit, vltimoque supplicio affecit. Captas quoq; triremes demersit, haud incruenta victoria potitus:nam inter cæteros cæsos ac saucios, vnā tantùm è potissimis triremium amisit,ab hoste demersam. Stephanus autem Rex,eductis multis ex Vngaria copiis,nō modò Dalmatiæ passim vrbes
40 milite complerat,sed ab eo tractu,Venetorum fines longè lateque vexabat. Ne quid ex data occasione remitteret, quotidie quoq; per nuncios Emmanuelem Imperatorem sollicitabat,& irritabat in Venetos. Itaque anno sexto ac sexagesimo super vndecies cētenum,aliam classem in Dalmatiam Veneti, sub eodem 1166.
Duce, instaurare coacti sunt, cui Dominicum Maurocenum præfuisse ferunt. Vitalis vbi Dalmatiam appulit, Iadram in primis metropolim adoritur: quam quum terra mariq; acerrimè oppugnaret, vrbe tandē potitur. Multis cæsis,muros à parte maris diruit, vt rebellandi præriperet facultatem, item ducentos ex ordine nobiliū obsides abducit. Hac sæuitia cæteri Dalmatæ vsq; adeo perculsi sunt, vt eiectis Vngarorum præsidiis, quæ paulò antè Rex Stephanus imposue-
50 rat, ad Græcos & Emmanuelem Imperatorem extemplo deficerent, quorum auspiciis & imperio diu olim regi consueuerant. Ne grauissimè quidem id Stephanus tulit, quando hos Imperatoris,quàm Veneti ditione teneri malebat. Orientalis Augusti vniuersus Illyrici tractus quondam fuerat, & maritimam eius oram idcirco Veneti summa affectatione tutati sunt, partim vt Adriatici maris iter ad nauigandum expeditius haberent, partim vt sub auxiliorum prætextu,

labantis Græcorum imperij appendices indies occuparent, Emmanuelem Rex Stephanus, dolorum & perfidiæ officinã, donis & pecuniis incendit, vt Ichthyophagos & piscatores, Græcorum imperium anhelantes, à temeraria audacia coerceret, néve pateretur nobilissimam Romanarum coloniarum oram a Venetis occupari, qui magis captandis hominibus quam piscibus incumberent. Et ni prospiceretur, perbreui fore, vt veluti pastoribus ab initio Populi Romani, talis Imperij ac tanta fiat accessio, vt prius Græcia cum Illyrico, quam Italia & Pannonia hinc accipiat detrimentum. His Emmanuel sat incensus, qui vltrò crescentibus Italorum rebus inuidebat, neque cæteris præ ingenito liuore parcebat, quem ex reliquiis Græcæ improbitatis planè conflauerat, fraudem haud modicam comminiscitur. Non tam publico edicto, quàm data fide, vulgò Venetos hortatur, vt per vniuersum Græcorum imperium mercimonias liberè contrectarent. Quod quum illi solito more factitarent, vna cunctos die cum nauibus & mercimoniis intercepit. Quod vbi Venetis significatum est, ita populus vniuersus consternatus est, vt oratores ad imploranda, quæcunque concederentur, Senatus cõsulto destinaret. Instaurarunt animos viginti naues negociatoriæ, quæ è Græcorum manibus & insidiis euaserant, Venetiasque re integra redierant. Quarum reditu sic omnium animi leuati sunt & instaurati, vt perbreui omnibus, qui negociandi causa aberant, reuocatis, Senatus consulto, tanta & tam inaudita celeritate classis comparata sit, quantam ab inclinatione imperij Romani nusquam pari festinatione factam acceperimus. Quando centum diebus, centenas triremes, ac viginti naues onerarias fabricasse memorãt, quibus (vt aiunt) Iadrenses, & Istri nuperrimè recuperati, denas quoque naues longas, Venetorum iussu, adiecere. Hac igitur classe Tragurium captum, & inuito Vitali Michaele direptum ferunt. Eadem quoque Ragusium occupatum, mox in Ægeum pelagus nauigatum, in cassum obsessa Euboia. Chius capta, vbi dum Veneti promissam ab Imperatore pacem expectant, sæua continuo pestilentia classem inuasit, quæ Vitalem Michaelem Ducem vel inuitum Venetias redire coegit. Huius red tu infecta vrbs vniuersa, tã sæua contagione correpta est, vt hoc duntaxat morbo videretur absumi. Dux cõuocata concione, quũ ad consolandũ populum prodiisset, impetu mox in eum facto, vulneratus excessit. Stephanus aute Vngarorum Rex, Emmanuelem ab omni pace reuocare pergir, nullá cum Venetis concordiã hunc pacisci patitur. Catenatis laboribus, & operosis expeditionibus, ambitiosam vrbem vexari cupit, Dalmatas clàm sollicitat. Et clandestina arte, qui defecerãt, Iadrenses, Tragurios, & Ragusinos a Venetorũ studiis ac fide reuocare nititur. Dum hæc ita gerũtur, Fredericus Ænobarbus in Italiã reuersus, dissimulatis inimicitiis, & subornata benignitate, mãsuetudine, ac liberalitate, adeuntes populos excepit. Quum Guidonẽ Cremonensem antipapã ab Hetruscis aspernari audiuisset, partem copiarum per Flaminiã in Hetruriã misit, cæteram secum in Picenum agrũ duxit. Acerrima obsidione circumuenit Anconem, Emmanueli parentem, vt ab Imperatoris Græci studiis auerteret. Interea Mediolanenses, Cremonensiũ, Placẽtinorum & Veronensiũ auxilio vrbẽ quàm antea munitiorẽ instaurant. Et Laudensis nouæ vrbis à Frederico ædificatę ciues, in bello sociali, Lombardorũ partibus accessere. Emmanuel Alexandrũ septimum iam annum pontificatus agentẽ, dimissa re Veneta, quod Stephano Regi molestissimũ fuerat, per oratores dolosis artib. tẽtare cœpit, vt ad redintegrandũ Romanum Imperiũ animum aduerteret, quãdo fide ac potẽtia se Frederico Ænobarbo superiorẽ esse affirmabat. Sperabat ob atrocissimum inter vtrunq; odiũ, se id Pontifici facilè persuasurũ. Interea Populus Romanus à Germanis & Tusculanis magnã cladem acceperat. Quod vbi Frederico nunciatũ est, soluta statim obsidione Anconitana, ad Vrbem properauit: in pratis Neronis castra locat, Vaticanum adoritur, & accepisset, nisi à Pontificia cohorte repulsus esset. Quod Imperator ægrè ferens, circumductis copiis, Petri basilicam perfringere adortus, & maiori væsania percitus, ignem valuis & tecto supponi iubet. Æditui reformidato incendio, postes patefaciunt, ac furentem admit-

admittunt. Alexander ex Laterano, Ænobarbi furorē veritus, in proximas Frangepanûm domos, quæ Amphitheatrum, & Diuæ Mariæ nouæ cœnobium, cum palatio complectebantur, se recepit. Mox à Guilielmo Nortmanno, Guilielmi filio, & Siciliæ Rege, qui ex paterno instituto, parentis loco Pōtificem habebat, triremes treis cum ingenti pecunia accepit, quibus aut pro fugæ, aut defensionis adminiculis vteretur, pecuniam in Frangepanes, & Petri Leonis filios, portarumque custodes planè distribuit. Et quum se ab Imperatore dolis peti intelligeret, primùm Circeios, deinde Tarracinam, pòst Caietam & Beneuentum petiit. Sub fugam Pōtificis pestilentia vsque adeo sæua Imperatoris exercitum
10 incessit, vt non modò in proceres & magnates, sed longè lateque in cæteram multitudinem effusa debaccharetur. Quare data Pontifici pace, quam dudum abnuerat, primò Lucam, mox Tordonam, Papiamque confugit. Deinde sociali Lombardorum bello, quum nullos alios, præter Papienses, Monteferratenses & Tordonenses haberet amicos, Cisalpina ferè Gallia exactus in Germaniam rediit. Mox Alexandria à Pontificis nomine, in æternum Frederici dedecus, à sociis populis ædificata. Quod anno sexagesimo octauo supra vndecies centenum factum esse legimus. Dum hæc ita geruntur, Stephanus Rex Vngariæ, quum Emmanuelem in persequendis Venetis deferbuisse, & aliò mentem intendisse animaduerteret, ipse quoque in re Dalmatica aliquantulum retepuit. 1168.
20 Quod etiam domestica & intestina fraude factum est. Dux enim Ladislaus frater eius, ac Regis Belæ cæci filius, imperandi cupiditate tractus, ad occupandam coronam animum intendit, ratus facilè fore, vt ea potitus, regno quoq; potiretur. In primis cum fidissimis plerisque rem communicat, & subripiendæ coronæ clam consilium init, multos muneribus, officiis quoque quàm plurimos ex Optimatibus sibi conciliat: subducuntur vrbes, clietelæ, populi & comitatus in diuersa studia distrahuntur. Atqui postquam fauotis & præsidij satis comparatum Ladislaus sibi arbitratur, subrepto variis artibus sacro diademate, se verum Regem, neque ætate, neque virtute, & paterna & propria, regno indecorum asseuerat. Suffragantur cum plerisque Pontificibus multi Optimates, & acces-
30 sit haud infrequens popularis aura, quæ facili motu, veluti nouitatis auida, in vtranque partem suscitatur. Stephanus contrà, rerum insolentia perculsus, nouitati cessit, per castella quędam munitissima diuagatus, vt secessu potius quàm instanti pertinacia intestinum bellum declinaret. Interea Ladislaus vsurpata regni potestate potitus, sex mensibus imperat. Sed obrepēte subinde morte, salutis anno septuagesimo secundo supra vndecies centum, calendis Februariis diem obiit. Corpus Albam inter maiorum monumenta relatum. Nondum patruorum factio illa desierat, quum Rege pristinā dignitatem post Ladislai mortem recuperare studente, Stephanus Ladislai frater, & Belæ quoque cæci filius intercessit, qui iisdem suffragatoribus vsus, tertio idus Februarias vsurpata 1172.
40 corona decoratus est, & quinis mensibus ea potitus. Verùm Rex patruorum insolentiam non vltrà tolerandam esse ratus, suscitato tandem bello, resipiscentibusque maxima ex parte optimatibus, in eum castra mouit. In duas partes diuisa iam Vngaria, intestinum bellum atque grauissimū molitur. At vbi ad conferendas manus conuentum est, tanta nobilium clades eo prælio patrata, vt nihil his temporibus Vngariæ miserabilius accidere potuerit. Patruus tandem à nepote victus, regno exactus: paulò pòst in castello quodam, quod Zemlen appellant, Aprilis idibus diem obiit, Saluatoris anno septuagesimo tertio supra millesimum & centesimum: corpus quoque Albam relatum est. Eodem etiam anno, Rex Stephanus Geysæ filius, quarto nonas Martias vita excesserat, ne 1173.
50 diutius corriuales regios, eosdemq; cognatos, Pānonica fortuna toleraret. Exequiæ honorificentissimæ illi persolutæ, corpus Strigonij conditum. Hunc annis vndecim, mensibus nouem, diebus tribus regnasse ferunt. Hæc igitur de Stephano Tertio expiscati sumus, aliud de viro quicquam, quando tanta Scriptorum inopia bellicosa semper Pānonia laborauit, inuenire nequiuimus. His etiam tēporibus, Emmanuel Constantinopolitanus Imperator, apochrysiarium

ad Alexandrum Pontificem Beneuentum misit, legationi maximam vim pecuniarum adiecit, quas antequam verba faceret, in medium promeret. Post longam orationem, illud tandem perorauit, Emmanuelem, Græcorum subiectionem potius, quàm vtriusq; Ecclesiæ vnionem, vltrò deferre, si corona Occidentalis Imperij, qua Fredericus Ænobarbus, pro nefariis facinoribus, iure priuatus erat, redintegrato imperio, à Romano Pontifice donaretur. Res à Pontifice Alexandro non modò ad sacrosanctum Cardinalium collegium, sed ad Romanum Senatum perlata. Post multorum sententias id demum cõsultum est, Emmanueli coronam omnino abnegandam, & delatam quoq; pecuniam recusandam, ne inexplebilis auariciæ causa, belli sempiterni semina Pontifex serere videretur. Iisdem etiam diebus, Guido Cremonensis antipapa, quem Fredericus Imperator ad Petri basilicã, Germanico præsidio munitum reliquerat, miseram animam efflauit. Cui ab Imperatoria factione, Ioannes Syrmiensis Abbas, ex inferiore Pannonia natus, vir pridem furtis & latrociniis infamis, subrogatur. De Stephano Tertio hactenus, nunc ad Belam festinemus.

RERVM VNGARICARVM DECADIS SECVNDÆ LIBER VII.

Bela III.

RESIDENTE cognato bello, & profligatis Ladislai partibus, redintegrata Pannonia, quæ diuersa studia prius sectabatur, Belam Tertium, Stephani Regis fratrem, cunctis suffragiis eligendum exposcit, quando è superiore Rege filiùs non superat, maturus regno. Accedebat viri integritas, & iusticia munita seueritate, ac grauitate non mediocri, quod illa tempora, intestini belli licentia deprauata, nimium postulabant. Nam furta passim & latrocinia patrabantur, facinorosissimus quisque grassabatur impune, & in nulla crimina seuerè animaduertebatur. Nam qui sub Rege quicquam sceleris commiserat, transfugiebat in Ladislai factionem, & hac arte per impunitatem elabebatur. Contrà verò illi, qui sub Ladislao erant, cõmisso scelere, ad Regem confugiebant. Quin & vterque princeps, non solùm in mediocribus, sed in maximis etiam criminibus, ne à suę factionis hominibus desereretur, conniuere cogebatur. Itaq; postquam Belam, magna grauitate præditum, ex more ac honorificentissimè idibus Ianuariis coronarunt, mox quisque publicò edicto est admonitus honestæ vitæ, ac peccandi est inhibita vulgò licentia. Post edictum, quum fures, sicarij & latrones multi, qui diu facinoribus occalluerant, nequaquam se abstinerent, magna seueritate, extremisq; suppliciis mulctati sunt. Vnde tantus facinorosos metus incessit, vt se in posterum nimis coercuerint: item & Regi hinc tanta auctoritas & gratia cõparata, vt hunc Regem optimum fore cuncti prędicerent. Et quum Reges antehac promiscuè ac immodestiùs ab hominibus adirentur, aures q; indoctæ multitudini accommodantes, modò garrulitatis fastidio, modò loquendi inscitia afficerentur, neq; grauitatem pro dignitate seruarent, neq; distinctè iudicia enunciarent: hinc factum est, vt Bela primus, petitionũ ac precum formulas instituerit, ex Imperatorum Pontificumq; more, & duos precũ ministros adsciuerit, qui quotidianas petitiones ei secreto legerent, rescriptaq; manu regia responsa referrent. Vnde optimus iudiciorum & gratiarum mos tunc Vngaris introductus. Post hæc, regnũ ex omni parte strenuè tutatus, nihil à finitimis adimi permisit. Tumultuaria quædam, & quasi momentanea cum Polonis & Boemis bella gessit. Australes intra fines coercuit. Illud sibi animo semper erat infixum, quod & fratri, & superioribus plerisq; Regibus semper inhæsit, maritimam & nobiliorem Dalmatiæ oram, quam Veneti occuparant, occupatamq; sæpius amiserant, ab Vngaris omnino occupari oportere. Neque vllo pacto patiendum, socios Dalmatas in imperiosa Venetorum seruitute iacère. Sed Venetorum tunc fortuna & auctoritas inhibebat, quam ex Alexandri & Frederici reconciliatione cõpararant.

tant. Duodeuigesimum pōtificatus annum grauissimus ille pater agebat, & adhuc cum Imperatore improbo nunquam cōsentire potuerat, neque voluit, donec Venetorum opera, pax postulata à Frederico, data fuit. Quin etiam eo tempore, Guilielmo Regi Siculo, quindecim, & sociis bello Lombardis, sex annis datæ sunt induciæ. Auctores pacis Veneti fuere, ea Venetiis honorificentissimè transacta. Vbi Imperator accitus, quum Diui Marci vestibulum attigisset, dimissa humeris trabea, supplex ac humi prostratus, Pontificis præsidentis pedes deosculatus est, mox eius dextera subleuatus, ad oris osculū admissus. Promulgata pace, Ioānes Syrmiensis in montis Albani latebras se abdidit. Ad hæc Emmanuelis mors intercessit Imperatoris, quē ita Venetis infestum, fratris exemplo esse nouerat, vt Henricum Dandalum, oratorem Venetum, & legationem constanter agentem, obiecto candente æneo, violato iure gentium, occæcarit. Is Alexium filium, imperij successorem reliquit: cui Agnes, Philippi Regis Gallorum filia, sponsa erat, eique Andronicum, regia prosapia oriundum, ea conditione tutorem dimiserat, vt aliquot annis imperium pro puero administraret. Item ea tempestate inter Balduinum Quartum Hierosolymæ, & Saladinum Turcorum Regem præstantissimū, grauissima bella gerebantur. Sed paulò pòst, quum Alexander Pontifex rebus humanis excessisset, suffecto Lucio Tertio, res Hierosolymitanæ ac Græcæ indies pessum ire occœperunt. Nam Andronicus, imperandi cupiditate tractus, nauigantem laxandi animi gratia Alexium in mare demersit, & tyrānidem subinde occupauit. Balduinus verò, ingrauescente pariter ætate ac morbo, quando elephantia virum incesserat, Saladini hostis periculum, quem sæpe fugarat, plus solito formidare cœperat. Quinetiā haud multo pòst tempore, Saladinus Hierosolymitanum agrum magnis copiis ingressus, tantum pecorum ac hominum abegit, vt magno detrimento Christianos affecerit: item maiorem Templariorum cæterorumque militum partem trucidauit. Quare auxilia afflictis Hierosolymæ rebus, per legatos à Pontifice maximo postulata, quæ post mortem Lucij, Clemens Pontifex diligentissimè curauit. Nam quum per nostrorum discordias, Saladinus vires adauxisset, post maximam Christianorum stragem Hierosolyma potitur: quam post Gothofredum, Reges nostri octo & octoginta annos gloriosissimè possederant. Audita sacræ vrbis captiuitate, festinata est ex hoc nimis expeditio in Palæstinam. Itaque iniquo tempora hæc animo Bela Rex ferebat, quę belli Veneti occasionem intercipiebant, sed exoptata tandem aduenit. Nam quum aureus magister Pettrus, dux Venetus, qui Pisanos ab Anconitanorum societate alienauit, qui eorum auxilio freti, Venetis mare infestum sanè reddiderant, Iadrenses cogeret, vt metropolitam suum, Gradensi Patriarchæ redderent obtemperātem, id tam molestè hi tulere, vt præ indignitate rei, quando non solùm humana, sed diuina quoq; iura, à Venetis in seruitutem asseri conspicarentur, quartò rebellantes, ad Belam Tertium planè deficerent. At Rex audita defectione, qua nihil erat antiquius, comparato magno exercitu, in Dalmatiam cōcessit. Muniuit validissimo præsidio vrbem, eius tractus præstantissimam, & nonnulla eius municipia milite compleuit. Exhilarati sunt hac nouitate Dalmatarum animi, & vniuersa Pannonia gestienti quadam lætitia complebatur. Contrà Veneti ad primum nuncium vsqueadeo consternati, vt nil tristius vnquam accepisse viderentur, ad Dalmaticum bellum, & ad exigendas toties violatæ fidei pœnas, tunc patres omnes, animos intendebant. Rabie simul & vindictæ anhelatione miserabiliter angebantur, nilque impensius curabant, quàm vt Iadrenses, expensis cumulatissimè pœnis, cæteris infidelibus exemplo forent. Vnum obstabat, exhausto nimis ærario, tam citò classem parari non posse. Difficultatem hanc maxima multorum patrum studia superarunt, qui publicæ potius quàm priuatæ vtilitati consulentes, collata pecunia, & adiectis quibusdam Riualtinis, bellicisq; vectigalibus, expediendam ocyssimè classem curauerunt. Qua quidem comparata, mira celeritate in Dalmatiam continuò nauigatum, & obsessa Iadra. Insulæ facilè receptæ, sed in vrbis expugnatione, quam Bela Rex amplo præsidio, &

commeatibus bene muniuerat, omnis opera eludebatur. Sub mœnib. ex Venetis multi occubuere, quum à continente vrbem tentassent, erumpentibus Vngaris, extēplo reiecti, Insulas facilè receperunt, quia Vngarum nauali apparatu parum posse constabat. Aliqui tunc Ragusium & Traguriū iuxtà à Venetis defecisse opinantur, quorum opinioni ego minus accedo. Nam quum ista Venetorum præsidiis completa amplissimis, vt ipsa longè minora forēt, ad pristinam Vngarorum fidem redire nequiuerunt. Bela igitur maritimam Dalmatiæ oram ita muniuerat, vt omnem Venetæ classis operam prorsus eluserit. Dum hæc ita geruntur, tota Christiana respublica, Hierosolymitana captiuitate consternata, conuocatis principibus, de recuperando sanctissimo sepulchro Domini, quod in seruitutem Saracenorum reciderat, sollicitè decernit. Clemens Pontifex, compositis cæterorum potentatuum discordiis, perbenignè Venetum Vngarumque hortatur, vt vnà cum cæteris Saladinum, prophanum hostem, Palæstina exigant, néve priuato bello, sacrosanctæ ac pientissimę expeditioni desint, neque publicæ Christianorum calamitatis & turpitudinis, ob priuatas simultates, ipsi auctores esse velint. Sedati, Pontificii diplomatis interuentu, vtriusque animi: Bela quum sine Veneta classe, qua cæteris illi præpollent, fieri non posse intelligeret, ne hostis Christianæ reipublicæ, & sanctissimæ expeditionis interturbator haberetur, suffragante Pōtifice, cum Venetis duorum annorum inducias iniuit. Belli principes hi fuisse traduntur, in primis Fredericus Imperator, qui Henricum filium, cunctis, quas in Italia comparauerat, prouinciis & vrbibus planè præfecerat. Item Philippus Galliarum, & Richardus Britannorum Rex, Otho Belgarum Dux, cum plerisque præpotentium antistitum appendicibus. Pisani cum Venetis ex Adriatico sinu soluere, qui ante cæterorum aduentum, Ptolemaida obsedere, à Saladino occupatam, & terra marique grauiter oppugnare adoriuntur. Fredericum Ænobarbum, qui suffragante Bela, per Vngariam, aliorum more, iter fecerat, omnibus rebus adiutū, Thracio Bosporo in Asiam transmisisse, Philippum & Conradum Messana, quò conuenerant, soluisse ferunt. Richardum grauissima tempestate iactatum, in Cretam appulisse, & secundùm appulsum, denegato portu, vniuersam insulam fuisse populatum. Mox in Syriam profectum, cum Philippo ad Ptolemaida iunxisse castra, quam superata Saladini classe, ac fuso hoste, recepere. Fredericum iniquiore fato vsum, receptis paucissimis Asiæ oppidis, in minorē Armeniam venisse, descendisse temere in fluuium, lauandi sudoris, & sedādi æstus gratia, vbi præclusis continuò vitæ meatibus, spe frustratus interiit. Haud multò pòst, quamuis cum Saladino ab initio prosperè pugnatum fuerit, diffidentibus tamen Principibus, Philippus in Galliam reuersus est. Richardus, qui in prouincia remansit, bellum forti animo prosequutus, tandem insequenti anno in Britanniam se recepit. Post Frederici Ænobarbi mortem, Henricus filius ei suffectus, à Cœlestino Pontifice coronatur, & in sequenti anno Solis defectus apparuit. Saladinus, post longam Christianorum vexationem ac stragem, Damasci diem obiit. Filii regnum prout pater ipse legauerat, inter se diuisere. Quod Saphadinus, frater Saladini, ægrè ferens, quum se in testamento prætermissum intelligeret, exactis liberis eius, regno potitur. Paulò pòst Henricus Imperator Siciliam occupauit, & iisdem temporibus in Italia lapidibus pluisse ferunt. Subsidiarius ab Imperatore exercitus in Syriā mittitur, qui proximo deinde anno, mortuo Panormi Henrico, reuertitur. Quare Christiani, qui remanserant in Syria, auxilio destituti, quod reliquum erat dominii, prorsus amisere. Sed vt ad Pisanos aliquantulum redeamus, quum triennio cum Venetis ardentissima æmulatione commilitassent, vbi in Adriaticum sinum se retulere, Polam Venetæ ditionis vrbem occupant. Quod Bela Rex quum accepisset, ne mediocri quidem lætitia affectus est, quū pactas biēnij inducias iam exactas intelligeret, & quum ipse terra nimis posset, qui mari quoque Venetos infestarent, accessisse nimium lætabatur. Sed parum prosperè res ipsa successit, quando tumultuaria classe, Polam à Venetis properatum, vrbs continuò capta, & denudata mœnibus, ne Pisa-

norum

norum receptus amplius esse posset. Deinde Metonem properatum, vt cum onerariis hostium nauibus, & cum his quæ præsidio illis ex Pola venerant, confligeretur. Paucis pòst diebus, quum illis prætereuntibus à Venetis occursum, pugnatum in conspectu vrbis, fugato Hetruscarum præsidio, onerariæ duæ captæ, vnde pacem cum Pisanis sequutam plerique tradũt. Bela igitur, qui Dalmatiæ nimium timebat, & grauissimis Venetos expeditionibus distineri cupiebat, nequid in Dalmatas molirentur, increbrescente languore grauatus, humanis rebus excessit, regni sui anno vigesimotertio, mense vno, ac die vndeuiceno. Item superstitibus filijs, Emerico, & Andrea, pientissimaque vxore, quę Philippi Regis Galliæ soror fuit, de quibus in sequentibus nonnulla referemus. Obdormiuit autem in Domino calendis Maiis, salutis anno vndecenteno supra vndecies centum, corpus Albæ inter monumenta Regum honorificè funeratum.

1199.

Post Belæ tertij excessum, Emericus filius, omnium Populorum, Optimatumque suffragiis patri subrogatur, quando cum hæreditario iure, viri probitas & prudentia, ad creandum hunc vnum omnes hortabatur. Is postquam regium munus obiuit, omnia patris, quæ ad coercendos mores & inhibenda flagitia pertinebant, in vsum diligentissimè reuocauit. Et non modò regno gubernando, verumetiam propugnandis sociis, in primisque Dalmatis incubuit, ne quid ex regno deterere videretur. Desponsatam huic, ante Belæ patris obitum, Constantiam, Aragoniæ Regis filiam, Annales Vngarici referunt, Senatus apostolici permissu, Henrico Imperatori deinde cõiugatam. Qui à Cœlestino Pontifice maximo vocatus, in Italiam venit, Constantia vxor eum sequuta est, filium afferens quadrimum, quem præter opinionem omnium nimis annosa pepererat. Is fuit Fredericus Secũdus, acerrimus Ecclesiæ persequutor. Sed Henricus, mortuo Tancredo, infanteque Rogerio, paruo habito negocio, vtriusque Siciliæ regnum accepit. Dum hæc ita geruntur, Veneti, qui cum plerisque oppidis Iadram olim amiserant, ne minimam quidem recuperandæ vrbis occasionem temere præteribant, sed huic rei potissimum intenti, sub aliquo prætextu honestatis, hanc sibi ansam dari anhelabant. Intercessit ad hæc Hierosolymitana expeditio, cuius auctores, Bonifacium Monferratensem, Balduinum Flandriæ, Henricumque Pauli Comites, item nonnullos Allobrogum & Montis ferrati Duces memorant. Hi quum per Germaniam & Pannonias exercitus ductare nollent, quas ea tempestate admodum fluctuare intellexerant, in societatem exoratos Venetos admisere, vt eorum classe freti, tutius & facilius in prouinciam peruenerint. Quum Venetias conuenissent, absumpta maiori ex parte viatici pecunia, à Venetis aliam mutuati, & ob eam rem illis nimis obnoxii, maxima subinde liberalitate afficiuntur. Quando non solùm eam, quam gratuitò datã intelligi volunt, sed maioris illi spem pollicentur, si in castiganda Istria, & Iadra infida, quæ Venetum sæpe imperium detrectarint, aliquantisper sibi adiumento esse vellent. Ad hæc illi, quando Venetiis obæratos ferè se esse reputabant, hac victi munificentia, nõ modò aliquam opem, sed vt grati viderentur, extremas vires pollicentur. Iubent sexaginta sibi continuò triremes expediri, quibus suos milites imponant, quod vbi à Venetis factum est, his tot onerariæ naues, & diuersa sunt adiecta nauigia, vt cum ducẽtarum & quadraginta nauium classe Istriam & Dalmatiam adorirentur. Quo vbi peruentum est, in primis Tergestini, aliiq; eius littoris accolæ, qui mare piratica infestabant, metu perculsi, ad impetrandam pacem occurrunt, qui pacto tributo, cum pace veniam consequuntur. Pacata Istria, repentè Iadram, quæ ad Belam olim defecerat, classis admota, Gallo milite completa. Hanc Emericus Rex Vngariæ, ex paterno instituto, fortissimo præsidio, omniq; munitione instruxerat, quæ à Veneta classe circumuenta, & ea, quàm antea audita fuerit, longè maiore, nequaquam propugnatore Vngaro, tũc animo cõsternatur. Audacter obstat, & pręsidiario sæpe cum agmine oppidani portis erumpunt, occurrunt vndiq; innumera hostium agmina, multũ vtrinq; sanguinis effunditur. Nunquã prælium sine

Emericus.

maxima cæde diremptum, nil è tormentorum & machinarum genere vtrique prætermittere, quæ ad oppugnandam & propugnandam vrbem facerent. Atroci quoque pertinacia dimicare, his omnino certum esse, tueri vrbem, contrà illis, recipere, aut in obsidione ad internecionem permanere. Multis mensibus Iadra oppugnatur, & nunc mari, nūc terra, neq; noctu, neque interdiu vlla quies, immo ne respiratio quidem minima datur. Sed à continente omnis eluditur opera, quando non solùm à propugnaculis & muro pugnare, sed pro mœnibus, & quandoque latius, inclinatis hostibus, dimicare pergunt. Sæpe castra, quæ in continente locarant, ab oppidanis & Vngaris, adaucta audacia, ita oppugnata sunt, vt intra vallum plerique transilierint: quin & de amouendis statiuis nonnunquam cogitatum. Quum irritos à continente labores, præ assiduis Vngarorum eruptionibus, Veneti fore cōspicarentur, à mari extremis viribus infestare statuunt, à mari propius onerariis & altis nauibus circumuallant, ac veluti castellorum circumseptu occludunt, admouent tormenta sulphurea, & omnia id genus, & sine temporis intercapedine. Hinc mœnia quassant, quandoq; etiam castella nauibus imposita tam prope vrbem admouebant, vt iaculis & sæpe cominus dimicarent. Vexata diu ciuitas, à mari iam labefactari cœperat, & ita animis excidere, vt iam dudum hac hosti pateret aditus. Vngari assiduo bello partim absumpti, partim, qui superrerant, defatigati, victoriam Veneto haud incruentam relinquere decernunt. Ciues assiduæ defectionis auctores, desperatis rebus ac venia, ad extremum dilabuntur, & exilium vltrò sibi perpetuum optant. Instant eo vehementius ad hæc Veneti, quando nutantem dudum fortunam vrbis, & ruinam interminantem intelligunt. Vngari, quum ciuitatē clandestinè ab Optimatibus destitui sentirent, quamuis ad extrema vsque pugnassent, tamen vbi hostē frequentissimū iam illac mœnia tenere cōspicantur, multis demum cæsis, à continentis porta facto agmine, in oppidula quædam, proximis montibus imposita, se recipiunt. Veneti interea amplissimo sociorum auxilio, Iadra potiuntur. Primo aditu, ex omni ætate ac sexu multos trucidant, deinde satiatis cæde animis, furor ille desidit, quod eo celeriùs opinione factum, quia nouitatis auctores in vrbe non inuenere. In cæteram multitudinem planè innocentem sæuire, neque Henrico Dandalo Duci, neque sociis meliore causa commilitantibus visum est, quorum opera, væsaniens omnis furor inhibitus. Quare Veneti demum Iadra potiuntur, & sæuiente hyeme, captæ vrbis amore apud Iadram hybernant. Vngari Iadra iam exacti, in proxima se oppida recepere. Dum in Dalmatia tot populorum hybernat exercitus, ecce puer Alexius, Isachi filius, qui patrui sceleratas manus effugerat, aduenit, supplexque à Gallis Ducibus ac Venetis opem implorat. Memorabiliū profectò rerum causa, ab enarratione nostra distrahimur, sed vt res cognitu facilior videatur, aliquātò altiusculè repetemus. Præfuerat his temporibus Græcorum imperio Isachus, qui præter superiorum Imperatorum mores, Christianorum amātissimus, Gallis & Germanis gratissimum semper hospitium exhibuerat. Alexius huic frater erat, cui tantum indulserat, vt præter imperij nomen, nil sibi reseruarit. Quin etiam fratrem, qui temeritate sua in Barbarorum potestatem inciderat, ingenti pecunia redemerat. At ille ingratissimus, omnis impietatis compos, & cæca imperandi cupiditate tractus, Isachum excæcat dolo captum, excæcatumq; nauiculæ imponit. Nondum hoc facinore satiatus, Alexium fratris filium, qui nondum duodecimum annum excesserat, eodem quoque supplicio afficere studet. Præcoci nepos Alexius prudentia fretus, & paternis obtemperantissimus amicis, qui fuga quærendam salutem suadebant, ad hybernantes in Dalmatico sinu Venetos & Gallos venit, pro liberando patre opem supplex petit, imploratque, & ea quidem conditione, veluti Galli Venetique iusserāt, vt Græcam inprimis Ecclesiam Romanæ subiiceret: & pro damnis, quæ Emmanuel olim Imperator Venetis & Gallis intulerat, quindecies mille auri pondo exsolueret, satisfaceret pro naulo Venetis, & his demum conditionibus, postulata consequeretur auxilia. Quibus compositis, in Alexij auxilium, cum maxima classe nauigatum est.

Interea Iadrenses Optimates, qui vltrò in exilium se perpetuum asseruerant, Emeriç Regis opibus freti, Adriaticum vsque adeo pelagus infestabant, vt non extinctum, capta Iadra, sed redintegratũ bellum videretur. Quare postquam in Græciam nauigatum est, Alexij restituendi gratia, alia quoq; Venetorum classis, ad domitandos Iadtenses exules, qui longè lateq;, & in Venetos quàm crudelissimam piraticam exercebant, decreta est. Raymerio Dandalo, Henrici filio Duce, Iadrenses hi exules domiti. Accepit ex his liberos obsides, quibus acceptis, patres exules in patriã reduxit, hac inter vtrosque pacta cõditione, vt Prætorem vrbis, quem comitem nũc appellant, & Metropolitam, qui Gradensi pa-
10 triarchæ parêret, Iadrenses a Venetis acciperent, item quotannis ter mille cuniculorum pelliculas tributi loco his expenderent. Dum hæc in Dalmatia geruntur, Veneti Galliq; Byzantium applicuere, quam magno labore expugnarunt. Imperator Alexius paulò ante, desperatis rebus, intempesta nocte clàm aufugit. Patefacta Imperatoris fuga, Isachus è vinculis exoluitur, in mediumq; producitur. Alexius eius filius, patefactis portis, cum magno plausu in vrbe excipitur, & vna cum patre, cõgratulante populo, Imperator cõsalutatur. Demum post varios Græcorum motus, & miserabile fatum Alexij, Galli ac Veneti Byzantio iterum potiti, Balduinum, Græcorum Imperatorem, & Thomam Maurocenum, antistitem creât. Quarta pars captorum oppidorum, Venetis assigna-
20 ta, quæ cum insulis Ægei maris, Cretam & Euboiam continebat. Sed de his hactenus, in quibus historiæ dignitas, fortasse plus æquo nos diuersari iussit, ad rem igitur nostram redeamus. Et in primis de Emerici matre, & fraterno bello nonnulla, ab Vngaricis Annalibus prætermissa, referamus. Bela Tertius sororem Philippi Regis Galliæ, vxorem duxit, ex qua Emericum, de quo agimus, Regem, quem aliqui per syncopen, Henricum appellant, & Andream genuit. Mariæ quoque soror ista fuit, quæ Richardi Britanniæ Regis ex matre soror erat, Henricumq; Hierosolymitanum Regem pepererat. Quare Emerici regis mater, Henrici matertera fuit, qui in Palæstina regnauit. Hæc igitur post Belæ mortem, ac initum Emerici regnum, præ nimio diuinæ charitatis ardore, ante-
30 quam vita excederet, Domini sepulcbrum visere decreuit. Frequentissimũ nobilium Vngarorum sibi comitatum delegit, quo instructa honestiùs in sancta peregrinatione versaretur. Succendebat ad iter, nepotis desiderium, qui Hierosolymis imperabat, sed præter opinionem voto frustrata est, quandoquidem quum Ptolemaida appulisset, paulò pòst itineris languore confecta, diem obiit. Insuper in eadem vrbe, in commiserationis accessionem, casus alius intercessit. nam iisdem quoq; diebus, Henricus eius nepos, Hierosolymitanus Rex, quum in altissimo regiæ triclinio, ad fenestras, aulico cuidam innixus reclinaretur, improuiso præcipitio correptus, interiit. Quare Maria, quæ latè in Campania dominabatur, sororis ac filij morte confecta, paucis pòst diebus, præ dolore mori-
40 tur. Cui Theobaldus filius, nobilissimæ indolis adolescens, in dominatu Campano successit. Audito matris & consobrini casu, Regẽ Vngariæ maximus mœror incessit, quum pientissimam parentem peregrè defunctam, & honestissimum fratrem intempestiua morte Asiatico regno defraudatum reputaret. Honorificentissima vtrique iusta, non modò ab Emerico, in Pannonia, verumetiam à Philippo & Richardo regibus, in Gallia & Britannia persoluta sunt. Hæc igitur his temporibus accidisse commemorant. Non multo post initum imperium, vt Vngaricam ritè historiam prosequamur, fraternum bellum in regia exortum aiunt. Nam quum Emericus maior natu, regnum, vt par erat, obiisset, iniquo id Andreas frater animo tulisse dicitur, quippe qui animi magnitudine
50 præditus, maxima quæque anhelabat, ratus ad imperãdum se potius, quàm parendum esse natum. Primigenituræ quandoq; iura execrabatur, quæ regnandi sibi potestatem ademissent. Addebat dolorem Ladislaus, è fratre nepos, cuius gratia non modò regni, sed Ducatus quoq; potiundi spes omnis adimebatur: itaq; facinorosa dolorẽ audacia amouere statuit. Quum nimis popularis & perhumanus esset, cum amicis primum, deinde cum plerisq; optimatibus, quorum

mira arte ac officio gratiam promeruerat, consilium init. Subducit multorum clam populorum mentes, fratri pro virili sua detrahit, damnat eius ignauiam, & in populorum inuidiam omni arte compellit. Non solùm patrocinio & fauore, verùmetiam donis & largitionibus, è nobilium & præpotentum ordine quenque circumuenit, vt in suffragium suę dignitatis inauctorare videatur. Comparatis igitur multorum populorum optimatumque fauoribus, quando liberè ac aperte rem aggrediendam censuit, fratri bellum indicit, instructas in medium acies educit, & Marte vindice regnum occupare contendit. Emericus rex fratrem neque literis, neque magnis internunciis, sibi conciliare poterat. Desperata tandem cōcordia, quia Andream Proceres haud pauci, nouarū rerum cupidi, ad intestinum bellum irritabant, aciem inuitus instruere cogitur. Ad præstitutum pugnæ locum vterque cōuenit, vt collatis signis dimicaret. Vbi Emericus, ne cognati sanguinis auctor esset, multo gloriosiùs habitu ac verbis, quàm armis vicisse prædicatur. Aiunt enim Regem, quū vtrinque acies instructæ constitissent, depositis armis, & stipatorum manu, coronam sceptrumque gestantem, per medias fratris acies incessisse, talia dicentem: Quis tandē erit ille, nunc agite milites, qui sacrosancto Regum sanguini manum iniicere ausit? Quis erit, qui Diui Stephani nomine in hanc dignitatem assertū lædere cupiat? Et quando omnis potestas a Deo est, quis est denique qui regiam maiestatem vi aliqua fœdare audeat? Quum se ipsi quoq; Reges pensitata dignitate, vel inuiti colere ac reuereri cogātur. Non Emericus sum, non priuatus homo, sed Diui Stephani vicarius, pronepos & hæres, publicam personam gerens, quia non tam vestra suffragia, & hæreditaria iura, quàm Diui, ac sacræ huiusce coronæ numen, me Vngariæ Regem præstitere. In quem igitur miseri arma sumpsistis, in méne, an Diui Stephani successorem, ac Regem vestrum, omnium ordinum suffragiis optatum? si in me, quando homo sum, sicarij estis & homicidæ; si in Regē & Stephani successorem, prophani paricidæ estis, omnibus suppliciis & piaculis obnoxii. Non cum mortali vobis res est miseri, sed cum eo, cui præ diuina dignitate, supra mortalitatem aliquid accedit. Sub omnipotentis Dei tutela Reges degunt, quorum læsa Maiestas vix populorum exitio expiari potest. Ego quoque inermis inter infesta arma progredior, quando hæc corona data diuinitus, ac sceptrum hoc quod gesto, me inter furentū studia satis tutum efficiunt. Videte, quem læseritis, & ne in caput vestrum ac filiorum, sanctum sanguinē haurire videamini, prospicite, & considerate. Emerico omnino semel moriendum est, quamuis hac, aut alia morte multum referat, hęc mihi multo gloriosior, calamitosiorque vobis, illa mihi vobisque vulgarior. Fraterna leuitate subducti, prophana & impia arma sumpsistis, sed temeritatis impietatisque notam, dum tempus est, salutari tempestiuaque pœnitentia abolete. Resipiscite, quæso, ego sum Rex vester, ac pater, qui pientissima indulgentia & paterna obliuione facinora vestra delebo. Agnoscite patrem vestrum, & quam defero execrabilis audaciæ veniam, lubenter accipite, & eum retinete Regem, quem Diuorum numina & vestra suffragia designarunt. His dictis, omnium animi vsque adeo mutati sunt, vt confestim arma posuerint, certatim quisque veniam implorarit, insolētissimæ pertæsus audaciæ, quam plerique magnates, deprauatis studiis confouebant. Dum ad concordiam resipiscunt omnes, Andreas per cuncta castra disquiritur, vt parem apud indulgētissimum Regem veniā consequatur. Quum omnes, qui commune crimen ingenuè faterentur, ingenuam quoque gratiam inuenirēt, quum is inter fugiendum delitescendúmve à fortissimo milite & exploratore deprehēderetur, parum abfuit, quin primo congressu interficeretur. Sed pro spectata Regis clementia, qua non solùm in suos, sed in alios vti videbatur, mitius ac par erat, in Andream actum. Non tam à speculatore, quàm Rege vita donatus, vt ex indulgentia fratris, impunitatem assequutus, meliorem imperandi modum addisceret. In hoc Blondi Foroliuiensis, præstantissimi olim Historici, ac sanè scriptoris de Romana lingua optimè meriti, errorem euidentissimum defendere nequeo. Quippe qui Annalium quorundam falsitate deceptus,

Blondi error.

prius, ab insectante milite Andream obtruncatum scripsit, quod à veritate prorsus est alienum, quum post Ladislaum ex fratre nepotem, regnasse apud Vngaros euidentissimè pateat, & ipse quoque regnasse fateatur. qua quidem in re, nescio, an culpam Annalium, an eius obliuionẽ potius incusem. Verùm indoctissimi ac incurij Annalium magna ex parte Scriptores, tot gesta cum veritate sæpe dissentientia prodidere, vt magnum in enarranda historia periculum quotidie subeamus. Quare eo mitiore in Scriptores nostri temporis cẽsura est vtendum, quo indoctiores, & in vestiganda veritate neglectiores fuere, qui falsis rerum commentariis ad describẽdam historiam posteros suscitarunt. De Emerico alia expiscari nequiuimus, quando parũ regnasse dicitur. Nam quum aduersa Regem valetudo incessisset, paucis pòst diebus, condito testamento, Ladislao filio superstite, humanæ necessitati concessit. Annis octo, mensibus septem, & diebus sex regnasse ferunt, anno autem salutis ducenteno, supra millesimum, calẽdisq; Decembribus decessisse ferunt, cui mite ingenium, & ne mediocris quidem animi tolerantia fuit. Corpus in Agriensi basilica, quando in eo agro diem obiit, condidere. Ragusium, quod ad Vngaros à Venetis quondam cum Iadra defecerat, iisdem ferè temporibus Veneti recepere. Nam Thomas Maurocenus, quem Cõstantinopolitanum Patriarcham designatum diximus, quum in Italiam profectus, ab Innocentio Tertio Pontifice maximo confirmatus esset, dum littus Dalmatiæ legens, in Græciam rediit, cum triremibus quãtuor id incautum recepit, instaurauitque Dyrrachium, à Græcis Imperatoribus destitutum. Item Henricus Balduini frater, qui illi in Græcorum imperio ritè successerat, ac vnà cum Bonifacio Monteferratensi, inchoatam Adrianopolis obsidionem continuabat, Valachorum interuentu, qui Græcorum precib. sollicitati fuerant, ne vrbem excellentissimam Latinorum manibus occupari paterentur, eam mox soluere, & in Constantinopolim properare coactus est. Valachi enim è Romanis oriundi, quod eorum lingua adhuc fatetur, quum inter tam varias Barbarorum gentes sita, adhuc extirpari non potuerit, vlteriorẽ Istri plagam, quam Daci ac Getæ quondam incoluere, habitarunt. nam citeriorem Bulgari, qui è Sarmatia prodiere, deinde occuparunt. E legionibus enim & coloniis, à Traiano, ac cæteris Romanorum Imperatoribus, in Daciam deductis, Valachi promanarunt. Quos Pius à Flacco, pronunciatione Germanica Vlachos dici voluit: nos contrà, ἀπὸ τοῦ βάλλειν καὶ τῆς ἀκίδος dictos esse censuimus, quum sagittandi arte præpolleant. Nonnulli Valachiæ, à Diocletiani filia nomen inditum censuere, quæ illorum Principi nupsisse fertur. Itaque hi Græcorũ precibus exorati, Adrianopolim Latinorum obsidione liberarunt. Sed de his ista retulisse sat sit.

1200.

SECVNDVM Emerici obitum, Ladislaus tertius eius filius, hæreditario iure imperium iniuit Vngariæ, quem septimo calendas Octobres ritè coronatum perhibent. Post initum munus, non pro paruo negocio habuit, pacare regnum nouitatis auidissimum, quod etiam ex morte Regis aliquantulum fluctuarat. Andreæ nanque patrui conatus nondum desierant, sed breuissima interregni occasione inuitati suscitabantur: verùm quod diutius anhelauerat, ex insperato obtigit. Nam vix menses sex, & dies quinque Ladislaus in regno exegerat, quum immatura morte subreptus, diem obiit, quod salutis anno primo supra duodecies centum, ac nonis Maiis accidisse volunt. Intempestiuus Regis obitus piè ab omnibus comploratus est, exequiæ ab Andrea honorificentissimæ in Alba regia celebratæ, ibiq; inter monumenta Regum corpus honestè relatum. Iam tempus postulat, vt ad Andream Secundum veniamus, quem verè ad imperandum Natura genuisse videbatur. Quippe cui neq; animi magnitudo, neque religio & consilium, neque iusticia deerat, quamuis imperandi cupiditate, quod in fratrem (vt suprà diximus) ostendit, plus æquo æstuasse videretur. Sed idcirco regnum immodicè concupiuisse dicitur, vt aliquid se ac maioribus dignum præstare posset.

Ladislaus III. *1201.*

POST vbi Ladislaus immaturo fato surreptus est, omnium suffragiis hic

Andreas II.

A

Rex optatur. Vix nepoti iusta persoluerat, quum Antistitum Procerumque consensu, ac cæterorum votis Rex declaratur. Vigesimoseptimo secundum nepotis obitum die, regiis insignibus Albę ritè donatur. Mox ad regni administrationem animum intẽdit, quod multos planè annos præ iusticia & integritate sua pacatum habuit. Vxorem duxit Gertrudem, nobili Alamannorum genere natam, ex qua liberos complures tulit, in primis Belam, & Colomannum, deinde Andream, & Elisabetham, præ vitę sanctimonia, vniuersæ posteritati perpetuò celebrandam. Sed omnem suam ac viri felicitatem Gertrudis facinus intercepit, perpetuaque ac memorabili nota se cum familia sugillauit. Quod quidem scelus antequã ex ordine referamus, vt res cognitu facilior habeatur, nonnulla adiicienda esse duximus. Quum cæteri Christianæ reipublicæ Principes sacram Syriæ expeditionem sæpe suscepissent, Vngariæque Reges interea partim cum finitimis bella gesserint, partim domi ocium seruarint, quãdoq; a Pontificibus, & sæpissime à cæteris est his obiectum, haud multum probè facere, qui quũ eminentioris fortunæ ac dignitatis essent, inutili vitam ocio tererent, rem Christianam periclitari conspicarentur, atque cæteris cùm adnitentibus, tùm laborantibus nullum auxilium afferrent. Quin & hoc Belæ sæpius improbratum, qui vt hac sugillatione careret, se quoque pro Saluatore nostro commilitaturum vouit. Erubescebat enim haudquaquam mediocriter, se Philippi Galliæ, cuius sororẽ sibi coniugarat, & Richardi Britanniæ Regis prętermisisse militiam. atqui negociis distractus variis, aut morte præuentus, pium votum præstare non potuit. Hanc paterni nominis iacturam & obligationem, Andreas filius resarcire soluereq; decreuit, quod vt faceret, etiam quum ducatum gerebat, mandato sæpe pontificio sollicitatus est. Quin & multo magis, paternis plerunque per noctem se manibus sollicitari intellexerat, vt patrem voti nexu obstrictum exsolueret. Incidit in ea tempora Honorij pontificatus, Christianæ salutis quàm studiosissimi, qui vbi Perusiæ Innocentio Tertio suffectus est, nil sibi antiquius habendum esse censuit, quàm labantibus Christianæ reipublicæ in Syria rebus extemplo consulere. Quare ne Græcorum auxilio careret, néve illorũ dissensione res ipsa interturbaretur, efflagitantẽ Petrum Antisodorensem Imperatorem designatum, ac Iolem eius vxorem, in Diui Laurentij æde, quę in via Tyburtina sita est, Augustali diademate coronauit. Mox Cardinalem suum Ioannem Columnensem, apostolicæ sedis legatum in Græciam ac Syriam declarauit. Confestim is Vrbe profectus, Brundusiũ contendit, vbi Imperatorem cum vxore adhibuit. Mox Veneta classe omnes Dyrrachium nauigarunt, quod Theodorus Epirotarum Dux, Venetis occuparat, ac Petrus vltrò se illis redditurum spoponderat: quod quum obsedisset, inutili obsidione frustratus est, & paulò pòst, quum in Theodori insidias incidisset, in teterrimum carcerem coniectus est. Cardinalis Constantinopolim profectus, rem Christianam curãs, Principes vndique concitat, prospicit, quæ bello sunt vsui. Interea Christiani Principes, qui piam expeditionem vltrò susceperant, cum magnis exercitibus conueniunt. Tanti belli Andreas imperator declaratur, quin in hanc militiam sacrosanctumq; delectum primus nomen vltrò detulerat. Ex his isti potissimùm nominantur post Andream, Dux Austriæ, Henricusque Comes Niuernensis, item Gualterus, Galliæ Regis Camerarius, Milo Maltobiensis, & Diuæ Susannæ Viceccomes. Venetorum Annales, Andream & copias, Veneta classe in Syriam delatas ferunt, idque idcirco à Venetis lubentissimè factum, quando Andream vecturæ tantùm beneficio, ius omne Dalmatiæ, quod olim erat Vngarorum, sponte Venetis tribuisse asseuerant. Sed id Vngarici subticent Annales, aut quia id Regi cum Venetis nunquã conuénit, haud immeritò prætermisere, siquidem verarum ac gestarum rerum est historia. Aduersantur Vngarorum testimonia, qui hæc à maioribus accepere, commemorantium Andreã Regem, Pannonia profectum, Constãtinopolim cum exercitu venisse, veluti ex his, quę subiicientur, intelligi poterit, & per Bosporum Thracium in Asiam transmisisse. Nanque Legatus pontificius, cum Iole, Veneta classe Constantinopolim adue-

uectus,

uectus, ibi copias omneis, prę ſuta Crucis teſſera ſignatas, vndique cogebat. Neque id ſat veriſimile videbatur, eum ſola anguſtiſſimi freti traiectura, ſponte Dalmatiæ iuri renunciaſſe, pro qua tantum ſanguinis fuerat effuſum. Quum igitur Andreas, cui auctoritate põtificia, ſumma Chriſtianæ reipublicæ tradita fuerat, Conſtantinopolim appuliſſet, ibique Legatum apoſtolicum inueniſſet, dum cæteri Duces conuenirent, aliquandiu ſocios expectare coactus eſt. Ibi quoque interea miſerabilis caſus interceſſit, perpetua memoria non indignus, in quo fortitudinem conſtantiamque ſuam, Vngariæ Regem oſtendiſſe ferunt. Aiunt enim Andream peregrè dudum profecturum, vt regno bene proſpiceret, Bancbanum nobili Borum genere natum, ſpectatæ fidelitatis ac ſapientiæ virum, vniuerſæ Vngariæ præfeciſſe, regiam gubernandi delegaſſe poteſtatem, commiſiſſe illius fidei reginam, liberos, & fortunas. In primiſque admonuiſſe, vt iuſtè regnum adminiſtraret, nulli iniuriam fieri pateretur, cum finitimis pacem æquè ſeruaret: item ocium & honeſtatem commendauit. Bancbanus traditam regni ſummam forti animo accepit, ratus maximam ſibi oſtentandæ virtutis ac fidei occaſiõnẽ obtigiſſe. inuidit fortuna viro, ac facilem propoſiti ſucceſſum intercepit. Ecce ex Alamãnia Gertrudis reginæ frater aduenit, vt ſororem, viri abſentiam ægrè ferẽtem conſolaretur, ſubſedit dies aliquot apud eam, & varijs mulierem illecebris oblectauit, faciebat id non immerito, quandoquidem indulgentiſſimam ſibi ſemper fuiſſe nouerat. Cum regina dies ac noctes Bancbani vxor verſabatur, mulier ſpectatæ pulchritudinis, ac venuſtatis eximiæ, quam incredibilis pudicitia nimium exornabat: huius cõſuetudine Gertrudis admodum delectari ſolita. Repentè fratrem matronæ amor inceſſit, ac eius multo magis pudore, quam forma pellectus, vſque adeo perbreui exarſit, vt efflictim illam deperiret. Regina intellecto fratris ardore, præ temeraria quadam cõmiſeratione, quæ fœmineo plurimum ineſt ingenio, ei nimium indulſit. Vtrunque non ſolùm in colloquium accerſi iubet, ſed ad conuiuium ſæpius inuitat, cedit ſæpe colloquentibus, & quamcunq; ſub aliquo prætextu honeſtatis poteſt, patrandæ Veneris occaſionem impartitur. Demum vbi conſtantiſſimum fœminæ pudorem haudquaquam labefactari ſenſit, in abdito eam cubiculo, introducto fratre, reliquit, vbi tandem illa violatæ pudicitiæ iacturàm fecit. Subticuit miſella facinus, & ad virum reuerſa, quum prolis curandæ gratia ab eo amplecteretur, Quam infelix (inquit) nunc mulierẽ amplexaris, vxorémne, an olidam meretriculam? nempe ſi vxorem, profectò deciperis; ſin fœdam meretriculam, in primis ipſe proſpicito, an te coinquinatiſſimo ſcorto incæſtare contendas. Violatus, Bancbane, tuus thorus eſt, & quam reginæ vxorẽ commiſiſti, prophano lenocinio fratri violandam illa commiſit. Hoc meo corpore, quamuis animus inſons, me tamen nunc, nunc exue, quod alieno potius, quàm meo ſcelere incæſtatũ eſt. Proinde ne animi corporiſq; mei inexpiabilis homicida eſſe videar, néve tua dignitas hac turpitudine polluatur, extemplo Bancbane, quæſo, me interfice, vt violatum pudicitiæ numen vlciſcare. Succenſus his maritus, diſſimulato dolore, vxorem conſolatur lachrymantem, ac vltrò iugulum porrigentem amplexus oſculatur, exorat ob cõiugalem amorem, quem non eius culpa, ſed aliena libido læſerat, ſubticeat communem turpitudinem, à qua ſe grauiſſimo, quum tempus dabitur, exemplo, vtrunq; vindicaturum pollicetur. Sedato mulieris animo, diſſimulatum furorem ſuum domitare non potuit, inſequenti die reginam cum paucis adit, ſtricto, quẽ ſub toga geſſerat, gladio haudquaquam talia opinantem aggreditur, ac lethali vulnere cõfodit. Mox cruento enſe prodit in publicum, exclamans legitimo ſe furore Gertrudim interfeciſſe, quum vxorem, nefando lenocinio, fratri impuriſſimo violandam illa dederit. Quin & ingenuè in medio tumultu profitetur, ſe nulla ſupplicia deprecaturum, ſed poſtero ſe die rectà cum paucis Optimatibus Conſtantinopolim, ad Andream iturum, vltroque ibi læſæ Maieſtatis iudicium ſubiturum. His dictis, tumultus ipſe deſidit, ac is acceptis quibuſdam comitibus è Proceribus, Conſtantinopolim cõtinuatis itineribus peruenit, inuenit ibi Regem, qui non-

Bancbanus.

dum Europa soluerat. Ante conspectum eius vbi venit, Adest, Rex (inquit) gubernator regni tui, quem nefarium fortasse alij paricidam iudicarint. Bancbanus iusticia tua fretus, patrato facinore, non fuga impunitatem, sed recto confugio æquissimi tribunalis iudiciũ quærẽs, ad te venit, vt si iure succubuerit, præsentaneum graueque supplicium expendat. Neque alium sibi iudicem postulat, nisi quem læserit, & qui potius actor & vltor, quàm iudex esse deberet. Sed hanc inauditam rei audaciam, inaudita sui principis iusticia prębuit. Gertrudis, cui vxorem ancillæ loco commiseram, intemperantissimo fratri violandam tradidit. Ego legitimi furoris ac turpitudinis impatiens, quam morti minimè præferendam documento tuo didiceram, insidiosam dominam interfeci. Hic est, Rex, iustæ necis gladius, tuæ coniugis cruore fœdatus, proinde si peccaui, vt intolerabili me turpitudine liberarem, eodem me repentè gladio confice: sed si id iure factum censes, memorabili apud omnes gentes me sentẽtia nunc absolue, ne frustra iusticia fretus, huc accessisse videar. Tanta reum constantia Rex audiuit, vt vultum & animum ne minimùm quidẽ immutasse dicatur. Ad hæc, Fiducia in me tua, Bancbane (inquit) sat de te bene sperare iubet. Si res ita est, vt ais, in regnum mox redito, delegatum munus pro solita fide gerito, & quoniam sanctam hanc expeditionem nullo capitali iudicio interpellari fas est, quũ rediero in Vngariam, te iudicabo. His dictis, hominem dimisit, ipse traiiciendas copias in Asiam curauit. Post vbi Duces cum Legato Pontificio in Syriam peruenere, copiasque cum Ioanne Hierosolymitano Rege coniunxere, in primis obsidendæ Damiatę consilium ineunt, quæ vrbs Ægypti vetustissima, Niloque contigua, olim Heliopolis dicebatur, atque à sole huic nomen est inditũ, quem Græci ἥλιον appellaũere. Rebantur enim, haud parum in rem fore, si hanc primùm vrbem obsiderent, qua capta, facilius Cayrum, & Babylonem proximam occuparent. Non ignorabant, se vtraque vrbe potitos, Saracenam mox gentem facilè extirpaturos. Andreas imperator, omnium Principum consensu ad Damiatam castra mouit, idibus Maiis, & salutis anno duodeuigesimo supra duodecies centenum, fortissimo animo ciuitatem obsidet. Hæc triplici muro eodemque lateritio circumuenta, deriuato quodam Nili alueo, in oblongæ insulæ speciem obducitur. Huic quoq; Pharea turris erat, neq; crassitudine, neq; altitudine cum illa conferenda, quam ad Pharon & Nilum quondam fuisse legimus, sed quæ suburbium, apothecas mercatorum, ac publica horrea, à piratis & pręedonibus tutaretur. Iam vrbem multis admodum ac variis Soldani munitionibus præditam, Rex Andreas adoritur: cui cùm duo suburbia forent, vnũ ipse cum Austriæ Duce, alterum Camerarius, cæteriq; oppugnare incipiunt. In primis turrim, admotis prope machinis, quatiunt: quamuis cædes vtrinque indies augeretur, plures tamen ex illis, quàm nostris planè cædebantur: expugnata prę militis robore, ducumq; virtute, turris & suburbia: capta horrea opulẽtissimæq; mercium tabernæ. quare miles non modò à fame vindicatus, sed vberrimè ditatus est. Præsidia partim cæsa, partim capta, quicunque ex his in orthodoxam fidem se asseruere, non solùm vita & libertate, sed bonis quoq;, quæ amiserant, donati sunt. Contrà verò, qui pertinacissimè in prophana & execrabili opinione perstitere, extremo supplicio mulctati, nonnulli in seruitutem asserti. Non parum hac prima Fortunæ aspiratione, Christianorum animi adaucti sunt. confirmabant etiam animos non modò arridentis victoriæ auspicia, verumetiam ingentis lætitia prædæ: Quoniam omnis annona, reconditæque merces militi concessæ. ita enim ad suscitandos in bellum milites, Andreas faciundum esse censuit. Qua quidem Imperatoris largitate factum est, vt nil pugna miles duceret antiquius. Iam hyems media planè defluxerat, quũ inundationis incommodum accidit. Nilus, qui per id temporis inundare non solet, maris inflatione quam Euri vęsania fecerat, vsque adeo remoratus intumuit, vt nostra castra penitus inundarit: quare miserabilis impedimentorum æquè ac commeatuum iactura facta, annona inũdatione corrupta. Cui quidem malo Imperator, accito Pontificum collegio, cœlitus prospiciendum, atq; diuinam opem implorãdam esse

1218. 10 20 30 40 50

esse censuit, ne sanctissima cœpta hoc maximo detrimento interciperentur. Itaque Pontificum iussu, ieiunium publicum indicitur. Ecce exacto mox ieiunio, mare desidit, tranquillitas magna succedit. Insuper lõgè maiorem spem victoriæ ex improuiso diuina benignitas Christianis ostendit. Soldani castra his longè maiora, tenui (de quo diximus) Nili alueo, qui Damiatam ambibat, à nostris dirimebantur vix mille passuum interuallo, ad integri Nili ripam posita, vnde Soldano æquè inuehendi reuehendique præsidia & commeatus facultas erat. Quod vbi nostri intellexere, ne vana obsidione deluderentur, magna cõfestim Andream vndique obsidendæ vrbis libido incessit, quare vltra citraque Nilum
10 castra ponere decernit. Validissimum agmen vltra Nilum ad metandum continuò mittit, & ea quidem parte, vbi hostium castra esse diximus. Quod vbi per exploratores Soldanus intellexit, reformidato Christianorum impetu, relictis illicò impedimentis & commeatibus, referta castra deseruit. Imperator id intelligens, deserta continuò castra occupat, quæ rerum omnium copia completa præter opinionem inuenit. Altera deinde castra in vlteriore ripa locat, interiectoque ponte, vtraque coniungit, vt mutuo sese contueantur auxilio, & vrbem arctiùs occludant. Hinc magna Damiatam desperatio subit, quæ à Soldani iam dudum fuga sumpserat initiũ. Item Caradinus, Saladini olim filius, audita Soldani fuga, Christianorumque successu, retinendæ vltrà Hierosolymæ
20 spem omnem abiecit, quam ne Christiani captam retinere possent, diruere cõstituit. Manus à violando Saluatoris nostri sepulchro temploq; continuit, quod alij religione numinis, plerique inhibentium Christianorum ciuium gratia factum arbitrantur: Quum Hierosolymam Syrij, Armenij, Æthiopes, Georgiani, ac multi Asiæ populi, nostræ fidei cultores incolerent, quorum gratia Caradinum remoratum ferunt. Ad hæc Andreas Nilo classem inuehi iubet, ne quis vrbi aditus pateat, item vineas adegit, circùm plura quoque castella erigit, nullum machinarum genus prætermissum. Iam vrbs oppugnari cœpta, nullo muniti onis genere carebat, quibus freta forti animo resistit. Pro mœnibus oppidani pugnant, fossa procul hostem prohibent, neq; præsidiis, neque commeatibus
30 per menses aliquot diffidunt; vltrò citroq; interea plerique cecidere. Itaq; prima æstas, hyems, verq; subsequutum ad Damiatam actum. Angebatur admodum Andreas, & multo magis Gallici Proceres, militarem ad Damiatam operam hoc belli principio eludi, non dari cum Soldano pugnandi copiam, quo (si fortuna tulisset) euicto, in ditionem cætera facilè concederent. Dum exercitus dimicãdi libidine Christianus æstuat, circiter idus Iunias, ex insperato Soldanus aduenit, ducit innumerum exercitum, ac inter Babylonem & Damiatam castra locat, quacunque potest arte, munit, ac nullam hosti, quamuis irritanti, pugnæ copiam facit. Ad sollicitandam hostis ignauiã, qui nisi explorata victoria, in certamen descendere nolebat, inuito tamen Andrea Rege, Gallici tãtùm
40 Proceres, ex iniqua etiam pugnandi conditione, cum Saraceno milite prælium ineunt, vt aliquo dedecore aut damno, veluti iactitabant, Soldanum afficerent. Temerariam Gallorum audaciam Ioannes Rex Hierosolymitanus, magis gentis consanguinitate quàm ducis officio ductus fouebat. Quare Galli ad oppugnanda castra prorupere, continentem se intra vallum hostem, contumeliosis clamoribus irritarunt: è propugnaculis contrà prospectare illi, quot insultantes hi forent. At quota pars hostium à Barbaro intellecta, sic animum auxit, vt facta protinus eruptione, Gallos adoriretur, atque cum tanto agmine in iactabundam gentem irrueret, vt primo ferè congressu, non solùm inclinarit, verumetiam fuderit, ceciderit, interceperit. Captiuorum Principes, Gualterum Regis
50 Galliæ Camerarium, Milonem Mantoliẽsem, & Diuæ Susannæ Vicecomitem fuisse referunt. Ioannes autem Rex, Græco (vt aiunt) igni, quem facibus tragulisque Saraceni immittere consueuere, manibus facieq; combustus fuisse dicitur. Gallorum exemplo Rex Andreas cæteros admonuit, vt non solùm cũ Soldano, sed cum obsessa vrbe, pugnandi libidine abstinerẽt. intelligebat enim vrbem neq; vi, neq; inedia posse capi. Diuinum Rex religiosissimus auxiliũ præ-

stolabatur, vt inexpugnabili potiretur vrbe. Ne spe quidē sua frustratus est Imperator, quandoquidē cæca vrbem pestilentia incesserat. Fortasse quinto mense, pōstquam malè à Gallis pugnatum est, nōnulli milites prospecto vrbis silentio, portas propius accessere, vt quid in vrbe fieret, explorarent. Quum altum in propugnaculis & intra mœnia silentium intellexissent, sopitos primò custodes, aut alia causa abesse arbitrantur, quare pedem sensim retulere, vt protinus afferendarum clàm scalarum socios admonerent. Quod vbi factum est, portæ propugnacula, admotis scalis, superant, obsistente nemine, cohortem vnam introducunt, securibus ac vectibus portas frangunt, cædunt, quicunq; occurrerant, Saracenos. Illicoque patefacta cæteris porta, exoptata vrbe potiuntur, duodeuiceno obsidionis mense. Vrbem ingressi, quum neminem viderent occurrentem, insidias primò, dolumq; ab hoste structum suspicātur, neminem in plateis & compitis offendebant, suspiciebántve ad fenestras. Verùm quum fora, vici, ædes, ac templa cadaueribus strata forent, calamitatem hæc vrbis illico indicauere: quum ab initio obsidionis septuaginta hominum milia ibi fuissent, vix è moribundis & validis tria in vrbe milia eo die inueniri potuere. Andreas, indictis supplicationibus, ex Antistitum consensu, in primis agendas Deo gratias diligentissimè curauit, cuius benignitate & auxilio, sine cæde, venustissima opulentissimaq; ciuitatē potiretur. Deinde quum præsidia portis & munitionibus vbique imposuisset, tamdiu in castris commorandum esse censuit, quousq; exacta pestilentis morbi suspicione, cœli salubritas instauraretur. Quamobrem Saracenis idcirco concessa salus, vt purgandi munus curamq; susciperent. Exacta pestilentia, Mahumeti basilicam insano sumptu ædificatam, magnę Matri, Mariæ Virgini, decreto Pontificum dicauit, episcopioque instituto, Antistitem præfecit. Soldanus, vbi ductu auspiciisque Regis Vngariæ, Damiatam captam esse nouit, solutis incensisq; castris, extemplo se in Cayrum Babylonemque recepit. Christiani primo vere, sub calendas Februarias, curato aëre, vrbē ingrediuntur: postero die, à legato pontificio, cum singulari Episcoporū pompa, purificationis Diuæ Virginis solennia celebrata. Passim per vicos, plateas & compita, faces cereiq; funales dispositi, vt Diuæ par honor victoriæ solueretur. Rex quoq; eo die cum cæteris ducibus, ingenti cum plausu militum, ouans vrbē inuectus, præsedit solennibus, & ad omnes aras Deo gratias egit. Opulentissimæ amplissimæque vrbis prædam ingentem militi pro dignitate distribuit, cætera in diuinum cultum & donatiuum erogauit. Retulit mox de agrorum diuisione ad Principum concilium, quum omnes id fore arbitrarentur, vt Soldano Babylonia exacto, milites qui domos supellectilemque accepissent, eodem exemplo, in eius coloniam, dato nomine, adscribi paterentur. Itaq; super deducenda colonia, & re agraria, decretum factum est. Dum hęc ita geruntur in Syria, Petrus Imperator Constantinopolitanus, in Theodori Dyrrachini tyranni carcere diem obiit, cuius interim imperium Iole administrat. Mox Robertum Petri filium, è Galliis accitum, Latini Proceres Imperatorē declararunt. Pontifex Honorius, superatis Tholosæ schismaticis, Diui Dominici opera, extēplo eius ordinem confirmauit. Eodem quoq; tempore, Fredericus Romanorum Rex designatus, defuncto Othone, Romā rediit, & ab Honorio Augustali corona donatus est. Qui quum paulò antè Constantiam matrem, improbitatis eius prudentissimam moderatricem amisisset, veluti iam remissis habenis, in omnem licentiam effusus, multa in Pontificem flagitia ac detrimenta molitur. Honorius improba huius pertinacia exacerbatus, grauissimo iuuenem anathemate mulctauit. Florebat indies in Syria respublica Christiana: nam tantum animorum Christianis ducibus accesserat, vt Soldanum, Saracenumque genus vniuersum perbreui conficere sperarent. Fecissentque opinione celeriùs, ni Ioannis Hierosolymæ Regis arrogantia intercessisset, quæ magnis ausibus moram aliquandiu attulit. Is enim etsi Damiatam suo regno subijciēdam esse credebat, nil tamen pensi habebat, quātum pontificio Cardinali ac Andreæ sanctissimæ expeditionis Imperatori tribuere deberet, nō omnia, illis pręsentibus & inconsultis, ex ar-

ex arbitrio suo imperare par erat. Cuius quidē arrogantiæ, quum à legato nonnunquam modestiùs admoneretur, ne Vngarorum Regem, cæterosq; Proceres offenderet, admonitionis impatiens, sub prætextu breuissimi commeatus, Hierosolymam proficiscitur, sequuntur multi milites hominem, nec nisi exoratus, ad reditum potuit adduci. Andreas interea cum reliquis copiis æstatem ac hyemem Damiatæ exegit, sub ver Ioannes in castra rediit. Acta spe lōgior Damiatæ mora, idcirco nō inutilis est habita, quòd ingentem militum numerum, opulentissimæ vrbis captiuitate pellectum, Genuensis, Veneta, Pisanaque classis in Syriam planè conuexerat. Sub Regis Hierosolymitani reditum habito 10 concilio, placuit omnibus in Cayrum & Babylonem mouere castra, quod idibus Iuliis factum est. Præter deriuatum Nili alueum, quo Damiata circumducitur, iter faciunt; dum Nilum subeunt, impositum ab hoste pontem offendunt, quem quum modico munitum præsidio cōspicaretur Andreas, quam primùm occupauit. Postridie natalium Petri & Pauli Apostolorum, ad tertium à Babylone lapidem castra locat. Soldanus in Cayrum & Babylonem, innumeram Saracenorum multitudinem sanè cōtraxerat, quæ quamuis haud citò annona carere posse videretur, Christianus tamen Imperator, qui partim Nilo, partim carris mensium ferè quatuor commeatus aduexerat, multo celerius armis, quàm inedia hostem superare confidit. Quare vt descendat in certamen, Soldanum 20 indies prouocat, simulat metum hostis, & perniciem in nostros inauditam excogitat. Ad hæc duos circiter menses populationibus & excursionibus isti satiantur, at ille expectata occasione, præterlabentem Nilum sub Babylone & Cayro, altioribus etiam solito ripis coercet, & quum paucis pòst diebus, ille opinione citiùs intumuisset, extemplo defossis vtrinque ripis, inundationem amnis in hostium castra deriuat. Effunditur diluuij more fluuius, & altiùs altitudine cubiti cuncta superat, ex quo intolerabile nostris detrimentum infertur, iumentis non solùm pascua, sed allata quoque pabula inhibentur, corrumpuntur hominum cibaria, nihil denique in castris seruari potuit, quo miles triduo aleretur. Incessit repentè omnes exitialis inedia, quam nisi implorata pace, cui- 30 tare non poterant; reditum inundatio prohibebat, quem præ locorum inæqualitate, & difficultate vadorum haud iniuria desperabant. Solus per aggeres Nili patebat exitus, & hunc hostis tam crebris & validis vsquequaque præsidiis occuparat, vt nullo hinc modo deturbari posset. Ad extremas demum angustias Christiani iam redacti, cum fœdis conditionibus pacem orare coguntur. Et quamuis inedia mori maluissent, quàm turpissima subire fœdera, tamen quia ingētem ex interitu suo calamitatem Christiana respublica patiebatur, & quæcunq; parta fuerant, præ tanto exitio retineri non poterant, communis tandem salutis rationem habuere. Missi ab Andrea Rege oratores, his pacem conditionibus ab hoste retulerūt, vt Damiatam cum rebus in ea repertis Soldano resti- 40 tuerent, contrà ille Crucis partem Andreæ redderet, liberarentur vtrinq; captiui: Christiani Tyrum & Adonem redirent, quibus quidem vrbibus annos octo pax concessa. Episcopium Damiatæ, Diuæ Virgini dicatum, eiusdem natalibus, Barbarorum reditu, ad spurcas prophanasque Saracenorum cæremonias redactum, quod anno vigesimoprimo supra duodecies centenum accidisse perhibent. 1221. Rebus Syriæ ita compositis, & Damiata Soldano reddita, Rex Andreas varia fortuna vsus, & Cardinalis Columnensis Legatus apostolicus, item Dux Austriæ, ac cæteri ferè omnes Christiani Principes, in Europam eadem, qua iuerant, via reuersi sunt. In sequenti quoq; anno, Ioannes Rex Hierosolymitanus, Soldani pace fretus, Romam venit, & ab Honorio Pontifice amplissimè 50 donatus est. Cum Frederico Secūdo, graui anathemate mulctato, hosteq; Pontificis, affinitatem iniuit, quippe cui filiam, quam ex Iole acceperat, despondit, atque dotis nomine ius maternum gnato contulit, quod in regno Hierosolymitano Iole retinebat. Quare deinde Neapolitanis Regibus hæc causa data, Hierosolymitani quoq; regni titulum vsurpandi. Profectus in Hispaniam, Philippi Regis magnificentissimo testamēto ditatus est, vtpote qui sexaginta milia pon-

do argenti Hierosolymæ Regi, totidem militiæ templi, totidemque hospitalitio Præfecto legauit. Demum progressus in Hispaniam, Diui Iacobi templum ex voto visit. Duxit vxorem Berengariam, Hispani Regis filiā. Andreas autem cum Vngaricis legionibus in Pannoniam relatus, vt eorum Annales referunt, Stephani protomartyris, & Diuæ Margaritæ caput, item Thomæ & Bartholomæi dexteram, partem virgæ Aaronis, atque vnam ex hydriis, in quibus aquam in vinum Saluatorem nostrum mutasse ferunt, atque multas denique reliquias, ingenti veneratione dignissimas, in patriam retulit. Inuenit regnum præter opinionem pacatissimum, quod Diuorum potius numinibus, quorum reliquias attulerat, quàm regni præfectis adscribere videbatur. Reliquias hi potissimùm an- 10 tistites à Rege accepere, qui Benedicti Ergæ filij monitu, qui reginæ olim ab epistolis seruiebat, reduci obuiam Regi officii gratia prodiere. Sed Andream reginæ mortis recordatio, vix regiam ingressum, continuò subiit. Initæ tandem constantiæ tenorem seruans, vt plerique dicunt, postero die Bancbano in iudicium vocato, ius dixit. Intellecta vxoris culpa, in exemplum seruandæ pudicitiæ, eam iure cæsam iudicauit. Reus læsæ Maiestatis regiæ, ac paricida, supremi sententia iudicis absoluitur. Sed deinde in vniuersam Bancbani domum miserabiliter sæuitum, quando reginæ liberi inultam suę parentis mortem æquo animo pati nequiuere. Gertrudis corpus in Pelino cœnobio reconditum fuisse aiunt. Nec desunt pleriq;, qui post reginæ interitum grauissimas ab interfecto- 20 re liberisque pœnas exactas illico, prodiderunt. Secundùm Andreæ reditum, anno (vt aiunt) nono, Elisabethæ filia virgo sanctissima, Lodouico Thuringio Landgrauio, eximia nobilitate, ac vitæ sanctimonia planè præstanti cōiugatur. Hanc aiunt tam præcoci religione fuisse, vt quintum vix annum nata, præ nimio sedulæ orationis affectu, aris amoueri non posset. Inter ludendum cum puellis, procidere sæpe dissimulasse, vt Deum, quem præ oculis semper habebat, in horas illa supplex adoraret. Lusisse anulis, & lapillis, vt facto lucro, pauperculis opitularetur. Harpagatam è parentibus vafrè pecuniam, piè miserabilibus erogasse. Cōiectis in aram Apostolorum nominibus, quum citatæ comites eorum suffragia sortirentur, hanc Ioannis Euangelistæ nomen fuisse sortitam: cuius pa- 30 trocinio ita exhilarata, vt nihil eius nomine quisquam in cassum eam exorarit. Perhorruisse vestimentorū luxum, delicias muliebres. Diuinarum rerum contemplationi assiduè incubuisse, audiuisseque prær euerentissimè in sacris Euangelia, & salutarem suspexisse hostiam, incessisse nudis pedibus supplicationum die. Olidis miserisque rogatoribus, subridentibus sæpe ancillis, lauisse caput, ac nullum austeritatis & abstinentiæ, item pietatis & misericordiæ prætermisisse genus. Quum vir eius Landgrauius Cremonam, ad Imperatorem Fridericum, visitationis officio proficisceretur, sæuienti annonæ caritate, coactā esurientiū turbam, exinanitis horreis, aluit: regiam miserabilium multitudine compleuit. Maritus explorata sanctitate coniugis succensus, liberam distribuendarum re- 40 rum ei potestatem dedit, certatim Christianū officium præstitit. Quin & illius monitis ac precib. excitatus, diuini cultus ardore, Hierosolymam peregrè profectus, in sancta regione diem clausit. Post viri mortē, veluti dissipatrix & prodiga, regnoque calamitosa, à nonnullis eiicitur. Dum misella vagatur, in diuersorium quoddam diuertit, porcorum olim haram: post intempestā noctem proximum Francisci cœnobium adiit, sacerdotes oratura, vt de hac insigni miseriā pro se Deo gratias agerent. Sed matertera, sacrarum virginum præfecta, eius exilium miserata, ad Babembergensem antistitem, illius auunculum duxit, qui hanc piè exceptam, honestè retinuit, vt alteri quoque viro coniugaret. Diu cum nepte contendit auunculus, nunquam tamen pudicissima constantissi- 50 maque matrona proposito amoueri potuit: quippe quę, si qua vis, nuptiarū gratia, ab illo inferretur, nasum sibi ipsa potius adimere decreuerat, vt fœdato turpi vulnere vultu, secundum cōiugium euitaret, quàm obtemperaret auunculo, & in humanam libidinem victa recideret. Dum in his versatur angustiis, ecce viri ossa ex peregrina Syriæ militia referuntur, quæ cùm singulari pompa, prodeunte

deunte simul auunculo Antistite, collachrymans admisisset, tali commiseratione infestantis molestiam declinauit. Post hæc in Diui Francisci se religionem asseruit, quum contemptum humilemque habitum, Venero panno consutum, subiuisset, miram in ea religione humilitatem prætulit. Cumulus huiusce miseriæ, quum ad Andreæ Regis aures peruenisset, quàm primùm filiam miseratus, è proceribus vnum ad eam misit, vt in paternam regiã reduceret, quod ille profectus nullo pacto exorare potuit. Instantissimè Deum quotidie orare solitam perhibent, vt humanarum rerum, & in primis liberorum contemptum, itẽ contumeliarum patientiam, & constantiam miseriarum inspiraret, quo expeditius,
10 toto corde ac animo, Saluatorem suum coleret & amaret, nihilque diuina charitate duceret antiquius. Sanctimoniæ suæ præceptorem, Conradum, virum ea tempestate religiosissimum habuit. In sanctimonialium cœnobio, non modò nendo lanam, & texendo vitam humilem traxit, verumetiam sordidissima quęque ministeria in humilitatis obseruantiam exercuit. Quinetiam id sæpe dicere solitam ferunt, despectiorem si inuenire posset, se vitam optare, vt Deo placeret. Id tandem vitæ sanctitate, & contemplationis vehementia cõsequutam affirmant, vt se cœlum apertum vidisse, serenissimum consolantis Dei vultum suspexisse, fuisse cum ea loquutum, & arcana multa spectasse, exorata quandoque fateretur. Et quum prætextatum spectasset adolescentem, mox percontata, an
20 ne oratione sua, ad ineundum salubriorem viuendi modum, adiuuari vellet? Quum ille voluntati preces adiecisset, sic pro eius salute Deum exorauit, vt diuino statim ardore se correptum intelligeret: quinquies mille argenti pondo, quod pro dote susceperat, partim in pios pauperum vsus erogauit, partim in hospitalis diuersorij ædificationem impendit, quod in Marcburgo adhuc oppido spectare licet. Vbi ipsam pleriq; memorant pientissima ægrotis ministeria præstitisse, lauasse pedes, tabifica vlcera curasse, subiuisse sæpe fulloniæ officium, & languentibus calceos exuisse, item quotidie sordida verrisse pauimenta, strauisse lectos, & nulla charitatis officia perhorruisse. Inter hæc sæpe cum ancillis gratulabunda dicere, O quàm bene nobiscum agitur, quando Dominum nostrum
30 sic lauamus, & tegimus. Item lanam torquere, dum illi quiescerent, & quæstum hinc factum, in calamitosos diuidere. Quum Redegundis, virgo spectatæ pulchritudinis, & decora capillorum amplitudine prædita, visendæ sororis gratia, xenodochium ingrederetur, hanc Elisabetha reluctantem apprehẽdit, auream illachrymanti comam ex edicto succidit. Et rogata, num aliquando salubrioris vitæ propositum concepisset, respondit, Iam diu equidem, sed hæc capillorum gloria reuocauit. At illa, Charius mihi (inquit) est, cum capillorum tonsura, omne tibi religionis impedimẽtum ademisse, quàm si filium ad Romanũ imperium euectum audirem. Puella sumpto habitu, cũ ea in pio xenodochio vitam sanctissimam transegit. Ad postremũ, quum pro contemptu mortalis regni iam
40 cœlestia mereretur, Christum sibi in somnis apparuisse ferũt, suaui adhortatione confirmantem, Veni dilecta mea Elisabetha (inquit) & apparata tibi tabernacula subi. In febrem subinde cadens, inter contemplandum exhilarari sæpe visa, dum media nocte ageret animam, qua hora Christus natus est, Iam tempus (inquit) instat, quo clementissimus Deus illos, qui amici eius sunt, ad cœlestes nuptias euocabit: & dum hæc diceret, in Domino obdormiuit, anno salutis ducentesimo trigesimoprimo, supra millesimũ. Quatriduo superfuit corpus eius, 1231.
antequam humi recõderetur, fragrantissimum odorem aspirans, deinde sepulchro conditum, haud multò pòst oleum emisit, in administratæ pietatis & misericordiæ testimonium. Cõfirmarunt mulieris huiusce sanctitatem multa post
50 mortem edita miracula. In Saxonia Henricus monachus, intolerabili membrorum dolore correptus, in somnis admonitus, vt Diuæ Elisabethæ opem imploraret, inuocato eius continuo numine, curatus est. Puella Maguntinensis, cuius mentem cacodæmon incesserat, sepulchro eius imposita, continuò liberata. Theodoricus Traiectensis, contractæ dextræ morbo laborans, occurrentis sibi senis consilio fretus, adito Diuæ tumulo, & immissa manu, repentè conualuit.

Hermannum quoque Colonienſem,reum capitis,& in vincula coniectū,dum huius Diuæ & Conradi præceptoris numen inuocaſſet, in ſequenti nocte aditum non ſine cœleſti lumine fuiſſe, & miram à Diuis conſolationem recepiſſe memorant.Sed poſtero die damnatum à prætore, ſuſpēdio ad tertium lapidem mulctatum fuiſſe, parentes impetraſſe, ne filius honore ſepulturæ priuaretur: quò quum mortuum extuliſſent,implorato Diuæ patrocinio,in vitam cōtinuò reuocatum fuiſſe prædicant. Idem Burchardo Maguntino in flumen demerſo, vt Vtelino Contareno, accidiſſe aiunt. Amiſſa quoque vita, quadrimus infans huiuſce numinis ope redonatus eſt,qui in puteum demerſus, vitam extinxerat. Fredericum etiam Maguntinum, in proximo amne ſuffocatum, in lucem iſta reſtituit.Ioannem quoque eadem vrbe natum,ſuſpendio liberauit.Manum Bolemaro molari lapide contritam, deſperata ſalute, curauit. Reddidit Maguntino infanti lumen,qui cæcus natus erat. Beatricem puellam,& ſtruma & gibbo iuxtà tumentem,item duas Gertrudes, alteram claudam, cæcam verò alteram, integra valetudine reformauit. Quinetiam Hēricum Maguntinum luminibus orbatum,& Matildim Treuerenſem,viſu,auditu,loquutione,greſſuque carentem,præterea Heliburgim cæcitate pari laborātem, Eliſabethæ numen,omnes æquè in optimam valetudinem reſtituiſſe ferunt. Plura de ſanctiſſima muliere dici poſſent,ſed ne ab ipſa re longè diuertamur, hæc ſit hactenus retuliſſe ſatis; ad Andream eius patrem redeamus. Audito filiæ obitu,quam inter Diuas deinde Pōtifices retulere,ingenti triſtitia Rex ille correptus eſt,quòd filiæ pręſtantiam,vt par erat, non coluerit,quòd illius humilitatem & miſeriam tolerarit. Vix annos quatuor,poſt eius obdormitionem,ſupereſſe potuit.nam corporis languor eum tātus inuaſit,vt paucis pòſt diebus, quum annis quatuor & triginta regnaſſet, animam efflarit, quod anno Domini trigeſimo quinto, ſupra milleſimum & ducenteſimum, aiunt accidiſſe. Corpus honorificentiſſimo funere à liberis honeſtatum,in cœnobio,quod Egres appellant,condidere.

RERVM VNGARICARVM DECADIS SECVNDÆ LIBER VIII.

Bela IIII.

QVVM Andreas exceſſiſſet humanis,Bela filius natu maior,ab Vngaris omnibus Rex conſalutatur. Comitiis regalibus ritè habitis, pridie idus Octobris, Albæ in æde Petri, quam ipſe dicarat,ex more coronatur. In ea celebratione Colomannus frater, dux declaratus, enſem prætulit. Daniel, Rutenorum Princeps, equum præreuerenter egit. Suſceptis regni habenis,paternam æquitatē & iuſticiam retinere ſtuduit. A principio regnum diſpoſuit,& pacauit,cum finitimis pacem coluit, ſed apud Auſtrales(vt infrà referetur)inuenire non potuit. Vix annos circiter quinque regnarat, quum Tartarorum aduentus,quos plerique Mangalos appellant, Vngarorum animos grauiſſimè perculit.De quibus, antequam vltrà proſequamur,haud ab re erit,originem & incrementa referre,ne diræ ſordidæque gentis, ab Aquilone excitatæ,in ſupplicia gētium, initium ignoretur. Tartari,gens Scythica,propriis ſedibus egreſſi, Georgianam in primis, mox Armeniam maiorem vaſtarunt,direptamque ac vaſtatam ſuo imperio ſubiecere.Incurſarunt Perſas,& Aſiam latè populati, varias regiones diripuere. Traiectis ſubinde Riphæis montibus,Sarmatiam longè lateque occupant.Rapinis & incendiis Rutenos, Polonos, & Chunos afficiunt.Et numeroſa fœcunditate exuberantes,Getarum iam & Dacorum fines attingunt.Nonnulli de Tartaris copioſiùs plura retulere, hāc gentem,Indiæ quondam Regi ſoluiſſe tributa.Sed quum præter tributa,militię quoque ſtipendio grauarentur,id ægrè ferentes,Chingiſta Duce, in Dauidum Regem coniurarunt, & coacta innumerabili multitudine, clauis & ſagittis Indorum regnum inuadunt.Obtruncant omnes qui occurrerāt,neque ſexui parcunt,neque ætati,& vbi ad Regem peruentum eſt, eum in primis trucidant.Ex liberis

liberis neminem superstitem faciunt; præter vnicam illius filiam, quam Chingista in vxorem duxerat. Necato Rege, successuq; fortunæ, eò insolentiæ euecti sunt, vt veluti eius regnum facilè occuparant, ita & vniuersum orbem, in ditionem suam haud difficulter asserere confiderent. Quare ad Chorasminos sibi finitimos, quàm primùm nuncios miserunt, vt annua tributa persoluerent: quod nisi facerent, igni ac ferro vectigalia soluere adigerentur. Præ indignatione illi nuncios interfecere, quare in eos continuò arma sumuntur. Exuuntur Chorasmini castris, & in fugam effusi, ac eiecti finibus, se in Georgianã vrbem, Caspiis montibus finitimam, & Tripolim, ac Persida recepere. Mox inde expulsi, ad internecionem cæsi sunt, deinde capta, ex aquarũ inundatione, Sapha vrbe, metropoli Persarum, totum regnum sibi subiecere. Quin & Chaam, apud Iberos & Albanos amplè regnantem, subdidere. Quum Christiani pro recuperando Diuo sepulchro, graui bello Saracenos afficerent, hi à Soldano è Perside euocati, nostris ad internecionem cæsis, Hierosolymam receperũt. Cuncta sacraria cædibus, stupris, rapinisq; fœdarunt. Quare Tartaros haud iniuria nonnulli ex his fœdis gentibus esse contendunt, quas intra mõtes Caspios duplici porta quondam Alexander occluserat, quibus adstipulari fortasse non erit absurdum. Verumtamen de horum effigie aliquid non immeritò referendum est, quum gentis huius immanitas grato silentio præteriri nequeat. Homines sunt infausto truciq; aspectu, maxima ex parte statura breui, prominentibus crassisq; oculis, quos palpebræ latè contegentes, quum parum aperiant, paruos ostendunt. Item naso, fronte, facieq; lata: ad hæc imberbes, raris in superiore labro ac mento pilis, in paruæ lanuginis similitudinem. Ad vmbilicum, vt plurimum, angusti, mediocrem pauci staturam superant. Caput ex transuerso ad vtraque vsque tempora radunt, præter verticem, & ad equinæ soleæ speciem, rasuram obducunt. Radunt item occiput, longosq; capillos ab aure demittunt: qui quidem mos, Turcorum, Saracenorum, & Cumanorum olim erat. Insuper leui agilique corpore, breuibus tibiis, cruribusq;, à pueritia equitare docti, nunquam ferè pedibus gradiuntur. Dum iter faciunt, etiam boues equitant. Essedonum Hamaxobiorumq; more, pro domibus currus habẽt, pellibus opertos. Ranarum more, gradatim non incedunt, sed aut tardissimè, aut præcipitanter progrediuntur, quare pedibus parum valent. Mulieres turpissimæ, pari feritate, virorum more equitant. His equi dociles, qui hordeo non pascuntur, neque soleis ferreis muniuntur, quibus etiam scissæ nares, & exsecti sunt testes. Horum oratio tumultuaria & clamosa, ac sola interrogatione fluctuans, in gutture verba fingunt rabida. Si cantent, tauros mugire, vel lupos vlulare dixeris. Incertas domos habent & erratiles, tẽtoriis vtuntur, ad montes æstiuant, hybernant ad maritimos campos. Magna his pecorum copia, corpora non minus palæstra quàm sagittatione exercent. Lacte, milio, pulmentoque vescuntur. Pueros ab initio sic ad sagittandum indies instituunt, vt cibum sumere non permittant, donec scopulum non attigerint. Equinum sanguinẽ in deliciis habent, & humana sæpe carne vescuntur. Venatores optimi, quando certissimi sagittatores. Feras loco motas præ se fugant, ducuntq;, mox in choreæ speciem veluti ludentes circumueniunt, confodiuntq; telis. Vnius quidem Dei fidem habent, nulla tamẽ religione, laude & oratione, Deum colunt. Sigillaria ac idola quædam humanæ imaginis, ex centone facta, ad vtranque ostij partem locant, quibus vbera prominent, atque illa custodiæ pecorum & tutelæ præesse numina arbitrantur. Horum beneficio, lactis gregalis, & pullorum gallinaceorum copiam profluere credunt. Nonnulla quoque simulachra è serico formant, præfigunt curribus, & superstitiosiùs adorant: in quibus quidem curribus si qui furtum fecerint, veluti sacrilegi, indicta causa, continuò trucidantur. Quũ sigillaria talia facturi sunt, nobiliores mulieres cogunt, quæ non sine religione ac reuerentia illa confingunt. Formato idolo, ouem mactãt, combustis ossibus, cætera deuorant. Ægrotantibus quoque pueris pupas dicant, ad lectumq; suspendunt. Chiliarchæ & centuriones, in media statione hircos habent, quos idolis faciunt, primitiasque

lactis iumentorum ac pecorum delibant. Quum celebrant conuiuia, omnium quæ apponuntur, primitias offerunt. Quum sacrificāt victimas, cor simulachro dicant, deinde id decoquunt, ac deuorant. Suo Regi, ante stationem, magnum simulachrum honorificè ponunt, cui equos, quos nemo deinde conscendit, dicant: mactant etiam animalia varia, quæ combustis ossibus deuorāt. Huic quisque præteriens se inclinare ac præuenerari cogitur. quod quum Michael Dux Rutenorū facere recusaret, publicè extemplo trucidatus est. Solem ac Lunam adorant, item elementa quatuor, quibus ante prandium, ciborum & potus primitias libant. Illud autem à Chingista, primo eorum Rege sancitum, vt quicunque propria insolentia percitus, iniussu principum, tyrannidem occupare ausit, indicta causa, cōtinuò obtruncetur. Item cum nulla vsquam gente pacem ineundam, quæ parere noluerit. Neque vnquam cessandum, quousque aut rerum potiantur, aut ad interitum redigantur. In fatis eorum esse, annos octoginta pugnare oportere, & regnare duodeviginti, mox ab aliā gente victum iri, & qui euaserint, legem illam suscepturos, quam victores planè seruarint. Insuper diuinationibus, auguriis, veneficiis, incantamentisque admodum obnoxios. Ad oracula dæmones alloquuntur. Eorum exercitus in chiliarchas, centuriones, & decanos digeritur omnis. Quinetiam Chaam generale est edictum: Quicūque ab ipsis ac eorum seruis capiantur, licere in perpetuā omnes seruitutem asserere, & pro seruis pro libidine sua vti & abuti. De viatoribus hanc legem promulgarunt. Quemcunque Tartarus, Tartarive seruus, in via offenderit, prçter mercatorem, Tartarica bulla signatum, ius eius habeto, in seruitutem asserito perpetuam, donec à priore domino repetatur. Tartarorum duo genera, glossemata quoque diuersa, vtrisque tamen lex vna, & ritus quoque vnicus. Tantum insuper huic barbariæ ac impietatis est, & arrogantiæ, vt Chaam Regem suum, Dei filium audeant appellare, item pro Deo hunc tantùm in terris venerētur, & adorent. Ex externis quicunque eorum Regem adeunt, ter se inclinare suppliciter, & ter capite terram ingeniculati quatere, ante solium coguntur. Omnes sibi inferiores arbitrantur. Somnia obseruant, magos colunt, & veneficos. Dæmones, in idolis responsa reddentes, adorant. Deum, Hychoga nominant, dominum autem, Chaam, aut Chaiim, quem diuino honore dignantur, & timent. Ei primitias æquè, ac Deo, ciborum potusque libant, eius responsa & imperia velut oracula obseruant & peragūt. Tanta quisque ipsorum ęstuat auaricia, vt nulla furta, rapinas, latrocinia, vim, vsuram, ac cætera tale genus prætermittāt. Fœnerat pro virili quisque sua, decimam crediti æris partem, quoquo mense, pro fœnore exigit. Item vectigalia crebra, ac grauia. Nam tributa in primis Regi, deinde sacerdotibus, post hæc prouinciarum præfectis, nunciisque solennibus planè soluuntur. Neque desunt crebra xeniorum officia, ac impensæ, quę quotidianis nunciis erogantur. Rusticus pro se quisque denarios tres, bos quoque pro se quisque totidem, totidemque senæ pecudes. Pro acceptis muneribus nihil rependere mos est, quādo omnia sibi, præ insolentissima immanitate, deberi arbitrantur. Eorum manus ad accipiendum semper prompta, ad rependendum contracta semper. Ob deperditam auariciam greges & armenta nutriunt, quibus multo plus æquo parcunt, ex his nullum sanum aut viuum præparant ad esum, & si quid horum deuoraturi sunt, aut mortuum, aut moriturum, mutilatúmve capiunt. Egeno ac rogatori nihil porrigunt. Atqui hoc tantùm aliqua ex parte laudabile seruant, quòd dum in conuiuio versantur, aduenientem quenque facilè tolerant, in mensamque excipiunt. Sūnt etiam inesfrenatæ libidinis: nam non modò in maribus & fœminis, sed ne in bestiis quidē suam Venerem explere queunt. Infando Saracenorum more, pro libidine ac facultate, vxores plures ducunt. Nulla arctissima cōiunctionis ratio apud hos habetur, à matre, filia, & sorore tantùm abstinent. A viro nulla vxor reputatur, donec pepererit, & tunc dotē à parentibus accipit. Sterilis, pro viri arbitratu, haberi & explodi potest. Præterea vsque adeo immanes & efferati, vt nec senes reuereantur, nec misereātur infantes. Sanguinem æquè ac aquam haurire non formidant. Cadauerum

rum iuxtà atque excrementorum aceruum reputant. Nullum immanitatis genus abominantur. Humanas carnes auidissimè deuorãt, exultant cædibus. Nihil ex immani genere mortis remittunt, commentantur dira supplicia. Dant alios præcipites è rupibus, alios positis supra collum saxis, vsque adeo collidunt, donec acerbissima morte conficiant. Plerisq; delitescentibus cultello cor transuerberant, prosiliẽtem cruorem sugunt. Ac demum tam dira crudelitate vtuntur, vt vix humanum credere possit ingenium. Sunt ad hæc astu & perfidia plus quàm barbara: quum aliquid obsident, blandiuntur oppidanis, hortantur ad deditionem, ac multa denique pollicentur, voti compotes facti, promissa non 10 præstant, captos partim cædunt, partim asserunt in seruitutem. In summa, dolo magis quàm viribus pugnant. Item victu tam fœdo, vt pediculos ingenuæ gulę reputent, necnon & mulas, sterilitatis gratia, humanas carnes, vel maximè inimicorum, præterea canes, feles, & lac præ cæteris equinũ. Patinas & ollas purgant nunquam, sordes & immundicias appetunt potius, quam abominentur. In Cumanorum bello, quum multos captiuos haberent, præ dira humanæ carnis auiditate, ad explendam corporis ingluuiem, omnes decimarunt, decimatosq; percupidè deuorarunt. Habitu vtuntur nigro genuum tenus, quo nec brachia, nec latera, nec pectus, nec aliqua pars anterior, supra infraque vmbilicum tegitur, item pileo in mitræ speciem. Corio, laminaq; ferrea, brachia muniunt po- 20 tiores, galeas è corio fingunt. Pauci lanceis & scutis, arcui tantum, & equestri confidunt pernicitati. In certamen descensuri, pernices quosdam equites præmittunt, qui nihil rapiunt, nihil comburunt, cæduntq; pecorũ, obuios duntaxat obtruncant, aut fugant. Post hos immittuntur, qui prædas agant, & ad inuestigandos homines, sagacissimi mittũtur. Prospectis hostibus, multi prodeunt, qui vbi ad congressum venere, iactis tribus quatuórve telis, continuò regrediuntur ad suos, vt ad impositas insidias hostes alliciãt: quod vbi factum est, eos circumueniunt, & obtruncant. Si magnum aduersus se exercitum conspicantur, declinata pugna, biduum triduumq; retrocedunt, diuertuntq;, aliam regionem inuadunt, & diripiunt: quod si vtrunque non successerit, duodecim dierum iter, re- 30 trò abeundo, faciunt. In munitissimo quandoq; loco vsque adeo morantur, vt furtim, & ex improuiso, incautum vel diuisum inimicorum exercitum intelligant. Plus dolo & astu, quàm viribus pugnant. Principes in pugnam nõ descendunt, procul inter pueros & mulieres, prospectant in equis. Quandoq; humana simulachra equis imponunt, vt multo maius præsidium habere videantur. Congressuri cum hoste, captiuorum aciem inter suas collocant. Hosti fortissimè pugnanti, fugæ viã patefaciunt, quia auersos facilius, quàm aduersos interficiunt. Quum aliquam inuasuri sunt regionem, antequam ad illam perueniãt, latissimum agmen faciunt, vbi locum nemo deserit, & quum ad fines illius peruentum est, noctu montes, qui circumstant, omnes occupant. Illucescente die, 40 pernices equites ad campos demittũt, qui passim cuncta discursent. Populi verò, citato tumultu, qui ad montes properant, in insidias incidunt, cædunturq;. Sæpenumero fortissimũ nacti hostem, fugiunt, fugaq; post se eum alliciunt, demum longo cursu defatigatum, conuersi adoriuntur, & perimunt. Quacunque iter faciunt, vastantq;, confestim dira fames insequitur. Sæpe in prælio depressi ex industria, vt hostem admittant, mox admissum, in sibilum coacti, circumueniant, & obtruncent. In seruos bello seruatos imperiosissimi, quos nõ solùm nudos, sed assidua inedia laborantes, in diro seruitio ad mortem vsq; retinent, præ libidine ac ludibrio impune sæpe necant. Peregrinam quanque religionem in ditione sua patiuntur: nam quum nullum perquam peculiarem Deum ado- 50 rent, omnium opinionum sectas haud iniquè tolerant. Artificibus facilè parcunt, vt ab his opera humano vsui necessaria exigãt. Virgines, matronas, mulieres iure belli comparatas, miserabili seruitio conficiunt, fame cruciant, & ad foci ministeria retinent. Ex prouinciis bello comparatis, puerorum puellarumq; decimas exigunt, quas pro seruis habẽt, & ex his morituri dudum domini deligunt, qui cũ his viui infodiantur. Tartareæ mulieres quàm turpissimæ. Coniu-

gatæ, in sesquipedalis altitudinis canistri speciem, rotunda quadam pilea, à superiore parte latiora gestant, hexamito sericóve ornata, pauonum oculis, vnionibus, & lapillis exculta. Phaleratis equis insident, non solùm auro, sed margaritis insignes. Quin etiam diuersa operantur, vtputa pelliceas vestes, calceos, ocreas, & cætera tale genus. Item currus ducunt, reparantq́;, camelos onerāt. Virorum more sagittas emittunt, pharetratæ equitant, ex equo pugnant, & virilia quæque officia præstant. Femoralibus veluti viri vtuntur. Si quis è plebe, lethali morbo afficitur, ad eius stationem tentoriumq́; hasta quædam erigitur, pileo nigro præfixa: spectato signo, intrat nemo: vita defunctum clam in campo sepeliunt, cum sub medio tentorio constitutū infodiunt. Item in sepulchro mensam ante illum, scyphum equini lactis, & carnis alueolum statuunt, adiiciunt quoq; iumentum cum pullo, & phaleratū equum, vt altera vitā lac, iumentum, & instructum equum habeat. Iumentum aliud comedunt, eiusq; corium completum stramine in patibulo quodam planè suspendunt, comesti equi ossa comburunt. Atque talia iusta, gens dira persoluit. Si quis eminentioris vir fortunæ, vita excesserit, cum preciosissimo habitu humi reconditur, sed ab hominū frequentia longè remotius, in secessu, ne habitu suo reclusus spolietur. Amici, equum eius pelle exuunt, quam stramine compleant, completamq; palo pra figant, ac editissimo pro dignitate patibulo imponant, carnes pro inferiis comessantur. Triginta dies mortuum lugent. Principes antequā expirent, seruum deligunt, delectumq́; cum domino vnà viuum sepeliunt. Addunt pleriq; nonnulla, quæ humanam fermè fidem exsuperant. Aiunt nonnulli, Tartaros Christiana fide aliquantulum præditos esse, qui parentes iam senio grauatos conspicati, pinguibus esculis eos infarciunt, vt ocius suffocentur, mox extinctos igni adurunt, collectosq́; deinde cineres diligenter asseruant, vt his cibaria quæque lautissima condiant. Diutius fortasse, quam opus erat, in Tartarorum rebus, quos plerique Tatarros nunc appellant, versati sumus, vt nouissimæ ac diræ Barbariç ritus incognitos enarraremus. Nā quum anno salutis centesimosecundo, supra millesimum, propriis sedibus hanc erupisse memorent, mirum est, quomodo tam fœdum & execrabile genus hominum, breui tempore, vniuersam Asiam, cum magna Europæ parte, igni ferroque vastare potuerit. Bela igitur, vt ad diuerticulum reuertamur, iam Cumanos à Tartaris non modò grauissimè infestari, sed capi, cædi, absumique acceperat. Post Cumanorum exitium, Vngariæ timebat, quod eo magis facere cogebatur, quo pertinacius Australes, Frederico Duce, quotidie bella interminabantur, & sæpe inchoata, sępe quoque intercepta fuerant. Dum Tartarorum tumultum formidant omnes, ecce Cutenis Cumanorum regis oratores adueniunt, Belæ mandata deferunt. Cutenem, inquiunt, diu bellum cū Tartaris gessisse, & eorum eruptiones fuisse remoratum, bis cum indomita immitique gente, instructa acie dimicasse, & fugasse hostem, tertiò quum imparatum offendissent, cum magna tandem suorum strage cessisse, Cumaniam Tartaris inundatam ac obrutam esse, proinde impensissimè supplicare, vt extorrem profugamq́; gentem æquo animo excipiat, pro Vngaris tractet: quod si impetrare liceat, polliceri, gentem suam nō modò agros & pecuaria curaturam, verumetiam Christianam fidem vltrò subituram. Bela, his auditis, duplici gaudio confestim afficitur, altero, quòd Princeps Cumanorum paulo sibi inferior, in deditionem sponte veniat: altero, quòd in accessione orthodoxæ fidei tot hominum milia ex insperato afferat. Respondet, se Cumanos nō modò sponte excepturum, eosque haud aliter ac Vngaros tractaturum, verumetiam gratissimum nunc hospitium, audita eorum calamitate, deferre ne humanitatis & amicitiæ officio desit. Quare non modò postulatis annuit, sed hortatur, vt in Pannoniam cōfugiant, velut in antiquum hospitium, & Christi fidem libentissimè subeant, cuius gratia omnem Cumanæ gentis iacturam se resarcturum pollicetur. Ad hæc oratores aureis vestibus ac equis donat, præbet viaticum, ocyusq́; dimittit. Religiosos comites adiicit, qui Cumanos publicis concionibus ad fidem nostram hortentur, animosq́; disponant. Cuten tandem cum

vniuersa

vniuersa gēte patriis sedibus emigrat, cedit prophanis Barbaris, & iter init. Bela obuiam in fines vsque progreditur, vt profugum hospitem honorificentissimè excipiat. Atqui vbi Cumanus aduenit, præter omnium opinionem, gratissimo à Rege excipitur animo. Sed quum vtraq; multitudo simul iter facere non posset, quia nusquam vnà recipi poterat, neq; aspera gentis huiusce consuetudo facilè ab Vngaris tolerari videbatur, vnus è proceribus à Rege deligitur, qui Cumanos regio sumptu, in mediam vsq; Pannoniam duceret. Præter seruitia, quadraginta Cumanorum milia, regiis impensis in Vngariam venere. E Cumanorum inductione, haud parum inuidiæ cum Vngaris Bela contraxit. Quum enim Cumani per Vngariam iter facerent, ducerent greges & armenta, agerent iumenta quàm plurima, & Vngarorum sata, vinetaque grauissimis incommodis affligerent, ne parum quidem eorum animos offendebant. Accedebant his longè grauiores iniuriæ, quæ multo acerbius ipsorū animos offendebant. Nam quum illi pagos & oppida ingrederentur, nulla hospitalis iuris habita ratione, humilium virgines passim violabant, audebant etiam, occasionem nacti, nobilium thoros incæstare. Dum graues vltrò citroque inferuntur iniuriæ, si quis Vngarus deferebatur, continuò supplicium expendebat, si Cumanus, præsentanea criminis impunitate elabebatur. Si quis regiam iusticiam ex Vngaris incusasset, indicta causa, mox ad supplicium trahebatur. Quare tanta hinc in Belam suscitata est inuidia, vt à peregrinis potius, quàm à suis amaretur. Ne aliæ quidem inuidiæ causæ defuerant, quæ Vngarorum in Regem animos exacerbarant. Nanque Andrea patre mortuo, quum Bela Antistitum Principumque consensu, Albæ (vt moris est) à Strigoniensi archiepiscopo coronatus esset, in Proceres, qui patri aduersus eū fauerant, immodicè sæuit, quando alios in exilium, in carcerem alios planè coniecerat. Quin altius quoque sæuiens, Dionysium Palatinum excæcarat. Edictis seueritatem adauxerat, vt regnum sceleribus expurgaret. Ad coercendam Procerum reuerētiam, exceptis Principibus, Metropolitis, & Episcopis, sedendi in præsentia facultatem edicto inhibuerat, sellas procerum inuentas concremarat. Exulum quoq; & captiuorum cognati sibi admodum timebant. Accedebant aliæ Belæ Regis calumniæ, quòd de his, qui in bello Polonico, Ruteno, & Cumano bene se gesserant, præter instituta maiorum, haudquaquā bene meritus fuerat. Et non modò bene meritos nulla villa prædióve donarat, verumetiam donationes olim factas reuocarat. Quare plerique nobiles vsque adeo extenuati fuerant, vt non solùm familiam, sed vix se ipsi alerent. Augebat odium, quòd nemo Regem nisi per supplicationem alloqui poterat. Magistri precum, pro libidine sua, causas expediebant, & quenq; extollebant, deprimebántve, sicut odium, gratia, & largitio cogebat. Itaque sæpe illud vulgò exclamatum, Non vnum, sed plures Vngaris esse Reges. Exacerbabant eorum animos, Cumanorum honores, immunitatesq; à Rege constitutæ. Cumano cuiq; vel minimo patere semper Regis aditum, petere, dicere, supplicare, quæcunq; vellet, præferri vbique Vngaris, & perbenignè tractari. Contrà Vngaro Regis aditum & colloquium interdici, per precum tantùm formulas Regē interloqui, eos pro liberis, se pro seruis vsquequaq; tractari. Quæ quidem omnia, ad seditionem potius, quàm obsequium Vngaros irritabant. E diuerso Regis amici, & qui regiæ dignitati fauebant, Belam excusabant, piumque Principem asseuerabant. Cumanos, communi Vngarorum consensu ac decreto, in Vngariam fuisse admissos, quod in eo conuentu factum est, qui in cœnobio, quod Cænum appellant, ad Tibiscum amnē est habitus. Et ne quid à peregrinis iniuriarū acciperetur, Cumanos, per oppida & vicos, prouinciatim fuisse diuisos. Quinetiam regiis comitibus mandatum, vt Cumano ac Vngaro æquè ius dicerent, sine vllo discrimine vterque tractaretur. Cumanos diuisionē hanc iniquo animo tolerasse, per regnum passim effusos, commodo potius quàm incommodo fuisse. Quod de optimatum aliquorum exilio & vinculis obiiciebatur, etiam illud non temere fuisse factum, quando Procerum plerique tantum inter patrem & Belam odij & discordiæ interseuerāt, vt ad arma intestina sæpe

peruenerint. Et ni bonorum Antiſtitum, Optimatumq; opera fuiſſet interceſſum, patrem ac filium facinoroſi ſæpe in prælium nepharium cõmiſiſſent. Hoc illos fuiſſe molitos, vt demum vtrunq; regno eiicerent, ipſique omnia inter ſe partirentur, & pro ſuâ libidine cuncta gererent. Item varia Belam conuitia & contumelias fuiſſe perpeſſum, & quod multo grauius fuerat, eos aduerſus regiam Maieſtatem coniuraſſe. Tabellarium ad Fredericũ Auſtriæ Ducem continuò miſiſſe cum literis, cui coronam & regnum ſe traditurós pollicebantur, ſi ſcripta pacta & conditiones admitteret. Tabellarium in itinere interceptum, ad Belamque ductum, omnia cum literis prodidiſſe. Bela in coniuratos non extremo, vt par erat, ſupplicio vſus eſt, ſed in eos mitiùs agẽs, partim in exilium, partim in carcerem & vincula coniecit, à nemine vitam exegit. Quod autẽ de donationum reuocatione obiiciebatur, ad hoc illi rẽſpondebant, Vngariam in ſeptuaginta comitatus (vt aiunt) fuiſſe diuiſam, quos reges bene merentibus conferre ſolebant, vnde prouentus & commoda multa ſuſcipiebant. Sed quũ multorum olim regũ prodigalitate, villis & poſſeſſionibus perpetua donatione diſſipatis, extenuatiſſimi forent comitatus, ac parum commodi regibus ſoluerent, & quum quæſtores, dapiferi, prægustatores, miniſtri, ac denique hipparchi, ex impetratis pagis & prædiis locupletati forent, ſtatuiſſe Belam, quæcunque regij iuris fuerant iniuſtè alienata, omnino recuperare. In hac tamen re nemini iniuriam feciſſe, regalia tantùm bona recuperaſſe, fuiſſe bene meritis quàm gratiſſimum. Quod de precum formulis & ſupplicationibus eum criminabãtur, id quoque falsò obiici, in rebus grauibus cuique patuiſſe aditum. Vt cauſæ parui momenti celerrimè expedirentur, petitionum formulas inſtituiſſe, quas vicarij definirent, grauiores ſibi reſeruaſſe, ne quis iure ſuo defraudaretur. Quod Cumanos Rex obſeruarit, & nimia beneficentia fuerit amplexus, eum laudem potius quàm vituperationem hinc fuiſſe promeritum, quando hoſpitalitatis iura ſummo ſtudio coluit, & vt tot hominum milia in Chriſtianam fidem aſſereret, nullum officij genus prætermiſit. Vix igitur Cumani in Vngaria annum exegerant, quum Tartarorum rumor aduenit, eos iam vaſtata Rutenia, quam pro Roxania, Ruxiam nũc appellant, Vngariæ finibus appropinquare. Bela huiuſce rei ſæpius admonitus, ad cuſtodiendã Ruteniæ portam, quæ Montana dicitur, Comitem Palatinum miſit: Quum illic Vngariæ aditum eſſe noſceret, quàm primùm delectum habuit, & nobiliſſimum quenque ad danda nomina conuocauit, vndecunque potuit etiam auxilia euocauit, vt innumeræ multitudini, quæ Aſiam olim inundarat & obruerat, non ſolùm obſtaret, verumetiam longè repelleret. Contrà fictum hunc rumorem Vngari reputabant, quia ſæpe antè ſuſcitatus, continuò euanuerat. Nonnulli hanc famam ad reuocandos Antiſtites excitatam prædicabant, qui a ſummo Pontifice ad concilium Romanum citati fuerant. Quin etiam Vgolinum Colocienſem metropolitam à Rege ab itinere reuocatum fuiſſe tradunt. Complures ad exaggerandam Regis inuidiam talia commenta referebant: Cumanos cum Rutenis coniuraſſe, ex induſtria emigraſſe in Vngariam, vnde toties bella & incommoda multa ſuſceperant, vt eius mores addiſcerent, imbiberent linguam, & quum Rutenos Vngariam adoriri cœpiſſe ſentirent, hi Belam continuò aggrederentur, ac demum Pannones exterminarent. Increbreſcente Tartarico tumultu, primo tempore Bela rex Budam venit, frequentiſſimum ibi conuentum habuit. Vbi de imminenti periculo, quod omnium iudicio grauiſſimum videbatur, diu actum, & decretum eſt, vt Antiſtes, ac Princeps quiſque, ſe ac ſuos ad bellum accingerent. Item ad obſeruandum Cutenem ac liberos, & Cumanorum optimates, propter ſuſpiciõnẽ, adiectæ cuſtodiæ, ne quid mali in Vngaros moliretur. Nondum præceps ver erat, quum Palatini nuncius aduenit, qui Belæ nunciauit, Rutenorum portam iam Tartaros attigiſſe. Paulò pòſt ipſe Palatinus aduenit, qui idibus Martiis cum eis congreſſus, cæteris cæſis, vix cum paucis euaſerat. Rex, audito Tartarorum aduẽtu, omnes mox Antiſtites & Optimates, pro virili quenq; ſua, copias comparare iubet, ipſe exercitum, quanta poteſt celeritate, cogit. Stephano

Vacienſi

Vaciensi Episcopo, item Orodiensi, Chianadiensique Antistiti mãdat, reginam confestim adeant, admoneantque huiusce nouitatis, in primisque Ducem Austriæ suo nomine exorent, vt ad eum continuò veniat. Quinetiam Cumanos omneis ad se venire præcipit, ipse cum copiis, quas in tãto tumultu cogere licuerat, Strigonio Albaque profectus, Pesthum venit, ibique cæteros Optimates & Antistites cum equitibus præstolatur. Retulerunt Tartarorum Regum nonnulli nomina, qui in Vngariam irruperant. Regem regum, cæteris prædominãtem, Bathum appellarunt, cui Bochetor erat militiæ præfectus. Item Cadan, Coacton, Pheycan, Peta, Hermes, Chebus & Ochadar, qui maiores inter Tartaros
10 Reges cẽsebantur. Fuere præter hos innumeri proceres, qui quidẽ omnes, cum quinquies centenis milibus hominum, in Vngariam eruperunt. Quum igitur populata vastataque Roxolania, & Cumania, quæ in Sarmatia continentur, Vngariam ingrederentur, per quinque dierum iter, nullum pagis & oppidis detrimentum intulere, partim ne vastationis rumor ocyssimè ad Vngarorum aures perueniret, partim ne redeuntes cõmeatuum inopia laborarent. Quare Bathus ex composito, per portam Rutenorum, qua Vngariæ fines ad Transsyluaniam attingit, regnum adoritur, profligatoque (vt supra diximus) Palatino, vltrà penetrare contendit. Peta Poloniam adortus, cæso duce, vsquequaque grassatus, omnia ferro igniqúe vastat. Populata Polonia, Vratislauiam, Slesiæ metropolim,
20 ac vrbem nobilissimam aggreditur, diripit, & incẽdit. Mox irruit in Morauiam, parique feritate, rapinis, cædibusque omnia miscet, qua incensa, in Vngariam descendit. Cadan, inter Cumaniam & Ruteniam veniens, per syluas trium dierum itinere facto, ad Rodanam, in editissimis montibus sitam, vbi fodinæ auri & argenti erant, tandem peruenit. Cui Teuthones multi, qui montana loca incolebant, lucri gratia, armati obuiam in syluis occurrêre. Cadan, simulata fuga cessit. Teuthones, veluti fugato hoste, lætabundi rediere, exutis armis, conuiuia celebrarunt, & multo sese vino complerunt. Mox ex improuiso reuersus hostis, inermes, incautos, debacchatosque adoritur, pagos munitionibus carentes occupant, facta vtrinque maxima strage. In primo congressu, Teuthones, despera-
30 ta victoria, extemplo deditionem fecere. Barbarus promissa salute, Aristaldum illius regionis Comitem, sexcentosque eius milites suis copiis adlegit, pariterque militare iussit. Bochetor cum cæteris Tartarorum Regibus, traiecto Zerecho amne, ad Cumanorum Episcopi regionem peruenit, quam fuso fugatoque mox colono, occupauit, incenditque. Postquam Bathus in Vngariam vltrà processerat, Barbarica immanitate sæuire cœpit, passim gladio incendioque grassatur, omnia diripit, nec sexui, nec ætati parcit. Contendebat rectà ad Belam, qui ad Pesthum castra tunc habebat. Quum ad vigesimum lapidem Pestho appropinquasset, in Pesthanum statim agrum multos immisit, qui cuncta lõgè lateq; diriperent, homines interficerent, & pecora cuncta abigerent. Rex, qui cum il-
40 lis congredi cupiebant, hos semper inhibuit, haud inscius, eos arte potius quàm dolo hostem eludere, quare plus æquo timidus reputatus. Nam illi dum venire credebantur, abibant, econtrario verò, dum abire putabantur, impetum faciebant. Vgolinus Colociensis metropolita, rei huius impatiens, iniussu Regis, aduersus eos egreditur, cõtrà illi terga vertentes, paulatim cessere, instabat is à tergo. Ad palustrem demum cõuallem peruentum est, Tartari leui armatura præditi, facilè traiecere. Cataphractus metropolitæ equitatus, præ grauitate, incautus in paludem incidit, tenaci limo sic inhæret, vt neque vltrà, neque retrò cedere audeat. At illi ocyssimè reuersi, circumuenta palude, ne quis elaberetur, sagittis omnes cõfecere. Vix Vgolinus cum tribus quatuórve euadere potuit. Re-
50 uersus ad Regem, non plus doloris ex iactura equitatus, quàm iræ, quòd nullo subsidio fuerat adiutus, sanè retulit. Hæc pridie festorum Dominicæ passionis gesta sunt, die verò Dominico, Vacia, quæ in ripa Danubii sita, viginti milibus passuum à Pestho distat, à Bathi copiis obsidetur, vbi Rex erat cũ exercitu, qui statim cum suis fuga salutẽ sibi comparauit. Sacerdotes, ciues, & ingens ex proximis pagis numerus, cum liberis & vxoribus, in basilicam arce munitam con-

fugêre: hanc primo impetu Tartarus expugnat, sacrum thesaurum & aurea vasa diripit, phanum sacris vestibus & supellectili spoliat. Captam multitudinem non gladio Barbarus conficit, sed impositam igni vniuersam absumit: quare vnà cum Saluatore nostro Vacienses, extrema supplicia passos memorant. Dux Austriç Fredericus, à Rege euocatus, quemadmodum supra diximus, cum paucis, veluti huius rei nescius, etiam inermis aduenit. Quum vna die, vt solebant, Tartari prope mœnia Pesthi discurrerent, Fredericus obuiam occurrit, illi ex more se in fugam vertunt, insequitur iste, vnum hasta transfodit, alteri, arrepto ense, brachium abscidit, cæteri aufugêre. Fuso demum hoste, cum plerisq; captis ad Belam redût: quare Vngari, pro data nuperrimè ansa maledicendi, Australium Ducem laudibus multis efferre, contra Regem timiditatis arguere, ac nonnullis calumniis sugillare occœperunt. Irritauit quoque eo tempore deorum iram Vngarorũ scelus, qui variis criminibus Cutenem insectabantur, eum criminari Tartarici aduentus auctorem fuisse. Item qui Vngariam inuaserant, non tam Tartaros, quàm Cumanos esse. Quare passim omnes in eum clamare, Cutenem ad supplicium posci, Vngarici auctorem excidij. Belam pro salute omnium pugnare oportere, qui Cumanos regni euersores tanta indulgentia foueret, quibusque vicos & prædia ferè omnia dono dederat. Itaque Rex Cutenem accersi iubet, vt cum cæteris Cumanis ac Vngaris, Tartarico furori pariter occurrat. Sed Cuten infrementem in se populum formidans, Belæ respondet, Se sine præsidio regio, quod à manibus protegat Vngarorum, ad eum ire non posse. Ad hæc infremente multitudine, in Cutenis hospitium fit impetus, ipse ab Alamannis & Vngaris, cum cæteris Cumanis iuxtà obtruncatur. Capita è fenestris in populum proiecta, & ius hospitij nefariè læsum. Alij hoc Frederico Duci Austriæ imputant, pars Belæ, cæteri Vngarorum væsania factum arbitrantur, ac Regem omni suspicione liberant. Quandoquidem eum sacra fide initiauerat, ac in Pannonia tutò viuere iusserat, itaque nihil ab illius probitate, violata fide videtur esse magis alienum. Quum igitur Tartari maiori quotidie audacia & immanitate grassarentur, metropolita indies Colociensis apud Belam instabat, vt aduersus hostes prodiret. Castris multarũ copiarum aduentu late refertis, Dux Austriæ (quem Fredericum Imperatorẽ fuisse, vt Annales referunt, nequaquam crediderim) abiit, Rex quadrato agmine in hostem egreditur. Cumani a Rege conuocati, dum coirent, audita Cutenis cæde, id ægerrimè tulerunt, & dum in diuersa traherentur, vndiq; in infensam gentem Vngari irruere, passim spoliare, ac cædere occœpere. Contrà illi vna coacti, se fortissimè tueri, incendere pagos, & agricolas passim trucidare, nullumq; vindictæ & crudelitatis genus prætermittere. Dum hæc ita geruntur, quum Bulzo Chianadiensis Episcopus, & Nicolaus Boræ filius, item nobiles cum liberis & vxoribus, in superiorem Pannoniã properarent, vt cum regiis castra iungerent, Cumanos in itinere offenderunt. Atrocissimũ vtrinq; prælium conseritur, Vngari verò impares, quum resistere vltra nequirent, cedere coacti, ad internecionem ferè omnes cæsi sunt. Episcopus curru inuectus propter morbum, inter pugnandum aufugit. Cumani cum Tartaris, icto fœdere, Danubiũ transmisere. Iaurienses, & superiorem Pannoniam adorti, igni ferroq; vastarunt. Cumani præ cæteris sæuiebant, quum Vngarũ interficiebant, Cutenis aiebant gratia hoc vulnus accipito. Villam combussere, quam Francam dicebant. Sabariam diruerunt, Diui Martini patriam: nullum vicum intactum dimisere. Demum cæsis hominibus, abducto pecore, cum ingenti præda in Bulgariam, quæ in inferiore Mysia fuit, iter flexere. Benedictus autem Varadinensis Episcopus accersitus à Rege, comparato magno exercitu, ad eum festinabat, vt nutantibus Vngariç rebus subuenirer. Dum iter facit, Tartaros Agriam incendisse accipit: quum edoceretur superfuisse nõnullos, vt Agriensium reliquias legeret, dimisso exercitu, cum paucis festinauit. Augebat eius audaciam recens victoria, quandoquidem superioribus diebus, cum quibusdam Tartaris cõgressus, facile fudit, fugauitq;. Quum hostes hoc planè sentirent, lõgam continuò fugam simularũt, deinde ad proximum

mum quendam locum ſubſtitere, item quum equos paucos haberent, & ipſi perpauci forent, hoc ſtrategema commenti ſunt. Humana ſimulachra ex diſtentis ſaccis effinxere, impoſuere equis, vt equites viderentur, hos cum nonnullis ſub colle relinquunt, admonentque, vt quum pugnam conſertam ſenſerint, ſubſidij loco continuo prodeant, ſimulata inſtructa acie, & gradatim procedāt. Ipſi in campis Vngaros operiebātur, qui quum ſtatim adfuiſſent, pugna magno impetu vtrinque conſeritur. Bochus cum potioribus, qui cum Epiſcopo venerant, acerrimè dimicat. Tartari ex compoſito terga dedunt, verſus collem fugiunt, prodeunt inde ſocij cum ſubornato equitatu, tunc illi qui fugiebant, quaſi
10 reſumptis animis, ſe in inſtantes à tergo Vngaros conuertunt. Bochus hoſtium inſidias eſſe ratus, cum ſuis continuò terga vertit, inſequuntur à tergo Tartari, ſagittisq; confodiunt, cædunt ad internecionem. Vix Epiſcopus cum paucis Varadinum rediit, mox traiecto Danubio, in tutiorem partem ſe recepit. Quum autem Bela vniuerſas copias Peſthi coegiſſet, ac Tartari longè lateq; cuncta vaſtarent, & progrederetur in hoſtes, cedunt illi ſenſim & pedetētim, hic quoque gradatim inſequitur, idoneam pugnandi occaſionem vtrique præripere ſtudēt. Ad Saium demum amnem perueniunt, qui haud procul ab Agria fluit, aliquantulumque vagatus, in Tibiſcum delabitur. In flumine caſtra locant, ad pontem præſidium imponunt, vt peruigili cuſtodia tranſitum tuerentur. Tartari quoq;,
20 traiecto amne, iam dudum in planicie, præter paludem quandam caſtrametati fuerāt, rati hac nullum ſibi ab hoſte periculum imminere, quum ſine ponte paluſtria loca nequaquam traiici poſſe confiderent. Interea Rex Vngaros ad pugnam hortatur, proponit ante oculos publicum exitium, ac immanem feræ gentis crudelitatem, quam non modò audiuerant, ſed ſæpiſſime ſpectarant, commemorat incendia, cædes, ſacrilegia, inaudita ſupplicia, quæ paulò antè patrarant. Ne prætermittebat quidem, hoc dirum genus hominum, præ diuina ira, è Scythia demiſſum, non modò Sarmatiam, & nunc Vngariam, ſed totam olim Aſiam deuaſtaſſe. Omnes tandem edocet, ac monet, vt qui his rebus non mouentur, imminentibus tandem liberorum vxorumq; periculis excitentur. Væ-
30 ſani contrà Vngari regia monita parum attendere, obducere ad ea vultus, & ludibrio cūcta habere. Item Belę fugam & calamitatem malle, appetere Tartarorum victoriam, vt poſthac Regi chariores haberentur, arbitrati præ immiti libidine, non publicam, ſed priuatam hanc fore calamitatem, ſe quum voluerint, facilè omnia recuperaturos, veluti Cumanorum & Beſſorum tempore ſæpe ſolitum accidere. Rex interea, mille quaque nocte milites, circa exercitum excubare iubet, haud inſcius, ſibi cum inſidioſiſſimo hoſte rem eſſe. Pontem, quo à Tartaro dirimebatur, diligentius cuſtodiri iubet. Ille tandem inuēto loco, quo omnis exercitus vado tranſiri poſſet, paludes ex inſperato clàm traiicit. Ante lucem, caſtra Belæ circuit, poſt hęc extemplo, elato clamore, eminus dimicare o-
40 mnes occipiunt, ſagittæ in imbris ſpeciem à Tartaris emittuntur. Vngari, poſtquam ſe præter opinionem ab illis obſitos conſpicantur, animo cōſternati, vſq; adeo confunduntur, vt nullum ordinem retinerent, pugnam præ timore conſerunt, obruebātur telorum imbribus, & nemo vallo egredi audebat. In tanta rerum omnium perturbatione, aciem non modò non educere, ſed ne inſtruere quidem poterat, quinetiam ipſe cum Colocienſi metropolita, neque precibus, neque minis, nec hortationibus ac monitis, quempiam caſtris emittere potuit. Dum in tantis ab aurora ad meridiem vſq; laboratur anguſtiis, Colomānus, acceptis quibuſdam, quos in tanta trepidatione potuit, quum Regis frater eſſet, facto agmine, in Tartaros irruit. Pertinaciſſimum prælium cum his init, obtrun-
50 catque nōnullos, dum ſe à lateribus adiuuari credit à ſuis, atqui poſtquam ſe ab omnibus, qui in caſtris remanſerant, deſtitutum reſpicit, cedente hoſte, ac data via, cum ſuis euaſit. Eodem exemplo exiere quàm plurimi, quib. nullus intercedebat hoſtis: hos Bela in præliū exire credebat, ac aliquantiſper opinione ſua falſus, haud mediocrē manum elabi permiſit, ſed vbi ſe iam deſertum iri ſenſit, inter paucos inſinuatus, egreditur, in proximāq; ſyluam ſe recondit. Coloman-

nus per auia loca cum sociis Pesthum se recepit, præpropera festinatione traiecto Danubio, in Simigiensem agrum contendit. Postero die Tartari aduentarunt, Pesthanos cum liberis & vxoribus partim igni ferroq; perdidere, partim fugam agitantes demersere Danubio. Bartholomæus Quinqueecclesiensis antistes, post Colomanni ac Belæ fugam, exercitus interitum conspicatus, quando magnam castrorum partem iam Tartari cremare cœperant, quadrato agmine, cum ingenti equitū manu, sibi viam fecit, à tergo insequuntur hostes. Dum ita laboratur, ecce Ladislaus, inter Vngaros vir eximius, & cladis huiusce nescius, cum magno equitatu ad Regē festinat. Antistes quum amica signa agnouisset, ad hunc cursum declinat. Tartari, qui à tergo instabant, reformidato noui hostis occursu, pedem retulere. Ex insperato igitur Bartholomæus, Optimatis aduentu, se à barbara captiuitate vindicauit. Exercitus autem, a Rege, & Colomanno, cæterisque desertus, à fera gente ad internecionem cæsus. Nam qui rectà Pesthum aufugerunt, in itinere interfecti sunt; qui in castris remāsere, ab hostibus circumuēti, ad vnum omnes oppetiere. Cæsorum numerus fidem exsuperat, ex his Principes in primis cōmemorant, Matthiam Strigoniensem Metropolitam, cuius opera & consilio, quum simul educati forent, Bela in grauissimis rebus vtebatur, Vgolinum Colociensem Archiepiscopum, nobilissima prosapia editum, qui maxima queq; negocia gerebat, non minus nobilitatis, quàm plebis amator moderatorque. Item Georgium Iauriensem antistitem, virum illa tempestate doctissimum, & Reynaldum Transsyluanum Episcopum, Episcopum quoque Nitriensem, summa probitate præditum. Adiicitur his Nicolaus Scinicensis, Belæ vicecancellarius (vt aiunt) qui antequā occumberet, ne inultus obiret, ingentem Tartarū obtruncauit: Herodius Archidiaconus Bachiensis, Albertus Strigoniensis sacerdos, pontificij iuris consultissimus. Sacrorū hactenus facta mentio, prophanæ multitudinis haudquaquā fieri potest, quæ partim demersa paludibus, partim telis incendioque absumpta. Diffusa passim cadauera, trunca, & in frusta dissecta cernere erat. Qui per pagos in Diuorū templa confugerant, ibidem concremati. Per duorum dierum iter, prostrata corpora, & cruenta terra videbatur. Quemadmodum pecorum greges, longè lateque per campos effusi, ita iacentia passim cadauera spectabantur. Nusquam maior spectata clades, nec strages insignior. Cumulatissimas improbitatis & pertinaciæ suæ pœnas Vngaria luit. Multas enim victimas humanas, igni, aquæ, terræque mactauit. Ingens equorum numerus, qui decidentibus præ vulnere dominis, liberi vagabantur, & maxima spolia lecta. Hostis igitur non magis sanguine expletus, quàm præda ditatus est. Tartari insigni victoria potiti, exuuias omnes accuratissimè legunt, vnaque congerunt, ac veluti frugū aceruos in campum cogunt. Diuidundæ prædæ Rex cum delectis quibusdam Proceribus pręficitur. Sigillum regium, ad secretarij cadauer inuentum, lætabundi abstulere, rati ad obsignādas, in Vngarorum perniciem, adulterinas literas id fore accommodatissimum: astum plus quàm Barbarum comminiscuntur. Ad cæteros Tartarorum Reges, qui nondum in Vngariam venerant, clarissimam victoriam significant, hortantur, vt ad ipsos properent, quando nihil esset in via periculi, vt ipsi quoque regni potentissimi partem sortirentur. Citeriorem Vngariam, quæ spectat ad Italiam, non attingunt, ne Vngari regnum desérant. Interea ne cæteri Vngariæ populi, audita Belæ fuga, & insigni clade, elabantur, quosdam iuuenes, quos in bello seruarunt, adulterinas Vngaricè literas, Belæ Regis nomine, scribere cogunt: quibus vniuersos populos hortaretur, ne domos vllo pacto desérant, Tartaream feritatem non expaueant; nam quamuis nonnullorū imprudentia, impedimenta amiserint, perbreui tamen cuncta recuperare speret. Proinde hortari ac iubere, vt omnes domi tutò versentur, Deum exorent, vt prophanæ multitudinis citò victoriam cōsequantur. Hasce literas, Belæ sigillo obsignatas, per Vngariam diffundunt: cæteri qui superfuerant, quum literis credidissent, pari immanitate absumpti sunt. Nam etsi quotidie crebras hostium incursiones, rapinas, & incendia sentiebant, opinione tamē literarum verarum

amoueri non poterant: quare prius ab illis vſquequaque circumuenti ſunt, & ad interneciones cæſi, quam elabi poſſent. Iam tempus inſtat, vt ad Belam redeamus, qui ante profligatum exercitum, cum paucis elapſus, in ſyluas Poloniam verſus fugam intenderat. Quin & fines Auſtriæ ſtudebat attingere, vt reginam, quam ibi dimiſerat, alloqueretur. Dum ibi aliquantulum curandi corporis gratia ſubſtitiſſet, ſomnumq; exutis armis captaret, ecce Dux Auſtriæ, qui ſe ad officium veniſſe ſimularat, occurrit. Rex è ſomno ſtatim excitatus, viſo Duce, quem iam ſibi reconciliarat, admodum recreatur. At ille, diſſimulata inimicitia ſcelereque, ad traiiciendum Danubium Regem hortatur, vt propius ad
10 tutiora loca confugeret, offerebat ſua oppida, in quibus ſecurum ſemper fore pollicebatur. Rex innocentiæ ſuæ conſcius, quæcunque ille obtulerat, quando tempus ac res ita poſtulabat, lubēter accepit. Ad proxima quædam caſtella peruenere, vbi diebus aliquot peramicè vtrinq; verſatum. Deinde Dux, vt conceptum animo facinus perpetraret, hinc ſumit initium: a Bela quādam pecuniam repetit, quam ſibi ab eo iniuſtè olim extortam querebatur. Rex, intellecta facinoroſi hoſpitis audacia, vt maiora incommoda declinaret, quamcūq; in numerato ęre habebat, exſoluit, cæteram datis vaſis aureis argenteiſq; rependit. Et vt illius libidini cumulatiùs ipſe ſatisfaceret, treis regni (vt aiunt) comitatus Auſtriæ finitimos adiecit, vaſa gemmata, multo pluris æſtimata, pro bis mille pon-
20 do argenti, ab ipſo recepta ſunt. Trini comitatus continuò Dux poſſeſſionem accepit, muniuit ſubitò aduerſus impetum Tartarorū. Nōnulli dena milia pondo tunc exacta fuiſſe referunt, pauciora plerique. Hæc pacta adiecto ſacramento vterque muniuit. Poſt hæc ad Reginam, quæ haud procul aberat, Bela properauit, qua ſecum accepta, mox Stephanum Vacienſem Epiſcopum ad Romanum Pontificem & Imperatorem mittit, vt legitima ab vtroque auxilia mittantur, ne obruta à prophanis Vngaria, cætera Chriſtiana reſpublica periclitetur. Interea in Segedino agro cum equitatu, quem cogere potuit, morā traxit. Poſtquam Dux Auſtriæ, Vngaros vndique in fugam conuerſos eſſe intelligit, ratus ſibi tempus dari ad vlciſcendum nimis idoneum, coactum mox exercitum in
30 Pannoniam mittit, & veluti Tartari vlteriorem, ſic hos citeriorem Vngariam vaſtare iubet. Iuſſi mandata faciunt, haud ſecus ac illi, pagos incendunt, abducunt prædam, & in homines frequenti cęde graſſantur, ſuccēdunt Taurini ſuburbia, & arcem capere pergunt. Interea è proximis pagis oppidiſque haud parua manus cōuenit, audito vrbis periculo, ſuccurrit, Teuthones arce potitos inuenit: quod vbi aſpectum eſt, vſque adeo Vngarorum animos irritauit, vt hoſtes ad vnum omnes in arce cremauerint. Id vbi Duci nunciatum eſt, illius adeo animum commouit, vt cæteris Vngaris, qui promiſſa immunitate, incolumitateq; rerum omnium, in Auſtriam confugerāt, graue ſub cuſtodiarum prætextu ſtipendium impoſuerit, redegeritque ad tantam rerum omnium egeſta-
40 tem, vt hoſtibus etiam miſericordiam excitarent. Sed iam tempus admonet, vt ad reliquos Tartarorum Reges, qui poſt primos Vngariam intrarunt, ritè reuertamur. Cadan Rex alius (vt paulò ſuprà diximus) expugnata Rodana, captoque Ariſtaldo, præſidiario præfecto, ac eius militibus, ſexcentos delegit, quorum ductu, per ſyluas, & auia prærupta q; loca, in Varadinū agrum, cum magna Tartarorum manu deſcendit, quò in Tartarico tumultu, è circumiacētibus pagis innumera virorum mulierumq; multitudo cōfugerat. Aberat Antiſtes, cum quibuſdam ex ordine ſacerdotum, cæteri qui remanſerant, pro virili ſua ciuitatem (ne ampliſſimum pagum dixerim) ſanè muniuerant. Arx vrbis multo munitior, quandoquidem impoſito præſidio validiſſimo, item foſſa & vallo, ligneoq;
50 propugnaculo ſatis tuta videbatur. Ecce Tartari aduentant, primo impetu ciuitatem expugnant, quando vallo ſeptoq; ligneo, nō muro fuerat obducta. Capta vrbe, ad cędem vir pariter ac mulier, puer ac ſenex iuxtà rapitur. Nulla ſexus & ætatis habita ratio, ſacra cum prophanis æquè mixta & incenſa. Rogerius vnus è collegio ſacerdotū ex cuius commentariis iſta collegimus, cognito Tartarorum incurſu, confugit in ſyluas, vbi aliquādiu tutò delituit, vt huiuſce exitij

testimonium perhiberet. Populata vrbe, Tartari ad vigintiquinque milia passuum recessere, vt his qui in arce remanserant, metū adimerēt. Ne spe quidem & opinione sua frustratur Barbarus: nam quicunq; in arcē se receperant, quum profectum hostem, & dies aliquot nusquam apparentem prospectarent, omnino abiisse rati, incensam vrbem reficere, instaurare casas, suburbia resarcire, ac securius ciuitatem die noctuq; colere occœpere. At vbi ferus hostis ciuitatem recoli & instaurari, præsidiarios quoque extra arcem cōfidentius quotidie obuersari intellexit, ex composito, ante diem Varadinos iterum adoritur, offendit incautos, obtruncat quoscunque in vrbe & suburbio deprehendit. Redintegratur miseræ ciuitati clades, & plus quàm diro flagello torquetur, hi tantùm ex hoc exitio euasere, qui in arcem confugerant, ac in syluas se subtraxerāt. Ad postremum Tartari, instaurata vrbe potiti, arcem circumuenere, ab altera eius parte dirutus murus erat, quem paulò antè resarserant, hac barbarico quodam ariete quassare occipiunt. Soluitur facilè recens moles, quæ immatura nōdum confirmari poterat, panditur hinc hosti aditus, intenduntur vndiq; balistæ, quibus arx grauissimè oppugnatur, obruitur sagittarum imbribus, ac demum altero die capitur. Sacerdotes ac nobiles ibi deprehensi, partim cæsi, partim è murorum ruinis lethali vulnere confecti, deturbantur. Matronæ, puellæ, ac cæterorum imbelle genus, in basilicam confugerant, ratæ in sacrario tutiores, quàm in prophano loco futuras: confirmabat spem munitissimum templi ædificium. Tandem iniecto igni, vnà cum basilica, vniuersa multitudo imbellis conficitur. Ne aliis quidem phanis pepercere, in quibus nihil est profani facinoris & efferitatis, quod sexus vterque subire non cogeretur. Nobilitas, plebs omnis, & equester ordo, cum collegio sacerdotum, ad vnum omnes pro mœnibus iugulati. Violata Diuorum monumenta, confracta simulachra, sanctæq́, reliquię conculcatæ omnes & pessundatæ. Inaudita in templis cōmissa piacula, sacræ vestes direptæ, aurea argenteaque comminuta. Viri cum mulieribus, postquam satis ludibrio fuere, in basilicam introducti necabantur. Post tantum excidium, vbi recessit hostis, cæteri qui in proximas syluas euaserāt, & hucusque delituerant, ad desolatam patriam, grauissima adacti fame, conuenere, si quid fortasse reperirent. Tartari pari iterum astu rediere, neminemque Varadinorum reliquere superstitem, deinde absumpta materia cædis, abiere. Rogerius, qui se inter nemora abdiderat, deleta patria, ad pōtem Thomæ (vt aiunt) & Teuthonum pagum, qui Chrysio amni est impositus, peruenit. Mox ad quandam insulam diuertit, quam aduersus Tartaricum furorem, quicunque proximos pagos incolebant, quos Agyam, Vaydam, & Gerot appellant, coacti planè muniuerāt, tres erant villæ aditus, quos singulæ quoq; turres protegebant, aliquot dies hic moram traxit. Deinde reformidato Barbaro, Chianadinum contendit, quod ad Marisium amnem situm est, & quadraginta milibus passuum à villa remotum, ciuitatem inuenit, superiori die à Tartaris incensam, qui alia via in Vngariam penetrarunt. Quin & hostes longè lateq; diffusos offendit, in die delituit miser, & ingruente nocte, per hostium turmas clandestinè iter faciēs in insulam se recepit, quò quum rediisset, hostes adfore in horā accepit, refugit in syluas, quod etiam fecere plerique. Tartari postero die insulam occuparunt, ex instituto suo omnes obtruncant. Qui in syluis dudum delituerant, adacti fame, in villam reuersi deprehenduntur, cæduntur'q́, mox sagacissimorū canum more, in alios euestigatum, deprehensi multi immaniter trucidati. Quum innumeram illi multitudinem in syluis fuisse reconditam arbitrarentur, id commentum inuenere. Quosdam Vngaros cepere, quos seruarant, eos circùm latè dimisere cum his mandatis: quicūque ad præstitutum tempus, quod ipsi præscripserāt, sedes proprias repeterent, omnib. licere tutò esse domi, colere agros, & curare familiam. Credidere his pars hominum non mediocris, quod vt facilè crederent, cogebat inedia. quare quicquid Vngaricæ multitudinis, in spaciū trium dierum itineris, erat amplè diffusum, hac stolida fide compulsum, domum rediit. Quin etiam quum agendæ messis tēpus instaret, annona ab his & illis æquè curata, Cumani, Tartari,

Teimisch. (marginal note)

Tartari,& Vngari mutuò versabantur.E parentibus,filiarum,ex viris, vxorum, ex fratribus, sororum lenocinio, quàm plurimi vita a fœdo hoste donati. Quin & vt gratum Tartari lenocinium sibi fuisse ostenderent, in eorum (quos diximus)conspectu,illas sæpe,ferarum ritu,in propatulo iniuere.Sedato furore immanitatis, præfectos crearunt, qui ius dicerent, & hos Kenezios nominabant, quare admodum regiones istæ pacatæ. Tribuebatur cuique ius suum, pro quo quidem beneficio,impetrandave gratia, venustissimæ quādoq; puellæ ad præfectos mittebantur,cōtra lenonibus,ab his oues,equi, boues, ac cætera tale genus rependebantur.Rogerius,ex cuius commentariis (veluti suprà memorauimus)ista collegimus,in cuiusdam præfecti clientelam se insinuauerat,vt partim saluti priuatæ,partim publicæ in tempore consuleret.Kenezij, quot hebdomadibus inter se concilium habebant, quum centum essent, centumuiralis hasta videbatur.Ex his non multò pòst edictum promulgatur,vt ex pagis quibusdam, mulieres cum pueris ęquè ac viri,ad statū diem,ad centumuirale tribunal conuenirent,legitimaq; munera cōferrent. Plerisque id haud paruam suspicionem iniecit,& in primis Rogerio,qui argutiore profectò ingenio fuerat: iussi ex imperato conuenêre, duxere cum liberis vxores, & ingentia munera contulere. Rogerius cum Tartaris quibusdam, in eorum exercitum, ad declinandam suspicionem,proficiscitur.Multitudo,quæ ad Kenezios cōuenit, post oblata munera, in vallem deducta, ibique & spoliata, & crudeliter trucidata esse fertur. Nondum tot cædibus gens fera satiari poterat,quando stato die cæteros, qui in vlteriore Vngaria superfuerāt,pagos adoritur.Cæsis omnibus,nihil incendunt, vt ad futuram hiemem commeatus haberent. Item populos quosdam aliquandiu præstitere superstites,vt agros colerent,rem frumentariam vindemiamque curarent,sed parus vti ex edicto inhibitum.Post tot excidia,Orodinum & Chianadinum versus contendêre. Nouam post se villam ex industria dimiserant, quam Pergen olim dixerant,item Cisterciensis ordinis cœnobium,quod in castelli speciem communitum erat.In hæc enim duo loca,è finitimis pagis ingens hominum manus,cum fortunis omnibus plane confluxerat,quæ quidem intacta dimisere illi, vt coactam denique multitudinem haberent. Interea circùm omnia vastant,si qui illuc accedebant,ab Vngaris illico fugabantur,quare hinc tanta horum animis adiecta est fiducia,vt afflictis rebus Vngaricis,se tantùm euasuros esse sperarent. Postremo destructis cæteris, qui circùm erant, oppidis ac vicis, ad hæc duo loca Tartari rediere. Vt sine cruore suo hæc expugnarent, primò captiuos Vngaros,deinde Rutenos & Cumanos in pugnam commisere, ipsi pro triariis erant, vt cum alieno periculo victoriam sibi compararent. Vngari,qui in prima acie pugnabant,cum suis miserrimè dimicare cogebantur,ridebant a tergo Tartari,& gentili hoc prælio præ nimia lætitia gestiebāt.Septem igitur dies assiduò pugnatum,completa demum fossa Vngaricis Rutenisq; corporibus, Villa noua capitur. Quū omnes viros & mulieres in suam potestatem redegissent, in campum amplissimū deduxere, diuisere bifariam,hinc rusticos, nobiles illinc,quibus postquam vestes,arma,pecunias & ornamenta diripuere, præter duas puellas,quas ad Veneris ludibrium reseruarunt,crudeli omnes feritate trucidarunt.Hi tantùm superfuere,qui inter cæteros fœdati sanguine,inter cæsorum corpora delituere. Post Villæ nouæ excidium, cœnobium Egres acerrima obsidione circumuenere, cui quum varias machinas admouissent, ad deditionem faciēdam miseros compulere. Sed post deditionem,postquam in fœdæ gentis venere potestatem, pari perfidia omnes interfecti, præter monachos quosdam,nonnullasque matronas, formosasque puellas, quas explendæ libidini reseruarūt.Difficile profectò foret,cætera inauditę immanitatis genera recensere, quando quæcunq; crudelitatis facinora cū his conferantur, ne minima quidem ex parte æquare poterunt. Nimirum hæc omnia Dei flagella, sine controuersia superarūt.Æstate illa,ad fines vsque Austriæ ac Boemiæ,sunt cuncta Tartarorum inundatione vastata. Nam vlterior Vngaria,Cumania,Polonia,Selesia,ad Danubium vsque, sunt omnia latè longeque exitio incredibili

absumpta. Tartari vlteriori Vngaria potiti, ad inuadendam citeriorem indomita libidine rapiuntur. Augebat æstuantissimam cupiditatem Strigoniensis vrbis prospectus, quæ cæteris Pannoniæ, non minus opibus, quàm amplitudine præferebatur, quam si capere liceret, cætera ad Adriaticum vsque mare facilè occupare sperabant. Ad hæc seueritas hiemis addebat audaciam, siquidē paucis pòst diebus, crebris niuibus ac gelu Ister constitit. Frangebant è conspectu glaciem quotidie Strigonienses, ne hostes strato amne transirent. Verùm vælaniente bruma factum est, vt omnis horum opera eluderetur: constitit tandem amnis, ac pedestre in eo prælium sæpe commissum. Tartarus tamen ingentem equitatum glaciali pauimento, quod dolosissimum videbatur, credere non audebat, periculum haud ab re faciendum prius censuit. Barbarus plus æquo vafer, multa in ripam armenta duxit, ibique sine custode triduo dimisit. Strigonienses hostem abiisse rati, traiecto amne, pecora cuncta rapiunt, & in citeriorem ripam redigunt. Hoc vbi gens fera nouit, rata eodem exemplo, se tutò equitatum amni, qui constiterat, committere posse, extemplo cum innumera multitudine, ac omnibus impedimētis, Danubium sicco pede traiecit, vniuersam ripam, per multa passuum milia, numerosis equitatuū turmis occupauit. Deinde exercitus bipartitò diuisus, pars cui Rex Cadan præerat, per vestigia Belam insequitur. Quippe qui omni auxilio destitutus, in Dalmaltiam sanè confugerat, & quum ibi tutò esse non liceret, in proximas insulas traiecit, ibique tutum duntaxat ab omni Barbarico impetu locum inuenit. Cadan Belæ potiundi spe frustratus, in Croaciam, & superiorem Mysiam diuertit, quam nunc Rasciam Bosnamque nominant, ibique cuncta diripit, populatur, trucidatisque colonis, incendio magno vsquequaque grassatur. Et vastata hac regione, ne quid integrum dimitteret, in Bulgariam descendit, quam inferiorem Mysiam nuncupamus. Cætera Tartarorum multitudo ad expugnandum Strigonium properauit, castra haud procul ab vrbe locata. Quum vrbem non solùm muro, fossa valloque, sed turribus quoque ligneis, ac omni munitionum genere instructam inuenisset, triginta circiter machinas parauit, quibus admotis vrbem expugnaret, quam vario hominum genere frequentissimam intellexerat. Quum vetus Regum aula esse soleret, huc mercatores multi è Gallis, Germanis, Italisq; conuenerant, confugerant vndique, ex pagis & oppidis, nobilium ac rusticorum ingens numerus: quare Tartaris obstate posse sperabant. Tertio die captiuis edicitur, vti fascem quisque suum ad mœnia portaret, ex quibus aduersum muris aggerem facerent, vnde vrbs propius oppugnari posset. Quare pro fossa vrbis, è fasciculis murum erigunt, mox vineas, tormentaque diuersa admouent, balistas intendunt, quibus saccos egesta terra distentos addunt, fossam complēt, turres ligneas lapidibus diruunt, iisdem quoque obruunt oppidanos. Tumultus in vrbe magnus extollitur, confusus præ timore populus, diuersus trahebatur, nemo mœnia tueri audet, ne aut lapidibus, aut sagittarum imbribus obruatur. Ad hāc ciues desperationem redacti sunt, vt è Senatus consulto suburbia incenderent, vestes cum equis omnibus concremarent, aurum & argētum, ac cætera tale genus infoderent humi, vt nihil secum lucri dira turba faceret, quod vbi hostis intellexit, eo magis dētibus infrendit. Incensis deinde suburbiis, in lapideam se omnes vrbem recepere, hanc Tartari citra cunctationem obducūt, vndique oppugnant, tanto impetu aggrediūtur, vt vix paucis horis obstiterit, deinde à propugnaculis reiecti ciues, in Tartarorum potestatē peruenere. Capta vrbe, tanta ab hoste patrata cædes, vt nemo ex vniuersa ciuitate, præter quindecim, euaserit. Supra omnium opinionem, in omnem sexum ætatemque sæuitum, quandoquidē viuos homines palo insutos, pecorum instar, igni assasse referūtur. Ingenuæ quoque matronæ, more patrio excultæ, quæ in vnum palatium se receperant, ad extrema supplicia postulatæ, se ad Tartarorū principem prouocarūt, in cuius conspectum, extra vrbem mox eductæ, vt vita donarentur, suppliciter orabant, sed inexorabilem ac dirum hostem nactæ, prius spoliatæ, mox capite ad vnam omnes mulctatæ sunt. Arx Strigoniensis, cui Symeon præfectus cum

valido

validó præsidio tunc præerat, hostem tentata deterruit. Qua dimissa, ad Albam regalem Barbarus properauit, vbi quum scirent esse monumenta regum, multum ibi auri & argenti è regiis donatiuis eripere posse credebant, sed hæc eum frustrata fuit opinio: nam inter paludes sita, nulla vi & arte capi potuit. Mox ad Diui Martini cœnobium festinatum, vnde re infecta abiere. Hæc igitur tria loca tantùm, excidij Tartarici expertia fuisse testantur. In citeriore Vngaria, ne tantum quidem calamitatis illatum, quoniam statiua ibi nequaquã habuere, solùm dum iter facerent, quæcunque fuere obuia, ferro igniq; vastarunt. Rumor post hæc omnia, non mediocris effunditur, Tartaros statuisse, Australibus & Alamannis abstinere manus, ac publico edicto reuocare castra, vt rebus felicissimè gestis, in pristinas sedes pedem referrent. Onustis igitur carris, perpopulatas regiones, qua ingressi fuerant, ea redituri, iter ineunt, latebras quasq; tectissimas inuestigant sagacissimè, disquirunt saltus, vt si quos ingrediẽdo dimiserint, egrediendo recipiant. Nonnullas ergo reliquias Vngarorum necarunt, sed Vngaria egressi, per Cumaniam & Ruteniam ad pristina loca rediere. Bela verò, qui in Dalmatiam effugerat, audito Tartarorum abitu, quem vix credere poterat, vt afflictis Pannoniæ rebus pro virili subueniret, dissipatasq; regni sui reliquias cogeret, cũ multis auxiliis in Vngariam rediit. Quin etiam si quis è Tartaricis regibus, soli feracitate & amœnitate pellectus restitisset, his haud difficulter copiis explodi posset. Crucigeri nanque Rhodiani milites, qui sacrosancta stipendia faciunt, item nonnulli Frangepanûm reguli, qui in Dalmatia & Croacia ad Sauum vsq; latè imperabant, excidium Pannoniæ miserati, cum auxiliaribus copiis, & validissimo equitatu, Regem in Vngariam restituêre. quare ob rem bene gestam, non solùm amplissimis priuilegiis, sed oppidis & pagis, vt diplomata regia planè testantur, honorificè donati sunt: hos M. & B. fuisse memorant. A clarissimis profectò maioribus isti degenerare noluere, qui vt Romani sanè referunt Annales, in senatorio ordine præstantissimi semper habiti, vrbanis tãdem factionibus in Dalmatiam secessere, ac in eius parte regnarunt. Quam Lapideã vocant sedem, sibi Segniæ optarunt, & inter Illyricos Proceres principatum semper obtinuere. Reuersus Rex desolatum regnũ offendit, tribus (vt aiunt) annis à pestilentissima gente direptum, è destituto soli cultu tanta fames incesserat, & ex fame pestilentia, vt quicunque mortem captiuitatémve euaserint, inedia vel contagione raperentur. Quare Bela non iniuriarum immemor insignium, quas à Frederico, perfido Austriæ Duce, præter æquum & fas acceperat, suum exercitum, & auxiliares copias è Dalmatia ductas, aduersus eum duxit, vt à Deorum & hominum contemptore cumulatas, vt par erat, pœnas exigeret. Obsedit igitur ita vehementer Australem Neapolim, vt ad succurrendum hostem adigeret. Pro mœnibus vrbis prælium initum, in quo cum tanta, quicunque superfuerant, Vngari ferocia dimicarunt, vt Alamannos grauissima clade profligarint. Fredericus, ne impunitate scelerum elaberetur, cum Vngaro singulari certamine pugnans, transfosso ore, prostratus occubuit. Victor à Rege honorificentissimè donatus est, cuius adhuc donationis clarissima extant priuilegia. Post hæc victoria potitus Alamannica, direpta maxima Austriæ parte, in Pannoniam rediit, & ad pacandum regnum, legendasq; reliquias animum aduertit. Diu in resarciendo regno versatus, veluti in dispersis naufragij fragminibus, vbique terrarum ac gentium disiectos Vngaros, & plerosque omo agros iam factos, mira pietate disquireret. Quinetiam equi, domino carentes, liberè vagati, syluestres facti sunt, quo quidẽ genere Carpathij adhuc montes abundant, iubati pedum tenus. Post Frederici Ducis interitum, qui sine liberis vita decesserat, vt Annalium Vngarorum scriptores, qui pro Imperatore ponunt, falsò tradidisse videantur, soror eius Margarita, quæ Henrico, Imperatoris Frederici Secundi filio nupserat, & eo sine sobole functo, in patriã redierat, Austriam, hæreditatẽ fratris accepit. Et iam anus facta ac sterilis, Othocarũ Boemiæ Regem, virũ accepit, vxoris dote potius, quàm ætate ac spe prolis adductum. Hic Primislai, qui tertio loco, à Philippo Imperatore, Frederici Secun-

di fratre coronatus est, filius fuit. Decedente Venceslao fratre, qui natu maior erat, sine liberis, Othocarus regnu iniuit, & quintus Boemorum rex adnumeratur. Magno hunc animo, & consilio non inutilem fuisse dicunt, item bellicæ artis, & magnarum rerum cupidissimum. Quum igitur sterile coniugium contraxisset, potitus Austria, longè maiore imperandi cupiditate æstuauit. Ingenti promissa pecunia, Vlrichum Carinthiorū Principem adduxit, virili sobole carentem, vt pacta mercede, Carinthiam, Carniolam, partem Sclauoniæ, quam Marchiam nūc appellant, & portum Naonis hinc sibi mercaretur. Quinetiam Veronenses, Feltrenses, & Tharuisani, cū multis Foroiulianis, vltrò se huic planè subdiderint, & stata quotannis stipendia soluerint. Hic igitur ob Styriam, quam Vngari occuparant, ac veteres inimicitias, & præsertim eas, quas ex Frederici Ducis morte cōceperat, Belæ Regi graue bellum indixit. Hortabatur ad id spes occupandæ Pannoniæ nō mediocris, quæ afflictis Vngariæ rebus nuper incesserat, addebat animos fortuna bellica, quam sibi semper æquā, & in inundatione Tartarica multo æquiorem sortitus erat, quando illam pestem è Prussia forti animo sanè repulerat, quam Vlmerigiam veteres appellauere. Vrbem condiderat Kunigspergium, à Monte regio Germanicè nominatam. Bela, coacto exercitu, in Othocarum arma sumere properauit, quamuis desolato id regno difficulter efficeret. Bellum hoc Boemicum, quod nonnulli propter fines exortum esse referunt, anno salutis ducētesimo sexagesimo, supra millesimum, initum fuisse, Annales prodidere. In Morauiam vterque conuenit, Bela cum Stephano filio & Alpra Cumanorum Duce huc venerat. Quum acies vtrinque constitissent, collatis signis acerrimè pugnatum. Plus auxiliorum, quam Vngarorum in prælio dimicabat, siquidem ad vltimum ferè interitum, Pannoniam Tartarus planè reduxerat. Cùm alienis viribus rarò victoria cōparetur, quamuis diu atrocissimè, ac pari Marte vtrinque pugnaretur, Pannones tamen multis cæsis, inclinari occœpere, ac Boemis dedere terga. Bela fugientem suum militem, ac reiectum equitatum conspicatus, ipse quoque castris exutus, terga dedit, Haymburgumq; confugit, quod tertio idus Iulias accidisse scribunt. Aliqui Pannonum quatuordecim milia, in proximum amnem præ fuga demersa tradidere, quibus minimè adstipulor, siquidem Tartarico bello ita effœta fuit Vngaria, vt vix Belæ exercitus totidem complecteretur. Bela ingenita probitate præditus, ad pacem potius quàm bellum natus esse videbatur. Othocarus autem, fusis fugatisq; Vngaris, insolentissimus iamdudum effectus, viuente adhuc vxore legitima, alteram induxit, Regis Moschouiæ filiam, quæ Kunigūdis dicta est. Mox ab illis, qui eligendo præsunt Imperatori, ad imperium inuitatus, insolentissimè recusauit. Quare Rodulphus Habsburgensis Comes, ab his Imperator designatus, qui Othocari magister aulæ quondam fuerat. Huic Othocarus quum Austriam renunciare cogeretur, quia fœminei iuris esse nō poterat, hinc bellum exortum, in quo Othocarus, vt paulo inferius referetur, occubuit. Cui Venceslaus filius, vix annos septem natus, sub Othonis tutela Brandeburgensis Principis educatus, quinto pòst anno, in Boemiæ regnum restitutus est.

1260.

Belam tot laboribus malisque vexatum reuocemus in medium. Probum hunc Principem ac religiosum nemo inficiabitur, bello infortunatum affirmabunt omnes, instaurandam Strigonij ciuitatem curauit. Pacato regno, eiusque excidio pro virili parte resarcto, Diuæ Virgini, cuius numine seruatum se esse sciuetat, Strigonij templum regio sumptu dicauit, vt vbi regiam habuerit, ibi post mortem quiescere liceret. Ex Maria vxore, quam Imperatoris Græcorum filiam fuisse affirmant, duos filios suscepit, Belam, & Stephanum. Ante patrē Bela obiit, Stephanus patri subrogatus. Itaque Rex iam senio confectus, ac potius malorum ingenti mole contritus, ab anno salutis septuagesimoquinto, supra duodecies centenum, nonis Maiis, in Budensi insula diem obiit, quem vniuersa Pannonia efflictim deplorauit. Corpus Strigonium relatum est, vt in æde nobili, quā ibi exædificarat, honorificè sepeliretur: pro magna ara, è rubro marmore sepulchrum erectum, in quo Belæ Regis, ac Mariæ coniugis, & Belæ quoq; filij

1275.

corpora

corpora cōdidere. Post hæc Philippum aiunt, Strigoniensem metropolitā, suauissima illius memoria peritum, Belæ Regis corpus ex hac ęde, vsurpata licentia, in suam basilicam transtulisse, vt regiam regio corpore tunc ędem honestaret. Id Diui Francisci sacerdotes, qui ædem curant, iniquissimo animo tulere, in Romanum hanc rem forum retulere. Agitata diu causa, tandem iudicatum, vt ereptum Belæ corpus, in pristinam ædem Metropolita referret: item nostra tempestate, non modò sepulchrum, sed inscriptum quoq; id Epigramma testatur. Belam igitur honestatis ociique cultorem, annos circiter sex & triginta regnasse perhibent.

10 EXTINCTO Bela, Stephanus eius filius, hæreditario iure, Pannoniæ regnū accepit, cui Regis insignia, omnibus tunc suffragiis, haud immeritò sunt reddita. Huic fortuna in bello nō eadem, ac patri fuit: quippe qui Australes & Boemos insigni vsqueadeo victoria profligauit, vt paterni iacturam nominis, in hac re, magna ex parte resarserit. Quòd si diutiùs viuere licuisset, omnium profectò iudicio, Princeps optimus & clarissimus foret habitus: successum gloriæ inuida mors & intempestiua intercepit. Othocarum enim, qui patrem Belam in Morauia superarat, ac lęsis finibus, cum magno Boemorum Australiumq; exercitu, regnum inuaserat, quinetiam Brandeburgenses introduxerat, tanta clade ad Kapczam fluuium fudit, fugauitque, vt parem pro patre vicem hosti retulisse prædicetur. Mox in Bulgariam castra mouit, quæ eius imperium detrecta- 20 bat, vbi paucis mensibus inferiorem Mysiam ita infestauit, vt prædæ multum abduxerit. Demum ne re infecta è prouincia abiret, Bodum eorum metropolim obsedit. Tertio vrbē mense expugnauit, eaq; potitus, Bulgarorum Regem, cum vniuersa Mysia, stipendiarium sibi fecit. Mariam filiam, Carolo Claudo, Caroli filio, qui apostolica auctoritate Siciliæ regnum occupauit, legitimo matrimonio collocauit. Ex qua Carolus Martellus natus est, qui vt deinceps suo loco referetur, è Clemētia, Rodolphi Imperatoris filia, Carolum genuit, Lodouici Regis patrem. Ad postremum, tertio sui regni anno excessit humanis, in magna insula diem obiisse ferunt, & in insula Budensi, ac in ęde Diuæ Virginis, 30 Pontificum permissu sepeliuerunt.

Stephanus IIII.

LADISLAVS, quem Chunum deinde Vngari cognominauerunt, Stephani Quarti filius, vir atroci ingenio, & animo magno, belli potius quàm ocij cupidus, honestati parum intentus, propriæque libidinis moderator exiguus, eodem, quo pater mortuus est, anno, omnium consensu regnum suscepit, ac ritè coronatus est, quod anno salutis septuagesimosexto, supra duodecies cētenum fuisse legimus. Haud multum post initum pacatumque regnum, Boemicum bellum redintegratur, quod Stephani superiore victoria extinctum esse videbatur. Nam quum Boemi fines immodicè amplificare pergerent, quod Vngari æquo animo ferre non poterant, hinc bellum instauratur. Morauia, de cuius fini- 40 bus agebatur, huiusce rei causa fuerat. Auxit Vngaris animum, & ingens ad bellum irritauit occasio, quā illa tempora attulere. Nam quum Othocarus, vt paulò suprà tetigimus, cum Rodolpho Imperatore ob Austriam dissentire cœpisset, ac grauissimum inter se bellum vterque moliretur, Imperator Pannones, Boemorum hostes, ad hoc bellum multis legationibus tunc sollicitare cœpit, haud inscius, auxiliis Vngarorum adiutus, multum sibi victoriæ sperare posse. Ladislaus ad exoptatum bellum inuitatus, fidam vtilemque societatem pollicetur. Interea vtrinque nonnulli amici intercessere, vt Rodolphum, Othocarumque reconciliarent, veriti si hoc intestinum bellum gereretur, haud paruo Germanis excidio futurum. Quare horum opera ita inter eos conuenit, vt bellum 50 affinitas vtrinque contracta dirimeret, filiæ vltrò citroque darentur, Carinthiæ Carniolæque prouinciæ dotales fierent, ac Austria deniq; Imperatori cederet. Rodolphus Austriam adeptus, Othocarum in verba sua, more maiorum, iurare exposcit. id ille, qui elato semper animo fuerat, grauissimè tulit, reputans se hinc seruum è domino esse factum. Discordia hinc noua redintegratur, indicitur vtrinq; bellum. Imperator cū Ladislao Rege societatem init, fœdusq; perpetuum

Ladislaus III.

1276.

percutit, mox Pannonica exorat auxilia, quæ præstò affuere. Quum in certamen, instructa acie, vtriq; descendissent, vixq; mille passuum interiectum esset spaciũ, Othocarus Rodolphi copias vereri cœpit, & Vngarica bello multo magis auxilia absterrebant. Extemplo rei suæ consulens, de concordia cogitauit, mittit legatos, per quos iuraturum se ritè pollicetur, si modò honoris sui causa, intra Augustale tabernaculum id clàm fiat. Accepit conditionem Imperator, illiusque lepido commento pudorem elusit. In medio (quod diximus) spacio Augustale intenditur, Imperatoris iussu, suggestus hercle sublimis intus, cũ sella paratur. Mox ipse diademate, imperatoriisque insignibus planè conspicuus, considentibus imperij Electoribus, cęterisq; in subselliis ritè Proceribus, Othocarum acciri iubet. Is cum paucis Optimatibus tentorium ingressus, prærreuerenter suggestum conscendit, ac supplex ad eius genua cõstitutus, dum ex more solenne sacramentum præstat, ecce tentorium ex industria compositum, in parteis quatuor ex improuiso solutum decidit. Callida ruina Othocarum, ad Imperatoris genua supplicem, vtrique exercitui spectatum exhibuit. Hinc Alamanni gloriosum, & è solio præsidẽtem Imperatorem hilares, hinc tristes Boemi, supplicantem Regem spectabant. Subticuit Othocarus in præsentia, & indignatione completus domum rediit. Hoc vbi Margaritæ vxori, cuius iure Austriam acceperat, nunciatum est, tot virum illa conuiciis affecit, donec aduersus Imperatorem, abolendę huiusce turpitudinis gratia, bellum instaurarit. Rodolphus, violato fœdere, pòst vbi se ad bellum prouocari conspicatur, exercitum reparat. Ladislaum Regem, societatis iure, in expeditionem Boemicam iterum inuitat, cui nil erat antiquius, quàm cum Boemis, qui cum patre auoque certarant, fortunam experiri. Coactis quæ potuit auxiliis, sua cũ Cæsareis castra iungit. In vlteriorem Austriam, haud procul à ripa Danubij, vtriq; conuenere. Boemi, multitudine roboreque, Sueui & Vngari, ordine & arte superiores erãt, dato signo manus conserunt, dimicatur atroci diu vtrinque pugna, cecidere ex vtraque parte quàm plurimi. Ladislaus auitæ cladis memor, nil aliud quàm toto campo Othocarum auidiùs disquisiuisse visus est. Regem tandem Boemorum inuenit, inuentumque ad singulare certamen prouocauit, accepta cõditione, eo prælio, si quid Vngarorum Annalibus tribuendum est, cum Ladislaus interfecisse fertur: quare inclinata acie, Boemorum strages longè maior fuisse dicitur. Nonnulli Othocarum à suis destitutum, a duobus Stiriensibus toto prælio quęsitum prodidere, vt fratris mortem, ab eo per iniuriam interfecti, vlciscerentur: quem vbi inuenere, continuò obtruncarunt. Corpus, Rodolphi permissu, in Boemiam relatum, regio honore sepultum est. Vencessaus, huic in regno successit, vt infrà suo loco referetur. De bello Boemico hactenus. Postquam Ladislaus opima in Vngariam spolia retulit, ne parum quidẽ suo nomini fecit accessionis, quando præ hoc duntaxat facinore, patri ac auo præferebant omnes. Et ex hac societate, quam cum Rodolpho Imperatore olim iniuerat, regno tantum ocij compararat, vt annos aliquot pacatum regnum habuerit: deinde Cumanum ex insperato prælium exarsit, anno salutis id octogesimosecundo, supra millesimum & ducentesimum accidisse fatentur. Oldamir enim, Cumanorum Princeps, coacto exercitu, ad lacum, quem Hoodum vocant, castra locat, vt mox Vngariam hostiliter inuaderet, deinde intolerabili vastatione exhaustam, in ditionem planè redigeret. Ladislaus, audito Cumanorum tumultu, comparatis legionibus, his occurrit, vt ab horum rapinis regnũ assereret. Postero die, vbi collatis pugnam signis conserunt, grauissimum initur prælium. Dum atrocissima vtrinque pugna committitur, Lorandus Thomæ filius fortiter se gessisse dicitur. nam dum cum Cumanis manum conserit, quàm plurimos interficit, infesta multos hasta confodit, non tam verbis, quam exemplo suæ fortitudinis, Vngaros ad victoriam incendit. Quin & æquissima sibi in hoc prælio nactus est numina: nam superuenientibus ex insperato imbribus, eorum arcus, quibus plurimum confidebant, vsque adeo remissi sunt, vt his nihil vltra profecerint. Quare inclinatis hostibus, tantum animorum his accessit, vt ipsorum impetus haudquaquam

1282.

quaquam vlterius tolerari potuerit: proterunt passim hostes, quibus magna ex parte cæsis, multos etiam capiunt, regionem vniuersam longè lateq; diripiunt. Postremò onusti præda Vngari, domum ouantes rediere. Quum ex Cumanorum strage pauci superfuissent, hi collectis reliquiis, qui disiecti olim fuerant, ad Tartaros cōfugerunt, vt suam his tutelam & vltionem commendarent, hos die noctuque sollicitant, aliosque Cumanos, qui primo ingressu, ob Cutenis interitum, eis adhæserant, simulq; cōmilitarant, fautores ac patronos adhibent. Quare commoti Tartari, anno salutis ducentesimo octogesimoquinto, supra millesimum, Vngariam repetunt. Iterum vlteriorem passim Vngariam igni ferroque vastant, & instauratos paulò antè pagos diripiunt, homines ex more interficiūt, multos asserunt in seruitutem, cuncta pecora abigunt, Pesthum vsq; cuncta populantur, nulla vi, secunda hæc illuuies coerceri potuit. Ladislaus cum Carolo Siciliæ Rege affinitatem antè contraxerat, hic enim Carolus, Lodouici Regis Galliæ, & Roberti frater fuit: qui in Syriam pariter nauigarunt, ceperunt Damiatam, quam deinde præ Lodouici captiuitate, Saracenis reddere coacti sunt. Hic Siciliæ regnum, è Germanorū ac Frederici successorum manibus eripuit, quum ante Germanos, Nortmannorum auspiciis regeretur. Nam Conradus Frederici filius, è Germania profectus, Apuliæ regnū suscepit, cuius Manfredus, ex concubina Frederici quondam Imperatoris filius, regnum obtinuit, qui non longè à Beneuento, à Caroli copiis superatus, occiditur. Item non multò pòst, Conradinum Conradi filium, & Frederici nepotem, in finibus Albani agri Carolus fudit, fugauitque, ac subinde captum securi obtruncauit. Ladislaus igitur Caroli filiam, vxorem duxerat, quam quidem neq; pro dignitate tractauit, neque coniugali amore & charitate prosequutus est. Cumanarum nanque amoribus distractū, multas ex his sibi pellices, præter fas & æquum, admouisse ferunt. Illegitimo igitur amore plus æquo flagrauit, & in earum ditionem hunc se totum asseruisse perhibent: ex his potissimas treis nominant, Aydnam, Cupchecen, & Mandulam. Quare suis optimatibus vsque adeo infensus est habitus, vt nil magis, quàm suum Regem huiusmodi turpitudini obnoxium, odisse viderentur: hinc Chuno Ladislao cognomen est inditū: vitæ impudicitiam ad Pontificem maximū detulere. Quin etiam in deprauatæ fidei suspicionem, ob Cumanarum consuetudinem, venisse memorant. Item cæteris Christianæ reipublicæ Principibus haud parum suspicionis iniecit, ne Regis exemplo Vngari, qui quandoque ab inita olim fide defecerant, in priscam maiorum labem reciderent. Itaq; sacrosancto Senatui visum est, mittendum esse in Pannoniam legatum, Philippum Firmanum, ciuem & Cardinalem circumspectum, apostolicæ sedis legatum creant. Hic continuatis itineribus in Vngariam contendit: quò vbi ventum est, non tam Antistitum, quàm Procerum rogatu quotidie sollicitatus, Regem primò mitissimis admonitionibus hortatur, & orat, prophanis mentem pellicibus abstineat, colat sanctum & coniugalem thorum, nihil ab orthodoxa fide agat alienum. Nam quicquid in cæteris humilioris fortunæ viris damnatur, id in regia persona multò conspectiùs grauiusq; notatur, atque non iniuria. Nam qui ad regendos & castigandos alienos mores nati forent, ita eos viuere oportere, vt ne minima quidem ab aliis turpitudine notari possent. Id esse potissimum veri Regis officium, tale de se cæteris, qui parent, exemplum edere, vt hinc omnes perdiscant optimè viuere. Quinetiam seueriùs increpare, quòd Christianis prophanos populos anteponat, quòd de infidelibus & alienigenis potius, quàm suis benemereri studeat, quòd execrabiles Cumanos magis quàm Vngaros amet, quòd hinc non parum suspicionis de se ipso suscitarit. Proinde monere, hortari, corripere, ac seueriùs incusare, anathematis pœnas demum interminari, ni correctis & castigatis moribus, religiosiùs laudabiliusq; vixerit, & mutato viuendi more, se à catholica fide nequaquā defecisse ostēderit. Ad hæc Rex eo pertinaciùs pristinis moribus instare, excolere concubinas vehementiùs, & se perditæ libidinis, & peruicaciæ maioris indies fore, vulgò fateri. His Legatus propemodum cōmotus, anathematis Regi notam inussit, Vn-

1285.

garis demissas barbas interdixit, iussit crines tondere. Pileorum Cumanorum vsum, apostolico edicto inhibuit, postremò antiquatis Cumanorum ritibus, quos Regis exemplo multi passim imbiberant, & confirmata fide catholica, in Italiam rediit. Non multo pòst tempore, Cumana consuetudo Regi pernicio-
1299. sa fuit: nam anno vndetriceno, supra millenum, à salute Christiana, haud procul à castello, quod Kereszeg Vngari nominant, à Cumanis, quos in deliciis habebat, miserabiliter interfectus est. Huius tempore, gloriosa Pannonia à sua laude defecit, vt inferiùs loco suo referetur: siquidem intestino bello sollicitari cœpit, quo pagi, ciuitates, & oppida vsque adeo igni ac ferro vexata sunt, vt ad vltimum exitium redacta viderentur: quare nusquam pacem & cōcordiam cernere erat, ac diuitē necubi licebat intueri. Nobilitas, præ grauissima egestate, ad rusticandum, & quod vix credi potest, ad bigas duarum rotarum, plaustra redacta sunt. Iam quum boues, cæteraque iumenta defecissent, propter rerum inopiā, bigis vtebantur huiuscemodi, quæ ab hominibus traherentur, quos Ladislai currus adhuc nominant. Quum enim propter intestina bella se quotidie mutuò popularentur, eò peruentum, vt absumptis gregibus & armentis, coniugati pro iumentis homines, carros traherent. De Ladislao hactenus, nunc ad Andream Venetum ritè descendamus.

RERVM VNGARICARVM DECADIS SECVNDÆ LIBER IX.

Andreas III.

ANTEQVAM Ladislaus crudele fatū obiret, quum annis circiter quatuordecim regnasset, Andream, quem Venetum ex cognomento dixerunt, Vngari in Pannoniam induxere, & salutauere Ducem, qui in demortui Regis locum subrogari solet. Huius nimirum origo altiùs aliquanto repetenda, ne quid historiæ perquam necessarium omittatur, neve ab re in spem regni venisse videatur. Andream Secundum, Belæ Quarti, & Colomanni Ducis patrem fuisse diximus. Hunc quoque, summi Pontificis hortatu & auctoritate, sacrosanctæ expeditioni præfectum, post vxoris cædem in Syriam nauigasse, cepisse Damiatam, & præclara multa gessisse. Veneta classe reuectum, vt perhibent, in sinum Adriaticum, ab Hestensi Principe, veteri hospite magnificè exceptum: qui vt tantum Regem, de Christiana republica optimè meritum, & cum magna laude reducem familiariùs exciperet, gnatā miræ pulchritudinis illi semper adstare iusserat, & accubanti omnia ministrare, vt hospitalem euidentiùs aperiret affectum. At ille, perspecta puellæ venustate, facie liberali, ac mira ingenij dexteritate, cōfestim exarsit, ac eo magis perditè, quòd se vxore carere nouerat: quare patri eodem die, amorem suum ingenuè fassus, puellam in vxorem exposcit. Pater, qui se longè inferiorē esse nouerat, ne fortunæ accessionem filiæ interciperet, sed vt suam confirmaret, non modò quàm lubentissimè annuit, sed eam mox accitam in mediū, adductis arbitris, desponsauit. Andreas eodem, quo despōsata fuit, die, apud socerum nuptias fecit, coniugiumq; transegit, deinde, vt par erat, secum duxit in Pannoniam. Hęc Andrea vita defuncto, accitis Pontificibus, ac magna Procerum manu, secūdum Regis exequias, se grauidam veris indiciis ostēdit. Paucis pòst diebus, impetrata missione, ad patrem rediit, & Hesti vitam duxit, hîc tempestiuum puerum edidit, cui Stephano nomen est inditum, quem Vngariæ Regis filium omnes esse prædicabant. Faciebat rumori fidem pueri elegantia, regiaque indoles, quæ citra controuersiam hunc regio genere natū esse testabatur: confirmauit deinde res ipsa, nam ephebis nondum excesserat, quum immatura imperandi cupiditate percitus, auum dominatu eiicere conatur. Sed quum res è sentētia minus euenisset, hinc eiectus, in Hispaniā ad Iacobum contendit, Aragoniæ Regem, qui sororem suā, Andreæ Regis filiam, vxorem olim duxerat: ibi aliquandiu commoratus, deinde in Italiā rediit, si qua fortè dominandi daretur ansa. Rauennates pòst

tes pòst vbi hunc rediisse acceperant, prætorem continuò elegerunt, vt virum vrbi nobilissimum præficerent. Inita prætura, aut aui opera, aut ciuium factione, aut culpa sua, quod nondum satis compertum habeo, non multo pòst tempore hinc exactus, Venetias confugit. Vbi aliquantisper diuersatus, patricij cuiusdam viri, ex Maurocenorum familia nati, & nimirum ditissimi filiam, amicorum cōsilio adactus, vxorem duxit, cui Thomassina nomen erat, socerique patrimonium amplissimum, iure dotis accepit. Ex hac filium genuit, quem ex aui nomine Andream vocari iussit, in Veneta natus & educatus vrbe, hinc cognomen accepit. Auunculos nactus locupletissimos, & natu aliquanto grandior effectus, non tam sponte, quàm suis instigantibus, ad auiti regni spem sollicitatur: proinde viuente adhuc Ladislao, in infensi Regis inuidiam, à plerisque Proceribus in Pannoniam ducitur. Ne auiti regni portione defraudetur, post Ladislai Regis interitum, omnium suffragiis populorū Rex declaratur, coronæ insignibus ritè donatur. Quū è Stephano, Andreæ Regis filio, & Thomassina Maurocena natus esset, gentilitia matris insignia vsurpauit, & crucis tātùm circulū, vt à cæteris Maurocenorum agnosceretur, inseruit. Parentis nobilitatem vsque adeo præueneratus, vt rerum potitus, humilioris fortunæ insignia, præ matris amore, & illius vrbis reuerentia, non spreuerit: sed ad bella, quæ gesserit, redeundum. Adita potestate, in Austriam forti animo expeditionem suscepit. Habito impigrè delectu, & comparatis copiis, in Austriam cōcessit, vicos passim populatur, & incendit, oppida pleraque vi cepit, multos captiuos abduxit. Et re sat feliciter gesta, quum se nonnullorum factione sollicitari intellexisset, in Pannoniam rediit, suspicionē, in quam inciderat, veram esse comperit, propemodum indoluit, quòd initum bellum conficere non licebat, vt Australium improbitatem & perfidiam pro dignitate vlcisceretur. In factiosos nouo Principi nequaquam subditos sæuiendum esse censuit, conniuendum potius, & plerunque dissimulandum iudicauit, ne à seueritate potius, quàm clementia, clarum nomen inchoaret. Hinc ergo magis coniuratis adaucti sunt animi, quippe qui prudentiam patientiamque Regis pro ignauia capiebant. Horum Principes, Ioannem & Henricum Banum, item Vgrinum, Pochi filium, & Vilacho ortum memorant, qui cum cæteris coniuratis, à Bonifacio Pontifice maximo, Carolum puerum, per legatos exposcunt. Pontifex non solùm Procerum efflagitatione, sed instigante Siciliæ Rege, qui hæreditario iure per filium ad se regnum pertinere arbitrabatur, impulsus, in medio senatu, Carolum, Caroli Siciliæ Regis filium, vix annum adhuc natum vndecimum, Pannonibus mittēdum esse censuit. Atque super hac re grauissimum apostolici Senatus consultum factum est, cuius auctoritate, Carolus, anno salutis ducentesimo nonagesimonono, supra millesimum, viuente adhuc Andrea Rege, in Vngariam venit. Verùm ne Caroli ignoretur origo, paulò altiùs repetenda est. Stephano Quarto, Belæ Quarti filio, Maria gnata fuit, Annæ sortita nomen, quæ Imperatoris Græcorum quondam filia fuerat. Hanc pater Stephanus, Carolo Claudo, Caroli filio, qui auctoritate beneficentiaque Senatus apostolici, Siciliæ regnum sibi vendicarat, legitimo vinculo coniugauit. Ex hoc coniugio Carolus Martellus natus est, qui ex vxore Clementia, Rodolphi Imperatoris filia, puerum genuit, quem Carobertum, idest Carolum Robertum, primò nominarunt, sed in Vngariam transmissum, seruato prænomine, Carolum tantùm vocauere. In hoc aliquantulū Vngarorum Annales errarunt, nam Carolus Martellus, & non filius, venit in Vngariam. Siquidem Carolo Secūdo, Siciliæ Regi, ex Maria vxore, Regis Vngariæ filia, mares sex, & fœmellæ quinque fuere. Maior natu Carolus Martellus Vngariæ regnum, materna, secundus Robertus, Calabriæ Dux, Neapolitanum, hæreditate paterna expectabat. Tertius Philippus, Tarentinum obtinuit principatum. Nata ex prima, Clementia nomine, Carolo, Philippi Regis Franciæ primigenio nupta est. Blancam secundam Iacobus, qui Siciliæ imperabat, vxorem duxit. Tertiam Leonorā, Fridericus Arago, Iacobi frater, cōiugem accepit. Hæc ex Blōdo, non ignobili rerum vetustarum historico, accepta sunt. Sed alia

1299.

nos adiiciemus, de Caroli primi genealogia, Siciliæ Regis, ex plumbeis tabulis excerpta, quæ Neapoli in eius sepulchro comperta sunt. Qua quidem in re veniam mihi postulo, si vt res vniuersa notior fiat, lõgiore diuerticulo vtar. Constantia regina, Regis Guilielmi filia, profectò Christianissimi, quamuis Panormitana monialis esset, iussu tamen Ecclesiæ, Henrico Imperatori, à Sueua gente nato, coniugata est. Ex quo quidem connubio Fridericus Imperator natus est, 1058. ad Esim vrbem, salutis anno quinquagesimooctauo, supra millesimũ, Diui quoque Stephani solennibus. Hi primis cœptis regnum occupare haudquaquam potuere, quia Tancredus, Rogerij Regis filius, illegitimo matrimonio natus, acerrimè resistebat. Defuncto Tancredo, expeditio iterum in Siciliæ regnum ab 10 1178. his reparata, Dominicæ salutis anno centesimo septuagesimooctauo, supra millesimum, & regnum vi summa occupatum est. Constantiæ, Fridericus filius in eo regno successit, regnauit annos vnum & quinquaginta. Imperauit Romanis auspiciis, annis duobus & triginta: Hierosolymæ verò, duodetriginta. Demum ætatis suę anno quinquagesimosexto, post hæc incarnationis Dominicæ anno 1251. millesimo ducentesimo quinquagesimoprimo, idibus Decembribus, in Diuæ Luciæ solennibus, ei nõ solũ aqua & igni interdictum est, sed pontificia auctoritate, ab Innocentio Pontifice Quarto, in Lugdunensi synodo, imperio abro- 1255. gatus est. Sed anno Domini millesimo ducẽtesimo quinquagesimoquinto, pridie Diuæ Magdalenæ solennium, extinctus est, Conradus filius huic ritè successit. Annos circiter duos, Neapolitanam hic vrbem obsedit, mœnia diruit, quia 20 fidelia Romanæ Ecclesię obsequia pręstabant. Conrado Manfredus, illegitimè natus, in regno successit, annos decẽ regnauit. Qui ad Beneuentum & victus & interfectus est, quippe qui ne citra dolum quidem ex Alemannia nurum iussit accersiri, quia Conradus, Conradi Regis filius, extinctus erat. Incõsulta Romana Ecclesia, Principum regulorumque iussu, Siculi regni coronam vsurpauit. Quod & cæteri Siciliæ Reges factitabant, quippe qui per vnũ Panormitanæ basilicæ Antistitem, regalibus insignibus pro arbitratu suo initiari solebant. Post hæc Carolus Comes Andegauensis, secundus Lodouici Regis Frãciæ filius, ex Blanca, Castiliæ Regis filia, qui frater Lodouici Regis Franciæ fuit, Prouinciæ 30 Comitis, & inter Diuos ob vitam sanctissimè ductam redacti, Beatricem Raymundi Berengarij, Prouinciæ Comitis filiam nouissimam, & hæredem, duxit vxorem, ex qua Carolus natus est. Vrbanus deinde Pontifex maximus, & Papa 1274. Quartus, Dominicæ salutis anno millesimo ducentesimo septuagesimoquarto, Carolum Andegauensem, aduersus Manfredũ Siciliæ Regem excitauit, & non aliter atque Romanæ Ecclesiæ propugnatorem è Galliis euocauit, Siciliæque regni ius omne contulit. Sed quum Vrbanus excessisset humanis, nec consiliorum successum videre potuisset, Clemens Papa Quartus, primo sui pontificatus anno, Carolum primum, de quo diximus, in Lateranensi basilica, Siculi regni 1275. corona ritè donauit, Dominicæ salutis anno ducentesimo septuagesimoquinto, 40 supra millesimum. Qui quum regnum dextris auspiciis adoriretur, vniuersam in ditionem suam breui tempore redegit. Sed quum Carolus primus, in oppido, cui Fogiæ nomen est inditum, extremum vitæ diem clausisset, corpusque in basilicam Neapolitanam translatum esset, Carolus secundus eius filius, Salernitanus Princeps ritè successit. Sed iam de Carolo secundo, eiusque fœcunditate dicendum. Huic ex vxore Maria, Regis Vngariæ filia, filij quatuordecim fuere, mares nouem, fœminæ verò quinque. In primis Carolus Martellus, Princeps Salernitanus, qui viuentibus adhuc parentibus, Rex Vngariæ creatus est: Lodouicus Episcopus Tholosanus, inter Diuos non immeritò relatus: Robertus, Dux Calabriæ: Philippus, Princeps Tarentinus: Raymundus, Berengarius, 50 item Ioannes, & Christianus. Ioannes, Dux Dyrrhachius: Petrus denique, Grauiæ Comes. E fœminis autem primigenia fuit Clementia, quam Carolus Baucius vxorem duxit: Blanca, coniunx Iacobi Regis Aragonum: Leonora, Friderici insulæ Siciliæ Regis vxor, Maria verò, Regis Maioricarum: & Beatrix denique, Ferrariæ Principis, quo quidem extincto, Bertrando, è Bauciorum familia nato,

lia nato, comitiq; Montis Cambiosi tradita nuptui. Sed Carolus Secundus, in regia Neapoli, salutis anno millesimo trecentesimooctauo, quarto nonas Maias, regni verò sui vigesimoquinto, extremum vitæ diem clausit, eique Robertus in regno successit, quum Carolus Martellus, primigenius frater eius, Vngariæ regnum esset assequutus, vt infra referetur. Et hic Elisabethã, Rodolphi Romanorum Regis filiam, vxorem accepit, ex quibus Carolus quartus, & Clementia secunda nata est. Et Martellus, superstitibus adhuc parentibus, Neapoli humanis excessit, & in basilica vnà cum vxore, prope maiorum monumenta sepultus. Carolus vero filius, in Vngariæ regno, & in principatu Salernitano, patri ritè successit. Vt multarum rerum cognitio non inutilis & breuissima hinc posteris oriatur, aliquandiu in hac egressione nobis immorandum est. Robertus, viuente patre, quum Dux Calabriæ foret, Violantam, Petri Regis Aragonum filiam, sibi coniugauit, hinc Carolus Dux Calabriæ natus est. Patre nondum regnum assequuto, quum eius mater paulò pòst vita decessisset, Robertus Sansiam, Maioricarum Regis filiam, & Violantæ consobrinam, vxorem duxit, ex qua nulli superfuere filij. Patri quoque Carolo secundo, ex declaratione Bonifacij Papæ Octaui, & auctoritate, in paterno regno successit, & non Carolus, Vngariæ Rex, nepos eius, & Caroli Martelli filius. Anno autem natalis Domini millesimo trecentesimooctauo, & calendis Augusti, Auinione, à Clemente Papa Octauo, vna cum Sansia coniuge coronatus est. Is annis tribus & quadraginta regnauit, & mensibus octo, diebus vndecim, Neapoli diem obiit, in Diuæ Claræ templo sepultus, ætatis verò suę anno sexagesimotertio. Hinc Ioanna sua neptis, regni ditionem sortita est. Sansia regina, post Regis obitum, vidualem in regia dignitatem habitumque per annum pulchrè seruauit, in cœnobium sanctæ Crucis deinde se redegit, inter sanctimoniales profectò castissimas, vbi ad annum vsque millesimum trecentesimum quadragesimumquintum Dominicæ natiuitatis, cum maxima humilitate paupertateque, vitam exegit. Philippus, Princeps Tarentinus, duas duxit vxores, alteram, Despotis Græcię filiam, alteram Caroli, cui de Vasalis cognomen erat, è priore filij quatuor, duo mares, fœmellę duæ. Primigenius Petrus fuit, maternæ hęreditatis iure, Despotes Romaniæ (vt ita loquar) cognominatus est, & Maioricarum Regis filiam, vxorem duxit, ex qua stirps nulla promanauit. Viuo adhuc patre obiit, & in æde Diui Dominici prope auum sepultus est, eius frater, Carolus natu minor. Filiarum altera, Alamannię Regina, Beatrix verò altera, Gualterij de Brenna vxor, qui Dux Athenarum, & Licinij Comes cognominabatur, ex qua nulli fuere liberi. E Catharina verò, Philippus Princeps Tarentinus, quę Balduini Constantinopolitani Imperatoris filia, matri in regno successit, tres filios, fœmellas verò duas habuit, Robertum in primis, qui parentibus iure successit, deinde Lodouicum & Philippum, post hos Margaritam & Mariam. Postremò Philippus iste, Princeps Tarentinus, Neapoli mortuus, & in æde Dominici prope patrem sepultus est. Raymundus Berengarius absque vxore filiisque diem clausit extremum. Ioannes nondum sacris initiatus, puer extinctus. Christianus quoque quum in Aragonia pater adhuc captiuus esset, in pueritia naturæ satisfecit. Ioannes, Peloponesi vel Amoreæ Princeps, & Dux Dyrrhachij, illius peninsulæ dominam, vxorem duxit: ex qua quum nullum filium haberet, & illa virum alium, adhuc viuente priore, sibi despondisse diceret, facto diuortio, Agnetem, Comitis Petrocolocensis filiam, sibi legitimè coniugauit. Hinc filij tres nati, Carolus Dyrrhachij Dux, item Lodouicus, & Robertus. Neapoli Ioannes vita excessit, & in Diui Dominici basilica, iuxta patris monumẽta sepultus. Petrus, vltimus Caroli secundi filius, Germanię Comes, in prælio, quod pro Florentinorum auxilio, ad montem (vti nunc aiunt) Catiuum gestum est, vnà cum Carolo nepote suo, Philippi Tarentini Principis filio, interiisse dicitur. Sed iam ad secundi Caroli filias deueniendũ: ex Clementia, prima eius filia, & Caroli Bauciꝰ vxore, Philippus Rex Franciæ procreatus est, qui ex filia Burgundiæ Ducis, Ioannem Regem genuit. E Ioanne verò, & filia Ioannis, Boemiæ Regis, Lo-

1308.

1345.

douicus est editus, Dux Andegauiæ, Bituricensis, & Burgundiæ, item regina Nauarræ, Comitis Virtutum olim vxor. Sed ex Carolo, & filia Ducis Borboniæ, Carolus Rex Franciæ natus est, & Lodouicus Dux Aurelienſis. Ex Blanca, ſecunda eius filia, & Regis Aragonum vxore, multi Aragoniæ Reges profluxere. Ex Leonora tertia, Friderici Regis Trinacriæ vxore, hi promanaſſe referuntur, in primis Petrus Rex, & filia, Regis Aragonum vxor, deinde Ioannes Dux Athenarum. Ex filia Friderici & Leonoræ, Eliſabetha orta eſt, quæ Bauariæ Duci nupſit, vnde Stephanus Dux Bauariæ natus eſt. Atqui Petrus Trinacriæ rex, Eliſabetham, Ducis Tarentini filiam, vxorem duxit. Ex qua liberos ſeptem genuit, in primis Lodouicum, in regno ſuccedentem, qui cum maxima filiorum orbitate vitam exegit, & Fredericum, cui Conſtantia, Petri Regis Aragonum filia, vxor fuit, ex qua Maria, regina Trinacrię nata. Ea defuncta, Antoniam filiā Ducis Andriæ, ſibi coniugauit, hinc nulla proles orta. Præterea Petri Regis filiæ fuere quinque. Prima, Leonora, ſecunda, Petri Regis Aragonum vxor, ex qua nati Reges Aragonum, & Dux Montis albi. Tertia, ſe Meſſanæ inter Diuæ Claræ virgines inſinuauit, & ob vitæ ſanctimoniam Antiſtes perpetua creata. Quarta, Euphemia virgo illuſtris, ex Maria genita. Sed Caroli ſecundi penultima filia, Maioricarum Regis vxor, nullam liberorum memoriam reliquit. Vltima quoque Beatrix, Ferrariæ Principis vxor, pari liberorum orbitate cum ſorore certauit. Sed ex Bertrando de Baucio, altero viro, Cannoſino Comite, vnicam filiam habuit, cui Mariæ nomē inditum, quæ Alberico Delphino, vt aiunt, Viennenſi nupta fuit.

Carolus. VERVMTAMEN vt ad Reges quandoque Vngariæ redeamus, Carolus Rex Vngariæ, Caroli Martelli filius, Eliſabetham Ducis Poloniæ ſororem, duxit vxorem, Ducis inquam, qui Graccouiæ regnum adeptus eſt. Ex his filij tres Lodouicus, Andreas, & Stephanus, de quibus multa dicentur. Clementia, Caroli Martelli filia, quæ Lodouicum, Philippi Pulchri, Regis Franciæ filium, in virum accepit, ex quib. Ioannes infans vix dies octo compleuit, poſt patris exceſſum editus. Regnum Franciæ, ad Philippum Caroli & Clementiæ Caroli ſecundi filiæ gnatum, deinde translatum eſt, cui de Valoys, vti nūc aiunt, cognomen erat. Carolus, Roberti Regis filius, & Dux Calabriæ, duas vxores adeptus eſt. Altera, Catharina ducis Auſtriæ filia, ex qua nulla ſuſcepta proles, eiusque corpus in æde Diui Laurentij, Neapoli reconditum. Maria verò altera, Caroli de Valoys filia, ſororq; Catharinæ, Auguſtæ Conſtantinopolitanæ, ex qua duæ natæ ſunt filiolæ, Ioanna quidem, & Maria. Hic igitur Carolus, ſuperſtite Roberto, patre ſuo, Neapoli vita deceſſit, anno natalis Domini trecenteſimo ſecundo, ſupra milleſimum, Diui Martini die, cui Ioanna filia, in Calabriæ dominatu ritè ſucceſſit. At Lodouicus, Caroli Regis filius, & Caroli Martelli nepos, Rex ad Vngariæ regnum euectus, vxorem duxit, Caroli Quarti Romanorum Imperatoris filiam, ex qua nulla ſuſcepta proles, deinde Eliſabetham, Boſſenēſis Bani (vt aiunt) filiam, velut Vngarorum teſtabuntur Annales, qui multa de hoc & aliis omiſere. Ex qua duæ ſunt ortæ gnatæ, Maria Sigiſmundi Regis vxor, quæ in Vngariæ regno ſucceſſit, & † Adiuga, Duci Lituaniæ cōiugata, quæ patri in Polonię regno ſucceſſit, quod ex hęreditate materna fuerat aſſequutus. Andreas verò, frater eius, & natu minor, vti latiùs infrà referetur, Ioannam Roberti Regis neptem, & Caroli filiam, vxorem accepit. Ex qua Carolus Martellus natus eſt, poſt Andreæ Regis & patris interitum, quippe qui nonis Septembribus, anno ſalutis trecenteſimo quadrageſimoquinto, ſupra milleſimum, Auerſæ interfectus eſt, & in baſilica Neapolitana ſepultus, & exequiæ non ab vxore ſceleratiſſima, ſed ab Vrſulo Minutulo Neapolitano, clerico pientiſſimo, perſolutæ. Sed Lodouicus frater eius, ſecundo poſt anno, cum ingentibus copiis Italiam ingreſſus, Andreæ mortem cumulatiſſimè vltus eſt: quippe quum vix poſt ingreſſum exacto anno (Ianuario nanque menſe regnum adortus eſt) Auerſam cepit. Quò officij gratia, cognati omnes cōuenere, Robertus Princeps Tarentinus, cui Conſtantinopolitani Imperatoris cognomen erat; Philippus frater

Margin notes: 1302. (at "berto, patre ſuo") · † Heduigis. (at "xor, quæ in Vngariæ") · 1345. (at "bribus, anno ſalutis") · line numbers 10, 20, 30, 40, 50.

frater eius, Carolus Dyrrhachij regulus, item Lodouicus & Robertus fratres, quos quidem omnes Lodouicus Rex extemplo in vincula coniecit. Dyrrhachij regulum Auersæ, vbi Andreas frater laqueo strangulatus fuerat, capite cædi iussit. Venit mox Neapolim, quam sine dimicatione cepit. Castellum nouum, vbi regia est, tutò subiuit, vltro deditum, quando Ioanna vnà cum Carolo filio triremi imposita, & paucis antè diebus hinc profecta, ita mandarat. Pacato regno, Carolus, Ioannæ filius ex Andrea, cum quatuor cognatis regali sanguine natis, in Vngariam traiecti sunt. Carolus eodem anno diem obiit, & in Alba regali, inter Regum monumenta relatus. Cæteri in carcere reguli remansere. Stephanus quoq; Lodouici Regis Vngariæ filius, filiæ Ducis Bauariæ cõiugatus, ex qua tantùm Elisabetham concepit. Verum vt ad Tarentinos redeamus, Robertus Principis Philippi primigenius, Imperator Constantinopolitanus, & Princeps Tarentinus appellatus, Mariam Ducis Borboniæ filiã sibi legitimo connubio iunxit, Regis Cypri filio prius cõiugatam, ex qua nulli superfuere liberi. Hic anno salutis trecẽtesimo sexagesimo quarto, supra millesimum, Neapoli mortuus est, & in Georgij æde sepultus, Philippus huic frater subinde successit, Maria quoque in eadem vrbe decessit, & in Diuæ virginis æde sepulta. Lodouicus, secundus Philippi Tarentini filius, Ioannam Siciliæ Reginam, sine pontificia derogatione vxorem accepit, hinc Catharina prior nata, breuique vita defuncta. Deinde impetrata Pontificis auctoritate, permissuq; apostolico, a Clemente Sexto, ex iisdem quoq; parentibus edita, quæ pauco Auenione tempore vixit. Quò Lodouicus & Ioanna, præ Lodouici Regis Vngariæ timore, se receperant, sed in regnũ (vti patebit) ab eodem Pontifice restituti, & per Metropolitam Pistoriensem, Neapoli quarto calẽdas Iunias, Pentecostes festo coronati. Post sextum coronationis diem, Francisca immatura morte subrepta est. Et Lodouicus, vir Ioannæ Reginæ, anno salutis millesimo, trecẽtesimo sexagesimosecundo, Dominici ascensus die, ad Castrum nouum excessit humanis, & ad monasterium montis virginis, apud matrem ex testamẽto sepultus. Ioanna Regina, exacto dudum anno, se Iacobo Maioricarum Regi coniugauit, ex quo nulla proles habita, sed in Hispaniam profectus, in regno Castiliæ (vt aiunt) vita defunctus est. Hæc deinde Othonem, Ducem Brundusiensem, virum optauit, quem Tarentinum Principem paulò pòst ipsa constituit, ex quibus nihil genitum est. Ioanna in vrbe Murensi trecentesimo octogesimosecundo salutis anno, supra millesimum, vita defuncta est, vbi Caroli tertij Regis imperio relegata fuerat, & ad Diuæ Claræ ædem humata est. Philippus, tertius Philippi Tarentini Principis filius, Imperator Constantinopolitanus appellatus, duas coniuges est sortitus, in primis Mariam, Caroli Ducis Calabriæ filiam, qui Roberti Regis gnatus erat, ex quibus nulla proles infantiam superauit, deinde Elisabetham Stephani filiam, qui tertius Regis Vngariæ gnatus erat. Qui quum sine prole Tarenti vita decessissent, Margarita soror iure successit: hæc enim Philippi Tarentini Principis filia, cognatis insciis, Francisco Baucio, legitimo se matrimonio copulauit, qui deinde à Lodouico, Ioannaque Regina, Dux Andriæ creatus est. Ex his Iacobus Baucius, Imperator Constantinopolitanus olim cognominatus, Princepsque Tarentinus, & Antonia, Frederici Regis Trinacriæ coniunx, geniti sunt, quæ periit in abortu. Margarita verò, de qua diximus, viri gratia, à Ioanna Regina, Neapoli relegata, extremum ibi diem clausit. Qua percunte, inclyta domus Tarentina prorsus extincta est, siquidẽ Maria, secũdo loco nata, ac soror eius, Neapoli virgo decessit. Carolus Dyrrhachij Dux, primus Ioannis filius, Mariam Caroli Ducis Calabriæ filiam, qui Roberti Regis gnatus erat, vxorem duxit. Huic infantulus, qui paucos dies vixit, & filiæ quatuor natæ sunt, Ioanna, Agnes, Clementia, Margarita, sed Dux iste Auersæ fuit interemptus, anno Dominicæ salutis millesimo trecentesimo quadragesimo octauo. Lodouico Dyrrhachij regulo, secundo Ioannis filio, Margarita Roberti Seuerinatis filia, nuptui tradita, quæ Carolum genuit. Lodouicus, ad castellum Oui, Reginæ Ioannæ iussu, in vincula coniectus, animam efflauit, & in

1364.
1362.
1382.
1348.

Diuæ Crucis templo reconditus. E Roberto, tertio Ioannis eiusdem filio, vnica fœmina nata est, cui duo fuere viri. Vnus Lodouicus, Regis Nauarræ (vt aiunt) filius, qui absque liberis in Apulia obiit, & in agro Neapolitano in Diui Martini ędem relatus est. Robertus verò alter, Comitis Artuensis filius, qui ad castellum Oui cõiectus in carcerem, Regis Caroli tertij iussu, expirauit. Agneti quoque duo viri, prior nanque Cansguinor Scaliger, tyrannus Veronensis, Iacobus deinde Baucius, Ducis Andriæ & Margaritæ filius: ex neutro suscepta proles. Clementiæ maritus, Carolus de Pace fuit, consobrinus eius, & Lodouici filius, è Ioanne Dyrrhachij Duce geniti, connubium apostolica auctoritate contractum. Carolus verò, Lodouici Dyrrhachii Ducis filius, Margaritam duxit vxorem, Caroli Ducis Dyrrhachij filiam, ex quibus Ladislaus Chun genitus. Carolus autem iste è Lodouico natus, ab Vrbano Pontifice Sexto, anno Domini trecentesimo octogesimoprimo, supra millesimum, Rex Siciliæ declaratus, & Romæ, die Pentecostes ritè coronatus, mox Neapoli nullo repugnante potitus.

1381.

Carolus III.

ANNO verò sexto coronationis in Italia, idem Carolus tertius, Vngariæ regno potitus, vti profusiùs infrà scribetur, in Alba regali, adstãtibus vniuersis regni Principibus, & Episcopis, præsenteque Elisabetha, & Mariæ Lodouici Regis filia, & vtraque consentiente, legitimè coronatus est, eoque die, qui nonis Decembris erat, tantus Solis defectus apparuit, vt nunquam nostro seculo maior extiterit, quod ad breue tempus regnaturum esse portendit. Nam idibus Februariis proximè insequutis, ex factione Mariæ, & Elisabethæ matris, in arce Budensi, pluribus vulneribus confossus est, & in Vissegradum transuectus, vigesimoseptimo die veneno confectus est. Huic Ladislaus in Siciliæ regno successit, à Bonifacio Nono, per Angelum Azayolum, tituli sancti Laurentij Cardinalem, regiis insignibus initiatus est, cui quidem Ioannes demum, in Siciliæ regno, hæreditario iure successit. Si ad explanandam rem vniuersam longiùs euagor, posteritatis edocendæ gratia, mihi venia tribuatur, quandoquidem de Comitibus (vt ita loquar) creatis à Regibus, dicendum est. A Carolo nanque primo, rege Siciliç, comites hi creati sunt, in primis Gualterius Viennẽsis, Lini, Georgius Seuerinas, Marsici, Petrus Rufus, Catansani, Philippus, Mõtis fortis, cui antea de Montefore cognomen erat, & Beltrannus Baucius, Auellini Comes designatus. A Carolo deinde secundo, Hermengarus Sabranus, Arricini, Beltrannus Baucius, Montis Canosi, Ioannes Monsfortensis, Scyllacei, Vitardus Claromontensis, comes Claromontis factus est. Romano verò Vrsino, Gentilis Vrsini filio, regni Siciliæ Præfecto iusticiario, Anastasia Monsfortẽsis, Guidonis comitis filia, in vxorem data, quare Nolanus comes inscriptus. Gothofredo verò Gaietano, Bonifacij Octaui Pontificis nepoti, Dominia Fundorũ coniugata. Bartholomæus Siginolphus Neapolitanus, ab eodem Rege, Casertæ Comes effectus, & magnus regni Siciliæ camerarius, Sergius verò frater eius, Aliphæ Comes promulgatus, qui cum fratre postea, Roberti Regis iussu, potentatibus abdicati sunt. A Roberto deinde Rege Siciliæ, Thomasius Martianus, Scyllacei, Diaconus Rocchensis Catalanus, Casertæ, Nicolaus Iamuillẽsis, sancti Angeli, Iordanes Rufus, Synopolis, Philippus, sancti Seuerini, Altimontis, Rogerius Seuerinas, Melitæ, Nicolaus Eubulanus, Capuanusque Princeps, Triuerensis, Robertus Capuanus, Altæuillç, Ioãnes Sanginetensis, Coriliani, Nicolaus Iamuillensis, Terræ nouæ, quæ quidem terra vxoris olim suç fuerat, Rogerij Lauriensis filiæ: Nicolaus Pipinus, Minerbini, Gaspar Niciensis, Trilicij, Richardus de Agno, Loreti, Nicolaus Aquauiua, sancti Valentini, Richardus Lussanus, Sutriani, Robertus Visontius, Mirabellæ, Petrus Pipinus, Vici, Petrus Saluacossa, Vellantis, Thomasius Agnus, Belcastri, hi omnes Comites creati sunt. Ioannes Pipinus, Nicolai Comitis Minerbini filius, Palatinus Altimurensis cognominatus est. A Ioanna verò Regina, ab initio regni sui, Comites isti constituti. Carolus Artus, sanctæ Agathæ, & magnus regni Siciliæ camerarius: Robertus Campanus, Ebuli, & magnus regni Seneschalcus, qui mortis Andreæ crimine non caruit, ac demum turpiter interfectus: Carolus Gambathesa, Montorij, qui San-

qui Sanciæ Cabanæ vir fuit, quæ mortis eiusdem insimulata, capite quoq; mulctata est. Alios autem Comites Lodouicus declarauit, Franciscum Baucium, Montis scabiosi, qui Dux etiam Andriæ factus est: Raymundum Baucium, Soleti, ac magnum regni Camerariū, Nauplium, Manupelli, & Logothetam, protonotariumq; regni, Canzolum, Melphiæ, magnumq; seneschalcum, Lodouicum Eugunium, Superlani, Guilielmum Sabranum, Agnioni, Carlettum Artum, Mōtis Odorisii, Lodouicum Seuerinatem, Lauriȩ, Thomasium Samphramundum, Cerreti, Lallum Camponescum Aquilanum, Montorij. Sed post Lodouici Regis mortem, Otho Vrsinus, Princeps Tarentinus, Gothofredus Marzanus, Aliphæ Comes fuit. Robertus Seuerinas, Terræ nouæ, Raynaldus Vrsinus, Tagliacotij, Iacobus Caper, Minerbini, & magnus quoque camerarius, Carolus Gambathesa, qui Comes Montorij erat, Muroni etiā factus est. Istis quoque, per Carolum tertiū, Regem Siciliæ, comitatus tituli tributi sunt, Antonio Aquæuiuæ, sancti Fabiani, Ioanni Protoiodici, Acerrarum, Marsilio Confalonerio Brixiensi, Murrani, Iacobo Filangerio, Auellini. De Celani Comite nulla fit mentio, quando ante Regum aduentum, hi Comites extitere, & nulla originis memoria perhibetur. Roberta Sambrana, Asculi comitatu potita est, maternæ iure hæreditatis, quandoquidem Maria Marzana mater eius, iure Margaritæ Aquinatis, parentis suæ, quæ Tristani Aquinatis, Asculani Comitis filia fuerat, dominatum illum fuerat assequuta. Ladislaus denique, hos honores istorum esse iussit, Raymundi Baucij, ex Vrsina gente nati, principatum Tarentinum, Frederici Monfortis, Vigiliarum comitatum, Ioannis, Carazoli, Giracianum, Cicchi Burgensis, Odorisianum, Perettæ, Troianum, Vngari Monfortensis, Sarnensem, Conradi Martiani, cui de Taberna cognomē erat, Neocastrensem, Pauli denique Brachati, Nuceriensem. Sed iam post longum & alioquin vtile diuerticulum, multarum sanè rerum spectaculum, catalogumque prosapiæ Carolorum, nunc ad Carolum Martellum redeamus, & resarcta scriptorum veritate, vnde digressi aliquandiu fuimus, redeamus. Is postquam suffragantibus multis optimatibus, & regnāte adhuc Andrea Veneto, regnum ingressus est, aliquot annos apud Vngaros cum Carolo filio fuit, antequam rerum potiri posset. Insuper accessere plerique Pontificis legati, qui vt puerum apostolica auctoritate munitum, Regem efficerent, summo studio, opera diligentiaque curarunt, verùm nihil profecere, quando conatus omnes eos frustrati sunt, & ne facilè quidem Andreæ Regis auctoritas conculcari poterat. Sed quum haud multo pòst Regis mors intercederet, nō modò hæc regni litem diremit, verumetiam, quando ita factiosorum Procerum iudicia merebantur, multo magis auxit, & competitores adiecit. Anno Dominicæ salutis trecentesimo primo, supra millesimum, in Budensi arce diem obiisse aiunt, circiter Diui Felicis solennia: celebratis mox exequiis, corpus in Diui Ioannis æde reconditum. Nomen eius nemo quidem iure damnare potuisset, nisi Optimatum dissensio, qui diuersa petebant, id voluntatis mutatione sugillasset. Circa hæc tempora, quibus Veneti, ob occupatam Ferrariam, à Clemente Pontifice, hostes Ecclesiæ pronunciati sunt, & seuerissimo interdicto affecti, ac Tepulana coniuratio, aduersus patricios, Venetiis intercessit, Iadrenses temporum nouitate freti, eiecto Michaele Mauroceno comite, sextò rebellarunt, defeceruntque ad Vngaros. Classis ad id continuò comparatur, pręficitur ei Belletus Iustinianus, classemque cum equitibus mille, cui Dalmasium Hispanum Veneti præfecerant, spectatæ fortitudinis & experientiæ virum, in continentem exponit, haud procul ab Iadra. Ad mille passus pro Iadræ mœnibus, Præfectus Dalmatiæ, quem Banum appellant, cum validissimis copiis prope metatur, vallo & fossa vtrinque castra muniuntur. Tota æstas sine præclaro facinore trāsacta, iam ingruebat autumnus, & nulla adhuc potiundæ vrbis spes erat. Banus ad astum conuersus, Dalmasiū à Venetorum fide subducit, duo aureorum milia cum perpetuo stipendio pollicetur, si ad præstitutum diem ad Iadrenses trāsfugerit, varia adiicit emolumenta. Quibus adductus Dalmasius, ex cōposito cum vniuerso equitatu, sub prætextu op-

pugnandæ ciuitatis, vrbem ingreditur, ex pacto promissa præstantur. Hic post menses aliquot, ad tegendam perfidiæ notam, inter Venetos & ciues de pace agit, quare vtrinque suspectus esse cœperat: desperata tandem pace, naufragium perpessus, in Italiam traiecit. Ciuitas deinde a Ioanne Superantio, Duce mitis ingenij, in fidem recepta, & cum remissę conditionis mira indulgentia Iadriensium animos sibi promeretur, atque hinc septimæ rebellionis causam plerique promanasse crediderunt. Secundum Andreæ Regis obitũ, qui annos ferè vndecim regnauit, inter Optimates dissensio maxima oritur, atque bipartitò potentatus omnis planè diuiditur. Nam quum pars maxima iniquo animo ferret, ob Caroli ingressum, qui pontificia auctoritate sibi regnum exposcebat, Vngaros eligendi potestate priuari, eamque præter æquum & fas à Pontifice vsurpari, ne suo iure cederet, alium inducendum esse decreuit. Cæteri mitiore ingenio præditi, Carolo fauebant, quorũ Principes, Matthæus Omodeus, & Vrbanus, cum magna Optimatum manu, fuisse referuntur. His refragabantur, Dominicus Stephani filius, magister Tauernicorum (vt aiunt) Demetrius Henricus, item Ioannes metropolita Colociensis, Andreas Agriensis, Emericus Varadinensis, Haaba Vaciensis, Antonius Chianadiensis, Nicolaus Bossenensis, & Iacobus denique Sepusiensis Antistes. Qui quidem omnes, ad Venceslaũ Boemiæ Regem, & Othocari quondam filium, concessere, vt ab eo filium impetrarent, quem regno Vngariæ se præfecturos pollicebantur. Atque ne temere quidem se id consilij cepisse fatebantur, partim ne se eligẽdi potestate, ob arrogantiam Pontificis, defraudari viderentur, partim quia ius regni ad neminem magis quàm Venceslaum Venceslai filium pertinere videbatur. Othocarus enim, qui (veluti suprà diximus) a Ladislao Rege fuerat interfectus, Belæ Quarti neptem, vxorem duxit, ex Anna eius filia natam, ex hac Venceslaum genuit. Qui inito regno, Pragam, familiari incendio absumptam, pulcherrimè instaurasse, vndecentena equitum milia, coronationis suæ tempore, proprio sumptu pauisse, domuisse Polonos, & clarissima gesta edidisse fertur. Exorantibus tandem Vngaris, filium dedit, qui vix tertiumdecimum natus erat annum, quum ad capessendum regnum inuitatur, hunc pater ex Rodolphi Imperatoris filia, vxore sua susceperat, miræ indolis adolescentem.

Venceslaus. QVARE Vngarorum precibus adactus, ad pagum Godin, Venceslaum Regem, Pontificibus Pannoniæ assignauit, quem illi solennibus ritè peractis, haud sine hymnorum concentibus honorificẽtissimè accepere, iurauere in eius manus, perpetuam fidem ac fida semper obsequia præstituros. Mox Albam venere, vbi eum ritè coronarunt, ac Vngariæ Regem consalutarunt, Ioannem Archiepiscopum Colociensem, quum Strigoniensis paulò antè excesserit humanis, hunc coronasse perhibent. Verùm Colociẽsis Sepusiensisq; Antistites, vbi Budam peruentum est, humanæ necessitati concessere, & in Diui Ioannis æde sepulti sunt. Coronato Venceslao, quem Vngari Ladislaum appellarunt, neque ius regium, nec potestas à Proceribus oppidorum, neque vllum ab illis obsequium redditur. Immo hi Ladislaum, Carolum alij, Regem clamabant. Seditio grauisque discordia inter Proceres redintegratur, & multa hunc, multa quoque illum hominum studia sectantur. Hæc omnia ad patris aures continuò deferuntur; dum ab Vngaris gnato timet, ne illorum dolis circumuentus occumbat, ingentem cogit exercitum, & anno trecentesimo tertio, supra millesimum, in Vngariam vlteriorem descendit. Venit Pesthum, & è Budensi arce, filium Regem cum corona euocat, item Ladislaum, Vernerij gnatum, Prætorem vrbanum, quos pariter abductos, in Boemiam quadrato agmine retulit. Hic autem pòst vbi à patre in Boemiam relatus est, præ mansuetudine & clementia, ita Boemorum gratiã promeruit, vt quũ tertio ac trigesimo ætatis anno, phthisi contabefactus obierit, diu ab illis fuerit deploratus. Accedebat admirãda vitæ sanctitas, quæ sat hominibus explorata, statuam Pragæ in sacratio sibi meritò comparauit. Secundùm Venceslai egressum, qui competitoris more timidi, vltrò cesserat, Carolus eo magis fautores suos adurgebat, ne in ipso successu cũ desere-

(margin: 1303.; line numbers 10, 20, 30, 40, 50)

deſererent. Bonifacius Octauus Pontifex maximus, alterum ab Vrbe legatum mittit, cardinalem Oſtienſem, cui Nicolao nomen erat, vt Vngaros Carolū pertinaciùs recuſantes, anathematis ſeueritate corriperet, eccleſiaſtica cenſura ſæuiret, animaduerteret in gentis aſperitatem & pertinaciam, niſi Pontificio obſequeretur imperio. Nam ſuffragantibus Caroli amicis, ſperabat, haud difficulter hac ope ipſum regnum impetraturum. Legatus Budam profectus, nihil aliud per dies aliquot diligentiſſimè curauit, quam antiſtitum & optimatum diſſidentes animos, ad cōcordiam reuocare, quos ita diſcordes offenderat, vt rem continuò deſperarit. Multi etſi ſe Carolo infeſtos diſſimulabant, & Pontificis mandata obſeruaturos pollicebātur, tamen re acerrimos aduerſarios ſe præſtabant. Tam varias hominum mentes mirabatur, ex quibus tandem, quid intra ſentirent, nunquam intelligere poterat, quo magis eorum animos percunctabatur, eo plus verborum ſibi dari nouerat. Suam demum operā fruſtratus, non prius abire voluit, quàm Budenſibus, templis, & ſacris omnibus, opera & auctoritate ſua foret interdictum. Quod vbi factum eſt, Romam reuertitur, vbi Pontifice vita defuncto, alius pontificatum ſortitur, & Benedictus appellatus. Verùm hinc præ indignatione, lōgè maius facinus eſt exortum. nam quum ſacerdotes interdicta ſacra ſeruarent, parērent pontificiæ cenſuræ, tunc plerique inſurrexere pſeudopresbyteri, qui vt Pontifici parem vicem redderent, cæteroſque à vero paſtore diuerterent, prophano execrabilique edicto, ſummum Pontificem, cum cæteris Antiſtitibus Vngariæ, non modò ſacris, verumetiam aqua & igni publicè interdixere, atque alta voce, hos omnes prophanos, & humana conſuetudine indignos eſſe prædicabant. Edictum ritè in ſolenni celebritate promulgatum, & eo quidem tempore, quo Budenſem arcem Petermanus cum præſidio tenebat, quem (vt aiunt) Ladiſlai captiui cuſtodiæ, Venceſlaus olim Rex ipſe præfecerat. Dum hæc ita geruntur, adhuc Carolus rerum potiri non poterat, neque Optimates, qui ei ſuffragabantur, adhuc tātum ſibi virium compararant, vt hunc Regem efficerent. Ad hoc enim res Vngarica ipſa deuenerat, vt præ inteſtina diſcordia, nullum adhuc Regem ſolidum haberent. Quinetiam illud magis Vngarorum animos exacerbabat, quòd creandi Regis poteſtatem, quam olim nunquam amiſerant, nunc Pontificem eripere velle conſpicarentur. Quod quum hactenus impetrare non potuerit, nunc, vt extorqueat, ac tale ius vendicet ſibi, extremam etiam vim cenſuræ pontificiæ, veluti Iouis fulmen adiecerit, & maioribus quotidie iniuriis Pannoniam afficere cōtendat, quod ab omni Pontifice, vel in primis maximo, alienum eſſe debet. Quicunque igitur pontificiæ voluntati & imperio aduerſabantur, pueroque Carolo infeſti erant, cum magna nobilium manu coniurarunt, & Othonem Bauariæ Ducem, loco Regis in Vngariam duxerunt.

Hic vbi regnum ingreſſus eſt, coronam, quam à Venceſlao datam, & hac electione precariò impetratam, ſecum attulerat, Albæ, populis ac Pontificibus oſtendit, quam vbi omnes conſpexere, veluti eius numine adacti, in Othonis partes conceſſere. Quod vt facerent, partim nouitate rerum, qua vulgus mirificè oblectatur ſemper, partim Pōtificis infeſtatione ac odio ſunt impulſi, proinde anno à Dominica ſalute trecenteſimoquinto, ſupra milleſimum, à Benedicto Veſprinienſi, & Antonio Chianadienſi Antiſtite, regiis inſignibus initiatus, & coronatus eſt. Mox Budam veniēs, ac ſacrum diadema geſtans, cum equitatu maximo, ſe per plateas & compita, populo ſpectandum exhibuit, ſe Regem etiam per vicos & ſuburbia paſſim oſtentauit, vir vſquequaque glorioſus, futilis, & conſilij parum compos. Tranſſyluaniam, ac cæteros appendices regni luſtrare conſtituit, vt ſe legitimum Principem, ſua etiam pręſentia teſtaretur: quare Belam quendam, Thomæ filium, ſibi comitem cum maximo adiecit equitatu. In Tranſſyluaniam proficiſcitur, vbi Ladiſlaus Dux præerat, quē illi Vaiuodam dicunt, pòſt vbi eò peruentum eſt, Rex tranſlaticius confeſtim, à Ladiſlao haud citra dolum capitur. Coniicitur in vincula, & ſolio deturbatus, miſerè captiuitatis iura ſubiuit, qua ſe expedire nequiuit, donec poteſtati regiæ

Orbe. 1305.

renunciauit, regnumq; deseruit. Inde turpiter eiectus, in Bauariã reuersus est, ac exemplo suo didicit, neminem temere se magnis cœptis & illegitimis committere oportere. Ne illud quidem prætermittendum est, quod in coronæ casu obtigisse affirmant, ne quis hanc diuina tutela carere arbitretur. Othonem aiunt, quum regnum aditurus esset, ne quo fortasse dolo corona subriperetur, eam tornata inclusisse lagena, fidelissimo commisisse cubiculario, neq; quid intus esset conditum significasse. Dum iter omnes faciunt, lagena tanti momenti, quæ ex equestri sella pendebat, soluto loro, inscioq; famulo decidit, neq; nisi ad serum vsque tempus, iam viginti milia passuum emensus, is quam iacturam fecerit, aduerterat. Sed vbi illã amisisse intellexit, relato mox pede, postero die, in media hanc via reperit, retulit ad Othonem vasculum, ab eo tantopere commendatum; multi eadem via, quamuis fecere iter, à nemine tamen visam fuisse ferunt. Prodigium mox aruspices interpretati, Othonem perbreui regno potiturum, mox verò repertam ideo dixere, quia Vngaris abalienari sanctum ac penè diuinum diadema non posset. Interea Ladislaus Vernerij filius, quẽ à Venceslao vnà cum filio ductum esse diximus, captiuitate liberatus, cum Ioanne Kaacæ filio, tertio ferè captiuitatis anno, in Diuę Petronellæ solẽnibus, Budensem clàm arcem ingreditur, ea quidem parte, quæ synagogæ Iudæorũ est proxima. Mox arce potitus, complures ciues inimicos, qui eum prodiderant, ex insidiis adortus, obtruncauit. Petermanus, Prætor vrbanus, vix euasit. Item duos ex decemuiris, quos sibi infestissimos esse nouerat, quorum alterum Martimhermam, Martinum alterum appellabãt, equorum caudis alligari iussit, per plateas & vicos trahi, deinde crudeliter discerpi, discerptosque rogo imponi præcepit, fortunas demum eorum omnes occupauit. Paulò minore sæuitia in prophanos sacerdotes animaduertit, qui contra fas & æquum, execrabili interdicto, pontificiam Maiestatem læserant, manicis pedicisque vinctos, Thomæ Strigoniensi metropolitæ puniendos tradidit, qui vt in eos ex lege animaduerteret, omnes & inedia & perpetuo carcere confecit. Grauiter in hos Ladislaus sæuiendum esse statuit, vt hac sæuitia, ab impedienda Caroli dignitate, cæteros deterreret. Quanquam hac crudelitate Ladislaus, Regis inimicos haud parum absterrue rat, nequaquam tamen adhuc Carolus rerum potiri poterat, spes maior tantùm accesserat. Interea Legatus alius apostolicus aduenit, Cardinalis profectò grauissimus, & consilij ac virtutis compos non mediocris, cui Gentili nomen erat.

1308. Hic anno trecentesimooctauo, supra millesimum, Pannoniam adiit, annum ibi vnum diuersatur, dum Optimatum rimatur, & penitiùs inspicit animos, antequam seueriùs aliquid adoriatur. Pòst vbi diuersos nonnullorum animos, in Pontificis obsequium direxit, & Optimatum Principes in sententiam suam traxit, ratus iam instare tempus, quo tutius aliquid ad transigendam rem audere posset, seuerum anathematis edictum, in pertinaces Caroli aduersarios promulgauit: Quicunq; potens, nobilisq; Vngarus, Antistes pariter, sacérve quiuis, Carolo legitimo Regi, aut iustum obsequium, aut ius regium non reddiderit, aut Regem appellare recusarit, aut quid negocij fecerit, aut super ea re apostolici Senatus consultum auctoritatémve interpellarit, ei sacris omnibus, consuetudine fidelium, item honore sepulturæ, ac aqua & igni interdictum esto, inimicus Christianæ reipublicæ haud aliter, ac si aris ac focis ignem iniecerit, vbique gentium habetor. Carolus, Caroli Regis Siciliæ filius, hæreditario iure matris, vniuersæ Vngariæ legitimus Rex esto. Othodoxam fidem propugnato, Pontifici Senatuique Romano vsquequaque pareto: Romanam Ecclesiam, vt fas est, defendito. In Ladislaum Vaiuodam (vt aiunt) Transsyluanum seuera est lata rogatio, quando coronam, quam ab Othone Rege, quem ceperat in Transsyluania, eripuerat, Carolo reddere recusabat, neque precibus, neque donis, neque minis, & vi aliqua, vt restitueret, hactenus poterat adduci. Quinctiã filiam, Stephani Regis Macedoniæ filio, quam Seruiam nunc appellãt, quamuis schismaticum esse intelligeret, nulla tamen veræ fidei habita ratione, legitimo matrimonio collocarat. Hunc igitur Legatus, duplicem hanc causatus ansam, grauissimo

uissimo anathemate mulctauit. Spectātes hæc sibi interdicta commoda Vngari, sine quibus nemo fidelium vitam rectè sanctéque transigere potest, & cadaueribus passim sepulchra inhiberi, ęquè commoti omnes, regalia in campo comitia, quem Racon circa Pesthum appellant, vno cōsensu haberi oportere censuerunt. Quò postquam omnes Optimates, nobilesque conuenere, cum decuriis conuentuum, quos comitatus appellant, cunctis suffragiis, ac mira concordia, Carolum Regem creant, & octauo post Diui Stephani solennia die, in Alba regali, sacro diademate, quod Ladislaus Vaiuoda paulo antè reddiderat, anno trecentesimo decimo, supra millesimum, ex more coronant. Eodem anno, pontificio diplomate ac edicto, integra delictorū remissio, & solida animorum expiatio hominibus indulta fidelibus, Rhodianorum militum gratia, qui sub Hierosolymitanæ expeditionis prætextu, Clementis auctoritate Pontificis, multum pecuniarum, etiam supra quàm credi posset, vndiq; corrogarunt, demum haud sine Pontificis infamia, res exitum frustrata. Secundo post hæc anno, nouum Carolo bellum exoritur, Matthæus Petri Trincheni filius, regale castellum occuparat, cui Demetrium Nicolai filium, cum præsidio imposuerat. Princeps hic erat, opibus & armis æquè pollens, aspernabatur Regis imperia, & occupatum oppidulum ac sæpe repetitum, inuito Rege, pertinaciùs retinebat. Rex, ne immodica indulgentia illius audaciam augeret, coactis quibusdam copiis, castellum obsidet, vt Demetrium ad deditionem reducat. Mille ac septingentos cataphractos equites, cum magna peditum manu, præter alios, Matthæus opinione celeriùs coegit. Soluendæ obsidionis gratia, aduersus Regem, hunc cum cohorte mittit equitatum, cui Demetrius, & Abas ex cognomento Magnus, fortè præerant. Carolus, reformidato hostium aduentu, quando se illis imparem fore sentiebat, in Sepusium se continuò recipit, oppidani, veluti par erat, ipsum admisere, obtulere auxilia, & equitem cum milite, ne pauco quidem numero conuocarunt. Nam Sepusium haud parum copiarum, ea sibi tempestate coegerat, quibus Cassam ciuitatem, vbi ciues Saxonia oriundi, Omodeum Palatinum interfecerant, vlciscendi sceleris causa, oppugnare iam occœperat. Nunciato Regis aduentu, Saxones obuiam ei prodiere, proximum vtrique locum, gerendo bello nimis idoneum, vtriq; certatim occupare properabant: illi monticulum, Rex vallem capit, & non procul ab Harnado castello metatur. Aderāt Rhodianorum militum auxilia, bello assiduo exercitatissima, quibus haud parum Rex ipse confidebat. Instante prælio, ad pugnam omnes hortatur, in primis iura regni, ac regiam Maiestatem, omni studio ac enixu tuendam esse suadet. Ad extirpandos regni hostes, omneis excitat, prius moriendum, quàm perniciosam horum insolentiā tolerandam esse asseuerat. Confirmatis legionum animis, aciem educit. Interim hostes è montis latere descēdunt, in castra impetum faciunt. Carolus subsidia properat, ac simul Imperatoris militisq; officium subit, prout tempus & res postulat, vices mutat. Tanta vtrinq; ferocia dimicatur, vt multi in primo cōgressu ceciderint, sed à parte regia aliquanto plures. In Viti & Modesti solēnibus, hoc prælium initum affirmant, quo post Tartaricum bellum, nullum crudelius fuisse dicunt. Hic quamuis Rex victor euaserit, plures tamen quàm hostis amisit. Nam ex Proceribus regiis, Cacas Stephani Porchi, Stephanus Bageri, Ladislaus Thomæ, Iacobus Aladarij, Michael Petri, Petrus Bereges, & Gurcia Michaelq;, Gurciæ filij, oppetiere. Gurcia vexillarius, prius in frusta discerptus, abscissa dextra, quàm vexillum deseruit. Ex altera parte, Demetrius & Abas, hostium præfecti, ac duo Omodei filij, & cæterorum nō pauca multitudo desiderata. Pugna vsque adeo atrox & truculenta fuit, vt res ad triarios redacta fuerit, regia signa, cæso vexillario, conculcata. Carolus ad Rhodianorum se vexilla recepit: quum ad extremum vsque, pari ferè virtute ac sæpe vtrinque pugnaretur, Carolus tandem haud incruenta victoria potitus est. Plures Carolus vxores duxit, in primis Mariam, Polona gente natam, Casimiri Ducis filiam, non minus pudicitia, quàm pulchritudine præstātem. Quæ ad Demes oppidum, postridie Diuæ Luciæ solennium vita excessit, Albæ fu-

1310.

1305. nus elatum, in æde Virginis sepultam ferunt, ab anno salutis trecẽtesimo quinto, supra millesimum. Vir tribus annis alteris nuptiis abstinuit, deinde Beatricem, Henrici Septimi Romanorum Imperatoris, comitisque Luceburgensis filiam, vxorem sibi copulauit, & Boemorũ Regis sororem, quæ vix cum viro annum claudere potuit, sepulchrum eius in Varadina basilica spectare licet. Carolus nequaquam religionis immemor, eodem fermè anno, basilicam Albensem, frequenti incendio iam collabantem, & columnis fulcire, & tegulis munire plumbeis occœperat, testudinem quoque conspicuam adiecerat. Et eodem
1320. tempore, Matthæus Palatinus humanis excessit. Anno vigesimo ac trecentesimo, supra millesimum, amicorum suasu, Elisabetham, Ladislai Polonorum Regis filiam, sibi legitimè coniugauit. Quamuis in aliis vxoribus parum prosper fuisse videretur, ex hac insequenti anno puerum suscepit, cui paternum nomen est inditum, sed perquam immatura morte præreptus, vix annum spem patris alere potuit. Infantis Albæ funus celebratum, corpusculumq; in Regum sacellum relatum est. Exin tertio pòst anno, Ladislaum regina in Vissegrado genuit. Post hæc peculiaris quędam religio Regem incessit, cuius instinctu vsque adeo vexatus est, vt nusquam quiescere potuerit, donec susceptis votis, ei satisfecerit. Lodouicus quondam sibi patruus erat, natu maior, & diuina pietate longè præstantior, qui quũ humanæ, ab ineunte ætate, vanitati renunciasset, sacerdotio se alligauit. Et sua vsque adeo sanctitate profecit, vt Tholosani hunc Pontificem ciues efflagitarint. Non solùm post mortem, sed antequã vita decederet, miracula complura edidit, relatus mox inter Diuos, suum planè numen ostendit. Proinde vt domesticorum numinum patrocinia sibi perpetuò conciliaret, in Lippa Diuo Lodouico, sumptu regio, ædem fundauit, adiecit sacrum Francisci collegium, quod haud ab re factum est. Lodouicus enim, Mariæ filius, Stephani Quinti nepos, pronepósq; Belę Quarti, se ex voto inter Francisci collegia insinuauit, vbi quum mirè profecerit, Carolus quoq; illi ædem, adiecto eorundem sacerdotum ordine, dicauit. Nunquam pia veraq; religio cuiquam obfuit, neq; iusta legitimaq; vota frustratur. Lodouico Carolus quotãnis vota defixerat, neq; impos voti ab eo vnquã dimissus est. Nam quum pro futura prole vota
1326. susciperet, vigesimosexto ac trecentesimo anno, supra millesimum, tertio nonas Martias, Lodouicus natus est. Quem pater, à Laio prima nominis initia, vt faustissima quæq; forent infanti, sumere iussit, genituræ prodigia, ad grauissimum laborem hunc natum esse portendebant. Quanquam infantis aspectus, dexterrima multa pollicebatur, cætera tamen signa deterrebant, quæ hũc, veluti Herculem, ad sudorem editum ariolabãtur. Absterritum signis (aiunt) fuisse parentem, nisi liberalis indoles, grauissima quæque superaturam se vltrò polliceretur. Inter cætera, quæ accidêre prodigia, illud ne prætermittendum esse quidẽ censuimus, in sequenti enim anno, pridie eius diei, quo Palmarum festa celebrantur, Diui Stephani Regis basilica, quam à Carolo plumbo munitam esse diximus, miserabili incendio conflagrauit, conflatæ præ flammis tegulæ continuò defluxere, campanaria tantùm turris, quæ sacrario superest, vbi sanctissimorum Regum reliquiæ reconditæ fuerant, diuina (ut aiunt) ope seruata. Sed Carolus exitium miseratus, instaurata æde, iacturam quàm primùm resarsit incẽdij, iterumq; plumbeo tecto basilicam excoluit. Quin etiam eodem anno, ne religio Carolum redderet infœcundum, in Andreæ Apostoli solẽnibus, alius sibi filius natus est, cui ab Apostolo nomen est inditum. Hic & Lodouicus diu fuere superstites. Verùm Ladislaus quintum vix annum claudere potuit, intempestiua morte subreptus. Admirabilia profectò sunt in rebus humanis diuina iudicia, quippe quæ seueriora quandoq; bonis, quàm malis viris visa sunt. Quare nisi illud nobis occurreret, Christum optimum maximum, Saluatorem nostrum, calicem passionis nobis quoq; cõmunicare voluisse, vt eadem tolerantia, patientiæ præmia mereremur, neq; hanc vitam, par esse, sine angustiis & labore transigere, vt veluti aurum igni, ita nos aduersitate probaremur, profectò à virtutis quandoq; itinere nimis absterreremur. Carolus ingenti pietate iusticiaq; pollens,

lens, vnà cum liberis & vxore, horribilem & formidolosam vsque adeo fortunam, diuino fortasse permissu, subire coactus est, vt non modò opinionem, sed humanam fidem exsuperet. Quidam sibi vir erat, quem Felicianum dixere, è Zaachorum familia natus, apud Matthæum Trinchenum olim Palatinum: hic opibus & dignitate creuerat, & ab illo dimissus, inter seruitia Regis continuò se insinuarat, vt eo faciliùs, supra fortunæ suæ cõditionem, dignitatem adaugeret. Dissimulata huic iniquitas & ambitio, animus ad facinus quodq; maximũ præceps ac promptus, rapinis & quouis scelere sibi rem auxerat. Vnicũ erat immanitatis, perfidiæ, ac infidelitatis exemplar, sed grauissima hæc vitia, præ liberali 10 quadam audacia, & subornato semper officio, ita contegebat, vt regis gratiam admodum promeruerit. Facilem sibi aditum regis, ficta quadam mandatorum obseruantia, & sedulitate ita pararat, vt die noctuq; fores paterent. In tanta potestate, indigni sceleris hunc inaudita incessit audacia. Ex improuiso Regem, liberos, & Reginam inter discũbẽdum decernit adoriri, vt cæsa cum co prole, tyrannidem inuadat, omniaque pro libidine sua disponat. Videbat enim, pacato regno, se quiete ac ocio parum posse proficere, contrà perturbatis rebus, varias facinorosis occasiones offerri. Alij, illatum à fratre Reginæ, vxori stuprum, ad tantum facinus incitasse dicunt. Quare ex consulto, accubantem cum vxore liberisque Regem, in Vissegradi suburbio, quintodecimo calendas Ma-20 ias, sub officij specie ingressus, adoritur, stricto mox ense, Regem petit, frustratus ictum, eius dexteram leui vulnere læsit. In sanctissimam repente matronam conuersus, dexteræ quatuor digitos abscidit, quos fœmineorum munium, & profusæ liberalitatis ministros verè possumus appellare, quum illa dies ac noctes, sacras his vestes contexeret, & pararet. Ne adstantibus etiam pueris pepercit, in quos dum vibrato ense grassatur, pædagogi cõtinuò intercessere, quippe qui propriorum corporum obiectu, commissos sibi liberos, laudabili fide protexere, pueri interea diffugêre. Pædagogus alter, Chenesichus Gyulæ filius, alter Nicolaus, è Ioanne Palatino natus fuit. In medio tumultu, consternatis dominorum animis, Ioannes Alexandri Pathochi filius, Reginæ minister, ac spe-30 ctatæ indolis adolescens accurrit, in Felicianum hinc & inde furentẽ irruit, eius collum pugione transfodit, humiq; inuertit. Ad suscitatum in aula clamorem, ex prætoriana cohorte milites plerique concurrunt, cum nefario paricida digladiantur, & pro mensa, in triclinio reluctantem dissecant, dissectumq; membratim distrahunt. Respirante cum vniuersa regia paulò pôst Rege, rato quæcunque acciderant, veluti in somniis se vidisse, neq; adhuc credere vera esse, caput eius Budam mittitur, manus ac pedes, absterrendi sceleris gratia, ad varias Pannoniæ vrbes euecti. Feliciani filius, cum fido cliente, dum se fuga surripere sperant, illicò capti, ac equinis caudis distracti, animas efflarunt, frusta in foro canibus exposita, corrosa ossa à canibus, & porcis diu circũlata. Duæ Feliciano fue-40 re filiæ, vnam inter seruitia Reginæ insinuarat, cui Claræ nomen fuit, alteram Copai coniugarat, Sebeu appellatam, quæ Reginæ famulabatur. Succisis labiis naribusque, & octo digitis amputatis, per plateas & compita circumducta, vbique hæc exclamare coacta est, Quicunq; Regem suum produnt, aut in eũ exitium moliuntur, has talionis pœnas expendant. Sebeu verò, pro Leuua arce, Emerici Bechei iussu, qui castellum cum præsidio tenebat, capite mulctata. Vir eius Copais, coniectus in carcerem, inedia vitam intercepit. Filij à Crucigeris militibus Rhodon translati, ibiq; perpetuo relegati sunt. Præterea quicunque è Feliciani gente nobiles vsquam deprehensi sunt, omnes extremo supplicio sunt affecti. Hic igitur fuit Feliciani exitus, qui præ magnitudine sceleris, ne debitas 50 adhuc pœnas exoluit. His autẽ periculis Caroli probitas circumuenta, pacatis rebus, aliquantisper requieuit: in chiragram & podagram paulò pôst incidisse ferunt, eadem tamen æquanimitate cuncta pertulit. Verùm ne à sua religione deficeret, néve quid spectatæ sanctitatis omitteret, vt sancta peregrinatione errata sua omnia expiaret, ex auspicato Hierosolymam proficiscitur, vt Saluatoris nostri sepulchrum inuisat. Parum nauigando processerat, quum noua pletosq;

in ipsum bella moliri, amicorum literis edocetur, admonetur quoque pergraue Valachorum instare bellum, quod haudquaquam prosperè, sine Regis pręsentia, geri posse credebant. Accedebat haud modica Felicianorum suspicio, qui quamuis deleto ferè genere, ad interitum rediissent, si qui tamen superfuerant, necnon formidolosi videbantur. Rex igitur his omnibus remoratus, inuitus tãdem, ab instituta peregrinatione, in Pannoniam se retraxit, inuenit secundùm reditum non parua misceri, ocium iri interceptum, & finitimos plerosque in se bella moliri. Eius reditu multa continuò pacata sunt, quieuere nonnulli, qui absente Rege noua moliri cupiebant. Transalpini tantùm Valachi, Bazarado duce, aliquid temere audere visi sunt. Eodem quo Felicianus cum vniuersa prole cæsus est anno, à Carolo in Valachos est suscepta expeditio. Quãquam in Vngaria magnus delectus est habitus, in diuersis tamen locis, prout res ac rerum suspicio postulabat, copiæ in regni finibus distributæ, ipse cum reliquis legionibus, in Valachos, qui Getarum sedes nunc incolunt, proficiscitur. Hunc Thomas Transsyluaniæ Vaiuoda (vt aiunt) & Dionysius Nicolai filius, è Lanchæ sanguine natus, ad suscipiendum hoc bellum impulere, rati exacto vel superato Bazarado, se permissu regio, patentissima Getarum regione facilè potituros. Indicendi belli causa nulla legitima fuerat, quando quotannis Bazaradus stata Regi stipendia soluerat, immo ne minimam quidem annui tributi partem omiserat, nulliusque potuerat hactenus infidelitatis argui, sed illorum (quos diximus) suasu, huic ocium ex inauspicato intercipitur. Quare coacto in Transsyluania exercitu, in Valachos castra mota. In primis Zeurin (nam oppidum sic appellant) Rex obsidet, paucorum dierum obsidione capit, mox in eius appendices effusus, pagos diripit, ne minus quidem igni, quàm ferro sæuit. Captum vi oppidum, Dionysio, spem suam non frustrato, dono datur, reliqua regio, versus Pontum in immensum effusa, & aquarum indiga, Regi latè patebat. Hæc vbi Bazarado nunciata sunt, ne quid è suæ modestię partibus remitteret, legatos prius, quàm aliquid auderet, ad Regem mittit, quibus hæc mandata dedit: Carolo significent, hoc sibi ne satis quidem iustè bellum indictum, quando fidem debitam vsquequaque seruarat, imperata præstiterat, & annua quoque tributa persoluerat. Sed quando Regibus longè maior quàm inferioribus licentia suo iure tribuitur, quorum iniuria pro iusticia sæpe haberi solet, Bazaradum, ne à suo Rege desciscat, omnem in se culpam vltrò transferre. Se non Carolum incusare, item polliceri, captum cum appendicibus oppidum, spõte Regi permissurum, ac super ea re ius omne concessurum, quinetiam pro rependendis belli sumptibus, septies mille argenti pondo soluturum. Annua expensurum vectigalia, & obsequia quęque præstiturum, daturum vadis loco filium, qui in aula Regi perpetuò ministret. Ad postremum hæc, & multa alia facturum, si data pace, Rex abierit: contrà, si abnegato contemptoque seruitio, hostili animo vltrà processerit, ex hoc tempore commonefacere, imminentia præcauere pericula, & non mòdò iniuriarum pœnitentiam, verumetiam grauissimum instare supplicium. Quum hæc mandata Carolus accepisset, adnitẽtibus amicis, qui eum ad bella ista coniecerant, parum probè respondit: Bazaradum vsque adeo insolentem, vt suo etiam Regi interminetur, cuius ouium se pastorem esse non ignorat. His adiicere, demissa se barba Valachũ, è feralibus lustris extracturum. Talia respondentem, vnus è Proceribus, quem Danchum appellabãt, Zolij ac Lypthæ Comitem, libera quadam fiducia fretus, amicè corripuit. Bazaradum, rectè ac perhumanè loquentem, his responsis non esse dignum, parentis amici officia nequaquam contemnenda, pacem postulanti nunquam abnegandam, ac his vel maximè, qui obsequia semper fida præstiterunt. Nulla in eos insolentia procedendum, qui fida obsequia deferunt, & iusta petunt. Postremò à Maiestate regia nil magis insolentia & iniuria alienũ. Exacerbatus his monitis Carolus, pertinacius responsa confirmauit, & Dancho parum auscultans, postero die in Bazaradum castra mouit. Quum inter montes & syluas iter faceret, neq; equis pabula, neque militibus commeatus inuenire poterat, pagos à rustica ma
nu desti-

nu destitutos offendebat, in quibus, vt rerum omnium inopia hostem perderent, ex dedita nihil industria deseruerat. Redacto ad magnam inediam exercitu, Carolus necessitudine summa coactus, accepta parendi sibi fide, cum Valacho pacem facit, ac tutò redeundi potestatē exposcit, impetratq́ȝ. Et relato pede à perfido sibi hoste nihil timet, nescius spe sua se falsum iri: inter redeūdum, insidias hostis Regi collocat, nam quum per angustias montium iter faceret, viarum diuerticula, & iuga montium ille præoccupat. Vngarorū agmina inter angustias redacta, dum progrediuntur, demissis lapidibus ac telis obruit, cęditq́ȝ, & dum hinc vertere nituntur, anticipata cuncta diuerticula conspicantur, commiscentur præ timore inuicem, neque procedere, neque reuerti licet. A præruptis . uiisq́ȝ locis hostem deturbare nequeunt, omnibus vna mors ac exitus instabat, desperata salute, irritisque conatibus, multi cadere occipiunt. Proceres, cum egregiis gregariisq́ȝ militibus, promiscuē cadunt, quatriduum in angustiis versati, ad internecionem ferè cæduntur omnes, quin & effugere conati, inter sese mutuò collisi, miserabiliter obruebantur. Incredibilis ibi legionum facta iactura, & ingens patrata strages, quam circiter Diui Martini solennia accidisse memorant. Hic Andreas, Albæ basilicæ Antistes eximius, qui Regi seruiebat ab epistolis, & Michael Poseganus, ac Nicolaus Albæ Transsyluanæ Sacerdos, item Andreas, Sarubensis ædis Antistes, è sacro Dominici collegio editus, singulari quadam probitate pollens, cum sociis plerisque, defixis in capite clauis, quum in hostis potestatem venissent, omnes crudeli morte expirarunt. Regalis etiam ædiculæ Sacerdotes, ad vnum omnes, qui in hostis potestatē venere, immani supplicio affecti sunt. Insuper immensa Cumanorum multitudo cecidit, nouissima vero manus, quæ superfuit, partim saucia, partim integra, in Valachi potestatem peruenit. Immēsus cæsorum numerus, qui in angustiis montium & conuallibus oppetiere, sepulchri honore caruit, quando Barbari sęuitia mortuis etiam nihil indulsit. Carolum ita euasisse ferunt, mutasse arma, eaque Deseum Dionysij filium induisse, qui Getici belli auctor fuerat. Regem, vix stipantium pauca veteranorum caterua euasisse, Deseum regalibus armis subornatum, quando paterna scelera ita postularant, pro Rege ab hostibus interfectum. Ex his qui Regem fortissimè protexere, Danchium, Ladislaumq́ȝ filium, item Martinum Gerendi filium, cum aliqua parte prætorianæ cohortis, potissimè numerant. Innumera quidem multitudo subeuntium erumpentiúmve Vngarorum, telis hostium occidit, vtriusque partis numerus desideratorum diffiniri non potest, sed insignem ibi cædem vtrinque patratam, quamuis Vngaros ad internecionem cæsos, Annales non referant, nemo tamē ignorat. Ad postremum Rex diuina potius quàm humana ope, tanto discrimine liberatus, cum filio, ac saucio comitatu, Themesuarum primò, deinde Vissegradum peruenit. Iesu Christo liberatori in primis, deinde cæteris numinibus, Soteria ritè persoluit. Fidelitatem comitum perpetuis muneribus beneficiisq́ȝ excoluit, donauit plerosq́ȝ ciuitatibus, & salutis auctores quotidianis honorib. exornauit. Post hanc stragem & pericula, infestæ fortunæ lenimen, dum Diui Regis Stephani festa celebrantur, scitus Carolo puer natus est, quē Stephanum quoq́ȝ appellari iussit, & hunc anno trigesimosecundo, super terdecies centum, natum esse volunt. Succurrit deinde spes ingens Neapolitani regni, quam insequenti anno assequi curauit. Verùm res hæc aliquāto altius repetenda. Carolo secundo, Regi quondam Apulo, præ cæteris duo præstantiores fuere filij, Carolus inquam Martellus, qui filium Carolum, Vngariæ Regem statuit, & Robertus Calabriæ Dux, qui defuncto patre, Neapolitanū regnum, haud sine Romani Pontificis auctoritate, ac hæreditario iure consequutus est. Et pontificiæ ditionis imperium assequutus, ne tanti beneficij videretur immemor, fluctuante diu Guelphorum Gibellinorumque factionibus Italia, pontificias partes omni semper studio & labore tutatus est. Quum in tutelam Florentinos accepisset, Carolum illis filium præfecit. In Hetruria diu bella gessit, & in Florentino latè agro dominatus est, sed post eius obitum, viuente adhuc Roberto Rege, in Athesiensiū Ducum ty-

1332.

rannidem, Florentia deinde concidit. His temporibus, Europa, & in primis Italia, plus solito fluctuauit. Clemente nanque Pontifice decedente, qui Cœlestinum in Diuorum numerum retulerat, Romana diu sedes vacasse dicitur. Germaniæ tunc Principes, quibus est Imperatoris eligendi potestas, per secessionem duos Cæsares creauere, alteri Lodouicum Bauariæ, Fredericum Austriæ Ducem alteri: quare armis litem dirimere placuit. Conserto prælio, Fredericus superatur capiturque. Lodouicus, fortunæ dexteritate elatus, citra Pontificis auctoritatem, Imperatoris & Augusti nomen vsurpat. Inita cum Vicecomitibus, nonnullisque Italiæ Regulis amicitia, quum à Ioanne Pontifice approbari non posset, in Italiam contendit. Romam profectus, Ioannem pontificatu abdicat, 10 & à Sarra Columnensi coronatur. Petrũ Corbaniensem Ioanni subrogat, quem se mox iterum coronare iubet. Pisani, qui post Castrutij tyranni mortem, in Lodouici Imperatoris potestatem venerant, seque in libertatem vendicarant, falsum Pontificem, vbi Lodouicus in Germaniam se receperat, capiunt, captumq; ad Ioannem Pontificem, Auinione tunc agentem (nam in ea vrbe, Romanum collegium, annos circiter quatuor & septuaginta hæc tempora retinuere) continuò mittunt, qui suum facinus ingenuè fassus, vitaque donatus, tertio pòst anno, honesto carcere remoratus, obiit. Dum hæc à Pisanis agũtur, in sequenti anno, Ioannes Rex Boemiæ, Henrici Septimi Imperatoris filius, & Caroli Imperatoris pater, Italiam ingressus, Brixiam, Bergamum, Lucam, Parmam, Rhe- 20 gium, & Mutinam in potestatẽ accepit. In omnibus his procellis, Robertus Ecclesiæ partibus semper fauit, sed ob Ioannis Regis amicitiam, qui cum pontificio Legato se coniunxerat, mutatis factionibus, cum Scaligeris, Gonzagis, Carrariensibus, & Hestensibus fœdus iniuit. Iniquo nanque animo, Imperatorem aliquem adire Italiam, & ius aliquod in ea retinere, olim ferre videbatur. Sed quum paucis antè mensibus, Carolum Florentiæ Regulum, intempesta morte surreptum amisisset, remorata ambitione, ac impetandi aliquantisper cupiditate, de regni successore cogitare cœpit. Extemplo filij mortem, fratri, nepotique Carolo nunciauit, qui longè lateque in Vngaria dominabatur, & quem læta liberorum fœcũditate præpollere nouerat, ex eo successionis adminiculum quæ- 30 rit. Carolus Roberti casum miseratus, in Italiam Andream filium, qui annum vix sextum agebat, mittere decernit, ne filij fortunam interturbet, regnumque auitum alienis manibus occupari patiatur. Plerique Carolum Martellum, eius auum, cum Andrea in Italiam profectum fuisse scribunt, sed nondum hoc satis exploratum. Vt secum pro dignitate delectum comitatum ducat, in primis Archiepiscopum Strigoniensem, cui Chianadino nomen erat, & Andream Vatadinum Antistitem, Iacobum Longobardorum gente natum, Chianadiensem Episcopum, ac Danchium, de quo suprà diximus, numerosamque nobilitatis

1333. manum cogit. Et anno trecentesimo trigesimotertio, vltra millesimum, pater & Andreas ex Vissegrado proficiscuntur, decimoque die Zagrabiam perueniũt. 40 Et quum per Dalmatiam iter facere statuerint, superatis Lapidcis montibus, Segniam descendunt, vnde comparata classe, quatuor dierum nauigatione, in Apuliam traiiciunt. Hac spe nimium ductus est pater, vt filium, Roberti Regis precibus electum, perbreui quoque Ioannis vigesimisecundi Pontificis auctoritate coronatum, in Italia relinqueret, & Vngariæ regnum Lodouico primigenio, vt par erat, addiceret: quare se fortunatissimum patrem futurum esse confidebat. Aduentanti Robertus gratulabundus occurrit, nepotem Carolum, puerumque Andream amplexatur, horum aduentu se suæ prolis iacturam resarsisse profitetur. Is enim iam graui ætate confectus, qui non minus probè quàm doctè vitam duxerat, hoc reliquum, quod supererat, annorum sanctissimæ con- 50 templationi, delegato nepoti regno, dicare statuerat: sed amicorum instantissimis precibus adactus, consilium mutauit. Quare ad extremum vsque diem sibi regnare placitum est, & Andream, cum Ioanna nepte pariter adoptare, qui post eius mortem, legatum sibi regnum paribus gererent auspiciis. Robertum Regem Franciscus Petrarcha, non minus maternæ, quàm Latinæ linguæ numeris

excel-

excellens, cæteris tempestatis illius Principibus anteponit. nam literarum studiis æquè, ac studiosis viris deditissimus, mira probitate, ac rerum omnium doctrina claruit. Defuncto filio Carolo, Florentinorum Duce, duæ Roberto neptes superfuere, Ioanna, quam Andreæ destinauerat, & altera, quæ parum celebrata est. Verùm illud haudquaquam silentio prætermittendum, quod Vngaricorum scriptor Annalium, aut negligentia, aut inscitia subticuit. Carolus Martellus, Roberti Regis frater, cum Carolo filio in Vngariam venit, vbi diu versatus, antequam regno potiretur, tandem eo potitus, gnatum coronandum esse studuit. Hic vbi Regis insignia assequutus est, cum patre pariter imperauit, &, vt supra dictum est, Lodouicum & Andream genuit, ac immaturo fato surreptus, diem obiit. Carolus Martellus pater, interea regnum administrauit. Rerum Vngaricarum scriptor vtrunque Carolum confundit. Blondus, ac cæteri, Lodouicum & Andream, Caroli Martelli, Vngariæ Regis, nepotes esse scribit. Nam Robertus Carolusque Martellus, suo vterque filio pariter orbati, nepotes adoptare coacti sunt. Martellus, Lodouicum Vngariæ, Robertus, Ioannam neptem & Andream Apuliæ, post mortem, ex testamento præfecere. Aliquantisper euagati sumus, vt res Italicas, ac temporum conditionem contemplaturi, facilius historiam animo complectamur. Pannonici Carolum Annales, relicto in Italia Andrea, quem Robertus vsque ad mortem coronare recusarat, quamuis exemplo in filium adoptauerit, eodem quo profectus fuerat anno, in Vngariam rediisse perhibent, hac firmissima spe a Roberto fratre dimissum, Andreæ omnino nepoti, ac Ioanæ, quam ei desponsarat, regnum proculdubio legaturum, quod paulo pòst tempore, ex composito speratoque successit. Postquam Carolus in Vngariam reuersus est, in sequenti anno, Ioannes Rex Boemiæ, filiusque Carolus, qui non multò pòst imperium Romanum sortitus est, item Casimirus Rex Poloniæ, Vissegradum ad Carolum, circa Martini solennia conuenere, vt de componenda pace agerēt. Ioannes, cuius aliqua superius habita est mentio, Luceburgensium comitum genere natus, Boemos dissidētes acriter castigauit, Australes graui bello corripuit. Multas in Italia vrbes sibi domuit, occupato Poloniæ regno, quum quietè retinere nō posset, Casimiro, qui bis dena milia pondo argenti pependerat, ius vltrò suum cessit. Graccouiæ obsidionem, commeatuum defectu, planè deseruit, a Rege Gallorum, aduersus Britannos, iure necessitudinis inuitatus. Quum annis quinque ac triginta regnasset, in truculentissimo prælio, inter cōfertissimos hostes cæsus est. Carolū eius filium, patri haudquaquam inferiorem fuisse memorant, quippe qui viuente adhuc patre Tartaros forti animo fudit. Cisalpinæ Galliæ ciuitates, à patre olim acceptas, acerrimè tutatus est. Veronenses audacter profligauit, bis in eo bello equo decidit, tertium conscendit, haud veritus fortissima quæque militis præstare facinora. Parmę alienos sæpissimè thoros incæstauit, nequaquam abstinuit à patre increpitus. Regnum Boemiæ, religione ac optimis disciplinis iuxtà illustrauit. Introduxit Pragam liberalium studia literarum. Nouam ciuitatem muro cinxit, fundauit cœnobia multa, arcem erexit admirabilem, regiam conspicuam statuit, vniuersum denique regnum pacauit. Euectus ad imperium, Italiam rursus ingreditur, Longobardos in potestatem suam accepit. Eiectis Guelphis Gebellinos extorres Florentiæ restituit, reliquis Hetruriæ partibus, pro arbitratu suo, leges dedit. Coronatus est Romæ magnificentissimo apparatu, quare ne à Romano collegio dissentiret, omnes nouitatis auctores, summo Pōtifici mulctandos tradidit. Fratri, cui Ioanni nomen erat, Morauiam concessit. Pragensem basilicam, metropolitana dignitate decorauit. Vt Venceslaum gnatum, se adhuc viuente, Romanum Regem crearent, ab Electoribus imperij, & precario, & ingenti largitione impetrauit. Sigismundus, alter Caroli filius, à Lodouico Rege Vngariæ, in spem regni adoptatus multo pòst tempore fuit. De his hactenus. Hæc de Ioanne Caroloque diximus, & de Casimiro aliquid adiiciemus, vt quanti momenti Principes fuerint, qui ad Carolum Pannoniæ Regem, pro

componenda pace venerunt, liquidò diiudicaretur. Quum igitur inter hos Reges, de ineunda concordia, perpetuaque societate, in Vissegrado ageretur, paucis pòst diebus pax confecta. Hi tanta rerum omniũ copia, & tantis apparatibus tractati, vt nemo è Boemis Polonisque fuerit, qui vini & obsoniorum omnium abundãtiam satis admirari posset. Res victui necessariæ, omnibus profusissimè erogatæ, accessere dona Regibus pro dignitate distributa, quæ Pannonici Regis magnificentiam cum æterna laude testantur. Ioannes Rex Boemiæ, præ cæteris vasis argenteis, quinquaginta duabus phaleris, totidemque baltheis, insuper latrũculorum tabula, mira arte auroq; multo elaborata, vbi angulares pyrgos, instructas vtrinque peditum acies, cataphractos equites, & reges, collatis signis, pugnę veræ simulachrum referentes, cernere erat, quos omnes, aurata & gemmata arma, campique pauimentum iaspidibus & smaragdis tessellatum, ad certamen irritabat. Item duobus ephippiis, non tam auro, quàm ordine lapillorum excultis, à Carolo donatus est: adiecta sunt his pocula gemmata duo, alterum ducentis argenti pondo appensum, alterum è solido auro confectum, in conchæ speciem, & arte & gemmarum multitudine sanè conspicuum. Ne minore quidem magnificentia in Casimirum vsus est, qui quum statuta Boemiæ Regi tributa penderet, quippe cui Poloniæ ius omne paulò antè (vt supra retulimus) ille concesserat, hac beneficentia dimissus est: quingentis enim pondo, ab Vngariæ Rege donatus est, vt debita ad assem Ioanni stipẽdia persolueret. Demum illic confecta pace, perpetuaque societate, conuenit inter eos, vt quicunque ex his Regibus primus vi armísve ab aliis læderetur, cæteri continuò auxilia pacta conferrent. fœdus grauissimo à cunctis iuramento percussum, & confirmatum est. Quum hæc omnia quæ dicta sunt, anno salutis trigesimoquinto ac terdecies centeno gesta forent, tertio pòst anno, Vissegradum Locha Dux Ruthenorum aduenit, delectum secum equitatum adduxit, postulauit perpetuam pacem, ac fidissimæ amicitiæ officia cuncta promisit: annuit postulationi Carolus, virumq; ææ icto fœdere, honorificè donatum dimisit. In sequenti anno, Casimirus Polonorum Rex, ac Lodouici auunculus, ad Carolum rediit, honorificentissimum secum & Procerum & Antistitum comitatum adduxit. Rex hunc in frequentissimo Optimatum Pontificumque suorum concilio excepit, vt affinem suum pro dignitate reciperet. In celeberrimo vtrorumque Principum conuentu, Casimirus publicè, Lodouico ex sorore nepoti, & Caroli filio primigenio, orbitatem causatus, Poloniæ regnum legauit, adoptauit in filium, & omnes, qui aderant, Pontifices Optimatesque, nouissimæ voluntatis suæ testes esse iussit, id ipsum cæteri, qui aderant, Poloni vltrò confirmarunt, ac super ea re solenne priuilegium factum est. Carolus tanta beneficentia præter opinionem affectus, nullum gratiarum ac liberalitatis officium in Casimirum & cæteros Polonorum Principes prætermisit. Secundo pòst anno, locustarum pestis, à Syrmio, Pannoniam incessit, vsque adeo grauis, vt è segetibus, arboribus, & graminibus nihil dimiserint, vineis, præter omnium opinionem, pepercisse aiunt. Tertio anno, Poloniam, Austriam, & Boemiam inuasere, mox bipartitò diuisæ, in Italiam & Gallias effusæ, populatis agris, communi exitio passim absumptæ. Eadem quoque tempestate Cometes in cœlo visus, ac in Hetruria, in primisque Florentiæ, pestilẽtia magna desæuit. Sexdecim hominum milia sunt lue hac absumpta, quum agitato in Vrbe censu, conditoq; lustro, nonaginta hominum milia, superiore anno censa forent. Postero anno, & cometes, & prodigia multa, quæ Principibus orbis interminantur, maximorum Regum fata traxere. Anno nanque quadragesimosecundo, supra tredecies centum, Roberti & Caroli obitus intercessit, quorum morte Italia æquè, ac Vngaria, animo cõsternata est. præstãtissimum vtrũque Regem illa secula protulere, qui domi pariter ac foris præpolluisse referuntur. Robertus Andream nepotem suum, & Caroli fratris Vngariæ Regis filium, cui Ioannam neptem, vxorem dederat, post se regnare iubet, qui vt deinceps referetur, quum annos tres in Italia regnasset, à gnatorum insidiis, vxorisque cõsensu, qui regnum anhelabant, laqueo enectus est.

1335. 1342.

Carolus

Carolus eius pater, quum annos duos & quadraginta regnasset, ingrauescente febris æstu, in Vissegrado, non sine nominis sui perpetua gloria, decimoseptimo calendas Augustas diem obiit. Quem ita longè lateque dominatum esse ferunt, vt Dalmatiam, Croaciam, Ramam, Seruiam, Galatiam, Lodomeriam, Cumaniam, Bulgariam, Vngariam, & adiecto Gargano monte, Salernum ei paruisse, ac vectigalia quotannis stata pependisse prædicent. Promulgata Regis morte, tantus omnes mœror incessit, vt publico planctu quateretur Vngaria, Antistites, Proceres, populos ac nobiles iuxtà, hic dolor omnes afflixit, nemo fuit ex Vngaris, finitimisque, ad cuius animum mœror iste non penetrarit. Præsertim 10 Elisabetha, Lodouicus ac Stephanus, ad quos propiùs dolor attinebat, eius obitum efflictim deplorarunt: coactis vndique Pontificibus, Regulis, Optimatibus, & collegiis Sacerdotum, corpus editiore thalamo resupinatum, cui trabea coccina, gemmatum diadema, item ensis, aureaque calcaria, ac cætera Regis insignia aderant. Ad præstitutum exequiarum diem, ex vrbibus & pagis innumera multitudo conuenit, profuso tot gentium vlulatu omnia resonabant, funus ad Diuæ Virginis ędem elatum, omnes ordines pulla veste funus honestarunt. Peractis ritè sacris, postridie bucętauro imposuere, ac secundo amne Budam cum maxima comitum classe delabitur: instauratæ ibi exequiæ, postero die Albam effertur, quoscunque vicos & oppida tangebat, viri cum mulieri- 20 bus, fusis crinibus occurrere, redintegrare funus, & ad continuandum luctum fessam multitudinem irritare. In itinere Laurentius, vnus è Proceribus, Sclauonica gente natus, vir spectatæ virtutis ac roboris, eius quondam vexillarius, signa ante funus regia passim prætulit, præcessere tres equites cataphracti, purpura, gemmis auroque conspicui, qui eius arma præferebant. Struthione pro aquila Carolus vsus est. Hi dominum extinctum passim ingeminare, pia cæteros nænia ad luctum prouocare. Demum in Diui Stephani basilica corpus palam reconditum, vbi saris superque conclamatum est, gemmata arma, vestes, vasa aurea, ac ingens donatiuum templo affixum. In sequēti mense, Casimirus è Polonia, ac Ioannes Morauiæ Regulus, & Caroli Imperatoris frater, Vissegradum 30 cum honestissima nobilium Pontificumque turba conuenere, funus pientissimè instaurarunt, & Albam deinde profecti, Carolo ritè parentarunt. At se Regi iusta persoluisse rati, reginam, item Lodouicum ac Stephanum diligentissimè consolati sunt. In Caroli funere, Chianadinum Strigoniensem Metropolitam, ornatissimam de laudibus eius orationem habuisse ferunt, qua maximum lachrymarum profluuium auditoribus exhausisse dicitur. His temporib. Franciscus Petrarcha, Poeta clarissimus, ab Vrso Tribuno plebis, Stephani Columnensis collega, in Capitolio laurea corona donatus est. Licius quoq; Asculanus, conciuis meus, qui Roberto regnante claruerat, ac tempestate illa inter Astronomos & Magos excellentissimus habebatur, quia Ioannæ, Caroli Flo- 40 rentiæ Reguli filiæ, fata prædixerat, Accursij inquisitoris criminibus insimulatus, aliquot antè annis, extremo supplicio affectus, excesserat, quē iniqua morte mulctatum omnes censuere. Quin etiam quatuor antè annis, cometes menses quatuor apparuit, & antequam occideret, alter duos mēses emicuit, ex quibus facile erat, duorum Regum fata prædicere. Eodem quoque tempore, decem Saracenorum milia ab Hispanis cæsa, totidemq; capta. Item Galli congressi cum Britannis, fusi ac fugati sunt, & decem eorum milia in eo conflictu desiderata.

Bonfinius.

E

RERVM VNGARICARVM DECADIS SECVNDÆ LIBER X.

Ludouicus.

CELEBRATIS ritè Caroli exequiis, Carolum Martellū, Lodouici auum, filio superfuisse pleriq; volunt. Vter ex his prius diem obierit, Vngarici Annales nil sanè definiunt, sed neutrum funeris honore defraudatum, pro vtriusq; gestarum rerum gloria, reputemus. Secundùm amborum ieceſſum, Lodouicus adoleſcens, auitis moribus imbutus, omnium acclamationibus populorum, Optimatumque ſuffragiis, Rex Vngariæ declaratur. E generoſa huius indole, ac ſtudioſiſſima patris & aui educatione, fauſtiſſima quæque vulgus ariolabatur. Pollicebatur ſpem optimam, ingenuus adoleſcentis aſpectus, cui tantū inerat Maieſtatis, vt ſpectatorem quenque ſibi facilè conciliaret, adduceret in admirationem, ac tacitam ſibi quādam reuerentiam poſtularet. Liberalis eius facies, non tam libera reſponſa, quam facilem gratiam & officia indicabat. Quamuis ingentem animi magnitudinem præ ſe ferret, pudore tamen, ſummaque modeſtia non carebat. Feruentis ætatis impetus grauitate ac moderatione quadam ita coercebat, vt vno eodemq; tempore, in eodem homine, & iuuētutis alacritatem, & grauitatem ſenectutis liceret intueri. Exornabat hęc omnia, magna religio, inaudita pietas, iuſticia ſingularis, ingenita clementia, maturaque conſilia, cum ſumma magnanimitate coniuncta. Augebat gratiam & decorum, popularitas incredibilis, & affabilitas indefeſſa, ingenium eius & mores, ad regnandū natum eſſe portendebant. Optimas quaſque dotes Gallici Pannonicique ſanguinis, in hunc omnes conueniſſe facilè dixeris. Nil indignius moleſtiusque tulit, quàm beneficentia & liberalitate vinci, aut ſui regni iura ab aliis vſurpari, domi foriſque æquè præſtans fore videbatur. Dolorem publicum, è patris auique interitu conflatum, ipſe omnium officiorum leniuit, reſarſitque, neque parum etiam conſolationis, pientiſſimæ parentis probitas afferebat, cum maxima ſanctitate cōiuncta, quę omnium antiſtitum proceruniq́ue ſpem quotidie confirmabat. Quare in regalibus comitiis, Rex ab omnibus declaratus, Albæ continuò, in frequentiſſimo Pannonum conuentu, ritè coronatus eſt, nemo vnquam tot fauoribus, ac tam propitio populorum ac ordinum omnium conſenſu, Rex vnquam creatus eſſe dicitur. In fauſtis hominum ſalutationibus, nil aliud retuliſſe memorant, quàm iubere omnes de ſe bene ſperare, ſe pro ſalute regni omnia pericula & labores perpeſſurum, proinde omnes paſſim exorare, arma ſumant, accingant ſe bello, ſeque duce ac milite, quicunque regni appendices læſerint, occuparint, in eos irruant, Pannoniamq; ac Illyricum, Daciamq; pacent. In perfidos & infideles, vi ac armis animaduertendū, pro patria, pro liberis, pro aris ac focis fortiſſimè pugnandum. Conſternati iam principum interitu Vngarorum animi, Lodouici Regis hortatu, vſque adeo ſuſcitati & confirmati ſunt, vt nil Marte vindice ducerent antiquius. Delectum continuò habendum poſtulant, vltrò per acclamationes cuncti dant nomina, quin & ſenes, & ſacri homines, ad expeditionem ſalutarem incenduntur. Item vulgò mulieres ſe ſuccenturiatas pollicentur, tantum hinc animi Vngaris adcreuit, vt bellum indici, nuncupatis votis, expoſcerent. Ne minus quidē immortalitatis amor, ac regni charitas, Lodouicum indies planè ſollicitabat. Quare antequam coronationis ille conuentus ſolueretur, coacto Senatu, illatas omnes iniurias, perfidiam ſuorum, læſa regni iura, & quæcunque vi occupata fuerant, ad patres referri iuſſit. In primis contumacia Saxonumq; rebellio venit in mediū, qui Tranſſyluaniam incolunt, quippe qui audita Principum morte, contempta ſucceſſoris indulgentia, ac rerum nouitate freti, debita Regi vectigalia interceperant, detrectabant obſequia, à regia fide ſanè defecerant. Senatui primò placuit, abſterrēdorum aliorum cauſa, qui rebellionis clandeſtinæ arguebantur, hanc in Saxones expeditionem ſuſcipi. Itaq; ſummo ſtu-

mo studio hanc omnes militiam appetiuere, magnus quàm primùm cogitur exercitus, patres ferè omnes Regem iuuenem comitantur. In Transsyluaniam vbi descensum est, correptis plerisque oppidis, cæteri Saxones, leuitatis & insolentiæ pertæsi, ad Vngaricam ditionẽ rediere. In omnes eos, quos matura corripuit pœnitentia, se benignum exhibuit, quicunque in fide permansere, indulgentia & liberalitate sua confirmauit. Nonnulli populi nobilesq́;, quorum animi dudum nutare cœperant, aut temere defecerãt, antequam in se publicè animaduersum iri sentirent, veniam in tempore postulatam implorarunt. Ad pacandum profectò regnum haud parum contulit, Alexandri Transalpinæ Valachiæ Ducis exemplum. A Carolo quondam hic Rege defecerat, cuius potestati parêre ex antiquorum instituto consueuerat, pertinacius in rebellione permanserat, nulla vi, precibus ac monitis, ad præstandum, quod debebat, obsequium reduci poterat. Secundùm illius obitum, pòst vbi Lodouicum rerũ potitum accepit, audita iuuenis faustissima magnanimitate, optimaque fortuna, cùm suis finibus appropinquare sensit, cõtinuò supplex Lodouicum adiuit, genuaque amplexatus, veniam exorauit, munera preciosissima obtulit, ac ne debitis vectigalibus defraudasse videretur, decies centena auri pondo dedit, pollicitus se posthac imperata cuncta facturum, eiq́; perpetuò pariturum. Contrà Lodouicus, data pace, non tam erratorum impunitate, quam pari liberalitate donatũ dimisit. Quare Alexander, tanta iuuenis clementia & beneficentia deuinctus, redintegratam cum eo societatem, fidelitatemq́; perpetuò seruauit. Elisabetha verò, mater pientissima, matronarum decus vnicum, & prudentię ac sanctitatis exemplar, post viri fatum, & initum Lodouici regnum, & Andreæ gnati absentis gratia, qui nondum in Apulia regnare occœperat, & inuisendæ vrbis Romæ desiderio æquè impulsa, quando humano pariter & diuino trahebatur affectu, impetrato ab altero filio comitatu, in Italiam traiicere contendit. Comitatum sibi, & Procerum & matronarum, honestissimum delegit, optauit plerosque Põtifices, doctrina & probitate præstantes, ne quid viatico deesset, multum secum pecuniarum attulit, septem & viginti milia pustulati argenti pondo, obryzi verò, quod purissimum aurum appellant, septemdecim milia secum tulisse ferunt, post hæc ne mediocre quidem aureorum denariorumque his adiecit. Addidit his quoq; Lodouicus quater mille auri pondo, vt eam pro sua matrisq; dignitate dimitteret. Geminas Veneti triremes gratis compararunt, quibus eam cũ vniuerso comitatu, dexterrima nauigatione, anno quadragesimotertio, supra terdecies centenum, in Apuliam traiecere. Vix hæc Siponti littus attigerat, quum occurrentem sibi Andream & Ioannam, cum ornatissima principum turba, conspexit. In primo congressu, tantus vtrinque hilaritatis & lætitiæ plausus est editus, vt lachrymas congratulationibus mutuis admixtas cernere esset. Elisabetha, in filij ac nurus amplexus effusa, præ longo ac ingenti desiderio penè defecit, mox eorũ osculis leuato desiderio, subinde respirauit. Dehinc Neapolim versus iter ineunt, oppidatim eximij honores exhibiti: pòst vbi Neapolim peruẽtum est, cùm paucis antè diebus Robertus vita decessisset, iam coronandi Andreæ & Ioannæ vxoris tempus instabat, & aliam coronam, quàm à Pontifice Romano impetratam, gestare non licebat. Conuocatis Principibus, eo Senatus consulto, Nicolaus Palatinus, Paulus aulæ Præfectus, Thomas Rufus, Vitus Nitriensis Episcopus, Thomas Petri filius, item Metropolita Beneuentanus, cum magna nobilitatis manu, legati pronunciãtur, honestissima profectò legatio, quæ rem tanti momenti haudquaquam dedeceret. Ne inferior quidem huic accedebat apparatus. Destinantur Auinionem, vt à Clemente Sexto, Pontifice maximo, cuius imperio Neapolitanum regnum parêre debet, Andreæ ac vxori diadema impetrent, vt à pontificia auctoritate, vtrique regno potiri liceat, quod difficulter (vt infrà patebit) consequuti sunt. Elisabetha autem, in solennibus sanctæ Crucis Neapoli egressa, cum delecta optimatum & Antistitum manu, Romam contendit, vt Apostolorum basilicas inuisat. Neapolitanus eam Archiepiscopus propiùs comitatur: dum per Campaniam iter fa-

1343.

ciunt, ex vicis ac oppidis spectatum omnes passim occurrunt, non tam ornatissimum comitatum, quàm pientissimæ Reginæ sanctitatem admirātur. Religiosam matronam intuentur, quæ nunquam orando cessabat, & cunctis rogatoribus, miserabilibusque hominibus, inter eundum, profusas eleemosynas erogabat, augebat decorem coniuncta cum venustate sanctitas, quod ardentissimam à cunctis spectatoribus reuerentiam exigebat, iam omnium in se ora conuerterat, ac Deæ loco præuenerari cœpta, alteram Sabam Reginam hanc esse omnes prædicabant. Totum illud iter orando transegit: quum ad tertium lapidē Vrbi appropinquasset, vniuersus populus, & Senatorum & Sacerdotum ordo, in eius occursum effunditur, optimates Vrbis, & in primis Vrsini & Columnenses, certatim ad officium properarunt. Vrbem ingressa, faustissimis passim acclamationibus, à Romanis mulieribus consalutata, à plebe vbique, Reginæ Vngariæ feliciter, Andreæ regis Italiæ pientissimæ parenti feliciter, Matronæ sanctissimę feliciter, exclamatur: nō sacra peregrinatio, sed ornatissimus sanctitatis ille triumphus visus est. Quum ad Diui Petri basilicā peruenisset, Pontifex confestim, cū frequentissimo collegio sacerdotum, eam excepit, ad magnam Saluatoris aram ab eo ducta, ingens numini donatiuū obtulit, sacras vestes margaritis excultas, item vasa candelabraq; aurea gemmataq;, ac cætera tale genus, quater insuper mille sestertiûm aiunt addidisse. Lustrauit cætera templa, sacraq; collegia, quorum nullum sine regalibus donis prætermisit. sacra virginum cœnobia, incredibili beneficentia prosequuta est. Sudarium Saluatoris, vbi desudatam numinis imaginem intueri fas est, facta semper conscendendi potestate, reuerentissimè visitauit, ad excolendum eius tabernaculū, multum auri argentiq; obtulisse dicitur, vbi tam piè collachrymasse memorāt, vt omni ibidē delictorum impunitate donatam, pleriq; scripserint, suusq; Confessor, Sacerdos profectò grauissimus, post eius obitū, id vulgò prædicasse & asseuerasse perhibetur. pòst vbi votis & religioni se satisfecisse reputauit, post festū Diui Francisci diem, hinc proficiscitur. Quum aliquantisper Neapoli apud filium subsedisset, Ioannæ suæ nurus insolentiā, temeritatem, indomitamq; libidinem continuò intellexit, nihil in ea pensi, nihil pudoris & religionis intuebatur. Aspernabatur hæc Andream, & imperare potius, quàm parêre viro cōtendebat, præferebat impudicam leuitatem, & præter fastum intolerabilem, dominantemq; libidinem, nil aliud in ea cernere erat. Improbi illius mores, continentissimam socrum vsq; adeo cruciabant, vt in Pannoniam reiicerent: quod antequam pateretur, ne quid optimæ parētis officij prætermitteret, mitibus nurum monitis & hortationibus primùm adoritur, quibus quum nil se proficere intelligeret, seuerioribus quandoq; verbis increpuit, ponebat ante oculos regiæ potestatis dignitatem, turpitudinis, infamiæ, & prophanæ mentis incommoda præsentanea, scelerum supplicia, quibus improba haudquaquam mouebatur. Quam vbi deperditæ audaciæ, ac impudentissimi fore ingenij indies intellexit, desperata eius salute, ac dimisso non sine magno dolore filio, quem malè coniugatum nouerat, quamuis legati, qui Auinionem in Galliam ad Clementem contenderant, nondum rediissent, quia difficilem in coronando aliquantisper Andrea, Pontificem offenderant, in sequenti tamen anno, Neapoli profecta, circiter Diui Matthiæ solennia, Barum diuertit, vt Diui Nicolai ædem inuiseret, vbi magnificentissima munera dicauit. Sipontum deinde cum vniuerso comitatu peruenit, aliquot ibi dies morata, nauium defectu, secūdum Paschæ solennia, missas ab Andrea quatuor triremes extemplo conscendit, trium dierum nauigatione, Seniam appulit. Mox regnum ingressa, vbi de Reginæ reditu significatum est, veluti publicæ & magnæ Matri, ex oppidis ac pagis omnes congratulatū occurrunt, cum incredibili vbique plausu hęc recipitur, Soteria ob incolumem eius reditum apud omnes aras fiunt. Nondum Drauum amnem planè traiecerat, quum duo gnati cōgratulabundi obuiā venere, idem cæteri fecere Proceres, Antistitesq;, dies publicæ hilaritati dicatus. Cum vniuersa plaudentium turba ad Vissegradū peruenit, ibiq; cunctis numinibus, mater ac filij certatim rem sacrā fecere, illi, quòd reducem

præsti-

præstiterint parentem, hæc, quòd filios incolumes, ac omnia tuta integraq; repererit. Nondum Legati à Pontifice redierant, neque mandata ex sententia expedire potuerãt, res enim præ aulicorũ auaricia prorogabatur indies, & quamuis hæreditaria regni iura exposuerant, iudicia tamen longa, sperata largitione, sanè præstabant. Delegati iudices cuncta differre, opulentissimam causam sortiti, neque id etiam inuito Pontifice fieri, qui quidem expostulantes quandoq; legatos obaudiuit, & quando sui iuris hoc regnum erat, largitionem quanque maximam se addecere reputabat. Res coronationis, ad apostolicum Senatum sæpe relata, nullum sine ingenti pecuniæ vi finem habere posse videbatur. Legati, quanquam ne Rex Andreas ambitus infamia notaretur, néve largitione magis, quàm iure suo regnum impetrasse videretur, admodum vererentur, tamen intellecto Presbyterorum morbo, pacta pontificiam confirmationem pecunia mercati sunt. Et quamuis paciscendæ mercedis mandata non haberent, tamen ne, re tantæ molis infecta, redirent, inconsultis Regibus, quatuor & quadraginta marcharum (vt aiunt) milia Pontifici pollicentur. Compositis in Gallia rebus, ad Lodouicum Andreamque rescribunt, quantum pro regni Neapolitani confirmatione promiserint, item rogant, vt ad præstitutum tempus mercedem mittant. Lodouicus, ingenita probitate, ac fraterna charitate commotus, ne in discrimen amittendi regni adduceretur, Andreę vniuersum onus planè subiturum se recepit, Pontificis auariciam, & mercati penè regni infamiam ægerrimè tulit. Illud rei exaggerabat indignitatem, quòd ius hæreditariæ possessionis tanti licitari cogeretur, tandem ne fraternæ dignitati deesset, extraordinaria regno tributa imposuit, ac per breui exacta, in fiscum pontificium misit. Legati, confirmationis mercede è cõpacto soluta, re confecta rediere. Andreas, delegato diademate, Põtificis auctoritate coronatur. Verùm ante legatorum reditum, anno Dominicæ salutis quadragesimoquarto, terdeciesque centeno, Lodouicus, ne per ingratum ocium, vitam silentio duceret, in Poloniã contendit, vt Regi Polonorum, & Casimiro eius filio, cuius filiam, vxorẽ duxerat, cui Margaritæ nomen erat, auxilium afferret. Expeditionis huiusce, Lituania Christianæ religionis expers, causa fuerat, quam quidem regionem (ni fallor) Liboniam plerique nominarunt, hæc veræ religionis iura pertinacius subire recusabat. Rex Poloniæ, vt gens illa sibi finitima, ac penè patria, rectè saperet, postquã ne quouis alio pacto fieri poterat, armis cogere statuerat. Ad salutare bellum Lodouicum acciuerat, qui cum validissimo equitatu, in soceri auxilium, & propugnandæ fidei spem, eò cõtenderat. Paratis omnibus quæ bello vsui fuerant, in Lituaniam, cum innumera copiarum multitudine, per glaciem concessere, & quum obstinatam gentem ad salutem monitis ac precibus redigere nõ possent, ferro & igni sæuiendum esse censuere, sed ingruentibus Austris, quibus glacies omnis solui cœperat, pedem illicò, re infecta, & frustratis viribus, referre coacti sunt. Quanta Lodouicus in suos pietate præpolluerit, nemo quidem satis admiretur. Paulò pòst, aliud Casimiro bellũ exoritur, quippe quod à Ioanne Boemiæ Rege, de quo paulò suprà diximus, haud paruum suscitatum est. Ioannes enim Princeps nimirum præpotens, propagandi regni cupiditate ductus, in Poloniam iterum erupit, vicos & oppida multa populatur, nonnullas in deditionem ciuitates accipit, Graccouiam demum, Polonorum metropolim, obsidet, oppugnatq;. A Lodouico socer, affinitatis iure, debita auxilia exposcit, habito repente delectu, numerosus exercitus ab eo mittitur, in quo egregios equitum Præfectos, Niconem Zeech, & Petrum Poharnok memorant. Is vbi Graccouiam peruenit, & vrbem obsidione, & Poloniam Boemico hoste liberauit. Quare Lodouici copiæ, re feliciter gesta, ouantes in Vngariam rediere. Quod quidem præclarum facinus, ita Polonorum animos perpetuo beneficio erga Vngaros obstrinxit, vt in hodiernum vsque diem, immortales gratias se his debere fateantur ingenuè. Tartaricum post hæc bellum exarsit, quod nõ minus graue, quàm formidolosum videbatur. Lodouicus, ne maiorum fortuna laborare videretur, néve per contemptum, vt illi quondam fecere, res Vngaricas

1344.

in discrimen adduceret, legiones omnes,latè diffusas & hibernantes, illicò acciri iussit, coactum perbreui exercitum in Transsyluaniam misit, quando eius prouinciæ Tartari fines inuaserant,Siculosq; (vt aiunt) Valachis finitimos grauissimè infestabant. Andreas Ladislai filius, vir bello strenuus, qui prouinciam cum imperio tenebat,quem Vaiuodam dicunt, Lodouici Regis edicto, omnibus copiis repentè præficitur. Is vbi magister equitum à Lodouico declaratus est,in Tartaros continuò profectus, ad regni fines immanem hostem offendit: collocatis è conspectu castris, postero die collatis signis, pugna conseritur. Andreas in dextro,in sinistro cornu Stephanus,fortissimè dimicant, ab initio Tartari sagittis Vngaros obruere contendunt, eo vehementius obstant illi, quibus vt veterem conflictum vlciscerentur, aut vincere aut mori certum erat. Hi ex instituto gentis,quum illatum impetum sustinere non possent,pedetentim terga vertunt, rati paulò minus fugiendo, quàm instando,se telis hostem cõfossuros,quod vbi factum est,tanta vi à tergo instare Vngari occœpere,vt fœdã mox gentem palantem insequerentur,maxima eorum pars in fuga cæditur. Intercipitur Atlamus,Tartarorum Dux, qui postquam receptui canere cœptum est,in castra relatus, confestim obtruncatur, hostium castra direpta, & signa cum innumera multitudine capta, quæ concatenata omnis, Vissegradum ad Regem ducta. Celebrata victoria,Lodouici auspiciis parta, & gratiæ triduo diis vindicibus actæ. Siculi deinde, Tartarorum reliquias in Transalpinis sæpius inuasere,quæ ne ad interitum redigerẽtur,dimissa hac Valachorum parte,ad immensam suorum multitudinem,quæ in maritimã Ponti oram effundebatur, se continuò recepere. Ita vnum post aliud Lodouico semper bellum redintegrabatur,vt ad arma tantùm, perpetuosq; labores natus esse videretur. Pleriq; enim Reguli,cum ingenti nobilium manu,in Croacia & Dalmatia rebellarunt,nonnulli Venetorum factionibus id factum esse rebantur. Horum Principes, Gregorium Luriaci filium,& Nelepcium,Croacos esse,rumor erat, quorum perfidiam & audaciam,vi coercendam cuncti Proceres,habito sæpe senatu,censuere. Id ipsum Rex quoq; asseuerabat,quandoquidem neq; literis,neque legatis, ad præstandum fidelitatis officium, rebelles illos reuocare quiuerat: quare his bellũ, veluti hostibus publicis,indici placuit. Succurrebat illud, quòd quum hi multa oppida & castella in Croacia longè lateq; occupassent, quãto res cunctatiùs agebatur,tanto maior periculorum fiebat accessio. Ad hoc bellum,Stephanum Bossonensium Principem, societatis iure, præcepit acciri, cuius Elisabetham deinde filiam, legitimo sibi matrimonio coniugauit. Bessi veteres, vt à principio diximus,fuere populi, quos Græci Bessos sæpe appellarunt, hi à Bulgaris ex inferiore Mysia eiecti,in superiorem submigrarunt,& proximam Sauo regionem incoluere , quam intercepta litera, Bosnam à Bessis vocauere. Huic igitur regioni Stephanus Rex Mysorum latè dominabatur,qui quidem ea tempestate,in Illyricum & Macedoniam vsque,regnum propagarat,ad hoc bellum euocatus, vltrò cõuenit, auxiliares copias numero ac robore præstantes duxit, cum Lodouico ad Sauum amnem sacra castra coniunxit. Croaciam ingressi, ad oppidum peruenere, quod Bechegium appellant, ibique ad caput riuuli castra metati sunt, quẽ Calacuthpheum vocant, vbi quum aliquandiu statiua habuissent,ita rebellium animos igni ac ferro consternarunt, vt omnes ad veniam implorandam venire cogerentur. In primis duo Reguli, defectionis auctores, aduenere,Gregorius,& Iuan Nelepeczi filius,cui paucis antè dieb. pater obierat; eos haud paucus nobilium numerus sequutus est,impetrata venia,& accepta pace,omnes in Lodouici manus iurarunt, se legitima tributa quotãnis pensuros,facturos imperata,& fidem Vngarici regni perpetuò seruaturos. Hæc vbi gesta sunt, pacata Croacia, Dalmatiaque,hi à Rege dimissi, & soluta castra. Non multo pòst Lodouico nunciatur,Gregoriũ in Croacia iterum noua moliri,defecisse à data fide, & præstitum cõtempsisse iusiurandum. Indoluit Reguli perfidiam Lodouicus, & quantum pro tẽpore fieri potuit, exercitũ instaurauit, & Magistrum equitum,cum duabus legionibus, in Croaciam properare iussit.

Quò vbi ventum est,breui prælio Gregorij proteritur audacia,oppida, quæ defecere,continuò recipiuntur, confirmantur nutantia, Venetorum factione vexata. Et pacata prouincia, Gregorioque perpetuum obsequium promittente, quod etiam sacramento asseuerauit,Magister equitum in Pannoniam rediit,& haud parum,ob rem bene gestam,à Rege laudatus & donatus est. Compositis in Croacia rebus,ne quid ocij à fortuna Lodouico largiatur,aliud in Dalmatia cum Venetis bellum exoritur, quod Iadræ gratia sumptum est, cuius vt notitia clarior habeatur,res est altiusculè repetenda. Iadrenses, vt Veneti quoq; testantur Annales,quum sub Vngari tutela viuere consueuissent, & à Venetis sæ-
10 pius intercepti,eorum iugum diu tolerassent, Pannonicæ libertatis, saluberrimæq; societatis memores, imperante Lodouico, discutere cogitarant, rati se assertorem in ea re optimum,fortissimumque propugnatorẽ habituros. Quare septimò à Venetis defecere,eiecere Venetos magistratus, & rebellionem hanc obstinatissimis omnes animis commisere. Misere legatos ad Lodouicum extemplo,quibus mandarant, & Regi sanè pollicentur, si in Dalmatiam cum exercitu venerit, non modò antiquum obsequium præstituros, verùm etiam vrbem,portum & agrum,fortunas deniq; omnes vltrò dedituros.Studiosissimam Iadrensium fidem,Lodouicus haudquaquam aspernandam ratus, vniuersas vires in eorum tutela statuit experiri,ingentem comparat exercitum, quãdo cum
20 validissimo sibi hoste rem fore intelligebat. Interea Veneti, audita Iadræ defectione,admodum perturbati,maximum delectum habent, classem comparant penè tumultuariam, quia celeritate ad hanc rem ingenti opus esse iam diu nouerant. Proinde triremes quinque subitò instructas, Petro Canali Præfecto,in Dalmatiam mittunt. hic cum parua classe Iadram nauigauit, Marcum Cornarium,cum liberis & vxore,itẽ cæteros Venetos,qui in ea nouitate fuere, in classem accepit.Mox ad Pagum insulam rediit, ciuitatem ingressus, oppidanos in fide retinuit,Magistratum à Iadrensibus missum, cum cæteris Iadrensibus, qui eo tempore ibi reperti sunt, haud inuitis Paganis in vincula coniecit, misit eos extemplo Venetias.Imposuit Pago præsidium, & circa proximas insulas, naui-
30 gia Iadrensium multa corripuit,omnia circùm infesta reddidit. Postquam Marcum Iustinianum cum terrestri ad Iadram exercitu peruenisse,& ad proximum vrbi fontem consedisse nouit, ipse quoque classem Iadræ appulit. Ad fontem Iustinianus militari opere castellum erexit, veritus ne Lodouici Regis aduentu,quem propediem adfuturum intelligebat, è continente,soluta obsidione,amoueretur.Præfectus Dalmatiæ,à mari,terra Iustinianus,die noctuque Iadram oppugnare adoriuntur,vt antequam Lodouicus adueniat, fortunam experiantur. videbant enim secundùm eius aduentum, non sine multo sanguine, obstinatam vrbem expugnari posse. Quare mari ac terra muros pertinaciùs oppugnant,mœnib. vineas,arietes,testudinesq;,ac cætera tale genus admouent,clas-
40 siarij contrà,admotis proximè nauibus, à malorũ altitudine pontes substruunt, quibus vrbem irrumpant:tanta vtrinque vi certamen initum,vt fœda cædes oriretur. Veneti à mœnibus assiduò reiecti,abstulere Damianum oppidum,quod vbi factum est,nunc classis instare,nunc abire,mox profectò maiore,quàm dudum impetu redire, infestare portum, & cum protensa catena ferrea, quæ portum & naualia tuebatur,indies colluctari. Superuenere Legati à Senatu missi, quos Prouisores appellant, quorum Andreas Maurocenus alter, alter Simon Dandalus fuisse dicitur. hi eo magis vrbis oppugnationem adurgent, curantq; quo celeriùs Lodouicum in horam,cum incredibili exercitu,adfuturum affirmant.Redintegratur prælium,& à continẽte,ac mari,vrbs miserrimè oppugna-
50 tur,par vtrisq; pertinacia inerat, hos defectio septima, extremum illos exitium imminens irritabat. Multi qui à mœnibus in vrbẽ desilierant, continuò discerpti,alij horum periculo remorati,ne temere caderent, retrò cessere,irriti tãdem hactenus Venetorũ conatus extitere.Deinde Lodouicus cum centum ac viginti hominum milibus aduenit,vt Dalmatiam,quæ Vngarici iuris esse consueuerat,à Venetorum seruitute vindicaret,alii viginti milia tantùm adduxisse perhi-

bent. Postridie, quàm aduenerat, castellum à Venetis ante vrbem erectum, validissimo Italorum Germanorumque præsidio, ac omni machinarum genere munitissimum, tanto impetu adoritur, vt intra vallum multi prosilientes occubuerint, vi tamen tormentorum reiectus Vngarus, & post magnam cædem, Lodouicus, dato receptui signo, prælium diremit. Castellum illud, Vngari Scecach appellant. In sequẽti die munitionem repetit, ne minore quidem vi, pro sociorum liberatione, quàm pro se, dimicare iubet. Classiarij terrestribus copiis timentes, prospecta acerrima suorum oppugnatione, in littus prosiliere, vt laborantibus subsidium afferrent. Rex bipartita acie, & classiarios in classem reiicit, & castellum oppugnat. Ad hæc Iadrenses, partim in classiarios, partim in munitionem cõtinuò erupere, in hostes, vt res ipsa postulabat, fæuiunt, cadunt vtrinque multi. Vngari fortissimo ciuium prælio, eo vehementiùs prouocantur ad pugnam. Pro vallo munitionis, erumpentibus Venetis, ita vltrò citroque obstinatis pectoribus dimicatur, vt maxima in medio strages ederetur, prælium ad serum vsque prolatum. Interim castelli præsidium, acerrima oppugnatione admodum imminutum, Iustinianus, accepto à classe supplemento, instaurat, munit pro virili sua, & quum hactenus non cesserit, maiores in posterum animos concipit. Quamuis a mœnibus multi deturbati fuerint, ne classem exhauriat, è proximis insulis supplemẽta capit, quin & nouæ quotidie à patribus copię mittebantur, vt laboranti exercitui subuenirẽt. Item illud semper ante oculos versabatur, si amissam Iadram non receperint, cætera quæ in ora maritima supersunt sibi oppida, continuò defectura, contra Lodouicus, si nunc Venetis cesserit, vniuersos simul Dalmatas, desperata liberatione, in perpetuam seruitutem recasuros. Quare iterum atque iterum extremas vires tentare decernit, in sequenti die, è castris aciem educit, & repetitum castellum obsidet, deinde quauis arte oppugnationem adoritur, neminem cedere, sed ad mortem vsque, donec munitione hostili potiatur, dimicare iubet, & ita assidua subsidia substruit, vt etiam si ad noctem vsque pugnaretur, ne ordo quidem longissimus subsidentium deficeri posset, mox signũ pugnæ dari iubet, vallum sine mora protinus attingunt. Contra hostes, telis, saxis, & quauis belli machina deturbare contendunt, conflatam sæpe picem, item sulphur & ignem, ac cætera tale genus in subeuntes demittunt, multi glutinoso aspersi incẽdio, cum igni, dimisso hoste, colluctantur. Plerique vallum aggeremq; conscendunt, & per infestos gladios penetrare conantur, successu destituti, intra septa trucidantur, instaurantur edicto Regis sæpe acies, & oppugnatio pertinacissima redintegratur. Qui castellũ tuebantur, inuiti & necessitudine adacti, quando circumuenti egredi nõ poterant, fortissimè pugnare cogebantur, quandoq; telorum imbribus, quæ foris obtorquebantur, obrui videbantur, ad noctem vsque sine intermissione dimicatum. Lodouicus suorum cædem miseratus, quamuis propter noctem dirimere prælium cogebatur, tamen haud inuitus legiones ab oppugnatione reuocauit. Vires & conatus suos eludi quàm ægerrimè ferebat, sed equitum salutis rationem etiam habere cogebatur, obsidione longa castellum defatigare cogitabat, sed illud aduersabatur, quòd maximus exercitus, in Iadrensi agro, ob inopiã commeatuum, diutius versari non poterat, & paruo hostis illinc eiici nequibat. Necessitati demum cedendum esse statuit, proinde vrbem pręsidio commeatibusque muniuit, ipse alia oppugnatione in cassum tentata, Iadrensi agro, multis amissis, excessit, ratus alia hinc hostem arte se auocaturum. Venetorum Annales, fusum & fugatum inde Regem produnt, quod ab historiæ veritate longè alienum est, cùm deprauato potius studio, quam diligenti disquisitione id retulerint. Innumeram ac validissimam multitudinem, & vitæ prodigam, à paucis imbecillioribus fuisse fusam, quis facilè crediderit? Secundùm Lodouici conflictum & fugam, hi adiiciunt, è tabescẽtium fœtore cadauerum suscitatam pestilentiam, milites in Venetis castris incessisse, instaurasse obsidionem, & in ea nihil laboris & vigiliæ prætermisisse, refregisse catenam portui prætensam, & Iadrenses, desperatis auxiliis, propriisque viribus iam effœtis, mittendi legatos potesta-

potestatem Venetias, à Iustiniano petiisse, qui implorata venia, vrbem patribus dederent, idq; non grauatè ab eo impetrasse. Eos tandem, impetrata venia, ciuitatem Iustiniano tradidisse, qui vbi eam in Venetorũ ditionem recepit, Iadrenses septimæ defectionis principes, procul à patria relegasse, cæteris animaduersionem remisisse, & vrbi ac Dalmatiæ aliquandiu præfuisse dicitur. Annales Vngarici, qui nihil a simplici veritate dissentiunt, aliter atque illi, hæc gesta referunt, haudquaquam diffitentur, Lodouicum non sine magna suorum hostiumque cæde, re infecta, in Pannoniam rediisse, Bartholomæum Laurentij filium, Tothorũ genere natum, & Harsandorpharum, Teuthones, Pręfectos equitum
10 præ cæteris in eo bello occubuisse. Cõtinuasse Venetos obsidionẽ, & quorundam factione ciuium, vrbem per deditionem accepisse, addunt, in quamplurimos ciues ac nobiles inhumaniter sæuitum, plerosque defectionis huius auctores variis cruciatibus fuisse mulctatos, multos relegatos in perpetuum, & ingentem virorum mulierumq; manum, in captiuitatẽ abductam, in omnem sexum & ætatem crudeliter actum, partem inedia absumptam, cæteros carcere perpetuo fuisse maceratos. Vtri propius accesserint veritati, nulli magis, quàm Iadrenses norint. Quàm laboriosa fuerit Lodouici Regis vita, hinc intelligi potest, quum post initum regnum, nullum in ocio annum degisse videatur. Post Dalmaticum, Neapolitanum bellum ingruit, cuius Andreæ Regis interitus, au
20 ctor extitit. Andreas enim Rex Apulus, tertio post initum regnum anno, cognatorum factione, qui regiam potestatem anhelabant, & cõsentiente vxore Ioanna, Auersæ serico laqueo facinorosissimè necatur. Coniurationis huiusce principem, Cõradum Cathansium, & Chensam Militem, tradunt fuisse carnificem. Comes autem Nouellus, Andreæ necessarius, regiæ mortis indignitatem ægerrimè ferens, ne per impunitatem nefarij parricidæ elaberentur, tumultuaria manu eos cepit. Comperto facinore, ne minus quidem, ac illi, in eos immaniter animaduertendum esse censuit, vt vno eodemque tempore sui principis indignum fatum vlcisceretur, & hoc seueritatis exemplo, cæterorum audaciam à diris sceleribus absterreret. Per omnes nanque comitatus sui vicos parricidas
30 circumferri, candẽtibus frustillatim forcipibus discerpi, demum quadripartitò discindi iussit. Infandam Andreæ mortem, rumor velox longè celeriùs, quàm in Pannoniam nuncij detulere, rumori parum fidei datum. Ad nũciorum vocem, omnium animi præ dolore consternati, in primisque Lodouicus, multo plus opinione pius, & pientissima parens, nullum in tanto mœrore modum inueniebant, non sine Ioannæ conscientia patratum facinus existimabant, & id multo magis Regina asseuerabat, quæ intellecta nurus improbitate ac audacia, ex eo tempore, filio semper timuisse fatebatur. vniuersa hinc vltrò sibi Pannonia, planctum & diuturnum luctum indixerat. Paucis pòst diebus, Ioannæ literæ ad Lodouicum delatæ, quibus se omni suspicione purgare nititur, se sceleris in-
40 digni insciam fatetur, dolorem simulat, eiusq; magnitudinem ostendit. Hæc alteri consobrino nupserat, Tarentino Principi, Philippi filio, quem Roberti Regis fratrem fuisse docuimus. hic Lodouicus dictus est, qui regnandi cupiditate tractus, vnà cum Ioanna, quam vxorem duxit, in Andreæ cędem pariter coniurauit. Huic talia Lodouicum respondisse ferunt: Impetrata fides præterita, ambitiosa continuatio potestatis regiæ, neglecta vindicta, & excusatio subsequuta, te viri tui necis arguunt consciam, & fuisse participem, neminem tamen humani diuinive iudicij pœnas, nefando sceleri debitas, euasurum. Itali regia morte indignati, & quæ vnde minimè debuit, profecta est, Ioannam omnes in inuidiam adduxere. Mirabantur enim è Roberto Rege, omni sapiẽtia, & optima-
50 rum artium doctrina præstante, vnico illius temporis ornamẽto, tam facinorosam neptem promanare potuisse. Vlciscendã innocẽtissimi ac probi Regis mortem, omnes exclamare, iubere bellum indici, prędicare vulgò, totius esse Italię, tantum nefas vlcisci. Lodouicum ad vindictam è Pannonia euocandũ, multi ad eum Principes ac Reguli ex Italia scripsere, orantes vt cum vniuerso in Apuliam traiiceret exercitu, regnum sibi debitum vindicaret, non pateretur à nefariis

paricidis indignè possideri, ipsi in Italia, neque auxilia, neque commeatus, neq; opem, neque supplemēta vnquam defutura. Lodouicus quoque, quamuis multorum literis sollicitatus esset, sua tamen sponte vlciscendi fratris gratia, ad sumendum hoc bellum sat animatus erat. Ne quid autem è prudentia sua remitteret, prætentandos Apulorum animos censuit, misit Nicolaum, Laurentij Tothi filium, qui postea Conthus cognominatus est, vt Procerum & Optimatum studia sentiret, inspiceret hominum sententias, & vt intelligeret, quid dicto ac facto opus esset. Tempus, res, personas ritè consuleret, subduceret in Lodouici partes, quoscunque liceret, & Principum in se studia pro virili conuerteret, conspirationem potentum conflaret ingentem, ac nihil ex industria ac diligentia prætermitteret. Venit hic Aquileiam, haud parum ea tempestate pollentem, ibi Lallum offendit, Andreę Regis familiarem olim studiosissimum, & Pręfectum Nouæ vrbis, quem Prætorem vrbanum iure dicimus. Nactus virum integrum ac fidum, prospecta eius voluntate, sensim se aperit, patefacit mandata, & quid venerit, ritè enarrat omnia. Quum Aquileia, Marsis, Præcutiniis, Samnitibus, item Apulis, & Campanis immineat, potētatu haudquaquam mediocri polleat, hortatur, & exorat, vt vrbem faustis pręditam auspiciis, in Lodouici Regis Pannoniæ fidem redigat, suadet id quoque multis aliis, qui Aquileianorum exemplo, ac infelicis Andreæ cōmiseratione ducti, vnà cum his, quos diximus, conspirarunt: mox quæcunque gesta sunt, ritè cuncta Lodouico significat. Rex interea indies, dum clàm hæc in Italia agebantur, exercitum cogebat, euocabat vndique auxiliares copias, & nihil ex his, quæ bello sunt vsui, remiserat. Quum legiones duodeuiginti cum validissimo comparasset equitatu, per Istrios & Foroiulianos, circumacto Adriatico sinu, in Italiam contendit. Ingressus Italiam, honorificentissimè vicatim oppidatimque accipitur, officio nobiles Proceresque certabant. Quum in Venetiam penetrasset, grato à cunctis hospitio susceptus est: tyranni ferè omnes Cisalpinæ Galliæ, ad honestandum Principem occurrêre, plerique per Legatos persoluere officium, Luchinus Vicecomes, Mastinus Scaliger, Philippus Gonzaga, Albertinus Carraria, Opizo Hestēsis, Guido Poletensis Rauennas, qui quidem tyranni, paulò antè à Pontifice qui Auinione adhuc agebat, vicariorum nomine, in vsurpatis dominatibus confirmati fuerant, omnia hospitalitatis officia præstitere. At vbi in Flamminiam ventum est, Galeotus Malatesta, fratresque, in occursum cum magnifico equitatu occurrêre: horum quoque socius, Franciscus Foroliuiensis fuisse dicitur, & Ioannes Manfredus Fauētinus. In Piceno agro, Antonius Feretranus Vrbinas, Alegretus Clauellus Fabrianensis, Bulgarutius Matelicēsis, Ismeducius Seuerinas, Gentilis Varanus, Michael Milonianus, Pangonus Cingulanus, Picentum tyranni, quacunque potuerunt gratitudine, item commeatibus ac donis Regem adiuuerunt. Multi ex his, Neapolim vsque, cū honorifico comitatu eum sequuti, quorum Principes, Frācíscum Ordelaffum, Philippum Gonzagam, cum multis Picentibus, Præcutinisque nobilibus fuisse perhibent. Quum ad Truentum amnem peruenisset, ab Asculanis, honorificè ac summis omniū studiis exceptus est. Regni fines ingressus, Interamnam, Adriam, Theatum, Pinuēses, obsequentissimos inuenit, qui omni studio imperata fecere. Primò Sulmonenses offendit infestos, qui Ioannæ partes palàm sectabantur, impositoque ab ea præsidio, Vngaris obstare sunt ausi, acerrima vrbem Rex obsidione circumuenit, & futuram hinc victoriam auspicatur. Petrarcha noster obsessis amicis, à Tribuno plebis auxilia promisit, & in epistola ad Barbatum Sulmonensem, cuius auxilio tribuniciam opem pollicebatur, à Lodouico captos fuisse fatetur. Verùm noui Tribuni dignum memoria facinus altiusculè repetendum. Romani, Clemente Pontifice Sexto ab institutis è nobilitate Senatoribus, Romani Pontificis auspiciis regebantur. Stephanus Columna, quinquennio senatoria potestate functus, item Raynaldus Vrsinus, & Iordanis, Petrusque Columna. Post hæc, Nicolaus Laurentij filius, ciuis Romanus, & scriba publicus, quadam animi celsitudine ductus, fretus populari aura, facta seditione, Capitolium inuasit, eiicit Senato-

Senatores, in priscam libertatem Romam vindicat, ob præclarum facinus, Populum Romanum vsque adeo suo nutui obtemperantem nactus est, vt pro arbitrio duceret, & imperaret. In titulo hac modestia vsum affirmãt, Nicolaus seuerus, & clemens, libertatis, pacis, iustitiæque Tribunus, ac sacræ Romanæ reipublicæ liberator illustris. hunc virum Romani, adeoque cæteri Italiæ populi admirati sunt, vt pauci fuerint, qui hunc maxima quæque gesturum non ariolarentur, immo priscam vrbi Romæ maiestatē redditurum esse cõfidebant. Huic cæteri Italiæ Principes & tyranni, veluti antiquam Populi Romani potestatem & imperium requirentes, certatim legatos misere, quibus ad fausta cœpta hor-
10 tabantur, pollicebantur auxilia, ac fortunas & vires vniuersas, pro restitutione Romanæ reipublicæ, vltrò offerebant: quin etiam ad hanc famam, omnes externæ Populi Romani prouinciæ, præ nimia lætitia, exultasse dicuntur. Mense demum septimo, hic Romanæ libertatis vindex, nulla vi Pontificis Romanorúmve compulsus, ab Vrbe, clàm mutata veste, ad Carolum Luceburgensem, Imperatorem declaratum, in Boemiam proficiscitur, vt cum illo fœdera percuteret. At ille pusilli, vt exitus ostēdit, animi, Tribunum Pontifici vinctum dono misit. Capta Sulmone, Lodouicus, superatis Apenninis montibus, vniuerso facilè regno potitur. Ioanna, hostis aduentu perterrita, vnà cum Lodouico Tarentino, viro suo, imposito præsidio, Neapolim deseruit, & cum tribus (vt aiunt)
20 triremibus, Auinionem in Narbonensem Galliam nauigauit. Præfecerat regno propugnãdo Dyrrhachinum Ducem, Comitis Grauiēsis filium, quem Roberti Regis fratrem fuisse affirmant. hic vbi Vngarum, Neapolim rectà contendere intellexit, cum pleris que cohortibus, & vniuerso equitatu eò properauit, ne occupata metropoli a regia, cæteris cõtinuò potiretur hostis. Quum eò Rex peruenisset, rebellem non sponte vrbem offendit, vrbis aditu à Duce prohibetur, ac eum plus æquo pertinacem infestúmque cognouit: quare hunc repugnare ausum, facto impetu, vrbem ingressus, extemplo cum vniuerso præsidio cepit, captumque capitali supplicio mox affecit, reliquis ignouit. Cum magno plausu, ab Optimatibus, populoque Neapolitano susceptus est: quinetiam refragante
30 nemine, ab omnibus Rex Siciliæ ac Hierosolymæ salutatus. Mox de paricidis quæstionem haberi iussit, multi deferuntur, quorum memoria digni hi potissimùm nominantur, in primis Dux Dyrrhachij, ac duo eius fratres, Lodouicus & Robertus, item Lodouicus Princeps Tarentinus, & Philippus nepos eius. Dux Dyrrhachij, Auersæ in arce, vbi Andreas laqueo interceptus erat, Regis edicto, veluti paricidij auctor, à publico lictore trucidatus est. Reliqui verò Reguli, qui ex comitatu Caroli pueri fuere, quem Andreæ Regis filium fuisse memorant, quum facinus nequaquam inhibuissent, neque in reos criminis læsę Maiestatis, vt æquum & fas erat, & quærere, & cõuictos extremo mulctare supplicio perrexissent, veluti diræ factionis conscii, cum prætorianis cohortibus,
40 custodiæ loco, in Vngariam relegati. Asseruati adhibitis custodibus, in Vissegradensi arce, tractati lautè honorificeque, haud aliteratque regiæ consanguinitatis necessitudo postulabat. quare non mediocris, in animaduersione hac, Lodouici Regis elementia commendatur, quippe quæ paucorum sanguine placata, cæteros huiusce paricidij insimulatos perhumanè pieque tractauit. Pestis interim dira, per vniuersum orbem, & in primis per Italiam latè bacchatur, nec erat vsquam visa remissio, varietas& morbi tam sæuè vbique gentiū grassabatur, vt nouissima hac humanum genus lue, diuina ira deletura videretur. Quamobrem Lodouicus, vt communi saluti consuleret, relicto fidelissimo Vngarorum in Apulia equitatu, & præsidiis vbique, veluti opus erat, ritè dispositis, ad postre-
50 mum pacato regno, vt diræ pestilētiæ cederet, cum cæteris in Vngariam copiis, tertio pòst mense, quàm aduenerat, se recepit. Annales Stephanum Vaiuodam Transsyluanum, Ladislai filium, experientia rei militaris, & animi fortitudine præpollentem, exercitui præfecisse, summam tradidisse potestatem, & Volfardum Teuthonem, cum valido præsidio, Neapolitanæ vrbi imposuisse ferunt. Eodem penè tempore, Luchino Vicecomite vita defuncto, Ioannes frater eius,

Metropolita vrbis, vir summa prudentia,& probitate singulari,dominatum accepit.Item Genuenses ac Veneti, grauissimum inter se nauale bellum gesserũt, mutuisque cladibus sese affecerunt. Paulò antè Genuenses, sedente Gregorio Nono, felici vsque adeo Marte cum Venetis dimicarunt, vt eorum iniussu nemo per vniuersa maria nauigare auderet:variante deinde fortuna,nunc Veneti,nunc Genuenses superiores euaserunt. Tribunum plebis,de quo paulò suprà diximus,apud Clemẽtem Auinione, asserẽdæ libertatis affectum ingenuè profitentem,cùm ex his, qui Pontifici gratificari cupiebant, multi carcere perpetuo,nõnulli extremo supplicio afficiendum esse censerent, mitiori iudicio, ob poeticæ artis opinionem,adiudicatum carceri Petrarcha fuisse refert. Sed ad 10 rem ipsam reuocetur oratio. Postquam Lodouicus Rex in Vngariam redierat, Neapoli Ioannæ factionibus continuò suscitata seditio. Neapolitani quidam Optimates,& Campani, simul coniurarunt, vt Præfectum Neapolitanæ arcis, quem Volfardũ dictum esse retulimus,eiicerent,& recepta arce, Ioannam cum adultero restituerent. A principio, coniuratis haud parum aspirauit ipsa fortuna,eiicitur Volfardus, & mox in Stephanum, regni Præfectum, itum est.Inter Auersam & Neapolim, conuenere omnes Neapolitani cum Campanis, Vngarum ferè occlusum inter vtranque vrbem, haud difficulter superari posse confidebant. Vngaro ad proterendam coniuratorum audaciam animus non deerat, educit aciem in vtrosque, cruentum prælium initur. Optimates, ne cederent, 20 obstinatissimè instant,cadunt in primo congressu vtrinque multi,& pari hactenus fortuna pugnatur. Vngari, tantæ audaciæ ac infidelitatis indignitate succensi,aut vincere, aut mori decernunt, cum animis pugnam instaurant, adaugentque,quare complures ex Italis Proceribus oppetiere, cæteri sensim inclinari occœpere.Instantibus mox Vngaris aliquanto vehementius, palantes dedere terga,capiuntur ex Optimatibus, nobilibus, regnique Proceribus multi. In Neapolitanos rebellionis auctores plus sæuitum,populata illorum castra, ac ingens ibi comperta præda, ex horum spoliis exercitus admodũ ditatus, quandoquidem coniuratos, multi Reguli, & eminentioris fortunæ viri sectati sunt, ingẽs etiam captiuorum numerus,qui graui pecunia mulctati sunt. Hoc victo- 30 riæ successu,multi,qui adhuc nutabãt, populi ac Proceres,vltrò in Vngarorum partes concessere, publicè Ioannæ imperium & facinus execrantes. Re bene gesta,regnum extemplo pacatum est. Insuper Stephanum, paucis antè diebus, Vernerium Ducem,cum equitibus quingẽtis, ad Coritum cepisse memorant. hic enim Lodouici Tarentini copiis præerat, & ad sollicitandos in Ioannæ Reginæ auxilium populos aduenerat. quare aduersariorum animi admodum his rebus,præter sententiam accidentibus,consternantur. Parem quoque in cæteris, quæ gessit paulò pòst, præliis successum inuenit Stephani Vaiuodæ fides, quippe qui redintegrato à Lodouici Tarentini partibus bello, ne minora quidem pericula subire cogitur. Maximus enim eius exercitus Neapolim conces- 40 sit,vt Stephanum regali arce eiicerẽt, vrbẽ reciperent,qua recepta, de hostibus planè actum existimabãt,quare pro mœnibus, de vrbe ac regno dimicare opus erat. Lodouici & Ioannæ exercitus numero multò superior, hic robore ac fide validior, ad præstitutum vtrinque diem acies educi,iniri pugna, non tumultuaria, sed stataria. Collatis pari impetu signis congrediuntur, aliquandiu æquis vtrinq; viribus dimicarunt,cecidere complures ex his,qui fortuna nequaquam humili videbantur:inita cæde,vtrique pariter ad bellum irritabantur,acre odium,vt obstinatiùs pugnarent,efficiebat. Ægerrimè ferebant Itali,parêre alienigenis,ac vel maximè Vngaris,quorum asperitatem abominabantur. Contrà illi pertinaciùs Andreę fatum vlcisci,retinere obstinatè regnũ sibi debitum,ac de- 50 mum malle mori,quàm infensæ genti cedere. Quum vltrò citroque diu certatum esset, ac multi cecidissent, cessere tandem Itali, & palantes in fugam conuersi,instantibus à tergo Vngaris,partim cæsi,partim capti sunt,pars non mediocris,anticipata fuga,salutem inuenit, ex Magnatibus ac Regulis pleriq; capti, quibus magnæ pecuniæ indicta mulcta. Parta victoria, Stephanus in vrbes &

oppi-

oppida, quæ Lodouico Tarentino fauebant, & in eo bello cōmeatus & auxilia miserant, castra mouit, multas per deditionem accepit, nonnullas vi ad obsequium redegit, in cæteros factionis huiusce homines seueriſsimè animaduertit: tali exemplo alij perfidia absterriti, cæteri omnes passim Vngaro paruere. Rependêre Barbaro vicem Itali, quippe qui, ex Vngaris quemcunque ceperant, si quam eorum Annalibus fidem adhibemus, aut cute exuendos, aut quauis grauissima afficiendos pœna censuere. Proinde vindicandum vtriq; regnum, non tam æquo Marte, quàm diro supplicio & fetitate iudicarũt. Stephani gesta, priuilegia à Lodouico Rege data testantur, & in ea castellorum donatione præsertim, quæ inter Drauum & Muram (vt aiunt) sita sunt, quorum alterum Izthrigum, Chiakthornia alterum appellarũt; multis nanq; oppidis & pagis, hunc ob rem in Italia bene gestam, à Rege donatum tradidere. Regina Ioanna, Lodouicusq; Tarentinus, quem virum an adulterum appellemus, haud multum interesse veritas ipsa censet, quum obfirmatis à Pannonibus animis, Apuliæ regnum retineri accepiſſent, ne per ignauiam tantum imperium deseruisse viderentur, è Narbonensi prouincia, & Auinione, quò à principio cōfugisse retulimus, profecti, in Italiam non sine magnis copiis rediere, sollicitauerât pro virili sua pontificem, & in partes suas transferre perrexerât. Quum hos Calabriæ Stephanus appropinquare cognouiſſet, quod è fluctuantibus populorum studiis haud difficulter intelligere poterat, ad Lodouicum in Vngariam repentè nuncios mittit, quibus Ioannæ reditum, ac regni discrimē planè significat, monetq; Regem sine Rege regno facilè eiici non posse. Lodouicus imminenti repentè periculo suscitatus, nondum comparato exercitu, quem se subsequi iusserat, cum magna Procerum multitudine in Italiam reuertitur. E Magnatum Antistitumq; ordinibus, hos in primis numerant, Nicolaum Gileti filium, Palatinum tunc agentem, Ioannem & Dominicum, eius filios, & Ioānem fratrem, Gileti quoq; gnatum, item Nicolaum, qui Laurentij Thoti filius erat, quem Lucas & Bartholomæus fratres ritè sequebantur, præterea Stephanum & Gregorium, Bebeci filios, Nicolaum Seech, Coniam, Thomæ Vaiuodæ filium, & Andream, alterum cum fratribus Vaiuodam (vt aiunt) insuper Nicolaum, Paulum, & Michaelem, Ladislai filios. Par quoq; officium Antistites præstitere, Nicolaus Zagrabiensis Episcopus, qui Auersæ sacris pōtificiis initiatus erat, Stephanus basilicę Budensis Antistes, & Ioannes frater eius, magno robore præstans, Laurentij Canisij filius. Qui quidem omnes Regem sequuti, se, traiecto Adriatico sinu, in Apuliam appulere. Siponti Rex portum occupauit, & ciuitatem vltrò se dedentē ingressus, curatis corporibus, postero die, Theanum Barletumque oppidum vi recepit. Obsedit subinde Barium, quod paucorum dierum obsidione captum est, in arce resedit, stipendia Teuthonicis cohortibus exsoluit, quorũ Præfectus Conradus erat, Volfardi frater. Aduenere deinde cæteræ ex Vngaria copiæ, quarũ aduentu, regia indies castra complebantur. Quum Barij, Teuthones, Vngarique milites agerent, non multo pòst grauis inter eos orta seditio: in causa Teuthones fuere, qui præ ingenitis odiis in regem, præter æquum & fas, facinorosiſsimè coniurarunt. Ad præstitutum diem, ex composito arma capiunt, vt cæso Rege, fusisque Pannonibus, vrbem populentur, & cuncta eorum spolia diripiant: facto tumultu, omnes arma capiunt. Vngari, fora, plateas, & compita capiunt, intentis passim catenis vicos intercipiũt, quare Teuthones occlusi, miserrimè cæsi, cæteri verò capti, & nisi portam quandā occupaſſent, qua fugam rapuerant, ad vnum omnes trucidati fuiſſent. Qui verò hinc effugerant, ne per agros passim cæderentur, hac à Rege conditione veniā implorarunt, vt sub hostium auspiciis nequaquā militarent, sed ex Italia continuò recederent, ac iureiurando datā conditionē comprobarent, nonnullos ex his insontes, ad pristina stipendia Lodouicus recepit. Postquā sat completa milite castra Rex esse intellexit, vltrà progressus, Canusium, ad Cannas planè sitū, castra mouit, quod a fide sua defecisse senserat. Id autem ne minus quidem Lodouico, quàm Populo Romano, infaustum fuisse perhibent, quando dum obseſſum oppidum expugnant,

Rex penè inter primos, peradmotas scalas subiēs, tot lapidibus deturbatus obruitur, vt ad necem vsq; contereretur: cui nisi prætoriana cohors succurrisset, & ex oppidanorū periculo eruisset, eo profectò die, de Lodouico fuisset actum. quare à militibus & præfectis grauiter increpitus, quòd nulla habita sui ratione, temere subiret vitæ discrimen. Motis hinc castris, dum Luceriam iter facit, multa in fidem oppida redegit: quum Luceriam venisset, spoliatam muro ciuitatem, & ob id ipsum nequaquam obsequia detrectantem inuenit, ad tertiū lapidem è cōspectu castellum erat, natura simul & arte munitissimum, quod impositum Tarentini Principis præsidium protegebat. Dum in vrbe dies aliquot Rex moram trahit, Nicolaus & Paulus, è Ladislao geniti, quum locos explorarent, in hostium incidunt equitatum, centum ferè hominum & quinquaginta, puduit vtrosq; alteris cedere, acris ex improuiso pugna committitur; quum ex Primoribus aliqui in primo cōgressu cecidissent, cæteri, defectis animis, Vngaro se vltrò dedidere. Hos Nicolaus, reuinctis post terga manibus, ad Regē trahit, in Diui Francisci collegio Rex eos lautè excipi & tractari iussit, postero die exutos armis, vt mos militaris exposcit, omnes missos fecit. Post hæc, Salernum castra mota, quod paucorū dierum obsidione deditionem fecit, recepta quoq; circùm finitima oppida. Deinde continuatæ victoriæ successus, ad obsidendam Neapolim Regem hortatur. Ad Vesuuium concessit, finitima vrbi oppida recipit, vnde imposita Gallorum præsidia passim deiicit. Contendit mox Auersam, nondum mœnibus obductam, quā quum aduersam inuenisset, acri obsidione circumuenit, vallo, munitissimoq; aggere circumuentam. Huic expugnationi, abdicato Stephano Vaiuoda (vt aiunt) Nicolaum Contum, virtute ac prudentia præpollentem præfecit: quod quidem à multis improbatum, Stephani animum nimis exacerbauit, quippe qui ob rem bene gestam, quum dignitati suæ haud iniuria accessionem magnam indies futuram speraret, præter suam ac cæterorum opinionem, nūc eam, inducto successore, diminui perquam ægrè ferebat, atq; hinc Lodouici successus haud parū interceptus est. Obsessa Auersa, cōparatisq; cunctis ad expugnandum tormentis, quæ vsui esse solent, in sequēti die, hora tertia prælium indictum. Lodouicus, cui mos erat, nō minus Imperatoris, quàm militis, in bello officiū præstare, quamuis superiore periculo sat sibi cautus esse debuerat, inita tamen vrbis oppugnatione, vbi fratrem indigna morte surreptum esse recordabatur, fraterni casus memoria in furorem conuersus, pugnam vsqueadeo formidolosam iniuit, vt dum inter conferta tela se ingerit, pedem retulerit, lethali sagittæ vulnere confossum: adhibita extemplo Medicorum adminicula, quæ sine euidentissima quadam diuina ope, parum proficere videbantur. In tertium obsidio mensem prorogata, quum crebras, dies ac noctes, oppidani præsidiariiq; milites eruptiones facerent, multi vtrinque cecidere, capiendæ vrbis difficultatem, annonæ cæterarumq; rerum caritas, quæ ex insperato vrbem incesserat, amouit. Iacobus Pinniatarius, Præfectus vrbis arcisq; munitissimæ, cū Lodouico clàm agit, ac spondet, se arcem cū ciuitate redditurum, si cum incolumitate militum ac rerum, abeundi potestas concedatur. Rex, vt cum hoste mitius ageretur, quē ad extremam redegerat inediam, vltrò concessit: postero die ingressus cū exerçitu, ciuitate simul & arce potitur, incolumitas hosti promissa præstatur. Hìc Lodouicus inferias Andreæ operatus, funebres ludos edidit, militibus missilia sparsit, magnificentiā præfectis & equitibus bene merētibus eximiā ostendit, multos ex his, in Vngaria prædiis, oppidis & pagis magnificè donauit, donatiuorum magnitudinem, priuilegia illis tributa testantur. Post hæc, dies aliquot Lodouicus, curandi pedis gratia, in arce requieuit, in qua quidem quiete, ne penitus cessare videretur, magistros precum quotidie exaudiuit, rescripsit diplomata, præfecturasq; disposuit, dixit alternis ius diebus, ac aditum nemini difficilem effecit. Andream Vaiuodam (vt aiunt) Ladislai filium, conualescente pede, cū summa potestate, Magistrum equitum, regniq; Præfectum declarauit, ne virum expertissimum, & in re bellica fortem & circumspectum, debita dignitate defraudaret. Nicolaum Drugethum, Guilielmi

lielmi Palatini fratrem, Salerno, eius quoq; fratrem, militaris disciplinæ haud ignarum, Militem crucigerũ, & Auranæ Antistitem, Auersæ præfecit, qui deinde Ioannæ muneribus pollicitationibusq; corruptus, ciuitatem cum arce, contempta infidelitatis nota, reginæ tradidit. Dispositis præfecturis, cæterisque rebus, quæ magni momenti esse videbantur, quum grauis in Italia pestis vbique grassaretur, & Iubilei annus instaret, quo delictorũ impunitas, & animorum lustratio, Romæ à resipiscentibus facilè comparatur, Rex pientissimus, ac religioni deditissimus, preciosam humanæ salutis occasionem nequaquam prætermittendam esse ratus, vrbem Romam visere, & mox in Vngariam redire decernit.
10 Comprobant sententiam cęteri Proceres Vngariæ, quippe qui orthodoxam fidem, quanto difficiliùs admiserunt, tãto pertinaciùs retinent, & colunt. Iter per Campanum agrum, cum honorificẽtissimo comitum equitatu facit, inuisit Capuam, & præter Cassini montis mœnia progreditur, quæ paulò antè motu terræ corruerant. Quum Vrbi appropinquare rumor esset, Tribunus Vrbis, de quo paulò suprà diximus (hoc enim tempore Pontifex Auinione residebat) ne tantum principem legitimo honore defraudaret, cum ordinibus magistratuum, & vniuersa nobilitate, ad decimum lapidem, singulari apparatu obuiam occurrit, vbi quadringentos ferè patres, pari purpuratoq; habitu cõspicuos, innumeram prætextorum multitudinem, & togatum populum, Romanæ antiquitatis haud
20 parum referentem cernere erat. Haud temere à Tribuno id factum arbitrãtur, partim vt Regem excellentissimũ & præpotentem pro dignitate exciperet, partim vt hoc hospitij honore, Lodouici gratiam promereretur, qua societatẽ ac fœdus iniret, ac huius ope libertatem vrbis Romæ faciliùs tueretur: quinetiam viæ stratæ floribus, & mirificè excultæ fuerant, nihil in præstando honore prætermissum. Hac igitur magnificentissima pompa Rex a tribuno plebis & assertore libertatis excipitur, tantum eo die Populo Romano indulsit, vt sese passim omnibus apprensandum amplexandumque concesserit, ipse quoque occurrentes omnes, non regio, sed ciuili more comiter admisit. Affabilem popularemq; Principem, vbi Romam ingreditur, omnes admirari, faustis vulgò cognomina-
30 tionibus salutare, ingeminare Christianæ reipublicæ defensorem, parentemq; pientissimum, hunc Italum Regem, hunc vnicum Christianæ fidei propugnatorem appellare, publicis hunc votis, Romanæ libertatis assertorem & patronum nuncupare, nõ vt peregrinus Princeps, sed vt Romanus Imperator, ouans, cum summo plausu & lætitia Populi Romani, in Vrbem admissus est. In palatium Pontificis, vt honestiùs (veluti par erat) acciperetur, introductus, sollicitatus mox à Tribuno plebis, & à cunctis Senatoribus, vt oblatam Romanæ reipublicæ summam ac tutelam acciperet, pertinacissimè renuit, ne quid Romanę Ecclesiæ dignitati derogaret; ne minore quidem à Pontifice honore honestatum ferunt. Tribunus cum ordine senatorio, quotidiana persoluebat officia, ad
40 lautissima frequentissimaque conuiuia inuitatus, ne ab inita rei sacræ contemplatione abalienaretur, haud facilè concessit, pedes, Apostolorum basilicas sæpe lustrauit, in æde Petri quotidie ad magnam aram sacris interfuit. Saluatoris vultum, sudario expressum, affectatissimè quotidie vidit, cæterisque simul fidelibus spectandum se exhibuit; ad Saluatoris aram, pontificia auctoritate lustratus, & omnium erratorum impunitatẽ assequutus, quater mille aureûm aris obtulit, reliquit etiã alia donatiua, nullamq; basilicam immunem reliquisse prædicatur. Ex Vrbe profectus, per Vmbriam & Flaminiam iter fecit, pari vbique honore susceptus. Quum Veronã venisset, gratissimo à Scaligeris hospitio recipitur, quatuor Teuthonum peditũ milia, quibus Volfardus Conradusq; præe-
50 rant, ibi reliquit, & quousq; stipendia è Pannonia mitterentur, moram trahere iussit. Pacato regno, dispositisq; præfecturis, in Vngariã reuertitur, deinde paucis pòst diebus, debita militibus stipendia misit, exauctorauitq;. Cohortũ Præfectos ad se venire præcipit, quibus vbi in Pannoniam peruenere, stipendia cumulatè persoluit, donauit vtrunque agris oppidisq;, aliisq; regalibus præmiis, vt priuilegia data testantur, admodum honestauit. Post Lodouici Regis abitum,

Ioanna cũ viro Auinione agens,regno exacta, nil in dies ac noctes aliud, quàm vt in regiam restitueretur potestatem, curare videbatur. Proinde Cleméti Romano Pontifici instãtissimè quotidie supplicabat, vt hæreditarium sibi regnum addiceret, pontificia restitueret auctoritate,néve paternæ successionis iure, vi aliqua Barbarorum,defraudari pateretur.Quod vt faciliùs assequeretur,pontificiæ haudquaquam immemor auariciæ, Auinionem vrbem, in Narbonensi Gallia præstantissimam, vrbem inquam patrimonij sui, se vltrò concessurã Ecclesiæ pollicetur, si eius ope & auctoritate coronata, in Neapolitanum regnum restituatur. Et ne regnum mercari videretur,vrbem dono datam,se véditurum ostendit, contrà Pontifex minimum quid, ex annuis vectigalibus, precij loco, Ioannæ penderet: hunc igitur ad tegendum & huius ambitum, & illius auariciam,honesti prætextum inuenere. Conuenit tandem inter eos,& Clemens in primis,sub honesti specie, regni curam suscepit, quod vt iure facere videretur, Gnidonem Portuensem Episcopum,Cardinalem,ex Leonico sibi affinem, sedis apostolicæ Legatum, in Italiam misit, vt inter Lodouicum Regem & Ioannam pacem conficeret. Scribit insuper ad Regem, oratq́;,vt quãdo satis superque,inter cognatos lusum erat,pro ingenita probitate sua,obsecrantis Ecclesiæ apostolicię collegijq́; gratia, bellum cum suis cõponat, Ioannæ sorori ius remittat, indulgeat aliquid sanguini, & potius quid ipsum deceat, quid Italiæ quies postulet,quid Pontifex cũ sacro Senatu instantissimè exposcat,quàm quid mulieris ingenium,& facinorosa quorundam audacia mereatur,secum reputet:satis ex illis pœnarum exactum,satis in Italia sæuitum,nunc tempus esse,fluctuantissimum pacare regnum,desidere tempestatem,& beneficio suo non modò regnum,sed Romanam sibi Ecclesiam perpetuò obligare. Quid Roberti manes, cuius beneficio,regni ius in ipsum recidit, quid Romanæ Ecclesiæ dignitas postulet, à qua progenitores regnum hoc precario possidendum impetrarunt, secum cogitet. Existimet, aliquid summo Pontifici tribuendum, cuius est omne ius regni,ad hæc etiã adiicere,satis illi esse regnorum,neq; duobus regnis tanto locorum interuallo seiunctis,vtrisq́; suapte natura fluctuantissimis, itẽ maximæ molis & periculi, vnũ Regem sat præesse posse. Neq; Legatos, Magistros equitum,& Præfectos,contentiosum regnum,sine præsentia regiæ Maiestatis, bene gubernare posse. Iubere ad hæc,ipsum fluctuantis Ecclesiæ reminisci,in Gallijs Petrum Dei vicarium exulare, relegatum esse in prouinciam Narbonensem, necubi gentiũ quietem inuenire. Romana sede eiectũ, plus pietatis apud Barbaros,quàm Romanos & Italos inuenisse. Longè cõmodiorem Christianæ reipublicæ,in Pannoniis,Mysis,& Dacis,Lodouicum fore,quàm in breui Apulię regno coniectum,aut ingrato ocio emarcescere, aut Italis factionibus implicitum,nihil immortalitate dignum agere.Proinde etiam atq; etiam Lodouicum obsecrare, vt pacandæ Italiæ gratia, ius omne regni, quodcunq; suum esse possit,Ioannæ cedat,Lodouico Tarentini fratri ignoscat.Regulos Italicos, quos in Vngariam captiuos duxerat,pontificio rogatu missos faciat,rem cum suis componat,suo patrueles beneficio sibi obstringat,bello abstineat,illinc reuocet exercitum,& quod pontificiæ ditionis est,pontificia voluntate,suasu,iussu,preceque,suo sanguini dimittat. Persuasum epistola Lodouicum, intercedẽte Legato,Clementi morem gessisse ferunt,qui quum pestilentiæ vesaniæ Italia excesserit,cũ Ioanna,ex voluntate Pontificis,rem transegisse dicitur. Scriptor Vngaricarum rerum, à cæteris Annalibus in hoc aliquantulum dissentire videtur, quòd cæteri,sedente Clemẽte,cum Ioanna & Lodouico concordiã transactam tradunt, iste verò, Innocentij Sexti pontificatu, qui Clementi subrogatus est. Postquam in Vngariam Lodouicus reuersus est, tribus ferè annis, præfecti sui, cum magistro equitũ in Italia mansere; nam cõcordia per Guidonem legatum nõ ita cito cõfici potuit. Eo tẽpore illi cũ Lodouico Tarẽtino assidua bella gessere,cũ eius copiis conflixere sæpius,atq; vires hostiũ vsq; adeo extenuarunt,vt vltrà metari nequirẽt, redegere illi se in oppida, eaq; impositis præsidiis tuebãtur. Interea de pace & concordia sine intermissione agebatur,legatus de labore suo

suo nihil remittit, officio impensiùs incumbit, cum Andrea Magistro equitum, cæterisq; præfectis, item cum Lodouico Tarentino & Ioanna ita agit, vt è sententia mandata cuncta disposuerit. Rem haud parum adiuuerant frequentes à Pontifice nuncij, & postremò Bartholomæus pontificij iuris consultissimus, qui quidem omnes Lodouicum in Pontificis voluntatem assiduò trahere non cessabant. Rem demum ita cõpositam fuisse ferunt, vt Lodouicus ius suum Ioannæ concederet, vltrò regnum illi resignaret, eaque regni titulo, Lodouicus, siue maritus, siue adulter haberetur, Tarentini duntaxat principatus nomine frueretur, Ioanna sola Regina vocaretur. Pannonici in hoc Regis magnanimitatem admirantur omnes, quippe qui pontificiæ tantùm tribuerit, veluti par erat, authoritati, vt Ioannẽ Vesprinienſem Episcopũ, cum plerisq; optimatibus, ad Clementem quàm primũ legauerit, qui vrbes, oppida, munitiones, & castella cuncta resignarent, restituerent Ioannæ regnum, & perpetuum obseruantissimi filij obsequium, summo Pontifici, sacrisq; patribus, nomine suo pollicerentur. Regulos Proceresque regni, quos in Visegrado retinuerat, magnificè donatos in Apuliam remisit, & pro arbitratu Pontificis, cuiq; reddi proprium dominatum imperauit. Miris deinde laudibus, à Clemente, & vniuerso collegio Lodouicus euectus est, quippe qui magnanimitate, clementia, & probitate sua, perpetuam apostolicę sedis gratiam promeruerit, inimicos, quos prius armis deuicerat, singulari officio conciliarit, & non minus deniq; belli, quàm pacis se artificẽ ostenderit. Eodem initæ pacis anno, cœlestis flamma post Solis occasum, inter Zephyrum atq; Austrum latissimè excrescens, horribileq; præferens incendium, murmure tandem ingenti per cœlum ruit. Postero quoque anno, flamma non dissimilis, longum post se limitem extinctũ trahens, à Septentrione in Austrum repente defluxit. Alio verò, infinitus locustarum numerus, in Aphrica Cyproque apparuit, quæ populatis herbarum arborumq; frondibus, inauditam annonæ cæterarumq; rerum caritatem allegarunt, ne Solis quidem defectus defuit. In sequenti anno, Carolus, quartus Rex Boemiæ Augustalem, sine controuersia, coronã assequutus est. Reuocatis igitur ex Apulia copiis, Rex Vngariæ, præfectos, ac militem quenque fortissimum magnificè donauit. Compositis Italię rebus, in ocium redactus ingratum, de occupatis regni regionibus, & in primis de vsurpata à Venetis ora maritima, sollicitè cogitare cœpit. Grauatè ferebat, in Italiæ gentis populos instaurare bellum, ne imperandi potius amore, quàm recuperandi spe id indicere videretur, rem primò literis & nunciis, mox oratoribus repetendam instantissimè censuit. Ne tolerare quidem facilè poterat, nobilissimum maris Adriatici tractum, tot populi Romani coloniis insignem, ab Atila primò in ditionem assertum, qui ante Venetorum vrbem latissimè in orbe imperarat, ab illis esse occupatum, qui Vnnici belli fuere reliquiæ. Res diu literis & Legatis agitata, sæpe per Oratores repetita Dalmatia, literarum tandem & oratorum opera ludificata omnis. Ne minus quidem grauiter illud patiebatur, quòd primò sibi verba dari, deinde propria impudenter abnegari sentiebat, armis dirimendam litem esse ratus, ne quid inconsultis Proceribus ageret, Senatum indixit. Vbi ad patres de occupata Dalmatia, de sociis in seruitutem assertis, & de recuperando deniq; maritimo tractu retulit, haud pauca cõsequutus de suscipiendo in Venetos bello, magno omnium assensu fit Senatus consultũ, deinde delectus habetur longè quàm antea maior. Scriptores Venetorum Annalium, vt sibimetipsi placeant, faueantve, nec dum satis aliquid exploratum habentes, dum cõminiscendo gratificari student, duas huiusce belli causas prodidere, & vtram potiùs affirmẽt, adhuc hæsitant; alteram, quòd Lodouico, copias aduersum Ioannam traiicere cupienti, naues Veneti abnegarunt; alteram, ob bellum ad Iadram gestum, vnde victũ Lodouicum abiisse referunt, adiiciunt, ad eum in Apulia agẽtem, legatos fuisse missos, qui octo cum his, plerìq; decem annorum Inducias pepigisse tradidere. Quin & sub initiũ Ligustici belli, quamuis induciarum tempus nondum exierat, Lodouicum Venetos clàm bello in Dalmatia sollicitare cœpisse, & nisi Caroli quarti interuẽtu se bello abstinuisset,

qui expectandum induciarum finem esse videbat, haud diu bellum fuisset indictum, atque huiusce timoris gratia, cum Genuensibus pacem maturasse ferunt. Illud tamen inficiari non licet, Venetos primo tempore, veluti & ipsi ingenuè fatentur, quum in se bellum ab Vngaro moueri intellexisset, duos ad eum Legatos misisse, quorum alteri, Marco Cornario, Marino Grimano alteri nomen fuit. in Pannoniã profecti, quum nihil æquæ conditionis proponerent, sed pertinaciter vsurpatum ius Dalmatiæ retinere pergerent, re infecta rediere. Quidam eorum Annales referunt, legatos cum eo pacem conficere potuisse, si pro Dalmatico regno, equum album, annui vectigalis loco, publico nomine, Lodouico mittere pollicerentur. Ex quo facilè intelligi potest, Lodouicum, non vtilitatem, sed honorem, non tributum, sed ius regni fecisse magni. Exacto induciarum tempore, Lodouicus, inito cum Leopoldo Austriæ Duce, & cum Francisco Carrario, fœdere, cum vniuerso exercitu, hinc Dalmatiam, illinc Istriam, & Foroiulianum agrum inuasit. Cum quadraginta milibus hominum, Pannonici, Venetici verò Annales, cum centum milibus, in hoc bellum descendisse prodiderunt, innumerabilibus itaq; copiis Adriaticum tractum inundauit: vno nanq; tempore Iadram, Sicium, Spolatrum, Tragurium, Enonamque obsedit. Mox inita clàm, cum Austriis, Aquileiensibus, Carrariis, Patauinisque, societate, in Taurisinum agrũ descendit, quò vbi peruentum est, Collatini Comites, pleriq; Reguli, nobilesq; ad Vngarum defecere. Cunianum, vbi Zacharias Cõtarenus præerat, & Sacilium, paucorum dierum obsidione, per deditionem accepit. Deinde Taurisium, admotis castris, obsessum, quod ad primũ Pannonici belli rumorem, Veneti summa diligentia, armis & commeatibus muniuerant, præsidium imposuerant validissimum, cui Marcum Iustinianum, Ioannem Dilphium, & Paulum Lauretanum præfecere. Tunc à Rege, vna cũ Carrariorum societate, promulgatum est edictum, ne quis populatum pabulatúmve in Patauinum agrum excursaret, aut vim aliquam inferret, qui contrà facerent, capitales forent, ratam ac firmam Pannoni cum Patauino amicitiam esse, hinc quisq; nouerit. Ab obsidionis initio, Gradouicus Venetorum Princeps vita decessit, Ioannes absens in demortui locum subrogatur, qui ad ineundũ principatum Taruisio accersitus, ab obsidente Lodouico, tutò abeundi copiam impetrare nõ potuit, sed auersa vrbis parte clàm elapsus, Venetias peruenit. Comparato omni machinarum genere, & instructis aciebus, quum vrbẽ oppugnare adoritur, admouet testudines, turres erigit, scalas adhibet, ac tam atroci prælio mœnia oppugnat, vt multi ex nobilibus eo die sub muro ceciderint; quendam Regi propinquitate coniunctum, sub ipsis mœnibus occubuisse memorãt. Sed vrbe a Venetorum præsidio bene defensa, Rex ad proxima oppida conuersus, multa vi cepit, Asulum, Crispiniacum, Gorgoniam, Forgonium, ac pleraque alia Taruisini agri castella capta sunt. deinde quum intempestiuos conatus irritos esse reputaret, ne operam eluderet, quum sat copiarum, quæ obsidionem continuarent, & Magistrum equitum Thomam reliquisset, quem Nicolai Strigoniensis Archiepiscopi fratrem fuisse diximus, in Pannoniam ad hiberna concessit. Veneti Carrariorum ac Regis amicitiam fœdusque perquam grauatè passi, Patauinis salem deferri vetant, commercio interdicunt, Marinum Maurocenum Prætorem inde reuocant. E Germania haud mediocrem copiarum numerum multo stipendio conduxerãt, quæ quum Medoacum amnem imbribus assiduis adauctum offendissent, in ripa dies aliquot subsidere coactæ sunt, quod quum Vngari per explotatores à castris cognouissent, citato mox agmine, incautas Germanorũ cohortes adoriuntur, breuiq; prælio maxima ex parte cædunt, reliquos fundunt, fugantque. Rex in Pannoniam reuersus, ne per absentiam bellũ remittere videretur, extemplo Nicolaum Chontum Palatinum in Italiã cum imperio remisit. Hic ne qua intermissione Venetos respirare pateretur, quo faciliùs Taruisium in Vngari potestatem veniret, Castellum Francum acri obsidione circumuenit, quamplurimos oppidum dies oppugnat, nihil tamen oppugnando proficit, quandoquidem castellum arte, natura, & præsidio

fidio munitissimum nactus erat, quod nequaquam facilè capi poterat: ne conatus suos eluderet, haud iniussu Regis, quum Thomam copiarum Præfectum in obsidione vrbis reliquisset, in Vngariam rediit. Hic vir bellicæ disciplinæ compos, cum Venetis sæpe prospereque conflixit, in primis quum pro ciuitatis porta, facta eruptione, cum præsidiariis & oppidanis dimicatum est, vbi multis cæsis captisque, in vrbem tandem hostem reiecit: deinde cum Venetorum exercitu, qui ad soluendam obsidionem venerat, quo quidem tempore, in cōspectu vrbis, collatis signis dimicatum est, & fusi fugatique Veneti, quod rei exitus approbauit. Post hæc ad Brentam fluuium, acerrimè cum Teuthonibus dimica-
10 tum, qui ad Venetorum stipendia planè descenderant, in quo quidē prælio magna pars capta, quam armis exutam, ex Italicæ militiæ more dimisit, cæsi ac fugati sunt cæteri, & quum vltrò citroque flumen altum equo tranarēt, multi demersi. Paulum Germanum, Ioannis filium, Chialiolisq; nepotem, qui sub Vngaro militabat, vir profectò strenuus, cum plerisq; Vngaris, ibi demersum fuisse memorāt. Deinde Thomæ, Benedictus Hemi filius, iussu regio subrogatus est, qui inito imperio, re bellica expertissimus, multa cum Venetis prælia prosperè commisit. Sed exacto tempore, Thomas in Italiā remissus, haud leuiore, quàm antea fortuna vsus, quæcunque Regis auspiciis in Italia capta fuerant, pertinacissimè tutatus est, & Taruisinos arctiore, quàm antea, obsidione coercuit. Dum
20 hæc, quæ diximus, ab Vngaris agebantur, Veneti interea quinque ac viginti viros creauere, quibus curanda belli summa traditur, ac Senatus consulto admonentur, ne quid respublica detrimenti patiatur. Quinetiam extemplo legatos in Pannoniam hi mittendos decernunt, qui cum Lodouico de pace agerent, mittuntur Andreas Cōtarenus, Michael Phalerius, & Bonintendius Scriba: verùm hi in Pannonias profecti, re infecta domum rediere. Desinentibus induciis, Serauallum hostes occuparunt, ac multo maius detrimentum in Dalmatia Venetis illatum. nam quum ob ingentem belli molem, è Dalmatia copias reuocare cogerentur, ne dum foris rem impensiùs curarent, domi grauissimè laborarent, destituta prouincia, Spalatrum, Sicum, Tragurium, & finitima pleraque oppida
30 ad Vngarum defecere. Enona, cui Ioānes Iustinianus cum præsidio præfuerat, quanquam tāta fame, ac rerum omnium inopia laborasset, vt vel obscœno miles cibo haudquaquam se abstineret, Præfecti tamen obstinatissimi prudentia & virtute defensa est. Dum Taruisium grauiùs obsidetur, interim Iadra, Elderbohi Teuthonis virtute astuq;, qui cum Pannonica manu clàm ingressus, Venetorum Præfectum & præsidium vrbe deturbauit, ad Lodouici fidem potestatemque rediit, præclari facinoris auctor, lethali vulnere confossus, diem vrbe capta obiit. Cætera quæ in Dalmatia superfuere, certatim ad Vngarum defecerunt. Desperatis Italiæ rebus, & periclitantibus dudum Taruisinis, iterum in Pannoniam legatos mittere, Veneto Senatui placuit, vt quibuscunque possent condi-
40 tionibus, à Lodouico pacem (vt Veneti referunt Annales) impetrarent. Petrus Taruisanus, Ioannes Gradouicus, & Bonintendius Scriba, legati in Pannoniam contendêre, apud magnanimum Principem de pace agentes, æquisque conditionibus eam postulantes, haud difficulter impetrarunt. Quando Lodouicus, neq; ab inimicis iniuria, neq; ab amicis beneficentia vinci facilè poterat, postulatam pacem vltrò concessit, quam his conditionibus initā ferunt. Vt quicquid à Phanatico sinu Dyrrhachium vsq; Veneti possedissent, Lodouicus Rex haberet, Veneti Dalmatia cederēt, reliquum verò terrarū, quod circa sinum quodq; citra esset, dimidium Venetæ ditionis esset. Contrà Lodouicus, quicquid in Istria, Taruisino, & Cenetensi agro, Venetis ademisset, his vltrò restitueret, item
50 polliceretur, se neminem Dalmatici nominis piraticam exercere passurū, clausurum externis latrociniis portus insulasq;, & operā deniq; daturum, vt omnia in Dalmatia Venetis haud aliter tuta forent, quàm antea fuissent. E contrario Veneti, exposcēte id Rege Lodouico, receperūt, se nullam in eos quæstionē habituros, animaduersurósve, qui in Taruisino bello Regi fauerint, eiúsve partes sectati fuerint, quin & perpetua impunitate donarēt, néve à Lodouico restituti

vltrà relegarentur, néve Dalmatiæ titulos posthac amplius vsurparent. His igitur conditionibus pax transacta, sed hanc Veneti à Lodouico prius violatā com miniscuntur, quòd deductis è prouincia magistratibus, res inde suas asportare negatum est, quod an ne ita fuerit, nequaquam satis exploratum habeo. Illud verò sat omnib. compertum est, pacem a Venetis ægrè susceptam, ab his in primis fuisse violatā, quippe qui contemptis conditionibus, in omnes qui in Taruisino bello Pannonibus fauêre, crudeliter animaduertendum esse censuere. Nanque omnium oppidorum, quę Lodouico in eo bello deditionem fecerant, Prætores, Magistratus ac nobiles, partim securi, publicatis bonis, trucidarunt, partim longiùs relegarunt. In Cuneranos potissimùm sæuitum est, multos minima quaque suspicione delatos perpetuo carcere confecerunt: in qua quidem animaduersione, nullam præstiti sacramenti rationem habuisse visi sunt. id nimium Lodouici animum exacerbauit. Insuper feruente bello, Marinum Ducem Venetum, regalis amicitiæ insimulatum, suspendio interemere. animaduersum quoque in plerosque pari sæuitia Senatores, qui eiusdem quoque criminis postulati sunt. Item in Taruisinos admodum sæuitum, qui minima suspicione correpti, partim capite, partim fortunis, & exilio mulctati sunt. Qua crudelitate haud multo pòst tempore factum est, quemadmodum deinceps referetur, vti ad Leopoldum Austriæ Ducem Taruisini vltrò deficerent, quos quum aliquandiu sub ditione sua protexisset, Francisco demum Carrario resignauit. Compositis cum Veneto rebus, in Lituanos expeditionem Rex deinde suscepit, quippe qui non modò finitimos Christianos, verùm etiam Roxiæ regnum Lodouico subiectum, assiduis excursionibus infestabant. Ipse non per legatos hoc bellum gerere voluit, sed in Sarmatiam profectus, vniuersam prouinciam occupauit, spoliauitque, cepit tyrannum, eumque paulò pòst fida obsequia, & quotannis pacta stipendia soluere pollicentem, amplè donatum dimisit. Non multo pòst tempore, Lituanus infidelis à fide defecit, Roxiam, Lodouici stipēdiariam hostiliter inuasit, longè lateque igni ac ferro grassatus. Postulatis auxiliis, Rex præstò adfuit, eiectis Barbaris prouinciam pacauit. Reuersus in Vngariam, vix menses sex quieuit, quum redintegratum in Sarmatia bellum, rumor affertur. Quare missis legatis, Roxiam sibi parentem, tertiò à Lituanorum manibus vindicare coactus est, quam diu per Præfectos, Legatos, & Magistros equitum in obsequio ac fide retinuit. Neq; in administratione prouinciæ Pontificibus pepercit, quippe qui ad gubernandos Roxanos, quos Rutenos nūc appellant, Emericum Agriensem Episcopum, item Georgium Zudarem cum fratribus, deinde Emericum Bebechum, & Ioannem Zapoleum cum imperio misit, quorum prudentia & virtute, prouincia Roxiæ optimè sub Lodouici auspiciis gubernata est. Ter Pontificum Romanorum gratia, in Italiam, per legatos expeditionem suscepit, vt Innocentio, Gregorio, & Vrbano Pontifici exoratus, opem afferret. Nā quùm anno salutis quinquagesimosecundo, supra tredecies centum, decedente Clemente, Innocentius summum pontificatum iniuisset, nihil purgata Antistitibus Ecclesia, quorum ad suam quenque basilicam redire iusserat, duxit antiquius, quàm eum in Italiam legatū mittere, qui vrbes prouinciasque apostolicæ ditioni subiectas, deturbatis illinc tyrannis, ad pontificium reuocare posset imperium. E cæteris Antistitibus, solus Ægidius occurrebat Hispanus, nobili Carillorum gente natus, qui sapientia, magnanimitate, & experientia rerum multarum præstans, ad capessendum id negocij quàm maximè videbatur idoneus. is accepta sacræ reipublicæ summa cum imperio in Italiam venit. Acceptis quoque auxiliaribus Lodouici copiis, Flaminiam, Picenum, Vmbriam, & Diui Petri patrimonium, eiectis inde tyrannis (quandoquidem hæc omnia, instigante Bauaro, multi tyranni quondam inuaserant) in apostolicam ditionem reuocauit, paucis admodum exceptis, qui quum imperata fecissent, & vicariatus officia præstitissent, eius auctoritate comprobati sunt: ex his Galeotus Malatesta, Guido Spoletensis, & Varana domus, cum plerisque aliis fuere. In vrbibus ecclesiasticis hic arces erexit, quò faciliùs eas in obsequio

1352.

reti-

retineret. Cum primis copiis, in Cardinalis Ægidij auxilium, Rex Nicolaum Ladislai filium in Italiam misit. Simon Mauricij filius, post hunc à Lodouico missus, qui quum haud impigrè se gessisset, ab eo reuocatus, omnem Regis gratiam amisit. Demum Vrbano Pōtifice Petrus Banus cum validissimo equitatu ad vindicandam, è Barnabonis & Galeatij Vicecomitis manu, Bononiam missus, optimam Ægidio in Italiam nuperrimè reuerso, in eo bello operam nauauit. Nam quum quinto legationis anno, Arduinum Burgundionem, Abbatem Cistercienſem successorem sortitus, prouincia decessisset, Vicecomites continuò caput extulerunt, Bononiam ab Aureliano traditam acceperunt. Ægidius
10 in Italiam reuersus, Canemgrandem, Lodouicum Gonzagam, Nicolaum Hestensem, & Franciscum Carrarium, ad Ecclesiasticum fœdus, aduersus Vicecomites contraxit, Bononia Vngarorum auxiliis recepta. In eo bello, Barnabonem superari fors tulit, in quo quidem conflictu multi suorum capti, Lodouicus Vicecomes, Barnabonis è pellice filius, Andreas Pepulus, Bononia exactus, Sinibaldus Ordelaphus, Paulus Mirandulanus, Guido Polianeus, Azo Corigiensis, Guilielmus Caualcabos Cremonēsis, in captiuitatem concidêre: Barnabos autem manu saucius, per fugam elapsus est. Ad Ægidium verò Cesenæ agentem, Gallorum, Britanniæ, ac Cypri Regum Oratores conuenere, pacem Vicecomitibus postulant, eaque conuocatis belli sociis, constituta est. Petrus igitur,
20 re bene gesta, in Vngariam cum copiis se recepit. Verùm ad Lodouicum ac Venetos reuocetur oratio, qui depositis armis, ad artes conuersi, legatos tres ad Imperatorem Carolum in Germaniam misere, vt aliquid inter eum & Lodouicum belli sererent, quo recuperandæ Dalmatiæ daretur occasio. Marcus Cornarius, Ioannes Gradouicus, & Laurentius Celsus hi fuisse traduntur. Celsus apud Carolum relictus, cæteri quum per Germaniam iter facerent, à quodam Regulo intercepti, & coniecti in carcerem fuere. Tergestinorum deinde defectio intercessit, qui Venetorum signa ex alto deiecta, non solùm manibus discerpsere, sed maximis etiam probris lacerata solo afflixere. Nunciata patribus defectione, Dominicus Michael cum terrestribus copiis, cum naualibus Cres-
30 sius Molinus præstò adfuere. Tergestini Carnorū auxiliis vrbem cōpleuerant, se aduersus hostes strenuè tuebantur: eludebatur omnis oppugnantium Venetorum opera, nisi supplementa noua venissent. Oppidani, quum hostium vires in diem conualescere intellexissent, ad Ducis Austriæ opem confugêre, à quo dum modò fidem & auxilium implorarent, vrbem, agrum, & cætera diuina humanaque tradidere. Dux impetratis à Lodouico auxiliis, & comparato magno exercitu, in tempore aduenit, pro Tergesti mœnib. cum Veneto diu pugnatum, sed quum obsidionem soluere nequiret, hinc reuocandas copias esse censuit. Quare Tergestinos, in Venetorum seruitutem, pactis conditionibus, recidisse, illorum Annales prodidere. Contrà scriptor Vngaricorum, Lodouici copia-
40 rum Præfectum, cui Paulo nomen erat, Ladislai filio, Australibus, & Tergestinis opem attulisse, longa vrbem obsidione recepisse memorat. Mox Venetis cum Francisco Carrario bellum intercessit, quod quum iniuria initum esse videretur, finium causam commenti sunt. Ex multis Italiæ locis, item è Pannonia venere Legati, qui Carrarios in Lodouici Regis tutela esse dicebant, ac lites inter vtrosq; componere nitebantur. Duorum mensium factæ induciæ, quinque viri vtrinq; decreti, qui fines pro communi arbitratu terminarent. Sed quum ab his nihil diffiniri citra litem posset, Veneti subornatos quosdam à Carrariis in vrbem suam missos querebantur, qui è senatorio multos ordine, ex composito trucidarent. index in medium productus, insidias aperuit. Senatus consulto in
50 eos quæsitum, & pro lege animaduersum est. Deprehēsi quoque è Senatoribus pleriq;, qui quum per fidos internuncios, Carrario tyranno, quæcunque in Senatu agerentur, clàm significassent, senatorio ordine, cæterisq; honoribus abdicati sunt. Quāquam multæ vltrò citroq; legationes ad componendā controuersiam venissent, nihil tamen obtineri potuit, quin ad Martis arbitrium res omnis redigeretur. quod quum Veneti prospexissent, omnes ingenij neruos, ac reipu-

blicæ vires in Patauinum bellum intendęre. Raynerium Vascum, militaris disciplinæ Magistrum optimũ, Veneto Senatui ex Hetruria accersi placuit, vt hũc in Patauina expeditione Imperatorem deligerent. Hic inito imperio, cum ingenti exercitu Patauinum agrum ingressus, grauiter infestat, populaturque. Patauinus tyrannus, Venetis se sine externa ope resistere non posse ratus, à Lodouico Pannoniæ Rege auxilia petit, quo cum in Taruisino bello societatem iniuerat: quam quum summa fide seruasset, conciliati olim Regis opem nequaquam impetrare diffidebat. Quum ingens Pãnonum exercitus in Taruisinum agrum descendisset, omnia cæde, rapinis & incendio vastare adoritur. Ad reprimendum Pannonum conatum, Tydeus Iustinianus ad Naxum fluuium occurrit. Tumultuaria ad flumen pugna dimicatum, vbi Venetos Vngarus vsque adeo protriuit, vt pauci è media cæde euaserint. Cæsa maxima parte, vt eorum testatur historia, paucissimi capti sunt, in quibus Tydeus ipse ac Gerardus Canunensis fuisse dicuntur. Vngarus, negata vlterius pugnandi potestate, in Carnorum fines reuersus, per Bellunenses & Feltrinos facto itinere, ad Bassanum, Vicentini agri oppidum, cum quadrato agmine peruenit. Bellunũ ac Feltrum, Alberti Ducis erant, quem Lodouicus in belli societatẽ, veluti antè, planè contraxerat, nonnulli à Carrariis hæc Albertum, vt in Venetos arma caperet, recepisse memorant. Paulò pòst, in Stagnis à Veneto parum prosperè pugnatũ: nam quum locus quidam opportunissimus muniretur, ex improuiso Carrarius adortus, primò hostes turbat, mox fundit, ac fugat, in quo prælio, è patriciis multi, cum magna sagittariorum manu cecidere, in naues confugêre reliqui. At parum feliciter à Stephano Transsyluano cũ Venetis ibidem dimicatum, quippe qui, vt locum, quem inter vtraque castra hostis erigere pergebat, inhiberet, aut vi dirueret, inito prælio, tanto ab hoste impetu profligatus esse dicitur, vt multis cæsis, ipse cum plerisque nobilibus, in hostium potestatẽ venerit, capti quoq; ex Italico nomine, Bonifacius & Antonius, Lupij. Lodouicus, accepta suorum cæde, ac Transsyluani captiuitate, ne bellum in suum & amici periculum aleret, subinde rescripsit, de pace iam ageret. Pax ea conditione à Venetis cum Francisco Carrario transacta, vt eius opera Lodouicum Regem reconciliatum haberent, & auxiliares Vngarorum copias Carrarius dimitteret. Hinc ocium trium annorum tantum extortum, quod deinde à Leopoldo Austrię Duce interceptum est. is enim cum quatuor milibus hominum in Taruisinum agrum effusus, passim omnia diripit, ac vastat, insultat Venetis, & latè populatur. At illi, impetratis ab Hestensibus auxiliis, & coacta tumultuaria manu, Iacobo Caballo Duce, ad Vingum castra ponunt, vbi facta pugnandi potestate, nonnullis cæsis, Leopoldum fuderunt, fugaruntq;. Mox ad Victorias Pylas ire pergunt, obsident deinde Feltrum, succendunt suburbana, & vniuersum agrum fœdè populantur: deinceps audito Leopoldi succurrentis aduentu, in Taruisinum se agrum recepere. Leopoldus Bellunum progressus, Venetorum digressu, præreptam sibi dimicandi copiam grauatè tulit, verùm Lodouici Regis interuentu, cum Leopoldo duûm annorum induciæ transactæ sunt. Interea quum Lodouicum Venetorũ ingenia minimè laterent, cum Genuensibus, Antistite Aquileiensi, & Carrariis, Venetorum gratia fœdus percussit. Contrà Veneti, clandestinum in se bellum parari iam rati, ne cum tot hostibus vno tempore certare cogantur, Leopoldi gratiam ineunt, quacunq; possunt conditione, cum eo pacem transigunt, per Leonardum Dandalum, & Petrum Cornarium, loca quæcunque ademerant, vltrò restituunt. Nec multò pòst, cum Genuensibus bellum quartò renouatum est, quod dum geritur, Carrarius Princeps, & Aquileiensis Antistes, cum Lodouico, ex composito Venetis bellum indicunt. Quum tot illi potentatus, ad euertendum suum imperium, coortos esse conspicarentur, Barnabouem Vicecomitem, & Petrinum Cypri Regem, sibi socios accipiunt. Mox hinc Patauini, hinc Carnorum exercitus, in Taruisinum agrũ effusi, omnia populãtur, & vastant. Gerardus Caminensis, à Venetis, Meta oppido Richardo fratri adempto, desciuit. Genuenses, ob adempta sibi quædam in Liguria oppida, Pha-

Phamaugustã Cypri vrbem occupant. Victor Pisanus, cum duodeuiginti triremibus, Catarum Lodouici Regis oppidum expugnat, diripitque. Mox Ligustica classis, Adriaticum sinum inuecta, cuncta maritimæ oræ loca Venetis infesta reddere studet: contrà Pisanus Venetæ Præfectus, omnia tueri. In continenti interea, Carrarius, & Aquileiensis Antistes, cum Vngaris, Mestram oppidum obsidione circumueniunt, sed Francisci Dilphij opera, & cœli grauitate id seruatum. Deinde quum Pisanus classem Sicum, quod nunc Sibinicum appellant, conuertisset, facto maximo impetu, & admotis repentè scalis, incautum oppidum inuasit. Multos intra mœnia ex oppidanis interfecit. Sed quum arcem id munitissimam haberet, à Pannonico præsidio reiectus, Tragurium nauigauit, vbi Genuensem classem esse nouerat, inde frustrato conatu, ad sollicitandam Iadram properauit. Misit ad explorandos Arbensium animos triremes decem, qui Catarensium, Siciensiumque casu consternati, vltrò sese Venetis dedidere. Demum Tragurina & Iadrensi obsidione frustratus, væsaniẽte bruma, in Istriam se recepit. Insequenti anno, ad Polam, à Genuensibus miserè profligatus, triremes quindecim cum classiariis amisit, paucissimi in littus effusi euasere, capta hominum duo milia, cæteri partim cæsi, partim vulnerati: pridie nonas Martias ea clades accepta, qua maritimi belli robur penè amissum est. Ligures, adauctis animis, & amplificata classe, sexdecimque longis Iadra nauibus eductis, Humagum, Gradum & Crapolas vno tempore occuparunt, onerariam vnam sequuti, in conspectu ciuitatis direptam combussere. Mox ad paruam Clodiam festinarunt, quam quidem vrbis partem, primo impetu captam, incẽdio absumpsere, erumpentes ex vrbe præsidiarios milites vltra pontẽ reiecere, ingenti denique lætitia elati, erepta Venetorum ad Polam signa medio mari trahentes, ac Iadram ouantes rediere. Veneti tot cladibus affecti, pensitatis vrbis viribus, quum vnde Liguribus resisterẽt, non haberent, & pleræq; naues ad bellum instructæ abessent, in summum discrimen rerum omnium, Lodouici Regis opera adducti, de patria defensanda cogitare coacti sunt. Ad præsidium portus, quindecim triremium classis instructa, præfectus Tydeus Iustinianus Senatus consulto creatur. Ad hanc etenim calamitatem & miseriam, Venetorum audaciam Rex Lodouicus planè redegerat, vt qui occupandis alienis rebus animos semper intenderint, nunc pro suis, & in primis pro patria dimicare cogantur. Clodia deinde à Genuensibus mari, terra verò à Carrariis & Pannonibus capta. Occupata vrbe Venetisq; deiectis, Lodouici Regis & Liguris in edito loco signa repentè præfixa, ex oppidanis & Venetis sex hominum milia cæsa, mulieres, Victoris iussu, in ędem se recepere, ac postero die domum quæq; suam repetere iussa est. Pro recuperanda Clodia, omni arte Veneti obnituntur. Interea Carolus, Lodouici, vt quidam credidere, filius, vel vt alij tradidere, ex eo Carolo natus, qui Manfredum Apuliæ Regẽ superauit, quibus haud facilè assentior, cum decem Pannonũ milibus, ad Taruisium consedit. Sub eius aduentum, Franciscus Carrarius, item Genuensiũ Aquileiensiumq; Legati cõgratulatum, & ad decernendum de pace bellóve, quæcunq; ad Lodouici Regis & sociorum facerent dignitatem, conuenere: postridie Nicolaus Maurocenus, Ioãnes Gradouicus, & Zacharias Cõtarenus, Legati aduenere, qui iniquissimis etiam conditionibus conficiendę pacis potestatem habebant. De pace quum dies aliquot in cassum disceptatum foret, quum nihil Venetis, præter vitam, dimittere placeret, illi re infecta & dolore in iram cõuersi abiere. Carolus, quum mẽses duos in Taruisino agro statiua habuisset, vidissetq; se stando nihil profecturum, soluta demum obsidione, in Pannoniam cum exercitu se recepit. Verùm post varia bella, respirãte Venetorum fortuna, Ligures demum apud Clodiam infeliciter pugnarunt, è quibus tria milia, ex Patauinis ducentos, ex Illyrico & Græcia cæteros, in Venetorum potestatem venisse ferunt. Ne decidêre quidem hac clade Liguribus animi, quippe qui instaurata classe multo, quàm antea, vehementius Venetos impetunt. Tergestini, Lodouici Regis arte, operaq; Ligustica, iterum à Veneta fide deficiunt. Donatum Thronũ, Prętorem vrbis, cum vniuersa

familia, in vincula coniiciunt, geminas in vrbe arces, deturbato vtrinque præsidio, recipiunt. Pari quoque successu, Pola capitur, deinde Arba. Taruisium verò acerrima Patauini Principis obsidione vexatur. Serauallum, Leopoldo Duci Austriæ à Veneto conceditur. Quinetiam vt tyrannum in suum auxilium traherent, eidem Taruisium, ne à Francisco Patauino caperetur, Veneti Senatus consulto datum, quod anno pòst tertio & quadragesimo, quàm Scalanis ademerant, factum esse perhibent. Carrarius Princeps, quamquam sub Leopoldi aduentũ Taruisio abscesserat, haudquaquã tamen destitit illius vrbis agrum infestare, capere pleraque loca, ac palam dicere, se Lodouici Regis iussu adhuc ibi arma gerere. Leopoldus, quum noua affinitate Vngariæ Regi adiũctus esset, in media vrbe, regalia suis prælata signa statuisse dicitur. Lodouicus, ne affinis sui rebus parum probè consulere videretur, temperamento quodam vsus, ne belli socios prodidisse putaretur, Leopoldũ exorauit, vt æquo Carrarii pertinaciam animo toleraret. Quum grauissimum diu bellum inter istos terra mariq; gereretur, misso Torcellano Antistite, Hamon Dux Allobrogum intercessit, cuius quidem interuentu, anno sexto, ac mense quarto, ex quo vltimò cum Genuensibus pugnatum est, his conditionibus pax Venetis cum Genuensibus, Lodouico Rege, Patauino Principe, ac Aquileiensi Antistite transacta est. In primis vt captiui vtrinque restituerentur, Patauinus Caput aggeris, & Morentianum Veneto redderet, demoliretur in aquis, & ad flumina iam erecta præsidia, Veneti contrà huic Curaniam turrim planè relinquerent. Controuersia finium inter Patauinum & Venetum, Alberti Hestensis arbitrio diffiniretur. Venetus, Tenedo præsidium abduceret, Dux Allobrogum, insulam suis armis biennio custodiret. Florentini pro ducentis milibus inter vtrosque sponsores intercessere, quòd Veneto & Liguri circa Tanaim negociari non liceret, ne quod toties acciderat, veteri æmulatione rursus ad arma redigerentur. Insuper decimo quoq; anno, septem aureorũ nummũm milia Lodouico Regi Venetus solueret, contrà ille Dalmaticam oram, Venetis negociatoribus à piratis tutam redderet, néve salem Dalmata, Illyricúsve conficeret. Eo die quo pax promulgata est, editum aiunt infantem, cui quaterna brachia, quaterna quoque crura erãt. Hoc admodum bello, Venetorum fastum attenuatum fuisse perhibent, quod quidem Lodouici Regis arte ac vi factum esse nemo dubitat, qui vt occupatã è Venetorum faucibus Dalmatiam assereret, & suas & sociorum vires experiri voluit, ne à magnis cœptis magnanimus Princeps, cui parem olim nunquam sortita est Vngaria, turpiter desinere videretur. Sed ad alia quoque bella suo ductu auspiciisq; gesta redeundum est. Quam in Bossenam, quorundã nobilium factione rebellantem, quæ Vngarici imperij stipendiaria fuerat, expeditionem suscepit, per Magistrum equitum, & legatos parum prosperè gessisse fertur. Nicolaus enim Comes Palatinus, & Nicolaus Strigoniensis metropolita, cum magna Procerum manu in prouinciam proficiscuntur, Zrebernichum obsidẽt (vt aiunt) quod cùm oppugnare cœpissent, ne sine magna quidem hominum rerumque iactura, obsidionẽ soluere sunt adacti. Quin & aliud intercessit incommodum: dum essent in castris, & metropolitæ tabernaculo, regalia sigilla clàm subtracta, furti auctores, Belialis filij arguuntur, hæc in Bistricia, paucis pòst annis, apud argentarium comminuta fabrum comperta sunt. Sigillorum iactura, à Lodouico minimi facta, quando regio repentè iussu alia instaurata, quibus omnia diplomata, priuilegiaque superiora obsignati & confirmari iussit. Deinde in Bulgariam ditioni Pannonicæ subiectam, reluctante Stratimiro eorum Principe, exercitum Rex eduxit, vbi bellum è sententia gestum est: siquidem Bodonium eorum vrbem, primo impetu obsessam, perbreui obsidione occupauit. Stratimirum cepit, qui se vulgò Imperatorem appellari iusserat, deinde vix trium mensium spacio, vniuersam Bulgariam in suam potestatem redegit. Stratimirus in Vngariam ductus, ad Gemlechium, Zagrabiensis Episcopi castellum, aliquandiu adhibitis custodibus, relegatus est. Deinde quum in manus Lodouici iurasset, se perpetuam fidem & obsequium Regi Pannoniæ præstiturũ, magnifi-

gnificè donatus, reddito regno, dimissus est, qui recepta Bulgaria, quoad vixit, pactas conditiones imperataq; seruauit. Insuper aduersus Imperatorem Carolum est bellum initum, causæ nō extant, Legati, de quibus diximus, Venetorum, huiusce belli suspicione non caruere. Coacto exercitu, ad Morauiæ fines processit, literis & chirographo, Imperatori bellū indixit, Trincinium intrauit, circumlocata sunt castra. Dum alias ibi copias operitur, Dux Zidnicensis cum plerisq; Proceribus, Caroli nomine aduenere, aliquot dies de pace disceptatū est; quæ quum tam citò confici non posset, induciæ factæ sunt. Nicolaus verò Palatinus, & Stephanus Bebechus Iudex regius, ad Carolū mittuntur, vt de pa-
10 ce agerent, qui quum Imperatorem ad Brodam cum exercitu offendissent, & de pace disceptassent, re demum infecta rediere. Lodouicus, induciarum gratia solutis castris, in Pānoniam regreditur: exacto induciarum tempore, Ladislaum Apuliæ Ducem, & Petrum Banum, cum expeditissimo equitatu in Morauiam misit, qui prouinciam ingressi, vicos & castella quædam improbè munita populantur, & incēdunt, abigunt pecora, & multos captiuos abducunt, mox incensis & vastatis agris, onusti præda abeūt: res ita ex improuiso gesta, vt inhiberi nequiuerit. Successit his Casimiri Poloniæ Regis obitus, quem Lodouici auunculum fuisse diximus. Hic cùm Lodouico, liberis orbatus, regnum Polonię legasset, quando neminem habebat, qui sanguine propius eum attingeret, Rex
20 haudquaquā cunctandum ratus, habito ingenti delectu, in Sarmatiam proficiscitur. Venit Graccouiam, ibiq; frequētissimum omnium Regulorum, Antistitum, & nobilium conuentum habet, testamenti tabulas aperiri iubet, ac legi, in quibus quum se hæredē vnicum ex legato legisset, perhumanè præfatus, Principes, populorumq; Legatos exorauit, vt se Casimiri nepotem, Regem vltrò declararent: quare ab omnibus, vno ore, dominus & Rex Poloniæ salutatus & coronatus est. Pacato regno, dispositisq; Præfectis, in Pannoniam reuersus, extemplo de Laici Transalpinarum partium Vaiuodæ (vt aiunt) defectione commonefactus est, quod ægrè, quum vtranq; Valachiam suæ ditionis esse nouerit, tulisse ferunt, id suscepta mox expeditio declarauit. Nā coactis celerrimè duo-
30 bus exercitibus, in Transalpinam Valachiam proficiscitur, à duabus partibus prouinciam adoritur; à tergo nanque, & qua Transsyluaniam attingit, Nicolaum Vaiuodam Transsyluanum, & Simonem Mauricij filium, cum ingēti nobilium manu irruere iubet, ipse à Bulgaria, quam Mysiam olim appellabant, à fronte in hostem impetum facit. Laicus Lodouici exercitum traijcere contendentem, Danubij ripa prohibere conatur, instat à tergo Nicolaus, & cum omnibus copijs Valachiam ingressus, ad Ilumsam fluuium castra mouit. Ad inhibendum transitum, castella quædam præsidio munita comperit, deturbatis illico præsidiis, castella capit, & transmisso cōfestim exercitu, cum Laici equitatu, cui Dragmerus Valachus præerat, manum conserit: durante aliquantisper pugna,
40 hostis proteritur, funditurq;. Nicolaus victoria potitus, adauctis animis, in prouinciam penetrat interiorem, vbi quum inter syluas ac montium anfractus se cum vniuersis legionibus insinuasset, irruentibus è iugis montium hostibus, ita telis ac lapidibus confectus est, vt ipse cum plerisque nobilibus, dato tergo, & præclusa fuga, miserrimè occubuerit, cæteri partim cæsi, partim relictis impedimentis, ab hoste dimissi. Cum Nicolao, Petrum Prouaiuodam, & Petrum Rossium, Kikeullæ oppidi Pręfectum, item Ladislaum & Petrum, Siculos, cum magno nobilium numero oppetiisse memorant. Nicolai corpus, Valachorum manibus ereptum, Strigonium milites retulere, & in æde Diuæ Virginis condidere. At cladis huiusce iacturam Nicolaus Gara planè resarsit, qui mira virtute, ac
50 singulari militaris artis disciplina, Regis exercitum instructis nauigiis, è Bulgaria in Valachiam, inuito & aduersante Laico, ita transmisit, vt in Danubij ripa hostem fuderit, ceciderit multos, & proxima subinde oppida ceperit. Tunc Lodouicum Regem, vt Valachis tutius imperaret, Seuerinum oppidum, à Seuero olim Imperatore ædificatum, ac vetustate collapsum instaurauit. Item ad Hierassum amnem castellum erexit, quod Terchum nominant, & vtrique præsi-

dium imposuit. Pacata demum prouincia, in Pannoniam abiit. Mos ei fuit, in rebelles,& infensos,suspectósve;quotānis mouere bella, nullam respirandi copiam,nullam ocij potestatem hosti facere,absterrere audacia,& perpetuo defatigare bello,obstinatis ac perfidis,variisq; animis multo pertinaciùs instare, neque ab hoste vindicta,neq; ab amico beneficio superari,supplicibus sese offerre exorabilem. Laudis praeterea cupidissimū, & immortalitati quàm maximè studentem ferunt,Retianos, & Moldauos, qui Daciam inferiorem habitant, & in Valachia montana permanent,assiduo bello affecisse,& precipuè Retianos,qui superiorem Mysiam incolunt,quum perfidiae vtrosq; plus quam barbaricae esse intelligeret. Quare Dominicum,Ostffij gnatum,prouinciae Mysiae cum Semero praefecit,post hos Nicolaus Gara suffectus est, quum hunc animi corporisq; viribus Lodouicus praepollere intelligeret.hi Mysos ac Daces in Pānonici Regis fide summo studio retinuere. Item nil sibi prudentia, liberalitate, propagatione regni, ac gloria fuit antiquius, omnia literarum studia auidissimè nouit, ac in primis Astronomiam,qua inconsulta,nihil sibi placuit auspicari. Ius integerrimè dixit,amplificauit cupidissimè regnum, in diuinum cultum, & studiosos omnes perquam magnificus & gratus semper est habitus. Ne plebs ac rustica multitudo grauioribus, quàm par est, tributis & portoriis, à quaestoribus & praefectis oneraretur,néve iniquis iudiciis grauaretur,afficeretúrve rapinis,dissimulato saepe habitu, veluti callidissimus explorator, vicos & oppida lustrauit, perscrutaturus mores publicanorum & Praefectorum,& eorum iniurias ex plebis querimoniis recogniturus,quod idcirco à clementissimo Principe factitatū aiunt,vt non minus optimatum,quàm plebis curam gessisse videretur. Quinetiam saepissime subornatus,de moribus regiis percunctabatur,& è simpliciū responsis sese ipse quandoq; castigauit. Quàm pius,ac Deo gratus fuerit,ex his, quae subiicientur, intelligi potest. In primis vt Hebraei à durae ceruicis pertinacia deficerēt,resiperentq; tandem, se hos pro Vngaris habiturum, perpetua donaturum immunitate pollicebatur: demum quum neque suis,neq; sanctorum patrum concionibus,ad orthodoxam fidem reuocare potuisset,publico omnes edicto Vngaria exegit,res ac fortunas impune exportasse permisit: hi verò exacti, Austriam & Boemiam inundarunt. Quum eremitarum ordo Diui Pauli Principis in Vngariam venisset,corpusque eius Venetijs auectum,in Laurentij aedem,quae ad tertium lapidem,Budae proxima monti prominet,translatum esset,Carolus pater,primus eremitarum collegia introduxit,qui Laurentij,sanctae Crucis, Spiritus sancti, & Diui Ladislai sacras aedes vsurparunt, Lodouicus autem, in Nozthre coenobium his excellentissimum dicauit, & in Leueldo aliud Carthusiensibus exaedificauit, magnificeq; donauit. Duas item aediculas,regio sumptu constructas,magnae Matri erexit, ac ingenti donatiuo excoluit, in Aquisgrano alteram, alteram in Cellis. Exemplo quoq; suo, multos ex Antistitibus,Optimatibus,& nobilibus,ad haec diuinae pietatis officia inuitauit: qui ne à sui Regis magnificentia degenerarent, per se suosque templa donaq; dicarunt. Quare praeter omnium opinionem, religio in Vngaria nimis amplificata, & vsque adeo propagata,vt plus tertia regni parte in diuinum vsum possideret. Cumanos, Tartarica feritate ac ritibus infectos, ad veram fidem impensissimè reuocare studuit,& spem suam nequaquam frustratus, reuocatos, immissis eò sacris declamatoribus,religionis Magistris,quātum in se fuit,diligentissimè confirmauit. Ad rectam quoq; fidem Patarinos in Bossena conuertit,qui variis erroribus impliciti,in deperditā impietatem inciderant: qua quidē in re,Peregrini Bossenensis Episcopi, viri profectò sanctissimi, opera vsus est. Quinetiam in Sclauonia,& in ea quidem regione, quam Lipnam nunc appellant, quum multos deprauatis opinionibus esse intellexisset, quib. sacerdotes ex diui quondā Hieronymi institutione sacra ministrabant,ad veram sapiētiam reduxit, verùm hi nunc in pristinum errorem recidisse dicuntur. Eius etiam tempore Bogdan Valachorum Princeps,qui destituta,Tartarorum vicinitate,Moldauia,quae interior Valachia est, ad Marmarusiam habitabat, coactis Valachis, in patriam regio-

regionem, Lodouico Regi subiectam remigrauit, idque inconsulto Rege fecit, quod is ægrè tulit: sed quum illorum fœcunditate prouinciam indies compleri cœpisse audiuisset, eam pacta conditione, vltrò cõcessit, vt Moldauiæ Vaiuoda (vt aiunt) grata obsequia, & stata quotannis stipendia Pannonię Regi persolueret. Imperante quoque Lodouico, sæua pestis, & locustarum murumque incommoda, item calamitosi terræmotus Vngariam incessere. Præterea quum in omnes esset liberalissimus, qui regalis aulæ seruitiis obnoxij ex more fuerant, eos in nobilium ordinem perhumanè asseruit, ac eos seruitutis onere liberauit. Vxores ei fuere duæ, altera Caroli filia, qui deinde ad imperij Romani fastigiũ
10 euectus est, huic Margaritæ nomen fuit, quæ intempestiua morte subrepta, sine liberis vita decessit. Elisabetha altera, Stephani Bossonensis Bani (vt aiunt) filia, ex qua gnatæ tres genitæ, Catharina, Maria, & Adiuga. Catharina, pueritia non excessit. Maria, à teneris vnguiculis, Sigismundo Brandeburgensi, Cæsarea stirpe edito desponsata, Augustali potestate, & corona potita est. Adiuga, defuncto patre, regnum Poloniæ sortita, Optimatum consensu, Iagulæ Principi Lituanię coniugata, qui nondum orthodoxa fide initiatus erat, matrimonij fœdere, ex compacto in regnum simul Christianam professionem admisit, atq; Ladislaum appellari iussit, qui vno eodemque tempore fortunam nomenque mutauit. Lodouicum referunt pacem domi, foris bellum semper optasse, quando alterum
20 sine altero facilè comparari non potest, domi iusticiã, pietatem, & religionem, peregrè fortitudinem, seueritatem, animique magnitudinem, vtrobique prudentiam coluisse. Priuilegia populorum immunitatesque seruasse, sacrarum ædium iura læsisse nunquam, prouincias quas in Christi fidem asseruit, omni liberalitatis officio sibi conciliasse, in omnes demum, vel maximè in calamitosos ac miserabiles, fuisse pientissimum. Tyranni notam diligentiùs morte præcauit, quare non modò tyrannus nunquam visus est, sed præ nimia comitate ac clementia, ne Rex quidem, publicus pater vigilantissimus, regni custos, & propugnator inuictus esse dicebatur. Quum à pueritia venationes frequentauerit, ætatem grandiorem militiæ assumpserit, ad extremum, nactus ocium, à geren-
30 darum rerum molestiis, ad diuinam contemplationem se reuocauit: quantum in se fuit, publicis tunc negociis se subtrahere, sanctorum Patrum consuetudine vti, perpetuæ saluti impensiùs incumbere, vtrique simul vitæ officia persoluere, neque interim hostium insidias regnique tutelam animo eiicere, quod vt faceret, marium orbitas liberorum hortabatur. Vt regno consuleret, Sigismundum adoptasse dicitur, quem & Augustali genere, & excellentissima indole esse intelligebat; iacturam liberorum resarcire hoc modo placuit, ne ab re quidem, quando Princeps ille prudentissimus, Pannonicæ saluti neque commodiùs, neque honorificentiùs consulere potuit. Et sicut exitus rerum approbauit, quis eius viri sapientiam non admiretur, qui longè ante mortẽ futura prospexit, suo-
40 rumque saluti multò antè, quàm res ipsa postularet, vt in tempore consilia prouisa conferret, ritè consuluit? Annum demum Rex natus sextum & quinquagesimum, valetudine parum prospera laborare occœpit, ne aliter quidẽ, ac obtigerat, id futurum prospici poterat, quando bellici labores, quotidianæ curæ, caloris ac frigoris incommoda, assidua itinera, peregrinationesque corpus eius ita confecere, vt in grauissimum deinde morbum sanè coniecerint. Postquam desperata salute, extremum sibi diem imminere intellexit, coactis Optimatibus, regnum disposuit, in manus Mariæ filiæ, ne iubente quidem ipso, sponte sua omnes iurarunt, se haud aliter ac patrem eam obseruaturos, & non modò fidem obsequiaq; debita præstituros, sed pro eius nutu & imperio liberos, vires, cor-
50 pora, fortunas, ac diuina simul & humana, quum res tulerit, vltrò delaturos, pericula quæque maxima lubentissimè subituros. Explorata Procerũ studia quum promptissima inspiceret, admodum illachrymauit. Quum diem Lodouicum agere rumor esset, ita vulgò trepidari cœptum est, vt suæ quisque vitæ timere videretur, pro salute regia publica vota nuncupãtur, ad omnes oppidatim & vicatim aras homines operãtur, ne tanto defensore parenteq; orbentur: haud ali-

ter quidem omnis ætas ac sexus formidare visus est, atq; si hostes in mediis laribus habuissent. Ecce aliquantisper ante mortem eius, Cometes apparuit, quo Regi fatum instare omnes augurabantur. Increbrescente igitur morbo, idibus Septembribus diem obiit, tantumq; sui desiderium reliquit, vt præ cæteris hũc Regibus Pannonia deplorasse videatur. Promulgata morte, omnes ex oppidis & pagis in Vissegradum conuenere, confluxere vndique Principes, & Antistites, item nobiles, & prouinciarum omnium Legati, qui perpetuo exequiarum honore Lodouici obitum honestarunt. Variæ è cunctis populis auditæ voces, varij quoque matronarum vlulatus, quæ regionatim cum liberis haud secus, ac ad complorandum suum quisq; parentem, vltrò concurrêre. Hi patrem pientissimum, Regem clementissimum illi ingeminare. Pars defensorẽ fortissimum, & bellatorem inuictissimum alij exclamare, nonnulli dominum indulgentissimum vociferari, assertorem regni, & Dalmatiæ liberatorem multi dicere, domitatorem plerique hostium flere, nemo tamẽ pietatis officio se satisfacere posse videri. Quamuis certatim pro se quisque & ex corde ploraret, filiarum tamẽ vlulatus in tantam acclamationem populos incendebant, vt ad mortem vsque complorasse putarentur. E Pontificibus, & Sacerdotibus, item è Proceribus, & ordine nobilitatis, nemo siccis oculis spectari potuit, quin etiam in sacris multi Sacerdotes, è profluuio lachrymarum, vix operari potuere. E Præfectis equitum & militibus nonnulli, ne præ dolore indomito sibi manus iniicerent, adhibitis custodibus sunt inhibiti, & ni Mariæ consolatio succurrisset, quam pro Rege habituros se omnes proclamabãt, multi haud citra necem lachrymosum funus celebrassent. Quid plura, quantum eius mors & Vngaris & sociis mœroris attulerit, hinc facilè considerari potest, quòd annos tres vniuersa Vngaria pulla veste incessit, totidemque annis luctum regionatim celebrauit. Nusquam risus, iocus, sonus, chorea, aliquódve festiuitatis genus spectatum est, iustitium triennio indictum. Item pueri, veluti patre orbati, gemebundi omnes incessisse dicuntur, socij omnes, in primisque Roxani, Mysij, Bulgari, & Valachi ab eo domiti, in tristitiæ speciem barbam deposuisse feruntur. Omnes, præter Venetos, hunc Principẽ deplorarunt, quippe qui ad primum mortis eius nuncium tanta lætitia exultasse feruntur, vt nihil vnquam felicius, ac magis faustum exaudiuerint; quod ne ab re quidem, quando hunc vnicum Venetæ calamitatis auctorem, Dalmatiæ gratia, fore intelligebant. Corpus Albæ ad basilicam Diui Stephani, in ædicula, quam monumenti sui loco exædificarat, sepultum est. Sextodecimo pòst die, Regina Elisabetha, honestissimo Sacerdotum collegio sacellum magnificẽtissimè donatum decorasse dicitur, qui Lodouici Manibus quotidie operarentur. Diem Rex anno salutis octogesimosecundo, supra tredecies centum obiit, annis quadraginta, mense vno, diebus autem duobus & viginti regnauit. Hunc statura mediocri, elatis oculis, crinibus & barba crispa, sereno vultu, prominentibus aliquantulum labris, & humeris parum curuis, ac Regem cæteris longè præferendum fuisse memorant.

1382. (margin)

DECADIS SECVNDAE FINIS.

ANT.

ANT. BONFINII RERVM VNGARICARVM DECAS TERTIA,

LIBER PRIMVS.

POST Regis Lodouici mortem, duæ filiæ cum nepote Carolo superfuere, harum altera Vngariæ, Poloniæ altera sortita est regnum. Maria, natu maior, minor, Adiuga fuit. Carolus ex cognomento Paruus, viuente adhuc Lodouico, quem Andreæ Regis filium fuisse aiunt, Neapolitanum regnũ, vt deinceps referetur, occupauit: quem quidē an Lodouici (vt plerique) filium, an ex Andrea fratre nepotem dicere ausim, nondum satis exploratum habeo, nisi fortasse ab eo adoptatum planè dixerimus. Nam dum hinc Ligures mari, hinc Aquileienses, & Carrarij, Lodouici socij, Venetos terra vexant, paulò ante Clodianam classem, & transactam vtrinq; pacem, Vrbanus Pontifex, Ioannæ Reginæ insolentiam domitare cupiēs, Lodouicum exorauit, vt se adiutore, Andreæ fratris mortem cumulatiùs vlcisceretur, regnum reciperet quod suorum fuerat, eiiceret Ioãnam, non minus de suis, quàm Romana Ecclesia malè meritam. Delatam belli conditionem Lodouicus ne inuitus quidem accepit, vt veluti vtrique filiæ, ita & nepoti regnum compararet, & illud in primis, quod suorum auspiciis gubernari consueuerat. Quare Carolo, in Taruisino agro aduersus Venetos (quemadmodum supra diximus) agenti, mandat, vt inde profectus Ioannam impetat, paternum regnum recuperare nitatur. Carolus mandatis obtemperans, vocatis ad se Venetorum oratoribus, sub prætextu cum Veneto ac Ligure componendæ pacis, ac demum nulla eius habita mentione, sed aperto, quod animo moliretur, tam præpropera in Vngariam festinatione rediit, vt Comites octoginta, ad Planim fluuium, traiiciendo amiserit. Iannotum Salerni Principem, exercitusque sui Ducem reliquit, quem in Hetruriam properare iussit. Iannotus Albricum Cunij Comitem, & Ferrobrachium Germanum, vnius cohortis Præfectum, in societatem accepit. Hetruriam hic ingressus, coactis Florentinis exulibus, in Senensem agrum descendit. Senenses, & Pisani, Iannotum Salernitanum, multa pecunia placatum, ab agri vastatione submouere. id ipsum dum Florentini facere student, quia suos exules recipere cogebantur, à Iannoto nihil impetrare potuerunt. Ioannem Hancutum nominatum, stipendio pacto conducunt, vt eo Duce Iannotum repellant. Dum id agitur, Carolus ex Vngaria cum octo milibus equitum aduenit, in Aretinum primò agrũ erupit, vrbem Guelforum & Gibellinorum factionibus agitatam, in deditionem accepit. Senensem mox agrum ingressus, Florentinos infestat, qui dimisso confestim Duce, quadraginta milibus aureûm pacem Caroli mercantur. Hancutus Bagnacauallum oppidum Nicolao & Alberto Hestensibus vendidit, quibus Astorgius Manfredus Fauentiam paulò antè, ciuium proditione, clàm abstulerat. Carolus deinde vrbem Romam, vt Vrbanum Pontificem adeat, rectà contendit. Honorificè exceptus à Pontifice, data recuperandi regni potestate, forti animo, cum multis cohortibus, & validissimo equitatu id adoritur. Occurrêre continuò Ioannæ reginæ copiæ, quas quum illicò profligasset, iter Neapolim versus facere pergit: redintegrato iterum exercitu, hostes obstitere, quos quum sæpe fugasset, cecidissetque, Neapolim tandem peruenit, vrbem facta mox deditione recepit. Reginam in arce, quam Castellum nouum appellant, Ioannam obsedit, Albricum,

Ferrobrachiumque Germanum,exonerandi regni gratia,vltrò dimisit, vt præda,aut quauis exercitum vi pascere studerent. Episcopum Virdunensem Carolus Aretio sanè præfecerat,qui factionis perosus,Gibellinos & Guelfos sine discrimine vllo tractarat. Quum ciuium is animos nulla æquitate beneficentiaq; sibi conciliare posset,Iacobum Carazolum Neapolitanum ciuem, successorem sortitus est. Hic inita gubernatione, quum pari iustitia & æquitate vrbem factiosissimam pacare contenderet, suscitata à plebe Guelfa seditione, in arcem reiectus est,quo cum Gibellini quoq; confugêre. Carazolus Albricum in Tudertino agro tunc agentem accersi iubet,eumque in vrbem noctu clàm immittit,qui dum Guelforum audaciam coercere conatur, Gibellinorum quoq; bona diripuit,à mulierum violētia manus abstinuit. Ferrobrachius paulò pòst sequutus,quodcunque superfuit,totum abrasit,ingenti etiam præda Florentinos affecit. Hæc anno octogesimoprimo,supra tredecies centum, acta sunt, quo quidem tempore,noua quædam è Gallia tempestas exorta,Italiam incessit. Lodouicus enim Andegauensis,Francorū Regis & Clementis antipapæ suasu impulsus,non tam Ioannæ liberandę,quàm deponendi Vrbani gratia,cum triginta equitum milibus Italiam ingressus,in Bononiensi primùm agro consedit. Carolus periculum imminens conspicatus, relicto nobilitati Aretio, Albricum & Ferrobrachium ad se reuocauit. Quin & Florentini,ab Vrbano Pontifice exorati,Hancutū ad Carolum misere. Lodouicus, per Marsos, ad saltum Cassinensem peruenit,anno secundo secundùm Andegauensis aduentum,duodecim equitum milia è Gallia ad hunc transmissa,qui per Placentinum,Lucensem,Florentinum, & Senensem, in Aretinum tandem agrum Andegauio duce peruenere. In vrbem à Guelfis immissi,reluctantibus domi forisq; Gibellinis, vrbem tertio post Albrici cladem anno diripuere. Vrbis arcem,Guelforum præsidium tenebat, quæ diebus circiter quadraginta oppugnata, in Gallorum sanè potestatem venisset, nisi Lodouici fatum intercessisset: quo quidem cognito, Andegauius exoratus,deserta expeditione, Florētinis vrbem vendidit,soluta mox obsidione,in Galliam reuersus est. Pari quoque trepidatione Lodouici exercitus subinde solutus est, & solutione vsque adeo turpi, vt mendicantes bini trinive milites,in Galliam se receperint. Vrbanus deinde cum vniuersis aulicorum ordinibus, vt nepotem Capuano principatu donandum curet, Neapolim proficiscitur, quod quum præter sententiam accidisset, spe frustratus, in minas se conuertit. Carolus, intellecta Pontificis ambitione ac inconstantia, mox ei custodes adhibuit, quibus palatij exitum inhiberet. Vrbanus, dissimulata iniuria, & impetrata missione, Nuceriam æstiuatū se venire simulauit, vbi numerosam Cardinalium manum creauit, è veteribus septem, quos vnà cum Rege in Pontificem coniurasse dicebat, in carcerem sanè coniecit. Aduersus Carolum deinde agere occœpit,vt eū haud iniuria regno abdicare videretur. Diem Carolo abdicationis indixit,vt iure is in forum pontificium accersi videretur. Respondit Carolus,se ad indictum diem haud inuitum adfuturum, & comparatis continuò legionibus, Nuceriam profectus, non vt reus, sed vt Prætor & hostis obsedit,vt Marte potius quàm Centumuirali iudicio litem dirimeret. Intercessit Raymundus Baucianus, Vrsino genere natus, Nolanique Comitis filius,qui Tarentinum post hæc principatū nactus est: is copiis fretus,quas sub Rege ductarat,Vrbanum cū vniuerso apostolico collegio ad mare deductum,Ligusticæ classi imposuit. Qui dum Genuam nauigat,è septem Cardinalibus,quos Nuceriæ capi iusserat, quinque saccis inuolutos in mare demersit haud aliter atque paricidas,qui culeis insui, & in profluentem demergi solent. Sed ad Mariam historia nos redire cogit, vt ex eius coronatione, quid sibi, Caroloque acciderit, deinceps ritè narretur. Maria Lodouici filia, veluti pater testamento cauerat, Sigismundo Brandeburgensi, Caroli Imperatoris filio, & adhuc puero, ex compacto ita nupserat, vt ad maturas vsque nuptias virum non duceret, consummatis nuptiis,Sigismundum regni consortem pariter admitteret: hāc vltrò conditionem vniuersa tunc Vngaria acceperat, quum immortalia Lodouici Regis

Margin: 1381. — *Maria Rex.* — line numbers 10, 20, 30, 40, 50

Regis beneficia omnes pariter obstrinxerint. Quum intempestiuæ adhuc forent nuptiæ, Lodouicique patris merita vniuersos sibi deuinctos haberent, neque interregnum ipsi facilè paterentur, Mariam tanto studio, suffragiorumque successu, tota Pannonia in regni fastigium extollit, vt non modò Reginam, sed Regem pronunciarit, salutaritq́; Quod sexui natura detraxit, fortuna cōcitatissimo fauore rependit, pro Regina Rex passim salutatur, & donec virum duxit, iubente Pannonia, pro Rege semper appellata, & in cunctis diplomatis rescripta est. Quinetiam Albam ducta, subsequētibus cunctis Antistitum, Procerum, nobiliumq́; ordinibus, ritè coronatur, ne corona quidem sacra, diuino quodam numine Vngariæ Principib. destinata, hanc dedignata fuisse dicitur. hinc quanta Lodouici beneficentia, & quàm pia memoria fuerit, facilè coniici potest. Quanquam adulescentula regnum inierit, ac ætatis intempestiuitate, sui muneris magnitudini adhuc sat facere non posse videretur, materna tamen sapientia munus probè resarsit, ac longè profectò commodiùs resarsisset, si dexteriorem illa fortunam, in cuius potestate sunt omnium iura regnorum, sortiri potuisset, aut si è suo quàm alieno arbitrio maxima quæque gerere voluisset. Erat enim huic Nicolaus Gara, vir non magis genere quam opibus spectatissimus, quem Lodouicus quondam, ob rem bene gestam, ad Palatinatus (vt aiunt) munus euexerat: hunc potissimum Elisabetha mater in consilium admittere solita est, quando sibi fidum studiosumque nouerat. Quodcunque Regi Lodouico in vita is exoluere non poterat, ne ingratitudinis reus esse videretur, id omne vxori ac filiæ, post mortem, repēdere nitebatur. Nunquam à Reginæ latere discedebat, ne imbecillum sexum in tanta animorum varietate periclitari pateretur, quantum in se fuit, Elisabethæ consulebat, quæcunque dignitati aut saluti conuenire viderentur. Contrà illa vehementissimam Palatini fidem intelligere, nimium ei credere, ex eius profectò sententia cuncta gerere, ne illo quidem inconsulto quicquam agere, quādo in viro non parum fidei & consilij iam inesse, quinetiam totum seruitio suo addictum esse nouerat. Hic multum auctoritatis apud Reginam adeptus, parum cōmodè consulere subinde cœpit, ne suos Proceres nimis extollat, nimiúmve donet, hortatur, quandoquidem iam potentes effecti, imperata nō faciunt, detrectant fidem & obsequia, & repentina insolentia correpti, aliquid nouitatis moliri conantur, satius esse hos ita tractare, ne nimium obesse possint. Item præpotentibus quibusdam attenuādas esse vires, auferendos quoque magistratus, quicunque formidolosi sunt, ne quid insolentius audeant, fidelibus tātùm viris, qui nunquam à latere abeant, honores ac munera conferenda. Neminem se in Lodouici prolem spectatioris esse fidei constantiæq́;, quū vetera illius in se merita obliuioni tradere nullo modo queat. In ditionem proinde suam Reginæ mentem trahit, persuadet quæcunque cupit, & pro libidine sua cuncta facit. Occœpit ex hoc illa multos sibi è Proceribus habere suspectos, in plerosque profectò immerentes odium & suspicionem concipit, seq́; ipsa temere in nonnullorum inuidiam trahit, item odio haberi cœpta, quia non omnes æquè diligere videbatur. Quum alios aliis honorando præferret, ne mediocrem quidem discordiæ ac dissensionis materiam serit, inter Proceres quicunq́; se Nicolao præstantiores esse reputabant, eum vnicum, posthabitis cæteris, in consiliū admitti grauatè ferebāt. Conflata hinc immodica inter Optimates odia, & in Garam præsertim domum, quippe quæ non solùm prædominari, sed quemuis Procerū è Reginæ gratia submouere ac deprimere nitebatur. Hinc quoq́; immortalia Lodouici merita obliterari cœpta, fastidiriq́; virgineum planè sceptrum, & pro nihilo duci: suborta quoque mutua inter Magnates nobilesq́; bella, vim palàm pro se quisque inferre, rapere aliena, vicos & oppida ferro inuadere. Multi etiam rebellare, è proceribus pleriq́; deficere, qui alium Regem creare pergebant. Perfidia hos primùm incesserat, Zagrabiēsem Episcopum, Itala gente natum, & hac à Lodouico dignitate donatum, item Stephanum Vaiuodam Transsyluanum, & Andream, fratres, quibus Ladislaus pater fuerat, necnon & Stephanum Symonthoruiam, & Ioannem Croaciæ

Præsidem, & Ioánem denique Crucigerum equitem, Auronæque Antistitem, qui quidem omnes aduersus Mariam coniurati, Lodouici beneficio quôdam, honore & opibus excreuerant, quamuis humili loco nati forent. Ex composito cæteros clam adeunt, fœmineum incusant & execrantur imperium, vanam damnant Vngarorum patientiam: Nicolai Garæ tyrannidem ingeminant, variis criminibus insimulât, & quid periculi cuique nobilium instet, variis argumentis ostendunt. In horum plerique sententiam concessere, & in primis illi, qui nouarum rerum auidi esse solent. Addebât ad hæc, reginam bonis omnibus auersam, præclusisse aditum, Nicolaum duntaxat in consilium admitti, alios aspernari, maximam nobilitatis partem toruis oculis intueri, Garam tantùm familiam respicere, sordere illi Procerum seruitia, neque quantum olim sanguinis Lodouici temporibus hauserint, memoria tenere. Proinde nihil fœminarum imperio formidolosius & intolerabilius esse. Demũ si de optimo ac legitimo Rege cogitaretur, haud ab re fore. His ne parum quidem dictis coniuratorum numerus amplificatur, in quem magna quoque equitum se multitudo insinuauit. Quum hi, quos diximus, a Mariæ fide desciuissent, clandestina inter se concilia sæpius de eligendo Rege habuere, vnicuiq; solus Carolus ex cognomento Paruus veniebat in mentem. Quem quidem Apuliæ Regem, regali genere natum, & Lodouici nepotem, haud inuitis populis, tutò Mariæ imperio & Nicolai tyrannidi opponere se posse sperabant. At vbi inter eos de Carolo euocando conuentum est, Zagabriensem vno consensu antistitem, ad eum, oratorem mittendum esse decernunt. id negocij sibi demandatum non inuitus accepit, quando factionis huiusce auctor erat. Vt cautiùs res agatur, fœminea interim imperata faciunt, soluunt vectigalia, & nulla denique re, legitima obsequia detrectare videntur. Orator, ne quid noui moliturus in Italiam proficisci videatur, exsoluendi voti, & magnæ religionis gratia, se Romam profecturum simulat. Nondum annos Maria duos planè regnarat, quum is ad euocãdum Carolum in Italiam contendit. Quum Sipontum appulisset, continuatis itineribus, Neapolim venitquò quum venisset, & formidolosam in re quaque grauissima cunctationem esse reputaret, nil profectò sibi fuit antiquius, quam Regem Carolũ quam primùm adire, exponere mandata, & in sententiam continuò suam illum trahere. Quare sine mora Carolum confestim adit, ac impetrata clam dicendi copia, fausta in primis salutatione vsus, sic eum præreuerenter alloquitur: Sanctissima progenitorum tuorum memoria, Carole, qui quum Regnum nostrum pientissimè semper gubernarint, nulla obliuione obliterari queunt, nos huc adegit, vt ad te haud aliter, atque ad veras sacrorũ Vngariæ Regum reliquias confugeremus, rati nos, qui tuorum iuris ditionisque semper fuimus, in calamitatibus nostris à te nunquam destitutum iri. Quin & obfirmatis hoc semper animis certò sperauimus, Pannonicam te gentem, quæ sub tuorum tutela fuit, in vtraque nunquam fortuna deserturum. Non ignoramus clementissime Princeps, sacrorum regum sanguinem, ad te vnicum iam esse redactum, & in tanta principum orbitate, te superesse solum, quem tuam Vngariam curare, & auitum regnũ gubernare oportere intelligimus, atque vt quod nobis opus esse intelligimus, facilè speremus, Maiestatis tuæ præstantia nos hortatur, in quam omnium tuorum sapientiã, virtutem, fortunamque confluxisse intuemur. Quare quum spes vnica sis nostræ gentis, veluti ex mandatis dudum intelliges, nos ad te potiores Vngariæ Proceres miserunt, vt fluctuãtis regni & hæreditatis quandoque tuę reminiscaris, néve vsurpatum Italię imperiũ auito anteponas. Quàm honesta sit aduentus nostri causa, Rex breuibus accipies: Post Lodouici mortem, de tota Vngaria, & Christiana republica ita bene meriti, vt inter Diuos haud immeritò referendum esse censeamus, incredibili fauore omniumq; suffragiis ordinum, quando neminem alium hæredem eius in Pannoniis intuebamur, ob tanti parentis gratiam, qui nos immortalibus meritis obstrinxerat, Mariam gnatam, Regem salutauimus, atque ita iussimus appellari, vt hac promptissima gratitudine, Lodouici manes admodum promereremur, nobisque semper propi-

propicios haberemus, tati quoq; id non minus insolentiæ quàm vtilitatis nobis allaturum. Insuper tanto plausu eam coronauimus, vt nõ plus doloris, Vngariæ patris desiderium, quàm lætitiæ, inaudita Mariæ Regis acclamatio dedisse videretur. Verùm postquam fœmineo cuncta arbitrio geri cœpta sunt, longè aliter ac spes nostra tulerat, accidit, Elisabetha mater, quum intempestiuam adhuc regno filiam, ac sceptri impotẽ esse nosceret, vt eius resarciret officium, omnia pro sua & Palatini Garæ voluntate gerere cœpit, illum tantùm in consilium admittere, repellere alios Proceres, & pro Palatini libidine cũcta disponere. Multas is Elisabethæ temere suspiciones iniecerat, deferebat quotidie aliquos, deprauata consilia suggerebat, suadebat, vt plerosque, sublatis honoribus, sensim attenuaret, quorum virtutem formidolosam esse reputabat. Non igitur Maria, neque mater infelix, regnum gerit, Carole, sed Palatinus solus est, qui latè in Vngaria dominatur, sæuamque tyrannidem agit, & pro libidine sua, Reginæ bonis viris aditum præcludit, hos modò euehit, modò deprimit illos. Vnde tanta cunctos Optimates incessit indignatio, tantaque facinorosos inuasit audacia, vt depresso pudore, conculcatisque legibus & iudiciis, vis passim inferatur, exerceantur vbiq; latrocinia, & è Proceribus alter alteri bellum indicat, incendat vicos, homines & pecora abigat, ferro incendioq; demum omnia complectantur. Quin & ex priuato, bellum publicum exarsit, immo ciuile ac intestinum, quo mutuę Procerum nobiliumq; cædes indies augentur. Maria fluctuantis regni habenas nacta, partim per sexum, partim per ætatem tantis rebus moderari nequit, neque secus, ac Phaethon, puerili inscitia, & alieno furore trahitur, & quasi solio excussa, diffusa latè incendia stupens timensq; conspicit. Huc fatua nostra pietas, & vana fides adduxit, vt dum Lodouici nos manibus gratificari studemus, & idcirco Mariam Regem stolidè creauerimus, in grauissima nos ipsos & fortunas nostras mala coniecerimus. Maxima pars Optimatum ad te nũc venire me iussit, vt veluti maximo studio, nuncupatissimisq; votis te optauimus, creauimusq; Regem, ita te minimè cunctantem in Vngariam duceremus. Quamobrem Antistitum Procerumq; consulto ad te venimus, Carole, vnica sacrorum Regum veneranda propago, vt delatum sine mora regnum lubẽter accipias, regnum, inquam, non tam à nobis tibi traditum, quàm quia auitum est, hæreditario tibi iure debitum, quod sine impietatis ignauiæve nota recusare nõ potes. Hoc quod deferimus, tuum est, quod in Italia possides, alienum, & pontificiæ obnoxiũ ditioni, quod quidem precario tantũ haberi potest, item insidiosum, varium, & fallax. Quid in eo Andreas ille tuus quõdam subierit, quot bella Lodouicus & Vngari gesserint, quantum sanguinis effuderint, quot mala tolerarint, vtinam hæc, ne obducta iam vulnera rescinderem, refricaremque, mitiùs dicere liceret. Nunc autem quid Vrbani Pontificis iniquitas moliatur, satis superq; tibi cõpertum habere debes, quippe qui si sacrosancto collegio suo facinorosas manus non abstinuit, quónam pacto tibi parcet, quem non ad regnãdum in Italiam, sed ad eiiciendam Ioannam sibi admodum infestam, è Pannoniis euocauit? Propriæ potius, quàm alienæ semper vtilitati Pontifices studere, iam longa te experientia satis docere debuit. Item tu quoque testis esse potes, qui tot bella pro Neapolitano regno gessisti, quàm varia sint Italorum studia, & quot artes, quas præcauere nemo vnquam etiam sapientissimus potuit. Hoc regnum, nunc Romanos, nunc Græcos, nunc Gothos, nunc Lõgobardos, & post hæc Gallos, Germanos, Nortmannos, Aragonesque mutauit, nec aliquando Saracenos expauit, sola nouitate, Principumque strage gloriatur, & gaudet: nunc sub aliena ditione id & precario possidere opus est. Quàm variæ sint Pontificum voluntates, & quanti eorum fauores cõstent, tuorum exemplo, immo tuo exactissimè nouisti. Proinde consule rei tuæ Carole, memẽto te esse Vngarum, & è sanctorum Regum genere natum, tibique persuade, te tutiùs apud tuos, quàm alienos versipellesque imperaturum, quamuis præ sapientia viribusque tuis, & Vngarorum ope, vtrunque retinere poteris. Plurimos finge in hoc regno tibi inimicos, immo crede, quando quotidie experiris. Seuerina do-

mus, vetustate opibusque præpotens, infesta tibi est, Pontificem habes multò infestissimum. Ne Galli quidem desunt inimici, qui regno eiecti, & terra marique potentissimi,nihil aliud dies noctesque moliuntur,quàm vt debitum sibi hoc imperium recipiant. Quod si proprij commodi ratione haudquaquam moueuere,ánne pietatis officio te nunc abalienari fas est,& tuam gentem deserere, æstuantissima procella fluctuantem, cuius ope, ac multo sanguine, Neapolitanum tibi regnū comparasti? Num fluctuante Vngaria, in ocio tibi residendum est? quam si perditam videris, neque hîc, neque ibi profectò regnare poteris. Quare collachrymans ac supplex te nunc obtestatur & obsecrat Vngaria, vt in tantis malis se respicias, quippe quæ non modò externo, sed intestino quoque bello laborat,misereque vexatur.Gens misella ex polo arctiore profecta,ad Danubium occupatis sedibus, omnes finitimos infestos habet,in medio hostium sita est,& quando nunc forti moderatore caret, domi forisque sæuo bello conficitur.num siccis id oculis,& pacata mente spectare poteris, quum in Vngarica salute tuam quoq; sitam intelligas?Proinde Princeps inuictissime, quem Pannoniæ Regem,faustis auspiciis, à principio salutauimus, hanc expeditionem age, forti animo adorire, copias tibi spectatissimas coge, dispone extemplo regnum, fidaque præsidia vbique distribue. Viaticum tibi abundans attulimus, exercitum quoque coegimus, qui ad pacandam Pannoniam satis superque tibi erit. Modicis tibi copiis opus est, quandoquidem ad aspectum tuæ Maiestatis arma quisque deponet,quum salutarem aduentum tuum omnes expectēt. Veni igitur Carole,& regnū hæreditarium tibi recipe, miserere, quæsumus,patriæ gentis,cuius fide ac ope tantum nominis & imperij,tu cum progenitoribus tuis comparastis. Cogita idē nunc eorū manes te efflagitare,ac petere supplices,qui suum regnum,quod tanto studio in vita curarunt, nunc in rerum omnium discrimen redactum, per ignauiam & impietatem suorum, ire perditum ægerrimè ferunt. Felicibus itaque auspiciis,fauentibusque omnibus Diuorū Regum numinibus arma cape,in Pannoniasque traiice,Magnatum discordias compone,extingue incendia,& intestini belli faces,quas imbecillum mulieris ingenium,præ sexus infirmitate,extinguere nequiuit. Paterni regni habenas cape,quibus fœmineæ manus moderari non possunt. Gentem tuam externo bello circumuentam protege,quæ Ducem optimum sortita, vniuerso orbi formidolosa semper esse consueuit. Quanquam vana pietate, calamitosaque imprudentia peccauimus,quū fœmineo nos imperio fecimus obnoxios,tuus tamen aduentus errata corriget,& sceptrum quod fœmineas mollesque manus abominatur, à potentissima tua dextra susceptum,feliciter cuncta disponet. Itaque delatum tibi regnum accipe, & te ad faustissimam expeditionem confestim & audacter accinge. Secundùm orationem,mandatorum literas ostendit,potiorum Principum sigillis obsignatas, & viatici & auctorādi militis collatam stipem depromit. Carolus,Zagabriensis oratione persuasus, lætissimo Antistitem vultu amplexatus,gratias in primis Vngaricis Proceribus & Legato ingentes agit,& quū res sit maximi sanè momēti,ne quid temerè adoriri videatur, tertio die se respōsurum pollicetur. Interea honorificentissimo hunc hospitio excipi iubet, deinde se solum ipse admisit in consilium, hinc quietis ratio,cōiugis liberorumque suauissima cōsuetudo, & partum nuperrimè regnum in Italia,quiescere suadet. Neque illud fugiebat,quàm formidolosum sit,& arduum,noua quotidie moliri,incerta pro certis quærere,quo plura tentauerit, eo grauius fortunæ imperium subire,& per maiora quotidie discrimina vagari. Hinc sæua imperandi cupiditas miserabiliter angebat,se liberis prospicere oportere,vtile gloriosumque fore, alterum Vngaris, Italis alterum præficere, & se vtroque regno potitum, cuncta facilè pacaturum. Succurrebat interim laborantis Vngariæ commiseratio,ignauięque nota,atque virum,quem natura genuisset ad regnandum,si oblatum & hæreditarium regnum vltrò recusarit, pusilli crimen animi nunquam euasurum. Vicit tandem regnandi cupiditas, & quando charissima sibi vxor erat,consilium cum ea communicare statuit,aperit illi animum,& qua potest ratione,

tione, in sententiam suam trahere nititur. Legatos ab Vngaris venisse nunciat, qui regnum offerunt, occasionem hanc censet haudquaquam aspernandam, quando quàm varia sunt Apulorum studia,& Italorum insidiæ, experientia docuit. Addit Vrbani Pontificis,& Seuerinæ domus inimicitias,item infestos Gallorum animos, qui ingentem nuperrimè classem, & terrestres copias in ipsum compararunt. Præterea se filium natu grandiorem secum in Pannoniam ducturum, se regno potitum, confestim gnato sceptrum & diadema traditurum, pacatisque rebus, in Italiam continuò rediturum, vt Vngaricis opibus & auxiliis Neapolitanum quoque imperium tueatur. Demum quando potestas omnis a Deo est, se non inuitis Regum numinibus, ad auita sceptra vocari. Quum hæc vxor accepisset, veluti imminentis præsaga mali, tanto dolore correpta est, vt hæc lachrymãs verba fecisse dicatur: O quàm malis huc auspiciis infausti ad nos legati aduenere, ô quàm deprauato cuncta iudicio, mi Carole, pẽsitasti: nescis, heu nescis, quàm grauis semper fuerit Vngaria malorum omnium officina. Tot intestinis illa dolis, simultatibusque completa est, vt donec mutuis externisq; cædibus ad internecionem peruenerit, nullum vnquam ocij vestigium in Pãnoniis intueare. Gens est, cuius animus nunquam patet, nouos in horam dolos excudit, decies in hora mutatur. Vultus ad alienæ mentis habitum effingitur, aliud in ore est, in corde aliud: quod quum semper subornatum sit, ex alieno semper incommodo, ac Regum mutatione sibi quæstum facit. Exultat cædibus, crudelitate gestit, & plus quàm barbara passim feritate grassatur. Nil quiete vehementius abominatur, primas ex more in suum Regem insidias intendit, quod superiorum te Regum exempla docent, è quibus si rectè memineris, quid tibi consilij capiendũ sit, facilè colliges. Proinde coniunx dulcissime, perfidæ gentis pollicitationes abnue, non regnum hi patrium, sed proprium tibi deferunt exitium. Scythicis artibus ne crede quæso Carole mi, si tibi tuorumq; saluti probè consultum iri cupis. Habenda est etiam sororum tuarum ratio, neque Lodouici manes, de te, de patre tuo optimè meriti, mente tibi excidere debẽt. Paulò is ante mortem, te cum validissimo equitatu misit in Italiam, suo ductu & auspiciis Apuliæ regnum occupasti. Sat igitur amplè in Italia dominaris, hîc tibi regnum, hîc liberi, hîc vxor est, hîc tua deinde est Vngaria, pro hac pugna, hos tuere. Ne fas quidem est, te Lodouici violare testamentum, quippe qui Mariæ, cui Sigismundum, Caroli Imperatoris filium, pro viro destinarat, Vngariæ, tibi verò Apuliæ regnum legarat. Si quid in virginem innocentem, in paterno regno sitam, pro aliena libidine molieris, grauissimas (mihi crede) pœnas expendes. Nunquam innocentis sexus, & præsertim fœminei, calamitates & iniurias Deus æquo animo tolerauit, in cuius tutela potissimùm sunt virgines constitutæ. Non regnum hercle repetis, sed in tuum sanguinem arma sumis Carole, vnde tibi liberisq; tuis paras exitium. Quòd si huiusce regni discrimen obiicis, ne tibi rebusq; Italicis diffidas, explorata Dei benignitas hortatur. Othonem Bauariæ Ducem, paulò antè numeroso exercitu Italiam ingressum, vt te regno eiiceret, diuina ope repulisti. Cum triginta equitum milibus Lodouicus Andegauensis Italiam inundauit, & repentino mox fato præuentus, tantum exercitum in tot calamitatibus dimisit, vt bini ternive mendicando in Galliam se receperint. Quare Pannonum artes caue, oblatum regnum, immo cædem exitiumque tuum recusa. Sacram tui sanguinis aulam ne incæstato, néve Lodouici violato manes: quod si contrà feceris, perniciem hinc tuam, quod diuina benignitas auertat, imminere scito. His dictis, humi prostrata, Regis genua supplex amplexatur, & ne expeditionem infaustam suscipiat, per Deos, per liberos, per cũcta denique humana diuinaque obtestatur. At ille pertinaciùs proposito instat, mulieris animum consiliumque à sexu metitur, necnon coniugali haud parum affectui tribuit, pòst vbi aduersam sibi vxorem intelligit, mentem dissimulat, solatur pro virili sua, & ne quo se metu cruciet, admodum hortatur. Dimissa vxore, ingenti propagandi regni cupiditate succensus, legatum acciri iubet. Quum ille subinde venisset, Rex gratiora opinione responsa dat: Se delatum

Vngariæ regnum vltrò accipere, sacrum diadema,& tanti momenti sceptrum, quæ suorum maiorũ insignia fuere, quando sine scelere facere non posset, nunquam recusaturum, immo nil sibi oblato munere antiquius futurum. Debiturum se perpetuò Pannonibus, qui regalium reliquiarum non obliti, è media eas Italia abducere studuere: si inita iam consilia bene successerint, cumulatas se omnibus gratias,& vniuerso regno salutem relaturum. Interea quæcũque moliatur, omnes Reginam celare iubet, ne plus æquo excarnificetur. Zagrabiensis Antistes, responso gratissimo potitus, ad parandam classem hortatur: horrebat tunc sæua hyems. Carolus dum nauigare non licet, classem struit, delectum habet, pecunias congerit, commeatus vndique præcipit afferri: Legatus allatis eum nummis adiuuat, quæcunque bello sunt vsui, comparari studet. Carolus iam cuncta ritè parat, ne maxima cœpta temere iniuisse videretur, & ne regni Neapolitani periculo sollicitaretur, omnes arces munitionibus, præsidiis,& commeatibus satis instruxit, fidos prouinciis præfectos imposuit. Compositis demum Italiæ rebus, quum nauigationis dies instaret, vxorem solatur, ne proficiscentem virum tam miserè deploraret. Quanquam ambitione traheretur, vxoria tamẽ dicta animo volutabat,& admodum verebatur, ne certi hæc augurij locum sortirentur. Quare ne qua Reginã desperatione conficeret, néve susceptæ expeditionis periculo vniuersam domum committeret, filium quem secum ducere statuerat, in matris solatium reliquit, quam alio pacto nunquam ab intemperato dolore coercere potuisset. Hæc vbi omnia ritè disposuerat, primo tempore, cum honestissimo Regulorum & nobilium equitatu, Sipontum venit, Legatus nunquam à latere discedebat, qui ne Reginæ lachrymis & precibus mollitus remoraretur, summo studio cauerat. Paratam sibi classem conscendit, tempestiuamque nactus nauigationem, octauo die Segniam appulit. Ex composito ante eius appulsum, cum vna legione nonnulli Proceres illuc sanè conuenerant, vt aduenientem Carolum honorificentiùs exciperent, & in primo regni aditu Regem salutarent. Cum maximo plausu & congratulatione Segniam introducunt, faustis eum cognominationibus acclamantes: curatis ibi triduo corporibus, instructo agmine montem Adrium superãt, sextoque die Zagrabiam veniunt. Antistes vrbis, quem Vicum plerique Italicum quondam vocitatum fuisse volunt, vt pro legationis officio magnificè Regem acciperet, quàm gratissimo potuit hospitio, Carolum admisit. Aliquot ibi dies cunctandum esse censuit, vt noui Regis aduentum omnes audirent, quo plures à mulierum fide deficerent, fœmineum aspernarentur imperium, & eius indies expectatio augeretur. Hinc literis interea fautorũ numerus amplificatur, incẽduntur amicorum studia, nutantium animi confirmantur, & aduersariorum pars magna, partim promissis, partim largitionibus conciliatur, quin etiam facinorosis impunitas, immunitas ciuitatibus, vectigalium remissio populis, militibus stipendia magna promittuntur. Clandestini quoque nuncij ad Regulos & Proceres mittebantur, vt suffragia vndiq; pararentur, multis honores, pontificatus, ac munera maxima proponebantur. Quibus quidem artibus, tot fauores sibi Carolus planè conflauit, vt nemine reluctante, regiam occupare posse videretur, quare multorũ quotidie literis ad capessendũ regnum inuitabatur. Quæcunq; hactenus in eas Carolus moliebatur, ne Maria quidem & Elisabetha penitus ignorabãt: dissimularant profectò multa, quando fœmineo sæuire imperio non licere intelligebant, ad id viro duce opus esse nouerant. Sigismundus, qui viuente adhuc Lodouico, puer ex Augustali in regiam aulam translatus erat, vt Vngaricam linguam & mores ibi regnaturus imbiberet, intellecta nouarum rerum mole, ac festinante socru nuptias celebrauit, ne quo regale cõnubium impedimento rescindi posset. Quum debitum sibi regnum haud parum inuidiæ sanè conflasset, quod Caroli factio suscitarat, ad declinandas Vngarorum insidias, quum suum competitorem adesse nouit, deserta coniuge, in Boemiam se recepit. Transactarum fama nuptiarum mens Caroli admodum consternatur, siquidem Cæsarem, sua causa, gnatum Vngariæ regno exigi, nunquã æquo animo

animo toleraturum arbitrabatur, sed pro restituendo filio extrema quæq; tentaturum; itaque admodum sibi timere cœperat, quoniam Imperatoris vires & auctoritatem minimè ignorabat. Mulieres post Sigismundi abitum in regia desertæ, dissimulata nouitate, nuncium ad Carolum mittunt percunctantes, an is vt frater patruelis, an vt hostis venturus esset. Atq; hoc haud ab re se facere scribunt, vt si fratrem excepturæ sint, obuiam (vt par est) prodeant, debitisq; officiis excolant; sin hostem, quod minimè credunt, inermes veniam exorent. At ille dissimulato scelere, sororis gratia, quam regni procella nimium vexari audiuerat, se Lodouici pientissimi memoria commotum, venisse respõdit, ne Mariam
10 tot malis obsitam periclitari pateretur. Ad componẽdas Procerum discordias, ad curandas simultates, ad pacandum deniq; regnum, Pannonias reuisere profitetur, proinde metu quoq; & suspicione ambas carere iubet. Spem Sigismundi timore collapsam resumit; nam dum mulieres, quæ per nuncium significarat, credere arbitratur, sub charitatis auxiliique prætextu, regnum tutò occupare confidit: quare Budam versus iter ocyus init, eum & suæ & amicorum copiæ subsequuntur. Reginæ quoque, accepto responso, quanquam sibi intelligerent verba dari, tamen quum hostis aduentum vi repellere nõ possent, pari hunc arte eludere pergunt, dolis certandum esse censent, quando se quoque dolis peti sentiunt. Se ad excipiendum fratrem, non hostem accingunt, vbi Carolum ap-
20 propinquare rumor est, aurato curru inuectæ, in occursum prodeunt, dolorem metumq; dissimulant: at vbi ad congressum peruentum est, hilari fronte accipiunt, mutuis se amplexibus confouent, ob sanguinis memoriam lachrymas interfundunt, quamuis vtriq; pariter ambitio inhæreret. Mox Budam, vnà iunctis agminibus, iter capiunt, at vbi ciuitatem subeunt, Carolus, vt suum eo magis animum celaret, modestiam charitatemq; præferret, non arcem ac regiam, sed priuatum hospitium subiuit, & donec occasio daretur, regalibus tectis abstinendum esse censuit. Quum inter Mariam & matrem ibi medius consedisset, Elisabetha hæc verba fecit: Nemo satis charitatem tuam Carole admirabitur, gratissimumq; animũ dignis laudibus prosequetur, qui nostri gratia, & Lodo-
30 uici memoria, regno, vxore, liberisque relictis, calamitates nostras, & Vngarica mala miseratus, traiecto mari, ac superatis Dalmatiæ montibus, in Pannoniam venisti. Rem profectò non minus te, quàm maioribus tuis dignam fecisti, & quanti Lodouici Regis beneficia feceris, planè hoc tempore ostendisti, quippe qui, re postulante, parẽ gnatæ vicem referre studes. Lodouici pietatem æmularis, qui & quid pro patre tuo, & quid pro te gesserit, salutari hoc aduẽtu tuo probè significasti. Quæcunq; in nos beneficia contulisti, & maiora indies conferre pergis, quamuis hinc nos tibi perpetuò debituras ingenuè fateamur, cumulatas tamen si à nobis gratias, quando fœmellæ sumus, sperare non potes, à Deo cumulatissimas tandẽ exiges, qui vberrima præstitæ pietatis officia rependit. Nos
40 tibi deditissimas esse scito, fortunis & autoritate nostra pro arbitrio tuo vtitor, tuum (vt par est) sanguinem, tuamq; sororem tutator, interea, quando labor itineris ita iubet, in humili, quod optasti, hospitio requiescito. Carolus ad hæc, quòd grato se hospitio acceperint, gratias agit, ad exsoluendum charitatis officium se venisse iterũ affirmat, asseueratq; se magnanimi piiq; Lodouici beneficia nunquã obliteraturum. Post hæc digressæ mulieres, in regiam se recipiũt, & quid Carolus indies moliatur, sagaciter inuestigãt, adeuntes & abeuntes obseruant, subornant exploratores multos, qui cuncta diligenter inquirant. Nicolaus interea Palatinus, cuius inuidentia factiones exortæ fuerant, à Reginæ latere non discedit, stipatores cum prætoriana cohorte fidelissimos adhibet, ne
50 quid insidiarum Mariæ intendatur, quum hostem in media penè regia intueatur, qua possit arte præsenti hãc periculo liberare, huc omnes ingenij neruos intendit. Dum insidiis vtrinq; certatur, Carolus occupãdæ arcis tempus obseruat, concursum ad se Procerum indies augeri, contrà mulieres ac regiam à paucissimis adiri, contemptuiq; sensim haberi conspicatur. In primis, vt rem tutiùs agat, Gubernatoris, ad declinandam aduersariorum inuidiam, sibi nomẽ vsur-

pat, sub gubernationis prætextu arcem regiam subit. Interea perniciosorum quorundam opera, ad declarandum hunc Regem, & ad deponendam Mariam plebs ipsa sollicitatur, quando fœminei sexus imbecillitate, sub Mariæ imperio, quot mala Vngariam incesserint, quisque nouit. At illa nouitatis auida, mulieribus primò clam illudere cœpit, mox palàm dicere, infelices Vngaros, quibus mulier imperat, præposterum humanarum rerum esse ordinem, qui viros fœminis fecit obnoxios, inuersa iam esse Naturæ iura, nec superesse aliud, quam vt viri mulierum loco nent, pensa disponant, contra illæ pro his arma sumant, & virilia passim munia obeant. Proinde inuersos naturæ mores non vltrà tolerandos, virile reuocandum esse imperium, ne effœminati vbique gentium Vngari prædicentur. Hæc dum illæ audiunt, per vicos, compita, foraque vulgò inclamari, non tam regni iactura, quam vitæ periculo grauiter angebantur, ratæ instare mortem, tumultum & seditionem imminere, se dudum perfidia Procerum ad extrema supplicia raptum iri, quare profusum domi luctum extulerant, & Lodouici Regis merita tam citò apud Vngaros interiisse vociferabantur. Carolus vulgi fauoribus elatus, haud vltrà cunctandum ratus, frequentissimum conuentum sub specie pacādæ gentis indicit, & vbi Rex ab omnibus crearetur, ne mulieres quidem ignorabant, regalia illa fore comitia. In Budensem arcem Antistites cum Proceribus conuenere, cuius fores Itali obseruabant, ibi de eligendo Rege agi cœptum est. Maxima pars Optimatum, cum obscura multitudine, Regem Carolum declarat, pauci, qui Mariæ fauebant, præ timore plebis subticuere. Iussu Populi Rex pronunciatus, cunctorum ferè Procerum auctoritate comprobatur. Antequam conuentus ille solueretur, infaustus confestim nuncius ad Mariam properauit, qui eam regno abdicatā, sceptro cedere iubet, id Procerum decreto, & Populorum iussu factum esse refert, ne sub muliebri imperio Pannonia vlteriùs periclitaretur. Iam satis omnibus experientia compertum esse, quid sexus & ingenium muliebre possit. demum monet, vt quando Respublica ita iubet, regno cedat, sacrum diadema sceptrumq; resignet, ne sola nequicquam omnibus aduersari videatur. Ad primum illæ nuncium animo cōsternatæ, verba vix facere potuere, sed quum aliquātisper resipiscere occœpissent, Maria prior hæc breuiter respondit: Paternum diadema nunquam resignabo, mihi iure datum, neque hæreditario iuri, quo regnum hoc accepi, renunciabo vnquam, vos autem, quam iniuistis viam hac pergite, ego contra torrentem brachia nō tendam. Mihi sat erit, si vos per Lodouici patris memoriam exorare potero, vt mihi, beneficio vestro, in Boemiam, tutò ad virum confugere liceat. Gnatæ responsum Elisabetha resarsit, Iniquus (inquit) in nos esses amice, si tam citò tibi responderi postulares, quando mulieris ingenium cōsilij minimè compos, extemporaria responsa reddere non potest. Proinde abi, atque his, qui te huc miserūt, ista dicito: De nostra Caroli que re iuxtà agi, nos eadem habitare palatia, vbi coràm responsa dare possumus. Sic improbum nuncium in eius inuidiam talia significantem Elisabetha dimisit, deinde redintegrato cum filia luctu, mutuis sese amplexibus confouent, materiam flendi certatim suggerunt, & lachrymarum sympluuio sese aspergunt, sæuit vtrinque dolor, quando de vita & dignitate simul agi vident. Ne minus quidem impigrè matronæ ingenuæ, & ancillarū multitudo planctum adaugent, & nil magis omnes quàm extincta Lodouici Regis merita & immortalium beneficiorum obliuio ad lugendum hortatur, ingratitudo hæc ad luctum irritat, omneque solatium longè repellit. Vna voce vltorem Deum exorant, ingeminant diuinam iusticiam, & furias, proditorum vltrices, ac Lodouici manes Carolo & fautoribus imprecantur. Desidente aliquantisper planctu, mater filiam hortatur, vt quando Carolus regno iamdudū potitus, coronam exposcit, atque necem interminatur, regia cedat, in priuata se tecta referat, ne facto populi rugientis in aulam impetu, vita simul & regno vtraq; spolietur, plus quàm efferatum affirmans esse Vngaricū furorem, quando nulla dignitatis, meritorum, & sexus apud hos ratio haberi soleret. Multo immaniùs sæuire, quàm feras, citò deferuescere, in furore nil pensi habere,

habere,neque quid agant,neque quid futurum ſit cogitare, ſed fera tantùm libidine trahi, ceruices præferre humiles, atque vbi in iras excanduere, rationis omnino fieri expertes. Adiicere ad hæc,opes,regna,potentatus,in fortunę manu eſſe,hanc pro libidine ſua rebus humanis moderari. Humanę quoq; conditionis eſſe,calamitates,exilia,miſerias,vincula,inopiamq; pati,quando malis omnibus nos obnoxios eſſe fortuna iubet. Nihil homine miſerius finxiſſe naturam,neque magis inerme, Deum conditionem noſtram miſeratum, intus tantum hominē ratione muniuiſſe, qua nos docuit vtranq; mediocriter ferre fortunam,eum ab alto humana corda reſpicere, obſeruare cuncta, innocētes tueri,& nullum denique ſcelus impunitate donare. Demum conſulere, vt aulam deſerat, furoriq; infrendentis populi cedat. Maria propoſito adhuc perſtat, cui certum erat,malle mori,quàm aula cedere,coronámve reddere. Mater his dictis,deſiccatis parumper oculis, Carolum adit, Vngariam (inquit) immitem & aſperam,quādo muliebri manu gubernari nequit,mi Carole nunc accipe, progenitorum regno potire, Pannonicis rebus pro arbitrio tuo moderare, nos in priuatam vitam, quando ita fortuna iubet,miſſas face. Hinc rumor per vrbem vanus effunditur,Mariam regno ac diademati renunciaſſe. Carolus demum Eliſabetham bono animo eſſe iuſſerat, hanc pro matre, pro ſuauiſſima ſorore illam ſe habiturum pollicebatur, demum quacunque arte poterat, his verba dabat. His Carolus elatus,& in tanto ſucceſſu properandum eſſe ratus,coronationis tempus adurget. Albæ conuentum frequentiſſimum edicit, coronam ſubtractam,illuc præcipit afferri; ad celebritatem hanc Eliſabetham & Mariam inuitat,& illic ambas,quando cōmunis res agebatur,adeſſe iubet. Quare ad præſtitutum diem, quadrato agmine Albam contendit, quem omnes Antiſtitum Procerumque ordines ſequuti ſunt, armatus non modò vrbem cum inſtructa acie,verùm etiam Diui Stephani templum inſolēter ingreditur,circa baſilicam præſidia diſponit. Adfuere ex compoſito mulieres, quæ ſe ad ludibriū exacerbandumq; dolorem potius, quàm ad celebritatem honeſtādam accitas eſſe reputabant,diſſimulandum tamen eſſe Eliſabetha cenſebat,veluti vltorem quandoq; tantæ audaciæ Deum fore ſperaret,quin etiam ſub diuinæ humanæve vltionis ſpe, filiam imparem diſſimulationi allexit. Coronationis die, quum ex imperato in baſilicam veniſſent, ad magnam primùm Diui Stephani aram ſupplicant, mox antequam circùm ſacella luſtrent,in Lodouici ædiculam, quæ ad dextram eſt, deflectunt, vt inferias operentur, & ad ſepulchrum eius manes ritè placent: quò quum veniſſent, luctum clandeſtinum ibi inſtaurant, quamuis adhuc conclamatum nunquā ſatis eſſet, ſepulchrum lachrymis oſculisq; aſpergunt. Maria ſupplex tumulum amplexata, Quid me miſeram (inquit) pater reliquiſti? quid infelicis gnatæ deſeruiſti curam? Poſtquam inter Diuos relatus es, prout tua in Deos hominesque merita poſtulabant, nimirum vnà cum corpore humanarum rerum curam depoſuiſti, ne quo huiuſce ſollicitudinis affectu initam beatitudinem inquietares. Filiam, quam regno præfeceras, cur ita periclitari pateris, naufragium noſtrū ab alto deſpicis, & ſiccis hæc oculis Diue pater intueris? Beneficia tua facinoroſorum audacia, & ingratitudine Vngarorum interiere,filia cū miſera matre non modò ſolio deturbata,ſed in ſummum populi ludibrium adducta, circumuenta ab hoſtibus, de præſenti morte cogitare cogitur, dignitatis ac vitæ iacturam nos vnà ſubire, improbitas fraterna iubet. Tu autem pater,ſi qua ſupereſt tuæ gnatæ memoria,nos ē cœlo reſpice. Si id Pannonicæ ſaluti cedit, ac numina ſuffragantur, veluti moriēs legaſti, dignitatem tuæ filiæ tuere; ſin autē fata obſtant,celeri me morte his malis præripe, ne apud gentes omnes infelix ludibrio habeatur. Mox caput ibi vſque adeo incutere cœperat,vt ni à cæteris matronis fuiſſet inhibita,ad paternū profectò tumulum,obfirmata mente,animam dimiſiſſet: occurrit extemplo mater acriùs increpitans. Peractis breuiter inferiis, inſtante coronationis hora, ſiccis oculis,& diſſimulato dolore,ſuggeſtum vtraq; conſcendit. Inter ſolennia ſacra, veluti moris eſt,Carolus ſolio præſidens, regalia expectat inſignia. Strigonieſis

Antistes, cuius munus est pronũciatos Reges coronare, sacrisq; Regalibus initiare, accepto diademate, quod capiti eius dudum impositurus erat, ex more ter rogat, an populus hunc Regem esse iubeat. Præter eos, qui Caroli studiosissimi, & qui ab his subducti fuerant, pauci acclamarunt, & quo intentiùs ille rogabat, eo remissior erat acclamatio. Ex abdicata Maria, quæ cum matre aderat, & ingruente Diui Lodouici memoria, ex insperato quædam indignitas & commiseratio magna ex parte ita conuentũ incessit, vt nemo ibi fuerit, qui non admodum referuescentes hominum animos fuerit admiratus. Transacta solenni coronatione, multo magis Vngarorum studia referbuere, quin etiam si ibi autorem habuissent, quum nemo Mariam regno iniuria spoliatam sine lachrymis intueretur, parum abfuisset, quin tyrannum in templo trucidassent, affectassent id potissimũm Mariæ sectatores, si ducem habuissent. Nouitatis huius auctores, conscientia perciti, subtristes plausus & congratulationes edidere, item cæteros omnes huiusce facti pœnitentia subiit. Quod stolidæ multitudini est ingenitum, vt quod iniquè imprudenterque dudum affectarit, immutatis subinde animis oderit. Ex inauspicato Carolum coronatum affirmant, quod subsequutum prodigium ostẽdit. Præfertur ex more nouo Regi Diui Stephani vexillum, cum assumptis regiis insignibus, procedẽteque Procerum Antistitumque multitudine, absoluta coronatione, è templo prodit: id quum arduum & sublime præferretur, ad postes templi sensim illisum, in varias partes laceratum concidit, veluti qui malo dolo sceptrum occupatũ grauatè ferret. Increbrescente autumno, triduo tam sæua tempestas cœlum inuasit, vt nimbis & tonitruis omnia quaterentur, deturbarentur fastigiata passim tecta, xylimbrices longè lateque aera peruolarent, conculcarentur domus, & valida etiam ædificia nutarẽt: item hinc in homines ac pecora tanta est effusa calamitas, vt non parum ex his occiderit. Superuenit his innumera coruorum multitudo, quæ regia tecta circumuolans, nulla vi repelli potuit, turmatim quandoque fenestras impetebant, ac veluti strangulati crocitabant, congrediebantur inter se infesti, & æquè atque instructa acie pugnam conserebant. His tamẽ auspiciis Carolus parum credere, dissimulare metum, & obfirmata spe ductus, omnia bene sperare. Mulieres omni ferè dignitate iam dudum exutæ, velut in priuatum hospitium, in eãdem arcem se redegerant, soloque Nicolao Palatino consultore vtebãtur, cui ob exploratam in vtraque fortuna fidelitatem tantum tribuebant, vt hunc veluti antea, potissimum consiliarium & moderatorem haberent. Quum sæpe Maria de prærepta dignitate quereretur, rogaretque, án ne aliquo modo recuperare posset, Palatinus ad id animum intendit, neque assiduus harum luctus, neque Lodouici Regis de ipso optimè meriti memoria eum quiescere patitur. Elisabetham percũctatur, an Carolum, qui regnũ dolo inuaserat, è medio tolli velit, affirmat illa nihil hac re sibi futurum antiquius. Intellecto mulieris animo, Palatinus fortissimum sibi virum esse retulit, cuius audacia operaq; tyrannus facilè perderetur. Rogatus nomen, Blasium ex cognomento Forgach appellatum esse respondit, è cuius genere, qui ad Ghymes oppidum dominantur, propagati esse traduntur, atque id Blasio pro facinoris huiusce mercede datũ esse perhibent. Hominem clàm acciri iubent, quæcunque fieri volunt, illi aperiunt, mercedem pollicentur amplissimam, sempiternam quoq; gratiam offerũt: modum hunc patrandæ rei vnà comminiscuntur, vt è sentẽtia cuncta proueniant. Palatinus ad gnatæ nuptias propediem se iturum commentatur, vt domo instructa cohorte prodire, impetrandiq; commeatus gratia, in arcem Carolum adire liceret, cui mortem moliturus erat. Commonefacit omnes Mariæ fautores, quos fidos esse diu nouerat, iubet clandestinis armis regiam obambulare, vt si quid res auxilij postulet, quam nondum aperuerat, præstò adsint. Elisabethã reginam edocet, vt Rosarum die, quarũ Februario mense solennia celebrantur, ficta causa Regem ad se aduocet, acceptas à Sigismundo literas commentetur, quarum gratia secreta quędam se cum eo communicaturam significaret, quę magni admodum momenti forent. Omnibus coniuratis præstitutum diem indicit, nec

adhuc

adhuc rem omnem, quo cautiùs agatur, detegit. At vbi hic dies aduenit, Blasium, qui facinus patraturus erat, secum ducens cum instructa manu, veluti ad gnatæ dudum nuptias proditurus, ad arcem concessit, ac eadem hora admonitus, Reginam adit, qua accitus ad eam Carolus aduenerat, vt omnia ex composito gererentur. Carolus omnis expers suspicionis, inter Elisabetham & Palatinum medius intersedit. Palatinus Regem prior alloquutus, cõmeatum exorat, proximas filiæ nuptias causatus: quod haud ab re factum est, vt omni virum suspicione liberaret. Regina Sigismundi literas adiecit, de quo quidem conciliando nonnihil agi cœptum est. Inter colloquendum, è composito Palatinus Blasio signum a limo oculo dat, vt Regem stricto gladio adoriatur; Blasius imperata peragit, Caroli caput ad oculos vsque diuidit. Rex lethali vulnere confectus exclamat: Itali, qui cum Rege venerant, & colloquio cesserant, ad clamorē conueniunt, spectato Regis vulnere, animo consternantur. Blasius per medios, cruento gladio fretus, ad Palatinam cohortem effugit, quam ad regiæ fores Palatinus dudum ipse reliquerat. Elisabetha præ timore in atrio exanimata concidit. Rex fatiscente capite pauimentum cruore latè respergens, in cubiculum, vnde paulò antè prodierat, se recepit. Palatinus rei successu admodum confirmatus, in regiam milites, quos secum adduxerat, introire iubet; hi facto impetu, curiam occupant, Italos eiiciunt, arci foribusq; præsidium imponunt, ita tumultum in vrbe, sumptis armis, excitare conantur. Pauci Regis amici cõuenere, qui quum neminem ad arma excitari cernerent, reformidare cœperunt, ad arcem concurrunt, quam vbi à Palatino occupatam intuentur, desperatis Caroli partibus, rediere. Qui autem Mariæ partes sectabãtur, intempesta nocte vi curiam ingressi, Regem saucium abstrahunt, & in alta turri, quando moribundum intuebantur, asseruari iubent. Itali desperata salute Regis, ne à fera gente trucidarentur, eadem nocte clàm versus Italiam iter ineunt, sat magnum sibi quæstum fecisse rati, si incolumes domum se reciperent. Nondum illucescente die, innumera multitudo è proximis pagis oppidisq; conuenit, quæ Budam ingressa, magno clamore Mariæ Regi feliciter ingeminat, Diui Lodouici filiæ feliciter, Sigismundo viro feliciter. Tyranno Carolo, eiusq; fautoribus exitium imprecatur, mox ad rapinas cõuersa, in Italorum ædes, qui multa in Pannoniis negocia habebant, impetum facit, nec ætati, nec sexui parcit, fortunas diripit. Ex amicis Caroli, quicunque occurrunt, passim obtruncat, mulierum contumelias grauiter vlciscitur, cædibus per vicos & fora grassatur. Et multò crudeliùs omnino sæuiisset, nisi Ioannes Croaciæ Banus (vt aiunt) in tanto furore intercessisset; hic enim cum validissima manu, portam Sabbati non sine cruentissimo certamine occupauit. Carolus nondum mortuus, hinc ad Vissegradi arcem adducitur, ibique in carcere, admoto plagæ pharmaco, & obstructis faucibus interiisse dicitur. Corpus in Andreæ æde sine pompa reconditum, paulò pòst, nescio quomodo, effossum multos annos sibi spectatores allexit. Multi ad hoc humanæ conditionis, regalisque miseriæ spectaculum, è remotis partibus conuenere, quo facilè regnandi quisq; cupidissimus, quid audere debeat, & quàm formidolosa sit humanæ mẽtis ambitio, admonetur. Inhumati corporis infelicitatem hinc illi plerique suspicantur, quòd pontificio anathemate mulctatus obierat: anathematis ipse causa fuerat, quia annua sacro ærario tributa pendere recusarat. Quum diro supplicio hic foret obnoxius, cadauer infamia carere nõ potuit. Hic igitur fuit Caroli Parui finis, qui quum in Lodouici Regis hæredem, se impium & ingratum exhibuerit, præ nimia regnandi libidine, haud immeritò has pœnas exsoluit. Caroli cædem, anno circiter octogesimoquinto, super tredecies centenum, accidisse traditum est. 1385. Quo quidem tempore, Bernabouem Vicecomitem, Ioannes Galeatius ex fratre nepos, ad Medoaciæ arcem in vincula coniecit, & ad mortem vsque custodiri iussit, ac magnam dominatus eius partem obtinuit. Inter quos hæc prius fuit partitio potentatus, vt Galeatius, Papiam, Vercellas, Nouariam, Terdonam, ac cætera in Apenninum Alpesq; vergentia; Bernabos, Placentiam, Cremonam, Parmam, Laudem, Brixiam, ac Ber-

gamum obtineret. Verùm antequam res Vngaricas vltrà prosequamur, de Caroli filiis nonnulla breuiter perstringēda sunt, ne Vngaricorum Principum reliquias ingrato silentio prætereamus. Cæso Carolo, Itali, qui euaserant, vxori ac liberis viri casum, quem illa proficiscenti sæpe augurabatur, ex ordine retulere, rem, quoad illa potuit, celari iussit, donec arces aduersus regni factiones præpropere munirentur: atqui id facilè celari non poterat, dissimulatus aliquantisper dolor est. Carolo duo fuere filij, Ladislaus adhuc puer, & Ioanna. hi ex amicorum consilio, qui Andegauensium partibus Neapolitanam vrbem laborare senserant, in Caietanam arcem extemplo translati, vt in fidissima vrbe, arceque munitissima seruarentur. Audita Caroli morte, hinc Vrbanus Pōtifex, hinc Galli, hinc Seuerina domus, cæterique eiusdem factionis Reguli populiq; ad sollicitandum regnum animos intendêre. Promulgato Regis interitu, ciuitates & oppida, item nobiles & plebeii capita extulere, detrectauere imperium & libertatem hi, Pontificis alij, alij Gallorum ditionem optare, interea misceri omnia, & obsequia nulla præstari. Vrbanus quum Genuæ annum exegisset, Lucam venit, vbi quum à Florentinis apostolicum imperium labefactatum iri cerneret, quippe qui Bononienses, cæterosq; rebelles in Pontificem quotidie irritarent, Perusinosque ad nouitatem suscitarent, Perusiam per Pisanum & Senensem agrum proficiscitur. Mox patriæ desiderio tractus, Ferentinum concessit, sperans se Ladislaum puerum & Ioannam paterno regno facilè deturbaturum: multi enim nobiles, ac Reguli, qui Lodouico Andegauensi quondam studuerant, potiundi regni spem ei concitabant. Quum nuncijs ac literis, item largitionibus, & promissis omnia sollicitaret, regnumq; vniuersum in turbas vertisset, Gaietanorum nunquam fidem labefactare potuit, quippe qui seruatis miro studio pueris, regnum his quoque conseruarunt. Pontifex quum se in cassum multa conari intelligeret, Romam rediit, vbi magno honore susceptus est: mox Anderesiorum audacia vexari cœpit, quorum quidem insidiis, nouem & viginti Cardinalium creatio liberauit. Anno demum quadringētesimoprimo, supra decies centenum, Bonifacius Nonus, Ladislaum adolescentem Caroli filium, in patrium regnum à tyrannis & populis occupatum planè restituit. Caroli abdicationem, quam Vrbanus Nuceriæ sextus olim fecerat, antiquauit. Florentinū Cardinalem, delegata auctoritate, Gaietam misit, qui in vrbe, quæ sola in fide permanserat, Ladislaum ritè coronauit. Sed de Carolo liberisq; hactenus, quādo de Ladislao cætera suo loco referemus. Illud tamē sat omnibus extare debet, post Lodouici Regis mortem, Pannoniæ regnū, quod is tātopere amplificarat, ita subreptis hinc & hinc appendicibus, fuisse diminutum, vt nullius vnquam virtute ac fortuna instaurari potuerit. is enim solus est, qui perpetua in Vngaricis pectoribus monumenta promeretur. Veneti nanque, post Lodouici mortem, Carrarij Principis ferociam, qui ad eum vsque diem Taruisium infestare non destiterat, coercere se posse sperabant, & pacata Venetia, Foroiulianoque agro, Dalmatiam quoque recuperare audebant, quam olim vsurpatam amiserant. Contrà ille maioribus aliquanto, quàm antea, viribus Taruisium adoritur, Leopoldum Austriæ Ducem eò desperationis adegit, vt vrbem cum suis finibus, certis conditionibus relinquere cogeretur. Post hæc, cum Antonio Scala Veronensi, Francisco Carrario seniori, graue bellum intercessit. Ioannes Galeatius Vicecomes, cuius tunc opes amplissimæ habebantur, instigante Carrario, Scalanis bellum indixit, quos cùm dextro Marte superasset, his Veronam Vicentiamque abstulit. Mox adaucta regnandi cupiditate, Patauinum adoritur, socia Venetorum arma ad id bellum sibi iungit, quos illi infestissimos esse nouerat. Iacobus Dilphius Præfectus classis, cum instructis ad bellum quadringentis ferè nauigiis, iussu Venetorum aduenit, qui oppida, munitiones ac loca, quæ in stagnis, & fluuiorū ostiis ille tenebat, illico occupauit. Galeatius in mediterranea regione vniuersum agrū, cum circumiacentibus oppidis accepit, & paucorū mensium obsidione, Patauiū cum tyranno in ditionē suam redegit. Filius, cui Nouello cognomen erat, in media trepidatione clàm elapsus, in Germaniam

1401.

niam

niam aufugit. Mox à Galeatio Taruisium subactum. Euersis Carrariorum opibus, Galeatius Patauium, Feltrum, Belunum ex fœdere sortitus est, Veneti verò Taruisium, Hestensis Marchio, qui his fauerat, oppida, quæ suorum olim maiorum fuerant, recepit. Sed Nouellus paulò pòst, Roberti Bauariæ Ducis opibus adiutus, cum maximis auxiliis in Italiam rediit, viqque Patauium recepit, deinde Veronam inuasit, cui filium præfecit, neque his diu potiri potuit. Quandoquidem Venetus, amplificandæ reipublicæ semper intentus, Vicentiam, Veronam, Coloniam, Feltrum, Belunum, ac demū Patauium occupauit. Hinc haud parua Venetis sollicitandæ Dalmatiæ occasio data: nam eiectis Carrariis, & soluta Lodouici societate, Pannoniæ regnum, qua Italiam attingit, admodum labefactari cœpit. Quum aliquantisper vagati simus, nunc res admonet, vt ad labores Vngaricos redeamus. Neque enim Elisabethæ Reginæ fatum, & paricidarum casus tacitè præterire possumus, vt diuina in rebus humanis iudicia, quàm æqua sint, planè videantur, & quàm sibi quisque cauere debeat, ne suas regio sanguine manus inficiat, quum sub Dei tutela sacri Principes esse reputentur. Post Caroli cædem, Regina vnà cum Nicolao Palatino, Blasioque paricida, sine prætoriana cohorte, inferiores regni partes visere decernunt: quare ingēti lætitia elatæ, idibus Iuliis Syrmium veniunt, vt Saui accolas, Mysiosque lustrent. Nihil interfecto Carolo vltrà verentur, omnia sibi tuta putant, nullius insidias suspicantur, aulica tantùm turba hos sequitur. Quum Diui Iacobi festo, Diacum versus iter facerent, ecce in medio campo, Ioannes Croaciæ Præfectus, qui Caroli Regis partes potissimùm olim sectabatur, audito Reginarum & paricidarum aduētu, coacta tumultuaria multitudine, cum multis equitibus eas adoritur, vt iniquam Caroli mortem, veluti fas esse putabat, data occasione vlcisceretur. Quum aulici, Palatiniq; homines se hostibus impares esse noscerent, in primo congressu dedere terga, ne vano conatu omnes iuxtà caderent. Blasius Forgach, ingenita fretus audacia, primosq; impetus excipiens, equo deturbatur, captus in Reginarum conspectu, quæ curru vehebantur, cōfestim obtruncatur. At illæ belli atrocitate perculsæ, veluti stupidæ attonitæq;, quid agerent, nesciebant: exanimatam vtranque dixeris. Palatinus extremo se periculo circumuentum conspicatus, desperata salute, forti animo mori statuit, se equo demittens, arrepto ense, dextrum Reginarum latus acerrimè protegit. Multos, qui regali carpento nefarias manus iniecerant, impetu facto, repellit, quamuis se continuò intelligeret occasurum, incruentam tamen hosti victoriam relinquere recusabat, cui & pulchrè mori, & ad mortem vsque Reginis præstare fidem certum erat. Interea loci telis vndiq; petebatur, tot aduerso corpore sagittas ferebat, vt sine earū fragore brachia circummouere non posset, instabat adhuc, & à præsenti morte resumebat animum, occlamabant ancillæ, & dominas propugnatoremq; frustra commiserabantur. Subiere plerique currum, subreptumq; pedibus Palatinum humi subuertunt, & ante Reginarum conspectum, ne cui feritati parcerent, vociferantibus illis, obtruncāt. Mox Croaci in mulierum currum impetum faciunt, inuertunt humi, Reginasq; cum eximiis matronis inde deturbant, conculcato pudore, & obliterata dignitate regia, crinibus distrahunt, probris ac iniuriis afficiunt, ad Ioannis Præfecti conspectū trahunt. Vbi quum Caroli Regis necem infrendens ille sępius obiiceret, Elisabetha supplex ad genua prouoluta, Parce (inquit) parce mi Ioānes, & beneficia, quæ olim à Lodouico Rege accepisti, nūc per Deos, quæso, reminiscere, miserere, te supplex oro, miserere nostri, & pro cunctis meritis, quam debes, cumulatissimā hodie Lodouico tuo gratiam refer. Si in sacrum denique sanguinē sæuire tibi certum est, insonti saltem filiæ nunc ignosce, quando regiæ cædis, sic Deūm hominumq; fidem testor, inscia, mihi crede, illa fuit, me huiusce mali consciam fuisse fateor, auctores iamiam sceleris occubuere, & sat tibi pœnarum expendēre. Me ad hoc facinus ademptum filiæ regnum induxit, quid pertulimus iniuriarum, non ignoras, ignosce mihi, quam grauissima causa præstitit nocentem. Tribuendum cēse aliquid fœmineæ imbecillitati, quæ in maximis virile robur

iniuriis præstare non potest. Memento me fuisse Reginam, Lodouici tui coniugem, a quo tãtam dignitatis & fortunarum amplitudinem recepisti. Et quando non temere mihi peccandum esse censui, si iustum te mihi iudicem præbeas, innocentissimæ in primis filię, deinde mihi exorabilem te concede, vt tuo vtraque beneficio vitam recuperasse videamur. Interpellat ad hæc gnata Elisabethæ preces, ipsa supplex, per Deum, per Maiestatem regiam, per paterna merita, per suam innocentiam, per spem futuram; vt vtriusque pariter misereatur, patiatur aliquam se pietatis & gratiæ subire rationem. Ætatis & sexus æquè misereatur, pensitet secum aliquantisper peccati causam, ne matrem temere peccasse arbitretur: quod si insolentissimè sęuire decreuerit, eum obsecrat, vt aut vtranque pari beneficio seruet, aut ad perpetuam ingratitudinis & feritatis infamiam vtranque perdat. Quanquam plura illæ in summo lachrymarum profluuio subiicere conarentur, augerent vlulatus, & veniam exclamarent, amplexarentur supplices Horuati genua, ille tamen nequaquam collabascit, immo feritati obstinatissimo animo instat, vt diram crudelitatem ocyus expleret, veluti mutus incensus terga vertit, è conspectu se præripit, & quid fieri cupiat satellitibus edicit. Ingruente nocte, mater à Maria abducitur, pro Ioannis imperio, prima vigilia noctis, obstructo ore, in Bozotam amnem Regina demergitur. Mariæ, quia culpæ expers esse ferebatur, ab hoste ignoscitur, immo diuina potiùs commiseratione vita redonatur, vt superesset, quæ Horuati immanitatem vlcisceretur. Virgines non tam nobilitate, quàm forma præstantes, pro militari libidine incęstatæ, vt aiunt, nullus in tanta crudelitate, neque pudori, neque humanitati locus, more plus quàm barbarico direptæ, promiscuè contemerata pudicitia. Maria seorsim asseruata, quam regiæ maiestatis numē à morte ac turpitudine vindicarat, parum abfuit, quin cum infelici matre pari fato necaretur. Totam noctem abductam sibi matrē repetit, ingeminat, & deplorat, ad cædem iam dudum eductam rata, nō modò laceratis crinibus, faciem vnguibus inscripsit, verùm etiam & stans parieti, & iacens humi sic caput illisit, vt iam dudum moritura videretur, & omnino fecisset, nisi admoti eam custodes inhibuissent. Sæpe sibi & manus iniicere, consciscere sibi mortem furibunda contendit, si amotis arbitris licuisset. Nihil isto casu miserabilius vnquam spectatum est, vnde nō tam Principum miseriã, & fortunæ varietatem, quàm diuini iudicij grauitatem, & timorem Dei considerare debemus. Suos inimicos per inimicos punit Deus, & ne quid sceleris impunitate donetur, crimina criminibus pœnas exsoluunt. Carolus immodica regnandi cupiditate succensus, quum præter fas & æquum sorori sceptrum eripuisset, præsentaneas facinorosæ audaciæ pœnas expendit, Regina, Palatinus, & Blasius paricida, extremum patrati sceleris haud longè supplicium sibi distulere. O miseram humanæ vitæ conditionem, & eorum in primis, qui in alto statu versantur. Quippe qui quanto altiùs à fortuna euecti sunt, tanto grauiorem casum reformidare debent, vel maximè præcauere, vt de se bene sperari posse videantur, ne quo se scelere grauiter obstringant. Ad rem igitur redeamus, in sequenti die, cum regia præda in Croaciam iter vertunt, Mariam captiuam cum cæteris virginibus, quas infando stupro polluerãt, abducunt. Quum furor ille aliquantulum deferbuisset, in Mariam subinde mitiùs agi cœptum est, succurrebat Ioanni sæpe illud, esse satis adhuc superque sæuitum, si res aliter, ac sperabant, acciderit, Mariæ vita, multa mala declinari posse, ex morte verò, desperata omnia futura. Subibat quandoque patratæ pœnitentia crudelitatis, quæ iniectis furiis absterrebat hominem, neque fugiebat, in agendis rebus cunctatiùs futura cuncta prospicere oportere, quando pro infectis facta haberi nequeunt, malis esse finem imponendum, ne pergendo assiduorum malorum semina seri videantur: conscientia proinde rerum malè gestarum corripi cœpit. In Croacia castellum erat, non tam loci natura, quàm arte ac præsidio munitissimum, cui Crupæ nomen erat, hîc Mariam asseruari iubet, fidelem admouet custodiam, seruitiaque obsequentissima in his, quæ ad curandum eius corpus pertinent, subiicit, quin & ipse sæpius inuisit, ac diligenter interim

terim obseruat, quid ex patrato facinore nouitatis oriatur. Sigismundus interea, qui celebratis nuptiis, in Boemiam aufugerat, de Caroli morte, & de recuperato regno, Mariæ ac Elisabethę literis certior factus erat, vnde non parum animi cum ingenti lætitia sibi reuocarat: reginarum verò casum, qui paulò pòst intercesserat, nondum nouerat: oblata fortunæ suæ occasione, nil vltrà cunctandum ratus, quando ad recipiendum crebris literis regnum inuitabatur, haud mediocrem in Boemia delectum habuerat, coactoq; exercitu, superioris Vngariæ fines ingressus, multos regni Proceres admisit, qui in eius auxiliũ vltrò concurrêre. Continuatis Budam itineribus peruenit, nemineque reluctante, in arcem admittitur, ibi de cęde socrus, & aliorum, ac de vxoris repentè carcere admonitus, non minus dolore, quàm facinoris indignitate corripitur. Celerem pro liberanda Maria in Croaciam expeditionem, nondum acceptis per sacramentum obsequiis, neq; cõfirmato adhuc regno, suscipere poterat. Interea Ioannes, qui Mariam captiuam retinebat, audito Sigismũdi aduentu, & quòd iam regno sine controuersia potiretur, pœnitentia ductus, his eam verbis confestim adit: Quanquam Regina te pariter ac matrem, pro vlciscẽda Caroli cæde, iam e medio tollere sæpe cogitabam, Lodouici tamen Regis beneficentia remoratus, quæ mente nunquam excidet, ignoui tibi, & nunc me patratæ cædis pœnitet. Quin etiã si præterita corrigi potius, quàm damnari possent, nihil profectò mihi foret antiquius, quam aut facta corrigere, aut horum prorsus memoriam antiquare. Indigna Caroli morte prouocatus, in vos omnes sęuiendum esse duxi, peperci tamen Maria tibi, & patris tui memoria, & innocentiæ conscientia tuæ, id vltrò faciendum esse iudicaui, ne Lodouici de me optimè meriti sanguine meas manus inficerem. Nunc de te liberanda cogitare cœpi, si qua mihi cautio iuramento præstari potest, quòd liberationis huiusce nulla me vnquam pœnitentia subsequatur; sin eam senserim aspernari, materno tu quoque fato cades. his dictis abiit. At illa collachrymans, cum ad se reuocari iubet, supplexq; obsecrat, vt se liberet, regnoq; restituat, quod si eius beneficio assequatur, Ioannem se patris & Gubernatoris loco semper habituram pollicetur: non modò id interiecto sacramento, sed allatis Diuorum reliquiis, id ipsum se asseueraturam esse recipit, quod vt faciat, etiam atque etiam ad genua supplex obtestatur. Exoratus tandem ille, magis feritatis & imprudentiæ, quàm consilij compos, bono hanc animo esse iubet, mitiùs lautiusq; tractari præcipit, interea carpenta regia, ancillarumq; cohortem parat, spolia direpta disquirit, quæ inueniri nequeunt, ipse rependit, postremò cum honesto Procerum nobiliumque comitatu hanc Budam remittit. Quum Reginã carcere eductam esse, ac Budam redire rumor effunderetur, quacunque iter facere dicebatur, omnes ex oppidis passim ac pagis spectatum conuenere, faustæ vbique congratulationes salutationesque factæ haud aliter, atque si hæc aut Lodouicus pater ex inferis rediisset. Certatim populi collachrymantes, ex insperata lætitia congratulatum concurrebant. Maria verò obuium quenque ordinem lachrymabunda suscepit. Quum Budæ appropinquasset, non modò vir cum omnibus ordinibus, & instructis legionibus, verùm etiam vniuersa ciuitas in occursum effunditur. Cum plausu, & incredibili lætitia Mariam reducem omnes excipiunt, intermiscebant congratulationibus publicis lachrymas, & Mariæ ingeminatione omnia resonabant. At vbi ad Sigismundi congressum peruentũ est, Salue (inquit) dulcissima cõiunx, tot & tantis vexata periculis. Salue spes viri ac Vngarorum vnica, quæ periculo tuo in lachrymas omnia conuertisti. Iam dudum ad te liberandam, & vlciscendum sanctę parentis interitum, legiones, & cętera bello necessaria comparaueramus, insperata lætitia dolorem ademit, & immanissimum hostem metus & pœnitentia ad officij resipiscentiam reuocauit. Proinde clementissimo Deo, cæterisque sacrorum Regum numinibus, qui Pannoniæ præsunt, immortales gratias agamus, quòd te, cuius casum nuperrimè sciuimus, incolumem mihi & reipublicæ reddidere. Hîc maximam Deos nobis fidem fecisse reputare debemus, curare mortalia, hominum facta pensitare, & in peculiari cura tutelam principum

habere, vt quos regendis aliis præfecerint, quum omnis à Deo potestas tribuatur, eos potissimum seruare videantur. Affuere quoque tibi non minus, ac regno, pientissimi patris manes, qui neque tuam, neque Pannoniæ salutem deseruere. quare faustus ac felix sit iste tuus reditus, & vniuersæ reipublicæ quàm maximè salutaris. Regni habenas resume, quas Diuus pater tibi iam legauit. Solium, sceptrum, regiamque recipe, quam nulla improborum facinora tibi adimere potuere. Fortuna, vt virtutem, magnanimitatemq; tuam gētibus ostentaret, de te periculum fecit profectò maximum, vt in vtroque te semper statu sapientissimè geras, ab adolescentia robur animi tui periclitari voluit, vt Regina gētium futura, grauiter moderari, & misereri scites. Nemo bonus miles vnquā futurus est, qui à tyrocinij die, laboribus & periculis sese obdurare non didicerit. Quare scito Regina suauissima, te non minus de liberatione, quàm periculo diuinę benignitati gratiam agere oportere, in altero virtutis meritum, in altero Dei clementia planè consistit. Periclitatur Deus hominem, non demergit. Veni igitur salus publica, publica libertas, moderatrix Vngarica, & spes mea vnica, & post hac meliora spera, quando satis superque tecum fortuna lusit, satisq; in te periculi fecit, vt iam omnibus Vngaris apertum esse debeat, te non minus tuæ, quàm publicæ saluti fuisse seruatam, & ad imperandum tantùm Mariam esse natam. His dictis coniugem amplexatur, mutuis sese ambo lachrymis osculisque respergunt, lachrymosus circùm plausus oboritur: mox hæc prensandam omnibus dextram porrigit, & non modò Optimatum quenque pientissimè amplectitur, sed humilibus ad vnum, qui ad officium prodierat, se adiri passa est. Sigismundus singulari pompa, cùm socia sibi agmina iunxisset, hanc dextra apprehensam in vrbem duxit. Vrbs ingenti plausu matronas excipit, lætitia & festiuitate complentur omnia. Pro liberata domina, sacra celebrant, multos dies indictæ supplicationes, vt dignè Diis immortalibus gratiæ agantur. Soteria mira solennitate celebrata, nulla cessauit ara, vbi non fuerit abundè supplicatum. At vbi diis immortalibus satis quisque factum esse censuit, de coronando Sigismundo mox agi cœptum est: quare frequentissimum Albę conuentum Maria tunc edixit, diemque Pentecosten conuentui præstituit.

RERVM VNGARICARVM DECADIS TERTIÆ LIBER II.

QVVM ad præstitutum diem omnes ordines conuenissent, habita concione, Maria Sigismundum dextra tenens ita profatur: Quartus iam annus agitur post Diui patris obitū, fidissimi Proceres, quo tēpore quot mala perpessi simus, & quanta in regno perturbatio discordiaque fuerit, quando hæc omnia vos & vidistis, & audiuistis, de his verba facere superuacaneum foret. Commemoratio enim vulnera refricaret, perturbaret consilia, & hunc diem, quem felicem ac faustum esse volumus, malis auspiciis ista calamitatum memoria incæstaremus. Duo sunt, quæ me ad hāc orationem impulerunt: vnum fuit gratiarum in eos actio, qui de me ac regno iuxtà bene meriti sunt: alterum, prouidentia futurorum, qua ita nostræ reipublicæ prospicere cogimur, vt nunquam in superiora mala recidamus. hoc itaq; gratitudinis, necessitatis verò illud erit. In primis igitur vobis omnibus, qui aut ocium seruastis, aut iniurias inhibuistis, aut denique regno, mihive fauistis, immortales ago gratias. Quando Mariam vestram à tot malis circumuentam, destituendam esse minimè censuistis, in fide permansistis: quòd è medio censuistis tollendos esse tyrānos, nulla profectò laus digna vobis, neque gratia exsolui potest. Magni nanque momenti est ipsa fides, cui multum probitatis & constantiæ inest, hæc sola virtus est, qua tota ferè iusticia consummatur, quam si è medio tuleris, non solùm vniuersus corruet virtutum chorus, verùm etiam omnis humana societas dissoluetur. Hæc facit, vt non solùm amicis, sed hostibus

bus quoq; officia persoluamus,superis nos conciliat,à perpetua morte nos vendicat.Ita sibi Deum obligat,ac reddit obnoxium,vt ad edenda miracula cogar, ac ab eo illa consequi mercatur,quæ natura præstare nō poteft. Quare nemini mirum esse debet,si in nulla seueriùs facinora,quàm in perfidos Deus animaduertere solet,quum in plerisq; sæpe viderimus conniuentem. Proinde non immeritò vobis omnibus,pacato regno,vberrimā me cum viro meo gratiam relaturam esse polliceor, & a me vos nihil vnquā frustra petituros. Quin & vos officio præueniam,& pro meritis ac dignitate quenq; tractabo, perpetuaq; mihi, quando fœneratiora esse debent,quæ Principibus conferuntur officia,cunctos

10 beneficio obligabo,hæ meæ sunt partes,id Lodouici filiæ est officium,id Mariç vestræ postulat obligatio. Et quum hæc re potius quam verbo præstari debeāt, idcirco de his breuiter agendum esse censui. Nunc autē superest, vt futuris rebus prospiciamus, ni fortasse furentium more, omnes perditum ire contendamus. In hac re duo necessaria esse censeo,quæ potius è recentibus malis,quàm longa rerū experientia didici,prius concordia,deinde moderatore optimo vobis opus est. Nisi intestinam discordiā cuteris Proceres, vnde omnia hæc mala orta sunt,nunquā regnum pacatum habebitis. Deponenda (mihi credite) sunt odia,coercendæ iniuriæ,vi occupata reddenda,obliterandæ contumeliæ, & eo magis,si læsi præstentur indemnes. Subeat vos religio,& iusticiæ amor, deposi-

20 tis priuatis affectibus,capessite,quęso,quandoq; rempublicam,communem salutem amate. Ocium,quod domi retineri debet,& priuata odia subuerterunt, appetite, discite è præteritis malis, nil homini concordia domestica antiquius esse oportere. Nam domi pax, bellū foris colendum est. Contrà verò,nihil reipublicæ ipsa discordia exitialius inueniri potest. Itaq; si regnum domi forisque saluum esse cupitis,diligite,quæso, concordiam proceres, & veteres simultates odiaq; deponite. Nullam vim cuiquam inferendam existimate,lites non armis, sed foro dirimite,iudicia vobis æquissima præstabimus. Quare posthac vim omnem publico edicto & capitali supplicio inhibemus. Quicunq; aliena occuparit, nisi spacio mensis legitimo possessori reddiderit, hunc latrocinij pœna

30 mulctandū esse pronunciamus.Quæ quidē idcirco rectè sancimus,quia amotis iniuriis,omnis causa discordiarum extinguitur,publica pax, & intestina cōcordia introducitur, qua nil magis hostes formidare videntur. Postremò de optimo rerū moderatore nobis cogitandum,quod quamuis sit in dicendo nouissimum,potissimùm tamen in considerando esse debet. Quid enim salutis in fluctuantissimo nauis pelago sperare potest, si optimo gubernatore caruerit? Non vos præteriit, Lodouicum patrem de vobis omnibus, & in primis de republica optimè meritū, qui hæc omnia mala pro sapientia sua planè prouiderat. Sigismundum Augustali genere natum,ex omnibus Principum adolescentibus delegisse potissimùm,ac veluti futurum Principem in aula sua educasse,adoptasse

40 demum,& vt scitis,mihi legitimo connubio collocasse,vt alterum Lodouicum haberetis, qui amplificatum regnum haud aliter, ac ille,seruaret,tueretur q;, & Augustali quoq; dignitate Pannonicum regnum honestaret. Quid de viro sperare liceat,animi magnitudo, aperta probitas, & aspectus eius maiestas ostēdit. Vos connubij auspicia, ne minore quidem, quàm pater, consensu approbastis. Consalutastis sæpe Regem post Diui patris obitum,& non minora huic, quàm illi obsequia quandoque præstitistis. Eadem igitur, quæ tunc approbastis, vos nunc rata ac firma habituros esse credo,partim,quia nihil reipublicæ salutarius fieri potest,partim,vt ne vltrà fœmineum toleraretis imperium: quē vobis Regem Lodouicus optauit, & mihi coniugauit,eum ritè legitimum habeatis. Ne

50 fœmineæ quidem potestatis est Pannonia, cui virilis vix dextera moderari potest. Proinde Sigismundo viro clarissimo,coniugiq; sapientissimo sacrū diadema,sceptrum,ac ius omne regni,vltrò iubentibus nunc vobis ipsa resigno. Regiam potestatem à patre mihi legatam, ac auctoritate vestra mihi cōprobatam, huic sponte concedo,hunc faustis,quæso,auspiciis, Pānoniæ Regem exclamate. Hunc accipite moderatorem rerum, hunc propugnatorē Vngariæ obserua-

te,qui Romano regnum, vt videbitis, decorabit imperio. Pacabit hic regnum, hic ocium vobis insolens introducet, hic denique à Turcorum iugo, & ab hostium insidiis Vngariam,mihi credite, vindicabit. Sic Christus optimus maximus,sic patrij Dij esse iubeant, sic omnia nobis posthac fausta & felicia, ac etiam reipublicæ esse velint.

Sigismundus.

VIX hæc dixerat, quum sacrum diadema,ac sceptrum, quod ipsa in media concione gestabat,Sigismundi,quem manu semper apprehensum tenuerat,alterum capiti imposuit,dextræ,iussu populi, patrumque consensu, tradidit alterum.Hinc tantus fauor ac plausus elatus est, vt Sigismundo Regi, Mariæq; Reginæ cuncta feliciter ingeminarent. Initis deinde in Stephani æde solennibus, inter sacrificandum, ab Strigoniensi Metropolita coronatio ritè celebrata. Vbi in coronati Regis caput,omnes Principes & Optimates cum Antistitibus,item nobiles, conuentuumque Legati, fidum Sigismundo obsequium se perpetuò præstituros esse iurarunt, quod anno salutis octogesimo sexto, super tredecies centenum factum esse tradunt,anno autem ætatis eius vicesimo, quem deinde regalibus ritè sacris initiatum Budam reduxere. Ast vbi in regiam rediere, per multos dies de pacando regno, & componendis Optimatum litibus agitatum est. Maria verò,cui nihil materna vindicta videbatur antiquius, dies ac noctes ad id Sigismundum irritat,inauditas iniurias,& illata probra oculis obiicit.Nullum regalis decori simulachrum eum retinere affirmat, nisi in paricidam,qui sacro manus cruore fœdarat,Reginamque innocentem,& virginem duro carcere macerauerat, pro dignitate animaduertatur. Vincitur tandem Reginæ precibus Sigismundus, ac legiones duas cum equitibus expeditissimis comparat. In Transistrianas partes iter intendit, simulans se in Bulgariam aduersus Turcos iturum.interea amicorum literis admonetur, Ioannē Croaciæ Præfectum, Posegan, quod regale foret oppidum, clàm tutandi sui gratia occupasse, loco quidem & arte munitissimum. Illuc igitur è sentētia cum exercitu diuertit iter, arcem obsidet, admouet varias belli machinas, die noctuque acrius oppugnat. Potiundi quàm primùm oppidi spes aberat,quippe quod ars & natura iuxta muniuerat, insidiis aut fame capere confidebat. Ioannes, ne ad extrema redigeretur,ad artes animum intendit,clàm arci se subtrahere decernit, quanquam stationes cum excubiis circùm ab hoste dispositas intelligeret,ea tamen parte effugiendum esse retur,vbi amicos fortè suos tendere senserat, captabat occasionem,qua cæca nocte se subriperet. Quum tempus aduenisset idoneū,quo præ tenebris,non modò noctu, sed interdiu iter nemo facere potuisset, clàm ea descendit,qua Stephanus Ladislai Vaiuodæ filius,& Stephanus Simonthorna metabatur, qui dissimulata perfidia,se in Regis amicitiam exercitumque insinuarant: quum in horum excubias descendisset, euadendi facilè copiam impetrauit.Mox traiecto Sauo,quod nauigando ne, an tranādo fecerit, incompertum est, Dobor oppidum subiuit,quod in ea Bossenæ parte situm est,quam Vsoran appellant, vbi Zagrabiensem Antistitem cum plerisque coniuratis esse nouerat.Horum arte perfidiaque,vniuersi Dalmatæ, Bossenenses, & Croaci à regia fide defecerant,Pannonias quacunque licebat parte,vexabant,incursabant pagos, & cuncta igni ferroque vastabant. Quare Sigismundus obsidionem hanc soluere,traiicere Sauum,adauctoque exercitu,Dobor,proditorum omnium asylum, circumuenire coactus. Celerem & audacem Regis obsidionē hi admodum formidarunt, immo vsque adeo sunt absterriti, vt Ioannes,ne in angustiis iterum se occluderet, ante acerrimam se cum nonnullis obsidionem inde præriperet,ratus eadem se fugæ fortuna potiturum,verùm multo aliter, atque sperauerat, res accidit.Ex oppido clandestina fuga exiit, dum per colles, auiaque montium loca iter facit,in Regis,quas circùm intenderat, insidias concidit,captiuus in Sigismundi conspectum adducitur, hunc diligenti custodia is asseruari iubet.Interim Dobor expugnat,Bossenam post hæc,deinde Croaciā,Dalmatiamque omnem, in ditionem suam recepit.nam captis rebellionis auctoribus,cæteri facilè ad obsequium rediere.Pacatis regionibus, in Quinqueeclesiarum

1386.

arum vrbem Rex cum vniuerso exercitu se recepit, secum captiuos omnes adduxit. Ibi pro dira Mariæ libidine de Ioanne supplicium sumptum est; reuinctis enim ad palum manibus, per vrbes, vicos, & compita curru circumuectus, candentibusq; frustillatim forcipibus passim discerptus est, postremò ad Gemitorios † vsque gradus tractus est, quadripartitoq; dissectus, frusta corporis, singulis portis ad deterrẽdam facinorosam audaciam imposita. Ioannes tandem dignas crudelitatis suæ pœnas expendit, cæteri capite mulctati. Zagrabiensis Episcopus, huiusce nouitatis auctor, ob sacrosanctam dignitatem, quum capitalis esse non posset, episcopatu, publicatis bonis, abdicatus est. Post hæc in Valachos successit haud infausta expeditio. nam quum sub mulieris imperio, intestino inter se bello fluctuaret Vngaria, Valachi, qui Dacorum, Getarumque regionem incolunt, ipsi quoq; fœmineum sceptrum abominati, in tanta rerum perturbatione, à Pannoniæ regno defecere, rogati præstare obsequia, & stipendia soluere, recusarunt, quare quarto coronationis anno, in hos bellum Sigismundus iure suscepit. Vtriq; tempestate illa Valachiæ Stephanus præerat, quẽ Vaiuodam dicunt, audito Regis aduentu, Transalpinam regionẽ expedito milite, ac ingenti sagittariorum manu complet, omnes aditus angustiasque montium præoccupari iubet, vt ingressum, veluti multis olim obtigerat, hostem occluderet, grauiq; cæde conficeret, item per iuga montium, præsidia multa dispo nit, quæ hostem vndiq; propulsarent. Sigismundus cum numeroso exercitu ac forti animo prouinciam adoritur, quum inter Alpes progrederetur, occurrit hostis, sagittariorum multitudine Vngarum circumuenit, pedites simul ac equites confodit, saxis obruit, & ad internecionẽ pro virili parte redigere pergit. Contra illi Sigismundi voce confirmati, longè audaciùs obstant, Imperatoris iussu, equo desiliunt, pedibusq; pugnant. Obstinatissimis Valachum animis subeuntes, ex alto deturbant, & per abrupta loca fugam capere cogunt, fugientibus à tergo instant, inter fugiendum multos intercipiunt, obtruncantq;, partem è rupibus præcipitem agunt, gladiis igitur per montiũ fauces, & anfractus sibi viam faciunt. Ad Vaiuodæ tandem oppidum peruentum est, vbi eum præsidio se ille tutabatur. is postquam audacissimum sibi hostem instare cognouit, non vi, sed precibus vincendum, item salutem sibi, non pertinacia, sed humili facilitate cõparandam esse censuit. Quare antequam Regem castrametari occœpisse nouerit, data sibi tutò adeundi redeundique copia, ex arce cum multis proceribus obuiã prodiit, & ad pedes eius prosternatus, Tua Sigismunde, inquit, clementia factum est, vt quamuis in te arma sumpserimus, victi tamen Maiestatis tuæ benignitate multo magis confidere videamur, quàm si tui victoria potiremur. Magnanimus enim, neq; armis, neque officio vinci potest, nihil grauatius ferre solet, quàm ab hoste pariter & amico superari, quando hunc armis, illum sibi officio, & vtrunque, quum res tulerit, beneficentia sua obstringere nititur. Peccauimus igitur Rex clementissime, & errata nostra ingenuè fatemur, luimus haud paululum pœnarum, & dextra tua fugati, quam sceptro dignam nunc re ipsa didicimus, ad eius tutelam confugere malumus, quàm peruicacia omnes ire perditum. Ab Vngarica fide idcirco defecimus, partim quia fœmineum imperium ob insolentiam rei perpeti nequiuimus, partim quia laborante grauiter Vngaria, deletum ibi regni simulachrum credebamus. Nunc autem postquam te potius à Deo datum, quàm à dissidentibus Vngarorum studiis optatum intuemur, iam dudum nos facti pœnitet, & à te veniam supplices petimus. Quodcunque temeritate nostra in Maiestatem regiam commissum est, supplicamus, vt id tua mansuetudine expietur. Imitare, quæsumus, Rex excellẽtissime, Deos immortales, quorum vicem geris in terris, & ab his addisce, resipiscentes è pœnitentia animos non aspernari, non obstare supplicibus, nullam postulantibus veniam abnegare, obstinatos tantùm proterere, & clementia potiùs ac officio quàm seueritate beneuolentiam hominum promereri. Bonis hoc tibi bellum auspiciis esse volumus, vbi ex victoria gloriam, & clementia, si vteris, laudem tibi comparasti. Ignosce regni tui sociis, quos neque indecores, neque inutiles

Polongar.

olim sibi superiores tui habuere. Hodie tibi nō mediocre clementiæ argumentum attulimus, hanc laudis occasionem præterire non permittas Sigismunde, vt ab ineunte iuuentute tua hæc summa immortalitatis fundamēta iacias. Pios & misericordes Deus semper excolit, & hos potissimùm sua gratia dignos facit. Proinde Rex & dominus noster es, quem antea non agnoueramus, sociis tuis ignosce, ad vetera nos obsequia fidemque recipe. Vectigalia vsitata pendemus, & eo reuerentius imperata cuncta faciemus, quo præstantiorē nos Regem sortitos esse intelligimus. Quod vt facias, per Lodouici manes, per ingenitam pietatem tuam, per sanctum Mariæ coniugium, te iterum atque iterū obsecramus. Secundùm orationem hanc, supplices ad Sigismundi pedes, quoad responsum habuerunt, iacuere. Ad hæc ille pauca respondit. Ne qua (inquit) Maiestatem regiam impietatis nota commaculemus, quamuis facinora vestra impunitate donari non deberent, quia necessitate potiùs, quàm ex animo veniam postulatis, tamen vobis omnibus vltrò veniam impartimur. Suscepti belli audacia vos à perfidia deterrere, & impetrata facilè venia ad fidum obsequium hortari debet. Illud duntaxat posthac vos admonitos habere velim, date operā, ne mansuetudine nostra abuti videamini. Post hæc, ad genua iacentes leuat, si in fidelitate permanserint, bene de se sperare iubet. Surgentes contrà illi, paludamenti laciniam osculantur, in manus Imperatoris iurant, se illius imperia nunquā detrectaturos. Pacata demum prouincia, Rex Budam re prosperè gesta redit, militem vnius anni quiete reficit. Sexto regni anno, Transalpinum apud Valachos bellum iterum emersit, quippe qui, contempta Sigismundi benignitate, ab eius fide iterum defecere. Propriis parum viribus confisi, in belli societatem Turcos admittunt, vnde illius plagæ primùm religionis libertatisq; Christianæ emersit exitium. At hi ad propagandum prophanum imperium occasionem optimam nacti, lubentissimè societatem hanc ineunt, cum multis equitum turmis, & frequentissimo peditatu è Thracia profecti, Istrum trāsmittunt. Rex audita sociorum defectione, habito delectu, in prouinciam concessit, exercitum cum amplissimo cataphractorum equitatu secum duxit, pòst vbi superatis alpibus, in effusos campos descensum est, vbi hostium castra esse nouerat, quadrato agmine iter fecit. Quum in hostium conspectū venisset, fulgentes cataphractorum acies educit: collatis dum pugna signis initur, vtrique hostes armorum fulgore perterriti terga dedunt, & vt propriæ saluti consulant, in fugam se conuertunt. Instat à tergo Vngarus, ac in hostem fugientem sæua cæde grassatur, multi in fuga cæsi, & quàm maximè pedites, qui quum equos anteire non possent, pessundati ferè omnes & attriti sunt, expediti pedites cladem faciliùs euasere. Quin etiam & procidētium multitudine, Vngarorum impetus admodum remoratus, ingratum fugæ spacium dedit, declinabat ad hæc dies, & Danubij vicinitas occurrebat, quem traiicere hi citò non poterant. Ingruente nocte, signum receptui datum, ne quid insidiarum moliretur hostis. Cæsa magna Turcorum Valachorumq; manu, Rex Nicopolim minorem cōtendit, in altera Istri ripa sitam, hanc graui obsidione circumuentam, admotis machinis, vehementer oppugnat. Vrbs duplici præsidio munita, pertinaciter se tuetur, arcem Valachi, Turci ciuitatem protegunt, erumpunt interdiu oppidani, & quandoq; noctu sæuos tumultus in castris excitant. Rex eo intentius oppugnare pergit, tormentis arcem & magnam vrbis partem amolitur. Nicopoli tādem potitus, quicunque ibi deprehensi sunt, partim captiuitate, partim morte cunctos affecit, vrbi validum præsidium imposuit, mox vniuersam prouinciam pacauit. Insigni demum victoria functus, in Vngariam, rebus compositis, pedem retulit. Nondum Budam peruenerat, quum de Reginæ obitu nunciatum est: quo quidem nuncio, haud ab re, vsque adeo consternatus est, vt quicquam tristius nunquam acceperit. Maria, repētina quadam, grauiq; ægritudine correpta, perbreui diem obiit. Hinc Regi sollicitudo ingens oborta, quòd defuncta sine liberis vxore, ad sororem eius Adiugam, Poloniæ Reginam, regnum iure recidere verebatur. Ne Sigismundum quidem suspicio ista fefellit. Ladislaus enim Polonorum

Nicopolis obsessa anno 1392.

norum Rex, conſcripto magno exercitu, Vngariam vxorio iure, ac armis repetere ſanè decreuerat. Mariam ſine liberis, agente in Valachia Sigiſmundo, deceſſiſſe nouerat, nec adhuc Vngariæ finibus appropinquaſſe audiuerat: quare Ladiſlaum regni cupiditate tractum, cum multis legionibus regni fines inuaſiſſe, rumor erat. Nimirum haud paruas in Vngaria turbas Polonus ipſe ſuſcitaſſet, niſi Ioannes Kanyſa, Strigonienſis metropolita, vir conſilio opibusq; potens occurriſſet, quippe qui abſente Rege, & audito Sarmatarum aduentu, cum tumultuario mox exercitu obuiam profectus, aditum in finibus occluſit, Sarmaticoq; bello Vngariam liberauit. Rex igitur Mariæ fatum, Budam ingreſſus, acerrimè deplorauit, exequias pro dignitate ſolennes edidit, corpus Albæ in ſacellum patris retulit. At vbi ſatis conclamatum eſt, in ocium redactus, ad vindictam animum reuocauit; quotidie nanq; ſibi ſuccurrebant, quicunq; Reginarum temporibus, ſibi, illísve inſidias intenderant, de vtriſque malè meritos mente facilè hos eiicere non poterat. Et quãuis in conſultando diuerſus quandoque traheretur, alios tamen beneficentia ſibi conciliare, alios qui grauius errasſent, capite mulctare decreuerat, quando nullo hos officio ad fidem reuocare ſperabat. Cõtrà illi malle mori, quam imperata facere, tanta obfirmari peruicacia, vt neque ſalutis, neque dignitatis vlla memoria ſupereſſet. potiſſimos horum, duos & triginta numerant. Principem iſtorum, Stephanũ Conthum prodidere, opibus & virtute præſtantẽ, qui nobiliſſimo Hederuarorum genere natus erat, quem ad noſtram vſque ætatem per fora, vicos & triuia citharœdi concinunt. Hi quum imperium detrectarent, per varias regni partes vagabantur, & ne vi parêre cogerentur, magna pars horum ſub dio noctu quieſcebant, diſquirebant latebras, & per pagos, ac ſyluas, à Rege procul vitam degebãt. Sigiſmundus, ne quid per occaſionẽ nouitatis hi moliri poſſent, Georgium Vaidaffium, virum ſibi fidum, cæterùm vafrum, & experientia audaciaq; ſumma præditum delegit, huic animum ſuum aperit, dat huiuſce rei negocium, ac iubet, vt quacunque liceat arte, aduerſæ factionis homines capiat, ac in regiam redigat poteſtatem. Demandatum iſte negocium forti animo accipit, tradita fida cohorte, ad inferiores regni partes deſcendit, & dum ex mãdato regionem luſtrare ſimulat, audit, illos haud procul à Sauo in patenti planicie ſub dio dormire, immiſſis exploratoribus, locum edoctus, proxima nocte his inſidias collocat: antequam illuxerat, circumuentos omnes adoritur. Vnus tantùm aberat, quẽ Ioannem Corpadum dicunt: hic ita ſibi timere ſolitus erat, vt necubi ſomno deprehenderetur, multo ante diem ſurgeret. at illi ſomno experrecti, certatim arma capiunt, vt ſe aduerſus inſidias tueantur. Georgius contrà, mitiſſimis hos verbis omni timore carere iubet, quando non vt hoſtis, ſed amicus aduenerit, ſe cunctos Regi recõciliaſſe nunciat, atq; idcirco veniſſe, vt eos ad Regem exoratum reduceret, ac illi fidum iureiurando Regi obſequium ſponderẽt. Quum numero ac viribus inferiores hi ſeſe intelligerent, præ metu in vanam fidem adducti, depoſitis armis, vltrò ſeſe dedunt, ducuntur ſpe completi ad oppidum, cui Karom eſt nomen: hîc ex compoſito à Georgio in vincula coniecti, mox manicis pedicisq; vincti, curribusq; inuecti, cum præſidio magno Budam deferuntur. In itinere ſera pœnitentia correpti, conſilium ineunt, vt in Sigiſmundi præſentiam adducti, nullo Regem ſalutationis officio honeſtarent, obfirmato adforent animo, nullumq; venerationis indiciũ ederẽt, rati fore ſatiús, obire mortem, quàm infenſo parêre tyranno. Ex conſulto in conſpectum Regis adducti, quem innumera nobilium multitudo circumſteterat, nèq; capite, neque genu, neque verbo, neq; re, vllum reuerentiæ ſignum exhibuere, oculos humi planè defixerant, raro truces immotoſque vultus abduxere. Obſtinata horum pertinacia, veluti adempta benignitatis occaſione, Rex admodum exaſperatus, eo vehementius in horum vltionem exarſit; paucis pòſt diebus, capitali ſupplicio, ante Diui Georgij ædem, ad caput fori, à lictore ex edicto affecti ſunt. Stephanum ante alios inuicto animo fuiſſe memorant, quippe qui mortem vſque adeo contempſit, vt quum alij à tergo à lictore obtruncarentur, is vnus fuerit, qui aduerſum, quum

cædem non expauerit, intentis oculis lictorem spectare voluerit, immo si tyranni libido tulerit, asseuerabat ex edita se turri deturbari haudquaquã formidaturum. Quum nullum supplicij genus moriens expauisset, multum hinc publicæ commiserationis inuictus ille animus sibi cõparauit. Spectata domini morte, famulus, cui Ghioka nomen erat, in profusum cõuersus fletum, commiserabili vociferatione à cunctis spectatoribus lachrymas exigebat. Ab ense hic Stephano seruiebat, & quum post abscissum domini caput, eandem magnanimitatem & pertinaciam referret, nullius monitu, solatio, increpatione ve à fletu coerceri poterat. Animum ad hæc Sigismũdus aduertit, & approbata famuli fide, Iam, inquit, dominus tuus ego sum, qui tibi magis, quàm truncus ille prodesse possum. Ad hæc puer, Nunquam ego (inquit) Boemico porco sanè deseruiam, quin etiam in parteis mille discerpi malim, quàm à domini magnanimitate desciscere, cui Boemi omnes parem animũ præstare non possent. At ille his incensus, Fatum, inquit, heri cum immanitate sequere infelix puer, & cui viuens in omni feritatis ministerio spõte seruiuisti, eiusdem mortui latus ipse claudito. Ille verò Regis imperium haudquaquam detrectans, vltrò ceruicem ac pari animo lictori supposuit, cæsorumq; numerum non inuitus clausit. Extra pomœrium in suburbio, qua ad veterem Budam exitur, horum corpora sepulta sunt, in cœmiterio ædicula est erecta, vbi statæ inferiæ fierent. Hinc futuræ cõiurationis multo perniciosioris in Sigismundum semina profluxere: nam ob sumptum è tot nobilibus proceribusque supplicium, tanta optimatum animos rei indignitas incessit, vt in odia Regis clàm exarserint, & quod in aliis spectarũt, sibi id ipsum timere cœperunt. At ille, qui prius diligi & obseruari videbatur, nunc sæui more tyranni, ab Optimatibus reformidari cœpit. Intercesserat Mariæ obitus, quo Vngarorum amor haud parum sanè deferbuit: quare ad extremum vsque exitum, hinc sibi cauere Sigismundus coactus est. Subiiciendum his bellũ, quod apud Nicopolim infeliciter gestum est, ritè censuimus, quod altiusculè repetendum est, vt gestarum rerum series euidentiùs prosequamur. Imprecarer, vt Dij Græcis malè facerent, nisi iniquitatis & perfidiæ suæ sat pœnarum expendissent, quippe quorum memoria prorsus extincta, hi nanq; fuere, qui primi Turcos in Europã traiecere. Nam quum ex Augustali (vt aiunt) Palæologorum familia, duo de imperio certarent, duas in Græcia factiones excitarunt, quibus vniuersa respublica nimium laborauit. Decertatum vtrinque diu, quare Græcorum opes admodum attenuatæ sunt, alter, qui inferior erat, ne facilè cederet, ad Barbaricas opes planè confugerat, ratus plus in prophana gente fidei, quàm in Christiana se inuenturum. Turcorum auxilia implorauit, qui latè in minori Asia dominabantur, ad Amoratem, primum Turcorum Imperatorem (quando ita eorum vires excreuerant, vt imperium orbi interminarentur) legatum misit, qui eius copias pacta mercede conduceret. Celerrimè hic mandata peregit, quando Turco nil erat antiquius, quàm per occasionem in Europam traiicere, vbi se imperium facilè propagaturũ, vt obtigit, esse sperabat. Coercebatur mari, nec dum nauigandi artem gens illa nouerat: quare sub auxilij prætextu, in Europam traiiciendi copiam haudquaquam contempsit. Non modò militem mercenarium, sed socium se daturum pollicetur, conducitur Turcus ea conditione, vt exacto bello, in Asiam se recipiat, accepta est vtrinque conditio. Et per Hellespontum Barbarus, accommodata sibi classe, in Græciam primò traiecit, hinc primum Europæ exitium promanauit, cuius auctorem haud immeritò primum, dignas pœnas dedisse vidimus. Redintegrato Græcorum bello, & instauratis factionibus, diu Turcorum auxiliis pugnatum est, quum finem sæpe malis vtrique dari cuperent, quum præsentem internecionem conspicarentur, nouas quotidie causas Turcus ipse nectebat, quibus redintegrato bello, vsque adeo Græcorum vires eneruarentur, vt exactos deinde viribus vtrosque facilè domitaret. Ne se quidẽ id consilij frustratum est: nam extenuatis Græcorum opibus, in eos arma vertit, occupauit Gallipolim, quæ ad Hellespontum sita est. Locum nactus ad inferendum bellum nimis idoneum, vbi ex Asia copias facilè

traiicere

traiicere poterat, cæteros mox impetere, vastare agros, per finitimas regiones excursare cœpit. Occupata magna Græciæ ac Macedonię parte, in Thraces deinde arma vertit. nam quum excursionibus & rapinis omnes latè longeque vexaret, defatigatos ad deditionem, multos ad mercandam pacem populos impellebat. Baiazethes quoq; Turcorum imperator, Amorate patre longè audacior, & acriore in gerendis rebus ingenio, breui Thraciã, Thessaliam, Macedoniam, Phocidem, Bœotiam & Atticam, in potestatem suam redegit. In Mysios mox erupit, quos nunc Bulgaros vocamus, & sub Vngarorum ditione esse nouerat. Quum è sociorum literis, variisque rumoribus Sigismundus accepisset, Turcos
10 Mysias inuasisse, in diuina humanaque sæuire, omnia igni ferroque vastare, ad Baiazethem continuò legatum misit monens, vt & prouincia, in qua ius nullum se habere nouerit, & alienis rebus manum abstineret, si quid fas, quid æquum foret, rectè sciret. Distulit ille responsum, donec vniuersam ferè prouinciã occupauit, deinde quum domos armis instruxerit, accito legato, sat sibi iuris esse respondit, quando parietes etiam sua iura præferrent. Quum hæc legatus continuò retulisset, Sigismundus huic ius omne in armis esse sensit, cum diro sibi hoste agendum esse ratus, haud parum timere cœperat. Decimo sui regni anno expeditionem in Turcos ipse suscepit, salutis verò anno nonagesimo sexto, 1396. supra tredecies centenum, promulgata belli fama, delectus maximus habetur,
20 iubentur omnes dare nomina. Quare tot legiones & auxilia coacta sunt, vt sine formidine cum prophano hoste pugnare posset. Aduenere Burgundionum, Gallorumque auxilia, quæ orthodoxæ fidei charitate commota, gratis hæc sacra stipendia faciebant. Multi è Belgis, ac Celtis, eminẽtioris fortunæ viri, nonnulli quoque Reguli confluxere, quorum insignia Budæ, in Nicolai æde parietibus affixa, expeditionis huiusce pręstantiam testantur. Coacto igitur exercitu, comparatisq; rebus omnibus, quæ bello vsui forẽt, ex Vngaria in Rassiam, quæ in superiore Mysia continetur, castra mouet. Sigismundũ in agmine quandoq; dixisse ferunt, quum amplissimum ductaret exercitum, nimirum, non solùm Turcus nobis nequaquam formidandus est, sed ne cœli quidem, si fortè ruerent,
30 quorum ruinam stantibus hastis subire possemus. Rassia non sine populatione transacta, at vbi in Bulgariam, quæ in inferiore Mysia continetur, descensum est, Oristum, & Budinum, nonnullaq; alia castella, Turcorum firmata præsidiis, multo sanguine expugnata. Calendis Octobris, ad maiorem Nicopolim Sigismundus castra mouit, ab vna Istri ripa, maior, ab altera, minor Nicopolis est sita, hæc Traiani, Hadriani illa, victoriæ monumentum, vt quorundã est opinio. Sigismundo hinc nunquam statiua mouere certum erat, donec Nicopolim expugnaret. Turcorum Cæsar, quem Baiazethem Vngarorum Annales nominarunt, & Chalapinum plerique dixere, audito ingenti Christianorum apparatu, ne Europa eiiceretur, vniuersãm Turcorum rempublicam ad arma susci-
40 tauit, cum maximo equitatu, ac innumera peditum multitudine, in Nicopolitanum agrum his occurrit. Vrbs acri obsidione circumuenta, ac ingenti præsidio tuta, haud impigrè obstabat, erumpebant ex vrbe sæpe Turci, ac varia fortuna potiti redibant. Irritabantur ad pugnam vtrinq; animi, sed appropinquante Turcorum exercitu, eò vires conuertere opus erat, relicta legione cum nonnullis turmis equitum, quæ ciuitatem eruptióne prohiberet, cæteri omnes in Turcos, qui iam dudum in conspectum venerant, sese vertêre. Quum collatis dudum signis dimicandum esset, Galli instantissimè ab Sigismundo petiere, vt primæ pugnæ partes sibi concederentur, id laudis diuinæve charitatis ardore, cuncta Gallorum agmina exposcebant: concessum id in castris Gallo facilè.
50 Mox in castrorum conspectu, cum instructa acie Turcus obuersatur: nondum instructa Vngarorum acie, nec dato signo, Galli elato clamore, in hostem è castris prodiere. Concitatis equis in certamen descẽdunt, inauspicato pugna conseritur, at vbi ad congressum peruentum est, hi Gallico more descendũt equo, vt pedibus congrediantur, equi dimissi inito prælio, cum ingenti clamore in castra recurrunt. Turcis nil antiquius obtingere potuit, quam vt ab equo cum

pedite dimicarent, ab expedito hostium equitatu circumuenti obteruntur Galli, miserrimeq; cæduntur. Dum hasta securive Turcum ferire student, incursu recursuq; hostili defatigantur, deluduntur q;, dum audaciæ pœnitet, à lateribus, modò aduersi auersiq;, telorum imbribus, aut falcatis ensibus lanceisq; læduntur. Subsidij spe firmati, ad necem vsque dimicant, spe tandem sua frustrantur: nam equi, quos dimiserant, in castra præ tumultu fragoreq; relati, Vngarorum absterruere animos, quippe qui huiusce moris ignari, sociorum hinc cõflictum suspicantur, metu perciti castra relinquũt, ad vnum in fugam omnes planè vertuntur, in tanta rerum trepidatione, nullum Imperatoris edictum, nullum imperium seruare. Turcus cæso Gallo, à tergo instat, palantes Vngari fugiunt, magna in fuga cædes patrata, defatigatus cæde hostis, ad capturam & quæstum se conuertit, maximus captiuorum fit numerus. Quin etiam Sigismundus quoq;, qui cœli ruinam paulò antè contempserat, in manum hostium peruenisset, nisi parua cymba Danubium traiecisset, Xerxis profectò fatum nactus, qui cõtempto maris imperio, paruo nauigio in Asiam relatus est. In hoc prœlio viginti milia Christianorum cecidere, ex Turcis sexaginta milia desiderata. Traiecto Danubio, reformidato Vngarorum impetu, ob rem malè gestam, in Thraciam Constantinopolim Rex effugit, hinc nauigauit Rhodum, & Ægæum Ioniumq; pelagus emensus, in Dalmatiam, lustrataq; Dalmatię ora, in Croaciam venit. Illum viri autoritate opibusq; præstantes eo tempore sequebantur: horum Principes, Ioannes Canysa Strigoniensis metropolita, & Stephanus frater, fuisse dicuntur, hi fidum Regi comitatum, cõsiliumq; semper præstitere. Cum optimatibus regni, quæcũq; pro defensanda regia dignitate fieri opus erat, studiosissimè curabant, abominabãtur nouitatem rerum, & nihil his ocio & pace erat antiquius, dum optimi viri fungerentur officio. Contrà duo Stephani intercessere, Carolinæ olim factionis principes, quorum alter Ladislai Vaiuodæ filius erat, è Simonthoruia alter natus erat. Hi quum auersos à Regis fide, ob rem ad Nicopolim pessimè gestam, Vngarorum animos intuerentur, ad refouendam factionem pristinam animum aduertêre, tempus perquam idoneum sibi oblatum esse rati, è Proceribus multos, in hac coniuratione sibi socios adsciscũt, populorum, sub officij & publicæ charitatis specie, animos inuertũt, perniciosum hunc Regem reipublicæ esse suadent, & ni prouideatur, multo indies perniciosiorem futurum. Defuncta Maria, regnum ad Ladislaum Caroli filium pertinere, qui in Italia latè regnaret, diri tyranni crudelitatem, qua duo & triginta nobiles in foro trucidati fuerant, vulgò prædicant. His verbis vsque adeo cunctorum animos fortè sollicitarant, vt maximam in Regem inuidiam conflarint, inuerterant Optimatum animos, illiq; infestos planè reddiderant. Proinde nuncios ad Ladislaum mittunt Apuliæ Regem, quibus eum ad recipiendum Pannoniæ regnum hortantur, hæreditario iure ipsi debitum, si in Vngariam venire voluerit, se regnum sine periculo tradituros pollicentur. Significant omnes Procerum Antistitumque animos, Sigismundi tyranni crudelitatem habere odio, nec vltrà eum tolerare posse, quum ad interitum Vngariã redigat, rem domi forisq; malè gerat, infensam sibi nobilitatẽ ordinẽq; patritium habeat. Item Caroli Regis probitatem, iusticiam & virtutem ita omnium pectoribus insedisse, vt excidere nequeat, eius fatum ita passim ab omnibus deplorari, vt nihil vehementioribus votis expetant, quàm filium tanti sceleris vltorem, Pannonicarumq; rerum legitimũ moderatorem, proinde impensiùs orare, vt delatum sibi patrium regnum accipiat, quo sine controuersia potiri poterit. At ille quũ se ad magna cœpta vocari intellexisset, cõtinuò Caroli patris memoria succurrit, obuersabatur ante oculos paterna fortuna, fatum miserabile, varia Pannonũ ingenia, subotnata corda, & studia perquam diuersa, quæ omnia cunctatiùs capere consiliũ cogebant. Quanquam illi Sigismundũ exigere, tradere pacatũ regnum fortè spondebãt, tamen paterna infelicitas absterrebat. Quum Ladislaum in capiendo consilio tardiorẽ conspicantur, eo magis indies literis adurgent, incendunt ad id instantissimè. Demum per internuncios cum Ladislao, interiecto sacramen-

sacramento, paciscuntur, quicquid vterque Stephanus ipsius nomine in Pannoniis egerint, quousque regno potiatur, eum ratum ac firmũ apud se habiturum. Pacta conditione, coniurationis auctores indies Ladislai partes pro viribus augent. tot enim nobiles hac labe infidelitatis coinquinarant, vt proditorũ posteri in hodiernum vsque diem, ad rusticitatem redacti, maiorum errata luant. Hi quamuis rem clàm agerent, Sigismundum tamen latère non poterant. is enim in Dalmatia moram trahebat, vbi antequam in Vngariam restitueretur, menses duodeuiginti mansisse dicitur. Dissimulabat omnia, ne inuidiam sibi ex re ad Nicopolim malè gesta conflatam adaugeret. Strigoniensis tandem Archie-
10 piscopi, & Canysarum ope, item Ioannis Marothi opera, qui Sclauoniæ præfecturam cum imperio gerebat, in regnum restituitur. Stephanos noua quotidie moliri cõspicatur, & quum eos præsidio valido firmatos intueretur, eorum audaciam vlcisci non audet. Post restitutum Regem iam annus quartus agebatur, & nouitatis auctores cœptis indies multo impensiùs instabant: iam gens ferè vniuersa ex omni ordine, à regia fide defecerat, & limis illum oculis omnes intuebantur. Duorum & triginta equitum cædes, Nicopolitana clades, in inuidiam Mariæ obitus, & inita post illius mortem intemperantia, & præcipuè fœminarum, quibus præ licentia cœlibatus se fecerat obnoxium, in contemptum hunc adduxerant. Exaggerabantur coniuratorum obloquiis hæc omnia, quæ
20 multo minora, quàm ferebantur, profectò fuere, quippe qui multa ab eo comiter populariterq; facta vitio vertebant, & in malam cuncta partẽ interpretabantur. Tempus tantùm idoneum expectabant, quo Regem tutò caperent, cætera quæ ad patrandum facinus pertinebãt, summo studio diligentiaq; parauerant. Ad postremum anno salutis quadringentesimoprimo, supra millesimum, festo Vitalis die, ex composito Regem ingens Procerum multitudo, sub officij prætextu adiit, frequenti virum corona circumuenit. Conuenere etiam duo fortissimi iuuenes, Nicolai Garæ Palatini quondam filij, quem ad Elisabethæ Reginæ latus, a Ioanne Horuato cæsum esse diximus, horum alter Nicolaus, Ioannes alter dictus est. Ob indignitatem, quam à paterna nece conceperant, quia
30 illum Sigismundi factione cæsum fuisse senserant, haud difficulter in hanc coniurationem descenderunt. At vbi apud Regem conuentum est, de patratis ab eo facinoribus, de republica malè gesta, primò agi cœptum, oborta contentione, quando de rebus grauibus agebatur, ad conuitia contumeliasq; peruentum est. Irritati vltrò citroq; iurgiis animi, ac nimis exacerbati sunt, mox facto impetu, omnes veluti inter eos dudum conuentũ erat, Regi manus iniiciũt, hostili more consrementes capiunt, distrahuntq;, & iam de trucidando viro cogitassent, ni quorundam amicorum suasu remorati fuissent. Fatum fortasse Iulij Cæsaris subiuisset, nisi bonorum plerique intercessissent. In vincula tandem præter dignitatem miserrimè coniectus, adhibitaque Procerum custodiæ cohors.
40 Quum de præfectis custodiæ ageretur, Nicolai Garæ filiis committendum esse Regem, vno consensu decreuere, quos illi infestissimos esse intelligebãt: negocium datum vltrò accipiunt, in Sokles oppidum, captiuum abducũt, ibiq; cum præsidio Regem asseruant. Sigismundo ad captiuitatem miseram redacto, omnes, qui aduersa factione iacuerãt, capita extulerunt. Suscitato tumultu, Proceres cum numeroso equitatu vrbem discurrũt, Ladislaum Regem declarant, hunc verum Regem ingeminant. Ladislai signa edunt, non modò per fora & compita, verùm etiam per omnes regni oras circumferunt. Cuicunque vrbi elata signa appropinquabant, cum penatibus & magnis Diis collegia sacerdotum occurrebant, illa modulato carmine ac hymnis prçreuerenter excipere, in-
50 ferre templis, & magnis aris imponere, plausu & congratulatione excolere, saluti hilaritatiq; publicè passim supplicare. Redacta in Ladislai absentis potestatem Vngaria, patrum consulto, dum hæc aguntur, ad eum in Italiam continuò Legati missi sunt, qui Sigismundi captiuitatem, & eum Regem declaratũ nunciarent, demum orarent, quãdo iam in vado res est, in Vngariam repentè traiiciat. Quum ex his, & paulò antè disseminatis rumoribus, rem omnẽ Ladislaus

1401.

ex ordine accepiſſet, ad expeditum pacatumque regnum ſe vocari ratus, claſſem opinione celeriùs parat, complet milite. In Dalmatiam, quàm celerrimè poteſt, optimam nactus tempeſtatē, contendit, Iadram claſſe primò appulit, quam Vngatici iuris eſſe nouerat. Iadrenſes Ladiſlaum, audita Sigiſmundi captiuitate, & declaratione huius, haud inuiti honorificè excipiunt, conſalutant Regem, & tanquam verum legitimumque Regem excipiunt, quamuis adhuc in Vngaria Budenſis arx, cæteraque Regis pręſidia, cum ſuperioribus Vngariæ partibus, quæ ad Morauiam ſpectant, in Sigiſmundi fide permanerent. Aliquot Iadræ dies ille ſubſidet, dum reliquam claſſem expectat, & ab amicis, quid in Pannoniis agatur, intelligat. Cunctatiùs patre, longeque conſultiùs res ſuas agebat, ne pari fato rueret, ne quáve ſe facti pœnitentia ſequeretur. Vtrinque indies nuncij veniebant, qui & quid in Italia & Vngaria gereretur, exploratò referebant. Non tam potiundæ Pannoniæ ſpe trahebatur, quàm Apuliæ ſollicitudine remorabatur. Iadram à Ladiſlao vi captam, Venetorum Annales prodidere: quod veritati abſonum eſſe videtur. nam ſi ab Vngaris, abdicato Sigiſmundo, is Rex pronunciatus erat, ne magnum quidem negocium fuit, ab Iadrenſibus ſpectatæ fidei ſociis excipi. Interea Sigiſmundus, qui in Sokles caſtello, anguſto carcere coercebatur, & Gararum præſidio cuſtodiebatur, dies ac noctes lachrymis & ſingultibus vexabatur, deplorans conditionem Principum, vel maximè fortunam ſuam, qua nihil videretur eſſe miſerius, quippe cui nec mortis adminicula concederentur, nec carnifex quiſquam adhiberetur, qui eum his malis eriperet, nec prę vigili cuſtodia mortem ſibi conſciſcere liceret. Denegato quodam pulchro genere mortis, indignabatur etiam qualecunque negari, & quod longè grauius videbatur, id aſſiduò ſuccurrebat, nec licere viuere, nec poſſe mori. Tanti ſupplicij geſtarum rerum conſcientia virum haudquaquam alligabat, quam multo magis rectè, quàm perperam, vbique ſeruaſſe ſibi videbatur, ſi quid patrarat immitius, vltionis gratia, ſe iure feciſſe iudicabat. Captiui Regis gemitus aſſiduos, Nicolai Palatini coniunx, Gararum fratrum mater, diu tolerare non potuit, quæ non modò muliebri ingenio, ſed etiam ſuapte natura perquam pia ſemper eſt habita. Infauſtam Regis cōditionem miſerata, ne quid inconſultis liberis ageret, cum his primò de liberatione verba facere conſtituit, quibus ſeorſum accitis, Vnde id, inquit, ſuauiſſimi filii vobis accidit, vt infandi carceris præfecturam ſortiti, æternam præ cæteris infamiam deputatam habueritis? Quid plus vobis iniuriarum quàm cæteris illatum eſt? quid plus oneris & periculi in macerando Auguſtali & ſacro ſanguine accepiſtis? Nicolaus pater veſter, qui Palatinus erat, à Maria & Sigiſmundo pij parentis loco ſemper habitus, is à Ioanne Horuato cæſus eſt, qui acerrimus Garæ domus fuerat inimicus. Vos cum paternis inimicis miſeri coniuraſtis, in ſacroſanctum Regem inieciſtis manus, conieciſtis in vincula, & nefarij carceris præfecturam obiuiſtis. Recordor equidem patrem veſtrum ſæpe hæc dicere ſolitum, coronatum ſacro diademate Regem, etiam ſi beſtijs comparari poſſet, nunquam tamen ſine magno ſcelere lædi poſſe: ſi in veſtra manu is diem obierit, nónne perpetuā vobis veſtræque poſteritati notam inuretis? Alij, qui nouum Regem inducere pergunt, habent, quid ſperent, vos qui ſacrum Principem carcere maceratis, cōficitis multiplici morte, etiā pro nefariis paricidis haberi poteſtis. Quid nam miſeri ſperatis? quod in hunc patratis, id ipſum in ſe futurus Rex, mihi credite, formidabit. Laudant tyranni proditionem (vt aiunt) proditorem tamen abominātur, & timent. Si regiæ cædis autores fueritis, præter infamiæ æternitatem, quid à Diis hominibusq; vobis ſperare fas erit? nempe præter inaudita ſupplicia, extremum exitium, aut perpetuum exilium, fortunarumque iacturam, quid aliud ſperari poſſit, non inuenio. Hic tot annos iure coronatus, regnoque potitus eſt: ille, qui aditurus eſt, non modò Rex non eſt, ſed nondum regnare didicit. Leuitatis profectò magnæ, ſummique periculi, & ſceleris inauditi eſt, incerta pro certis quærere, tentare extrema, infandum patrare paricidium, & Deorum vnà mortaliumque iram ſibi prouocare. Proinde dulciſſima pignora, ab inito facinore

timore desinite, detestabilia deponite consilia, à nefanda coniuratione deficite, hanc notam vobis posterisq; perpetuam futuram, dum tempus est, diluite. Dimittite, quæso, per maternam pietatem, per salutem vestram, Ladislai Regis factiones, qui quum patrem Carolum Regem à parente vestro cæsum nouerit, nunquam vos æquis oculis poterit intueri. Sigismundus est, qui de patre ac domo vestra semper fuit optimè meritus, huius vxor & socrus ipsum ita opibus & auctoritate extulerant, vt alter apud Pannonios Rex esse videretur. Quare si mihi auscultaueritis, si maiestatem regiam, quam in captiuitate præter æquum & fas retinetis, beneficio vestro liberaueritis, omnia profectò summa ab eo vobis
10 sperare licebit, pro quo pater vester animã effudit. Maternis dictis iuuenes collabascunt, perterriti restitere, & inter spem & metum nutantes, in grauissimas curas incidêre. Postero die pia mater in carcerem descendit, Nihil (inquit) Rex optime, tui nunc impensiùs curant inimici, quàm vt te quoque scelere perdãt immerentem, contrà verò me fœmellam, assidui gemitus, lachrymæq; tuæ semper excruciant, & dignitatis, & ætatis tuæ me commiseratio subit. Non hæc, tua Maiestas de republica semper optimè merita, non hæc, tua fausta florensq; iuuentus, non hæc, Diui Lodouici hæres meruit. Te ab omnibus destitutum, nec Deus, in cuius tutela sunt Reges, nec viri manes, qui pro te olim occubuit, à me deseri patiuntur. Incumbo saluti tuæ, nihilq; succurrit antiquius, quàm quibus
20 te captiuum sicarij commisere, eorum in libertatem manibus vindicari. Verùm vnum est quod me à proposito sanctissimo remoratur, filiorum inquam meorum ratio, qui ne à te deinde deserantur, vehementer addubito: proinde si neq; me, neque liberos meos, mea inquam duo lumina, recuperato regno, desertuꝛum vnquam esse receperis, profectò te continuò liberatum, in pristinamq; salutem ac dignitatem restitutum dabo. Ad hæc Sigismundus, oblata spe salutis, quam antea desperarat, dispãsis brachiis, ad pedes prouolutus, Salutaris, inquit, Dei internuncia, solaq; infandos Sigismundi Regis labores miserata, quamuis te Palatini viri, quem parentis loco semper colui, pudicissimam coniugem esse reputẽ, miserere tamen, quæso, quæcunq; sis, calamitatis nostræ. Et nostri mise-
30 ria, pristinaq; beneuolentia in vos omnes, ac læsum regiæ Maiestatis numen, & inaudita fortunæ nostrę conditio, te quandoq; ad commiserationem excitet. Quanquã ad definiendas ærumnas lachrymasq; meas nihil morte magis præsentaneũ succurrit, tamen vt ab huius fati turpitudine me redimam, spem quam detulisti, lubenter accipio. Si ea, quæ me sperare iussisti, exitu præstabis, omnia in me ingratitudinis exempla & supplicia consummentur, si qua in me vnquam minima tanti beneficij obliuio deprehendetur. In omnes, quæ excogitari possint, incidam infelicitates, omniumque sim exemplar infelicium, si me tibi tuisque in pristinam dignitatem restitutum, pro arbitratu tuo semper (vti par est) gratissimum nõ inueneris. Proinde hoc inter vtrunque, teste Deûm hominum-
40 que fide, iam fœdus percutio, Sigismundus liberos tuos in fratres nũc adoptat, adoptat te quoque in matrem pientissimam, testes Deos adesse iubet, iureiurando fœdus obfirmat. Quicunque initum fœdus violarit, nõ modò libertate careat, veluti omnium compos miseriarum, sed vt fœda porca dissecetur in frusta. Dextra demum vtrinque data, fœdus ictum est. Mater mox cum liberis de liberando Rege transegit, ad emittendum Regem Morauiæ dominatum liberis pollicetur: commentum id vafrè à muliere inuentum, vt Sigismundus à filiis studiosiùs & cautiùs educeretur. E sententia omnia facta sunt, emissus in Morauiam Sigismundus, deinde in Boemiam peruenit. Coniuratorum igitur perfidia, quæ multis artibus Regem circumuenerat, vnius pietate mulieris eluditur.
50 Hæc igitur Sigismundi fuit liberatio, qui vbi vinculis emissus est, peruenit ad Ciliæ Comitem, cuius viribus adiutus, quia sororem eius Barbaram desponsauit, in Boemiam rediit, & deinde Vngariam recuperauit. Quum Rex in Boemiam euasisset, liberationis huiusce rumores, dicto celeriùs in Pannonias, Gallias, Germaniamque disseminati sunt: ad hanc inimici famam animo consternantur, nesciunt, quid vltrà moliantur, neque quò fugiant, neque quid sperent,

planè ſuccurrit. Contrà verò, qui Regis captiuitate iacuerant, veluti ſe ab inita ſeruitute vindicaturi, reuocandum citò Sigiſmundum exclamant, quicunque intercedant, contráve ſentiant, pro reipublicæ hoſtibus haberi oportere, in auctores tanti mali publicè animaduertendum. Sumunt quoque in eos arma, qui Regem ceperant. In Pannoniis omnia miſcentur, ſub prætextu regiæ vindictæ, in aduerſæ factionis nobiles vim inferunt, populantur agros, agricolas cum pecoribus abigunt, ſæuiunt quandoq; ferro igníque, ac nullum crudelitatis & ſæuitiæ genus omittunt. Inter hos ſæuiebat in primis Ioannes ille Maroth, Sclauoniæ præfectus, vir quidem (vt aiunt) iniurius, & ab omni humanitate deſtitutus. Econtrario, quicunque has iniurias accipiebant, pari feritate certabāt. In 10 tanta rerum omnium perturbatione Sigiſmundus, comparato ingenti Boemorum exercitu, & adiectis Vngarorum auxiliis, qui ſuperiores regni partes incolebant, cum maximis viribus Vngariam ingreditur. Diffugere inimici, obuerſari minimè auſi, quando Budenſem arcem, cæteraque præſidiaria loca, adhuc in fide regia perſiſtere nouerant. Rectà Budam Rex venit, arcem recepit, cæteraque munitiſſima in Pannoniis caſtella regia recuperauit. Hæc in Dalmatiam Venetiamque omnem fama diffuderat, Ladiſlaus hoc nuncio conſternatus, in Italiam, irritis cœptis eluſus, repentè redire contendit. Cunctationem, quam in Dalmatis fecerat, approbant, ne turpiore reditu notaretur, aliqui autem (quod minus probè ſcriptum eſt, quādo nimis eſt abſonum veritati) ſuorum literis ab 20 hac expeditione fuiſſe reuocatum prodidere, quippe qui non modò Neapolitanos, verùm etiam pleroſq; regni Principes iam formidoloſam expeditionem moliri ſignificaſſent. Adiecere quoque, Ladiſlaum ea tempeſtate Iadram vi captam, cum vniuerſo agro, adiacentibusque inſulis, ac mari, centum milibus Veneto vendidiſſe: ad recipiendam eam, tranſigēdamque venditionem, cum præſidio valido Legatos veniſſe quatuor, Frāciſcum Cornarium, Leonardum Mocenigum, Antonium Contarenum, & Fantinum Michaelem. Sunt qui multo abſurdiùs tradidere, Venetos à Ladiſlao totius Dalmatiæ iura cum Iadra redemiſſe, Senatum Populumque Venetum, empta Dalmatia, ita publica lætitia fuiſſe exhilaratum, vt ſupplicationes ac vnius diei ferias indixerit. Ex his vtrique 30 futilia ac vana ſcripſere. Hi qui captam à Ladiſlao Iadram tradidere, vt rem belli iure ſibi vendicatam, haud iniuria vendere potuiſſe videretur, iniquum profectò ſcribendo profitentur affectum. Nam Iadrenſes, qui tot Venetorum Pannonumque bellis haudquaquam facilè capi potuere, nunquam à parua Ladiſlai claſſe, ac primo congreſſu capi potuiſſent. Admiſere illi virum, tanquam amicum, ac regio ſanguine oriundum, quod eo fecere libentius, quia in regni ſpem vocari intelligebant. quum ibi moram traheret, à Venetis fuit pecuniis ac nauibus adiutus: vt aliqua ex parte ſatisfaceret, id quod Iadræ habebat, quæ alieni, hoc eſt Vngarici, iuris erat, abiens vltrò Venetis conceſſit. Qui autem Venetos cæteram Dalmatiam ab eo mercatos tradidere, multo grauiùs errarunt. 40 quónam pacto Veneti in gerendis rebus prudentiſſimi, cēties mille aureûm pro emenda à Ladiſlao, quam vendere non poterat, Dalmatia erogaſſent, quia Vngarici iuris erat, atque Sigiſmundi, & non Ladiſlai tunc auſpiciis regebantur? Nunquam profectò in re vana ac futili tātam pecuniarum iacturam Veneti feciſſent. Ladiſlaus igitur ſpe ſua fruſtratus, in Apuliam regreſſus eſt: antequam è Dalmatia ſolueret, ad Sigiſmundum hæc ſcripſit: Ingenuè fateor Sigiſmunde Rex, me à Proceribus Vngaris diu ac impenſiùs ſollicitatum, inuitum tandem ad promiſſum mihi regnum in Dalmatiam vſque veniſſe, ſubſediſſe ibi diu, donec rei exitum conſpicarer, vt quid ipſa fortuna ac varia Vngarorum ſtudia ſibi vellent, veluti è ſpecula proſpectarem. Inconſtantiam doloſque huiuſce gentis 50 planè nouiſti, vtinam in patre idipſum non fuiſſem expertus. Nihil hi Regum nouitate ducunt antiquiùs, & tunc maximè geſtiunt, quando in certamen Reges ex arte committunt, ex hac re quæſtum faciunt. Excuſatum igitur me habebis, quia expeditionem hanc vltro non accepi, acceptamque idcirco cunctatiùs geſſi, vt diuinam quoque modò voluntatem elicerem, vnde mortalis poteſtas

cuique

cuique tribuitur. Proinde tibi, quem è tot ærumnis ipse Deus asseruit, sponte cedo, posthac me officiosum amicum, immo affinem tui studiosissimum in cæteris rebus agnosces. Mihi autem nil gratius vnquam facere poteris, quàm si ab his, qui Regum nouitate lætantur, eas pœnas exegeris, quas de te sumere conati sunt. Sigismundus, pro fratre in posterum se habiturum, & cumulatas à parricidis pœnas exacturum esse respondit. Reuersus Ladislaus in regnum, Albrici Cunij opera, Neapolitanum regnum bene pacauit: quo pacato, quum incredibili prudētia & magnanimitate polleret, omnibus Italiæ Potentatibus, in primisque Pontifici formidolosus esse cœpit. Albricum hic magnū (vt aiunt) Conestabilem creauit. Ne amplius per Præfectos & Legatos foris rem ageret, sed ipse rebus suis adesset, Perusiam, ac multas Latij ciuitates in ditionem suam redegit. Vigesimo regni anno, per speciem amicitiæ Romam ingressus, Romanos in Bonifacium Pontificem irritauit. In hac vrbis perturbatione, vndecim è patriciis, à Lodouico nepote Pōtificis capti sunt, & à lictore cæsi. Pontifex, patriciorum cæde consternatus, cum aulica turba Viterbium effugit. Sedente deinde Gregorio Pontifice maximo, quum is abesset, vrbem Romam occupauit. Pontifex indignitate rei percitus, Ladislaum regni titulo priuauit, Lodouicoq; titulum addixit, Lodouici Andegauēsis filio, quem Regis Galliæ fratrem fuisse perhibent. Succedente deinde Ioanne, ac redintegrato bello, ita à pontificiis Ducibus profligatus est, vt ingenuè sæpe fateretur, quòd si hostis prudentia & victoria vti sciuisset, iamdudum de se ac regno fuisset actum. post hæc inter vtrunq; varia fortuna fuit, modò bello, modò induciis tempus transactum. Tortonam Florentinis vendit. Dum Florentiam, cæterasque liberas Italiæ ciuitates in seruitutem vindicare pergit, Perusiæ morbo correptus, Neapolim contendit. Paucis pòst diebus, quum ibi conualuisset, Florentinorum arte, qui ab hoc suæ libertati admodum timebant, medicato puellæ concubitu, quæ sui medici filia fuerat, enectus est. Hic fuit Ladislai finis, qui Caroli Pazi (vt aiunt) filius erat, à quo Ioannam Reginam, & victā, & cæsam fuisse tradiderūt. His temporibus, anno nonagesimonono, vltra tredecies cētenum, mirabilis Dealbatorum peregrinatio, ex vlteriore in Cisalpinam Galliā erupit; tribusq; mensibus, ad extremas vsque Italiæ oras progressa, vniuersos tunc populos, ad sumendum candidatorum habitum, & ad continuanda supplicantium agmina concitauit. In illis supplicationibus diuinam misericordiam passim conclamabant, ingeminabant publicam pacem, fideliumq; ocium & quietem, quam per tot annos amiserant, elatis vocibus implorabant. Tantam ea tempestate religionem populos incessisse aiunt, vt qui candidatus non prodiret, ab humanitate simul & diuino cultu destitutus esse videretur. Venceslaus Caroli Imperatoris filius, & Sigismundi frater, qui cum patre olim imperare cœperat, in sequenti anno, ob ignauiam inauditamq; lasciuiam, ab Electoribus est imperio abdicatus. Robertus Bauarus huic substitutus, sed non æquè ab omnibus approbatus. Conductus à Florentinis ingenti pecunia, aduersus Galeatium Vicecomitem, cum maximo Italiam exercitu ingressus est, nullaque re gesta memorabili, in Vindelicos se recepit. Cometes in cœlo visus, hinc Galeatij mors sequuta, quem in agro Mediolanensi, ad Malignanum, diem obiisse ferunt. Eodem quoque anno, Tamburlanus vita defunctus est. Inauditis opibus Imperator, natus apud Tartaros gēte humili, mox eousque euectus est, vt duodecies centena milia hominum haberet in castris. Qua quidem multitudine attritis bello Turcis, eorum imperatorem aureis catenis vinctum, currui, quo vehebatur, quasi triumphans alligauerat, protriuit Armenos, Persas euertit, destruxit Ægyptios, Damascum penè deleuit. Tanto Asiam & Europam terrore compleuerat, vt humanorum vltor scelerum appellaretur. Occuparunt eodem quoq; tempore Galli Genuam, lateq; in Liguria dominari occœperunt. Quinto pòst anno, Pisæ bello fameque confectæ, in Florentinorum potestatē deuenere. Iam tempus admonet, vt ad Sigismundi gesta reuertamur, & quid post reditum in Vngaria gesserit, ritè prosequamur. Pòst vbi Sigismundus in Pannoniam rediit, quamuis acceptæ iniuriæ animo

1399.

altiùs insederant, nequaquam tamen in vindictam continuò erumpendum esse censuit, dissimulato dolore, clementiam prætulit, ne extrema inimici desperatione correpti, aliquid obstinatiùs molirentur. Prædia solùm à fidelibus postulata, ne his ingratus videretur, vltrò rescripsit, multos villis, muniis alios pro dignitate donauit. Ære bonisque potius, quàm capite mulctandos esse rebatur, contrà verò illis neque spem occludebat, neq; occurrentes limis oculis intuebatur. Ne gratiam quidem petentibus, se difficilem inhumanumque præstabat, exorabilem, præter omnium opinionem, se his præbere, ostēdere se iniuriarum immemorem, insperatā præ se ferre mansuetudinem, vt his qui grauius in eum peccarant, fiduciam suscitaret, ac metu simul & omni suspicione liberaret. Postquam satis securitatis iniecerat, in Sclauonia conuentum indicit, oppidumque huic præstituit, quod Barbaricè Keures Duarhel nominant. Ad conuentum, Stephanus Vaiuoda Ladislai filius, cum magna equitum manu aduenit, partim suorum viribus, partim Regis clementia fretus, sed spe sua falsus, longè aliter, ac putabat, sibi accidisse cognouit. Quum in concilium venisset frequentissimum, dato signo, ex composito à nobilitate captus, ibique à lictore, indicta continuò causa, obtruncatus est: diffuso necis huiusce rumore, equites, vt sui Ducis mortem vlciscerentur, sumpsere arma. Domum, vbi concilium eo die habebatur, circumuenere, & iam fuisset cruenta pugna certatum, nisi è fenestris continuò corpus eius in forum deturbassent, quo quidem spectaculo ita suorum animi consternati sunt, vt domini sui vindices esse formidarēt. In medio tumultu, aduersus hos vnus occlamat, Quò ruitis miseri, quò ruitis? en cuius gratia sumpsistis arma, iam extinctus est, in cassum furitis, state viri, & aduersus regiæ Maiestatis imperium dimicare desinite. Deferbuit hac voce furor equitum, nam timore extemplo perculsi, diffugêre. Stephanum Vaiuodam, præter alia grauissima scelera, quæ patrarat, id potissimùm ausum fuisse memorant. Post Nicopolitanam cladem, quum in maritimis oris Sigismundus moram traheret, hunc ad Baiazethem Turcorum Regem tabellarios misisse ferunt, clamque cum eo de filiæ nuptiis cum Ladislao Rege egisse, & ea quidem conditione, vt generum, ad eiiciendum Pannoniæ regno Sigismundum, opibus & auxiliariis copiis adiuuaret. Rem per internuncios eò adduxisse, vt sub hac spe affinitatis oblatæ, quam tantopere prophanus Barbarus appetebat, nonnullas Turcorum legiones, ad labefactandas Sigismundi vires, inter Sauum Drauumq; induxerit, vnde magna Vngariæ appendicibus calamitas vastatioque illata. hunc igitur primum Turcorum ingressum in inferiorem Pannoniam fuisse perhibent. Quare tunc Syrmiensis ager, qui tot vrbibus oppidisq; florebat, ita populatus & euersus est, vt vix nūc tot ciuitatum perpauca vestigia supersint. Sumpto de Stephano, tot malorum auctore, iam supplicio, cæteri quoque suas dedere pœnas: alij nanque ære, exilio complures mulctati sunt, ad postremum nemo è potioribus impunitate donatus. Res interea Vngaricas aliquantisper dimittamus, & de Venceslao & Sigismundo fratribus, & quid huic cum altero intercesserit, haud ab re iam referendum esse duximus. Venceslaus enim patris non admodū absimilis, improbis voluptatibus obnoxius, item desidiosus, iners & ignauus, parum appetens laboris, ac vino potius quàm imperio deditus, ita Principum à se animos abalienauit, vt ab omnibus odio & contemptui haberetur: quare captus à Proceribus, menses tres carcere affectus. Sed à Ioanne Lusaciæ duce, & à Procopio Morauiæ tyranno, non sine magno reipublicæ malo liberatus est. In pristinam paulò pòst intemperantiam effusus, iterum à Sigismundo fratre captus, Albertique custodiæ commissus, qui Ducatum Austriæ ea tempestate gerebat. Quum in magnificis ædibus Viennæ asseruaretur, custodum incuria fugam rapuit, iterum regno potitus, in mores pristinos planè recidit, agebat perpetuos in vino crapulaque dies. Cùm imperio indecorem omnes arbitrarentur, ab Electoribus, haud inuito Pontifice, Augustali dignitate abdicatus est, reliquum ætatis pari infamia transactum. Quinquagesimo huius anno, prophana Hussitarum emersit insania, quæ totam Boemiam, ac magnam Germaniæ partem

partem prorsus infecerat. Pragense gymnasium ad ea vsque tempora Teuthones planè gubernarãt, quod Boemi, quibus ferox & indomitum est ingenium, grauatè pertulerant. Ex his quidam nobili genere natus, apud Oxonium Britanniæ ciuitatem eruditus, quum in Ioãnis Vicleffij libros incidisset, qui *De Rerum vniuersalibus* inscribuntur, his haud parum monumentis oblectatus, hæc in patriam retulit: in his de ciuili dominio, de Ecclesia, de clero agebatur. Vicleffistarum veneno iam imbutus, mox in alios perniciem suam effudit, librũ conciuibus accommodauit, qui Teuthonum odio trahebantur, in primisq́; Ioanni, humili loco nato, cui à villa cognomen Hus inditum, quod Boemicè anserem
10 significat. maxima ingenij præpollebat is acrimonia, & eloquẽtia, licet peregrina, non mediocri, accedebant dialecticæ argutiæ, ingenium deprauatarum auidissimum opinionum, quibus Teuthonicos præceptores admodum sollicitauit, ratus callidis confusos eos enthymematis, possessa diu gymnasia deserturos. Mox quum res è sententia non succederet, a Venceslao imprudentissimo Principe impetratum, vt gymnasium, Parisiorum ritu gereretur. quare professoribus omnibus externis locus ademptus est, qui rei indignitate commoti, inito iureiurando, omnes cum discipulis abiere. Duo milia ex composito vno die recesserunt, paulò pòst tria circiter milia subsequuta, ad Lipsiam Mysnæ vrbem, trium dierum itinere à Praga remotam conuenere, occœpere ibi cuncta libe-
20 ralium artium studia profiteri. Exhaustum Pragẽse gymnasium, ad Boemorum potestatem redactũ est. Hus partim vitæ subornatæ continentia, partim copiosa dicendi facultate fretus, gymnasij facilè principatum sibi vendicauit. In æde Diui Matthiæ, quam Bethlehem nominant, sacram declamationem sortitus, festis profestisq́; diebus de diuinis humanisq́; rebus vulgò prædicare cœpit. Et quum eloquentia improbum hominem nacta, haud aliter sese habeat, atq; gladius, qui in manus incidit furiosi, quodcunque è veneficis quondam libris virus ille conceperat, in populum tũc id vniuersum euomuit. Publicè Vicleffum extollere, commendare viri dogma, dicta diuina, & è cœlo sumpta dicere, inter Diuos hunc demum relatum esse, impensiùs asseuerare. Virosum repentè do-
30 gma hi primum imbibêre, qui sacris initiati, grauati alieno ære, insigni quoque scelere pollentes, hac deprauatæ opinionis nouitate supplicium euadere sperabant. Concessere quoque in hanc sententiam plerique doctrina præstantes, qui quum in Ecclesia Dei suam dignitatem assequi non possent, nonnullosque nec cognitione rerum, nec vitæ probitate, sed fortunæ tãtùm temeritate, ad magna sacerdotia euectos intuerentur, perquam iniquo animo tolerabant. Hinc primùm in sacerdotes opulentos oblatratum, adiectæ blasphemiæ, & excogitata crimina. Summum deinde Pontificem grauiter incusare, deficere à catholica Ecclesia, in eum hæc dogmata commenti sunt: Romanum Pontificem, reliquis Episcopis esse parem. Nullum inter Sacerdotes esse discrimen, presbyterũ non
40 sacrosancta dignitate, sed vitæ meritis effici potiorem. Animos corporibus exutos, extemplo aut superis, aut inferis in æternum addici, inter hæc nullum esse medium. Purgatorium ignem haudquaquam inueniri. Pro mortuis frustra inferias celebrari, ac preces effundi irritas, & sacerdotalis auaritiæ id esse cõmentum. Item imagines Diuorum è medio tollendas. Irridendam aquæ sanctæ aspersionem. Mendicantium religionem à dæmonibus inuentam. Sacerdotes omnes paupertatem colere oportere, eleemosynisq́; tantùm pasci. Liberam cuique diuini verbi esse prædicationem. Nullum capitale peccatum, quantumuis maioris mali euitandi gratia, esse committendum. Mortalis culpæ reum, neque seculari neque ecclesiastica dignitate potiri, neq; ei parendnm. Chrisma, & no-
50 uissimam vnctionem, inter sacramenta haudquaquam contineri. Cõfessionem Deo tantùm factam, cuique satis esse. Baptisma è fluuiatili sat aqua constare. Cœmiteriorum vsum, quæstus gratia adinuentum. Templum Dei, terrarũ esse orbem. Templis & sacellis, diuinã coarctari maiestatem. Sacerdotij vestes, altariumq́; apparatus, ac cætera tale genus, in cassum, veluti nullius momẽti, fuisse comperta. Eucharistiam quoq; loco ac tempore postulantibus dari posse. Sa-

cerdotiq; conficiendæ Eucharistiæ vbique ac semper liberam esse potestatem, diuinis ad id tantùm verbis opus esse. Frustra etiam eorum suffragia impetrari, qui inter Diuos relati sunt, quando nihil adiuuare possunt. In Canonicis horis tempus frustra teri. Nullum diem, præter Dominicum, festum haberi. Ferias Diuis indictas reiici oportere. Nil ieiunia sibi promereri. Sbincolepus Pragensis Antistes, Ioannis Vicleffi volumina ad se deferri, coactoque Doctorum concilio, in foro concremari iussit. Ioanni prædicatio interdicta, & adiectæ minæ. In vicum ille rediit, vnde olim cognomen acceperat, suffragantem sibi loci dominum nactus, hæc eadē coactæ plebi prædicare occœpit. Multa in Romanum, cæterosque Pontifices indies maledicta euomere. Ad conciliandos populorum animos, decimas dicere haud secus ac eleemosynas habēdas esse, possessorum cuique esse liberum eas pro voluntate dare, ad soluendum nullo iure cogi posse. Nondum eucharistiæ prophanus error emerserat, hanc nouam pestem Petrus Trasensis induxerat, quod quidem oppidum ad Albim fluuium situm est. Hic à Teuthonibus eiectus, quum prauis opinionibus laboraret, primus sub vtraque specie Dominicum corpus ministrandum esse profitebatur, Ecclesiā inscitiæ non mediocris insimulans, quæ sub vna tantùm specie sumendum edixerat. Id Saluatoris ore prolatum, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Cæteri sensim hac contagione coinquinari occœpere. Venceslaus Rex quāuis iniquo id animo audiebat, correptus tamen ignauia, pestem hanc impune grassari patiebatur. Sbinco præsul quum nullam, ad coercendam hanc labem, in Rege opem inueniret, ad Sigismundum sanè confugit, obsecrans simul & exclamans, vt labanti dudum orthodoxæ fidei succurrat. Perniciosam populi mentes hæresim obrepsisse significat, sacras cæremonias, & mystica cuncta incæstari, ni breui prouideatur, catholicam Ecclesiam ire perditum. Se in Boemiam propediem rediturum Sigismundus affirmat, & diligentissimè mysteriis prospecturū. Dum negociorum mole tempus differtur, Pisonij Sbinco diem obiit, cui Albricus suffectus est, Boemica gente natus, inauditæ auariciæ deditus: quandoquidem rogatus, quem sonum molestiùs audiret, Maxillarum, inquit, ossa frangentium. Ladislaus ea tempestate Romanam Ecclesiam infestabat, aduersus Ioannem pontificem maximum, grauissimum bellum gerebat. Pontifex defensandæ Ecclesiæ gratia, integram peccatorum remissionem, publico omnibus edicto, passim indulserat, qui in Pontificium hostem arma sumerent. Quum edictum hoc in Pragensi basilica recitaretur, tres è plebe homines continuò inclamarunt, Ioannem Papam Antichristum esse, quippe qui crucem in Christianos indixerit. Hi Senatus imperio subinde capti, in vinculaque coniecti sunt, facta seditione, populus occurrit, dimitti homines exposcit: mox Senatus oratione placatus, arma deposuit, desidit tumultus. Proxima nocte de his capitale supplicium sumptum est. Quum è prætorij foribus cruor effluxisset, patratæ necis fecit indicium, quod vbi populo significatum est, tumultus redintegratur, resumuntur arma, ad prætorium vndique concursum est. Erepta cæsorum corpora, aurea purpura inuoluunt, circa omnia templa hæc per vrbem efferunt, prophanæ sectæ sacerdotes cum his pariter exclamant, hos pro sanctissimis martyribus habendos, quando pro Dei testamento sua corpora exposuerunt, corpora ad Bethlehem in sacrario non sine aromatibus recondita sunt. Postquam satis superq; conclamatū est, soluta multitudine res pacatur. Paulò pòst ad Constantiam Sueuorum vrbem conuentus indicitur, conuenere frequentissimi Christianæ reipublicæ Proceres, ibi de rebus Boemicis agi cœptum est. Sanandæ tandem prouinciæ gratia, Sigismūdo, qui vt infra referetur, ad Romani imperij dignitatē euectus erat, Ioannem Hus & Hieronymum ad synodum placuit accersi: acciti veniunt, Ioannes ætate & auctoritate maior, doctrina & facundia superior Hieronymus: lecti ex omni natione patres eruditissimi, qui cū his studiosissimè disputarent. Ostenderunt horum dogmata à diuina lege ac bonis moribus nimis esse aliena, demū hos orant, ne plus Ecclesia sapere contendant, monen-

monentes ad salutem, non ad perniciem sapere oportere. Ad hæc illi pertinaciùs instare, dicere se veros esse Christi discipulos, Romanam Ecclesiam ab Apostolorum sententiis admodum dissentire, opibus & deliciis oblectari, amplissimos affectare dominatus. Prouentus Ecclesiæ, non (vt fas est) pauperibus impartiri, sed in luxum & intemperantiam erogari, nullum maledicendi genus prætermittere. Ad postremum, quum rogati neque mutare sententiam, neque resipiscere vellent, sanctorum patrum decreto, incendij damnati sunt. De Ioanne prius supplicium sumptum est, paulò pòst de Hieronymo actum, vterque inaudita animi fortitudine rogum obiit, nulla miserabilis vox audita. Ambo in i-
10 gnis ingressu hymnum cantauere, quod vix flamma & fragor incendij intercipere potuit. Cineres, ne raperentur à Boemis, in lacum proximũ dispersi. Rogi solum, à discipulis erasum, in patriam relatum, & pro sacro habitum. Vterque à Boemis inter Diuos relatus, solennisq; vtrique dies publicè constitutus. Sectatores exin, amicorum opera, quædam à Rege templa extorquent, vbi suæ plebi prædicare cœperant. Ad Glatoniam, nobile Prædicatorum collegiũ euertunt, idq; primum in Boemia cœnobium, Hussitarum impietate ruinam dedit, quod ædificiis & præstanti sacrarum rerum apparatu iuxtà pollebat. Deinde oppidatim vicatimque in magnifica templa sæuitum. Item celeberrimum Aulæ regiæ monasterium, quod ad Moldauiæ ripã situm est, qua Mysa fluuius eum influit,
20 vbi regum corpora cõdebantur, pari sacrilegio absumptum est. Præterea ad castellum quoddam triginta hominum milia conuenere, quibus in patentibus campis, quum trecentas mensas erexissent, sub vtraque specie data est Eucharistia. Venceslaus hac re vehementer absterritus, ne eorum in se arma verterentur, regnumq; sibi abrogaretur, Corandæ tamen Presbyteri concione liberatus est, in Vissegradensem arcẽ se recepit, paruo tantùm fluuio a Praga disiunctam. Ad castellum deinde nouum, cui Cuniragigæ nomen est inditũ, quod ad quartum ab vrbe lapidem ipse construxerat, cum paucis abiit: ad Sigismundum repentè fratrem Oratores misit, qui auxilium implorarent. Mox Consulibus Nouæ ciuitatis Pragensis edixit, ne vlteriùs Dominicum per vrbem corpus, cum
30 pompa ab hæreticis circumferri paterentur. Contrà illi pridie calendas Iulij, quum ad Carmelitarum basilicam conuenissent, Eucharistiã, contempto Consulum imperio, per vrbẽ circumtulere, diripuere domum sacerdotis, qui à prophanis deliramentis planè dissenserat. Mox facto tumultu, circumuenere prætorium. Consules vndecim metu perculsi, fuga sibi salutem compararunt, cæteri septem, qui remanserãt, raptim intercepti, ex altissimis in forum fenestris deturbati, pilisq; multitudinis excepti pariter, & dilaniati sunt. Venceslaus interea paralysi correptus, grauius laborare cœpit. Exin duodeuiceno die, signatis hæreticorum nominibus, quos morti destinarat, dum fratrem assiduè vocitat, & amicorum auxilia anxiùs expectat, prius humanis excessit, quàm Sigismundus,
40 & vocati Principes adessent. Post Venceslai mortem, Ioannes Zisca quidam emersit, haud ignobili genere, Trosnouiæ ortus, vir tenui censu, in aula a pueritia educatus, bello impiger, ac strenuus, altero captus oculo, quem per certamen amiserat, item cui ferox ingenium, & indomita rapinarum libido inerat. Hussitarum contagione infectus, coacta sacrilegorum manu, in cætera, quæ superstiterant, templa fecit impetum: comminuit Diuorum simulachra, Christi optimi maximi fregit imagines, Carthusiẽsium cœnobium, vetustum quidem, & mirabili opere constructum diripuit, succenditque. E montana turba circiter quadringenti viri cum mulieribus descenderunt, Hussitica labe coinquinati, quibus à Consulibus, præ timore plebis, cibaria publico sumptu decreta, hi
50 à Zisca inter suas copias asciti. Ziscam ad locum profectum, quem Cruces appellant, magnus hæreticorum numerus est sequutus. Ad eum profectò locum quadraginta circiter milia conuenere, quare audentiorem impij ad maximum quodq; facinus animũ concepere. In eo conuentu, multa aduersum Sigismundum Cæsarem, quẽ regni hæredem, suisq; conatibus infestissimum esse nouerat, excogitata & decreta sunt. Post hæc Zisca, Coranda duce, Pelzinam con-

tendit, vbi complures eiusdem factionis esse senserat, vrbem confestim in potestatem suam redegit, validoque præsidio confirmauit. Qui ad Cruces remanserant, arcem Vissegradensem inuasere, quam negligentius asseruari intelligebant. Regina interim anxia, cui Sophiæ nomen erat, diuersa trahebatur, quo se modo tueretur, haud facilè succurrebat. Sigismundum crebris nunciis opem orabat, necnon & vicinorum auxilia petere, in parteis omnes versare mentem, & Deûm hominumq; fidem implorare. Nimirum haudquaquam probo Sigismundum cõsilio vsum tunc omnes affirmant, quippe quem in Turcas, qui iam pridem se castris exuerant, arma prius mouere, quàm laborãtem Boemiam petere, libido incesserit. Quòd si Pragam cõfestim exercitum duxisset, antequam hæreticorum vires coaluissent, nunquam Germania tot incendia subiisset. Ille verò, dum bello Turcum lacessere pergit, Boemiam amisit, & Vngariã non defendit, quum serum eius foret auxilium. Regina cum Tenchone Vratembergensi, regni gubernationem obiuit. Comparatis regio sumptu copiis, arcẽ Pragensem, & minorem, quę arci subiacet, ciuitatem præsidio muniuit, ad pontem Moldauiæ turres erexit, vt hæreticis transitũ inhiberet. Contrà illi per regnum passim conuentus habere, sollicitare populos, hos minis trahere, illos blanditiis allicere, suis vrbem hominibus complere, demum dies noctesq; impensiùs decernere, quibus rerum summam artibus occuparent. Cum his Petrus Sterembergius ad Benedicti insulã conflixit, prælium æquo Marte diremptum. In Praga adaucta impiorum multitudine, pro ponte pugnatum, quum multi vtrinque cecidissent, pons tandem in Hussitarum potestatem redactus est. Mox quum fideles in altiorem sese partem recepissent, coniunctis animis vnà certamen instaurarunt: quinis diebus assiduò pugnatum est, multi vtrinque cæsi, multæ magnificæ domus igni absumptæ, prætorium infimo loco situm quoque incensum est. In hac summa rerum perturbatione, intestinoq; bello, legati Sigismundi Regis interuenere, regni, Pragæque gubernationem iuxtà susceperunt, fecere inducias, vt Vissegradensi arce reddita, ciuibus ad Sigismundum Oratores mittere, cum eo rem suam transigere liceret. Zisca, Pelezinam, Piestam, & alia quæcunque loca ceperat, vltrò restituit. Pacta conditione, externi hæretici deseruere vrbem, gubernatio & præfectura vrbis à Consulibus recepta. Quamuis aliquanto pacatior exin vrbs facta, catholici tamen, qui excesserant, redire non ausi, Sigismundi Regis aduentum expectabant, cuius præsentia se tutò in vrbe permansuros sperabant. At spes omnis, perlectis eius literis, intercepta, quippe quibus ille haud aliter se regnum, ac pater Carolus prouinciam, gubernaturum esse significauit. Hinc sectam suam eiectũ iri hæretici intellexere, quæ regnante Carolo nondum emerserat, quare magis ac magis exacerbantur. Saluatoris nostri natalibus, Brunnam, quod est Morauiæ oppidum, Sigismundus aduenit, adcurrêre illico Pragenses, veniamque supplices exorauere. Venia ea conditione data, vt catenas & repagula, tota ex vrbe deponerent, suos acciperẽt magistratus, eisque ritè parerent; acceperunt illi præ metu conditionem. Audito noui Regis aduentu, ingenti Primores regni lætitia correpti, nuncupatissimis eum votis expectabant, admittebant vrbes, Præfectos à Rege missos, & ad eius obsequium iamdudum sese omnes accommodabant. Quòd si Brunna tunc rectà Pragam ipse venisset, nemo profectò dubitasset, quin Hussitarum pestis tota penitus Boemia excessisset. Sed in Slesiam Sigismundus iter fortè diuertit, Vratislauiamque peruenit, quæ caput gentis est. Itineris causa fuerat, quia consulatum, quẽ nuper illic instituerat, populus facta seditione trucidarat. Vrbem ingressus, re cognita, à sceleris auctoribus supplicium continuò sumpsit. Quod quum Pragenses audiuissent, veriti Vratislauiensium exemplum, à Sigismundo palàm defecere. Cenchonem Præfectum arcis, largitione corruptum, in factionem adsciuere: huius literis, cunctis populis edicitur, ne quem Sigismundo aditum præbeant, quando Sclauonicæ linguæ hostis factus est, exitium regno molitur, Marchiam antiquam, Prutenorum ordinibus, iure pignoris obligarit, alienarit Brandeburgensem, Ioannem & Hieronymum, viros planè sanctissimos,

ctissimos, synodi auctoritate cremarit, antiquarit sacra illorum dogmata. Zisca, facta defectione, aduersus Catholicos irruens, eos fudit, fugauitque. Mox Auscam oppidum, quod ad Lusmicium amnem situm est, petiit, vnde Procopium Vlricumq; fratres, orthodoxæ fidei charitate præditos, nec mediocrem quidem populi partem, Hussitarum labe coinquinatam, eiecisse nouerat, breui hanc obsidionem expugnauit, diripuit, & incēdit. Liczium castellum mille passibus inde remotum, quò se Vlricus cum familia tota receperat, vi cepit. Vlricus cum vniuersa domo cæsus, vni data venia, qui cæteros trucidauit. In hoc vesaniæ magnæ successu, quum ciuitatem muro turribusq; munitam non haberet, in eiusdem fluuij ripa, locum octo stadiis ab Ausca semotum elegit, quem mœnib. munitionibusq; non paruis obfirmari iussit; vt tentoria quisque fixerat, ita domos ædificare præcepit. Ciuitati, Tabor à castris nomen inditum, quando Tabor Vngaricè castra dicunt: hæc inter duo flumina sita, veluti in peninsula, sic arte locique natura munitur, vt vix vnquam capi possit: tutissimum id hæreticorum asylum Zisca esse voluit. Nicolaus monetæ Magister, & Sigismūdi Procurator, in Boemiā cum equitatu à Rege missus, Taboritarum vires auxit, quippe qui quum in regnum venisset, vt Ziscę motibus occurreret, ex improuiso ab hoste petitus, armis & equis exutus est, vicus incensus, Nicolaus in arce seruatus. Quum verò, vti Aphrica, semper aliquid noui apportet Boemia, longè superiore absurdior hæresis emersit, quæ Adamitarum dicta est. Piccardus quidam è Belgis, traiecto Rheno, in Boemiā penetrauit, qui præstigiis quibusdam, & mira calliditate fidem sibi cōcilians, magnam in suum dogma multitudinem coegit. Et occupata insula, Lusmicio amne obducta, se Dei filium esse profitebatur, sectatores nudos incedere iubebat, appellare se Adam, promiscua connubia indulgere. Item pro libidine quisque mulierem apprehendere, & in Adæ conspectum adducta, dicere, in hanc spiritus meus incaluit; contra ille respondere Antistes, Crescite, multiplicamini, & replete terram. Hic cæteros homines, seruos vocare, se tantùm, & hoc modo natos, liberos dicere. Hinc quadraginta in proximas villas homines prodiere, strictisque gladiis planè grassati, ducentos circiter agricolas interfecerunt, quos diaboli filios asserebant. Verùm quū hæc ad Ziscæ aures peruenissent, Adamitæ, reseruatis duobus, vnde superstitio nosceretur, ab eo ad vnum omnes interfecti sunt. Mulieres, quæ superfuere, palàm asseuerabant, quicunq; vestibus, & præcipuè subligaribus vterentur, nequicquam esse liberos, ab Vlrico Rosensi cōiectas in carcerem, & præ obstinatione ac pertinacia inaudita, incēdio expositas, cum risu & cantu ferunt subiisse supplicium. Sigismundus, tandem profanis factionibus, & populi perfidia irritatus, coactis Scelesiæ ducibus, cum exercitu Boemiam ingreditur. Gręcium, deinde Cuthnam hostili animo petit. Cenchonem ad reddendam arcem Pragensem multis promissis impellit, quatuor milia equitum, qui vrbem infestent, in arce collocat. Cencho bina proditione insignis domum reuertitur. Pragenses in angustias redacti, Ziscam accersi iubent, qui quum vnà cum Taboritis præstò adfuisset, vrbem continuò in potestatē accepit, arcem repentè, quia non alio modo quàm inedia capi poterat, acerrima obsidione circumuenit, occludit omneis aditus, ne quid commeatuum inferatur. Sigismūdus autem, ne præsidiarios equites, quos arci imposuerat, fame laborare pateretur, ferro viam aperuit, cibaria, & quæcunque vsui fuere, intulit. Mox accersitis è Germania auxiliis, vrbem obsidere decernit: acciti hi primùm adfuere Principes, Saxonum, Brandeburgensiumque Reguli, & gener eius Albertus, Austriæ Dux. Coactis auxiliaribus copiis, vrbs oppugnari cœpta, & diebus circiter duobus & quadraginta vexatur assiduò. Interea Sigismundus, vt regalibus sacrisque Boemiæ insignibus ritè initiandus esset, è metropolitana æde regni coronam accipit, & à Conrado Metropolita, qui Vesphala gente natus, in hæresim postea concidit, sacris solennibus ritè peractis, coronatur. Mox regalibus potitus insignibus, vt summis viribus vrbem oppugnaret, animum aduertit. Interea Rosenses Reguli, & Crageri Taboritæ castra tenentes, à Nicolao Hus, quem Zisca cum ali-

quot cohortibus eò miserat, & victi & castris exuti sunt. Græcium Reginæ ab hostibus expugnatū. Mons Vidichonis, qui vrbi imminebat, ne à fidelibus occuparetur, à Zisca anticipatus est, & imposito præsidio munitus, quem quum Misnensis Regulus expugnare contenderet, id nōn sine magna suorum iactura tunc ausum fuisse ferunt. Nam quum Misnenses iam cacumen occupassent, in partem coacti, quæ prærupta erat, dum hæreticos inde deiicere summis viribus conantur, ipsi partim cæsi, partim capti, à monte've deturbati. Quare Sigismundus, desperata victoria, Curhnam reuertitur. Zisca cedente Rege vrbanam potestatem adeptus, hæreticorum sacerdotum decreto, ad basilicas amoliendas animum adiecit, quando illi, Deorum nulli, præterquam vni Deo, templum dicare fas esse dicebant. Quare cœnobia, multaq; sacra collegia Sacerdotum, vno impetu in vrbe euersa: quod quum ciues ægre ferrēt, quia decorum vrbis hinc admodum fœdatum esse videbatur, seditio sensim in vrbe oboritur. Zisca intestinum suæ sectæ bellum formidans, cum suis ad Taboritas reuersus, vt per immanitatem hæreticum amplificaret imperium, ad multa fidelium oppida arma vertit. Pracatum expugnat, vbi ne sexui parceret & ætati, vniuersam oppidanorum multitudinem, quæ in templum sanè confugerat, iniecto igni combussit. Dum hæc omnia geruntur, arx Pragensis, aliquandiu ab hæreticis obsessa, oppugnatur. Tanta rerum inopia præsidium incessit, vt diebus aliquot equina carne vesceretur, itaque de facienda deditione necessitas decerni iubet. Ad extremum equites, ni Sigismundus ad præstitutum diem adfuerit, deditionem pollicentur. Item hæc adiecta conditio, vt veniente Vissegradenses Rege quiescerent. Ad præstitutum diem Sigismundus adfuit, cōditionis haudquaquam admonitus, per angustum sub arce locum ingreditur, vnde à suis facile defendi poterat: oborto a Pragēsibus impetu, magnam suorum cædem perpessus, re infecta abire coactus est. Ibi è Morauis Proceres quatuordecim cecidere, ex Vngaris, cæterisque nationibus haud pauca multitudo. Arcem ex compacto Pragensibus equites dedidere. Zisca Booslaum interea Regulum, cui Cygneo cognomen fuit, qui grauibus sæpe cladibus hæreticos olim affecerat, in munitissimo eius oppido vi ceperat, pellexerat in hæresim, & pro hæreticis exercitum ductare coegerat, sed quum is paulo pòst tempore ad Rhœtium, Austriæ oppidum, copias duceret, lethali vulnere cōfossus interiit. Deinde vtrapinis & perfidiæ simul ipse consuleret, Zisca in Pelezinensi agro quina cœnobia, opibus ædificiisque præclara, combussit. In Cladronensi cœnobio, quod arte & natura munitissimum erat, præsidium imposuit. Sigismundus huc præfectos aliquot, cum cohortibus & turmis equitum repentè misit, qui vbi in hostium conspectum venere, à Zisca turpiter fusi & fugati sunt. Mox vniuersa à Sigismundo Boemia deserta est. Zisca Pelezinam deinde profectus, obsedit, verùm desperata victoria, Comitauiam venit, ne ignobile quidem oppidum: quod quum paucorum dierum obsidione vi cepisset, vniuersum populum cum sacerdotibus, qui ad templa confugerant, petita in cassum venia, iniecto igni absumpsit, sed mox impiæ temeritatis suæ pœnas dare cœpit. Zisca luscus erat, quum Rabum oppidum, accitis Taboritarum Orobitarumque auxiliis, quos Fratres appellare mos erat, obsedisset, dum summa vi capere cōtendit, alterum qui supererat, oculum sagitta confossus amisit, Pragam extemplo translatus, curato vulnere, lumine caruit. Ne ex hac quidem oculi iactura, nefariæ militiæ curam intermisit, quin & eo magis cęcus cæco populo ductor placuit. Brunnam, vbi magnum Sigismundus præsidium imposuerat, Pragenses expugnarunt, in vtranq; (vt aiunt) ætatem ad internecionem vsq; sæuitum, perquam pauci vita donati. Post hæc ab iisdem Broda Teuthonica, cæso præsidio, in potestatem recepta, qui paulò pòst Curhnam, compluresq; alias vrbes in deditionē accepere. Quū ad Pontem oppidū, à Misnensibus possessum, peruentum esset, occurrētibus Saxonibus, quorum vires admodum formidabant, illico rediere. Sigismūdus periniqua hucusque fortuna vsus, nondum animo suo exciderat, cui quum nihil hæretica strage foret antiquius, omnes imperij Romani Electores admonuit, vt ad se-

ad festum Diui Bartholomæi diem, eam Boemiæ partem, quæ spectat ad Oceanum, ex cōposito adorirentur, se verò cum Vngaris, quę ad exortum solis pertinet, inuasurum esse significat. Ad præstitutum omnes diem affuere, in primis Maguntinus metropolita, Palatinus Comes, Saxoniæ, Brandeburgensiumque Reguli, & quàm plurimi ex Alamannia Pontifices, tetrarchæq; militem misere. Primò Soczium obsedere, locum profectò munitissimum, quod quum vi capere nequiuissent, agrum longè lateq; vastarunt. quum ad statum diem Sigismundus non adesset, obsidionem repentè soluêre. At ille cùm ex Vngaris, Morauis, & Australibus exercitum coegisset, ad Saluatoris natalia Boemiam inuasit, nonnulla vi oppida cepit, Cuthnam per deditionem in potestatē suam redegit. Sed irruente mox Zisca, infeliciter dimicauit, quando reformidato cæci agmine, in primo ferè congressu terga vertit, & in fugam effusus, magnam partem nobilitatis cum impedimentis amisit. Cuthnam incendio absumpsit, quam Taboritæ, propter argenti fodinas, Antichristi crumenam appellabant. Ziscam, quum vnius diei itinere Imperatorem Sigismundum à tergo insequeretur, magna fugientium præda ditatum ferunt. Brodam Teuthonicorum exin à Zisca expugnatam & incensam tradunt. Imperator Iglauiam amnem ponte traiecit, Pipo Florentinus, qui quindecim milia equitum ex Vngaria duxerat, quum per glaciem iter faceret, ea præ multitudinis pondere dissoluta, in amne quàm plurimos amisit. Hac Zisca victoria insolenter elatus, qua Romanum Imperatorem fuderat, fugaratque, multo quàm antea furiosiùs in sacra templa desæuiit. Cui dudum certum erat, nusquam Diuorum statuas picturásve perpeti, neque permittere sacerdotes in sacro habitu rem diuinā facere, vnde ne mediocres quidem inter Ziscam & regni Proceres inimicitiæ intercessere. Consules Pragæ, Ioannis apostatæ Præmonstratensis insolentiam grauatè ferentes, eum cum cęteris scelerum auctoribus, qui fortè nouem fuerant, iussere in prætoriū accersi, significantes se aliquid cum his de republica agere oportere: quum acciti venissent, intus extemplo clàm à lictore obtruncati sunt. Consules re patrata, soluto collegio abiere, apparitores incauti, dum locum cædis aqua proluunt, cæsorum cruorem per aquæ ductum fortè in forum demisere, vnde patratæ cædis oborta suspicio, ac indicium facinus occultum aperuit: hinc tumultus exortus, vrbē in arma conuertit, prætorio vi expugnato, ciues vndecim, huiusce cædis auctores habiti, repentè trucidati sunt. Ioannis caput, qui sanctissimi viri loco habebatur, à mulieribus cum vlulatibus, diebus aliquot per templa prærcuerenter circumlatum est, & inter Diuorum monumenta reconditum. Eodem quoque tempore Purgellinum, vbi paruum Sigismundus præsidium imposuerat, & quò multi orthodoxæ fidei cultores, cum vxoribus & liberis sese coëgerant; oppidanorum incuria, incendio correptum est; quicunq; ex incendio superfuere, Pelezinam se contulerunt. Quàm iniqua ob hæreticorum immanitatem fortuna Sigismundus in Boemia vsus fuerit, satis ex his, quæ diximus, extare potuit. Nunc cætera, quæ successere bella, in tertium Librum, ne hic nimis excrescat, haud incommodè transferemus.

RERVM VNGARICARVM DECADIS TERTIÆ LIBER III.

NESCIO equidē, vnde illud accidere soleat, vt Principes, quos singularibus animi dotibus Natura coluit, & industria exornauit, fortunā parum prosperam nactos esse videamus, immo ita virtuti in his infestam eam fuisse cernamus, vt huic tantum inuidisse, & bellum indixisse iudicemus. Id potissimū in Bruto, Catone, cæterisque aliis legimus, qui honestatis & patriæ charitate ducti, iniquissimo fato concidêre. Si cui latentiori causæ fortunam obnoxiam esse dixerimus, inexplicabilia diuina iudicia esse asseremus, & à contemplatione nostra prorsus aliena; sin autem apertè, quid

aliud in hac re potissimum occurret, quàm clarissimum indomitæ virtutis exercitamentum esse fortunam? In Boemico bello, & Nicopolitano, infelicem retulimus esse Sigismundum, & quamuis magnanimitate, clementia, liberalitate, & religione polleret, successu tamẽ belli haudquaquam gloriari potuit. Quum igitur hæretici è bellorum euentu magnos animos concepissent, plerique Boemorum Reguli, consulatusque Pragensis, ad Vitoldum Lituaniæ Ducem oratores misere, qui eum Regem asciscerent, & ad capessendum regnum hortarentur. Ziscæ factio his admodum aduersabatur, quippe quæ liberos populos in regiam seruitutẽ asserere, nec iustum, nec fas esse asseuerabat, & in eius præcipuè, qui ethnico ritu vitam duceret. Vitoldus Coributum patruelem cum duobus milibus equitum in Boemiam trãsmisit, qui à Pragensibus honorificè exceptus, rempublicam in meliorem statum sanè redegit. Nam cùm nobilibus ociiq; studiosis se facilem & benignum, facinorosis contrà & insidiosis difficilem, scelerumque vindicem præberet, multum sibi gratiæ hac arte comparauit. Secundùm eius aduentum, Consulibus Senatuique placuit, castellum in monte situm oppugnare, quem Caroli lapidem appellant, vbi Sigismundum quatuor militum centurias præsidio reliquisse nouerant. Trinis castris id circumueniũt, in sextum vsque mensem obsidio producta, die noctuque oppugnatio continuata, quinque balistis, quibus grauia saxa iactabantur, sine intermissione colliditur, vasorum circiter duo milia tabidis cadaueribus, humanisque excrementis completa, in hostem emissa, vt eum pernicioso fœtore conficerent, ex quo factum est, vt præ teterrimo odore, omnibus ferè dentes caderent, nutarẽntve. Obsessi tamen omnia tolerarunt, & bellum in hiemem vsque produxere, obsidionem tandem ita solutam fuisse ferunt: Fredericum Brandeburgensem Regulum cum ingenti Boemiam exercitu inuasisse, prædam, incendia, cædes latiùs egisse, quare coactos Pragẽses extemplo statiua soluisse. Ad hæc Vitoldum Vladislai Poloniæ Regis precibus adactum, qui cum Sigismundo Imperatore ad Vngariæ fines fœdus iniuerat, Coributum è Boemia reuocasse. Soluta his artibus obsidione, quum Boemos externis auxiliis priuasset Sigismundus, qui eos ita destitutos facilè posthac sua imperata facturos arbitrabatur, spe sua falsus est: nam eo magis illi præ desperatione furentes insaniuere. In primis, quicunque intra Boemiæ fines de catholica fide rectè sentiebant, domitarunt, deinde regni finibus egressi, finitimos omnes graui bello vexarunt, modò in hos, modò in illos eruptione facta longè lateque cuncta vastabant. Quin & Ziscam in Austriam vsque igni ferroque grassatum fuisse ferunt. Quàm callidus in abigenda præda Zisca fuerit, hinc intelligi potest: quum ad ripam vsque Danubij excursasset, omnes accolæ in proximam insulam coactum pecus transmisere, vt prophani populatoris vim euitarent. non defuit rapinæ ingenium, vitulos, suesque nonnullos, qui per negligentiam superfuerant, ad oppositam ripam adduci iussit, & subinde vsque adeo diuerberari, donec pecus, audito mugitu grunnituq; sobolis excitatum, præ nimio desiderio tranauit, & à collocatis circumuentum insidiis, in Boemiam abactum est. Sigismundum aiunt, quum eam facilè tueri non posset, Morauiam ea tempestate Alberto genero suo, Duci Austriæ, dedisse dono, cuius gratia plerique Proceres ad Hussitarum insaniam declinarunt. Quanquam à remotissimis regionibus ad Sigismundum auxilia conuenissent, nequaquã tamen illi profuere. Contrà verò Zisca, ab omni religione ac humanitate destitutus, eò feliciùs quotidie in Imperatorẽ bella gerebat. Ericus Rex Daciæ Germanicæ, & Petrus Lusitaniæ Regis germanus, quam Hispaniæ partem, Portugalliam nunc vocant, ambo domi militiæque præstantes, cum optimo equitatu, nonnullisque cohortibus ad Imperatorem venere, vt tot bellis circumuentum adiuuarent, excitabãtur hæreticorum sæuitia, quam perpeti summum nefas esse censebant. Quum auxiliaribus copiis Sigismundi exercitũ adauxissent, ad Lucemburgum Morauiæ oppidum castra mouêre, menses tres id pertinaciùs oppugnant. Procopius Hussitarum labe infectus, & Ziscæ socius, pari crudelitate ac perfidia præditus, cui Morauiæ præfecturam hæretici sanè com-

commiserant, inuitis hostibus Lucemburgum ingressus, milite & non modica commeatuum copia oppidum compleuit, quare spe sua frustratus Sigismūdus, obsidionem soluere coactus est. Praeterea quum Misnensium regulis Pontem & Austam, quae ciuitates ad Albim amnem sitae sunt, haud multo antè dederat, vt has imposito praesidio ab haereticorum iniuriis tuerentur, Austam Zisca vnà cum Pragensibus obsedit. Fredericus Misnensium Princeps, Landgraphiusq; frater, vt obsessae vrbi opem afferrent, è Saxonia, Turingia, Misnia, & vtraque Lusatia militem euocarunt, moxq; laborantibus Austanis praestò affuere. Certamen pro moenibus initum, diu pari impetu dimicatum, & variante vtrinque 10 fortuna, è fortissimis quàm plurimi occubuere, superiores tandem haeretici fuere. Hic è nobilitate Burgraphij Misnenses, Chirporgenses, Glicensesq; Comites, cum multis aliis cecidere, ex his nōnulli, dimissis armis, ad hostis genua prouoluti, irritam veniam petierunt. Eo bello, nouem fidelium milia desiderata sunt. Austa demum potitus hostis, funditus eam euertit. Zisca tot victoriarum successu elatus, in omnes insolentiae ac feritatis partes effunditur. Religiosa, quę superfuerant, templa delet, Sacerdotes crudeliter insectatur, qui more legitimo rem diuinam facerent. Nobilitatem vsquequaque persequitur, ex vrbibus insana vectigalia exigit. Mox in Pragenses, quia imperata non fecerant, iram effundit, diripit agrum, villas incendit, nullo detrimēti genere se abstinet. Pragenses 20 contrà, imploratis magnatum auxiliis, in hunc arma vertêre: quib. quum se bello haudquaquam parem esse intelligeret, praelium detrectauit. Intendit ad Albim amnem fugam, ac parum abfuisset, quin in hostium manus peruenisset, nisi Georgij pater, qui deinde regno potitus est, per Pogiebracium oppidum transitum illi praebuisset. Nec ista tamen ope magnam cladem euasit, quando Pragenses ad alios pontes diffusi, traiecto Albi, vltimum Ziscae agmen cohibuere, quo cum inita pugna, terga dare coegerunt, & grauiter insectati, quàm plurimos Taboritas interfecere. Sed quum ad montium angustias peruentum esset, Zisca sistit agmen, fauces montium, quae ab hostibus circumueniri non poterant, occupari iubet, ibi praelium redintegratur. Quum in angustiis illi aciem 30 explicare non possent, iniquo Marte pugnarunt, tria Pragensium milia ibi caesa sunt, caeteri à Zisca fusi fugatiq;. Mox Cuthnam festinat, Pragensium praesidio remunitam, iterum vi capit, incenditq;. Pragenses ibi deprehensi, eodem, quo vrbes, incendio omnes absumpti. Zisca è fortunae dexteritate animum eo insolentiùs adauxit, Pragam versus castra mouens, ad secundum stadium metatus est. Quum intestinum inter se bellum exortum esse omnes intuerentur, non solùm in castris, verùm etiam in vrbe, cuncti dissidium tale detestari, hi Ziscam, Pragenses illi incusare. Plerique Pragam dicere, caput gentis, sine maximo scelere oppugnari non posse, è gentili discordia, Boemorum vires ad breue tempus interituras, caeteri mussitare. Dum à Zisca vrbs acerrimè infestatur, Ioannes 40 quidam, cui Rochezanae cognomen erat, in vrbe Dei verbūm publicè profitebatur. is haud iniussu Consulum vrbe egressus, cum Zisca ita rem egit, vt vrbi virum continuò reconciliarit. Sigismundus autem, qui hoc intestino bello haereticorum vires breui labefactatum iri sperabat, audita reconciliatione, ita animo consternatus est, vt praeter Augustalem dignitatem, non vi & armis, sed muneribus, largitionibus, & praefecturis Ziscam expugnare studuerit. Huc res Imperatoris redacta fuerat, vt Caesar Augustus, quem non modò Italia, Gallia & Germania, sed tota Europa veneratur, homini ignobili, seni, caeco, prophano, sacrilego, haeresiarchaeque, & omnium scelerum auctori, si Boemiae titulo potiri velit, supplicare cogeretur. Hunc pecunia honoribusq; superandum esse cen- 50 set, perpetuam Boemiae gubernationem, magistratum quoque equitum, ac ingens quotannis stipēdium offert, si Regem Sigismundum nominet, eiusq; partes vbiq; tueatur. Accepit cōditionem auarus Zisca, & quum ad Imperatorem iter faceret, ad Poztoniam oppidum pestilētia correptus obiit. id diuino beneficio accidisse creditum, ne tanta Augusto nota inureretur. Mōstrum feritatis, quod humana manus conficere nequiuit, Dei digitus è medio sustulit. Roga-

tus paulo ante mortem, Vbinam sepeliri mallet, respondit: Se iubere, cute corpus exui, exutum volucribus ac feris exponi, curata cute tympanum obtendi, eoque duce bella geri, quod vbi hostes audiuerint, fugam rapturos illicò ariolabatur. Taboritæ Ziscæ imaginem, Angelique calicem tenẽtis effigiem, supra portam vrbis inscripsere, stata quotannis huic sacra decreuere. Eius mortem vniuersus exercitus miserè deplorauit, quum nullum Ziscę parem imperatorem inueniri posse dicerent. Præ nimio doloris affectu, in partes duas milites diuisi, pars vna Veterum, Orphanorum altera dicta est. Veteres Procopium ex cognomento Magnum sibi optauere, Orphani selectos quosdam habuere, qui communi consilio bellum gererent. Selectorum Princeps, quidam alius Procopius erat, ex cognomento Minor appellatus. etsi pars vtraque inter se quandoque dissentiret, ingruente tamen extrema vi, iunctis castris, bella gerebant. Cum liberis etiam & vxoribus omnes in castris vitam agere, abominari ciuitates, ocium & ignauiam detestari, sub dio viuere, carrorum copiam habere, quibus pro vallo vterentur. Hi duo exercitus egressi, alter Sclesiam, Morauiam alter populatur, finitimos excursionibus & rapinis infestant. Boemiam, Promissionis terram dicunt, Teuthones, partim Philistæos, partim Idumæos, Moabitásve nominant. Erat & tertius Orobitarum exercitus, cui Bedricus Presbyter Strasmicẽsis, qui diu Sclesiam oppugnauit, dux erat. Taboritæ simul & Orphani in Austriam erumpentes, Sueciam obsedere, tribus ferè diebus sine intermissione oppugnant. Oppidum Alberti Ducis aduentu, obsidione liberatũ, qui cum hæreticis inito certamine, quatuor horis ita variante fortuna dimicauit, vt primis vtrinq; bellatoribus amissis ad extremum is castris exutus, & hostes amissis currib. abirent. Paucis pòst diebus Procopius, cui Rasæ cognomen erat, Rhœtium obsedit. Bohollaus Cygneus, sagittæ vulnere saucius interiit. Rhœtium expugnatũ, quod à Rhœtis olim fuerat ædificatum, rapinis & incendiis absumitur, oppidanorum magna cædes editur. Burgraphius Madeburgensis, qui oppido dominabatur, Pragam in captiuitatem abductus, in carcere diem obiit. Quum hæc ita gererentur, Sigismundus Imperator, qui abrogatum sibi Boemiæ regnũ, quod paternum auitumq; fuerat, iniquissimo animo ferebat, indicto conuentu, quod in Vngariæ Austriæque finibus ferè situm est, Boemiæ Principes Pisonium acciuit. Quum illi conuenissent, ante vrbem tetendere, ne intrò ingrederẽtur. Sigismundus ad eos egressus, habita concione, multa de iure suo loquutus est, iniquo se bello impetitum esse dixit. Si quæ causæ forent, quæ populorum animos à regia fide abalienarent, se abrogaturum, & benignum tranquillumq; Regem omnibus futurum pollicetur. Contrà illi rebellionis causam à Romana Ecclesia exortam dicere, cuius decreto se hæreseos iniustè damnatos esse asserebant. Superiora bella idcirco intercessisse, vt honori suo Boemi cõsulerent. Benignè ad hæc à Sigismundo responsum, se generalem his offerre synodum, vbi suam innocentiam & dogma tuerentur. At illi, qui armis, & non argumentis talia disserere cõsueuerant, ad disputationis angustias quum se redigi recusarent, re infecta discessere. Postquam hãc hæresim Martinus Põtifex maximus indies obrepere intellexit, extemplo Christianæ fidei succurrendum esse censuit. Cardinalem Vintoniensem, regia Britanniæ stirpe natum, in Germaniam cum auctoritate summa legat, finitimas vndique gentes in Boemos concitare iubet, mandat, vt Sigismundo, quacunque potest auctoritate, opituletur, vt è medio hæresis illa tollatur. Tres coguntur exercitus, in primo Saxoniæ Duces, vrbesq; quas Stagnales vocant: in altero, Francones cum Brandeburgensi Principe; in tertio, Rhenenses cum Othone metropolita Treuerensi fecere stipendia. Item Bauari & Sueui, penetrata sylua, ad Misam castra posuere, quã superiore nocte, Prichicho Cleuonẽsis, hæreticorum princeps, è fidelium manibus eripuerat: hanc mox reformidato hostis aduentu deseruere, Taconiam subinde venere, ibique machinas bellicas cum præsidio dimiserunt. Mox oborto rumore Boemorum aduentus, in fugam conuersi omnes, neque à pudore, neque à Cardinale remorari potuere, instantibus à tergo hæreticis, impedimenta cuncta reliquerunt.

Hostes,

Hostes, adauctis è victoriæ successu animis, in Misnam erumpũt, passim omnia populantes. Quum per Franconiam pedem referrent, ab his Bambergenses Norimbergensesque multa integritatem agrorum pecunia mercati sunt. Sigismundus, quum rem malè gestam accepisset, nec fortunæ adhuc cederet iniquitati, Norimbergam properè concessit, noua Principum auxilia comparat. Iulianus Cardinalis, omni sapientia ac vitæ probitate præcellẽs, a Martino in Germaniam legatus mittitur, vt loco Pontificis Basilieñ synodo præsideat, & in Boemos arma cogat. Hic Norimbergæ Imperatorem conuenit, vbi cum Sigismundo expeditio magna decernitur, ad octauum calendas Iulias statutus est dies. Belli summa Frederico Principi Brandeburgensi demandatur, vt quà ad Teplam est iter, Boemiam adoriretur. Albertus Austriæ Princeps, Christophorusque Bauarus, & Fredericus Saxoniæ Dux, vnà cum apostolico Legato, per Morauiam iter in Boemiam facere iubentur. Præterea Herbipolensis, Bambergensis, Estetensisque Episcopi, item societatis Sueuorum, quam Diui Georgij nominant, Augustalium vrbium, & Maguntini, Treuerensis, Coloniensisque Antistitis auxiliares copiæ conuenere. Ad piam expeditionem, quæ hæreticis fuerat indicta, è prouinciis multi quoque confluxerant. Equitum quadraginta millia, peditum paulo minus fuisse prodiderunt. Prorogata ad Augustas vsque calendas expeditione, in Boemiam tandem ex composito omnes irrumpunt. Incendunt innumeros hæreticorum vicos, oppida multa diripiunt, in vtriusque sexus cædem planè grassantur, non tam auaritiæ quàm crudelitati passim vestigia relinquunt. Desæuiunt in appendices regni, Boemiam tamen penetrare non audent. Contrà Boemi, qui dudum hostem validissimum adfore cognouerant, fidelium villas ac oppida destruunt, ex his nemine superstitem faciunt. Scitiberdium ab Orphanis vi captũ, oppidani ad vnum cæsi omnes. Interea audito Boemorum aduentu, siue proditio, siue timor inanis ille fuerit, tantus Germanos pauor incessit, vt nec pudore vllo, nec metu turpitudinis, nec apostolici Legati verbis à fuga remorari potuerint. Quum hostẽ appropinquare senserunt, & nondum ille in conspectu fuit, se in fugam conuertẽre, deposuere arma, & ea profectò haud secus, ac si à tergo instaret hostis, in syluis præpropera festinatione, quibus obsita est Boemia, impedimenta deserunt. Quum hæretici Germanos terga vertisse intelligerent, ingenteis ex hac fuga animos concepere, totis hos viribus insequuntur, deprehensis ditantur impedimentis, & incruenta facilique victoria potiuntur. Albertus quum Cardinalem ac cæteros Boemiam socios inuasisse sensisset, ipse quoque à Morauia hâc adoritur. Ptezetoniam ciuitatem obsidet, sed audita sociorum fuga, in Morauiam reuersus est, a Sigismundo sibi traditam: quæ quum nõdum illi parẽre vellet, ne mediocrem quidem suarum rerum iacturam fecit. Infestis nanque signis, Albertus per eam diuagatus, quingentos circiter pagos igni ferroque vastauit, oppida multa diripuit, diruitq́; & præ ingẽti cæde prouincialium, ipsam eò redegit, vt imperio suo parẽret, & de orthodoxa id fide sentiret, quod iam futura Synodus decreuisset. Post hæc frequentissimus Basileæ conuentus, præsidẽte Iuliano Propontifice cogitur. Sigismundus, qui per id temporis Norimbergę manserat, quum duce Legato pontificio Germani Boemiam inuasere, de ineundo in Italiam itinere cogitare cœpit. Boemicis Optimatibus, Magistratibusque scripsit, se Augustalis coronæ gratia Romam profecturum, vt quum anno salutis millesimo quadringentesimo decimo Imperator legitimè fuerit declaratus, Romani Imperatoris insignia sumat. Quod nec Boemis quidem ingratum esse debet, si pro Rege Cæsarem Augustum accipiant, & eum suarum rerum moderatorẽ habeant, qui Boemicæ gloriæ semper incubuerit. Eos hortatur, initam dudum synodum adeãt, nec plus sapere cõtendant, quàm Ecclesia Romana iubeat, sua cum Concilio sacrosancto dogmata communicent, differantque, & ab orthodoxa fide non desciscant. Sibi demum ex Italia redeunti regnum, quod fraternum, quod paternum, quod auitum fuit, sine dissensione reseruẽt. Quin & ipsa synodus ad Boemos scripsit exorans, vt legatos mittant. Dissentientibus tãdem Or-

1410.

phanis, Taboritis, & plebe, honestissima legatio ad Synodum destinata, trecentorum comitatus equitū huic addictus. Legati fuere, Guilielmus Kozka, Procopius ex cognomento Rasus, Ioannes Rochezana, Nicolaus Galetus, Taboritarum sacerdotes, & Petrus Anglicus, elenchorum argutiis instructus. Quum Basileam venissent, in conuentum sacrum admissi, benigna apostolici Legati oratione sunt excepti, multis ab eo verbis ad resipiscendum hortati sunt. Quatuor igitur articuli ab his ad Synodum relati, De eucharistia sub panis vinique specie sumenda, De ciuili dominio, quod clericis interdictum esse asseuerabāt, De libera verbi Dei prædicatione, De publicis denique delictis nulla ratione tolerandis. Selecti è Boemis doctores quatuor, ex patrum ordine totidem, diebus quinquaginta de his disputatum. Quum Hussitæ victi, præ obstinata pertinacia haudquaquam cederent, mitius cum his agendum esse, visum est patribus. Oratores in Boemiam à Concilio missi, viri profectò doctissimi, & Boemicarum artium perquam gnari, multa cum Boemis agere cœpere, quare modò pacis spes, modò belli metus obortus est. Inter agendum, inter Taboritas, Orphanosque, & nobilitatem, cui Mainardus præerat, est orta dissensio ac odiū non mediocre. Proceres enim, & nobiles, resipiscendo se dicere miseros, quippe qui quum Regis imperium abrogarint, in Procopij Rasi seruitutem inciderint. Illum imperiosissimè dominari, pro libidine prouinciam gerere, tributa imponere, exigere vectigalia, habere delectum, bellum pro arbitrio indicere, iudicare, ære capitéve mulctare, neminem pati in decernēdo aduersarium, furiosas sententias, ac verba sua, pro lege, pro decretis haberi, nobilitatem iuxtà, atque plebem, illi seruire, & imperata facere, demum nil Boemica gente miserius esse. Quare de instauranda reipublicæ forma frequentissimam concionem haberi oportere censebant, in ea Mainardus censuit è media nobilitate Ducem deligendum, ne imperium à Proceribus vsurpetur, viros huic consultissimos cum Senatu adhibendos, vt consulto omnia faceret: in eius sententiam omnes pedibus iuere. Alscio Rosemburgēsis, Dux declaratur, huic Maiestatis insignia fuere, Mainardo auctoritas remansit. Quum hæc Procopius accepisset, Orphanos & Taboritas ad intestinum bellum continuò suscitauit. Ad Pelezinam vrbem castra mouit, quam fideles incolebāt, graui mox eam obsidione circumuenit. Interea intestinum Pragæ bellum inter nobiles, & Taboritas, Orphanosque suscitatur. Mainardus, & Alscio victoria potitus, hæreticorum perfidiam contūdit. Procopius, audita sociorum clade, soluta obsidione, Pragam contendit, vbi quum nullam iustæ pacis conditionem accipere voluisset, instructa acie infeliciter decertauit. Cæso Taboritarum Orphanorumque exercitu, ipse cum Minore Procopio pari fato occubuit. A Cozca perniciosissimum hunc hęreticum cæsum esse, aliqui tradidere, auctorem victoriæ, Mainardum ferunt. Quum multa captiuorum milia è perfida multitudine capta superfuissent, Mainardi cōsilio in horrea redacta, & ab armatis cohortibus circumuenta, immisso igni absumpta sunt. Sicque prophana illa multitudo, quæ quum in castris semper vitam degerit, tetro horribiliq; aspectu, aquilinis oculis, impexo crine, demissa barba, insano corpore, hirsutis membris, dura cute, nigro ferrugineoque colore fuerat, cumulatissimas deprauatæ religionis pœnas expendit. Interea Sigismundus Imperator, Philippi Vicecomitis ope ac virib. adiutus, in Italiam concessit, parumque prosperè deinde succedentibus rebus, diuturnis cunctationibus affectus, Romam tādem peruenit, vbi ab Eugenio Pontifice maximo, Augusta cum diademate ornamenta suscepit. Nec multò pòst quum Philippo, qui Germania ipsum euocarat, infensus esse occœpisset, Italiā abscessit, quod anno salutis trigesimosecundo, supra quaterdecies cētenum, accidisse legimus. Nam primam Aquisgrani, secūdam Mediolani coronam acceperat. Italia egressus, Basileam iter intendit, vbi adhuc Concilium haberi senserat. Quum illuc venisset, dissidium inter patres offendit, quod Eugenij gratia fuerat obortum, id Cæsaris Augusti pręsentia & auctoritate sedatum. Mox in Boemiæ fines properat, vt quid de rebus Boemicis agi possit, intelligat. Quum Vlmam venisset, Sueuiæ ci-

1432.

ulæ ciuitatem,& in vlteriore Danubij ripa sitam, vbi Lycius amnis, qui Sueuos a Bauaris disterminat, Danubio immixtus nomē amittit, Taboritarum Orphanorumque cladem audiuit. Fausto admodum nuncio lætatus, Oratores extemplo in Boemiam misit, qui suo nomine sapiētiam, virtutem, magnanimitatemq; Principum commendarent. Recentem, gloriosamque victoriam congratularentur, quòd prophanos, sacrilegos, immanesq; homines è medio tulerint. Maximam a Christo optimo maximo gratiam iniuerint, quia veræ religionis inimicos extirparint. Proinde hortarentur, vt pro virili quisq; sua publicam quietem in regno curarent, si qua superessent bellorum fomenta, extinguerent. Ini-
10 tam iam pacem seruarent, qua nil Deo gratius, & reipublicæ salutarius facere possent. Seque demum Regem excipiant, quem fratri successorem, & paterni auitique regni hæredem ius gentium esse iubet, & illi quoque suo beneficio ipsum Regem esse patiantur. Boemi grato Legatos animo acceperunt, honoreque magno honestarunt. Quum se postulata facturos asseuerarent, coacto mox ingenti nobilium numero, ad Ratisbonam eum conuenere, Romanum Imperatorem, ac suum Regem cōsalutarunt. Quum autem ab his seorsum Ciapoco, & Rochezana, Legatiq; Basilienses, qui Pragæ fuerant, & sibi cum Boemis certo modo conuenerat, ad eum quoq; venissent, Sigismundus, quum initam de religione concordiam recitassent, approbauit, & ex conuento cuncta seruari edi-
20 xit. Mox Vngarorum efflagitationibus repetitus, secundo amne Danubio deuectus, primò Pisonium, deinde Budam venit, vbi ad reformandum rerum statum, animum aduertit. Edicta multa, legesq; varias edidit, varias nobilium lites discordiasque diremit; inimicitias quoque nonnullas extinxit, ocium in regno instaurauit. Sed antequam vltrà progrediamur, & quo se modo cum Boemis gesserit, enarremus, nonnullarum rerum, quas omisimus, est repetēda narratio. Boemica nanque bella, & hæreticorum sectę, ita nos à rebus Vngaricis diuertēre, vt ne inaudita illorum facinora interciperemus, nunquā ad institutam Vngaricorum gestorum historiam redire voluerimus. Quare de Bossenorum bello, quod paulo ante indictum Constantiense cōcilium, gestum est, ritè dicendum
30 esse censuimus. Quum salutis annus quintusdecimus, supra millesimum & quadringentesimum ageretur, Hernoia Spalethij dux, qui omne hucusq; fidelitatis officium Sigismundo præstiterat, nescio qua temeritate correptus, à regia fide defecit. Vt perfidiam suam tutiùs expleret, confirmaretq;, se in Turcarum societatem asseruit, multas ex his equitum turmas, centuriasque peditum introduxit, quo facilius discursare, latrocinia latius agere, pagos oppidaque diripere posset. Augebat latronis audaciā, Regis absentia, qui ad indicendum Constantiense concilium profectus erat, vt obortam in Boemis hæresim coerceret, ac de capessenda Romani Imperij corona tunc ageret, reliqua in Ecclesia Dei suscitata dissidia, factionesq; componeret. Proceres, quibus Vngariæ cura auctori-
40 tate regia credita fuerat, Bossenorum nouitate cōmoti, reipublicæ, sociorumq; saluti consulere coguntur. Præfecti Pannoniarum continuò delectum habent, copias & auxilia cogunt. Turmis equitum, Ioannem Garam, & Ioannem Maroth, item Paulum Chuporem prouinciæ Præsulem ritè præficiunt, cohortium præfecturam cæteri nobiles obiere. In Bossenorum prouinciam exercitum satis amplum deducunt. Contrà hostis Turcarum auxiliis obfirmatus, in occursum castra mouet. In certamen vtrique forti animo descendêre, suis quisque viribus freti, collatis signis manum cōseruerunt: diu æquo vtrinque Marte pugnatum, & dum pari pertinacia dimicant, magnus vtrinque numerus cæditur. Bosseni, quia ne fortè Vngarorum viribus impares essent, admodum verebantur,
50 vt ex arte sibi consulerent, multos per circumstantium iuga montium homines disposuerāt, qui in feruentissimo prælio Vngaros in fugam iam versos esse proclamarent, è montibus in hostes ruerent, & sic pugna instaurata, infelici nuncio hostium animos consternarent. E sententia successere doli, quum suos hi laborantes despectarent, ex composito clamoribus hortantur, vt obstent pertinacius, quando hostes terga dedisse significant: id temere Vngari credidere, &

1415.

L

quum ſuorũ fuga animo conſternarentur, remiſſius pugnare occœperunt. Confunduntur interim ordines, & dum inſtant alij, alij cõtrà terga vertunt, res Pannonica inclinatur. Multo ad hæc impenſius Boſſeni dimicant, nutantẽ iam hoſtium aciem repellũt, inſtauratis ex aſtu animis, & redintegratis viribus eorum decurſu, qui è monte deſcenderant, Vngarum paſſim fundunt, fugantq́;. Miſerrima interim ſtrages exoritur, deſeruntur in tanta trepidatione caſtra, & ea cum impedimentis ferè omnibus in manus hoſtium peruenere, multi è Principibus Vngariæ occubuere, plerique etiam capti. Ioannes Gara, & Ioannes Maroth, in captiuitatem incidêre, quippe qui dum turpiter cedere nolunt, nõnullis ex hoſte cæſis, demum circumuenti, ſeſe tandẽ dedidere. Sed Gara poſt multos dies, quum è duro ſe carcere vindicaſſet, duriſſimas compedes, quibus inde proſilierat, ad religioſiſſimum Bathæ fanum, quod Euchariſtiæ numini dicatum eſt, retulit, ibique vt debita vota perſolueret, poſtibus affixit: ad noſtram vſque tempeſtatem, inter cætera Dei miracula, illæ ſpectantur. Marothus, abnegata fugæ copia, multa ſe ab hoſte pecunia redemit. Paulus verò Chupor, qui pari fortuna captus eſt, immaniorem nactus hoſtem, bouino tergo inſutus, in profluentem ab Hernoia, cum his verbis, demerſus eſt: Qui ſub humana ſpecie, bouina quondam voce vtebaris, bouinam quoq; nunc cum voce formam indue. Nam cùm os moresq; bouis Dux ille præferret, in regia quandoque à Paulo ludibrij locò per mugitum ſalutatus eſt: vnde conceptum graue odium, facta vindictæ copia, hoc immane ſupplicij genus inuenit. In Tranſalpinis partibus, quum Valachi ſæpe rebellaſſent, in eos quoq; ſæpe his temporibus eſt ſuſcepta expeditio, de qua poſt Boſſenenſem cladem haud immeritò referendum eſt. Quum Sigiſmundus huiuſce prouinciæ præfecturam Stephano Loſoncio credidiſſet, ob Regis abſentiã in ea eſt oborta ſeditio. in cauſa Valachorum duo fuere principes, Daan alter, alter Merches dictus eſt, vterq; eodem genere natus. Dominandi gratia eſt nata diſcordia. Daan quum ſe viribus inferiorem eſſe cerneret, præcipiti cõnſilio tractus, ad Turcarum opem confugit, à quibus auxilia, quæ petierat, facilè impetrauit, quum occupandæ illi Daciæ potiſſimam hanc eſſe ducerent occaſionem. Quare vt cognatum ſibi infenſum, regno exigeret, prophanas legiones induxit. Merches, ne Turcas Daciam inundare pateretur, néve fœdæ gentis opibus regno eiiceretur, ad Sigiſmundi opem confugit. Loſoncius à Rege miſſus eſt, qui prouinciam cum imperio ſortitus erat. Quum legionibus ſupplementum addidiſſet, hoſtibus occurrit, at vbi in conſpectũ hoſtium caſtra mouit, ſe Turcis Valachiſque numero imparem eſſe cognouit, viribus tamen ſui militis fretus, pugnam detrectare haudquaquam eſt auſus. Poſtero cum hoſte die prælium iniuit, quum diu cruento Marte dimicaſſent, paremque vtriſque ſpem victoria oſtendiſſet: in medio ecce ardore pugnæ, Loſoncius lethali vulnere confoſſus oppetiit. Cadente duce, legionibus quoque cecidere animi, extemplo acies inclinari cœpta, mox in fugam effuſa, cæteri quoque palantes, caſtris iuxtà atque impedimentis exuti, partim inter fugiendum cæſi, partim capti ſunt, pauci è tanta clade euaſerũt. At illud incredibile, quod paulò pòſt accidit miraculum, ſilentio præteriri non poteſt. Secundo nanque tertióve anno, quum plerique in eum campum deſcendiſſent, vbi patratam ſtragem fuiſſe memorant, editiſſimumq́; cadauerum aceruum ſpectarent, emiſſam inter oſſa ſubinde vocem exaudiuere, fauſtiſſima Ieſu Chriſti Saluatoris, & Diuæ Mariæ Virginis nomina reſonantem: admiratio ſimul & pauor hos inceſſit: quum ad verba ſubticuiſſent, eadem paulò pòſt quaſi difficulter expreſſa accepere. Dum vocis locum inter oſſa diſquirerent, portenti deſideriò ſuccenſi, loquax inter cadauera caput inueniunt: quod vbi homines ſibi adeſſe nouit, Quid tam (inquit) ſtupidi hic ſtatis viri? Chriſtianus ego ſum, & magnæ Matri, Diuæ Mariæ ſemper addictus, inexpiatus inconfeſſusq́; in hoc bello occubui. Magna Dea, in cuius tutela vitam degi, me æterni ſupplicij reum eſſe non patitur, hic me adhuc linguæ compotem ſeruauit, vt & delicta fateri, & animum ſacris ritè apoſtolicis luſtrare queam: proinde Sacerdotem, qui confeſſionẽ exaudiat, &

diat, &

diat,& me expiatum reddat,accersite, quæso. Rogatus, quid tantum à Dea beneficij promeruisset, respondit: Peculiare sibi id in vita fuisse numen, septena quotannis in vita sua festa reuerendissimè celebrasse, religiosissimisq; ieiuniis, ex pane duntaxat & aqua decorasse, sacris fuisse quàm studiosissimè operatum, illi tantùm numini cunctas animi vires dedicasse. Accersito è pago proximo sacerdote,confessionem ritè transegit,& impetrata erratorum omnium remissione,acceptaq; nouissima lustratione,id defuncti caput repentè conticuit, perpetuoque quieuit. Varia quoq; bella in Transalpinis dexteriore exin fortuna gesta,sed hoc illustris cladis fecit insigne. Quũ Turci ex perfidia & societate Regulorum,Istrianas in Mysia partes,& ad Themeskezum præcipuè incursarent, prædæ cupiditate, ac soli feracitate tracti, se ab infestanda prouincia continere non poterant. Quòd nisi temporibus illis Nicolaus Petri Macedonis filius intercessisset,nimirum de Mysis perbreui fuisset actum. Is enim bello impiger,ac strenuus, corporis iuxtà atque animi viribus pollens, ac tempestiuus strategematum artifex,bella cum Turcis olim infeliciter gesta,bene resarsit, bis hic insigni strage Turcam afflixit,ac impedimentis & castris exuit. Quum ea tempestate Mahumethes primus, quintus Turcarum Imperator appellatus, subreptis è medio fratribus, rerum potitus esset, & amplificato opinione magis imperio, quando iusticia, calliditate, & rei bellicæ disciplina parem ætas nostra non viderat, eam Mysiæ partẽ occupasset, quam nos Bossenam superiorem dicimus: Regulum quendam prouinciæ nouæ præfecit,humili genere natum,qui Ikach dictus est. Hic regiæ dignitatis accessione tumescens, finitimos circùm rapinis ac bello non paruo infestare cœpit:latiùs cum ingenti equitatu excursans,multum pecorum hominumque abigebat, & prout immanis libido tulerat, cuncta igni ferroque vastabat. Magna pars hominum, relictis pagis,oppidulisque non satis obfirmatis,emigrare coacta.Feri hostis audaciam,& sæuitiam vsquequaq; grassantem,is diu ferre non potuit,quanquam hosti longè se intelligeret imparem,feritatis tamen indignitate correptus,tumultuarium cogit exercitum.Miles sibi nullus,præter gregarium,aut è rustica plebe euocatum, erat, auxilia vndecunq; potest educit,paucas à Rege Sigismundo cohortes cum modico equitatu,quæ in prouincia hibernarant,accersi iubet: quin & agrestẽ congerit multitudinem, quando eadem omnibus erat pro aris ac focis pugnãdi causa. At vbi qualiscunque foret,tantum sibi exercitus esse sensit,quantum ad arcendum hostem sat esse videretur, palantibus Turcis occurrit. Ikach vbi hostẽ adesse conspicatur,instructa acie,collatisq; signis in eum contendit. Ne pugnam quidem ille detrectat, quem longè maior audacia, & vlciscendi libido ad dimicandum irritarat. Quare magno impetu,pari quoque furore manus conserunt, prælium cruentum reddunt.Ikach prospecto Nicolao,quem ducem hostium,veluti fuerat,esse rebatur,rectà in eum citato equo cucurrit.Nicolaus hostem non declinat, immo quum nil sibi hac re antiquius accidere posset, singulare certamen init. In primo congressu, infesta Turcam hasta graui vulnere confossum, equo excutit,ipse quoq; desiliẽs,impacto gutturi pede,reiectis precibus,humi iacentem iugulat. Spectata nece Regis,Turcarum acies in fugam conuertitur, à tergo contrà instant Vngari, multos in fuga cædunt, multos defatigati cæde capiunt. Nicolaus insigni victoria potitus, opima ad Sigismundum spolia retulit. Vexilla Turcarum, & impedimenta capta, ad Imperatoremque Romanum relata sunt,eius exercitus,ac pagana multitudo, spoliis hostilibus, & ingenti præda ditatus. Haud multo pòst tempore,quum in Mysiam iterum Turci erupissent, ne inferiorem quidem inde cladem & iacturam à Nicolao duce retulere. Nam cùm aduẽtantibus Turcis, iam se viribus imparẽ esse intelligeret, hoc virum astu victoriam sibi comparasse memorant:in primis quem potuit,militem congregat, quum hosti, ob inopiam militum,se obuersari non posse cognosceret,ab arte pariter ac tempore auxilium accepit.Quum per vicos & oppida magnum armentorum numerũ esse nosset, agrestes omnes iumentis considere iubet,præcipit etiam cum armis,tympana,buccinasq; rapi, & aggressuros dudum

hostes, ingentes clamores in pugnæ congressu edere. Mox in sequenti nocte, tertia vigilia, Turcas adoritur, a fronte is cum pauco exercitu, à lateribus rusticana turba iumentis insidens hostem inuadit, ex composito clamor ingens editur, tympana circùm obsonant. Turci se ab innumero Pannonum exercitu circumuentos esse rati, quum quid potissimum agerent, haud facilè succurreret, confunduntur omnes, aliqui fortius agentes, in hostem versi trucidantur, nonnulli in fugam versi, palantesq; diffugiunt, Ducis imperium in tanta confusione à nullo exauditur. Inter confusos hostes, Nicolaus cum agmine quadrato se ingerit, multum ex hostili sanguine haurit, vt sui ab hostibus intempesta nocte dignoscerentur, Christi, sanctiq; Michaelis iam symbolū edixerat. Turci castris 10 pariter ac impedimentis exuti, magna clade affecti sunt. Nicolaus cum agresti multitudine ouās, ac spoliis onustus, domum rediit. Sigismundus ad hæc quatuor & triginta annos in Vngaria latè regnarat, abrogato fratre, Boemiæ regnum sub gubernatoris nomine gesserat. Post Venceslai obitum, anno Dominicæ incarnationis quadringentesimo ac vigesimo vltra millesimum, Boemico diademate coronatus est. Hunc ingenita probitate, ac profusa beneficentia fuisse memorant, non de nobilitate solùm, verùm etiam de plebe is bene mereri voluit. Nobiles ac ignobiles iuxtà extulit, ac præter fortunæ conditionem, & opinionem omnium euexit. Plerosq; in Vngaria, ciuitatibus, oppidis, magnisq; dominatibus donauit. Eximios magistratus temere quandoque compluribus 20 impertiuit. Palociorum ac Rosgoniorum domum multis beneficiis ornauit. Quin & Michaelis Orzagi, Palatini quondam haud ignobilis familiam multis honoribus excoluit. Pipo Ozoræ ab eo mirificè dilectus, ac liberis orbatus obiit. Philippus Florentinus, & sua & illius virtute nimis adauctus. Item cunctis honoribus excultus, sub ductu auspiciisq; Sigismundi, viginti Turcam cladibus afflixit. Quos ex obscuro & agresti genere olim extulit, ingrati foret ocij enarrare. Illustrem Sigismundi aulam nemo satis admirari potuisset, quandoquidem præstanti Principum frequentia refulgebat, quò tanquam ad Procerum viuaria, ex omnibus Europæ partibus viri clari confluebant. E remotissimis Hispaniæ finibus multos in Pannonias, Imperatoris huiusce fama contraxit. 30 Lusitaniæ Regis filius, audito Sigismundi nomine, in Vngariam peregre profectus est. Qui ab Augusto remoratus, & illic hibernare coactus, quum stantem glacie Danubium, & oneratos currus, pedestremq; trāsitum æquissimè tolerarct, haud secus, ac rem miraculo dignam, ad patrem, multosq; Hispaniæ Regulos id scripsisse dicitur; ingruente mox primo tempore, impetrata missione, ab Imperatore magnificè donatus, ac multis excultus honoribus, dimissus est. Frequentauit quoque illius aulam Georgius, superioris Mysiæ Princeps, quem Despotem nominant. Hic Sigismundi beneficentia victus, Albam Regiam, ibi ad Danubij ac Saui confluenta sitam, vbi Taurinium olim fuerat, in perpetuæ fidelitatis pignus, veluti tuti obsidis loco, Imperatori sponte dono dedit: quod 40 quidem in Mysia, ac ea quæ ad Turcos nunc spectat, Vngaria, vnicum est propugnaculum. Contrà ille, ne bene merendo cederet, hæc illi castella in regno rependit, Zalonkemem, Bechiem, Kelpem, Vilagosuarum, Tochaium, Monkachum, Thaalliam, Rhegezum; oppida verò, Zathmar, Bezermem, Debreczem, Thur, Varsan, & pleraque alia: Budæ autem, magnificas ædes, quæ regiæ loco haberi possunt. Dum extirpando schismati, quod iam diu in Christiana republica fuerat suscitatum, & castigandis hæreticorum dogmatis, pacandæ Boemiæ, & capessendæ coronæ incumberet operosus ille Princeps, res nouæ, ob regis absentiam, nonnullorum scelere obortę sunt, quas haud facilè præfecti regni sedare potuerunt. Blasium quendam referunt, humili genere, ac in tenui 50 re natum, ex Imperatoris peregrinatione tātum sibi audaciæ comparasse, vt coacto facinorosorum exercitu, quem ex gregario milite planè cōflauerat, Thernauiam noctu clàm intrauerit, & Vngarici, Boemiciq; militis viribus fretus, cęsa haud parua ciuium multitudine, in potestatem suam vrbem redegerit. Mox Thernauia potitus, locumq; nactus ad inferendum vicinis bellū quàm accommodatissi-

modatissimum, superiores omnis Vngariæ partes, quæ ad Austriã Morauiamq; pertinet, longè lateque cædibus, rapinis, incendiis, tumultuq; perculerit, ad Danubium vsque regionem, quam à Matthia denominant, magnis calamitatibus & terrore compleuerit, atque nisi magna nobilium multitudine congregata, comparato tumultuario exercitu occurrisset, multo latius pestis illa debacchata fuisset. Quum is accepisset, quod ad coercẽdam eius audaciam nobiles molirentur, cautius rem egit, de pace agi cœptum est: ea conditione res pacata, vt quæcunque sæuus latro occupasset, nobilium permissu tutò potiretur. Non multo antè tempore, in Vngaria bellum quoque rusticorum emersit, seruili, socialique bello haudquaquam inferius: diuersis hæc temporibus gesta sunt. Antonius in Transsyluanis noua molitus, & coacta ingenti agrestium manu, sub prætextu exuendæ seruitutis, à regia fide defecit. Mox in oppida castra mouere cœpit, quæ rebellionem istam detrectarent, obuersantem his nobilitatem, collatis signis proterit, multos cædit, pagos & oppida, quę parere nollent, primò diripere, ferro ignique vastare. Nonnulli è Proceribus, qui Antonianas partes tunc sequi recusarent, repentè à pagana turba trucidari, in vincula coniici, coacta viritim spolia diuidi. Quare sub libertatis noua specie, Antonius tyrannidẽ sibi comparauit. Id ipsum Martinus vir agrestis, in regione, quam Nyrium, & Zamoskenium dicunt, ausus est: quippe facta seditione, cum quadrato rusticorum agmine, longè lateq; grassatus, maximam per vicos & oppida nobilitati calamitatem intulit. Cui quidem pesti nisi cũ tumultuariis copiis præfecti prouinciarum occurrissent, parum abfuisset, quin regnum ad publicam defectionem perpulisset. Singulis vtrique præliis profligati sunt, cæsisque seditionis autoribus, ex agresti multitudine, alij oculis, pars magna naso, auriculis, labiisque aliqui mulctati sunt, nonnulli præcisis manibus pœnas luêre, vt omnes illi, quæ nefaria scelera patrassent, fœda cicatrice vulgò referrent. Ex his igitur, quæ dicta sunt, quãtis periculis ac malis Imperator ille laborarit, facilè intelligi potest. Iam tempus exposcit, vt quo pacto res Dalmaticæ decrescere cœperint, in Venetorumque potestatem deuenerint Sigismundi temporibus, breuiter aperiamus. Quum à Ladislao Apuliæ Rege Iadram Veneti accepissent, quam cum agro & appendicibus, centum milibus aureûm se mercatos esse profitentur, ad recuperandam reliquam Dalmatiæ oram animum adiecere. Sollicitare sensim populos ad defectionem, discordiæ semina passim serere, vexare factiones, & magnis nobiles plerosque promissis allicere, variis artibus hominum animos infirmare, nutantes ad se trahere. Quare Sicenses paulo pòst tempore, intestina dissensione laborare occœperũt, duæ in vrbe factiones obortæ, nobilitatis vna, altera plebis fuit. Ad Venetos secessere nobiles, Pannonum fidem retinebant reliqui. Quum à Pannonibus nobilitatem defecisse, multitudo vidisset, extemplo facto tumultu, in eam arma capit, & plerisque cæsis, vrbe eiicit, reiq; publicæ gubernationem capessit. Optimates exacti, ad Venetorum opes confugiunt, à Senatu, facta deditione, auxilium implorant: ob imperandi cupiditatem, Senatus id vltrò pollicetur, primo tempore triremes quatuor, cũ paruis quinquaginta nauigiis in Dalmatiam mittit. Contrà Sicenses per totam hiemem Pannonica auxilia sollicitarant, validissimo Vngarorum præsidio vrbem muniuerant. Quum Sicum Veneti oppugnare cœpissent, prosilientes ex vrbe ciues cum Vngaris ita Venetos inclinarunt, vt nisi illi se in classem continuò recepissent, eo de his die actum foret, cecidere tamen multi, qui in littus egressi, subire mœnia tentauere. Quum tenui Sicum apparatu expugnari haudquaquam posse intuerẽtur, Senatui repentè significarunt, maioribus id viribus adoriri oportere, neque sine terrestribus copiis capi posse. Lodouicum Bucchalinum misere patres, cui copiæ cum supplemento datæ, & mandatum, vt summo studio ac vi, terra iuxtà atque mari ciuitatem oppugnaret. Postquam Sicum peruentum est, Lodouicus vrbem obsidet, omnes aditus, dispositis circùm militũ stationibus, occludit, quin & turres erigit, præsidiaque imponit, ne arma, subsidia, cõmeatusq; importari possent. Dum pertinaci vrbs obsidione vexatur, Legati

à Senatu in Vngariam mittuntur, vt hanc cum Sigismundo causam componerent. Ioannes Barbus, & Thomas Mocenigus, Legati fuere; quum in Panoniam venissent, quia de re molesta agebatur, multos in contentione dies cõtriuere. Ad extremum, dum se per omnia versant, quum nihil inter eos conuenire posset, vtriq; ex composito, Sicensem causam Ioanni summo Pontifici delegarunt. Dum hæc ita geruntur, non multò pòst Pipus Florentinus, Scalariorum familia natus, quem Philippum dicimus, cum decem milibus equitum, à Sigismundo missus in Italiam, Venetos fines inuasit. Belli huius causam, Foroiulienfium, Carnorumq; discordias pleriq; suspicãtur, quum ex his, alij Venetis, Pannoniis, Aquileiensive Antistiti alij parere studerent. Nimirum Dalmatia motus 10 huiusce causa fuit, quippe quæ non modò Pipum, Præfectum legionis, verùm etiam & Sigismundum ipsum in hanc expeditionem adegit. Is enim, quod Lodouicus quondã socer eius, tanto sudore ac impendio compararat, facilè amittere non poterat. Adauxerat indignitatem Iadra, à Ladislao vendita, & Sici obsidio. Irritabat quoq; ad id bellum Brunorius Scala, qui patrium dominatum, Sigismundi ope, recuperare sperabat. Quinetiam & Mariam Sigismundi coniugem in Dalmatiam venisse, & hac Sicum obsidione liberasse accepimus, oppidani quoque tempestate nostra testantur, haud à Sico procul cœnobiũ quoddam, diuersoriúmve ab illa fuisse ædificatum. Quum Pipus igitur in Italiam, Sigismundi iussu, primùm erupisset, Fredericus Sauorguanus cũ vniuersa factione sua transiuit ad Venetos. Vtinenses Pannoniis se dediderunt. Ille recepto 20 Vtino, in Taruisinorum fines castra mouit, Venetis Sereuallum, Bellunum, Feltrum, ac Metam abstulit. Demum quum multa præclara hic facinora gessisset, auro demum à Veneto corruptus, dimissa prouincia, in Vngariam reuersus est. Quẽ, detecta viri auaricia, Sigismundus infuso in os auro (vt aiunt) enecari iussit. Sed quum Præfecti sui cupiditate, victoriæ successum interceptum esse intellexisset, instauratis exercitibus, in Italiam venit, ex quadraginta hominũ milibus exercitum conflasse plerique tradidere, multo minus alij referunt. In Carnos primùm is erupit. Veneti Carolum Malatestam conduxere, virum longa rerum experientia, & bellica disciplina valde pollentem. In agro sæpe Feltrensi 30 Taruisinoque, manu consertum est, & cruentissima quandoque pugna dimicatum. Vngarorum sæuitiam hic plerique commemorant, quia quicunq; bello superfuissent, oculis orbassent, aut mutilatis manibus dimisissent. In tanta belli crudelitate, Legati tres iterum ad Sigismundum à Senatu missi, Franciscus Foscarus, Thomas Mocenigus, & Antonius Cornarius, fuere Oratores, qui cũ Rege Pannoniæ quinquennales inducias confecerunt. Ne diu quidem id ocium permansit, in Carnis iterum bellum suscitatur, Vtinensium factiones in causa fuere. Lodouicus Thechius, qui eo tempore Aquileiensis Ecclesiæ Antistes erat, totam Carnorum regionem, quæ Liquentia, Timauoque, item Alpibus, Adriaticoq; mari continetur, sub ditione sua regebat. Quum inter Lodouicum 40 & Vtinenses discordia propter exules oboriretur, quia hi Sauorguanæ factionis homines, qui ad Venetos superiore bello defecerant, ac idcirco patria carebant, in eam restituere nitebantur: contrà ille nimium obuersari, ac dicere se nullo id pacto permissurum: hinc ingẽs est orta seditio. Interea Sacilium à Venetis occupatur. Lodouicus cum grauissimo sibi hoste rem fore ratus, ad Sigismundi opes confugit. Veneti quum occasionem inuadendæ regionis perquam idoneam oblatam esse conspicarentur, quibus possunt artibus, discordias fouent, Ciuidatenses ad se deficientes, gestiente animo, in fidem accipiunt. Paulò pòst Lodouicus cum Vngarorum auxiliis aduenit, quum quatuor hominũ milia è Pannonibus eduxisset, è Carnis multas cohortes, & sat validum equitatum 50 coegit, in primis in Ciuidatenses castra mouit. Oppidum imposito Venetorum præsidio munitissimum obsidet, circumiacentem longè lateq; agrum populatur, & incendit, sed brumæ mox væsania, obsidionẽ soluere coactus est, solutoq; exercitu, quum per oppida cuncta præsidia disposuisset, ipse cum auxiliaribus copiis in Vngariam concessit. Eadem hieme Veneti oppida, quæ proximo bello ami-

lo amiserant, recepere, in primisq; Feltrum & Bellunum recuperant. Mox Carnorum fines ingressi, quos magna ex parte Foroiulianos appellant, Pratū in primis adoriuntur, euertuntq;. Philippus Arcius, vir bello impiger, Venetorū tunc ductabat exercitum, in tanto belli successu haud cunctandum esse ratus, Vtinum obsedit: quod idcirco factum est, quia Vtinenses pleriq; ciues, qui Sauorguanæ factionis erāt, portam quæ ad Ciuidatum pertinet, se proxima nocte patefacturos esse pollicebantur. Patefacta ex composito porta ingressi, oborto tumultu, detectaq; coniuratione, oppidanorum occursu reiecti sunt. Exules, quos temeraria inuexit audacia, partim cæsi, partim repulsi. Vtinenses, annos aliquot
10 bello vexati. Veneti pleraque interim oppida, Proceresq; Carnorum in ditionem suam redegere. Vtinenses, quum Lodouicum Aquileiensem in Pannoniis agentem aliquādiu expectassent, desperato subsidio, ac Venetę artis instinctu, ad Venetos misere Oratores, qui bonis deditionem conditionibus curarēt. E sententia cum Venetis est composita deditio, id vnum adiectum, vt inito fœdere Fredericum eiusdemq; factionis homines in patriam restituerent, omniaque bona redderent. Percussum ex compacto vtrinque fœdus. Audita Vtinensium deditione, eandem pleraq; Carnorum oppida conditionem subiuere. Lodouicus Aquileiensis Vtinensium defectione irritatus, è Pannoniis per Noricos confestim in Carnos cum validissimo equitatu Pannonum erupit. Primo
20 Clusinam arcem impetu, in montium angustiis editam, vi cepit, Mutianum oppressit, nonnulla circùm oppida expugnauit. Sed Veneti interuentu, intercepta victoria. Sigismundus enim, qui variis expeditionibus distinebatur, & modò cum Turcis, modò cum Boemis, variisq; gentibus bellum gerebat, Italici belli, studium remittere cogebatur. Non multo pòst tempore Lodouicus Sigismundi opibus adiutus, haud inferiore quàm antea apparatu, in Foroiulianū agrum reuertitur. Mansanum primò, deinde Rosacium, & pleraque castella capit. Instaurato in Carnis bello Veneti occurrere. Exegere Lodouicum, qui præ commeatuum inopia bellum ibi diu alere nō poterat. Ad Sigismundum tandem reuersus, dum in Noricis & Pānonibus noua molitur, vita decessit. Audito Aqui-
30 leiensis Præsulis obitu, Foroiulianus ager, quum variis Sigismundus bellis vexaretur, à Venetis occupatur. Hæc habui, quæ Sigismūdum cum Venetis gessisse legi, quinetiam & à plerisque Vngaris audiui, qui dum in Italiam per Foroiulianum agrum iter facerent, nōnullos præcisis adhuc manibus hospites ibi se spectasse testantur. Quum de rebus Vngaricis, Dalmaticis & Venetis nonnulla dixerimus, nunc de Sigismundo reliqua prosequamur. Postquam igitur augustali corona potitus, in Vngariam (quemadmodum suprà dictum est) rediit, Pannonias pacauit, nouasq; leges edidit, vt Boemorum animos sibi apprimè conciliaret, eorum ad se Principes in Vngariam euocauit, sexaginta his aureorum milia in Alba regali distribuisse fertur. Immensum pecorum numerum
40 adiecit. Qua die Boemiam aditurus erat, admonuit. Deinde in Boemiam iter intendit, venit Iglariam, vbi conuentum frequentissimum Boemorum habuit. Ibi omnia cum synodo Basiliensi de vera religione transacta, iterum comprobauit. Boemis & Morauis hæc Synodus indulsit, vt sub panis ac vini specie Eucharistiam sumere fas esset: in cæteris omnibus, cum Romana Ecclesia sentirēt. Id an ex præcepto Dei fieri fas sit, Basiliensis ipsa synodus planè definiet. Quin & eam conditionem adiecit, vt his Eucharistiam impartirēt, qui rationis forent compotes, & eam reuerentissimè postularent. Item inter communicandum publicè sacerdotes plebem admonerent, vt non sub specie panis tantùm Christi carnem, nec sub specie vini tantùm sanguinem, sed sub alterutro vtrunque con-
50 tineri, catholicè credat. Intercessere quoque aliæ inter Sigismundum & Boemos conditiones pacis, Ecclesiarum prædia loco pignoris occupatoribus relicta sunt, donec certa pecunia redimerentur. Religiosis vtriusque sexus, quibus collegia sacra adempta fuerant, item exulibus spes reditus interdicta: promissus Rochezanæ Pragensis basilicæ præsulatus. Boemicarum Ecclesiarum potestas Romano Pontifici prorsus ablata. Quum hæc ita ex composito consti-

tuta fuissent, præsidente in Augustali suggestu Sigismundo, quem in foro erexerant, & adstante Alberto genero, in frequentissima Procerū corona, Rochezana cum presbyteris quatuor, quibus cæterorum potestas delegata fuerat, omne religiosi obsequij officium Romanæ se Ecclesiæ præstiturū planè professus est. In sequenti die, in eadem concione ac solennitate, pari anathemate, cæterisque censuris pontificiis hæretici absoluti, introducti per Concilij Legatos in Ecclesiam: vbi quum res diuina fieret, Rochezana perfidiæ suæ haud immemor, vni ex plebe, quem adesse iusserat, Sacramentum ex calice dedit. Ioannes ad hæc Polomor, alter è Cōcilij Legatis, quum in aliena Ecclesia haudquaquam id fas esse clamaret, inhiberetque, perstitit in proposito ille, & contempto eius imperio Eucharistiam homini communicauit. Quare parum abfuit, quin conuenta omnia pro irritis haberentur. Ex eo conuentionis capite res pacata, quo sancitum erat paucis licèt pacta violantibus, initam tamen cōcordiam nequaquam intercipi. Compositis rebus omnibus, nono calendas Septembres, anno Dominicæ salutis sexto & trigesimo supra millesimum, & quadringentesimum, Pragam incredibili pompa honorificētissimè inuectus est: vbi qui paulò antè Boemorum hostis, spurius Antichristi filius habitus, & prophanus, cunctisque hominum votis perdendus esse censebatur, inauditis honoribus exceptus est. Iurauerunt in eius manus Proceres cuncti, vrbiumque Legati, se illius imperium nunquam detrectaturos. Constitutos ab eo magistratus, vltrò accepere. Certauere mox omnes obsequiorum officiis, atque ea tempestate Boemum & persequendo & obsequendo immoderatissimum iudicasses. E Basiliensi deinde synodo Legati Pragam missi, quorum Philibertus Constantiensis Episcopus princeps erat. Hi ecclesiasticos ritus introducere, restituere sacerdotes, corrigere sacra, & emendare, quibus plebis cantilenas olim adiecerāt, item reuocare abrogatas diuorum imagines, sacras aquas referre, dicare fontes baptismatis, altaria ornare, ac demum spurcitias omnes abolere cœperunt. Quàm plurimi sanæ mentis paruere, obsistere Rochezanæ sectatores, item passim obloqui, maledictis non abstinere, publicis Romanam Ecclesiam, apostolicumq; Senatum sermonibus laniare, quinetiam Legatis plerunque synodalibus insidias tendere. Sigismundus pollutis se templis abstinuit. Iacobi ædem, quæ Minorum ordinis collegium olim fuerat, & quam in ærarium illi redegerant, sibi restitui poposcit: annuit ciuitas. E Mendicātibus etiam plerique rediere, vtputa Cœlestini, Sclaui, serui diuæ Virginis, Hierosolymitani, & plerique sacrorum ordines: item Abbates nonnulli, & diui Georgij Antistites, necnon & Vrbanæ basilicæ canonicorum ordo: altaribus ornamenta reddita, diuini quoque ritus instaurati, ademptis olim basilicæ prouentibus, quibus templorum ministri alebantur, impensæ hebdomadatim collegio huic ex fisco datæ: quare cathedrali Ecclesiæ sex aureûm milia quotannis hinc erogata. Multa cæteris templis donatiua ab Imperatore distributa. Ad extremum vi potius necessitatis, quam voluntatis imperio, fœdus cum hæreticis ictum est. Pacata Boemia, multum sibi nominis Imperator comparauit. Maximus ac spectatissimus in Christiana republica habebatur. Congratulatum vndique Oratores ad eum veniebāt, & hunc verum omnes Augustum ac Cæsarem prædicabant. Eugenius quoque Pontifex maximus, auream rosam in gratulationis & lætitiæ speciem ab Vrbe misit. Quicunque autem superfuerant Taboritæ, in oppido conseruati, & hac in gratiam conditione recepti sunt, vt quinquennio tantùm suis moribus vterentur, tributi nomine quotannis sexagenas argenti libras penderent, ius ciuitatis haberent, rubra cæra literas obsignarent. Verùm in re diuina facienda, quum in nefandas cæremonias recidissent, castigaturum se eos propediem Sigismundus interminari. Contra verò profanam horum insaniam Rochezana assiduo hortatu cōfirmare, indicis se pertinaciùs agere, monachos redeuntes, dæmones appellare: demum Imperatoris minarum admonitus, clandestina se fuga præripuit. Eius Ecclesia Rapusconi viro probitate vitæ & doctrina præstāti commissa, qui perturbatis iterum rebus, in exilium exactus est. Antequam Sigismūdus Boemi-

Boemiam ingrederetur, Ioannes quidam Robacius, vir optimo genere, ac pessimo ingenio, non longè à Cuthnis montibus in edito colle castellum erexit, quem montem Sion appellauit, auguratus ex eo quandoque loco promanaturam esse veritatem, quæ Boemicam gentem in libertatem aliquando vindicaret. Quum cæteri Proceres, audito Imperatoris aduentu, Iglariam cum vniuersa nobilitate proficiscerentur, vt eum pro dignitate exciperent, hic domi remanens prædas exercebat. Infestat finitimos, & Regem demum lacessere nō veretur. Boues ac vina, quæ ex Vngaria ad Imperatorem aduehebantur, intercipit, formidolosa reddit itinera. Ad hunc latronem expugnandum Henricus Prascon à Sigismundo missus, qui quum menses quatuor castellum natura & arte munitissimum oppugnasset, capto tandem Robacio, cęterisq; latronibus, expugnauit. Cum his etiam Hussitarum Antistes captus est, qui sacris apud eos operabatur. Pragam perducti, furcisq; deuoti, omnes laqueo enecti sunt: duo & nonaginta hos fuisse perhibent. Sigismundus interea iam ætate grauis, variis tunc senectutis incommodis laborare cœperat. Hinc Barbaram Imperatricem non mediocris Imperij sollicitudo incessit. Henricum Prasconem, Alscionem Sterenbergium, Georgium Pogiebrachium, & plerosque Regulos ad se acciri iubet, quos magnam apud Boemos auctoritatem habere senserat. In abditas aulæ partes inducit, vbi quum consedissent, Imperatorem propediem moriturum enunciat: quum tot morbis obsito, & his quàm difficillimis, longam proferre diem, sperare non liceat. Quum multæ sint vndiq; turbæ oborturæ, haud ab re ait fore, si ante tempus de retinendo Imperio prouideretur. Illud vnum consilium optimum futurum, si quum vidua fuerit, Poloniæ Regi legitimè con iugetur. Opulentissimi hunc coniugij conditionem haudquaquam abnegaturum affirmat, quādo duo pro dote regna capesset. Item Ciliæ Comites, alterum fratrem, nepotem alterum, magna sibi auxilia præbituros. Quin & multos sibi in Vngaria esse Proceres, qui suas partes tuebuntur. Imperatricis consilium Boemi approbant, & pro illius arbitratu fœdus ineunt. Imprudens profectò mulier, & proprię libidini nimis obnoxia, quippe quæ iam annis effœta Elisabetham filiam, quæ Alberto Austriæ Duci nupserat, & iam in spem regni fuerat educata, mente deiicit, nouum coniugium molitur: eoque vesaniæ illa processit, vt omnes ingenij neruos geniali thoro prorsus intenderet, cuius iam se impotem fore senserat. Nec latuere quidem Imperatorem vxoris artes & cōsilia, cuius ingenium & pudicitiam quandoque suspectam habuerat, quando hanc ab Hernesto Austriæ Principe adamatā esse intellexerat. Quū interea medici omnem Sigismundo spem valetudinis ademissent, commonefacerentq;, vt animi imperiique sui salutem curaret: è Boemia, quam perfidia semper laborasse nouerat, depexa coma, & viridante serto comptus, in bonę valetudinis prætextum egreditur, in Morauiam concessit, vt antequam è vita decederet, filiam generumq; videret. At illa cum Alberto, audita grauissima patris ægritudine, ex Austria repentè profecta, Znoimam venit, ibique Imperatorem offendit. Barbara Imperatrix, vnà cum Vlrico Ciliæ Comite, ac fratre suo, virum sequuta, imperatoris iussu, custodiæ traditur. Vlricus initæ factionis conscius, capta sorore, mox aufugit. Sigismundus, quum se indies grauiùs laborare intelligeret, & mortem instare propius, potiores Vngariæ Boemiæq; Proceres in cubiculum accersi iubet, qui vbi præstò adfuere: Quum nouissimum (inquit) diem imminere sentiam, nil me magis angit amici suauissimi, quàm vestra salus, & vtriusque regni sollicitudo. Idcirco quum Pragæ me iste languor incesserit, extemplo dissimulandi morbi gratia, vt mihi comam barbamq; depexā, & caput sertis bene comptum redderetis, admonui, vt vos tutiùs è perfida hæreticorum gente educerem. Non enim nescius eram, si Pragæ mihi mori obtigisset, vos frementi sacrilegorum rabie obsitos, hinc nūquam tutò egressuros. At postquā pericula hæc euasimus, antequam mihi vita tot bellis, laboribus, discriminibusq; vexata, clau datur, agendum est socij, quo pacto hæc duo regna gubernentur, institutamq; pacem ac ocia seruent: nam superiora mala, vt futuris prospiciamus, eo ma-

gis hortantur, quo maiora illa fuere: imminentia verò, quàm grauia futura sint, Barbaræ vos conatus admonuit, ita quòd nisi in tẽpore prouideatur, multo grauiora supersint. Multi nanque morbi quàm primùm, vbi aduenere, curantur, & ante eorum aduentũ multo facilius ipsa prudẽtia declinari potuissent, qui postquam altius insedere, aut mortem inferunt, aut perquam difficulter curari queunt. In primis Rege, ac moderatore optimo vobis opus est, quem delectum amare & obseruare, debitam præstare fidem, ac æqua illius imperia facere debetis. Quem autem vobis Regem meliorem optare possim, præterquã eum, quem mihi generum filiumque delegi, haud facilè dixerim. Albertus est, virtute, sapientia, & longa rerum experientia præpollens, nobilitate quoque generis, ac morum excellentia vsque adeo præstans, vt etsi infensus nobis esset, res tamen nostras ipsi in tãta bonorum Principum orbitate committere cogeremur. Non me magis, si vera loqui liceat, quàm vos omnes probitate sua promeruit. Superest filia, supersunt quoque aliquæ Sigismundi reliquiæ, quas in amoris mei monumentum & colere & diligere debetis. Ad hoc nos Alberti iustitia ac integritas impellit, & ingens in vos omneis amor & beneficentia, quem apud me patronum vnicum, immo patrem semper habuistis. Beatum, mihi credite, id futurum imperium, quod Alberti ductu auspiciisque geretur. Princeps enim, cui religio, pietas, magnificentia, æquitas, & prudentia singularis est insita, omnes de se optima quæq; sperare, ac iubere potest. In eo spem omnem collocaui, hũc mihi adoptaui, hunc vnum pacis & iusticiæ ac ocij fundamẽta, quę ieci, in vtroque regno adaucturum esse speraui. Vos autem socij, aliud sentire, aut optare non crediderim, quando hũc iuxtà atque me ipsum semper amastis, & vt quod nunc nuncio, faceretis, sæpe mihi persuasistis. Si pro arbitratu meo vitam prorogare fas esset, recusarem profectò sponte, tot malis & laboribus absumptus: sed vestri charitas me remoratur in terris. Nunc postquã paralytici sæuitia morbi, iam collabante corpore, propediem obeundum est, per meam in vos pietatem, per vestram in me fidem, quæso, item per vtriusque regni salutem, per incolumitatem vestram, pro qua maxima quæque pericula pertuli, vt Albertũ, quem vobis nunc declaro Regem, & cui coniugaui filiam, cui potestatem ac omnes fortunas meas iure legaui, hunc vos eundem cunctis suffragiis & habere & declarare velitis, idq; antequam vita decedam, omni studio faciatis. Elisabetham qua debetis fide colatis, & tueamini, ne aliter quidem, atque nostra in vos officia postularunt. His dictis, conuersus in lachrymas, haud plura loqui potuit: annuere Proceres ad vnũ omnes, & in manus eius id ipsum re præstituros semper esse iurauerunt. Declararunt ibi Regem, & cuncti ante socerum, Albertum Regem & Imperatorem consalutarunt. In Alberti denique manus ritè iuratum. Introducta quoque gnata, ac faustis salutationibus admissa. Quum à lachrymis aliquantisper ille respirasset, vt inita dudum consilia è sententia euenirent, Legatos quoque declarare placuit, qui post eius obitum in Boemiam contenderent, & testamentum in concione recitarent. Legatorum princeps Gaspar Slickius mira ingenij dexteritate, & dicẽdi copia præditus, trium Cæsarum secretarius, & de Pio Põtifice maximo, dum in Noricis ageret, optimè meritus. Quã versatile huic fuerit ingenium, hinc intelligi potest: apud imperatores treis, qui diuersis admodum fuere moribus, cum summa semper laude ac dignitate versatus, inter cæteros secretarios obtinuit principatum. A Sigismundo, Egra & Chubito in Germania: ab altero, Calesio & Alba ecclesia in Vngaria: à Frederico, Græcio in Austria donatus est. Postero die, quo diuæ Virginis conceptio celebrabatur, Sigismundus compositis humanæ vitæ rebus, ac omni sacri viatici instructus apparatu, qui ad vitæ alterius iter pertinet, Suoymæ, cum summo omnium desiderio excessit humanis, Dominicæ natiuitatis anno quadringentesimo trigesimoseptimo supra millesimũ, ætatis verò suæ septuagesimo: regnorum autem, ac in primis Vngariæ quinquagesimoprimo, Romanorum septimo & vigesimo, Boemiæ decimoseptimo, Imperij denique Romani quinto. Post mortem ita ab omnibus deploratus, vt adhuc Germani gemãt, Vngari defleant, Boemi

1437.

Boemi lachryment, catholica Ecclesia prædicet, atque vniuersa denique Christiana respublica cum omni posteritate summis laudibus efferat, ac commemoret. Vir fuit probitate ingenita, Augustali genere, fausto aspectu, statura magna, pulchro corpore, quod augustæ multum referebat maiestatis, crines aurei, crispi à iuuentute, serenus erat obtutus, glauci quidem oculi, item promissa barba multum sibi adiiciens grauitatis, quam ad promerēdam Vngarorum gratiam, qui prolixa barba vtebātur, in deliciis nutriuisse & gestasse dicitur: quum nimium popularis esset, ad corporis decorum nihil adiicere amplius natura potuisset. Animo fuit perquam grandi & excelso, item profusæ liberalitatis & magnificentiæ Princeps, amicis prodigebat omnia, & ita sæpe prouentus omneis erogabat, vt nihil etiam in his, quæ vitæ sunt vsui, sibi superesse pateretur. Sæpe quum in regia nihil esset, quod suo prandio præpararetur opiparè, amicos inuitatus adiuit: sæpe etiam ab his symbola corrogauit. Item comitate, clementia & affabilitate tanta, vt cæteros ea tempestate Principes anteiret. Ad crudelitatem nunquā, nisi grauissimis iniuriis irritatus est. Christianā rempublicā, Ecclesiāq; Romanam, plus omniū opinione dilexit. Quod ex his vel maximè constare potest: nam cum graui diuturnoq; schismate, quod vnum de quadraginta annos perdurauerat, diui Petri nauiculam fluctuare cognosceret, Cōstantiensem synodum indixit, vbi Ioanne, Gregorio, Benedictoq; Pontificibus abrogatis, Martinum Quintum summum Pontificem creauit, vniuersam rempublicam industria laboreque suo componere studuit. Ioannes, Concilij decreto, ad Heydelbergam Germaniæ castellum perpetuò relegatus. Gregorius, qui à Pisano concilio damnatus fuerat, per Carolum Malatestam Oratorem suum, se vltrò pontificatu abdicauit. Benedictus cognomēto Boltrinus, quum se Paniscolæ, quod Taraconensis Hispaniç munitissimum est castellum, tueretur, seq; Christi vicarium pertinaciter assereret, eiusdem Synodi auctoritate iterum abrogatus est. Hic etiam hæresiarcharum grauissimæ exactæ sunt pœnæ, promulgatæ sanctiones nouæ, & optima Romanæ Ecclesiæ forma introducta est. Cuncta quoque pro viribus pacare curauit, orthodoxæ fidei amore succēsus, tot in Boemia bella gessit, coercuit hæreticorum rabiem, & quantum in se fuit, Hussitarum sectas repressit. Turcas propriis sedibus quiescere adegit, quos per Pipum Florentinum Magistrum equitum, viginti præliis superauit. Bis in Italiam contendit, semel quum Cæsar declaratus est, ante Constantiense concilium. Quo quidem tempore vniuersam fermè Cisalpinam Galliam sedandi belli causa lustrauit. Philippum Mariam, ducatus Mediolanensis titulo, sua auctoritate fecit insignem. Iterum euocatus est à Philippo, dum Venetorum bello durissimè premeretur, cui si auxilio foret, augustalem coronam ille promiserat: profectus Mediolanum, affectato nimium Ducis colloquio, quum in arce Iouis ille se obclusisset, virum nunquam videre potuit. Ob contemptam Cæsaris impotentiam, id factum plerique iudicarunt. Verùm exacta Parmç hyeme, in Hetruriam non sine magna indignatione cōcessit. A Senensibus honorificè exceptus, aliquot ibi menses subsedit: & formosissimarum sæpe spectaculo matronarum exhilaratus est. Hic memorabile illud duorum amantium exemplum intercessit. Euryalus enim iuuenis equestris ordinis, & comes augustalis, mira pulchritudine spectatissimus, primo obtutu in Lucretiæ Senensis amorem exarsit: pari quoque ardore correpta virgo, quam tanta venustate, formæque præstantia, ea tempestate præpolluisse memorant, vt alteram multi Venerem cognominarent. Amoris æstus perbreui vtrunque voti compotem fecit. Sed abeūte Romam Imperatore, quum Euryalus amicam deserere cogeretur, secundùm digressum, altera sexus imbecillitate parum constans, præ amantis inopia expirauit: alter amicorū consilio & solatio aliquātisper instauratus, quamuis vitam distulit, nūquam tamen amplius ridere visus est. Quum Romam Imperator venisset, ab Eugenio coronatur. Hinc profectus per Flaminiam Ariminum, mox Ferrariam Mātuamq; reuisit, vbi quum à Ioanne Francisco Gonzaga honorificentissimè exciperetur, non modò ius dominatus imperatoria auctoritate illi confirmauit, sed Bar-

baram Brandeburgensis principis filiam, ac sibi arcta affinitate coniunctam, Lodouico eius filio coniugauit: quibus quidem nuptiis haud parum domum illam honestauit. Demum icto cum Venetis foedere, Philippo infensus, in Germaniam rediit, secundumque reditum, vix annos tres quatuórve vixit. Referunt praeterea principis magnificentiam superbissima eius aedificia, atque illa in primis, quae Budae statuit, ante arcem sacellum erexit, quod diuo Sigismundo dicauit, cuius quippe numini se peculiari religione fecerat obnoxium, idque amplissimo sacerdotum collegio donauit. Item exaedificauit in arce palatium multum Romanae referens antiquitatis, muro arcem obduxit, ambulacrisque amoenissimis exornauit, in specularia porticus speciē: in media ferè arce turrim amplissimam fundauit, ex quadrato (veluti caetera omnia) lapide, quę ad duo subdialia pertinet: sed morte praeuentus, initum opus nō absoluit. Ex altera Danubij ripa in Pesthana ciuitate, quae è conspectu est, molem posuit, in arcis obiectae speciem, vt hinc supra Danubium perpetuo ponte arcem vtranque cōiungeret. Verùm mors inuida tam superbi operis initium intercepit: quod si perficere potuisset, Traiani pontem, quem in superioris Mysiae ripa quondam ille fecerat, proculdubio superasset: nunquam Sigismundi opera spectabis, vt non ex illis animi magnitudinem planè metiri videare. Quid plura? Quanquam satis superque domi forisque is clarus est habitus, tamen si ęquiorem sibi fortunā nactus esset, complura talem Principem secula non vidissent. Post fatum igitur Sigismundi Legati, qui dudum destinati fuerant, in Boemiam cum testamenti tabulis properant, ne quid ob eius obitum nouitatis oriatur. Albertus & Elisabetha coniunx, in Vngariam corpus deferunt, vnaque cum regio corpore, Imperatricem captiuam abducunt, miserabile humanae miseriae spectaculum. Quum Pisonium primò descenderent, è pagis & oppidis vndique lugubres Vngari occurrebant, vltrò miserabātur, & comploratu filiae generiq; lachrymas augebāt: quin & ingentem Reginae vincula commiserationem excitabant. Vnicum omnibus solatium occurrebat, noui Regis electio, quem optimum futurum omnes augurabantur. Comitia regia, sine vlla controuersia & contentione futura sperabant, quando sat omnibus Alberti virtus explorata fuerat: sed quum de Sigismundi pientissimi Regis, & de omnibus optimè meriti funere cogitabant, in fletum recidebant. Nullum moestissimum exequiarum honorem huic pro dignitate persolui posse praedicabant. Pisoniani corpus honorificè excepere, persoluere postero die iusta, & patrem Vngaricae gentis pientissimum, publico funere complorarunt. Corpus deinde Budam deuectum, atque veluti viuens ipse legarat, Varadinum detulere, quando diui se Ladislai numini semper addixerat. Cum ingenti populorum Procerumque frequentia elatum funus, & in Ladislai basilica ex testamento conditum. Mox postquam conclamatum est, Albertus cum vxore, caeteraque nobilium turba ad regalia comitia festinarunt. De his hactenus. Sigismundi temporibus, multis Italia bellis aestuauit, in primisque Cisalpina Gallia, Philippi Ducis, Venetorumque discordiis, quę ob imperandi cupiditatem redintegrare videbātur, indies diuturno bello laborauit, atque multo longiore Neapolitanum regnum, cuius gratia Aragones Gallique tot annos acerrimè decertarūt. Ioanna nanque Ladislai Regis soror, postquam secūdùm fratris obitum, liberis orbati, haereditario iure regnum accepit, vnum & viginti regnauit annos, in foemineo sexu virilem illis temporibus animum praetulit. In tot bellis & calamitatibus patientiam magnam ostēdit. Quum multi eam Reges captare studerent, Alphonsus Taraconensis Rex primus in eius se gratiam insinuauit: quod eo facilius impetrauit, quando suum atauum aduersus Carolum primum id sibi vendicasse audiuerat. Hunc Ioanna filium adoptauit: at is mulieris veritus inconstantiam, ex nonnullorum exemplo Neapolitanas arces mari expositas praesidiis muniuit, Serianum, magnum (vt aiunt) Senescalcum in vincula coniecit. Quod idcirco ab eo factum, vt varia Reginae studia coerceret: ad extremū multo milite in Neapolitana arce circumuenit, multa ingratitudinis indicia hinc edidisse visus est. Ioanna ingētem hominis ingratitudinē

titudinem causata, adiecta Martini summi Pontificis auctoritate, ius adoptionis abrogauit Alphonso, Lodouicumque Andegauensem, Sforciæ suasu, é Galliis accitum, redoptauit. Quare Braccius Montanus cum Alphonso fœdus init: Sforcia, Ioannæ ductu auspiciisque, Neapoli Aragones exegit. Post Lodouici fatum, Renatus, Narbonensis Galliæ Princeps, in eandem adoptionem assumptus est: qui variante diu fortuna cum Alphonso dimicauit, demum vi regno exactus, illi cedere cogitur. Sub eiusdem imperio Eugenius a Populo Romano eiectus, Tiberiq; delapsus, Florentiam aufugit. Quum is princeps Basiliense in se concilium moliti sentiret, quod à Martino fuerat indictum, accitus sæpe non paruit, quo ex Hispania, Galliis, Germania & Pannoniis Optimates multi planè conuenerant: quare Pontificatu Synodi decreto abdicatus est, & Amedeus Sabaudiæ Dux, Pontifex maximus declaratus. Eugenium perhibent indignatione percitum, composita inter Carolum Galliæ Regem ac Ducem Burgundiæ, pace, Caroli filium cum ingenti equitatu in Basilienses concitasse: quo quidem bello, Synodus repentè soluta est. Frequentissimum hic deinde concilium Florentiæ indixit, quo maximo sumptu è remotissimis partib. Principes acciri iussit: huc vltrò Ioannes Palæologus Imperator Græcorum, item Constantinopolitanus Patriarcha cum multa Græciæ nobilitate, doctissimisq; Pontificibus & Presbyteris conuenere. Hos Armeni, Æthiopes, Georgiani, Iacobitæque, ex Asia ac Libya sequuti sunt. Hîc Orientalis Occidentalisque Ecclesiæ salubris est facta conuentio.

RERVM VNGARICARVM DECADIS TERTIÆ LIBER IIII.

DVAS Sigismundo vxores fuisse diximus, Mariam, & Barbaram: alteram Lodouici Regis, Hermanni Ciliæ Comitis alteram filiã fuisse, scripsimus. Exactis ritè Imperatoris exequiis, Elisabetha, quam à Barbara ille tulerat, vnà cum Alberto viro, ac cætera Optimatum Pontificumque manu, ad Comitia regalia Albani properauit: vbi, in frequentissimo Pannonum conuentu, omnium ordinum populorumq; suffragiis, summo consensu, calendis Ianuariis, Rex, & Elisabetha Regina salutata est: eademque die, ex auspicato, vterque pro more coronatus: quod quadringentesimo trigesimooctauo supra millesimum, factum est. Quare in Pannoniis Sigismundi manes, prout ipse legarat, voto potiti sunt. Legati verò, qui in Boemiam concessere, aduocata concione, testamentum publicè recitarunt. Pòst, vbi omnes hinc vtrunque Alberto & Elisabethæ regnum a patre iure legatum cognouere, subinde adiiciunt, perquam iniquum ac summum esse nefas, hos paterna hæreditate priuare, accedere & alia, quę Sigismundi testamentum violare vetãt. In primis, Alberti maxima in Boemos merita: præterea probitatem ingenitam, viri iusticiam, & cum opibus & nobilitate sapientiam, quo neminem hæc tempora meliorem offerre posse asseuerabant: hunc vicinum beneficentissimum, clementissimum principem in Boemos & Morauos fuisse repetunt. Commemorant quoque Ioannis, Caroli, Venceslai, & ipsius denique Sigismundi in Boemos immortalia beneficia. Nil iniquius cõmitti posse, quando ad maximam orbitatem tantus sanguis redactus erat, quàm Elisabethã vnicas tot principum Augustorumque reliquias, paterna, per impium facinus, hæreditate priuare. Item interiicere, inter Boemiæ Reges, Austriæque Principes, inuiolatum extare fœdus, Augustali auctoritate munitum: Vt vtra prius domus regali stirpe, masculóve successore defecerit, ex altera Regem accipere ex compacto cogatur. Successorem igitur ex Austria vocandum, nec eo potiorem alterum optari posse: quippe qui & suo, & vxoris iure, & diui Sigismundi iudicio est omnibus anteferendus. Vngarorum sententias imitari oportere: vtpote, qui tam cupidè hunc, & iuxtà atque è cœlo datum, acceperunt. Boemi tandem his rationibus victi, Albertum secundo nonas Maias Regem crearunt. Hi

Albertus. 1438.

M

tantùm Proceres intercessere, qui quum vnà cum Barbara conspirassent, haud alia conditione sua suffragia Alberto Elisabethæque daturos fatebantur, quam nisi prius postulata quædam impetrassent. Eorum ergo nomine Alscio Sterembergius ad Albertum venit, postulata nanque omnia irrita fuere: Albertus, præterquam ea quæ socer indulserat, nihil affirmauit. Interim Barbara, quæ a custodibus inter Vngaros asseruabatur, quum castella quædam munitissima, quæ in Vngaria retinebat, nouo Regi tradidisset, libertatem sibi comparauit: duodecies mille aurei quotannis ei, quoad viueret, ex fisco constituuntur. De Boemicis rebus hactenus. Nunc autem ad Pannonicas redeundum est, & quid coronato ritè Alberto nouitatis Budæ obtigerit, enarretur. Secundùm Alberti coronationem, sæua Budæ seditio suscitatur. Nam quum ciuitas ex Vngarica Alamannicaque gente constaret, ob morum dissimilitudinem contrariaque studia, grauibus inter se factionibus laborabat: hinc inter eos antiqua conditio fuit, vt vno ex Alamannia, & Vngaria prætorem vrbanum altero anno crearent, quem Iudicem appellant: rata ac firma inter eos fuit ista consuetudo, quæ sacræ sanctionis loco habebatur. Alamanni, quando arte, vrbanitate, opibus & calliditate plus poterant, sæpe infensam sibi gentem prætura priuare studuerant, variis sæpe iniuriis contumeliisque aduersarios affecerant: sed illi dissimulatis odiis, patientia quadam eorum inuidiam declinarant: reformidarant quoque ipsi Vngarorum vires, & quid in alieno regno molirentur, diligentius pensitarant. Nunc autem oblata patrandi facinoris occasione, siquidem Alamannum se Regem nactos esse cernebant, haud vltrà cunctandum esse rati, abrogandæ gentis consilia ineunt. Erat in vrbe ciuis, Vngarorum princeps, qui Ioannes Euthues dictus est, vir profectò grauissimus, multi consilij compos, atque his admodum formidolosus, quandoquidem Alamannorum probra molestius quàm cæteri ferre solebat: is vnus erat, qui nec in senatu, nec publicè priuatimve, suæ nationis dignitatem, quoquo modo lædi patiebatur: vnde vniuersam in se Alamannorum inuidiam planè conflauerat. Contrà hi hunc vnum in republica patronum habere putabant, qui liberè vbique loqueretur. Ioannem igitur sub prætextu criminis illi ceperunt, in suis ædibus in vincula coniecère: mox in abditis penetralibus, variis cruciatibus afficere occœpere: quibus tandem enectum, culeoque insutum, alligato gutturi lapide, in Danubium clàm demerserunt. Octo circiter dies facinus tale delituit, mox cadauer emersit, acripis ab vndis expositum, clandestinum scelus indicauit: quum plurima vulnera & stigmata circumferret, id ab Alamannis, vulgus, factum esse, repentè coniecit, cùm his olim infensum nimis esse cognouerit. Eo tempore noui Regis gratia multum nobilitatis Vngaricæ Budam fortè confluxerat, deprehenso facinore, tumultus in vrbe ab Vngaris excitatur, atque ingens mox oborta seditio. Alamanni facinoris huiusce conscij, sese in proprias quisque ædes receperunt, pessulis has obicibusque obdunt, armis instruunt, obfirmantque præsidiis, quando in se arma capi sentiunt. Mox in eos vulgò fit concursus, suspectas primùm ædes expugnant, negociatorum opibus mirificè completas: trucidant homines quos offendunt, nec ætati, nec sexui parcunt. In cæteros deinde impetum faciunt, & pari vsquequaque crudelitate grassantur. Adaucta vulgi licentia, in alios externos, & in Italos vel maximè negociatores, prędæ cupiditate, fit impetus. Præ furore efferatissimæ gentis, vrbs vniuersa passim cædibus & clamore completur. Erat ea tempestate Budæ Iacobus vir sanctissimus, ex agro Asculano natus, qui propagandi diui Francisci ordinis gratia, ex Italia in Pannonias, cum Ioanne Capistrano pari sanctitate prædito, paulò antè venerat. Miseratus barbaræ gentis immanitatem, audita seditione, sumpto saluatoris nostri patibulo, cum vniuerso sacerdotũ collegio è Ioannis æde prodiit, nunc misericordiam exclamans, nunc Iesu Christi opem ingeminans, nunc armatos per Christi passionem obtestans: arma deponant, Christiano & ciuili parcant sanguini, diuinam iram reformidẽt: quinetiam flexis sæpe genibus obsecrans, ne vltrà sæuiant, iniurias omnes præsenti animo Deo vindicãdas remittant.

tant. contrà illi, veluti si Deum in subsidium aduenisse reputassent, eò crudeliùs sæuiunt, neminem ex illis deprehendunt quin extemplo trucident, eorum fortunas, merces, & bona cuncta diripiunt, item in publicum tracta plebi diripienda præponunt. Iacobus autem, quum in væsaniente turba se nec verbis, nec diuini Saluatoris imagine quicquam proficere posse, conspicaretur, in ædem Ioannis, vnde dudum exierat, se recepit. Vngari longa Alamannorum cæde satiati, tandem desiere. De his hactenus. Albertus igitur vtroque regno potitus, vno eodemq; tempore & Rex & Imperator Romanorum creatus est, è sententia supremis honoribus, & Augustali dignitate sine controuersia fungitur, vno
10 anno par socero factus, parem quoque gloriam assequi studet. Boemica in primis obtigit expeditio. Ptarsco nanque audita Alberti voluntate, quemadmodum ab Alscione certior factus erat, primores suæ factionis acciri iubet, eaque Hussitica magna ex parte fuerat: coacta factione, de alio Rege creando decernit, demum Casimirum Poloniæ Regis germanùm, annos tantùm tredecim natum, Regẽ declarat. Oratores subinde mittit, qui auxilia postulent, quibus destinatum illi regnum tueantur. Interea Principes, qui Imperatoris eligendi potestatem habent, apud Francofordiam rem Romanam Alberto commendant: at ille, Romanæ reipublicæ summam, Vngarorum Procerum iniussu accipere, haudquaquam ausus, veluti à regni initio illis promiserat, eorum animos prius
20 consuluit. Rogati verò illi, Sigismundi Imperatoris exemplo, id dissuadere cœperunt: quippe qui dum Italiam, Germaniam, variaque loca Christianæ reipublicæ gratia lustrare cogebatur, diripiendam Turcis Vngariam deseruit: ad extremum, quum multa vltrò citroq; disputata fuissent, omnium consensu, ne tanto Albertum honore defraudarent, accipiendi Romani Imperij potestatem faciunt: quod quidem summa Germanorum omnium gratulatione est ab illo susceptum. Tunc etiam Legati, Boemicæ gentis nomine, ad Poloniæ Regẽ profecti sunt, quorum alter Ioannes Rabensteynus, Henricus Placius alter dictus est: hi Regem orarunt, ne fratrem Boemiæ regnum interturbare patiatur, quod nullo iure assequi posset, quãdo Albertus & Procerum Populorumq; suffragiis,
30 & Sigismundi testamento Rex esset: iubent veteris amicitiæ esse memorem: demum si præter fas & æquum alienum fratri regnum comparare contendat, admonent ne ita aliena occupare pergat, vt pro suis dimicare cogatur: Alberto Boemisq; omnibus, vt sua retineat tueaturq;, neque vires, neq; animum deesse: paucorum leuitatem audaciamq; contemnat, hortantur: quanta, dignitatis ac virium, paucis diebus Alberto facta sit accessio, secum reputet: si quid ausit, id non in Boemos modò, verùm etiam in Germanos, Vngaros, & Alemannos, ac in vniuersam denique Christianam rempublicam, omnes fieri reputaturos. Polonus ad hæc: Mutuam sibi cum Boemis amicitiam intercessisse, ingenuè se fateri: neque alium, quàm antea fuerit, sibi esse animum: veterem beneuolen-
40 tiam à maioribus institutam, se omni studio & officio seruaturum: se tamẽ fratrem à potioribus Optimatibus delectum, regni iure nunquam priuaturum, neque intercessurum vnquam, quin traditam sibi potestatem assequatur: immo se Boemos admonere, cognatæ gentis Regem habeant, Boemis & Polonis idem fuisse genus, quod linguæ similitudo testatur: si peregrinũ Regem admiserint, non in rem suam fore, quo cum semper interprete opus est. Et quos neque lingua, neque morum similitudo conciliarit, nullam cum his concordiam charitatemq; intercessuram. Teuthonum & Sarmatarum mores ac studia, vsque adeo diuersa esse, vt in hanc vsq; tempestatem, inter se congruere nequiuerint. Se regno suo minimè timere, neque externas reformidare vires, proinde impensiùs
50 hortari & monere, ne qua deinde pœnitentia corripiantur, vt fratrem recipere, quàm ab eo recipi malint. Quum hæc dixisset, preciosis mox omnes pellibus magnificè donatos dimisit. Contrà verò aduersæ factionis oratoribus, se propediem copias missurum esse respondit. Iglariam interea contendit Albertus, vbi Vlricus Rosensis, Mainardus, compluresq; Optimates ardẽti desiderio nouum Regem expectabant. Ptarsco per internuncios precatur Albertum, ne in-

uita factione sua regnum adeat, sua prius suffragia petantur, quibus per cõtemptum omissis, nullum se Regem in Boemia passurum, planè fatetur. Contra Albertus, eum iure Regem haberi oportere, quem maior pars Boemiæ elegisset. Ad hæc vehemẽter orare, se benignissimum omnibus futurum, admittat: quietem regni interturbare caueat: è superioribus malis, quibus diu Boemia laborauit, cõsilium sumat, pacem quàm bellum malit: si quietem ac ocium suæ gentis optarit, nihil vnquam ab ipso frustra petiturum: a nouarum rerum mole animum reuocet, tutiora consilia subeat: quòd si contrà perrexerit, præsentaneam pœnitẽtiam incessuram hominem demum affirmat. Motis hinc castris, Albertus Cuthnam, quam sine præsidio Ptarsco reliquerat, vi capit. Mox Pragam caput gentis iter intendit: frequentissimus hinc populus congratulatum occurrit, Regem Augustumq; salutat. Qui Ptarsconis partes sectabantur, conuentum iterum haberi postulant: reiecta istorum postulatione, tertio calendas Iulias, Pragæ ritè coronatur. Quũ Ptarsco se nihil intercessione sua proficere posse intellexisset, armis iam agendum esse ratus, Coloniam, nonnullasq; socias ciuitates, præsidiis munitionibusq; firmat: duo equitũ milia è Polonis accepit. postquam se iam aliquid audere posse intelligit, eos primò graui bello sollicitat, qui Albertum admisere; horum agros populatur & vastat. Tanto expeditionem hanc animo adoritur, vt nobiles quoscunque à principio ceperit, omnes cum iuramento dimiserit, vt ad commeatus diem redirent, diem autem commeatus præfiniuit, quum eius ad Pragam castra esse senserint. Nihilo secius Albertus omnia prospicit, curatq; quę bello sunt vsui, milites inauctorat, delectum habet, à Pannoniis Austriaq; copias euocat. Cum breui exercitu, qui in eo tumultu ac temporis angustia cogi potuit, ante auxiliorum aduentum, Polonis obuiam prodit, facit pugnandi copiam, quam illi continuò declinauere: quinetiam per Cuthnæ montes ac Sobossauiam, ad Taboritas, hæreticorum asylum, cõfugere, locauere castra pro mœnibus, & ante vrbem, Albertum expectare decernunt: rati si quid in bello, præter opinionem acciderit, in amicam ciuitatem, haud secus atque in propriam arcem se repentè confugituros. Rex interea per Benescauiam cum exercitu iter facit, vt quàm ocyssimè posset, hostes conueniret. Oratores præmittit, qui eos admonerent, vt populationibus & incendiis abstinerẽt, agris, hominibus, pecoribusque parcerent. Quum de Boemiæ possessione inter se & Casimirum nunc agatur, rem prælio, non prouinciæ vastatione, dirimendam: cultam potius quàm desertam esse vtrique habendam. Si nullum populis detrimentum inferatur, haud inutile vtrique futuram. Gentis innocentiam, nulla sęuitia esse lædendam. Respondere Poloni: iam pugnandi potestatem ab eo tantopere anhelatam, quum aduenerit non defuturam, neq; se latere, humani sanguinis auidos, diis immortalibus parum charos fore. Sarmaticæ non esse gentis detrectare prælium, ad quod se natam, non inficiatur. Hoc nuncio exhilaratus Albertus, castra mouet, & quadrato agmine, postero die in cõspectum Polonorum aduenit, circiter mille passibus procul ab hoste metatur. Tumultuaria, non stataria, diebus singulis pugna, conseritur: extra tamen Poloni tentare non audent, verba tantùm gloriosa faciunt. Ad hæc Regis castra, corrogatis vndique auxiliis, complentur: nam Christophorus Bauariæ princeps aduenerat, qui Daniæ mox regno potitus est. Item Fredericus Saxoniæ, & Albertus Brandeburgensis Regulus aduenere. Triginta milia hominum in Alberti castris fuisse memorant, in Poloni verò quatuordecim, qui quum se proximè Taboritarũ mœnibus admouisset, instructa acie in certamen descendere non audebat. Albertus negata certandi copia, grandem machinam in hostium castra intendi iubet, qua tanta cædes facta, vt vix credi possit. Nunquam intendebatur, quin circiter octoginta disperderet: disfringere passim hominum capita, modò humeros & femora frustillatim disiicere, & cuncta cruore fœdare: miserabile profectò spectaculũ. Poloni hoc tormẽti genere perculsi, se intra mœnia recepere. Georgius interea Pogebracius, qui Ptarsconi adhæserat, Thabor cum optimo equitatu, dum facit iter, in equitum Alberti turmã incidit: qua cum extremis viribus dimicare

dimicare coactus, victoria potitur, & hinc primum sibi nomen comparauit. Rex autem, quum Taboritas nulla vi, nisi fame, expugnari posse conspicaretur, ne frustra ibi tempus terere videretur, obsidionem soluit, ipse Pragam concessit. Fredericus, dum in Saxoniam redire contendit, in insidias hostium incidit, sed nequaquam in tanta trepidatione animo consternatus, instructa dicto celerius acie, cum hoste conflixit, multisque cæsis, & fusis fugatisque cæteris, cum maximo quoque captiuorum numero, se cum suis incolumem in patriam recepit. Poloni absumptis pecuniis, amissis equis, turpiter in Poloniā redire coacti sunt. Ad hæc, quum Rex Poloniæ nondum suorum fortunam accepisset, cùm duplici exercitu Slesiam dudum, vt in Boemiam properaret, intrauerat: sed audita suorum fuga, vastato agro, pedem retrò tulit. Albertus, vt Poloni audaciam vlcisceretur, haud cunctādum esse ratus, Vlricum Ciliæ Comitem Boemiæ regno præfecit, ipse continuatis itineribus, per Slesiam, Gorlicium venit, quæ Vratislauiensium vrbs est, opibus & nobilitate potens, & Slesiarum caput. Quum Vratislauienses, belli Ducem peterent, Albertum Brandeburgēsem Principem dedit, qui longè lateque Poloniam incursaret, prædas abigeret, & cumulatas à Polono pœnas exigeret. Verùm non multi intercessere dies, quòd de concordia agi cœptum est, quandoquidem Basiliense concilium misso legato intercessit: quem Rodericum Brugensem Episcopum fuisse perhibent, Hispana gente natum, virum probitate magna, & summa integritate auctoritateq; præditum. Hic Albertum prius conuenit, apud quem præsentibus vtriusque partis oratoribus, quum de concordia ageret, nec eam conficere posset, delegata sibi causa, inducias fecit. Quum apud Vratislauum, Poloniæ Regem, deinde conuentus esset indictus, Albertus dum eò iter facit, è gradu fortè prolabitur. Quare haud parum læsus, aliquandiu loco moueri non potuit, claudus hinc factus, per Morauiam transiens, in Austriam infecta pace rediit: exin auspicato se ad percutiendum fœdus prodiisse ratus, Poloni amicitiam parui fecit. Vlrici præterea Comitis iniquitas intercessit, quem Boemiæ regno præfecerat: ex quo intelligi potest, de committenda cuiquam regni præfectura, quàm diligenter prospiciendum sit. Vlricus imperandi cupidus, tantique regni gubernationem adeptus, clàm primò cum optimatibus, de vendicando sibi regno agere cœpit: variis indies artibus, ad captanda virorum studia vtebatur. Quæcunque iste moliretur, amicorum literis admonetur Albertus: vir prudens, materiam, qua procerum animos ille sibi conciliabat, subducendam illico censuit. quare statuta stipendia extemplo subtraxit. Ille, se hinc veluti exauctoratum intelligens, magistratum vltrò dimisit, è prouinciaq; discessit. Mainardus, Vlricusq; Rosensis, iussu Regis huic subrogati. Dum hæc ita geruntur, audito Sigismundi obitu, magnam hinc Turcæ audaciam sanè conceperant: videbant enim in Rascia (quam superiorem Mysiam veteres appellabant) suum imperium facilè propagari posse. Despotes Georgius prouinciæ Regulus, quum feræ gentis viribus obstare non posset, traiecto Sauo Danubioque in Vngariam emigrauit. Eum cæteri nobiles sacerdotesque sequuti, vnus duntaxat filius in Mysia relictus est, qui Synderouiam in ripa Danubij sitam, & à Turcis obsessam, propugnaret. Quum Vngari iam inferioris Pannoniæ fines Turcam attigisse nouissent, & solo ab hoste Sauo dirimi, ad Regem nuncios crebrò mittunt, qui ad protegendum regnum copias mittat, imminens fœdę gentis periculum significant, multis precibus properare cogunt. Albertus nuncij importunitate festinare iussus, ne obsessos socios perire pateretur, quacunque potest celeritate, cōtinuatis itineribus, in Vngariā contendit. Quum Budam venisset, de Georgij Palocij metropolitæ Strigoniensis obitu, statim significatum est, cuius quidem viri summa auctoritate præditi fatum ægrè tulit: in Strigoniensi nanque is arce, coronam sibi cum regia supellectile creditam, asseruabat. Eo, vnà cum Regina, Rex properat, arcemque vxori dedit: illa cum præfectis ærarij thesaurum totum recognoscit, coronam inter recognoscendum clàm subreptā aniculæ tradit: postquam cætera ritè recensuit obsignauitque, Albertum sequuta, Budam rediit.

Quum belli metus & tumultus instaret, sine auxiliis aduersus Amurathē Turcarum Regem castra mouit, eaque inter Tibiscum & Danubium collocauit. Dum accita expectantur auxilia, Synderouiam, quam Turcæ obsederant, dies ac noctes grauiter oppugnant, atque eo impensiùs expugnare contendunt, quo propiùs hostem cum subsidiis appropinquare sentiunt: neq; parcunt machinis, nec extremis periculis abstinent. Neque spes, neque diligentia frustratur eos: nam antequam Albertus illinc castra mouisset, illi vi castellum capiunt, quod quum à sancto Andrea nomen acceperit, Barbari Synderouiam vocant. Potiti oppido, pro more sæuiunt, Stephanum Despotis filium capiunt, oculosque eruunt. Sororem eius principi suo matrimonij loco coniugant. Item Gregorium Stephani fratrem, pariter excæcant. Lazarus verò, qui tertius ex his erat, cum patre Georgio in Vngariā euaserat. Oppidanos cum præsidio ad vnum omnes interficiunt. Multi, vt mitiore sæuitia vteretur, hoc à Turca commentum excogitatum fuisse referunt, candēs æneum oculis obiecisse, vt infesto calore desiccati, aciem visus amitterent, & luce capti speciem retinerent. Inita cum Turca affinitas, fortissimo iuueni nil commiserationis adiecit, quandoquidem apud Turcas pro facultatib. plures vxores ducere fas est, & diuersus in plures amor, veluti fluuius, facilè extenuatur: quare tantum apud eos contemptum multitudo parit vxorum, vt pro ancillis potius, quàm vitæ comitibus ac sociis habeantur. Synderouiam Augusto mense captam perhibent. Ad hoc triste nuncium, Albertus, & Pannonia animo consternantur. Iam fines Vngariæ Turcam, propagato plus opinione imperio, attigisse vident, immo pro foribus immitissimū præpotentemque hostem conspicantur. Sed quum post captum oppidum, dimisso tantùm præsidio, Turcas hinc abiisse sensissent, ipse quoq; Rex oborta in exercitu seditione, qui præ nimio æstu, ventris profluuio miserè absumebatur, castra soluere coactus, Budam reuertitur. Ob ingentem æstum, quem in ea expeditione subiuerat, in profluuium alui perniciosamq; dysenteriam concidit. Morbi causam, peponum arguunt fuisse edacitatem: nam dum præcordia, cum gulæ oblectamento, refrigerare contendit, suæ vitæ tetendit insidias. Quamobrem quum aluus sisti non posset, præuisa morte, vt in patria regione moreretur, Viennam versus iter cœpit: venit Strigonium, vbi præ languore aliquantisper immoratus est: sed cum Strigonio profectus, in vicum peruenisset, qui Nesmel dictus est, ingrauescente morbo, testamentum condidit, & sexto calendas Nouembres ibi vita decessit. Nonnulli in Simonis & Iudæ solēnibus expirasse tradunt. Duos in regno annos claudere non licuit, siquidem annum vnum, menses nouem, ac dies duodetriginta, regnauit. Obiit autem salutis anno quadringentesimo trigesimonono supra millesimum. Elisabetha defuncto Rege, cum frequentissima Pōtificum Procerumq; turba, corpus ad Albam regalem refert: honestissimis id exequiis exornat. Tres ibi nationes, consimili dolore ac planctu, pientissimum Regem deplorare cernere erat: hinc Norici, hinc Boemi ac Vngari, certatim omnes Regis optimi laudes profuso luctu referebant, funus singulari pompa elatū, corpus inter monumenta Regum, ex more, Vngari principes recondidere. Fuit Albertus, statura corporis aliquanto supra mediocrem, mira fortitudine, ac liberalitate insignis: pręter eximias viri laudes, intentissimum religionis studium pietatisq; culturam prædicant. Item colore subnigro, venerando aspectu, pręterea mitissimus, & in suos omnes nimium exorabilis fuisse dicitur. Beatum igitur Imperium Romanum, cum Vngaris & Boemis omnes fore iudicassent, si Alberti diutius auspiciis gubernari potuisset. Amurathes autem, audito Regis obitu, elatus, superiorem Mysiam populatur. Maximam eius partem occupat, mox in Thessalonicenses castra mouit: non ignarus, si antiqua opulentaq; vrbe potiri posset, haud difficulter cæteras Gręciæ oras in ditionem suam redacturum: in huius ciuitatis obsidionem vires omnes effudit, quicquid terra moliri potuit, huc coëgit. Capta vi tandem Thessalonica, in Ætholiam & Epirum castra mota, quas quidem prouincias, crebris incursionibus, tot spoliis & rapinis affecit, vt prouinciales, aut barbaro parere, aut solo pa-

trio

Margin: 10, 20, 30, 1439., 40, 50

trio emigrare cogerentur. Exacti hinc populi, traiecto Adriatico mari, vniuersam Italiæ oram, quæ è conspectu est, his temporibus inundarunt, atque multas maritimæ regionis vrbes, quæ aut cœli iniquitate, aut longo senio effœtæ fuerant, aduentu suo instaurarunt. Quare tempestate hac, res Turcarum laborante intestina discordia tunc Pannonia, nimis adauctæ sunt. Postquam Albertum vita defunctum fama percrebuit, Boemi, qui in duas partes diuisi fuerant, & intestinis factionibus grauiter fluctuabant, Pragam omnes confluxere: de redintegranda in primis republica aliquandiu disceptatum. Quod vbi factum est, ad octauum calendas Maias, regalia comitia indicuntur. Extincto veræ religionis auctore, hæreticorum, quæ haud parum depressa fuerat, iterum exarsit audacia. Rochezana, qui ad Græcium relegatus fuerat, Pragam extemplo rediit. Vbi relaxatis ex morte Regis habenis, nihilo minus solito, in prophanam effusus insaniam, in concione quaque, in Romanam Ecclesiam, in Pontificē maximum, in Apostolicum Senatum, in Patriarchas & metropolitas, in cæteros ordines sacraque collegia, impudentissimè imprecatur: apud omnes exclamans, mystica sacra multis piaculis fuisse polluta, apud Boemos tantùm veræ religionis initia immaculata permansisse: infandum, pertinacia sua, piaculum auget, preciosissimum Christi sanguinem infantibus dementibusq; propinat. Aduersantes domo sacerdotes explodit: in sacro loco sepulturam omnibus interdicit, qui sub panis viniq; specie mysticam cōmunionem detrectarint: execrabilem animorum pestem instaurat, & sedatum illorum interitum redintegrat. De Boemis, quid post Regis obitum nouitatis ediderint, ostendimus. Nunc quid in Vngaria acciderit, breuissimè referendum. Elisabetha, secundùm Regis interitum grauida iam relicta, postquam in regiam relata est, lugubrem vitam ducit, reputans secum, non minoribus, quàm Elisabetha & Maria quondam, laboribus, se amisso viro laboraturam: à fortuna patris, Boemorum discordias, & fraudes Vngarorum probè didicerat. Illud succurrebat in primis, se ac infantem, quem adhuc in vtero ferebat, nil profectò aliud, quàm fortunæ spectaculum futurum: à viri morte, ab immatura viduitate, à præsente orbitate, infaustissima quæquè ariolatur: se destitutam & infelicem, infantem etiam, vtcunque editum, multò infeliciorem auspicatur. Item fœminei præsertim sexus pensitat imbecillitatem. Regni consortem, vt tutius res agatur, non aspernit: nihil quoque succurrit antiquius, quàm fortunæ se aliqua ex parte temeritati subtrahere, in tutioris vitæ conditionem asserere, si honestè liceret. Nil quandoque magis optare, quàm huiuscemodi ludi missione donari. Dum consternato sic animo Regina vexatur, accersi primores imperat, vel eos maximè, quos regni charitate, prudentia & pietate haud parum valere diu nouerat: præstanti Procerum fœcunditate tunc pollebat Vngaria, ne minore quidem Pontificum turba florebat. Quum frequentes ad Reginam Optimates conuenissent, hæc in primis verba fecit: Quum optimum dudum Regem, immo patrem piētissimum amiserimus, de futuro principe decernendum est, Patres, ne sine capite ac moderatore perditum cuncti Principes eamus: immo vt officium dignitasque postulat, publicæ saluti consulamus, & cum extincto potiore lumine, vos ad tenebras redacti, non secus atque ad Lunam homines, nunc oculos vniuersi in me conuertitis, fatebor equidē ingenuè, nullam vobis ex me lucem oriri posse. Quāquam me iure hæredem regni, Sigismundi filiam, Alberti Regis vxorem, & Reginam auctoritate vestra diu approbatam esse non inficior: tantarum tamen rerum me impotem esse, liberè fateor, ne tantum mihi arrogare videar, vt supra vim ætatis & sexus, tantæ molis imperium ausim moderari. Me non parum Mariæ ac Elisabethæ deterret audacia, ne me quidem Pannonica latent ingenia Boemicęque sectæ. Proinde mei sexus & ingenij vires emensa, salutarem tantarum rerum moderatricem, me esse non posse cōfiteor. Si prolem, quam edidero, expectare volueritis, lōga quidem, & formidolosa hæc erit expectatio: quin & vereor, ne fœmellam potius quam marem edam. Quare reipublicæ vestræ consulite, optandi vobis interregis gubernatorisve facio potestatem. Eum disquirite,

qui multo fœmina melius huiusce regni temperet habenas. Et quum hinc salutem vestram quanti faciam intellgere facilè possitis, Elisabethæ, ac futuræ prolis, quæcunque fuerit, in tempore memores estote: hinc meum in vos omnes amorem pensitate. Neque tamen, patres, ex eo quod hoc vobis liberum esse facio, regno cedo iuráve resigno, hæreditatique renuncio, immo vos per Deos, per Sigismundum, per Alberti nuper erepti pietatem oro & obtestor, ne me regni vel mei iuris expertem esse iubeatis: neq; si faustam diuina benignitas prolem dederit, ac veluti è cœlo ad vos demiserit successorem, hæreditario, quæso, iam regno defraudetis. Seruate igitur, per Deûm hominumque fidem, sempiterna memoria, parentis beneficia, & qua fide illa tueri debeatis, vobiscum assiduò reputate. Cauete, per ingratitudinem aliqua in eius manes piacula cõmittatis, in quæ multo seuerius, quàm in reliqua, a Deo animaduerti solet. Mox in lachrymas effusa, conticuit. Ex hac reginæ oratione, multa & diuturna mala promanarunt. Nam quum vsurpata potestate, Optimates ad eligẽdum Regem animum aduertissent, maximum hinc incendium exarsit: hinc Polonis Vngarisque bellum emersit. Quare ex composito regalia sunt indicta comitia, quæ postquam haberi cœpta sunt, Vladislaum Casimiri fratrem, & Polonię Regem adhuc iuuenem, suum principem extemplo nominãt. Quæ quidem præpropera declaratio, plus temeritatis quàm prudentiæ retulisse visa est: multo nanque satius ad interregnum res tunc redigi potuisset, quàm lõgarum semina discordiarum serere. Gubernatorem interregis loco creare licuisset, declinassent huiusce belli pericula, quæ in comitiis quibusque regalibus redintegrascunt. Rex cum his conditionibus electus est, vt Reginam vxorem ducat, & quum ex Alberto grauida foret, posthumo Austria Boemiaque cedat, futuris Vladislai è regina liberis, Poloniæ Vngariæque ius sit. Declarato Rege, Legati designantur, qui regem è Sarmatis euocent. Quatuor hos fuisse memorant, Tinniensem in primis Episcopum, Mathicum Ragusinum Dalmatiæ Præfectum, Emericum Marcellinum Vaiuodę filium, Ladislaumque Palocium: qui quidem omnes auctoritate ac opibus admodum illa tempestate pollebant. Vladislaũ Vngari haud inuiti idcirco regem declararunt, quem vicinitate, probitate, iusticia, religione, ac magnis denique viribus præstare senserant. Sed quum præpropera festinatio, magna ex parte pœnitentiam continuò patiat, vix ferè legati Graccouiam aduenerant, cùm repentinis subinde nunciis, qui scitum & elegantem à Regina puerum natum esse, significabant, pedem referre iubentur: abrogatur his legatio, & potestas omnis adimitur. Illis rei nouitate commotis, quid potius agerent, haud facilè succurrebat. Quare aduenerint, passim rumor effuderat. Vladislaus maximo (vt par erat) honore ac plausu hos exceperat, in Senatum longo itinere defatigatos, nondum admiserat, & quamuis adhuc illi mandata non exposuissent, ea tamen omnes è rumore nouerant. Quum diuersi traherentur, mandata tandem, ne turpiter abirent, exequi, inuita Regina & magna reipublicæ parte, decreuere. Aderant eodem tempore Graccouiæ Turcarum legati, qui viuente adhuc Alberto, è Thracia profecti, in itinere mortem eius audiuerant. Hi Amurathis nomine, pecunias & exercitum Vladislao deferebant, ad gerendum aduersus Albertum in Boemia bellum, quæ mortuo Sigismundo in duas factiones partita, grauiter æstuabat, & altera Casimiro regnum detulerat, altera vxoris iure Albertum retinere studebat. Hac demum cõcione sanciendum fœdus postulabant, vt Casimiro Boemia potito, Vladislaus, ab Vngarorum fide & societate abstineret. De vtrisq; Legatis ad Senatum vno tempore relatũ est. Turcis responsum est: Alberti morte, eorum legationem esse irritam, quum Vladislaus erit in Vngaria, tunc de ineundo fœdere agendũ. In Senatum igitur Pannones acciti, in frequentissima Procerum turba, quum ritè mandata retulissent, non sine ingenti plausu à cunctis Senatoribus exauditi sunt. Quanquam multi sententias dixissent, & tãti principis absentiam ægrè ferrent, nemo tamen eum tanti regni gloria defraudandum esse censuit, & hanc Casimiri virtute iacturam resarcire sperabant. Vladislaus tandem Senatus consulto, non si-

ne aliqua Polonorum molestia, delatum Pannoniæ regnū accepit: fœdus quoque inter Sarmatam & Pannonem æternum percutitur. Comparatur mox exercitus, qui Vladislaum in Vngariam comitetur. Legati vnà cum Rege nouo, Budam cōtinuatis itineribus properarunt. Vladislaus Vngariam ingressus, Rex per vicos & oppida passim salutatur. Honestissimus Polonorum procerum comitatus eo tempore sequebatur: in primis Andreas & Ioannes Taurinenses, & Dobrogostius Sandiuogiusque Ostrorogei: item duo Ioānes Tarnoui, ac Vincentius & Seidoua Sciamatulei: insuper Lucas Gorcensis, Nicolaus Lassouianus, Gregorius Sauoceus, qui annos quinque ac viginti Leopoli præfuit, & Lesco Bobricius, arte bellica exercitatissimus. Sophiam verò matrem, fratremq; Casimirum secum biduo proficiscentes, Rex dimisit. Primores Pannoniæ audito eius aduentu, salutatum occurrêre. Magnus vbique honor exhibitus. Eo tempore, Simon Rosgoinus Agriensis Episcopus quum Eperiessum negligentius custodiri accepisset, noctu per occasionem oppidum intercepit, Polonis infestissimum, impositoque præsidio, mox Regi obuiam Chesmarcum venit, ad capessendum regnum animum eius incendit, assumptisque secum Aucha Taurinensi, Vincentio Sciamantuleio, & Lescone Bobricio, Budam, quam Fredericus Comes Ciliæ præoccupare contendebat, continuò properauit, Regique aditum patefecit. Laurentius Hederuara, qui eo anno Palatinatum gerebat, & ex more, interregis potestatem habebat, aduentanti Regi Budensem arcem vltro patefecit, & in regia sede collocauit.

QVANDO Vladislaum Regē è Polonia Pānones euocatum, in regno constituerunt, quadringentesimus tunc & quadragesimus supra millesimum salutis annus agebatur, & festa Pentecostes instabant. Elisabetha verò quum Vngaros potestate, quam tradiderat, abusos esse conspicaretur, filiumque genuisset elegantissimum, concessæ potestatis pœnitentia extemplo corripitur. Mœrorem cum amicis & luctum instaurat, quando infanti, quem genuerat, Imperium, sua culpa, ac stolida quadam indulgentia abrogatum iri considerat. Conditiones pactumque cum Vladislao coniugium rescindit. Nouum Regem pati non potest, & Legatos, qui redire iussi, pertinaciter mandata peregerant, in cæterorum procerum inuidiam adducit, nonnullos qui prius redierant, in carcerem cōiecit. Quare duplex in regno factio suscitatur, multi Polono, pars maxima pupillo Ladislao, fauet. Quandoquidem Regis Imperatorisque Romani filium hæreditario regno defraudari, neque fas, neque iustum fore videbatur. Accedebat ætatis orbitatisq; commiseratio, quæ complurium Pontificum Regulorumq; animos posthumo conciliarat. Neque adhuc Sigismundi gesta, beneficiaq; multa, Principum sanè mentibus exciderant. Quare hi cum Regina, coronandi extemplo pueri consilium ineunt: Albam, ex composito, cum vniuersa factione contendunt. Quò vbi peruentum est, in Stephani basilica, inter operandum, in frequentissimo conuentu, Dionysius Zeech, metropolita Strigoniensis, & Cardinea dignitate præditus, pupillum in gremio matris vagientem, ac nondum quartum mēsem natum, ritè coronauit. Lachrymarum profluuium Elisabetha inter coronandum, spectante populo, continere non potuit: quando plus laboris & discriminis, quàm ocij ac felicitatis, insignia illa puero allatura esse contemplabatur: quinetiam ex vagitibus infantis, infausta quædam auspicari videbatur. Reginam quoq; cum filio collachrymantem, non sine fletu singultuque Pontifices ac cæteri spectatores intueri poterant. Coronationi Ladislai Regis, hi Antistites ac Proceres in primis adfuere: Matthias Vesprimiensis, & Benedictus Iauriensis Antistes, Vlricus Ciliæ Comes, Nicolaus Vilaki, Ladislaus Gara, Andreas Both: præterea Ladislaus & Emericus Ioannis Kanisai Vaiuodæ filij: item Thomas Zeech, & frequentissimus nobilitatis ordo: Vlricus Ciliç Comes, Elisabethæ auunculus, Reginæ proximus adfuit. Et quum Rex se regni libertatem, leges, sanctiones, & plebiscita omnia populorum nunquam violaturum iurare debeat, is pro Ladislao Rege iurauit. Contrà verò supra coronatum pupilli caput, pòst vbi regalibus sacris à Dionysio Pontifice initiatus est, omnes

Ladislaus. 1440.

antistites ac Proceres, cum vniuersa nobilitate, perpetuam illi fidem obsequiumque præstituros esse iurarunt. Peracta coronationis celebritate, solutoque conuentu, mater cum puero & honesto Procerum comitatu Vissegradum concessit, vt in arce munitissima, cui Ladislaus Gara præerat, sacrum diadema reconderet, quemadmodum veteres editissimum tutissimumq; locum asseruandæ coronæ hunc vnicum dicarant. Atqui in arcem vbi conuentum est, omnes qui aderant Optimates, Regina fefellit: quippe quæ dum futura discrimina veretur, quam recondere simularat, coronam iterum subtraxit, & præstigij dexteritate freta, spectatorum lumina elusit: mox reconditorium, obsignato ab Optimatib. thesauro, iussit occludi. Deinde regni dissidium causata, ad Fredericum Romanorum Regem, Stiriæque Ducem, in Austriam contendit (quem puero fratrem fuisse plerique prodidere) huius fidei filium coronamque commisit, vnde æternæ discordiæ, ac assidua cum Alamannis bella promanarunt. Verùm ad Boemos redeamus, & quo id regnum pacto regina recuperare studuerit, videamus. Quum Boemi Reginam octauo calendas Martias scitum puerum genuisse, dixisse Ladislaum, & sacro Vngariæ diademate ritè coronasse, cognouissent, mittendos ad eam legatos crearũt, qui statuta apud se regalia comitia nunciarent, admonerentque, vt si quid iuris in Boemico regno deberetur infanti, procuratores mitterent, qui Ladislai causam in comitiis agerent, hæc demũ omnia in tempore curaret, ne suo iure pupillus fraudaretur. Aduenientibus legatis, Regina Ladislaum, quem ex Alberto genuerat, in cunabulis ostendit: mox per Deûm hominumq; fidem eos obsecrat, & obtestatur, ne paterna pupillum hæreditate priuent: comitiorum item tempus prorogẽt, quę ad diem quintumdecimum habenda erant, arctissimum conueniendi tempus esse: quod si differatur, se Oratores, qui pueri iura tueantur, missuram esse pollicetur. Sed quum ex Legatis vnus esset Reginæ amantissimus, quem Alberti Regis beneficentia obligarat, cui Procopio Rabensteyn nomen erat, vir equestris ordinis, item doctrina moribusque præstãs, is optimam Elisabethæ operam apud Boemos pro puero se nauaturum esse recipit. At vbi audita Regina, in Boemiam illi rediere, Procopius omnes veteres Alberti Regis amicos alloquitur, Elisabethæ desiderium exponit, eius nomine comitia proroganda suadet: quando id nequaquam iniquũ & inutile fore videbatur, in re tanti momenti, non temere festinandum: præcipitis consilij, & temeritatis comitem pœnitentiam esse docet, id & superioribus præsentibusque & variis exemplis asseuerat: Reginæ postulationem, iustissimam esse fatetur. Quare hos omnes haud difficulter in sententiam traxit. Contrà Ptarsco, qui Alberti partibus olim fuerat infestus, quàm primùm regno consulendum esse vociferatur: nullam fœminæ rationem in rebus grauissimis habendam, neque attendendos infantium vagitus: ad hæc, neque Sigismundum, neque Albertum Boemiam curare potuisse: præterea passim exclamare, habenda esse citò comitia, instare aduersantibus, Proceres conuocare, comitiorum tanquam interrex diem indicere. Ladislai verò partes, ad prorogandam diem, multa ex industria causari, suadere non tantopere festinari oportere, atque diem ex die protelare, donec à Regina Legati venerunt. Elusos in tempore conatus, Ptarsco ægerrimè ferebat: at vbi eos aduenisse sensit, id tulit multo molestius. Comitia in sequenti die haberi cœpta, quo quum oratores pueri descendissent, extemplo ambire Proceres, apprensare manus, cuiq; Ladislai ius hęreditarium commendare, & orare impensiùs occœperunt, vt Sigismundi Albertique Regis beneficia recordentur, fœdam ingratitudinis infamiam præcaueant. In concionem deinde vocati, hæc verba fecere: Si quis fortasse vestrum, Proceres, aduentus nostri causam admiraretur, nimirum, vbi rectè fas & æquũ hic secum reputarit, non tam eorum qui nos miserunt, quàm horum qui nunc audiunt, rationem commodumque nos huc perpulisse, cognoscet. Neque à societatis & amicitiæ iure est absonum, eos æquitatis, officij & vtilitatis admonere, qui fide longoque fœdere sunt obstricti: neque cuiquam molestum & graue videri debet, quum amicè, vel à paribus, vel à superioribus, çùm priuatæ, tum publicæ

publicæ salutis admonetur. Regina nos Elisabetha, ad vos exorãdos venire iussit, vt post Alberti Regis obitum, neque se, neque filium Boemiæ regno defraudari patiamini: quando id neque Sigismundi, neq; viri sui, neque progenitorum in vos officia, quæ perpetua memoria tenere debetis, meruisse videntur. Non enim vos latet, Proceres, quid ius gentium, quid leges ipsæ Imperij Romani, quid fœdera quæ vobis cum Australibus intercedunt, quid beneficiorum memoria, quid denique pupillaris commiseratio, & commodorum ipsa ratio, postulet. Quandoquidem nemo vestrũ est, qui si se à priuatis vindicet affectibus, hæc per se non omnia facilè iudicet. Quãnam honestatis specie, paterna auitaq; 10 hæreditate quisque priuari potest? Quæ sat euidens ratio contra excogitari poterit, nisi vim, ius armorum, & diuini humaniq; iuris piaculum adieceris? nempe nulla. Quinetiam quum & cætera animantia, præter ea quæ rapinis sunt obnoxia, quodam naturæ instinctu religioneq;, nidos, neque latebras, lustraq; aliena inuadere ausint, nos puerum, cui ipsa natura indulgẽtissima esse solet, paterno & auito regno defraudabimus? Tenellam ætatem, & tantæ molis impotem immaturamque causabitur quisquam? Qui id obiecerit, prius caueat, grauibus Boemos Australesque afficiat iniuriis. Num in vtraque gente vsque adeo præclara interiêre ingenia, vt donec puer coalescat, regnum hoc administrare nesciant? atque vt hoc vestra pace dixerim, quod in bonam partem accipi velim, 20 vtinam, vtinam inquam, Boemi viri, vobis è cœlo, nõ tantũ sapere, datum esset, neque in diuinis humanisq; rebus plus sapere videremini, quàm opus esset. Nimirum tot intestinis grauissimisq; bellis, & tam diu nunquam, mihi credite, laborassetis. Neque vos præterit, Nil boni, sine rerum ordine, constare posse: & non solùm infanti, sed tempestiuo quoq; Regi, consiliarios adhiberi, adiici senatus & populi auctoritatem oportere, vt nihil his incõsultis agere liceat. Quare veluti adulto, ita & paruulo, moderatores optimi dari possunt, qui rempublicam gerant. Quinetiam sub huius, quàm illius auspiciis multo tutiùs respublica regeretur, quando moderatoribus, legibus, consultoq; Senatus, alter aduersari non potest: alter verò prauis sæpe concupiscentiis æstuans, contemptis o- 30 mnibus, appetitus imperio trahitur, & rebus pro libidine sua moderatur: hinc iudicia sæpe corrumpuntur, violantur leges, & patrũ consilia deprauantur. Proinde, ne ius gentium, ac legum auctoritatem violare videamini, hũc vobis Regem Proceres optate: cuius non modò patrem, sed auos atauosque Reges, olim tantopere coluistis. Neque initum quondã cum Australibus fœdus, mente vobis excidere debet, qui antiquæ societatis iura tantopere coluere. Si in orbitate Principum, prout casus ipse tulerit, & inita fœderis conditio postulat, vtrinque Reges optari debent: nos in necessitate hac, non solùm Australem, sed verum hæredem, & quem indolis præstantia ad imperandum tantùm natum esse portendat, vobis Regem offerimus: quem sine violẽtia fœderis, sine iniuria socie- 40 tatis, sine piaculo diuini & humani iuris, sine perpetua regni infamia, sine summo denique facinore impietatis, recusare non potestis. Præterea, vnum nobis quandoq; venit in mentem, quid Ladislai Regis progenitoribus rependi debeat, à quibus tot beneficia, & ea quidem immortalia accepistis: ne minus quidem publicè, quàm priuatim, de Boemis illi bene meriti sunt. Quãdo regnum hoc illi Augustali dignitate decorarunt, vos omnes ita dilexere, vt non pluris Imperium Romanum, quàm regnum Boemicum, fecisse existimetur, vestram gentem domi forisque clarissimam reddidere, præstitere opulentissimam, & tot familias amplissimis honoribus & dominatibus exornarunt. Nec inter cogitandum, etiam illam Indorũ legem, nefaria vobis occupet obliuio, qua omnes in- 50 grati, capitales iudicabãtur. Sigismũdus cum Alberto, quid pro pacando regno, pro animorum corporumq; salute fecerit, insudarit, prodegerit, non facilè si ij estis, qui esse debetis, obliterare poteritis; nimirũ, ille tantùm profusissimæ Principis beneficentiæ fuit expers, qui aut noluit, aut non petendo contempserit. Proinde, quid eorum manes, quid insignia quæ accepistis merita, quid vestrum officiũ postulet, considerate. Et quum hodie quæcũq; debetis exsoluere liceat,

cumulatiſſimam,data occaſione,gratiam,vos quæſo,repẽdite,& perquàm abũdè referte. Si parum, quod nequaquam crediderim, vos iſta mouent, quando eſtis homines,humanitatis officia colite. Leones,tigres,lupaſq; legimus,ac immanes pleraſq; feras,& gratiarum,& humanitatis,commiſerationiſq; rationem habuiſſe:pepercisse infantibus,vicẽ retuliſſe,& innocenti denique ætati,fortunæque aliquid indulſiſſe. Si hæc quandoque illa præſtitere animalia, quæ humanitatis expertia natura finxit, quid homo faciet, qui ab hac ingenita nomen accepit?O quàm aliter ac nunc ſentiretis, Proceres, ſi Ladiſlaum infantem ſpectaretis, in quo fauſtiſſima indoles, maiores omnes ineſſe teſtatur. Spem eam præfert,qua illi nunquam fuere præditi, ea nutu molitur infans, quæ fidem ſuperant.Si vixerit, progenitores in geſtorum gloria ſe anteceſſurum pollicetur. Sæpe hũc Fredericus Imperator in medium afferri iubet,quo vbi allatus eſt, in primis coronam procerum circumſpectat : mox in Cæſarem brachia intendit, vagitu expoſcit,fratrem amplexatur,madidis os eius oculis aſpergit, veluti,ſi ſe tutori,& Chriſtianæ reipublicæ moderatori,commendaret,exoraretque,ne regnum ſibi præripi,ne paterna hæreditate fraudari pateretur: deinde circumſtantem coronam luſtrare contendit, & per Optimatum amplexus obuagatur,tanquam omnes ambiret,& obteſtarẽtur,vt immaturã dignitatem tuerentur. Neminem demum inamplexatum inoſculatumque dimittit, ambitioni quandoque gemitum,quandoque vagitum intermiſcet, quare nunquam prodit in publicum, quin lachrymas à cunctis ſpectatoribus exigat. Nihil igitur eſt in puero,quod non admirabile,fauſtũ, & incredibile videatur:plus diuinitatis, quàm humanitatis refert. Nemo puerum videt, qui ſub diuina Ladiſlaum tutela non credat eſſe. Omnem à Deo poteſtatem hominibus dari proculdubio credendum eſt,diuinę voluntati quis obſtiterit?Cyrus infans expoſitus,Romulus cum Rhemo in Tyberim eiectus, Seruius Tullius captiua matre natus, quin ea ad quę nati fuerãt,regna non aſſequerẽtur,nulla vi inhiberi potuere.Proinde Deũ ducem ſequamini,Proceres,eum quem à regia ſtirpe demiſit,excipite,declarate Regem,& tanquam angelum è cœlo demiſſum,cunctis ſuffragiis,fauſtisque votis conſalutate, admittite, colite.ſic diſſidia, inteſtina bella,cæteraque externa incõmoda propulſabitis:hinc priſtina vobis cõmoda inſtaurabũtur. Quémnam vos magis amaturum, & ſtudioſiùs veſtra commoda curaturum putatis, quàm eum,qui è veſtro ſanguine,in veſtra aula,in veſtris vlnis,& natus & educatus eſt?Nulla,mihi credite,peregrini principis admiſſio fieri ſolet,quæ aut calamitoſam nouitatem, aut diuturna mala non inferat. Quare vt dicendi finem faciam,per Deûm hominumq; fidem oro, Ladiſlaum verum Principem,vt veſtrum officium & vtilitas poſtulat,vno Regem conſenſu declarate. Secũdùm Legati orationem,magna pars Procerum edito plauſu,illius poſtulata comprobauit:aſſeuerans,nullo pacto aliter eſſe ſentiendum, ne perpetua iniquitatis ingratitudinisve nota, vniuerſa Boemia ſugilletur: contrà verò, qui Albertum oderant, filium Regem creandum eſſe negabant:dicere, nihil inconſultius eſſe, quàm intempeſtiuum & inutilem regno optare hominem, vel maximè illum, qui non regere,ſed regi tantùm poſſe videatur. Ladiſlaus antequã ſit regni compos, longam temporis intercapedinem interceſſuram,Boemiam ſub interregni diſcrimine interea futuram, fluctuantiſſimum optimo moderatore regnũ, tam diu carere non poſſe. Proinde quoad Ladiſlaus adoleſcat, Regem creari oportere,& id eo tutius agendum, quo facilius Fredericus Romanorum Rex nuper electus,optandi Regis iam ipſis poteſtatem indulſerat. Vicit hęc tandẽ ſententia. Quare,quum de creando nouo Rege ad Proceres referretur, hi maiore ex parte Albertum Bauariæ Ducem Regem declararunt, qui apud Venceſlaum quondam ab ineunte ætate fuerat educatus:quin & è Primoribus nonnulli deſignantur, qui è Vindelicis Albertum euocent. Horum Princeps Vlrichus Roſenſis erat,qui quamuis Alberti partibus ſemper fauiſſe videretur,in his tãdem comitiis aliquid tempori tribuendum eſſe cenſuit. Alij autem,qui id ægrè ferebant,rei indignitate correpti, ad Fredericum clàm Procopium mittunt: Cæſaremq;

remq; orant, ne pupillum paterno regno defraudari patiatur, tutelam infantis, quam nuper acceperit,summo (vt par est) nunc studio gerat:sine infamia regnũ Ladislao debitum aliò diuerti non posse, reputet. Mandata Procopius diligenter & cautè peragit. Fredericus rerum admonitus,ad Albertum Ducem repentè scribit. Hominem hortatur & monet,ne qua ductus ambitione,alienum sibi regnum vsurpet. Boemos hęrede superstite,cui regnum debetur,alium Regem creare non posse, & creandi potestatem, quam ab ipso in comitiis impetrasse prædicabant,ementitos esse,pertinaciùs asseuerare,nullam se Boemis vnquam creandi Regis potestatem fecisse. Albertus Cæsaris diplomate inhibitus,ea animi moderatione vsus esse fertur,quam in paucissimis inuenire licet:nam quum aduentantes Boemorum Legati, potens amplumque regnum detulissent, ingenuè abnuit. Gratias ingentes egit, quòd tanto ipsum regno dignum iudicassent. Insuper, inhumanum esse, pupillorum iura lædere, quibus omnes fauere fas est, sine maximo scelere lædi nõ posse. Se quoque fœderis olim inter Boemos Australesque percussi,haudquaquam ignarum. Albertum igitur longè clariorem Regem recusando,quàm accipiendo regnum,omnes haberi iure oportere iudicarunt. Boemi, accepta repulsa, iterum conuentum habent, legatosq; ad Cæsarem mittendos esse decernunt, qui ipsum exorent, vt donec Ladislaus adoleat,tutorio nomine, regnum accipiat. Cæsar ad hæc, quum Legati mandata detulissent, respondit: Se Augustalis coronæ gratia, in Belgas contendere,quum redierit,perquam commodè rebus Boemicis consulturum. Reuerso è Gallia Cæsare, Proceres è Boemia multi extemplo adfuere, in primisq; Ptarsco acerrimus infantis inimicus: Cæsarem hortatur, vt pupillari tutelæ renunciet,quòd si fecerit, eum subinde regno potiturum esse pollicetur: adiicit, hoc iure fœderis planè fieri posse, vt seniorem Austriæ principem, Boemi ex compacto,Regem in regia orbitate pronuncient. Abnegat Cæsar,Se turpiter & facinorosè pupillum, cuius tutelam ageret, esse circumscripturum, hæreditariumque illius regnum occupaturum, neque Boemiam tutorio nomine administraturum,quando non ignorabat, eam sine insano sumptu, haudquaquã gubernari posse. Boemi nanq; , nisi quotidiana stipendia muneráve à Regibus capiant,ab officio extẽplo recedunt. Fiscus profectò tenuis,regia prædia ab Optimatibus occupata,fœcundissimæ olim argenti fodinæ iam exhaustæ,extenuata vectigalia,census que distracti erant. Quicunque igitur aut Rex, aut Gubernator futurus erat, nimirum cum dignitate viuere non poterat, nisi aut raptu, aut precario,aut collata popularium stipe victum quæreret. Quare, ipsi per se Boemi regnum gubernarẽt,quousque Ladislaus adolesceret, planè suasit: mox Legatos magnificè donatos, à se dimisit. At vbi ad populum id latum est, vt hoc interregni tempore,Gubernatores Boemiam regerent,veluti Cæsar ipse suaserat, in primis Ptarsco Mainardusque creati. Inito magistratu, subornatam aliquandiu concordiam seruarunt: siquidem alter Catholicæ fidei propugnator, Rochezanæ prauitatis assertor alter erat,& vterque factionum Princeps: ne tamen ad arma perueniretur, optimum excogitauere ambo temperamentum, vt pro suo quisque iudicio viueret. Haud multò pòst,Ptarsco graui morbo correptus,interit: cuius interitu, Mainardi auctoritas vsq; adeo creuit, vt Pragenses, ac potiores Boemię ciuitates,huic vltrò parerent. Hoc aduersæ factionis homines perquam molestè tulerunt,ad Georgium Pogiebracium confugere, quem sapientia & bellica disciplina, item ingenti gestarum rerum gloria præstantem esse nouerant; hunc sibi præficiunt, persuadentque, ne suas partes iacere, néve Mainardum, cui Praga caput gentis obsequitur, qui Romanæ religionis ritus extollit,patrios antiquat,ac demum ad tyrãnidem aspirat, imperiosè ac latè dominari patiatur. Item viri dominatum populo videri grauissimum, necnon & Rochezanæ multas esse amicitias,fidasque clientelas, Pragam illi facilè præripi posse: proinde exorare hominem,vt suæ dignitati salutique iuxtà consulat. Prophanæ verba multitudinis haudquaquam Georgio displicuere, quum præ magnitudine animi,res maximas anhelaret: coniuratione magnam clàm molitur,

& ad nouitatem animum intendit: Pragam subornatos quosdam mittit, qui ciuium studia tentent, sollicitent animos, & vt Mainardo, veluti tyranno ac peregrinæ religionis amatori, potestas omnis abrogetur, impellant. Quid fieri oporteat, Rochezanam consulant, & coniurationis admoneant. Compositis rebus, quum multi in coniurationem vltro confluxissent, nouitati diem præstituunt. Moliendum in remota parte vrbis incẽdium decernunt, vt dum eo populus rerum ignarus planè cucurrerit, ex altera, Georgio, parte, cũ copiis venienti, portam patefaciant. Quare ad præstitutum diem ex composito cuncta fiunt, è sententiaque succedunt. Committitur clàm incendium, quo omnes ex more conuolant, Georgius in tempore aduenit, patefactaque porta ingressus, tumultu ac ferro omnia miscet. Magnus extemplo terror incessit, quicunque aduersi arma sumpserant, continuò trucidantur. Capitur Mainardus infelix, & postquam inimicus eius est vrbe potitus, in arcem adductus, in carcerem coniicitur. Multi carceris tædio, nonnulli veneno absumptum interiisse ferunt. Georgium integram potestatem nactum, sic vrbem & Boemiam illico pacasse, & pacatam in ocio diu tenuisse tradunt, vt nemo sit, qui ex tanto facinore tantum quietis promanare potuisse crediderit. Dum hæc, quemadmodũ suprà diximus, in Boemia geruntur (quia res Vngaricæ nos ad se venire iubent) quid in Pannonia fieret, exponamus. Postquam Elisabetha in Austriam profecta est, filiique tutelam satis Frederico commendarat, ipsa non sine magna fautorum turba, in Vngariam reuertitur. Fines ingressa Pannoniæ, ex vultu, verbis, conuitiisque multorum, dum per vicos & oppida facit iter, mutata hominum studia deprehendit: quod quidem in his rebus accidere solet, partim quia nouarum rerum cupidi plebis animi esse solent, partim quia noua spes ex Vladislao concepta, omnia in melius itura pollicebatur. Neque deerat ingenitum ac sempiternum odium, quod Pannoni cum Alamanno semper intercesserat. Vladislaus enim quum procera statura, valido corpore, consentientibus inter se membris, & gratissimo foret aspectu: haud difficulter comitate, mansuetudine, & insita quadam ingenti probitate, populorum sibi animos conciliabat: quando hæc facilè popularem auram captant. Succurrebant & aliæ præstantiores animi dotes, religio singularis, diligentia diuini cultus, iusticia insuper ac pietas, & constantia cum ingenti moderatione cõiuncta. Animus ad hæc insons, ac simplex, nulli vitio obnoxius, & ad promerendam Vngarorum gratiam, immortalitatemq; comparandam nimis intentus, in bello fortis & intrepidus. Nulla vir bonus, ac regno permaturus, æstuauit auaricia, nulloq; libidinis imperio vexatus est. Quum se facilẽ exorabilemque præstaret, nimium ex popularitate fauoris gratiæq; contraxit. Nullum ex eius ore verbum auditum, quod insolẽtiam temeritatémve saperet, aut aliquid turpitudinis oboleret. Consuetudo dulcis, mores quoque mitissimi, talis denique censebatur, vt è Sarmatis talem virum prodisse, haud facilè quis crediderit. His igitur artibus, Vladislai præsentia, multum fauoris sibi comparauit. Hinc multorum voluntates immutatæ, & è Proceribus complures, qui aduersæ factionis erant, in eius parteis, præter omnium opinionem, concessere: in primisq; Nicolaus Vilàch Croaciæ præfectus, quum pupilli partes quotidie labefactari conspicaretur, vt suæ consuleret vtilitati, à regina defecit, in Vladislai factionẽ planè concessit, & in asserenda Poloni dignitate, sic acer pertinaxq; fuit, vt multo plus fortitudinis in asserendo, quàm in deficiẽdo perfidiæ retulisse videretur. Simon quoq; Rosgon Agriensis Episcopus, itẽ omnes eius fratres, Poloni partes pertinacissimè sectati sunt. Rosgonæ defectionis causa Elisabetha fuit: quippe quæ Simoni, dum Vesprinienſis erat Episcopus, archiepiscopatum Strigoniensem efflagitanti, repulsam dedit, respondítque: Elisabetha regnante, Simonem nunquam Archiepiscopum futurum: contrà ille, Se viuente Elisabetham nunquam regnaturam. Archiepiscopatus igitur Reginæ iussu, Dionysio datus. Item quum in superioribus Vngariæ partibus Rosgana domus, nimis auctoritate, opibusq; polleret, vniuersam illius oræ Procerum nobiliumq; turbam in Vladislai auxilium conuertit. Quinetiam Ioannem Vnniadem, quo præstan-

præstantiorem domi militiæq; virum, illa tempora non viderunt, vt deinceps, quum res ipsa postularit, sat copiosè referemus, Polono nimium fauisse perhibetur. Hic enim Valacho patre, matre verò Græca natus, industria & virtute supra omnium opinionem, suumq genus illustrauit: parentibus nequaquam obscuris editum tradidero. Pater nanque inter Valachos, qui Getarũ Dacorumq; loca nunc incolunt, & è Romanis superfuisse colonis, veluti linguæ similitudo testatur, sanè creduntur, plurimum apud eam gentem potuisse dicitur. Quippe qui non consilio solùm, ac longa rerum experientia, sed opibus & fortunis multum sibi auctoritatis comparарat, assiduo bello exercitatus, nõ plus diuitiarum, 10 quam nominis è militaribus studiis ipse contraxerat. In Coruino † vico natus, *Hollos.* in Coruinam Romanorum familiam genus retulit. Mater verò, è Græcis edita, è veteri & imperatorio sanguine promanasse credita est. Nonnulli in Theodosij huic genus referre audent. Seruiuit à principio cum duodecim equis Demetrio Episcopo Zagrabiensi, & in Italia duos annos sub Duce Philippo Mediolanensi prima stipendia meruit: nam Sigismundum in Italiam sequutus remansit. Sigismundum enim affirmant fama paterni nominis, Ioannem adhuc ephebum è Transalpinis oris in Transsyluaniam transtulisse, Hunniadicis prædiis, quæ in extrema Transsyluaniæ ora, quæ ad Valachiam attinet, sita sunt, ob rem bene gestam donasse. Prima hunc stipendia sub Vngaro Halæ præfecto, fe- 20 cisse memorant. Nosq; à Diuo Matthia nonnunquam audiuimus: quum Præfecti cuiusdam filium in conspectum admitteret, quod de patre, conuersus ad alios, ingenuè fatebatur: Hic est (inquit) illius Optimatis gnatus, sub quo pater meus primùm meruit, vocemq; centurionis expauit, mox propria virtute fortunæq; dexteritate fretus, munia quæque militiæ honorificentissimè gessit, ex bono tyrone miles fortissimus, ex milite Imperator optimus emersit. Per singulos ordines miro laudis gloriæq; successu iam euectus, prouincias cum imperio sortiri cœpit, cum præstantissima Ghereborum domo affinitatem iniuit. Hinc Elisabetham, quæ Ladislaum Matthiamq; genuit, vxorem duxit. Vir fuit, in quo magnam Coruinorum virtutem, item magnanimitatem, sapientiam, fortitudi- 30 nemq; Romanam recognoscere licebat. Aspectu perliberali fuit ac venerando, militari robore indomitus, cuius mite præstansque ingenium nil præter Romanæ dignitatis imaginem referebat. Oculorum ac oris venustate præpolluit. Mores omni ex parte nobilissimi, ab omniq; barbara feritate redempti. Religionis ac iusticiæ, item liberalitatis & beneficentiæ studiosissimus fuit. Neque deerat amor honestatis, & amicitiæ cultus, ad obligandos militum animos, & promerendam cæterorum gratiam vsq; adeo promptus, vt æquè ab omnibus amaretur. Comitate, beneficentia, dissimulationeq; callida, sic inimicitias & odia declinauit, vt his officiorum artibus ad eius dignitatis altitudinem sibi viam compararit, quam ne sperare quidẽ licuisset. Acer & excelsus viro fuit animus, con- 40 silium prudens callidumque, cui mos erat, nil inconsultè, nil intempestiuè agere. Nil spes eius appetere videbatur, quod arte consilióve assequi non auderet. Variante tamen in bello fortuna vsus, ne obnoxiam hanc sibi semper habuisse videretur: in agro Hunniadico, quem à Sigismundo quondam dono acceperat, in edito monte castellum erexit, quod placida circùm flumina lambunt: item arte ac natura vsque adeo munitum, vt nullum hostilem impetum reformidet. Ioannes igitur Coruinus, post cætera, quæ summa cum laude munera gesserat, Transsyluaniam prouinciam cum Imperio, ob rem optimè gestam, impetrauit: atque hinc facilè ad maxima quæque subinde euectus est. Quare Vaiuoda (vt aiunt) cognominatus, multum posthac auctoritatis & potentiæ sibi vendica- 50 uit. Itaque quum duplici factione Vngaria tota laboraret, Vladislai partes sectari placuit, quod aduersariorum vires haud parum eneruauit: hinc tanta Polonis accessio facta, vt absque difficultate cætera transigerentur. Quum igitur coronandi Regis tẽpus instaret, & pupilli res quotidie deteriores, Budæ à Palatino conuentus indicitur. Conuenere extemplo Proceres, Antistites, Legati ciuitatum, vniuersaque regni nobilitas, insuper & plebis innumera multitudo:

quiquidem omnes noui Principis imperio gratulari, passimq; gestire videbantur. Sub incolumitatis diplomate, aduersæ factionis nonnulli principes, ad indictum conuentum aduenere: in primis Dionysius metropolita Strigoniensis, Cardinalis eo tempore spectatissimus, & Ladislaus Gara Vissegradiensis Præfectus arcis, quos haud mediocris pars Optimatum & nobilitatis sequebatur: ex his alter pupillum præcipuè diligebat, quia sacro baptismate initiarat: alter ærarij munitissimæque arcis præfecturam, ob exploratam fidem, non immeritò fuerat assequutus. Quum Budam non absq; magna expectatione venissent, regalem cum cæteris Pontificibus Optimatibusq; arcem subiuere: dum soluto senatu, cum aliis patribus abirent, interceptus est exitus, nec vnquam exeundi facta copia, donec fidum in manus noui Regis obsequium iurarent, & Ladislaus Vissegradum, thesaurumq; redderet. Vi adacti, postulata factitarunt: mox non sine gratia, in libertatem restituti. Pòst vbi satis inter Principes de coronando Vladislao conuentum erat, Vissegradum omnes, ad referandum ærarium, accipiendumque sacrum diadema, concessere. Patefacto ærario, cuncta integra inuenere, coronæ tantùm ab Elisabetha subtractæ, furtũ deprehendere. hinc turba ingẽs inter Proceres oborta, hinc prima perniciosi ac diuturni belli auspicia læua sunt edita, infremere multitudo cœpit, & factionum vulnera, quæ cicatricem dudum obduxerant, recrudescunt: pars Polonica, ad regalem Albam extemplo properandum, Regemque coronandum exclamat: sacrum Albæ diademan on defuturum. Reges, non peregrinæ fœminæ, sed Vngarorum auctoritate fieri oportere. Subticebant præ metu & pudore, quicunque reginam & pupillum diligebant. Nonnulli Reginæ facinus improbare, dicere nec iustũ, nec fas esse, diuinum regiæ maiestatis insigne, per sacrilegium abstulisse, & illorum commisisse manibus, quibus cum Vngaris, non tam antiqua quàm ingenita odia intercessere. Quinetiam multa hinc mala augurari. Quare non sine tumultu, ob indignitatem rei, Albam properatur. Rex cum ingenti suffraganeorum multitudine illuc ducitur, in Diui Stephani basilica, Vladislaum cum maximo plausu ritè coronant: quum vera corona defuisset, quam Regina sustulerat, è simulacro Diui Regis, quod in sacello colebatur, placato numine, præreuerenter diadema sumptum, & re iubente, in coronandum Poloni caput vsurpatum est. Hinc inextricabiles totius Vngariæ factiones exortæ sunt, hinc omnis concordia soluta, extemplo intestinæ discordiæ incessere, simultates & odia instaurantur. Conticuere leges, & conculcata iudicia, prout quenque propria libido tulerit, ita sese gerere, quisque sibi iudex esse, vim, rapinas, homicidia passim agere, inimicitiæ tunc grauiter exerceri: ille magis iniurius haberi, qui minus posse videbatur. Aliena prædia sine pudore occupari, violari templorum iura, nulla denique sacra prophanáve potestas se iniuriis abstinere. Exaggerabat & illud hæc mala quæ diximus, quòd cum armis omnia obstreperent, quicunque se imparem inimico senserat, peregrina auxilia introducebat, quæ vtrunq; pro furoris imperio populabantur. Hi pupillũ reuocare, Polonum illi retinere contendunt. Alteri Alamannos, Polonos alteri certatim inuocant. Barbaram igitur Scythicæ gentis immanitatem, quæ tantopere concordiam & ocium abominatur, diu iste furor exercuit. Et eò vsque (ni mentiar) exercebit, donec se quisque metiri, coercere ambitionẽ, aliena dimittere, inuidia carere, mutuamque concordiam amare didicerit. Sed de his hactenus. E conflatis igitur discordiis, quibus grauiter Vngaria æstuabat, bellum ciuile tandem exarsit. Ladislai partibus in primis hi præerant: Ladislaus Gara, Banatus (vt aiunt) munere insignis, Ioannes Philippus Corogus, item Andreas Bothus ex Harapco vico natus, & Henricus Themasij, Vaiuodæ filius, qui armis, consilio, fortunisque amplissimis, multum ea tempestate posse videbantur. Hi à Polono palàm defecere, & pupilli partes se acerrimè asserturos esse profitebantur. Non solùm à Regina Elisabetha opibus adiuti, verùm etiam suis impensis, haud parum equitum ac peditum inauctorarunt, vt à Sarmatarum seruitute Pannonias vindicarent. In inferiore Pannonia primùm res nouas moliti, ad monasterium Zeghzardom,

zardom, quod sub Batha situm, ad quinque milia passuum prope Danubium, nunc Zeek appellant, prima castra locarunt. Ad coercendam huiusce factionis audaciam, Ioannes Coruinus, qui quum Transsyluaniam prouinciam cum imperio tenuisset, perpetuum Vaiuodatus nomen assumpsit, a nouo Rege decernitur. Nicolaum quoq; Vylach, Makouiensis prouinciæ Præfectum, regnique Bossenẽsis titulo deinde clarum, in hac expeditione collegam sortitus est. Ambo nanque illa tempestate armis, auctoritate, diuitiis, viribusque præpollebant. Quare haud temere ad extinguenda prima formidolosi belli incendia, vtrunque Proceres illico delegere. Quum properatis itineribus ad monasteriũ per-
10 uenissent, vix curandis corporibus vnum diem indulsere, postero prima luce prælium initur. Nondum vtrinq; signa dabantur, quum leui velitatione pugna conseritur: in dextro Coruinus, Nicolaus in sinistro cornu præerat, in medio Polonus erat. Facta repentè pugnandi copia, tanto inter sese impetu concurrẽre, vt non cum propria, sed aliena, vel infestissima gente dimicarent. Poloni, Vngarorum exemplo inanimati, eo vehementius dimicare nitebantur, quo magis verebantur, ne ab his qui parebant, vlla virtute superari viderentur. In tanta igitur certandi pertinacia, Ladislaus Gara, qui in sinistro cornu pugnabat, a Coruino inclinatus, cedere cogitur, & dum manus hostis euitat, fugam præripit: tali facinore suorum mox animi consternantur, cõfunduntur ordines. Henricus
20 & Andreas à Sarmatis inclinati, prospecta Garæ fuga, & confusis ordinibus, pari metu perculsi, palantes fugiunt, relictis quisque castris & impedimentis, in proximas continuò syluas inuolarunt. Per auia loca ferri, disquirere latebras, & varia sese arte tueri: contra illi, ne minore quidem pernicitate a tergo instare, passim insequi atque trucidare. Andreas Bothus, haud parua sæuitia præditus, in fuga cæsus est. Capitur Henricus. Ladislaum Garam, Ioannemque Philippum, quamuis maior corporis moles vtrunque grauaret, dexterior tamen fortuna respexit; cæcum iter ingressi, è tanta strage tandem euasere: quicunq; superfuere, nunquam amplius in apertum certamen descendere ausi sunt. Ioannes autem & Nicolaus victoria potiti, castris impedimentisq; direptis, Simon-
30 thorniam Istro vicinã, & Soclos Drauo proximum, obsedere. Quum nihil obsidendo proficerent, quando validissimo vtrunque præsidio munitum erat, ne tempus in minimis frustra tererent, inferiores oras ocyssimè lustrarunt, & nutantes auersosq; populorum animos ad Vladislai fidem reuocarũt. Reuersi Budam, à Rege ac Proceribus cum magno plausu admissi, & pro dignitate laudati sunt. Dum hæc in inferiore Pannonia gesta sunt, qui superiorem incolunt, ob Austriæ vicinitatem omnes ferè Reginæ partes tuiabantur: in Zaladiensi primùm ora, res nouas moliuntur, vicinos pagos & castella, quæ Vladislao parebant, variis belli incommodis afficiunt, omniq; conatu ad sua finitimos studia reuocare contendunt. Atqui præ cæteris id Thomas Zeech, Dionysij Strigo-
40 niensis metropolitæ frater, experitur: vir bello impiger, animi corporisq; viribus excellens, qui à pupilli fide reglutinari non poterat. Komarom regale castellum cum præsidio tenebat, ad fluuialis insulæ caput situm, neque procul a Strigonio remotum: audito sociorum conflictu, quem à Coruino Nicolaoq; acceperãt, eo magis ad bellum irritatus, finitima cuncta igni ferroq; sollicitat, longè lateq; discursat, prædas ingẽteis agit, pecora cum hominibus abigit, incẽdit pagos, & tumultu omnia complet: eo quoq; sua euecta est audacia, vt Budam despectante Rege sollicitare non vereretur. instructo nanq; agmine, è Strigoniensi arce descendens, quicquid interiacet, id omne populatur & vastat. Quum ad Budam veterem peruenisset, suburbium nouæ Budæ, quod ad Calidas situ est,
50 & Felheuyz nunc Scythicè nominant, nullo metu remoratus adoritur. Ignem in primis ædibus subiicit, obstantes obtruncat, in suburbanos haud parum sæuit. Rapinas, cædes & incendia Rex ab arce despectat, quin & vrbi timet, cuius ab ea parte mœnia tentari prospicit: & illud verebatur in primis, ne qua in vrbe coniuratio foret inita, quæ Thomam propius admouisset. Arcem cum ciuitate, dispositis vbiq; militum stationibus, diligentissimè custodiri iubet. Ex im-

prouiso ad repellendum hostem prodire non ausus, sat se facere arbitrabatur, si ciuitatem protegeret: item ille tot copiis instructus aduenerat, vt non facilè repelli posset. Thomas incenso suburbio, & direpto agro, Strigonium se recepit. Vladislaus autem spectata suorum fide, & profligatis in inferiore Pannonia inimicis, animatus in domitandum Thomam, qui ex his qui superfuerant, formidolosus admodum sibi videbatur, animum aduertit. Conuocato exercitu, Strigonium in primis properat, arcem in edito monte sitam, & Danubio prominentem, obsidet. Vt arctius vrbem occluderet, in monte, qui è conspectu assurgit, & à diui Thomæ ædicula nomen accepit, præsidium imponit, munitiones & tormenta statuit. Oppidani sæpe ex arce prodire, ex improuiso castra adoriri, nonnullisq; cæsis in arcem se recipere: contrà illi, dispositis circùm vigiliis obseruare, prodeuntium coercere audaciam, & mutuis quotidie cædibus sese conficere. Dionysius autem metropolita pientissimus, omni religione, ac vitæ honestate præstans, haud æquis Vngaricum sanguinē oculis indies hinc & hinc effundi despectare poterat: pupilli iura violari ægerrimè ferebat, neque tamen intestinum quotidie bellum augeri facilè tolerabat, in lachrymas effusus, diuinam opem implorabat: ad postremum, communis huiusce calamitatis impatiens, ad Vladislaum in castra cum literis puerum mittit, quibus de cōcordia agendi copiam postulat. Rex pari pietate decertans, æquissima postulata non abnegat: postero die per internuncios res agi cœpta, tertio intercedente, pax transacta est. Vladislaus pacatis hic rebus, in conuentum Zaladiensem, quem à se defecisse nouerat, castra mouit: duo ibi castella expugnauit, quæ impositis Alamāni præsidiis, pertinacissimè tutabantur, quorum Pakan alterum, alterum Kigios vocitatum. Receptis igitur his locis, & pacata prouincia, ouans Budam rediit. Ne insignia quidem incommoda, calamitosasq; rapinas prætermittendas esse censui, quæ his quoque temporibus, in variis Vngariæ locis, à finitimis exercebantur, atque in annos circiter octo & viginti deinde continuatæ, ad Matthiæ vsq; Regis tempora perdurarunt. Dum hæc à Vladislao in Pannoniis agebantur, in vlteriore Vngaria, externorum latrociniis & rapinis omnia miscebantur. Elisabetha nanque Regina, Giscræ Boemo, nobili Brandorum genere nato, viro impigro ac forti, assiduoque bello exercitatissimo, alioquin plus æquo cupido obnoxioque rapinis, Zolium oppidum regale, cum appendicibus, secundùm Alberti Regis obitum dono dederat. Adiecerat quoque huic Cassiouiæ vrbis, montanæque prouinciæ Præfecturam, vt hominem, quem consilio, armis, & auctoritate haud parum in Boemia posse nouerat, hisce sibi officiis obligaret, eoque vehementius in pupilli sui tutelam obstringeret. Is quum Vngariæ Proceres mutuis inter se iniuriis, ac intestino bello decertare sensisset, nactus ad explendam cupiditatem tempus nimis idoneum, vicinas Cassiouiæ regiones, ac vniuersas superiores Vngariæ oras incursat, pagos incendit, agrum latè populatur, prædam vndique ingentem congerit, iuxtà in homines ac pecora sęuit. Eos præ cæteris graui bello sollicitat, quos aduersæ factionis esse acceperat. Quoscunq; nobiles, pupilli partibus infestos, per delatores esse cognouerat, igni ferroque lacessit, atque vt initum tutius bellum aleret, externum militem conducit, facinorosa quoq; gente complet exercitum, quæ raptu victum trahere consueuerit. Ast vbi satis audaciam suam muniuisse ratus est, aperto cunctos aduersantes Marte lacessit, vicos incendit, multa vi oppida capit, quin etiam & aliorū suo scelere audaciam auget. Hinc Pancratius Lypthouiensis, hinc Petrus Camorousius, itē Axamythus, Telephus, & Ribaldus, Cherzecus, Vricus, Zlonacchus, & cum his præterea magna Polonorum Sclauorumq; manus, & gregariæ militiæ multitudo, prædæ cupiditate allecta, cōfluxit. Multas in regno munitiones, temporariasq; castella construunt, impositisque præsidiis, agros latè discursant, populanturque. Tumultu & terrore omnia complent, quicquid ex intestino superfuit, peregrino bello absumptum est. Eoque ærumnarum redacta fuit Vngaria, vt suorum externorumq; rapinis pariter afficeretur plebs & rusticana multitudo, neque quotidianis vectigalibus, neque crebris rapinis spoliisque

pacem

pacem ociumq́ue mercari poterat:ad extremam tandem redacta calamitatem, deſertis vicis oppidiſq́;,in ſyluas & antra ſe receperat,diſquirebantur latebræ,& in luſtris,ferarum more,multi deliteſcebant,aſſiduis nanque cædibus & incendiis cuncta paſſim abſumebantur. A Carnis autem & Noricis ,ne qua pars igni, in tanta perturbatione terroreq́ue ceſſaret,Vlricus Ciliæ Comes,Reginæ Eliſabethæ (vt ferunt) auunculus,Pānonias bello nequaquam inferiore ſollicitat.In omnes optimatum nobiliumq́ue pagos & oppida,qui Ladiſlao nepoti refragari dicebantur, vſque adeo ſæuit, diripit,ac vaſtat omnia, vt cum prophano execrabiliq́ue hoſte rem agere videretur. Vicos & caſtella paſſim incendit, pecus hominemq́ue iuxtà abigit,nullum inferendi terroris modum prætermittit,quo magis nobilitatis & plebis animos,à Vladiſlai regis fide abalienet : quin & finitimos omnes in Vngaros irritauit. Verùm haud ab re fore duceremus, ſi prius quàm Coruini bella, quæ cum Turcis ille varia fortuna geſſit, attingeremus, & ea quæ intra regni fines geſſerit, breuiter enarrarentur. In primiſq́ue quid cum Giſcra fecerit, à quo bis victum Pius Pontifex fuiſſe ſcribit, exponeretur. Sed quum ratio temporum his congruere minimè videatur, hunc ordinem, vt quo tempore,quæ geſta ſint,referantur,intercipere cogimur. De Turcarum igitur bello agendum,quod altiuſculè repetendum eſt. Eodem ferè anno , quo Rex Albertus vita deceſſit, Amurathes Rex Turcarum,æſtuante Pannonia,ſuperiorem Myſiam,quam Raſciam nunc vocant,occupauit, quod haud difficulter aſſequi potuit.Nam rebus Vngaricis ad interregnum redactis, deinde duplici factione , & inteſtino bello admodum laborantibus, eiecto Georgio Principe,& obuerſante nemine,id ſibi non prius ſperare, quàm præſtare licuit. Myſia potitus,ad inuadēdam Vngariam animum appulit, quod ex inteſtinis regni diſcordiis audere facilè potuit,in primiſq́ue AlbamGręcam,Taurunum prius dictam & ad Danubij Sauique confluenta ſitam , obſedit. Arcem cum præſidio Ioannes Aurane militaris antiſtes, vir bello impiger & clarus , tenebat:hic Matthiæ Croaciæ Bani frater,& è patricio Raguſinorum ordine natus erat.Hanc ſpectatæ virtutis magnanimitatiſq́ue familiam,Sigiſmundus Imperator,ob rem bene geſtam nimis extulit,omnibuſq́ue honoribus excoluit.Quum aduētantem hic hoſtem proſpexiſſet,ex vrbe occurrit , & tumultuario certamine vſus , quum ſe Turcæ imparē intellexiſſet, illico rediit,miraq́; diligētia muniuit vrbem. Contrà hoſtis pro virili parte mœnibus appropinquare , ſtationes circùm diſponere, tormenta propius bellica admouere, occludere ciuitatem , & quàm grauiſſima poteſt obſidione coercere. Ne minus quidem impigrè oppidani cūcta intus curare,vigilias agere intentiſſimas , & ex improuiſo in caſtra erumpere,cæſiſque nonnullis intrò ſe recipere, atque ita conatus hoſtis eludere. Quum Amurathes crebris ſuos eruptionibus haud mediocriter infeſtari cerneret , illorumq́ue cædem indies augeri,eo magis inſtat, & ad prælium irritatur. Intendit machinas,mœnia & propugnacula pertinaciſſimè quatit,turres nonnullas proterit , multi quoque è propugnatoribus quotidie interficiuntur. Quaſſa indies mœnia aliqua ex parte labaſcunt, obſeſſis nihil quietis datur, quippe qui interdiu vrbem protegunt,fractos noctu muros reſarciunt,egeſta terra , fimo, & pecorum excrementis aggerem lignis circùm munitum ducunt, eoque magis hoſtis laborem ac ictus eludunt. Sæpe vſque adeo irritati ſunt vtrinque animi,vt ſcalas hi muris admouerent,ſubeuntes vrbem cominus oppugnarent , onerata hoſte mœnia ſuſpicerentur: contrà illi qui audaciam ſilentio fecerant , mox inſurgere,cum ſecuribus excutere , cōflatam picem ac ſulphur in eos demittere, apum in hos examina iaculari,vt aculeis competiti,grauiter angantur:item claua,enſéve deturbare muris,deturbatoſq́ue ſaxis illicò conterere,ingentem demum patrare ſtragem videbantur. Quum vno atque altero prælio ſe nihil proficere Turca intelligit,ad machinarū ſpem continuò redit,vrbem grauiùs quaſſare non ceſſat, clàm ſæpe muneribus & promiſſis oppidanum tentat. Obaudit ille, acceptis quandoque muneribus,& promiſſa irrita præſtat,& exteriore muro ne ſatis quidem fretus, intus foſſam & aggerē altiorem obducit. Quinetiam

dirempta dudum hostis oppugnatione, ex insperato prodit ex vrbe, Incautum militem adoritur,& antequam è suscitato tumultu expedita acies cogatur, grauis interim clades infertur. Elusa hucusque opera Turcarum Imperator, antequam cœptis absistat, nil intentatum dimittere decreuit. Nouas artes excudit, quando facilè intelligit, capta repentè Alba, patentissimum sibi Pannoniarum patêre aditum, quare multo vehementius ad expugnandam vrbem incenditur: eam adactis clàm cuniculis occupare cogitat. Ad secundum lapidem monticulus assurgebat, à cuius tergo omnia clandestinè fieri poterant. Continuat igitur obsidionem, ex inita parum oppugnatione se remittere simulat, & si quid remittitur, id non nisi ex ingēti labore fieri ostendit. Mox cuniculorum opus inchoat, viginti hominum milia operi destinata, fossam in antri speciem exordiuntur, die noctuque suffodiunt: quo suffossam cautius terram egererent, maximum iumentorum numerum adiecere, addidere camelos, asinos & onagros, & dum vecturam commeatuum simulāt, egestam terram subuehunt, subuectamque mox in proximum fluuium demergunt. Has oppidani insidias nequaquam sentire, præ montis oppositu nihil prospectare. Iam illi ad mœnia cuniculos continuato labore propè subduxerant, nec adhuc Turcæ dolos miseri intellexere, fossa vsque adeo patens, vt quaterni equites facilè subequitarēt. Interim immitissimi hostis consilium à diuina benignitate intercipitur, ne vnicum Vngariæ propugnaculum, quæ sola per tot annos pro Christiana republica cum fera gente dimicauit, in perniciem fidelium expugnaretur, indicatur facinus. Nomen indicis & modus ignoratur, aliqui à Christiano milite, oppidanum quendam admonitum fuisse memorant: breuem epistolam sagittæ alligatam, immissamque mœnibus rem patefecisse alij prodidere. Præfectus Albanæ arcis admonitus, veluti in re tali fieri solet, extemplo alteram contrà molitur: interdiu ac noctu, Turcarum cuniculis occurrere cōtendit. Quem vbi appropinquare sat certo comperit argumento, fossam quam ipse fecerat, nitro, sulphure, sarmentis, aliisque concitatissimi alimentis incendij repentè compleuit, muro crassissimo mox ad initium occlusit: foramen duntaxat angustissimum, ad obstrictum aditum relinquitur, vbi admoto tempestiuo igni, succensaque materie, cæcus hostis absumi posset. Ioannem haudquaquam spes sua fefellit. Nam vbi hostilem fossam cum sua intra mœnia congruisse per exploratores intellexit, ignem repentè per foramen immittit, grauissimum intus incendium concitatur, & quū exhalare non posset, atro cuncta fumo compleuit: homines cum iumentis, partim igni, partim fumo absumpti. Congesta nanque multitudo, ac cæcitate obsita vna miscetur, mutuoque impedimento confunditur, neque cedere, neque egredi nouit, in communem quisq; perniciem festinat. Nam vbi à penitiore parte tumultus obortus est, quicunq; penes aditum versabantur, intonāte clamore, insiluerunt: occurrêre egredi conantibus, & dum mali causam scire contendunt, moribundam multitudinem sistunt, cameli, asini, equique clamore perculsi, fugientes remorantur, & impediunt. quare præter iumenta, septemdecim hominum milia in cuniculis interiere. Amurathes cōsilio suo frustratus, quum enectam in fouea multitudinem efferri imperasset, spectata suorum strage, grauiter indoluit, cum dira sibi gente rem esse sensit. Præter hæc, in vrbis oppugnatione, octo circiter hominum milia desiderata sunt. Postquam se nihil septem mensibus proficere potuisse cognouit, obsidionem illico soluit, ab alia Vngaros parte sollicitandos esse intellexit. Relicta Mysia, ad instaurandum exercitum, & comparanda supplementa in Macedoniam & Thraciam hibernatum se recepit. Et Ioannes Ragusinus, ob Albam strenuè defensatam, perpetuam sibi domuique suæ laudem comparauit. Vnicum illa tempora virum protulere, Ioannem Coruinum, de quo suprà dicere occœperamus. Quo quidem, si in tanta rerum omnium perturbatione caruissent, nemini profectò dubium est, quòd iam diu non solùm de Pannonibus, Noricis & Germanis, verùm etiam de vniuersa Christiana republica fuisset actum. Hic regni & orthodoxæ gentis propugnator fuit acerrimus, Turcamque non modò intra fines coercuit, sed variis cladibus

bus affectum, ad reddendam Georgio Mysiam(vt suo loco referetur) sanè perpulit. Quare nō multo pòst tempore,quum spectatæ fidei ac virtutis esset, præter Transsyluaniç prouinciç gubernationē,quam cum imperio tenebat,ob rem bene gestam,Seueriensis,Themesiēsisq; oppidi præfecturam sortitus est. Nam quum hæc loca Turcis essent exposita, ad inhibendum durum hostem,inferioris Vngariæ oris præfectus est. Ne virum quidem latebat,se talem prouinciam fuisse sortitum,in qua virtutis suæ periculum, & perpetuum laudis monumentum futurum erat. Succurrebat amor patriæ, & præsentis exitij metus,quæ virum vehementer angebant. Vngari,ob intestinas discordias,dum mutuis cædibus & rapinis libidinem suam explerent, neque patriæ,neque imminentis mali curam agebant, atq; propriæ salutis immemores, nil pensi habebant. Turcæ, quàm ciui, cedere malebant. Quin etiam eo furoris & væsaniæ tunc Vngarus euectus erat,vt grauiores ciuis,quam Turcæ reputaret iniurias. Exin verò Amurathes, qui tantam opem hominumq; iacturam in Albana obsidione fecerat,ne tantam præteriret occasionem, quacunque licet parte regnum incursat: nunc ad Tibiscum vsque vlteriorem Danubij partem populatur,pagos comburit,homines ac pecora abigit,nūc quicquid Sauum Drauumq; interiacet,vastat ac diripit.Hinc & hinc senes & iuuenes, mares & fœminæ cum pueris, in perpetuam seruitutem abducuntur, & proceres Vngariæ intestino bello correpti, nondum resipiscunt. Solus Coruinus reipublicæ charitate percitus, tot malis occurrit,profligauit Turcos,regnumq; pacauit. Nos autem, qui tanti viri gesta scribimus, non quotidianos congressus, sed insignia quædam bella, memoria perquàm digna & potiora, referemus.Minoris autem momēti certamina, quæ latrocinia potius,bellique simulachra,quàm verè fuere prælia, silentio præterire duximus.Duo eodem tempore duces impigri, in finitimos cōuenere locos: Coruinus Inferiorem Vngariæ:contra Isach Rasciæ ac Mysiæ superiorem oram tuebatur. Alter Themesum,Sinderouiam alter,gubernare.Hic, consilio & virtute maior:ille,audacia & calliditate potior: laudis & victoriæ vtriq; par amor. superiorem Mysiam,& non mediocrem Daciæ partem tenebat Isach.Vt gratiam ab Amurathe longè maiorem iniret, sub quo munera quoque maxima gesserat,ad propagandos hic imperij fines,omnes animi neruos intēdit. Albanum agrum,quem Taurini quondā incoluerant, vastare statuit, vt coloni desperatione adacti,emigrare cogerentur:& Albam demum,quam Imperator expugnare nō poterat, ad extrema redactam occuparet, quo faciliùs deinde Pannonias adoriretur.Quacunque potest arte, Coruinum suis consiliis obstinatissimè aduersantem,sollicitat:modò in eius prouinciam excurrit,modò varias dum prędari cupit, insidias intendit. In vias omnes consilia versat, quibus prudentissimum fortissimumque hostem circumueniat. Albanum igitur agrum in primis adoritur,pagos diripit, incendit, ingētem hominum pecorumque prædam abducit.Populata circùm regione,suburbana inuadit,vnde ægrè reiectus est.Quū circùm latè igni ferroque grassantem Coruinus æquo animo tolerare non posset, coacto clam valido equitatu, nonnullisq; cohortibus, & accito collega suo Nicolao Vilacho, Danubium traiecit,& inter Albā & Synderouiam castra posuit, septuaginta stadiorum interuallo seiunctas. Occurrit extemplo Isach auidissimus, cum ingenti copiarum multitudine, ne, lacessitum tot iniuriis & occursionibus,hostem reformidare videretur.Data pugnandi copia prælium detrectare non ausus, extemplo in medium instructā aciem educit:id ipsum quoque facit Coruinus.In primis duas vexillationum alas intēdit ad vtrunque cornu,post hęc cataphractos equites collocat,quibus hippobalistas subiicit,in medio agmine milites grauis armaturæ,ferentarios sagittariosq; statuit. Cataphractorum quoq; munit equitatu, subsidia his fortissima subnectit, præsidiū etiam statuit validissimum.Mox pugnæ signum dari iubet,ac ea mente certamen ado ritur, vt aut gloriosam victoriam,aut pulchram mortem tandem sortiatur. Collatis vbi signis concursum est, grauis & pugna cruenta conseritur:cum ingenti clamore, Turcę pugnam ineunt,quam si non bene succedere sentiūt,mox præ-

lium detrectant, alæ continuò ab his inclinatæ: at vbi ad cataphractos peruentum est, eorum impetus illico sisti cœpit: pertinaciter hîc aliquandiu vtrinque pugnatum. Oppetiere hinc & inde multi, sed quum hi robore, agilitate illi obniterentur, in confertissima pugna Turcæ proteruntur. Oritur hic magna cædes, quam quum Isach intellexisset, obstinatioresq; Vngarorum animos in horam ferè conspicaretur, Sinderouiam versus fugam rapit, vt suæ ac cæterorum qui superfuerant saluti consuleret. Vertente terga duce, id ipsum reliqui fecere. Contrà, à tergo instare Vngari, Ioannes præ cæteris ocyus insequi, multos in fuga cædere, exemplo suo cæteros hortari, optimi Imperatoris ac fortissimi militis vno eodemque tempore officium præstare. Ad Sinderouiæ vsque suburbia petitus est hostis, pauci è Turcis euasere, cæteri partim capti, partim trucidati sunt. Impedimenta, & multa hinc relata sunt spolia. Coruinus tandem insigni victoria potitus, cum ingenti prȩda & captiuorum numero, Albam rediit, & cumulatas pro illatis iniuriis, à Turcis tunc pœnas exegit. Isach prægustata Coruina virtute, in posterum se longè modestiùs egit. Magna hinc nominis Ioanni fuit accessio: nam vbi de Turcæ clade Budæ significatum est, ne parua quidem omnes lætitia incessit, in primisque Vladislaum Regem, qui acceptis de victoria literis, diis immortalibus repentè supplicationes instituit, longaq; Ioanni epistola congratulatus, multis laudibus, amplissimisque donis, ad cōtinuandum hoc bellū planè succendit. Hinc ille maiores extemplo animos concepit, quod eo lubentiùs facere videbatur, quia tam sanctam expeditionē sortitus erat: qua non modò fortunarum incrementa, perpetuamque apud posteros immortalitatem, sed solidam animi beatitudinem hinc sperare fas esset.

RERVM VNGARICARVM DECADIS TERTIÆ LIBER V.

DVM hæc in inferiore Pannonia Mysiaque geruntur, Boemi quoque fluctuare non desinunt. Postquam Georgius apud eos principatum adeptus est, tantum sibi virium cōflauit, vt è proceribus nemo publicè priuatimve huic auderet aduersari: quin & Senatoribus formidolosa viri potentia, liberè loquendi potestatem ademerat. Quisque hunc vulgò laudare, approbare certatim eius gubernationē, item publicè assentari, omnia ad nutum eius facere, demum impensiùs orare, ad Cęsarem oratores mitteret, per quos pupilli tutelam impetrare niteretur. Nihil ad hæc fore reipublicæ salubrius, quàm hunc fieri Gubernatorem, immo perpetuum Dictatorem. Quæ si Cæsar abneget, dicere, nil vltrà cunctādum, quin regem alium creandum curent. Regnum tantæ molis, absq; Rege, optimóve Gubernatore, cui summa reipublicæ tradatur, esse non posse. Huius duntaxat temporibus procellas publicas desedisse. Hæc Georgius, quamuis ingrato haud parum animo acciperet, assentanti tamen populo, cuius auram affectarat, obstinatiùs aduersari, & ista confutare non poterat, ne popularia à se studia declinaret. Ad Cęsarem oratores misit, qui quum mandata diligenter exposuissent, nihil impetrarunt: quinetiam id ipsum multis legationibus à Boemis postulatum, nunquam impetrari potuit. Veniebant sæpe ad Cæsarem nonnulli è Boemis Optimatęs, qui sub officij prætextu, visendi populi gratia, Cæsaris aulam frequentabant: in primisque Georgius, cui Giscræ cognomen erat. Qui nō multo pòst tempore, Ioannem Coruinum insigni clade fugarat. Polonos sæpe Cassiouianum agrum inuadentes, acie fuderat, aduersæque factionis Vngaros, magnis cladibus & detrimentis affecerat. Is vbi in Ladislai conspectum admissus est, in lachrymas confestim effusus, manum infantis præreuerenter apprehendit, & exosculatus: Video te tandem (inquit) teneoque mi Rex exoptatissime: quem nondum hæc ætas spectatissimam tuorum fidem agnoscere patitur: vtinam quæ pro te pericula subiui, quibus me laboribus exposui, quot aduerso pectore vulnera toleraui, & cognoscere, & amorem tui militis intueri posses. Hæ testimo-

testimonio cicatrices sumptæ. Quam tibi nunc, & patri quōdam tuo, vitam deuoui, in tuo vniuersa seruitio expendetur. Nullum periculum, nulla vis & fortuna, meum a te animum alienabit, seruitutem meam sola mors intercipiet. Tu autem domine, quæ dicimus, per infantiam non intelligis, subrides tantùm, & intentus audis. Veterano tandem militi, tot laboribus iam affecto, quæ præmia polliceris? quæ stipendia solues? Ladislaus ad hæc nondum sextum nactus annum, ne indonatum militem dimitteret, huc & illuc oculos obduxit: Ioannis, qui ærarij quæstor erat, loculos raptim apprehendit, & sex, quos ibi nummos inuenit, non sine multorum qui aderant principum admiratione, depromptos, Giseræ dono dedit. Fausta infantis indoles, hæc prima futuræ liberalitatis signa edidit. Gisera susceptos cum maximo plausu nummos, aurata & gemmata bulla recōditos, sibi è collo suspendit, atque id regiæ gratitudinis monumentum perpetuò gestauit. Quare, diu inter Cæsarem & Boemos de Ladislai tutela, laboratum est. Sed interea quid in Vngaria belli gereretur, considerandum est. Despotes Georgius, Mysia à Turcis exactus, post Sigismundi mortem, ob grauissimas Pannoniæ discordias, cum Lazaro filio ac fortunis omnibus, Ragusium se receperat: ratus in libera se ciuitate, liberè victurum. Multum secū auri gemmarumq; portarat, quando opulentissimo auriferoq; regno, diu quietè potitus erat. Quinquies centena aureûm milia, in Ragusinorum ærario, quo tutius asseruarentur, recondidisse ferunt. Quum veluti è naufragio in portū, se huc confugisse intelligeret, securam vitam agebat, ocioq; ciuili, omnem regni iacturam facilè consolabatur. Dum in hac trāquillitate versatur, ecce ad Senatum Amurathis literæ mittuntur, quibus Ragusinos hortatur, oratque, vt Georgium sibi tradant, eius opes fortunasque retineant: nil præter hominem aliud exposcit: vt cum filiis & regno, patre quoque potiatur, pro beneficio perpetuum se cum Ragusinis ocium fœdusque continuò initurum pollicetur. Recitatis in Senatu literis, quum patres dicere sententias iubentur, vnico omnes consilio, Barbari facinus abominantes, nullo auariciæ scelere, Ragusinæ reipublicæ dignitatem incæstandam esse, censent, neque hospitij fidem cuiquam violandam. Georgium extemplo in Senatū acciri iubent, qui quum ocyus adfuisset, auditis Amurathis insidiis confestim expalluit: quod quum senatores intellexissent, eum bono animo esse iubent, omni principem suspicione liberant. Quum se aliquātisper ille collegisset, ne cuius cum profana gente belli auctor esset, propediem se abiturum esse recepit: dimissus à Senatu Hirenem coniugem, Imperatorisque Palæologi sororem consulit, vtro potius ad declinādas Turcæ insidias, an in Pannonias, an Constantinopolim fugiendum esse videatur. Hirena ad Græcos suadet, ad Vngaros contrà, vnde profectus erat, & quorum olim fidem exploratam habebat, eius animus hortabatur. Filiorum cæcitatem nondum acceperat, quos Turca non modò captiuitate, sed perpetua quoque ciuitate mulctauerat. In Vngariam tandem regnante Vladislao reuersus, opes secum cunctas retulit: ratus Pannonicis (vt obtigit) auxiliis, amissum se regnum facilè recuperaturum. Venit in Pannoniam, & in sua oppida, quibus à Sigismundo quondam donatus erat, se recepit. Ad Vladislaum, qui congratularentur, obsequiumque deferrent, Legatos misit. Quum Budam paulò pòst ipse venisset, à Vladislao magnificè exceptus, icto perpetuæ societatis fœdere, à rege cæterisque Proceribus admodum obseruatur. Audita Coruini victoria, spes recuperandæ Mysiæ redintegratur, & indies in tanto bellorum successu, quæ prosperè Ioannes agebat, augetur. Vix pauci menses intercesserant, quum Turca in Transsyluanis oris bellum instaurarit, quod quum nimis memoratu dignum sit, ritè referendum esse duximus. Post superiorem Ioannis victoriam, non multo pòst temporis interuallo, altera longè clarior, in Transsyluana prouincia successit. Turca enim quum duplicem in Albano agro cladē accepisset, ne Vngaro cessisse videretur, quam optima legionibus supplemēta reparasset, bellum in Dacia renouat. Mezethum ducem, spectatæ virtutis & prudentiæ, item rei bellicæ laude non obscurum, cum magno exercitu clàm per Transalpinam regionem, Trāssyluanam

prouinciam inuadere iubet. Dux impiger, primo quoque tempore Mysia profectus, traiecto Danubio, imperata facit. Ex improuiso Coruini prouinciam adoritur: quæcunque sibi obuia sunt, proterit, diripit, & incendit, palantes mox omnia populantur equites, in omnemque passim ætatem sæuiunt, tumultu & terrore omnia complent. Ioannes Coruinus, qui paucis antè diebus in prouinciam venerat, audita Turcarum eruptione, quum grauissimum validissimumq; hostem, nec inhibere, nec in tanta militem trepidatione citò cogere posset, angebatur miserè, ac diuersus trahebatur. Ad Albam tandem Iulam confugit, vbi Georgium Lepen Episcopum, summa virtute & grauitate virum, veterique secum beneuolentia coniunctum esse nouerat. Dum cum amico de tumultuario exercitu decernit, iam hostes appropinquabant, qui lustrata maxima prouinciæ parte, tantum prædæ congesserant, & tantum hominum numerum in captiuitatem planè contraxerant, vt cunctatiùs iter facere cogerentur. Quum ex vrbe circùm incendia prospectaret, eo miseriùs ad pugnam succendebatur. Par quoque Pontifici erat animus, quando pietate, religione, vastatione agri, hostisque sæuitia nimiùm cruciabatur. Quanquam imparibus Turcæ virib. occursurum se vterque intelligeret, pulcherrimè tamen mori, quàm prouincialium cædes, calamitates & miserias tolerare maluit. Ast vbi in iras ambo excanduere, cum eo quem pro tempore cogere potuerunt, exercitu, obuiam prodeunt. Incauti præ nimia vlciscendi libidine iter faciunt, neque speculatores, neque celeres equites præmittunt: sed quadrato agmine, ad diui vsque Emerici villam perueniunt. Callidius rem hostis egerat, in proximas, quæ circumsidebant conualles, equitatũ dimiserat, insidias circùm clandestinas intenderat: quum ad insidiarum locum Vngaros peruenisse sensissent, qui in conuallibus delituerant, ex improuiso consurgunt, ingentem in eos impetum faciunt, quem tympanis & clamoribus iuxtà augent. Ioannes, & Episcopus, spectata circùm multitudine, consternati, ne temere impunéve omnes occumberent, retrò fugã rapiunt. Contrà illi, à tergo instant, quoscunque adhibent, capiunt, & obtruncant. Cæteri fuga sibi salutem comparatunt. Pontifex, quum palantes omnes fugerẽt, pari se pernicitate seruare contendit, ad riuum peruenit, quem dum transilire conatur, equo confestim excutitur, & ab impetente mox hoste obtruncatur. hunc Pontifex exitum sortitus est, ne martyrij palma careret: sui equites cum cætero peditatu, incolumes se Albam recepere. Mezethi nimis animos eius fatũ adauxit, neque tamen Coruini fortitudinem depressit, alter tutiùs latiusq; vagari, & reliqua quæ supererant loca igni ferroque vastare pergit. Nil vltrà veretur, impedimenta ac spolia quæ acceperat, cum curribus & essedariis seorsum seruat, vt integra ad Imperatorem, in præclarum victorię monumentum referat alter, interim oras prouinciæ, mira celeritate & cruento ense perlustrat, militem ex pagis oppidisque cogit, Scytulos arma capere iubet, pro cõiugum salute, paganos æquè ac vrbanos omnes publico edicto militare imperat. Necessitate adacti omnes iussa faciunt, ne cum liberis & vxoribus perditum eant. Turcam deinde populata prouincia, insolentiùs abeuntem, cũ tumultuario insequitur exercitu, vt vbicunque tempus locús ve occasionem obtulerit, hostem intercipiat. Interea Mezetho nunciatur, Coruinum cum ingenti multitudine nõ procul subsequi: hæc illum nuncio respõdisse ferunt: Veniat (inquit) & opulẽtiorem quàm antea victoriam relinquat. Aderat quum hęc dixit, quidam Ioannis explorator, & quæcunque subinde cum sociis Mezethus, de ineundo cum hoste prælio decernebat, subaudiuit: illudq; potissimum accepit, Turcam suis imperasse, vt inita statim pugna, quibuscunque id negocij mandatum erat, Coruinum circumuenirent, ac trucidarent, vt cæso duce, faciliùs cæteri profligarentur: signa, quibus virum & equũ dignoscerẽt, certa dedisse. Quum hæc explorator auscultasset, se clàm subduxit, ad Ioannẽque recurrens, rerum omnium eum admonuit, atque illud in primis, vt sibi præcaueret, quando symbola sat explorata congruaque, ipsius & equi, haberet hostis: idque peculiare negotium veteranæ legioni mandatum, vt eum tantùm trucidandum curaret. Edoctus Vaiuoda, saluti primùm

[illegible] suæ animum intendit: præsentaneumq; fortè consilium occurrit. Erat simi[illegible]les quidam, è Kemenia nobilitate editus, cui Simon nomen erat, Coruino persimilis, alioquin vir fortis & impiger. Cum hoc equum armaq; commutat, & in validissimo statuit equitatu. Suppositus pro Coruino Simon, periculum non detrectat, & suæ mortis conscius, pro amico mori non recusat, vt fato suo liberatorem reipublicæ conseruare videretur. Mox procedentem ille hostem sequitur, & nunc à latere, nunc à tergo conserendæ manus occasionem quærit. Antequam prouinciæ fines attingat, in quodam vico, ex improuiso Turcas adoritur, tantoq; in illos impetu fertur, vt aciem disponentes, continuò dissipat.
10 In valles collesq; diffusi, pertinaciter se conuertunt, confuso bellum ordine geritur, multum vbique sanguinis hauritur. Sed quando non par vtrisque belladi causa fuerat prælium. siquidem hi pro patria, liberis, aris, ac focis: illi, prædæ commodis allecti, dimicabant: ex hoc f[illegible]um est, vt imparibus quidem animis viribusque pugnare viderentur. Quanquam vtrinque multi caderent, è Turcis tamen plures cecidere, dum pari vtrinque pertinacia dimicatur. Turcæ, spectatæ fortitudinis ex composito Simonem, Coruina arma ferentem, circumueniunt: quem dum trucidare contendunt, cataphractorum obfirmatum equitatu, haud facilè attingūt: quare penes eum multi oppetiere. Demum, vt ducis mandata peragerent, cæsis qui Simonis latus tuebantur, & intentis multorum in e-
20 um viribus, tandem interficiunt, & spe sua falsi, pro Imperatore, suppositum equitem trucidarunt. Interea Coruinus hac & illac discursabat, socios hortabatur, ne imminentem victoriam desererent, ne tot dudum cædibus incendiisq; grassatos hostes, inultos dimitterent: reputarent se inter pugnandum in suis dexteris liberos & vxores habere, diuum hominumq; iniurias vno bello vlcisci oportere, modò nutantes confirmare subsidiis, modò fugientes in præliū reuocare, & Imperatoris æquè ac militis optimi officium implere nititur, & prout res ipsa postulabat, vtroque fungi. Commutatio armorum, quū patriæ, tum sibi salutem attulit: si exploratoris consilium cōtempsisset, eo die de prouincia fuisset actum. In ardentissimo bello, quum ex altera parte fortuna parum variare
30 videretur, & extremis vtrinque viribus pugnaretur, prouinciales, qui ad Emerici villam capti fuerant, & in castris seruabātur, quum mori quàm in seruitutem abduci mallent, rati eo tempore non vltrà cunctandum, fractis vinculis, in Turcas arma sumunt: intestinum prælium ineunt, custodes obtruncant, mox in pugnam animosiùs prodeunt, suis animos addunt, adimuntque hostibus. Turcæ, qui amissa dudum spe victoriæ, ad tutanda corpora animos conuerterant, intellecta captiuorum seditione, sæuoq; certamine, sensim & gradatim inclinantur: contra illi, aspirante paulatim fortuna, multo vehementius certamen instaurār, & audita captiuorum virtute, obstinatissimè certare cōtendunt. Dum laborantem vbiq; suorum aciem Mezethus intelligit, consternatur animo, & quum an-
40 ceps aliquantisper duceretur, partim inclinatas, partim fugientes subinde copias, conspicatur. Ad hæc omni spe destitutus, vt saluti consuleret, ipse quoque in fugam cum equitatu suo conuertitur. Sæuiūt à tergo Vngari, & palātes cædunt, Mezethus cum filio, dum spem omnem in fuga collocat, intercipitur, obtruncaturq;: sociorum innumera multitudo cæditur. Quum rumor, cum filio Turcarum ducem esse cæsum, effunderetur, redintegratis in pernicitate viribus, stragem adaugent. Coruinus tandem insigni victoria potitus, quamuis hostem recuperata præda, castris & impedimētis exuerit, vt ad internecionem cædere videretur, nihilo tamen segnius ad Alpium vsq; iuga, diebus aliquot eos insequitur, multi in longa fuga deprehensi ac cæsi sunt: quin & prādente sæpe duce, ad-
50 d[illegible]i in medium Turcæ, & gladio certatim à militibus discerpti. In Alpibus, ad [illegible]signis victoriæ monumētum, trophæa statuit. At postquam ouantes omnes in castra rediere, cum maximo plausu Coruinus excipitur, captiuorum multitudo ad eius genua prouoluta, in agendæ gratiæ speciem, pedes amplexatur: aliqui [illegible]rem patriæ, liberatorem prouinciæ: nonnulli milites, inuictissimum Impera[illegible]em: captiui, libertatis vindicē; mulieres seruatorem pudicitiæ: pueri & ado-

lescentes, parentem pientissimum appellare: nulla tamen in tot faustis cognominationibus vox audita, quæ merito omnium iudicio, virum illum sanctissimum non addecere videretur. Cōtrà ipse, profusis lachrymis, omnes amplexari, congratulari publicæ saluti, modò diuinæ benignitati ingentes ex corde gratias agere, & supplicationes oppidatim edicere: modò robur militum, & populorum virtutem obsequiumq; laudare, Procerū sigillatim fortitudinem prędicare, extollere magnanimitatem nobilium, & singulorum in præclaro bello gesta commendare. Turcarum spolia, partim diis immortalibus dicauit, partim militibus distribuit. Christo demum optimo maximo, vt immortales gratias in supplicationibus agerēt, & apud omnes aras rem diuinam facerent, impensiùs prouinciales admonuit: è manubiis, non multò pòst, templa in prouincia statuit. E Turcis viginti hominum milia cæsa sunt, ex Vngaris tria circiter milia desiderata. Tantum ex hac clara victoria, Transsyluanis animorum accessit, vt multos Turcam annos non expauerint. Illud quoq; commodi non mediocris, ex hac victoria prouenit: nanque Valachi, qui Transalpinas oras Moldauiamque incolunt, Getarum olim regionem, & à Regum Pannonię fide desciuerant, cum Turcaq; fœdus iniuerant, ad pristinum omnes obsequium, Coruini opera & auctoritate, rediere: quod Amurathes Turcarum Rex tam ægrè tulit, vt nunquam quieuerit, donec longè grauius in Dacia, quemadmodum infra referetur, bellum instaurarit. Ioannem insuper Coruinum (aiunt) ne tam insignis victoriæ primitiis, & parte legitima prędæ regem defraudare videretur, amplissimum capitib. hostium, & exuuiariis militaribusq; signis, currum onerasse: Mezethi, filiique caput, in fronte: super hæc senem quendam Turcam, Despoti olim notum, statuisse: eum deniq; currum, onerarium fuisse, quem vix decem equi traherent: misisse hunc ad Vladislaum Regem, Georgiumq; Despotem, qui vbi in conspectu constitit, senem ex mandato hæc verba fecisse memorāt. Coruinus seruus maiestatis tuæ fidelissimus, & Despotis filius, hāc è parta nuper victoria prædæ partem Rex optime mittit, ne te belli, tuis gesti auspiciis, honore defraudet. Hæc Asiaticæ nobilitatis capita, quæ in curru spectatis, vobis dono dat, ne insignis victoriæ testimonio careatis. Hæc sunt duo principum capita, alterum Mezethi ducis, filij quoque alterum: cætera præfectorum nobiliumq;, quæ Phrygia pilea honestabāt. Hęc stragis nouæ magnitudinem testantur, hortantur ad maiora cœpta, quid pro ingenita pietate religioneque regiæ maiestati sperare liceat, & quāta immortalitatis & gloriæ occasio offeratur, hinc omnes considerare, ad sanctam salutaremque militiam, per diuūm hominumq; fidem, vos Coruinus hortatur, oratque, vt supplicationes indicantur, & ad hoc bellum ingens reparetur exercitus: quando Turcam extremas vires tentaturum, & in tantæ cladis vltionem omnia moliturum, omnes ariolantur. Quum dictis finem fecisset, truces tabificosque vultus ostendit, circumspectant & admirantur Proceres, cæteraq; turba. Rex in primis, & Despotes, Coruinam virtutem & fortunam stupidi cōtemplantur, rem omnem ex literis ordine cognoscunt: miris laudibus Coruinam victoriam extollunt, & prædicāt certatim, vterq; commendat, Romanoque triumpho dignum fatetur. Rumor hanc cladem statim in Germanos & Turcas effudit, vagatur mox per Italiam, & hunc vnum Christianæ reipublicæ vindicem, his populi temporibus futurum arbitrantur. Pontifex maximus, sacrosanctusque Senatus, qui Christianæ reipublicæ nimium timere cogebatur, quia Græciam, Epirum, Macedoniam, Mysios, & magnam Illyrici partem à Turcis occupatam esse senserat, spem in Coruinum vniuersam confert, hunc Christianæ reipublicæ propugnatorem maximum fore auspicatur. Per vniuersam tunc Europam Coruina virtus effunditur, & omnium hūc Coruinum gesta superaturum, quisque manticinatur. Vladislaus igitur, ob partam diuina benignitate victoriam, cunctis Pannoniæ Pontificibus supplicationes indixit, apud omnes aras rem diuinam fecit: ad Coruinum Oratores misit, per quos gratias egit, ducis fidem virtutemque laudauit, quibus potuit muneribus, virum honestauit: exorauitque, vt pari initam expeditionem fortitudine sa-

dine sapientiaq; prosequeretur: admonuitq;, se neque supplementis legionum, neque armis, commeatibus & pecuniis vnquã ei defuturum. De his hactenus, ad Gisceram nũc redeundum est. Duplici Rex bello, vel formidolosissimo, vexabatur: siquidem intestinum & externum, miserè Vladislaum distrahebat, & quanquã Ciliæ Comitem Iaurini per suos milites deprehendisset, pacasset Strigonium, & per præfectos duos, Ladislaum Garam fudisset fugassetque, vtrinq; tamen pericula instaurabantur: Tutca in Mysia ac Dacia multa molitur: Giscra cum cæteris Boemis, quos Regina ad Zoliom & Cassiouiam collocarat, regnũ late diripit vastatque. Quare per Sauoceum paulò antè euocanda Polonorum auxilia curanerat, quç haud facilè illi mittere videbantur, partim quia Tartarorum incursiones reformidabant, partim quia Lithuania indies magis ac magis æstuabat: aliqui, ne regnum exhaurirent, duo: quinque cæteri, milia mittenda esse censuerant. Dum hæc è Sarmatis expectarentur, Sauoceus, qui nuper è Polonia redierat, & Nicolaus Lassouianus, cum plerisque Sclauorum nobilibus, in Dalmatiam Croaciamq; mittuntur, qui nutantes populorum animos, à Reginæ partibus auerterent, & ad Vladislai fidem & obsequium reuocarent: id ne difficulter quidem illi præstitere. nam dum vicos & ciuitates circumeunt, dum cognationis & originis eiusdem primordia, communemque linguam referunt, dum benignitatem Principis, ac regiam libertatem pollicentur, non solùm ad præstandum obsequium, sed ad impendenda in tanta necessitate, militi stipendia, Dalmatas adduxerunt. Ne pari quidem felicitate, cum Giscra, Ioannes Perenus, ea tempestate se gesserat: nam Giscra Scepusiensem agrum incursionibus & rapinis ad vastitatem penè redegerat, interceperat Aperiascium, Saruscium, Clistichium, nonnullaque oppida: sed adactis cuniculis Clistichium occupat, quod in edito monte situm, Cassiouiæ prominet: vnde Giscrani, dum prædatum egrederentur, cædes & incommoda non parua receperant. Ioannes Perenus, pro recuperãdis oppidis, irritam vnius anni operam triuit. Regina igitur, Ladislaum Garam, à Coruino ac Nicolao profligatum, vt exercitum in Polonum instauraret, impensius hortatur, multisque rationibus id suadere contendit: nunquam tamen consternatum semel eius animum, ad redintegrandum bellum suscitare potuit. At vbi Iaurinum, quod adhuc posthumi Regis auspiciis regebatur, peruentum est, paucis pòst diebus, de Boemorum seditionibus nuncij adfuere, qui eos de creando nouo Rege agitare dicerent: quare in Austriam properare coacta est, quam quum Ladislaus sequeretur, à Frederico Imperatore captus est, & plurimi ab Vngaris redemptus: quippe qui quum virum instantissimè repeterent, tanti eum mercari coacti sunt, quanti Cæsaris edixit auaritia. Petita interea è Sarmatis auxilia aduenere, cum equitatu vsque adeo insigni, vt præ numero & singulari apparatu, omnium Vngarorum animos in admirationem sanè contraxerint. Vladislaus, in sequentis anni principio, quamuis famæ hiemisque sæuitia laboraret Vngaria, acceptis tamen auxiliis, de pacando regno, quod in primis apprimè necessarium visum est, cogitare cœpit, vt hac re feliciter gesta, expeditius vniuersas vires conuerteret in Turcas. Quare Buda prius in Giscram mouit, vt occupata ab hoste oppida recuperaret, imposita circùm Reginæ præsidia deiiceret. Pannones autem, non ab re veriti, quod & ipse quandoque prædixerat, ne Rex, vbi Poloniæ finibus appropinquaret, abominatus operosi regni pericula, ad suos se reciperet: rumorem promulgarunt, Reginam iam de concordia, & Cæsarem de restituenda corona cogitare. Item dicere, melius esse reconciliatione, quàm bello regnum pacare: ad expugnandam Cassiouiam, præfectos aliquos, prout res ipsa postulat, esse relinquendos: Regẽ, ne quis à Turcis impetus ex improuiso fiat, ac ne quid aliunde mali inferatur, Budam redire oportere, vt imminentibus periculis præstò sit. Cessit tandẽ Rex Vngarorum cõsiliis, subsedit in itinere, & vt de pace ageretur, Optimatibus edixit. Neque ignorabat, ab expeditionis huiusce principio, Cæsarem admodum timuisse, ne repetendæ coronæ gratia, in se hæc arma conuerterentur, de ea reddenda cogitasse: & quum in Giscram bellum verti cerneret, à

salutari cogitatione supersedisse. Quum Rex Budam reuertisset, quæ væsaniente pestilentia laborabat, continuò de pace agi cœptum; quam vbi ab aduersariis Rex aspernari intellexit, repentè Cassiouiam, ne quid frustra temporis tereretur, expugnari iubet. Id negocij Ioanni Galearo datum; sat validus huic datur equitatus, & magna peditum multitudo: item mandatur, vt cum Ioanne Pereno, Chesmarchi præfecto, se coniungat, & communi cuncta consilio consensuque agat. Ne minus quidem Gisera, quid alij contrà molirentur, ignorabat. Cremniciæ vectigalibus adiutus, vbi numismata sub posthumi titulo ac nomine cudebantur, nouos è Boemia milites, planè conduxerat: hinc non parua exercitui supplementa facta sunt, sed nō ea, quibus hosti par esse in aperto posset. Galearus Polonorum dux, cum collega Pereno, Cassiouiam obsedit: Gisera, ne arctius obducatur, ex vrbe indies erūpit, & tumultuario potius, quàm statario, ob virium iniquitatem, bello certatur, admouent circùm tormenta, munitionesq; varias Poloni, ne qua Boemo erumpendi copia detur: & obsidio eo vsque prorogatur, donec oppidani fame, ac graui annonæ charitate laborent: ita aditus vndique fuerant intercepti, vt nihil commeatuum inferri posset: contrà verò, in castris, ita obsidionis fastidio milites affecti sunt, vt sensim quàm plurimi elaberentur. Inuitabat ad soluendam obsidionem, Boemicorum præsidiorum incursus, quæ à tergo Polonorum castra quotidie grauiter infestabant: quin & crebris incursionibus, Chesmarchum oppidum ad defectionis consilia redegerant. Soluta igitur Cassiouiæ obsidione, Galearus cum collega Pereno, Chesmarchum contendit, vt oppidum in fide seruaret: at irriti fuere conatus, quando pridie quàm eò peruenisset, Gisерani per proditionem oppidum occuparunt. Nicolaus Perenus, quum turres adhuc aliquas cum præsidiariis pertinacius retineret, à Polonorū tandē subsidio destitutus, inde deturbatus est: mox Podolinum, cui Nicolaus Comoroccēsis cum præsidio regio præerat, ab Giseranis grauiter oppugnari cœptum. Quum Elisabetha Cassiouiam obsidione liberatam accepisset, fausto elata nuncio, Pisonium properè cōtendit, quod adhuc in posthumi fide permanserat: arcem, Stephanus Rosgonius, cum præsidio regio firmatam tuebatur. Arcis oppugnationem adorta, & difficultate deterrita, subinde destitit, militem in Ternauianum agrum immittit, partim vt assidua præda copias aleret, partim vt Ternauianos, a Vladislai Regis fide, cædibus & calamitatibus auocaret. Quæ vbi Regi nunciata sunt, extemplo Andream Taurinensem, cum ingenti Polonorum & Pannonum equitatu, Ternauiam mittit, mandatq;, vt vrbem ab hostili incursione tueatur, Pisonianum agrum incurset, obsessamque arcem, milite, commeatibus, armis, & cæteris denique munitionibus obfirmet. At præfectus impigrè mandata peragit, quum Ternauiam venisset, non solùm hostium incursiones inhibet, verùm etiam Pisonianum agrum, sic igni ferroque deuastat, vt hi potius obsessi, quàm obsidentes dici possent: omnibus arcem rebus, quę vsui fuerant, sanè compleuit, mox vrbem quotidianis populationibus afficit, assiduis cladibus sic Alamannorum impetum repressit, vt Pisonio amplius erumpere non auderent. Vniuersas deinde vires, hi ad expugnandam arcem conuertere, turres circùm erexere nonnullas, crebris tormentorum ictibus mœnia quatere, eaq; modò testudine, modò quouis alio machinarū genere perfodere, cominus adactis scalis vectibusq; pugnare, rigente hieme eo vehementiùs instare, atq; (vt aiunt) nisi Rex cum validis copiis Buda mouisset, arciq; succurrisset, eo pręsidium regium redactum erat, vt propediem deditionem facere cogeretur. Eius tandem aduentu Regina vsq; adeo consternata est, vt dimisso in vrbe validissimo præsidio, Viennam repētè se receperit. Vladislaus cum nouo milite, cōmeatibus, armis & munitionibus arcem iterum obfirmauit, Budā reuertitur. Eadem ferè tempestate, ne mediocris quidē Polonorum numerus, nullo stipendio, sed magna in Principem suū charitate cōpulsus, Petro Odronansano duce, in Vngariam penetrare nitebatur: obstabāt Boemi, qui montiū angustias occuparant, sed difficultatem ingeniū superauit. Nam quum Poloni iuga negligentiùs custodiri intellexissent, immissa per noctem

& imbres

& imbres validissima iuuentute, quæ vi aditum aperiret, si opus esset: in Vngariam penetrarunt, mox continuatis itineribus Budam peruenere. Non sine magna admiratione volūtariam militiam spectauere Pannones, non solùm numero, sed apparatu, fide, ac studiis insignem: gratissimo hanc vultu Rex admisit, ac multis laudatam verbis, bene sperare iussit. Paucis pòst diebus, quum se ex itinere recreasset, pacandi regni gratia hunc exercitum, qui gratis stipendia faciebat, ad expugnandam Cassiouiam misit: demandatum sibi negocium forti animo Poloni facere adorti, incutiendi terroris gratia, quoscunque Boemos capiebant, immaniter trucidarunt. Mox Tartaros Podoliam incursare nunciatur: quare Odronansanum cum exercitu Rex, ad protegendum regnum, in Poloniam remittere cogitur. Hi quum data missione Agriam peruenissent, ab Agriensi Pontifice lautissimè sunt excepti, qui quum dies aliquot licentiùs remissiusque viuerent, Telephus, qui præsidij Cassiouiensis præfectus erat, cognita hostium negligentia, oblatam eo tempore occasionem haudquaquam prætermisit: per medium noctis silentium inermes, incautos sopitosque adoritur. primo impetu currus diripit, in plerisq; locis suscitat incendium, semisomnes multos obtruncat: coacti, discusso somno, Poloni Vngarique abeuntem Telephum insequuntur, rati, nocturni labore itineris defatigatos, & onustos præda hostes, celerius aufugere non posse. Petrum Odronansanum, cum non mediocri Polonorum manu, captiuum Telephus ducebat, quem Solomæ cuidam familiari suo sat exploratæ fidei custodiendum, & in propinquum oppidum abducēdum commiserat: mox extremis viribus cum hoste pugnandum, præmissis impedimentis, esse decernit. Quare quum se à Polonis adhibitū esse vidit, instructam in hos aciem conuertit, acerrima pugna conseritur, & aliquandiu æquo Marte, pari vtrinque spe pugnatum. Quum hinc & hinc multi cecidissent, Telephini longo labore defatigati, tandem vertere terga, & palantes fugere occœpere; instabant à tergo hi, ac cæsa magna manu, prædam recuperarunt. Telephus cum Australibus & Boemis plerisque capitur, Agriamque perducitur, cæteri fusi fugatique. Soloma Odronansanum sibi commissum, in proximam Nicolai Zuderis arcem subtraxerat, qui paulò antè à Rege defecerat: Zuder hanc nactus occasionem, desperatis Reginæ rebus, Odronansanum Budam perductum, Vladislao restituit, eoque beneficio, defectionis veniam implorauit. Iisdem ferè diebus Aperiascium, quod negligētiùs custodiri dicebatur, à Caiaca & Comorocēse, intempesta nocte capitur, quorum alter Brozoniziam, Podolinum alter cum præsidio tenebat. Sed quum superiore die, Boemi circiter quinquaginta, qui ad Giscram vndique copias congregantem, vt Richononam obsideret, profecturi erant, in oppidi captiuitate incidissent, occupatis in Aperiascij populatione Polonis, turrim quandam munitissimam occupant, ibiq; se acerrimè tuentur. Poloni propinquum Giscram veriti, direpto oppido abiere. huiusce rei admonitus Giscra, Polonos præda onustos insequitur, eosq; haud difficulter fundit fugatq;: Caica & Comorocēsis, cum multis aliis, in hostium potestatem venere. Fugatis Giscra Polonis, quum oppidi præfectum captum haberet, Brozoniziam sine mora obsidet: quum duæ ibi forent arces, vnaq; humana arte conflagraret, ad alteram præsidiarij confugēre: quæ ne pari incendio absumeretur, Giscræ postero die deditionem fecit. Podolinum, & Luboliam, nouo firmandam præsidio, Poloni censuere: itaque vtrunque oppidum præsidiario milite complerunt. Richononam Giscra castra mouit, acriq; obsidione circumuenit, quæ quū facilè expugnari non posset, bellicas machinas admouit, aliquot mensibus quacunque potest, omni vi, artéve oppugnat: oppidanos ad deditionē per inediam redegit, quam desperatis Agriensis Episcopi subsidiis, illi saluis corporibus & impedimentis fecisse dicuntur. Post Richononæ deditionē, in sequenti die, Agriensis Antistes cum copiis adfuit, prudentissimi vterque viri, non temerè dimicādum esse, censuere. Boemus, tot bellorum prosperè gestorū gloria clarus, & variantis fortunæ haudquaquam ignarus, externa tentare non audet: Vngarus, è contrario disciplinæ militaris inscius, ac tumultuariis copiis parum

fidens, obsidione potius quàm prælio hostem vincendum esse cogitat: quare haud inuiti pugnam ambo detrectant. Interim de concordia agi cœptum est, per internuncios aliquandiu res variis conditionibus agitata, deinde non modò pax fœdusq; perpetuum, sed affinitas cum vtroque inita est. Agriensis Episcopi neptis, Giscræ desponsatur: multi hanc pacem dolis carere nunquam dubitarunt, quando neque à Regina fuit approbata, neque in restituendis vtrinq; captiuis, fidem Boemi seruauere. Quin etiã dimissis aliis, Caicam & Comorocensem, ex composito haudquaquam restituere voluere. Item, in Scepusio post ictum fœdus, Giscra oppidum soceri occupauit, & quoscunque regiæ factionis esse comperit, hostili more tractauit. Intestina igitur Vngariæ bella (quę Christianæ reipublicæ potissimum propugnaculum haud immeritò esse censetur, & Turcarum metus) Apostolicum ita Senatum eo tempore sollicitum habebãt, vt quãuis execrabili schismate sacer ordo laboraret, & pars vna in Germania, Synodi Basiliensis auctoritate Felicem: contrà Romæ altera, Cardinei collegij decreto, Eugenium pronunciasset: vterque tamen Pontifex, mittendum in Pannonias Legatum esse censuit. Felix, Alexandrum Tridentinum Episcopum, à Moscouiæ ducibus oriundum, & idcirco Vladislao haud longius attinentem: Eugenius, Iulianum Cæsarinum Cardinalem, ea tempestate sapiẽtissimum habitum, misere. Quum vtrũque Rex ac Proceres audiuissent, & Alexandrum de vero Pontifice, ac Iulianum de pace cum Rege & Regina impensiùs disputare intellexissent, dimisso altero, Cardinali pacis negocium demandatur, quando illum non ad captandum in Pontificem fauorem, sed ad veram regni salutem venisse nouerant. Quanquam variis legationibus, ac eisdem quoque irritis, sæpe antè de pace agitatum esset, boni tamen viri operam, studium & auctoritatem, in hac re minus aspernandam esse censuere. Aderat mite ac quietum Regis ingenium, iusticiæ, pacisque studiosissimum, & ab intestino bello regnique exitio nimis alienum. Ad Reginam profectus, omnium concordiæ commodorum, bellique incommodorum admonuit, idque superiorum malorum experimẽtis approbauit: adiecit imbecillitatem sexus, conditiones impares, nutantia populorum studia, ac initam Giscræ cum Agriensi Pontifice affinitatem, cui plurimum confidebat: item infantis posthumi conditionem, & pericula, si qua fortunæ valetudinisque iniquitate è medio subriperetur, omnes amici, ne ad orbitatem regnum redigi videretur, continuò ab ea deficerent: duas filias, quas adultas haberet, sua fortuna destitutas faceret: è cõtrario ad pensitandas hostium vires hortabatur, qui multo plus opibus, milite, armis, equis, commeatibus, & duce, iam posse viderentur. Maximas esse Polonorum Vngarorumq; facultates, & quando cum muliere ac infante his bellum est, multo in diem fore maiores: si semel eius exercitus profligetur, nunquam amplius instaurari posse, Vladislao duplici regno potito, nũquam vires, pecunias & supplementa defutura. oportere tempora conditionemq; rerum vbique metiri, neque ambitioni priuatisq; affectibus quandoque tantum indulgere, vt communi saluti parum consulere videatur: habendam esse Vngariæ rationem, quippe quę nisi hoc intestino bello liberetur, à Turcis propediem inundabitur, & capto hoc Christianæ reipublicæ propugnaculo, reliqua in Turcarum ditionem, breui tempore peruentura: præcauendam nimis esse tanti mali infamiam, & quotidie ante oculos imminentia orthodoxę fidei pericula obuersari oportere, ne dum incertas in infante spes collocatas pertinaciter tueri contendit, vniuersa perdere videatur. Quod si tanti mali auctor habeatur, Deum vindicem continuò adfuturum: proinde postquã prioribus ipsa conditionibus, ne posthumũ tot regnis defraudare videretur, stare noluit, multo satius fore, si duas filias viro tempestiuas, alteram Vladislao, Casimiro alterã coniugandas esse censeat: inter marem & fœminam, in parentum charitate, præter sexum nullum esse discrimen. Ad hæc Regina: Satis se suas hostiumque vires pensitasse, respondit: bellum se inuita initum fuisse, ingenuè se fateri, ob sciti ac elegantis posthumi charitatem, se pactis conditionibus stare nequiuisse, ne auito paternoq; regno filium defraudaret: neque

Ladislao,

Ladislao, Deum innocentiæ ac æquitatis vindicem, absfuturum: insuper, se Vngaros spectatæ fidei, relinquere non posse: neque quantum pro mulieris ingenio fieri potest, se fideli vnquam Pannoniæ defuturam: neque, si qua pacis ratio inueniri potest, bellum improbè alituram, illud sibi demum certũ esse, malle vi Regnum amittere, quàm desidia, metu, ignauiaq; dimittere. Commendauit Reginæ animum Legatus, quãdo plus virilis, quam fœminei referre videretur ingenij: sed vbi pacis iura non recusare cognouit, continuò de concordia agitari cœptum. Quum multæ vtrinque in medium conditiones afferrentur, mutuoq; repudiarentur, vt res pro vtriusque dignitate videretur æquè tractari, ad
10 hæc tandem pacta Regina redacta est: Quando paulo minus filiarum, quàm infantis cura angebantur, concordiæ leges hæ ad Vladislaum à Legato scriptæ sunt. Reginulatum altera Vladislao, Casimiro Lithuaniæ duci altera vxor esto. Casimiro centum & viginti aureorum milia, Vladislao Slesia terra, sub ducentorum milium nomine, dotis gratia, penduntor. Regina post initam affinitatem, Slesiæ cedito: eique, si vnquam facultas fuerit redimendæ prouinciæ, ius esto. Quod ad Vngariam verò attinet, Vladislaus post hæc regio sese titulo abdicato. Procurationem autem & tutelam, ad integrã vsque posthumi ætatem, retineto, deinde Regno cedito. Si posthumus fortè interim vita decesserit, aut regno potitus, sine liberis diem obierit, Vladislaus omne regni ius titulumq; resumito.
20 Rependẽdorum denique sumptuũ gratia, quos in hoc bello Rex erogasset, Scepusiensis ora, Poloniæ regno perpetuò addicitor. Si quod in Podolia & Valachia ius Vngaris superesset, id omne Polonis ipse resignato. Allatæ concordiæ leges, regni Principibus recitatæ, significatæque sunt absentibus. Proceres diuersa sensere, & pro sua quisque animi libidine, varias dixere sententias. Coruinus, qui domi ocium, & foris bellum semper amauerat, quum prouinciam, Turcarum metu relinquere non posset, suam literis sententiam significauit, quarum summa hæc erat: Si æquæ concordiæ conditiones afferrentur, nullo modo recusandas, vt pacato regno, tutius in Turcas expeditio susciperetur: nil communi concordia salubrius excogitari posse: sin autem minus, forti externa & in-
30 terna incommoda animo toleranda, ac potius extrema quæque pericula subeunda, quam pati, vt regnum, quod sat amplum à maioribus acceperint, iniqua pacis conditione minuatur. Nihil regno neque ad præstitutum tempus, neque perpetuò alienãdum. Nil Vngaris turpius futurum, quàm imperium antiquorum exemplo propagandum, per negligẽtiam pusillanimitatémve indies diminuere: si bellum cum Regina cõtinuetur, vnde facilis concordia sperari potest, minoris constiturum, quam hæc efflagitata cõcordia, quam tanti per nobilium regni membrorum alienationem commercentur. Quare Legatus ad Reginam rursus immutatis quibusdam cõditionibus abiit, rediitq;: & quum quotidie nouæ vtrinque conditiones exposcerentur, id tandem Iulianus impetrauit, vt Vla-
40 dislaus Iaurinum ad Reginam proficisceretur, quo per colloquium faciliùs pax inter vtrunque transigeretur: ne inscius quidem erat, quantum præsentia mutuusque sermo valeret. Princeps autem ille optimus, vt communi quieti consuleret, Iaurinum concessit: eò quũ venisset ad colloquium, in primo congressu, multæ vltrò citroque querelæ, purgationesque interiectæ sunt. Bellum etsi contra iustum & fas, necessitate tamen quadam vtrinq; initum cõfitentur. Mox de concordia diebus aliquot agitatum, quæ ánne inter eos confecta fuerit, nil aliud argumentum ostendit, quàm in digressu magnifica quæ vtrinque data fuere munera, & rumor effusus, qui Elisabetham propediem Budam descẽsuram esse, nunciabat. Is haudquaquam falsus fuit: paulò pòst Regina cum honestissi-
50 mo (vt ferebatur) equitatu, Budam venit: vbi postquam Ciliæ Comes postero die carcere emissus, in quo à captiuitatis die, ac initio belli, diligentissimè fuerat asseruatus, de promulganda pace agitatum est: quæ in sequenti die promulgata, incredibili omnium animos lætitia sanè compleuit. mox de pacis cõditione, id præcipuè passim est mussitatum, datam super hoc vtrinq; fidem: Vladislaũ in Vngaria liberè imperaturum, si modò aut precario, aut vi sacram cum posthumo

coronam à Frederico reciperet, qui secundum Alberti obitum, pupilli patrimonium parum probè in Austria curare dicebatur. Compositis Budæ rebus, Iaurinum Regina se recepit, & post triduum, ventris repentè correpta torminibus, humanis excessit. Mors veneni suspicione non caruit: quam insequutus Vladislai dolor, quantum euidentibus signis coniici poterat, prorsus abrogare videbatur: eius enim interitum dies aliquot Rex ægerrimè tulit. Et si quando eius fortè mentio haberetur, lachrymis abstinere non poterat: neq; ignorabat, eius interitu, fœdus omne pariter interiturũ. Et illud quotidie oculis obuersabatur, desperatum Regni ocium, Boemorum inconstantia, qui nihil bello vehementius appetunt. Et Regina vita defuncta, ad Cæsarem cum vniuersis præsidiis oppidisque, quæ in Cassiouiana prouincia tenebant, continuò defecere. Hi nanque veluti carceribus ac vinculis emissi, in regios pagos & oppida erumpunt, populationes ac cædes instaurant, multo ferocius quàm antea sæuiunt, intestina mala redintegrantur. Neque Cæsar his pro dignitate malis moderari videbatur. Posthumum asseruabat diligenter, & Boemos iuxtà atque pupilli vindices, latè longeq; ferro igniq; grassari patiebatur, neque rapacissimum genus hominum, & quod paruo, vel nullo stipendio ibi retinebatur, sine vi & populatione teneri potuisset. Contrà illud Vladislai dolorem haud parum leuabat, quòd ex Vngaris multi, qui aduersæ factionis erant, extincta Regina, ad regiam fidem & obsequium rediere, vnde non parua Poloni viribus facta fuit accessio. Accedebat Giscræ affinitas, quam cum Agriensi Pontifice nuper iniuerat, qua Boemorum animi se remittere occœperunt. Et eos, mite Cæsaris ingenium, ocij semper cupidum, nimis à solitis incursionibus absterrebat: itaque intestina mala, opinione celeriùs, imminuta sunt. Dum hæc à Rege Vladislao ita geruntur, Ioannes Coruinus, & Nicolaus, aduersus Turcas regni fines impigrè tuebãtur: hos deorum benignitate, tempestate illa datos, omnes arbitrabantur, qui labantes res Pannonicas tuerentur: in primisque Coruinum, qui temporibus illis Vngariam mira felicitate tutatus est: in crebris Turcorum incursionibus, tumultuario nunquam prælio dimicatum est, quin hostem grauiter inflixerit, fuderit, & fugarit: necubi congressus est habitus, vbi dena saltem non vtrinque milia cõstiterint. Vbique demum, fausta quadam fortunæ dexteritate ita pugnatum, vt nil Coruino vehementius tunc profanus hostis reformidaret. Quin in Turcarum prouinciam sæpius excursum, vnde multis cæsis, ingens præda est abacta. Locupletatus est admodum hoc bello ipsius exercitus. Ex his vnum tantùm insigne bellum, silentio præteriri, sine inuidiæ nota, non potest, quod cum Basseo quodam Turcarum clarissimo, cui Sciabadin nomen erat, gestum est. Amurathem ferũt, tot clades à Coruino illatas, vel illud maximè, quòd Moldauiæ & Transalpinæ Principes à sua fide ac fœdere reglutinarat, diutius tolerare non potuisse: expeditionem ergo maximam in Valachos & Transsyluanam Coruini prouinciam parat, delectissimum è militibus peditatum, quem Ianizarorum appellant, cum innumera equitum multitudine, & præsertim vexillationũ cogit: legiones, quas in Europæ prouinciis habebat, ferè omnes accersit: adiiciuntur his auxilia, quæ sociæ Asiæ ac Europæ ciuitates, iure fœderis misere. Octoginta milium hunc exercitum fuisse, quod haud facilè fides admittit, plerique, & qui his adfuere, Vngari prodiderunt: Basseoque spectatæ virtutis ac fidei, hoc belli negocium demandatur. Turcas noua moliri Coruino nunciatur, ipse quoque in prouincia delectum habet, tres circiter legiones cogit, in cataphracto spem omnem ponit equitatu, ne parum quidem prouincialibus & præcipuè Scytulis confidit. Basseum cum innumero propediem in Daciam traiecturum exercitu, rumores differunt: post Imperatorem, apud eam gẽtem, Bassei supremum locum tenent, & vbicunque agant, Imperatoriam potestatem gerunt. Huic ab Amurathe mandatur, vt prius Transalpinam adoriatur, & quacũque potest sæuitia, Valachum, qui à societate sua defecerat, vlciscatur: easdem à Moldauis perfidię pœnas exigat, qui Coruini opera, icti fœderis iura violarant. Deinde in Transsyluanos effusis viribus & extremo nixu irruat, vt illatas tot à Coruino clades cumulatissimè vin-

... et, & cęsorum olim sociorum manibus abundantissimè exsoluat infe... Basseus imperata curans, è Macedonia castra mouit, hominũ circiter octoginta milium, per Mysiam iter faciens, in Danubii ripa consedit: ad paruam Nicopolim traiiciendas copias curauit, aliquot in traiiciendo dies, ob innumerã multitudinem absumpti. Quare in vtraque ripa aliquandiu statiua habuit. Hinc vehemens Valachos metus incessit, ingenti cuncta trepidatione tumultuq; complentur: ad Vngarorum fidem Valachos rediisse pœnitet, quam ob Turcarum vicinitatem, commode tueri posse, diffidebant. Ioannes contrà Valachorum vtrosque prouinciam bene sperare iubet, mandat vt in tutiora se loca recipiant, profano furori neque obstent, si vires non suppetãt: se hosti forti animo occursurum esse recipit, neque robur, neque numerum reformidaturũ. Christum sibi locusque optimum maximum, orthodoxæ fidei vindicem, nunquam absu... mans, cuius præpotenti numine se fretum, propediem a fœdæ gentis ... dicaturum esse pollicetur. Si qui plus æquo timent, ad sua castra co... Turci, Basseo duce, in Transalpinam Valachiam, quæ pro... at, castra mouent. Mox fines ingressi, geminis exercitibus sic long... per cuncta excursant, vt armis & incendiis pagos & castella parum munita vastarent: res ac pecora rapiunt, homines quoscunque offendunt, plane trucidant, mulieres ac pueros, senesque pariter obtruncant: nulla in sexum ætatemque commiseratio habita. Valachi ad hæc in mõtes alij se recipere, pars remotius fugam rapere, in munitissima nonnulli oppida concurrere: in manus hi tantum hostium incidere, qui se negligentiùs asseruarunt. Cùm superatis Alpibus Transsyluanis finibus appropinquassent, Coruinus nequaquam animo consternatus, cum quindecim milibus tantùm hominum, Turcis occurrit, & ea quidem mente, vt mori quàm cedere malit. Basseus, qui viri nomen & fortunam perhorrebat, vbi eum cum exercitu propius occurrisse, per speculatores accepit, ferociam remisit, & cautius agẽdum esse censuit. aliqua prius arte tentandum ducẽ putauit, vt Turcarum mos est, vti quibus potissimùm modis hostem circumuenire possit, intelligat. quare aliquantisper substitit, vt eius audaciam & virtutem inspiceret. Exploratores retulere, hostes, ne quartam quidem partem Turcarum æquare posse, verùm equitatum his esse longo agmine constantem, qui non paruo negocio superari possit, quando non minus celeribus turmarum alis, quam actuariis curribus hostem circumuenit: si res minus prospere venerit, intra curruum septa se recipit, atque inde dispositis munitionibus ... ac muro se acerrimè tuetur. Eodem modo castra munit, vt nullas per noctem insidias repentinosque impetus reformidet. Stupet Coruini audaciam, & rei bellicæ disciplinam, suo tum tamen numero confidit. Quum ad quinque m... passuum propè conuenissent, quamuis vtrinque prælium minimè detrectaretur, vterque tamen spe magna victoriæ fretus, rem non temerè agendam ... stimauit: ad suum vterque confugiebat ingenium, vt aliquid in tanto con... ... excuderet. Turca gradatim certandum, & seruandum in pugna ordinem censebat, multitudine fretus, vel si id minimè cõcederetur, numero circumueniendum hostem esse, cogitabat: ibiq; defatigatum, ad extremum innumera multitudine obruendum. Contra ille, id primum iubere suos, nemo locum ordinemque deserat, néve ab hoste scindi ac diuidi patiantur. In sequẽti die, quum ad locum quem Vasapum dicunt, conuenissent, vtrinque acies, prima hora diei educi cœptæ sunt: multum temporis ad disponendum octoginta hominum milia, Turcæ opus erat: ne parum quidem Coruina virtus & diligentia exposcebat. In primis instructis agminibus, conuocatis Præfectis legionum, Tribunis militum, & Centurionibus vniuersis, hæc verba fecit. Nulla (mihi credite) audacia, socij, tantæ multitudini me occurrere perpulisset, nisi ipsa necessitas adegisset, vestra fides ac virtus hortaretur, quam dudum exploratam ha... & in primis Iesu Christi numen clementissimum inspirasset, qui nos in sacram militiam suam optauit, suumq; nomen vestra dextera vindicari voluit. In hac præstantis militiæ euocatione, quantum vos dilexerit, considerãdum est, &

immensa hinc benignitas Saluatoris pensitanda. Tria nobis hodie commoda, si viri, qui olim fuistis, iidem hodie esse volueritis, Deus ipse proposuit, quibus nihil maius appeti posset. In primis liberorum, coniugum, patriæq; salutem, cum fortunarum incolumitate coniunctam, deinde perpetuam huiusce seculi gloriam, & æternam felicitatem vobis nunc expositam esse scitote. Quot a Turcis olim incendia, calamitates, & mala acceperimus, vtinam vobis audiuisse potius, quàm spectasse & pertulisse licuisset. Iam diu liberis & vxoribus careretis, quos misera seruitus obruisset, neque focos aut aras haberetis, vbi inhabitare & sacris operari valeretis, nisi potentissimum Saluatoris numen, & vestra indomita virtus, præstò adfuisset. Neque patria bonisque frui, neque fungi honoribus, neque libertatem retinere videremini, nisi sanctissima fides, & animi vestri magnitudo, ac robur spe diuina firmatum, hæc quæ diximus omnia, vobis integra conseruassent. Iam immanis Turcarum furor, in suam potestatem omnia redegisset, nisi vestris hæc armis vindicata forent, & tot ille cladibus repressus esset. Is necubi coerceri potuit, non Græci, non Macedones, vtrique quondam rerum potiti: non Thracum audacia, non Mysorum robur, non Epirus & Illyricum, horum vires retundere potuere. Athenienses, Thebani, Lacedæmones, qui priscæ militiæ auctores habentur, his vltrò cessere. Nobis diuinitus hæc laus, & ingens victoriæ gloria delegata est, qui parua sæpe manu, & quandoque incauti ab his circumuenti, toties insigni strage cõfecimus, fudimus, fugauimusq;. Atque nullum illi genus hominum in terris magis expauent & perhorrescunt quam vos, quos ex assiduis cladibus, paucos, non minus ac frequentes, formidare didicerunt. Nunc etiam, vt extremas vires experiantur, cum innumeris legionibus adfuere, atqui vobis nequaquam plus quàm antea timendum est, quando sub diuino ductu & auspiciis arma gerimus, & quid nobis audendum sit, assidua victoria, frequens experiẽtia, explorata virtus, iam diu vos edocuit: accedit, quòd eorum miles, aut gregarius, aut seruus, aut auxiliaris, aut vi coactus, & paganus est: præter milites prætorianos, nil aliud hostili militiæ superest, vi adacti ac inuiti cæteri militant, & illi quidem pusillanimitate ad seruitia redacti sunt. Quicunque autem Græci, Macedones, Illyrici, auxiliorum gratia missi sunt, quum à Christiana fide non recesserint, non pro illis, sed nobis dimicaturos esse reputate: nos vindices, vos victores expectant. In hoc illi bello Turcis nomina, nobis vires animosque dedere: pro victoria nostra, vota suscipiunt. Quare tanto vobis animosius fortiusque pugnandum est, quanto maiorem victoriam, prædam, laudemque nunc vestris oculis obuersantem, habetis. Non pro alienis focis & aris, sed propriis, dimicare opus est, ita hodierna necessitas nostra tulit, vt ni nos ipsi nobis vindicare velimus, & solita spe ac virtute nitamur, maxima quæque malorum omnium, hodie subire cogamur. In primis iacturam fortunarum, liberorum seruitutem, incæstationes virginum, coniugum prostitutiones, cædes parentum, ædium & templorum incẽdia: & quod his omnibus multo grauius est, Saluatoris nostri, & Deorum omnium, ludibria: frangẽtur diuorum simulachra, aut vnco trahentur: argentea aureaq; conflabuntur, & in prophanos vsus conuertentur. Religionis cultus omnis abrogabitur, & Deus è pectoribus nostris, præ diffidentia negligentiaque nostra, nisi propugnatores optimos inuenerit, exigetur. Minimo digito Turcas omnes, si voluerit, illico conteret Deus noster: sed quando tutelam sui nominis in nostra dextera collocauit, virtutem prius nostram periclitatur, vt si magnam fidamq; compererit, præpotenti sua dextra tueatur & firmet. Neminem sibi fidum piumque Deus vnquam deseruit: si vobis ipsi non defueritis, nusquam saluator Iesus vobis aberit. In potentia sui nominis, quod est super omne nomen, hostes proteret, & iustum diuina fiducia fretum extollet. Insuper, aliæ nobis atque illis sunt pugnandi causæ, & spes longè firmiores. Pro domino, eodemque prophano, & scelerum omnium auctore: pro spoliis, & rapinis: pro exitio gentium: pro alieno regno, eodemque propagando, & mortali laude, illi arma sumpsere. Nos contrà, pro Orthodoxa fide & Christiana republica: pro patria, pro liberis, pro vxoribus & fortu-

nis dimicamus. Quibus quidem rebus, nihil excellentius, nihil posterorũ commemoratione dignius, nihil ad promerendam immortalitatem accommodatius inueniri potest. O quanta his in cœlis merces est proposita, qui aut patriam auxerint liberarintve, aut diuinos honores & veram fidem protexerint & seruarint. Neque experti ignoramus Deum humanam pietatem, iustitiam & charitatem nunquam deserturũ. Proinde, quid magis illis, quàm nobis sperandum sit, hinc euidentissimè considerate commilitones. Saluatori nostro confidite, qui diuinitatis præmium pollicetur, & fidem virtutemque vestram, Deo ac patriæ iuxtà, nunc ostendite. Quamobrem, quando nihil sine diuina ope moliri
10 possumus, antequam signum pugnæ detur, vos quæso Legati, Centuriones & Præfecti, per turmas & cohortes singulas, pias conciones habete, ad salutarem & sacram pugnam militem incendite, legionatim per confessionis sacræ mysterium, alter alterum lustrate, rem diuinã facite, ac sumpta ore terra, mysticæ communionis officium explete: lustratis mox animis, alter alterum amplexate, dextera osculoque mutuam date fidem, perpetuumq; fœdus percutite, è vobis neminem alterum in sacro certamine deserturum: sed pro aris & focis, ad vnum omnes strenuè dimicaturos. Demum curatis aliquantisper corporibus, ambulatoriis dudum ientaculis, dato signo, ter elatis vocibus, inuocato præpollentissimo Iesu Christi nomine, manum ea virtute roboreque conserite, qua pro re-
20 demptione ac libertate vestra, in agone mortis ille cõseruit. Hoc igitur, vt vltrò faciatis, per sanctũ nostri redemptoris amorem, per charitatẽ patriæ, per Deũm hominumque fidem, vobis edico, impero. Item vos oro & obtestor, vt ea mente dimicetis, vti clarissimam (quod non ambigo) victoriam, aut si res aliter tulerit, beatam in cœlis vitam vobis hodie comparetis, non apud inferos, vt Græcus ille, sed superos cœnaturi. Christus igitur optimus maximus nobis semper aderit, qui nos (mihi credite, ac ita confidite) non solùm è Turcarum manibus hodie vindicabit, sed cũ perpetua nominis immortalitate, opimis nos hostium spoliis onerabit, & incolumes ac ouantes domum referet vniuersos. Sciabadin Bassus nihilo segnius è contrario suos admonuit, vt amplificandi imperij,
30 & superiorum victoriarum memores, ab assidua virtute & laude non deficerẽt, armis Turcarum nomine propagarẽt, quibus Mahumetus diuorum interpres, terrarum imperium, à cunctis numinibus addictum esse, prædixerat. Item augustam hanc gentem, hominum terrorem, vltricem facinorum, & populorum dominam, diuino ore loquutus ominabatur. Quanta breui tempore, ex quo in Europam traiectum est, regnorum accessio facta fuerit, enarrat: spem ingentis prædæ, & maxima quæque strenuis præmia pollicetur, pagos & oppida, nedum rapinas & spolia, se multis diuisurum esse recipit. Si extremis quisque viribus dimicarit, victoriam ante oculos certissimam, ex inopia hostium, & immenso suorum numero proponit. Illud adiicit, profligato Coruino, quem so-
40 lum è Christianis impigrum, & rei militaris non ignarum, se reperisse, ingenuè fatetur, nihil ad assequendum cæteri orbis imperium, amplius obuersaturum. Si hunc hodie ad internecionem protriuerint, nullam in Europa victoriam hac fore maiorem: quare Coruinum in acie primò petendum edocet, victori huius ingentia præmia spondet. Postquam sat militi suasum esse arbitratur, iam instructam aciem educit, in duo cornua pedites equitesque distribuit, in medio prætorianos milites collocat, quos Ianizaros vocant, spectati roboris homines: succedunt longa subsidia, multas etiam vexillationes in vtroque cornu proponit, quò prælium ineant, circumuolẽt hostes, & prout fors ipsa tulerit, impetant, repetántve. Coruinum in vtroq; cornu, duo quadrata cataphractorum equi-
50 tum agmina, quos hippobalistæ sequebantur, collocasse memorant: ante hos vexillariorum quoq; alas equitum, qui à laterum fronte certarent, extendisse: in medio autem, quadrata duo cataphractorum agmina equitũ statuisse, & inter hos cohortes grauis armaturæ, à tergo hastatis, sagittariisque munitas interiecisse: vtrunque etiam cornu longo carrorum ambitu circumuallasse, quos omni munitionis genere planè cõpleuerat. Mox progredi in hostem ordinibus

edicit, quum ad duûm stadiorum interuallum appropinquassent, pugnę signum dare iubet: nihilo secius illi faciunt. Collatis vtrinque signis concurritur. Coruinus prospecta hostium multitudine, primã aciem in cuneum redigit, quo faciliùs hostes diuidat: contrà illi, forfices obtendunt. Tanta vtrinque ferocia & clamore congrediuntur, vt nihil vnquam horribilius sit auditum. Turcæ versatili equitatu freti, falcatis ensibus in Christianos sæuiunt, infestis concurrunt hastis, & ex equis multi vtrinque deturbantur. A forficibus cataphractorum cuneus concidi non poterat, quia armis obducti, haud facilè lædebantur. Instant igitur, & infestam interscecant aciem. In medio, & in vtroque latere, pari impetu dimicatur: cadunt vtrinq; multi: sed proscissa à cuneo Turcarum acies, magna subinde cæde agitari cœpit. Quum ad latera declinarẽt, in hostium gladios incidebant, ecce cuneo quem diximus, occurrit altera, & pari virtute certatur. In cornibus varia quandoque fortuna inter vexillationes fuit, quum æqua spe aliquantisper vtrique dimicarent. Sed quum illi eo genere pugnę, ob equorum pernicitatem agilitatemque nimis valerent, & numero longè superiores essent: postquam multitudini cedere, necessitudo tulit, ad munitissimum hi cataphractorum agmen rediere. Pòst vbi ad cataphractos peruentum est, haud parũ fortuna Turcarum declinauit, dum obstinatis vltrò citroque pectoribus, pugna conseritur, & expeditissimi equitatus pars maxima cæditur. Nanque duris cataphractorum contis, & sarissis, item oblongis trifidisque gladiis, haud secus ac inermes armatis obiecti, nequicquam obstabant: quare in vtroq; cornu à Turcis laborare cœptum est. Nutantibus adhuc rebus, in media acie prælium atrox planè conseritur, prætorianæ cohortes cum valido equitatu, quadratum cataphractorum agmen, quod in medio collocatum esse diximus, multis vexillationum turmis circumueniunt: pedites veterani, facto maximo impetu, equorum poplites, falcato ense succidunt. Ex his cecidere multi, humique porrectis capita amputantur, obteruntur contrà cohortes, dum cataphractorum ruinam moliuntur, cædes hîc vsque adeo magna patratur, vt cruoris riuos ageret, dum obstinatis animis, & debacchante hinc & hinc bellico furore, certatur. Prætorianorum pars maxima cæditur, ex equitibus quoq; multi oppetiere. Basseus, vbi & in vtroque cornu, & in medio superiores dudum Vngaros fore conspicatur, & iam pro longo labore defecturos esse sperat: quamuis vbi stragem maximam pateretur, ad triarios tamẽ belli summas redigere decernit: vt cum cætera multitudine, quam ad præsidia reliquerat, superstite magna subsidiorũ adhuc parte, agmina Vngarorum obducat. Ab inita iam pugna, hora ferè quarta agebatur, quum prælium instaurare constituit. Ne ab re quidem id à prophano Barbaro factum: verebatur, ne si sui terga dare cœpissent, reliqua multitudo detrectato bello fugam raperet. Ne quem igitur belli expertem dimitteret, ratus hostes à numerosa turba circumuentos, haudquaquam, defectis iam viribus, extremum impetum vltrà toleraturos, vltimas acies ciet: Vngarum obduci iubet, triarios veteranos hortatur, defectum hostem, facto orbe perdẽdum edicit: nouissimum hoc Vngarorum bellum id esse iactat. Contrà verò Coruinus, prospecto hostis astu, suos aliquãtisper patitur obduci, mox carrorum agmina promoueri præcipit, & vt clàm Turcas omnes circumueniant essedariis imperat: deinde pugnam cum hoste redintegrat. Feruet vbique pręlium, & quamuis ingens passim Turcarum cædes ageretur, præ nimia tamẽ turba pertinaciter vbique certatur. Turcæ autem, vt à dextro cornu se à carris circumueniri, & à tergo ignitis missilibus, crepitantibusque machinis peti respexere, ancipites facti, se remissiùs agunt, & dum à tergo sibi timent, à fronte pręlium detrectant. Contrà elato clamore Vngari, vt obuersantem ante oculos victoriam capesserent, dum instauratis ipsi animis, à fronte multo vehementiùs instant: socios qui à curribus pugnabant, hortantur, vt propius hostes circumuallent. Hîc Turcæ confuso ordine inclinantur, & ne circumueniantur, retrò fugam rapiunt. Quicunque intra carrorum septa, & oppositam aciem deprehensi sunt, ad internecionem omnes cæsi, qui autem in sinistro cornu dimicabant, horum exemplo conster-

consternati, terga vertunt: palantes cuncti fugiunt, instat à tergo, adauctis præ victoria viribus, Vngarus. Basseus, desperatis rebus, vnà cum quibusdam prætorianis cohortibus, quibus se stipauerat, se in fugã conuertit. Infremebat a tergo Coruinus, & per fusas acies Basseũ disquirebat, vt si cædendi ducis copia daretur, opima Christo optimo maximo spolia referret. Turca castris exutus, quicunque superfuit, fugæ pernicitate cum duce tunc euasit: alij verò, qui diuersi in fugam effusi, per nemora, per saltus & agros diuagabãtur, aut inedia, aut Valachorum manibus, in quas inciderant, confecti sunt. Signa circiter ducenta capta, hominum verò quinque milia. In auxilia, quæ Christianam adhuc fidem
10 retinebant, clementiùs actum est. Vix tanti exercitus pars media quæ euaserat, Danubium traiecit. Is postremò insigni victoria potitus, in hostium castra rediit, se suumque immensa præda exercitum ditauit. Ex his, qui prima sub eo stipendia fecerunt, audiuimus: Coruinum fuso hoste, sat fecisse ratum, euestigio Turcarum castra prædæ cupiditate diripuisse, nec hostem vltrà petiisse: quòd si ad Danubium vsq; foret insequutus, neminem è tanta clade superstitem futurum affirmabãt. Longi quidem ocij foret, quot spolia, quot enses auratos gemmatosq;, cum precioso vestium & equorum apparatu, quot aurata quoque pilea, tiarasq; in Phrygum Persarumq; morem reperêre: ad summam, nemo in eo bello fuit, quin se cum vniuersa posteritate ditauerit. Ob rem feliciter gestam,
20 & prouinciam vtramq; Turcarum periculo liberatã, singulis ciuitatibus trium dierum supplicationes indictæ, vt diuini honores Seruatori nostro redderẽtur. Multa templis omnibus affixa spolia, signaq; ad Vascapum, in victoriæ monumentum trophæa sunt erecta. Coruinus triumphans, Budam venit, Regiq; Vladislao, signa hostium, & exuuiarum partem, dignam Principe, detulit, in excellentissimæ victoriæ testimonium, gloriosissimiq; belli excitamẽtum. Inauditam per illa tempora Coruini victoriam, rumores longè lateq; distulerunt. Vladislaus suapte natura pientissimus, diuinam in eo bello clementiam admiratur, ad expeditionem sanctissimã sui ducis exemplo succenditur. Solennes Budæ supplicationes indicit, miris Coruinum laudibus effert: eiusq; oratione, dum Bu-
30 dæ fuit, assiduo ad hoc salutare Christianæ reipublicæ beneficium hortatur. Ioannes deinde post faustas prædicationes ac laudes, quibus Rex cum vniuerso Senatu, eum excoluerat, in prouinciam dimissus, vtriusque Valachiæ populos confirmauit, & vt Turcis in posterum animosiùs resisterent, promptiores effecit. Coruini nomen hæc victoria per Europam sanè vniuersam effudit: hunc vnicum fidei propugnaculũ omnes affirmabant. Amurathes paulò antè quàm Basseus in Transsyluania profligaretur, certam se victoriam habere ratus, legatos Budam exploratum potius, quàm postulatum miserat, quando rerum Vngaricarum status ipsum nõ mediocriter sollicitum habebat: nam quum in prouincia per cuncta prælia Coruini successum audiret, in intestinis tantùm Pan-
40 noniæ discordiis spem omnem collocarat. Intelligebat Vngaros, nisi suis armis, haudquaquam facilè casuros. Vladislao Legati fœdus obtulerant, & pro eius obside, Albam Græcam, quam Belgradum nunc dicunt, aut si id recusaretur, annua stipendia postulabant. Nunc autem præ recenti victoria, quum animos Vngari reuocassent, ne mitius quidem, quàm Legatorum insolentia postulabat, responsum est. Vladislaus è Transsyluanarum rerum exitu, se propediem responsurum esse, respondit: quare paulo ante Ioannis aduentum, Turcarum Legati, à Rege dimissi. Amurathes autem, quum ob cladem, quam nuper Basseus acceperat, è tanta spe excidisset, extremas vires tentare conatur. Eius opes artesque Vladislaum minimè latebant: quare de grauissima expeditione de-
50 cernendum esse censet, veluti à Coruino fuerat admonitus. Coacto senatu, Iulianum Legatum pontificium acciri iubet, qui quum frequentissimus conuenisset, prout regia grauitas postulabat, rem ad eum refert: vbi Iulianus, qui hac potissimùm causa venerat, primùm sententiam dicere rogatus, hæc verba fecit: Postquam Turcarum pestis in Europa látiùs debacchari cœpit, nihil vnquam optatius Pontifici maximo, Apostolicoq; senatui, ac cæteris Italiæ potentatibus

significari potuit, Rex optime, fortissimiq; Proceres, quàm quum Vladislaũ Sarmatarum Principem, Vngariæ Regem à vobis declaratum esse cognouerunt. Neminem enim Pãnoniarum rerum moderatorem, Scythicarumq; virium ductorem, hoc magis idoneum vsquam gẽtium Vngari inuenire potuissent: quippe qui tanta iustitia, religione, sapientia, fortitudine, ac militari denique disciplina polleret, vt potius è cœlo datus, quàm optatus, esse videretur. Hac felici faustaq; declaratione, omnium quoq; Italorum animi, qui iacuerant, resurrexere: atq; vt id felix ac faustum Christianæ reipublicæ foret, solennia vota suscepere. Quum intimas regni discordias, & propinquum Turcarum incendiũ accepisset, sacrosanctus huc me Senatus misit, vt de pacando regno, & reprimenda hac labe (vt à me sæpe audiuistis) vobiscum agerem: regnum armis & virtute vestra, intercessione mea, & Reginæ obitu, pacatum est: alterũ superest, quod honoris, vtilitatis, immo salutis, gloriæ & immortalitatis plenum est: item Vladislai ductu auspiciisq;, & Pannonico robore dignissimum, Turcarum immanitas & imperium coercendum est, Proceres: immo iugum, quod nostris ceruicibus imminet, excutiendum, & longè repellendum. Quid vobis audendum sit, Coruina virtus & fortuna portendit: fortunam Coruinam dixi, immo fortuna Christianæ plebis, & præsens Diui Saluatoris ipsa benignitas, quæ addictum sibi populũ fluctuare patitur, nõ demergi. Si tui ducis copiis, eisq; perpaucis, tantus hostiũ exercitus & fusus & fugatus est, quid de te, Rex inclyte, sperandũ est, si tuo Christiq; ductu & auspiciis militabis? Christianorum Principum omnes animi in te Pannonicas Sarmaticasq; vires conuersi sunt, omnes in te spes suas collocarunt: te immanissimæ crudelitatis vltorem, propugnatorem fidei, & Europæ liberatorem expectant omnes: id est, cur quotidie vos literis Põtifex maximus sollicitat & angit. quanquam hoc Orthodoxa religio postulat, non minus tamen Vngariæ Poloniæq; necessitas vos adurget: quarum altera, è Mysis & Illyrico, è Dacis & Getis altera, Turcorum armis & incendio miserrimè & assiduò vexatur. Quicunque nec diuina charitate, nec ipsa necessitate, nec gloria, nec immortalitate mouẽtur, ad sacram hos expeditionem propria salus, imminens seruitus liberorum coniugumq;, incolumitas rerum & personarum, & legitima rapinarum compendia suscitent. Tam commoda vobis nũc datur occasio, vt corpus in verã salutem felicitatemq; asserere, ac animum ab omni miseria vindicare, & vtrunq; diuina humanaq; gloria & beatitudine, vno eodemq; tempore donare possitis. Non desunt duces optimi: non pecuniæ, bellorum nerui, quæ ab vniuersa Christiana republica conferentur: non robora militum, non ratio, non fortuna, dexterrimaque numina, quæ vos sanctissimæ fidei assertores esse voluere. Sarmatarum vires, Vnnorumque virtutem persensit potius, quàm audiuit orbis. Nulla re alia, quàm voluntate, vobis Proceres opus est. Expeditio necessaria, pientissima, commodissima, & omni ex parte gloria & immortalitate digna est, & quæ ad vitam vtranque vberrima perpetuaque præmia conferat. Proinde te Rex in primis inclyte, vosq; Proceres vniuersos oro, obtestorque, per Christi fidem, per liberorum charitatem, per salutem Regni, & imminentis exitij liberationem, vt forti hoc bellum animo, communique consensu suscipiendum esse censeatis: vltrò, quum delectus habebitur, nomina detis. Et quando non ad humanam, sed diuinam militiam profecturi estis, ea studiorum vehementia in Turcos arma sumatis, quam expectatio & spes hominum, quam vestra virtus, instans exitium, & diuina in vos merita postulare videntur.

Secundùm Iuliani orationem, miserabilis Despotis obsecratio lachrymæq; sequuntur, ad suscipiendam necessariò expeditionem hortatur: Turcarum feritatem, cruciatus, inauditaq; supplicia refert: filiorum cæcitatem, subcisaq; genitalia, & multos dimidiatim cæsos, complures quoq; serra dissectos, alios itẽ cutibus exutos, aut humi defossos, variaq; genera mortis, quæ humanæ aures abominantur, enarrat. Exemplo sui, Pannones admonet, quantum sibi cauere debeant. Sauo à Turcis disterminari, qui æstate sæpe vado transitur, & rigẽte bruma, glacie calcatur. Transistrianam his regionem latè patêre, se opulentissimum olim

olim Myſiæ fuiſſe Regem, & nũc Turcarum viribus Regno exactum, orbatum liberis, fœdiſſimis oneratum iniuriis, & dignitate fortuniſque priuatum, extorrem vagari, necubi gentium hactenus tutum locum inueniſſe: ſed ad Raguſinos profectum, & ibi mox à Turcarum inſidiis fuiſſe petitum: rediiſſe in Vngariam, eam quoque vndiq; Turcarum incurſionibus infeſtari. Nunc prophanum Regem poſtulare tributum, vt æquior ſumendi belli cauſa detur. Hoſtem immaniſſimum non procul abeſſe, ſed imminere ceruicibus, immo in medio Regno, igni ac ferro quotidie graſſari: teſtes eſſe Valachiam & Tranſſyluaniam, opulentiſſimas Pannonicæ ditionis prouincias, quas niſi Coruina virtus, fortuna 10 reipublicæ, & in primis Chriſti benignitas, à fœdæ gẽtis manibus liberaſſet, iam de rebus Vngaricis foret actum. Varios eſſe bellorum exitus, fortunam inconſtantem, & Deum de ſe quotidie pericula fieri, non paſſurum. Proinde profuſis Vladiſlaum lachrymis exorabat, & cæteros obteſtabatur, ne occaſionem hãc dimitterent, ne victoriæ ſucceſſum per ignauiam & negligẽtiam interciperent. Alienæ quàm propriæ calamitatis vindices eſſe mallent: ſuſcitatæ nuper expectationi ſatisfacerent. Item dicere, ſe ſat magno omnibus exemplo futurum. Ad hæc demum pecunias polliceri non paucas, ad belli ſumptum: & aſſeuerare, Chriſtianæ reipublicæ potentatuum auxilia, collaticiamque ſtipem haudquaquam eis defuturam. Omnium igitur conſenſu, quum multi quoque iſto- 20 rum dicta ſententiis approbaſſent, Senatus conſultũ fit, vt in primo ſtatim tempore, Rex in Turcas caſtra moueat. Interea delectus inſtante bruma haberetur, poſtularentur ſociorum auxilia: & cum Cæſare, qui Chriſtianæ reipublicæ præeſt, de pace & expeditione ageretur. Decreti ad Polonos, Valachos, Prutenosq; legati, in primis ad Cæſarem, qui ad expeditionem hanc, opem & pacem orarent. reſpondit, Se neque venire, neque auxilia mittere poſſe: fluctuantem Boemiam cauſatus, pacem per triennium confecit. Pruteni, ob exhauſtã longo bello prouinciam, ſe nullam opem dare poſſe dicebant. A Polonis & Valachis auxilia, cum ſemeſtri ſtipendio miſſa: quæ ingens voluntariæ militiæ multitudo, ſequuta eſt. Multi nanq; fidei charitate compulſi, relictis liberis, coniugibus 30 & fortunis, pro tuendo & propugnando Chriſti nomine, proprio ſtipendio militarunt. Item è Gallis & Germanis multi, ſumpta Crucis teſſera cõuenere. Inito iam vere, ſacroſanctę expeditionis gratia, vicatim oppidatimq; ſolennes pręcationes & ſupplicationes indictæ. Res diuinæ per omnia templa ſolẽnes actæ, vt optimis bellum pientiſſimum auſpiciis iniretur. Omnes ferè ad vtranq; Danubij ripam copiæ conuenere. Exercitum, quindecim circiter milium, fuiſſe perhibent. Rex igitur calendas circiter Maias, Buda proficiſcitur: traiectoque Danubio, lento itinere caſtra mouet, vt cæteri qui aberant, cum ſuis facilè caſtris coniungerentur. Ad Tibiſcum primò iter intendit, accitaſq; vndique copias gradatim cogit: in Tibiſci ripa dies tres conſedit, vt à ſubſequentibus adhi- 40 beretur. Tranſmiſſo deinde amne, per Daciam deſcendit, & ad læuam Danubium ſeruãs, ab eius ripa nunquam procul iter declinauit. Mox vbi ſe Bulgariæ cõſpectum attigiſſe nouit, ad Salſum lapidem, & Cobin, qui ante Sinderouiam ſitus eſt, Danubium traiecit, & caſtra, quæ itineris tarditate, auxiliis completa fuerant, ad Sophiam rectà mouit, quæ ſex dierum itinere à Danubio ſecedit, & in prima Bulgariæ parte ſita eſt. Deſpotes ad Danubium ſua cum Regis caſtra coniunxit. Dicunt alij, Regem cum ternis iter caſtris feciſſe, Coruinum & Deſpotem cum duobus exercitibus præceſſiſſe, ipſum vnius diei itinere ſucceſſiſſe. Vrbs à templo, quod magnifico ſumptu Iuſtinianus erexit, Sophiæ nomen accepit, Sardacia olim dicta, à Sardis & Dacis, qui eam incoluere: deinde Bulga- 50 rorum inundatione, & aſſiduis Tranſiſtrianorum eruptionibus labefactata, ſibi templi tantùm nomen ſeruauit. Propter eos qui hæreſim infandam de Spiritu ſancto, auctore Macedonio metropolita Conſtantinopolitano, ſuſcitarunt (quẽ Patre & Filio minorem, immo miniſtrum vtriuſq;, ac cœleſtium donorum diſpenſatorem, aſſerebãt) celebratam hîc ſynodum frequentiſſimã eſſe ferunt. Ciuitas igitur vetuſtate iam effœta, nec arte, nec loco munita, ad primũ & impro-

uisum hostium impetum occupatur:& quum sine graui sumptu seruari nō posset,ac vt primo is ingressu,armis,incendiis,terroreque cuncta compleret,eam à milite direptam, postero die sacris in basilica ritè peractis, Rex iussit incendi. Vicos & oppida,quæ prope fuerant,facilè cepit,diripuitq;. Ad Morauam deinde fluuium castra posuit,vbi ad inundantis parum æquoris speciem, in colles vallesq; modicas,ipsa planicies tumet, & desidit. Quingenti hinc equites missi, Transmorauiam non prædatum solùm, sed qua tutius expeditiusque iter fieri posset speculatum,in Turcarum speculatores incidere,è quibus quum quatuor cepissent, ex his duo milia hostium propiùs adesse,cognouerunt: quare ad flumen fugam rapiunt,quum se illis impares esse reputarent. Turcæ, non intellecta horum fuga, quum inter ipsos ac flumen collis quidam exurgeret, progrediuntur,refugientes,superato colle,in demissum amnem præcipites ruunt: quo quum peruenissent, è prærupta plerique ripa, cum equis in aquam prosiliunt: reliqui extrema expectantes,substitere: alter,alterius periculum casus inhibuit. Cis fluuium collis alius eminebat,in cuius verticem,venandi fortè studio,cum non parua equitum manu,Rex aduenerat:quem vbi Turci,qui è regione conuenerant,conspexere,obtentas propiùs insidias esse rati,euestigio aufugere. Vtriq; igitur vana opinione decepti,retrò fugiunt. Rex prospecta hostium fuga,à venatione ad pugnæ studium conuersus,citato agmine,ad fluuium, qui in vlteriore ripa (vt diximus) substitere,improuiso subsidio cōfirmati,fugientes hostes repetunt. Trepidatio igitur vtrinq; magna,& fuga sine prælio intercessit. Postquam autem in castra rediere,intellecta re,cum Turcis cautissimè agendum esse censuere,quamuis se falsos esse vtrique senserant. In sequenti die traiecere Morauam, præmisere speculatores, qui cuncta exactissimè explorarent. Ex his aliqui rediere,qui prope Turcas adesse,collocasse propius insidias, & nil præter occasionem aliud expectare,nunciarunt.Rex inito cum Præfectis legionū consilio,Coruinum cum decem milibus delectorum equitū præmittit, qui hostem nil tale formidantē,per silentium noctis adoriatur. Speculatorum ductu,quum in hostes contenderet, ad primam noctis vigiliam, eos propius adesse sensit. Illucescebat fortè fortuna luna, & magnis cœptis fauere videbatur. Pòst vbi eo peruentum est,vnde hostium castra spectari poterant,ne quis fugæ pateret exitus,illac agmen circumduxit: mox sopitos,& incautos,excitato clamore aggreditur. At illi,repentina & inopinata trepidatione correpti, pars in fugam, ad rapienda multi arma se cōuerterant. Fugientes, quum in obductum agmen inciderent,pedem referunt:qui constiterant, somno & terrore iuxtà stupidi, & à se ipsis alieni,ad bellum haud facilè se expedire poterant. Coruinus per aciē quaq; discurrens, exclamat, Sopitum & inermem hostem, & tremore perculsum,sine mora cædendum:occasionem tantam victoriæ allatam,non temere prætermittendam,tuto ac forti animo in cōfusos attonitosq; hostes,irruendum: vulgò ingeminans, Iam in manibus esse victoriam. Primo congressu tumultuatum potius,quàm pugnatum est:sed postquam Turcæ Coruinum adesse sensere, ad illius tantùm nomen consternati, terga vertunt: quacunq; cursum flectunt, saucios semineces q; socios offendunt:prę timore tāta inter eos oborta confusio,vt inconsiderato fugiendi studio, conglomerati, inuicem comprimerentur, & ab insequenti facilè manu confoderentur. Pars maxima, inter dumeta & auia loca præceps acta,dum se in tēpore expedire non potest, ab instante facilè victore cæditur. Per totam noctem, cum magna palantes cæde petiti sunt hostes. At postquam illuxit, reliquiæ quæcunq; superfuerant, absumptæ. Strages longè maior patrata, quàm aut Coruinorum numerus, aut humana fides pateretur,quando à decem milibus equitum,triginta Turcarum milia,vna nocte cæsa, capta quatuor, & nouem militaria signa hostibus erepta. E Coruinis autem, non multi pro cladis magnitudine desiderati: vix pleriq; quingentos oppetiisse memorant,siquidem pauci infestum hostem inuenere. Castra opulētissima direpta,ne minima quidē impedimenta hinc ab illis ablata. Incensis mox Turcarum castris, Coruinus insigni victoria potitus, ouans cum ditato exercitu, ad regem

regem rediit. Ne minori quidem expectantibus, quàm redeuntibus ille dies lætitiæ fuit: nam vbi Coruinum cæsis ad internecionem Turcis, appropinquare nunciatum est, Rex è castris, & Despotes, cum reliquis legionibus, ad tria milia passuum, cũ ingenti plausu, & faustis acclamationibus, gratulabundus occurrit. Coruinum suis auspiciis triumphantem, & apud congressum, ad præuenerationis officium, equo descendere cõtendentem prohibet, apprehensa mox dextra, claram victoriam gratulatur: publicè Deo optimo maximo gratias agit, quòd sibi in Vngaria regnanti, eum his temporibus diuina clementia ducem dederit, qui Romano dignus imperio, citra inuidiam, vbiq; gentium haberetur. Quantum illi patria, regnum & Christiana respublica debeat, breuiter ostendit: meritis laudibus euehit, & vt Coruini gloriam imitentur, cæteros hortatur: cõgratulationis officium deinde Proceres exsoluunt. Mox iunctis cum Rege agminibus, non sine magno plausu, militariq; lætitia, præmissa spoliorum pompa, & longissimo captiuorum ordine, qui catenati præcedebant, Vladislaus & Coruinus in castra rediere: ob rem bene gestam supplicationes indictæ, & pientissimo Iesu Christi numini, gratiæ in sacris actæ sunt. Ad prosequendum deinde bellum, Christiani animos intendunt. Iulianus Pontificis Legatus, & Crucigeræ multitudinis præfectus, quæ gratis præ studio sanctæ fidei militabat, cunctos ad continuandum victoriæ successum impensiùs hortatur, & in tanta diuinæ benignitatis dexteritate non cessandum, sed promouenda quotidie castra suadet, & proxima quæque Bulgariæ oppida recipienda. Coruinus per exploratores iam compertum habebat, à Sophia, Philippopolim, Thraciæ ciuitatem, trium ferè dierum itinere distare: tantundemque interualli, inter Adrianopolim & Philippopolim interesse, quæ trium quoq; dierum spacio, Constantinopoli admouetur. Superandi tantùm Hemi difficultas obiiciebatur, quippe qui è transuerso Sophia in Macedoniam & Thraciam proficiscentibus, longè lateq; protenditur. Bulgaria à Cyabri amnis fonte, qui Triballos olim a Mysis diuidebat, nunc incipit: per Hemi montis dorsum, in Vulturnum Aquilonemque porrigitur: à meridie, in Macedonas Thracesque declinat: à septentrione, in Danubium deflexa, in inferiorem magna ex parte Mysiam effunditur. Hemus mons editissimus, quum longiùs effundatur, inter has (quas diximus) regiones excurrit: hinc iuga vsque adeo frigida, vt perpetuas niues habeant: & vix duobus anni mensibus, super se pastores æstiuare patiatur. A Sophia in Macedoniam Thraciámve iter facientibus, duplex ad superandum Hemum patet exitus, alter labore Romano, & à Traiano (vt multi perhibent) factus est: vbi quadrato adhuc lapide maxima porta spectatur, quæ ad arbitrium aditum inhibebat, dabatq;. alter, ad paruum est amnem, quem Slatizam Bulgari nunc appellant. Vter igitur aditus pateret, hac iter facere Coruino, quem expeditioni & itineri Rex vltrò præfecerat, tunc erat animus. Proinde motis castris, quæcunq; occurrunt Bulgariæ oppida partim vi, partim per deditionem capiunt: qua quidem in re haud paruo adiumento fuit consimilitudo Christianæ professionis, abominabilis Turcæ feritas, linguæque magna cognatio, quæ ad cõciliandos hominum animos potissima videtur esse magistra. Nam quum Poloni Bulgariq;, à Sclauonico genere oriundi, eandem linguam seruent, ad nullum oppidum Polonus equitatus accessit, quin se cõtinuò dediderit. Ne minus quidem impigrè vbique Crucigeri se gessere. Quum autẽ sub Hemo, ad Thraciæ aditus peruenissent, rigente iam hieme, occlusum saxo materiaque vtrunque per exploratores inueniunt. Alterum angustiorem, & humana arte factum, prætermittũt: vbi stratam olim viam à Romanis videre licet: quam non modò lignis cautibusq; Turci compleuere, sed in decliuioribus sæpe locis, aquam per noctem aspersere, vt brumæ rigore in glaciem conuersa, equis & iumentis ascensum inhiberet. Peruenere ad alterum, pari arte præclusum, pridie natalis Iesu Christi, quem Slatiza subfluit. Varia hic ingruunt incommoda, in primis aditus difficultas, quam non temere ab Amurathe Turcarum Rege factam esse dicunt, vt quum cladibus iam plerisque à Coruino foret affectus, præclusis duobus accessibus, impositisque præsidiis,

tutò ac facilè, sine pugnæ periculo, à Pānoniæ Rege, tueri posse videretur. Item Vngarorum exercitum tanta rerum omnium incessit inopia, vt quisque militiam detrectaret, & de militari seditione addubitabatur. Hemus in solitudines, prærupta & inaccessa loca effusus, steriles appendices habet: ad extremam frumenti & cōmeatuum caritatem peruentum erat, iam inedia vniuersus languebat exercitus, & ad sedandam famem, parum tritici, rarò cum carne decoquere licebat. Accedebat brumæ væsania, inopia pabuli, & frigoris rigor intolerabilis. Quum omnia gelu constitissent, pabulatum sæpe & aquatum ire non licuit: proinde frigore, fame, ac itineris difficultate retrocedere cogebatur exercitus: & iam dissolutus esset, nisi crebris Coruini adhortationibus paruisset. Is enim assiduò dicere, plurimum difficultatis iam exhaustum esse: quod superest, solita virtute ac robore perficiendum, cui nihil arduum & difficile, se proximos dudum Thraciæ fines esse tacturos, rerum omnium feracissimam. Eo iam penetratum esse, vt si retrò cesserint, præ belli vastitate, maiora longè mala remetienda sint, quam si vltrà progrediantur. Nihil, patefactis his faucibus, instare laboris: ad populationes tantùm hilares animum intendendum, in medio rerum successu non cessandum. Quando nō eadem semper fortunæ dexteritate vti licet, contemptum numinum fauorem cōtinuò auerti: hactenus nil esse factum, si vltra non itur: quando omnia quæcunq; capta sunt, facilè ab hoste recipientur, nisi succensis domiciliis (Quia Turcarum satis hucusque cæsum est, pauci qui supersunt) Thracia & Macedonia, ac demū Europa eiiciantur. Quare dum miles Coruinum audit, facilè quisque confirmatur: sed dum mala, a quibus se circumuētum intuetur, memoria repetit, temerarios principum ausus execrantur. Interea Turcarum aduentus ab exploratoribus nunciatur, congratulantur inuicem legiones, quòd honestæ mortis occasio daretur, quando multo pulchriùs in acie, quam inedia & algore mori existimabant. Præmissus cum equitatu, nonnullisque militum cohortibus est Coruinus, qui quum ad hostes peruenisset, facili eos pugna fudit, fugauitque. Octies hucusque cum hoste conflictum esse testantur, qui huic expeditioni affuere, sed non collatis signis, & instructa semper acie. Nos autem quemadmodum à quibusdam Coruini militibus accepimus, qui vulnera etiam eo bello suscepta ostendere, rem ita referendam esse, censuimus. Dissentit ab his aliquantulum Callimachus, Poëta nostri temporis excultus, ac scriptor egregius, qui antequam noster exercitus pedem referre cœpisset, cum Turca dimicatum, & Carambum captum, in Vladislai vita retulit. Sed quid Vngari referant, audiamus. Quum nulla vi fauces aperiri, ac Hemus mons, ob imposita Turcarum auxilia superari posset, & egestate rerum algoreq; intensissimo conficeretur exercitus, à Slatiza pedem referre cœperunt, ne irritis conatibus perire viderentur. Atque veluti Coruinus & Despotes, cum suis copiis veniendo, regia castra vnius diei itinere præcedebāt: ita econtrario, Rex cum exercitu redeundo præcessit: Turcæq; in monte consederant, vt transitum inhiberent: nunciato Christianorum reditu, instauratis animis, per iuga montium hostes subsequuntur, rati oblata occasione, cumulatas ab his pœnas, antequam Mysia egrederentur, exacturos. Carambus dux erat, quem Celepin alij dictum esse volunt: is Asiæ præfectus, & Bassei frater, qui inter cæteros apud ipsum Regem principatum fuerat assequutus, Amurathis sororem, legitimo sibi matrimonio coniugarat, & Imperatoris edicto ad hoc bellum accitus, cum Asiaticis copiis in Europam traiecerat: quum his angustiarum præsidiis à Rege præfectus esset, id in primis fuerat admonitus, ne qua magna occasione, quæ certissimam victoriam polliceretur, manum cū hoste consereret: sat enim se victurum Amurathes esse rebatur, si hostem à Thraciæ finibus arceret. Celepis, huiusce præcepti haud immemor, Christianorum castra sequitur, & à montibus eorum iter obseruat. Quum nostri terno agmine iter facerent, regia castra præcedebant, Coruinus & Despotes triginta millibus passuum succedebant. hoc igitur ordine, dum idem iter remetiuntur, sanè vtebantur.

RERVM

RERVM VNGARICARVM DECADIS TERTIÆ LIBER VI.

VICTVS his difficultatibus, quas enumerauimus, Christianorum exercitus, quum ad quendam montem ex Hemi appendicibus, quem nunc Bulgari Cunobi[illegible]m vocant, rediisset, & Carambus sequens à montium iugis iter hostium obseruaret, milites è castris, seruato parum imperio, temere egredi, ac ex agmine quandoq; in Turcas erumpere cœperunt. Qui montibus insidebant, & ex iniquo loco, veluti rabie quadam adacti, pugnare nitebantur: suspecto hoste, haudquaquam bello contineri, præfectis & centurionibus temeritatẽ increpantibus parum auscultare: dicere, Malle bello ne inulti moriantur, quàm fame mori. Carambus ad bellũ audax, & gloriæ cupidus, hostium temeritate ad prælium inuitatus, quum se numero, loco, & viribus superiorem esse intelligeret, non aliter, atque si certam in manu victoriam haberet, a conserenda manu, contineri non poterat, ratus, se victoriæ gloria contempti crimen imperij, facilè aboliturum: quare cum hoste omnino confligendum esse decernit. Coruinus & Despotes, ruituros dudum in se Turcas, suorum militũ insultibus irritatos conspicantur, & Regis absentia grauiter anguntur, qui itinere vnius diei (vt diximus) præcedebat. Videbant se, neque bellum detrectare, neque legiones regias habere, neque præ desperatione à pugna militem coerceri posse. Proinde inuiti, pòst vbi Carambum instructã in se aciem dudum dimissurum esse intelligunt, socios exorant, ne temere intemperateque in hostem erumpant, sed in ordinem redigi patiantur, vt si vincere non daretur, ne incruentam hosti victoriam relinquant. Instruunt igitur extemplo acies, & diuina magis quàm humana ope freti, in hostem signa tolli iubẽt. Iam Carambus equitatum à monte demiserat, & instructa acie, cum nostris pugnam init. Magna concurritur vtrinq; ferocia, & ad radices montis, inter colles & conualles congrediuntur, vbi in primo congressu multos cecidisse ferunt. Polonorum equitatus, quem Rex paulò antè cum Coruino præmiserat, remanseratque ad subeunda quæque maxima belli pericula, & Vngarorum turmæ, cum expeditissimis vexillationum alis, quibus Despotes ipse præerat, citra vitæ rationem ita dimicabant, vt nil morte vehementius appeterent. Turcæ aliquandiu pertinaciter obstitere, quare magna cædes à principio patrata: sed postquam cum desperatis rem sibi esse intellexere, cœpere sensim defectis animis inclinari, non cum hominibus, sed immanibus feris se pugnare rati. Occurrit à tergo Carambus, laborantibus subsidia suggerit, pusillanimes increpat, reuocat fugientes, nunc maledictis, nunc hortationibus, nutantes animo obfirmat: instaurat vbique prælium, & cuncta diligentissimè curat. Ne minus quidem impigrè cum Despote Coruinus, qui desperatis dudum rebus, vbi inclinatos hostes esse vidit, mox victos exclamat, suos admonet, & precatur, ordinem & dimicandi rationem seruent, ne temere pugnando, sese mucronibus hostium obiectent, imminentem victoriam capessant, sciantque, se sub diuinis auspiciis & tutela dimicare. Mox cohortes quasdã peditum, ad cliuũ montis, inter virgulta submittit, qui cum venabulis cæsim punctimq; cædentibus, discursantes à latere Turcarum equos, subcidant. Maximam equitatui cladem hæc manus intulit, inclinatur hîc acies, & qui subsidebant, in iugum montis, vbi præsidium relictum erat, repentè subterfugiunt: audaciores qui in valles planè descenderãt, circumuenti à cataphractorum equitatu, ægrè se ad accliue montis latus referre poterant. Carambus à tergo inclamitans, nunc fugientes reuocare in aciem, nũc admotis laborantibus subsidiis, opitulari: spem vbiq; & prælium pro virib. instaurare, omnia strenui militis, impigriq; imperatoris officia præstare: inter confertissimos hostes se ingerere, & desperatis rebus hac & illac discurrere, animare trepidantes, & sociorum fugam remorari. Ad postremũ, quum extremo conatu

dimicaret,niue deceptus in lacũ incidit,qui glacie ſæua cõſtiterat: vnde quum nec ſe,nec equum educere poſſet,à gregario milite capitur. Cæteri, qui effugere è cruentiſſimo prælio potuere,ad reliquum præſidij,quod in monte ſuperfuerat,ſe receperunt. Subſequũtur per auia & inacceſſa loca Chriſtiani: ſed quum inclinante iam die,& loci iniquitate remorati forent, dato receptui ſigno in caſtra redière. Carambus cum Magnatibus plurimis captus,multi in acie cæſi, ſed in fuga longè plures. [illegible]his qui in montem fugam non rapuerant, pauci euaſere:belli reliquias in diem poſterum Coruinus differt. Interim hoſtem veneran do aſpectu , habitu Aſiatico Perſicóve , à gregario milite , præter viri dignitatem,vinctum duci conſpicatur:militem vt captiuum ſibi hominem vendat, exorat. Decem poſtulanti , quadragenos impendit. Carambus igitur Præfectus Aſiæ, & arctiſſima Imperatori affinitate coniunctus,tanti venit. Ad Coruini tabernaculum adductus , pro dignitate cuſtoditur, & bono eſſe animo iubetur. Fortè ea nocte Deſpotes huc aduenit,de belli reliquiis conſulturus: quum ad ignem liberali facie & graui captiuum vultu reſpexiſſet,extemplo Turcarum lingua virum alloquitur (cuius ob veterem illius gentis vicinitatem conſuetudinemque non erat ignarus)& repentè virum agnouit. Clàm fortunam eius miſeratur conſolaturque,& ad Coruinum ſubinde conuerſus , vt hunc ſibi mercari liceat,precatur. Quadragenis ille ſibi conſtitiſſe reſpondit, ſe verò nemini pluris minorisve,quam quadragenis aureûm milibus vænundaturũ aſſeuerat. Tantundem Deſpotes ſe daturum interea pollicetur. Interea honorificè benigneque tractari iubet,& diligentiùs aſſeruari. In auctione Carambum Aſiæ Præfectum fortuna poſuit , vt variam inconſtantemq; humanæ vitæ conditionem oſtendat, & quàm graui, & non præcipiti conſilio , ſemper ſit agendum , aperiat. Poloni,huic prælio Vladiſlaum & adfuiſſe & præfuiſſe dicunt: Vngari,Regis id auſpiciis, ſed abſente Rege,geſtum eſſe teſtantur. Inſequenti die de expugnando Turcarum præſidio,quod in arduo monte ſuperfuerat,ac extinguendis belli reliquiis, vt illuxit, agi cœptum eſt. Vladiſlaus , vt militum ſaluti conſuleret, quando conatus irritos fore arbitrabatur,id omnino dimittendum, & leuandæ famis gratia , ad reditum animos intendendos eſſe cenſebat. Coruinus & Deſpotes, qui hoc admodum bello , & Carambi captiuitate , recuperaturum ſe regnum eſſe ſperabat,deturbãdum inde Turcarum præſidium, & ne ex his ſuſcitetur incendium, ſcintillas omnino extinguendas eſſe conſulunt : nihil militum robori & virtuti obſtiturum eſſe,affirmantes. Vicit tandem Coruini Deſpotiſq; ſententia. Rex quoque,ne ducum militumq; virtuti quicquam aduerſando detraheret,facilè ceſſit: miles curare corpora, & mox arma ſumere iubetur. Tertia hora diei,inſtructa Regis acies,montem prima cõſcendere cœpit, factura periculum,an arduum montis accliuum ſuperare poſſit. Sæpe à difficultate hirti ſaltus,remotata ſubſtitit. Coruinum obſtinatus proſequẽdæ victoriæ animus, experiri cuncta iubet, luſtrato aliquantiſper monte , per obliquum iter,clementius expeditiusque ſubit. Et quum vertex montis, quem hoſtes inſederãt, in prærupta promineret,eiſque ſubeuntium deſpectum interciperet, Coruini ſine vllo negocio in alterum montis huiuſce iugum peruenere , rati hinc in hoſtes facilè ruituros. Sed quũ progredi contra cœpiſſent,abrupti ſaxi prohibentur hiatu,quem neque complere materia,neque ponte tranſire licebat. Quum hoſtem cominus deturbare non poſſent,obiectis belli machinis,oppugnare contẽdunt. Catapultas,baliſtas,& cætera tale genus tormenta intendunt, quæ inſanos lapides emittant,& fragore terrerent ſerantque. Turcæ, quum hoſtes in conſpectu propius adeſſe,& horribili ſaxorum iactu ſe peti conſpicãtur,ne parum quidem animo conſternãtur: Alibeium ſuperiori nocte Carambo ſuffecere,quum multos dira lapidum iactura læſos diſſipatoſque intuerentur,grauiter inter ſe fluctuant,quando ab omni ſpe ſe deſtitutos intuentur. Alibeius,cõſternatæ & in præceps ituræ dudum multitudini, ſalubri conſilio ſuccurrit, omnes admonet,iubetq;,audito mox fragore,poſt cotes & ſaxa procumbere , præſentaneo peſtem remedio auerti poſſe,docuit: & hoc ad reſiſtendum commento, ſuos obſfirmauit. In-

uit. Interea Coruinus, per accliuum magis arduum, qua patebat in hostes ascensus, multas cohortes subire iussit. quæ quum infrà pugnarent, præ loci iniquitate, & Turcarum occursu, facilè reiectæ sunt: demum quum irritam tormentorum operam in vertice, & in præcipiti accliuo calamitosam suorũ ac regiorum operam esse intelligeret, desperata congrediendi copia, signum, consulto Rege, tandem receptui dare iubet, in planiciemque deduci agmina. Turcæ, abeunte Rege, animos audaciamq; pariter instaurãt, lætanturq;. In sequenti die, vęsaniente hieme, & increbrescente indies rerum omnium egestate, Rex cum ducibus, legionumq; Præfectis, de festinando reditu iterum agit: vt è sterili asperaq; regione, antequam inedia conficeretur exercitus, in vberiora loca reuerterentur. Coruinus necessitati tandem cedendum esse ratus, quippe quæ honesti quandoque rationem haberi non patitur, à Regis sententia non dissentit. Despotes tantùm, quum idem alij planè sentirent, intercessit: socios increpans, qui capto iam duce, & profligatis ferè hostibus, victoriam in manu sitam desererẽt, exiguas belli reliquias non extinguerent: per metum & ignauiam, superato hoste, terga verterent: polliceri ad hæc, se ad inhibendam famem, tantum pecuniarum erogaturum, quantum satis superq; fore censeatur. Legatus hæc eadẽ pontificius iactabat vulgò. Sed quum difficultates ac mala intolerabilia forẽt, nulla commodorum spe, militum animi leniri potuere. Vulgò his obstrepere legiones, & obclamitare, non duces & præfectos, quibus nihil deest, sed milites fame confici. Despotem recuperãdi spe regni, intolerabilia, & ea quę præstari nequeunt, suadere: illum haudquaquam quotidiano militum & iumentorum interitu commoueri: necessitatem superari non posse: exacta se hieme, ad sacram vltrò militiam redituros. Interea sæuiente bruma, & imperãte fame cessandum: exercitum in hiberna dimittendum, vt corpora labore, frigore, inediaque absumpta, curent & reficiant. Quas ob res, Rex præmissis impedimentis iter relegit, quod prius fuerat emensus. Et Turcæ prospecto eius reditu, fugam potius esse rati, ex insperata lætitia vires instaurant, & abeuntes subsequi decernunt. Nouissimum sæpe agmen infestant, & nunc à tergo, nunc à latere, crebris insultibus adoriuntur: mutuas clades inferunt, accipiũtque, quibus mos erat occurrentibus cedere, mox in auersos, conglobatos redire: intercipiebant vsque adeo quandoque iter, vt exercitus progredi non posset, accedebant onerata spoliis & rapinis impedimenta, quæ properare non sinebant. In syluam peruenere, non arborum proceritate opacam, sed mira fruticum fœcunditate completam: item inuiam, & stagnantibus sæpe aquis, torrentiumque defluxibus cœnosam & inæqualem, ac ad faciendum iter perquam difficilem: præcesserat magna ex parte exercitus, nouissimum agmen ad syluæ initium, quod cataphractorum erat equitum, vt pariter atq; murus à tergo protegeret, Turcæ cum expeditissimo impetunt equitatu: velites in hos conuertuntur, vt inhibeant: instant hi, & grauem in sylua pugnam cõserunt. Clamor ingens effertur, ad quem qui antecesserant, recurrere: inter digladiandum in vliginosa loca diuertere, vbi quicunque equites inhæserant, ægrè præ cœni altitudine se expediebãt, intercedebãt vada quædam occulta, & anfractus, ac insidiosa locorum inæqualitas, qua præcipites equi agebantur: ad expediendas syluæ difficultates, pedibus dimicare cogebantur: qui retrò in subsidium concurrerant, inconsulto succurrendi studio, aut palustri solo impingebantur, aut in cæcos alueos corruebant. Dirempto prælio, equites circiter octoginta è Christianis desiderati, qui in postremo ordine capti sunt: è Turcis centũ & septuaginta, quos Coruinus extemplo iussit obtruncari, cæteri fusi fugatiq;. In sylua, cum loci potius difficultate, quàm hoste dimicatum. Quum igitur fames quotidie maior instaret, & grauitas multitudoq; impedimentorum, ac assiduus Turcarum insultus, iter admodum remoraretur, ne inedia & lassitudine absumeretur exercitus, Regi cæterisq; procerib. visum est, sarcinas in medium conferri: ex his quæcunq; oneri potius, quàm vsui forent, publicè concremari, desideratorũ arma militum, hostiumq; terra infodi, debilia superuacuaq; iumenta cædi. Exercitus inutilibus leuatus oneribus, expeditiùs

properare potuit, neque facilis subsequendi & incursandi copia posthac hosti fuit. Longis igitur itineribus, ad Albam Græcam, quam nunc Belgradum dicunt, cum vniuersis copiis, Vladislaus peruenit: honorificè à suis exceptus, dies aliquot, per quietem & rerum copiam, milites & equos refecit, recreauitque. Traiectò deinde Sauo, cum Coruino & Despote, cæterisque Proceribus, Budam properauit: ciues & Præfectus, quum eum vrbi cum copiis appropinquare nunciatum esset, è Senatus consulto, vt reducem pro dignitate Regem exciperent, cum omnibus ordinibus & collegiis sacerdotum in occursum effundútur. Pontifices cum sacerdotum ordine ad primum lapidem substitere. Prætor vrbanus, & Præfectus arcis, cum cæteris Magistratibus vltrà progressi, subsequente populo, Regem, qui à dextra Coruinum, & Iulianum, Despotemque à læua tenebat, cõuenere: succedebãt his Præfecti equitum, primipili, ac hilares & exultabundæ legiones, quæ non modò capite, sed præfixas pilis hastisque coronas gestabant: in congressu tantus editus est plausus, & facta congratulatio, vt faustis cuncta salutationibus resonarent. Publicam tubarum clangor, & militaris ingeminatio, lætitiam augebat. Deinde triumphi pompa explicari cœpta. Ante Regem, longus captiuorum ordo præibat insignium, in primisque Carambus, Asiæ Præfectus, qui catenatus ante victorem, omnium in se oculos planè conuerterat: præferebantur signa hostibus adempta, & spolia quæcunque aduehi potuere. Coruinus, in palmata veste, inter Legatum Pontificis & Despotem sequebatur, vt ipse post Regem non immeritò triumphare videretur. Succedebat his sanctissimum Crucigerorum agmen, cuius latus Pontifices & Magistratus vtrunque claudebant: continuabant ordinem subinde legiones, quorum vociferam alacritatem Danubius & vicini montes referebant. Sed vniuersum quem diximus ordinem, sacerdotum pompa præcesserat, qui sacro habitu & solenni cęremonia incedentes, penates, & deos patrios, item aurea argenteaque diuûm simulachra, præferebant: sacros pro agendis gratiis hymnos, Iesu Christo optimo maximo, ac diuæ Genitrici, Pannoniæ patronæ, concinebant: à dextris & sinistris, promiscua populorũ turba, cœlum plausibus sanè complebat, Vladislaum & Coruinum certatim ingeminans. Ast vbi ad portam vrbis processere, Vladislaus Rex pientissimus, vt Deum tantæ victoriæ auctorem fuisse profiteretur, confestim ex equo desiliit, pedibusque ouans, vrbem ingressus, diuæ Genitricis Basilicam, cum triumphali pompa prius inuisit. Res vbi diuinas ad omnia puluinaria fecit, solẽnes, maximo Seruatori, & diis omnibus, gratias egit: hostilia templo cum spoliis signa apposuit, tabellamque subtexuit, quæ victoriam à Turcis diuina benignitate relatam, planè testaretur. Solennibus rite peractis, in arcem peruenere, Coruino publicè à Rege laudes pro meritis datæ, cuius virtute prudentiaque, omnia prosperè euenissent. Laudati quoque pro dignitate cæteri Proceres & Præfecti: item his mandatum, vt sua quisque cum titulis insignia, ad magnam aram, in eadem basilica titè suspenderet, ne merita præsentis victoriæ laude fraudaretur: quæ ad nostram vsque tempestatem suspectantur. Multo magnificentiùs triumphi spectaculum fuisset, si hostium spolia, quæ præ necessitate humi infoderant, succenderantque, referre licuisset. Secundùm Regis Coruinique triumphum, qui per vniuersam paucis diebus Europam effusus est, Christianorum Principum animi, qui Turcarum successu consternati fuerant, vsque adeo erecti sunt, vt regnante Vladislao, viuenteque Coruino, feritatem diræ gentis, si bellum prosequerentur, non amplius expauerent. Quare con gratulatum simul & hortatum, legationes vndique properabant. In primis, Eugenius Pontifex maximus, item Veneti, Genuenses, & Philippus Burgũdiorum Dux, Legatos in Pannoniam misere, vt post insignis ac sanctæ victoriæ congratulationem, Regem, & Ioannem Coruinum, ad bellum in Turcas redintegrandum hortarentur, orarentque, pecunias & auxilia pollicerentur, classem quoq; munitissimam promissis adiicerent, ad Hellespontũ, quæ Asiaticis copiis transitum inhiberet: & Turci tot à Coruino cladibus affecti, qui in Europa superfuerant, ad internecionem faciliùs redigerentur. Aduenit & Ioannis Palæologi

Græ-

Græcorum Imperatoris clara legatio: cuius imperium, Turcarum viribus ita fuerat labefactatum, vt ademptis tot prouinciis, parum sibi in Thracia & Græcia superesset: post gratulationis officium, Regem Senatumq; precatur, vt salutare piumq; bellum primo quoque tempore prosequatur. Magnitudinem occasionis ostendit, quando attenuatas in Asia & Europa Turcarum res enunciat: hinc ab Vngaris, à potentissimis principibus illinc, grauissimè vexari: his miraculum adiecit, eo quo Carambus captus est die, Constantinopoli, ad portam Macedonicam, visum esse iuuenem candidatum, equo insidentem, gestienti circùm lætitia discursare, nunciare Turcarum cladem, & ineundæ in diræ gentis exitium

10 expeditionis admonere. Demum, si à Vladislao bellum instauretur, Imperatorem Græcum pollicetur, cum validissimis copiis, à Thracia verno tempore adfuturum. Neque deerant instantissimæ Iuliani hortationes, & lachrymosæ Despotis preces, qui quotidie Coruinum, cæterosque Proceres ambibat: amplexabatur Regis genua, & ad persuadendam hanc expeditionem, nihil studij, laboris & diligentiæ remittebat. Aduersantur his acerrimè Polonorum oratores, qui functi gratulationis officio, Regem ab externis bellis auertere nitebantur, donec intestina componeret: dicere, ipsius absentia, Proceres, publica cōmoda contempsisse, priuata curare, & libidinis & ambitionis imperio cuncta gerere, per negligentiam & ignauiam omnia ruere, hinc tantum Tartaris audaciæ ac-

20 cessisse, vt magnam Russiæ Podoliæque partem diripuerint: a finitimis, sub iusti belli specie, populationes inferri. Boleslaum, Opoliæ Ducem, licentiùs incursare, & Casimirum è Lituania, Massouiæ bellum indixisse: proinde ni ad pacandum Poloniæ regnum reuertatur is, perbreui ruiturum. Postquam Vladislaus cunctis Oratoribus pro congratulationis officio gratias egit, eorumq; studia in religionem & orthodoxam fidem commendauit: respondit, Se propediem frequentissimum conuentum habiturum, ibiq; de instaurando bello decreturum, daturum demum operam, vt potentatuum postulationibus pro sua virili satisfaciat. Postero die Legati omnes dimissi, conuentus Budæ freque̅s indictus, quo regiis diplomatis, non modò Vngari, sed Boemi quoque, qui in Vngaria conse-

30 derāt, promissa incolumitate, acciti: & in primis Giscra, eorū princeps. Et quāuis Iulianus intercesserit, ne præsentibus Boemis de religiosa expeditione ageret, tamen aduersante Franco Bano, eorum aduentus & præsentia tolerata. Coacto conuentu, de abrogādo intestino bello à principio actum est: quod quum non posset, induciæ in biennium prorogatæ, & ea quidem conditione, vt captiui vtrinque dimitterentur, & exactis induciis, in captiuitatem reuocarentur, si pax ipsa non transigeretur. Adempto duobus annis intestini periculi metu, ad externum peruentum est. Iulianus & Despotes, quum impensiùs de suscipienda noua in Turcas expeditione disseruissent, facilè victoribus persuasere: quam vt commodiùs gererent, nouum prouincialibus indigenisq; tributum

40 imponi, & quæstores pij stipendij subinde creari placuit: bellici apparatus cura Coruino tradita. Et mox quæcunque in hoc conuentu decreta fuerant, Vladislaus omnibus Christianæ reipublicæ Principibus, ad quos ista pertinerent, vt in tempore parata omnia forent, nunciauit. Pancratius, cui à sancto Nicolao cognomen est inditum, in conuentum venit, Polonicæ factionis, in Vngaria, his temporibus assertor acerrimus. Violata sacrosancta concilij libertate, facto nobilitatis impetu, ex odio publico captus est, in vinculaque coniectus. Pari quoque inuidia, socij ad supplicium rapti sunt. Furoris huiusce causam ferūt, quòd regionem, quam Vagus præterfluit, assiduis infestam latrociniis teneret: vnde publicam in se, sociosq; suos, inuidiam conflauit, & eam quidem, quæ publicæ

50 fidei sanctitatem violaret. Ne mitius quidem cum Giscra actum foret, nisi Regis ope & misericordia obiecta, Polonorum manus per posticum hominem eduxisset, mutatoq; laurinum habitu cōtinuò trāstulisset. Quare Seruatorem, & salutis auctorem suæ, Vladislaū posthac semper appellauit. Rex autem, quamuis rebus Pannonicis, & futura expeditione admodum sollicitaretur, paterni tamen regni procellis miserè vexabatur. Succurrebāt procerum suorum discor-

diæ simultatesq́, Tartaricæ incursiones, intermissa reipublicę cura, & bellum, quod cum Amaxobiis Casimirus frater gesturus erat. Sæpe de repetenda patria cogitauit, vt regnũ pacaret, cum fratre de rebus agendis rectè decerneret: dum Turcico quæcunque bello sunt vsui, cõparantur, & tributum, quod huiusce rei causa fuerat impositum, exigeretur. Sed instantissimis Iuliani Despotisq́; precibus & monitis remoratus, qui se in tanta rerum mole apud suos Polonos excusarent, Legatos misit. Quinetiam magnus Pannones omnes timor incessit, ne Rex Poloniã reuiseret, neve parentis pientissimæ, suorumq́; charitate, a belli studio reuocaretur. Ingruente iam vere, Vladislao, Coruinoque placuit, per Legatos omnes Principes admonere, qui in salutari hac expeditione classem, auxilia, pecuniásve vltrò promiserant, vti in primo tempore promissa præstarent. In primis Constantinopolitanum Imperatorem, vt quũ se in Thraciæ Macedoniæque finibus cum exercitu esse sentiret, præstò quoque ipse cum auxiliaribus copiis adforet. Insuper Eugenium Pontificem maximum, Venetos & Genuenses, cæterosque socios, qui comparandæ classis negocium vltrò susceperant, vt in Hellespontum eam mitterent: quod & impigrè ab illis factũ est. Quippe qui ad Caietam septuaginta triremes instruxerant, classi Franciscum Albertum, è patricio Florentinorum genere natum, Cardinalem, ingenio & virtute præstantem, præfecerant. Is continuò in Hellespontum nauigauit, portus occupauit, & littora, ne qua ex Asia Turcis auxilia transmitti possent. Ad augendam hanc inferendi belli occasionem, fama felix accesserat, Carmaniæ principem cum magnis exercitibus in Pontum ac Bithyniam properare, vt minorem Turcis Asiam eripiat, Europæ imperio infensissimis. Longè magis, hac rumoris dexteritate succensa sunt ad hoc bellum Christiana studia, quum secum reputarẽt, non modò Europicos per se, maximum in hoc bello fœdus iniuisse, sed Asiaticorum quoque, ex insperato, auxilia accepisse. Quinetiam Amurathes, audito Carmanici belli periculo, ita animo consternatus est, vt de pace potius quam bello, si posset, cogitare cogeretur. Quum enim toties se ab Vngaris & Polonis, Coruino duce, & sub ductu auspiciisque Vladislai, fusum fugatumque reputabat, pensitatis quoque Carmani viribus, omnem in Europa Asiaque victoriam desperabat. Succurrebant Italorum opes, cum Burgundionum viribus vna con iunctæ, quæ terra marique plurimum posse viderentur. Quare nihil vtilius veniebat in mentem, quàm coniurante in se vno tempore simul Europa, & non parua ex parte Asia, de pace cogitare, quam propagandi olim imperij cupiditate semper abominabatur. De ea cum Despote agendũ esse cẽset, cuius ob liberorum captiuitatẽ, & Regni priuationem, anhelantissimum fore intelligebat. Itaq; ad eum clàm nuncios mittit, qui ita cautè cum illo de pace agitent, ne eius cupidi videantur. Quare de Carambi prius redemptione agant, & pro ipso liberorum Regnique Mysiæ restitutionem polliceãtur de pace subinde, veluti prætermandata Regis mentionem sensim faciant. Despotes primò, qui Turcarum artes non sine magna iactura callueràt, suspicione corripitur, deinde quum de suis commodis agi intelligeret, dictis eorum aures admouit: quinetiã id in rem Vngarorum admodum fore videbatur, ad Coruinum rem ipsam pertulit. Ille quoque pensitatis belli periculis, & Vngarorum Polonorumque malis, qui intestinis iuxtà discordiis laborarent, infestumque Fredericum haberent, opibus etiam & auctoritate pollentem, ne recusandam quidem pacem reputauit. Et quum cõditiones omnes à Despote edoceretur, quas ne fictas quidem esse intelligebat, eo impensiùs ad pacem animum intendit. Neque displicebat illud quod a Despote deferebatur: quippe qui, si eius opera pax ista fieret, quadraginta aureûm milia, Turcarum nomine, pro Carambo, & quæcunque a Sigismundo Imperatore oppida in Vngaria sibi dono data fuerãt, recuperato se Regno, Coruino daturum pollicebatur. Amurathes quum acclinatum paci Coruini animum à Despote accepisset, quem vnicum in Europa perhorrere videbatur, idibus Iunijs Segedinum, ad eum Legatos misit, qui pacẽ omnino ibi transigerent: at ille, Vladislaum Regem statim admonuit, vt ad eundem diem, cum instructo

instructo illic adforet exercitu, vt quum adfuturi sunt Turcarum legati, de concordia secum acturi, motis dudum castris, æquiores pacis conditiones extorqueat. Conditiones omnes significarat, Rex autem cas conspicatus, neque regno, neque tempori iniquas fore, & fluctuantibus præsertim Poloniæ rebus, neque tutis etiam Vngariæ, mentionem pacis lætus audiuit: ad præstitutum cum plurimis copiis diem adfuit. Admissis Turcarum oratoribus, Segedini diebus aliquot de pace vltrò citroq; acerrimè disceptatum, quando Turca Bulgariam argentique fodinas, quæ in Seruia sunt, pertinaciter sibi retinere nitebatur: contra Vladislaus, legitimis cuncta dominis restitui contendebat. Tandē inter eos ita conuentum est, vt Bulgaria Turcæ cederet, reliqua verò quæ in Mysia occuparat, pristinis possessoribus redderentur. Restituerentur insuper vtrinque captiui, & in primis Despotis liberi: restituendis autem oppidis, ciuitatibus captiuisq; dies præstituta. In decennium pax transacta, præsente quoq; Iuliano apostolici Senatus legato, qui quamuis eam iniquo animo ferret, nihil tamē veniebat in mentem, quo ipsam facilè improbaret: difficile, futuris rebus, erat certa commoda præfinire. cruciabatur nimis animo, quòd literis potissimū suis magnum in Italia fœdus ictum fuerat, & ingens parata classis: nunc videret apparatus omneis hac pace fore irritos, & clarissimæ victoriæ immortalitatisq; adipiscendæ spem deponere cogeretur. Contrà Vngari, Mysi ac Daci, lætitia singulari complebantur: cōsiderantes sibi vltrò dari, quod sine multo sanguine recuperare nequiuissent. Compositis rebus omnibus, de modo sanciendæ pacis agi cœptum est. Turci iuramentum in Eucharistiam à Rege postulant: Gregorius Sauoreus pertinaciter aduersatur, ne arcana mysteria, quæ nulla ratione, nisi fide tantùm pura, munita sunt, infidelibus prodantur. Conuentum tandem est vtrinque, vt in Euangelio nostri, illi in Alcorano iurarent. Scriptis igitur eodem argumento, lingua tamen duplici, cōditionibus pacis, cas inter se perpetuas inuiolatasq; fore, sanctissimo vtrique iuramento asseuerarunt. Confecta iam pace, abeuntibusq; Turcis, vt ex composito promissa præstarent, Francisci Cardinalis Florentini, qui in Hellesponto Latinæ classis præfectus erat, literæ allatæ sunt, quibus significabatur: Amurathem, exinanita ferè Europa, cum omnibus copiis, in Asiam aduersus Carmanum, traiecisse: occasionem maximam oblatam esse, facilè recuperandi quicquid in Europa fuerat amissum. Monere deinde impēsius, & hortari, vt cum suis quàm primùm exercitibus, in Macedoniam ac Thraciam erumperent. Se ad Hellesponti fauces in tempore adfuisse, & ex fœdere promissa præstitisse, atque ne Turci redeant, facilè prohibiturum. Adueniunt quoque Constantinopolitani Imperatoris tabellarij, per quos festinandam is, ob Turcarum absentiam, expeditionem orabat, efflagitabatq;, ne opportuniorem quidem vllam occasionem vindicādæ à fœdæ gentis imperio, Europæ vnquam adfuturam: & postulatam se à Turca pacem repudiasse significans. Demum instantissimè precatur, ne vllam fidam perfidæ gentis pacem Rex accipiat, néve Turcarum se fauoribus obruendum relinquat. Recitatis vtriusque in Senatu literis, tanta Regem cunctosq; Proceres facti pœnitentia mox incessit, vt nullius vnquā rei vehemētius puderet, pigeretq;. Omnia immortalitatis fundamenta, quæ iecerant, inita cum Turca pace, inuitis insciisque sociis, iam irrita fore conspicantur, expectationem quam de se in Christiana republica suscitarant, fefellere. Vindices dudum sanctæ fidei, propugnatores religionis, vltores Christi, & gentium fidelium liberatores, olim appellatos esse, secum reputabāt: contrà, nunc violatores socialis fidei, & Latini Græcique fœderis immemores, contemptores immortalitatis, & propriorum tantùm commodorum amatores, haberi. Animos hac pœnitentia fluctuantes, Iulianus tempestiuius adoritur: Si quis vestrum (inquit) Proceres, fortasse miretur, quòd de rescindenda pace, ac violanda fide, sim verba facturus: is primùm intelligat, me nil aliud hodie, quàm de seruando fœdere vobiscū acturum, & pari vobiscum pœnitentia corripi: pœnitentia dixi, non dolore. Quando hæc me inuito quæ facta sunt, & præter opinionem vestram acciderunt, veluti à specula cuncta prospexi: cogor pro

legationis officio,& Christianæ professionis coniunctione,inxtà atque vos animo fluctuare, & eo vel maximè, quòd de communi honoris dignitatisq; iactura hodierno die agitur: quam nisi communi consilio, & solita virtute resarcire enitamur,ô quàm verendum est,ne præ nimia infamia, & vobis è Pannoniis egredi,& mihi Romam redire liceat, vbi grauissima quæque censura iudicantur. In quas miserias præceps consilium nos planè coniecerit, considerate : pacem cum Turca fecimus infideli,vt sanctam fidelium fidem violaremus,& sacrosanctum cum summo Pôtifice sociisque Principibus initum antè fœdus rescinderemus.Et cuius, cuius inquam,vtilitatis gratia ? Nempe vt Mysiam diu populatam recuperaremus.exigua profectò, & calamitosa est ista vtilitas, quæ ad breue tempus intercipi potest:& cætera commoda,quæ perpetua fuerant, longeq; maiora, amouet & repellit. Quid enim dementius, & magis inconsultum dici potest,quàm in deliberando priuati tantùm commodi,& non publici,item neque honesti,& sancti habere rationem ? Quid Turcarum perfidiæ præstare debeatis,non id quæritur hodie,Proceres,sed à Iuliano,Pontificis,& Latinæ societatis Legato, actore & auctore, irriti promissi, violatæ fidei, & soluti fœderis, ante conscientiæ vestræ tribunal postulamini,& vestro potius, quàm diuino alienóve iudicio,si mea æquo animo dicta patiemini,reos vos efficiam.Respondete mihi,Proceres,Nónne postquam sex menses in Mysia, finibusq; Thraciæ, cum Turcis tot bella fœliciter gessistis,deinde ouantes in Pannoniam rediistis, ab vniuersa ferè Italia, & à Græcorum Imperatore honestissimas legationes accepistis, & congratulationes faustæ victoriæ, & ad continuandum bellum adhortationes? Accepimus. Nónne cum Italis & Græcis, vt illi à Thracia cum auxiliaribus copiis occurrerent, & hi classem ingentem in Hellespontum mitterent, sacrosanctum vltrò fœdus, me præsente & auctore,percussistis ? Percussimus. Si percussistis, cur cum Turcis, isto violato, aliud transegistis ? quo iure, quamuis transactum sit, seruare poteritis? Ergo si superiore anno, cum Pontifice maximo,qui Dei vicem gerit in terris, fœdus iniuistis:si humani, si rationis compotes,si Christiani estis, secũdum omnino vobis fœdus rescindendum est, ne primum & diuinum violetis:quod ni feceritis, vereor ne veluti Iudas Christum,ita vos eius vicarium prodere videamini:néve Deum,quem hactenus rebus vestris præsentem & propicium semper habuistis, vobis posthac infestissimum sentiatis. Nunc autẽ quæso,dicite,quid Imperatori Constantinopolitano, qui ex composito iam à primo tempore fuit in castris, & vestrum in tanta opportunitate exercitum expectat? quid Pontifici maximo? quid Venetis & Genuensibus qui classem instructam habent,vt constitutum fuerat : quid Burgundionibus, qui ardore fidei ex Oceano diu soluere, & tot pericula maris emensi, nunc in Hellesponto nauigant,respondebitis ? Commentamini, quæso (si potestis) excusationem,& colorem aliquem,quo non penitus nostri dissimiles videamur. Si quid è recõdita arte excudistis,expromite. Promisistis vos primo quoquo tempore in castris adfuturos: nunc vernãt vestri milites, & æstiuant, & per calamitosam ignauiam & negligentiam, tanta & tam salutaris occasio elabitur. O ingentem animorum cæcitatem,ô crassam ignauiam,ô execrabile fœdus,ad Christianæ reipublicæ ictum exitium. Incusauerit me fortasse aliquis, Cur id cum cæteris tolerauerim? Adfui,fateor:sed quantum in me fuit,ne id fieret,intercessi, improbaui,& vt multi ex his qui hîc adestis, testes esse potestis, instantissimè damnaui: victus sum Coruini sapientia & auctoritate, Despotisq; commiseratione,ne regno ac liberis, intercessione mea, vltrà infœlix ipse carere videretur: & ne me commodorum vestrorum contemptorem oppugnatoremq; quisquam appellaret,tristis & inuitus cessi,haud inscius, hinc salutẽ Christianæ reipublicæ labefactari,spem gloriæ ac immortalitatis extingui,& nos omnes, pariter diuini humaniq; fœderis violatores, perfidos, & Christianæ gentis proditores(vt vestra pace dixerim)appellari. Quare, nisi antequã perfidiæ nostræ rumor longiùs effundatur, nos ipsi ab hac infamia vindicauerimus, nihil turpitudine scelereq; vestro maius,aut miserius quicquam dici potest. Id si voluerimus,

non

non tam facilè, quàm iuste ac sanctè facere poterimus: restituta Mysia, redditisque captiuis, quid aliud vobis agendum est, Proceres, quàm instaurare exercitus, parare quęcunque bello sunt vsui, initum prius fœdus cum Christianis, seruare? dicere, Vladislaum Regem, post percussum cum Latinis Græcisq; fœdus, nihil inconsultis sociis, quorum auspiciis commune bellum geritur, pacisci potuisse, præcipuè cum hostibus Christianæ professionis. Si quid illi cum Turcis conuenerit, fore irritum, priori standum esse fœderi. Quisnam ita iniquus humanarum rerum examinator est, qui non facilè iudicet, initam cum vtroque fidem, Christiano potius quàm Turcæ, & fideli potius quàm perfido esse seruan-
10 dum? omni in perfidum hostem arte, vi, fraudeq; vti licet, ars arte eluditur, & fraus fraude circumuenienda est. Dolo Turca à principio in Europam traiecit, dolo pedetentim Regnum inuasit, nemini vnquam fidem seruauit, artibus potius quàm armis ad id rerum fastigiũ euectus est: & vos, eóne cæcitatis peruenistis, vt Turcæ potius omnis fidei ac rationis experti, quàm fidelibus Christianis, in primisq; Pontifici sacrosancto, seruandam esse fidem censeatis? astu & consilio maxima quæque geruntur: Romani maiores nostri semper sociorum fidem rectè sancteq; seruarunt, perfidos pari arte elusere. Cæsar, imperandi causa, ius quandoq; violandum censuit. Atque Philippus domitoris Asiæ parens & magister, calliditate ac dolo sæpe malo, imperandi cupiditate vsus est. Non ta-
20 men hi proditores appellantur. Fas est quandoq; publicæ salutis gratia, neque stare pactis, neq; perfidis seruare fidem. Fas est iniqua iuramenta rescindere, & præsertim quæ præter æquum, fas, & bonũ esse censentur. Anne Diomedi, quicunq; in solo patrio primus occurreret, diis immortalibus deuouenti, obuium sibi filium, ex voto & iuramẽto mactare fas fuit? Nempe nefas. æquum igitur & iustum iusiurandum, omnium iudicio est sanctè seruandum: quod autem non modò ad priuatum, sed ad publicum facit exitium, illud irritum ac vanum esse debet. Quas ob res antequam perfidia nostra latè diuulgetur, vos quæso, & non sine lachrymis obtestor, Proceres, teque in primis Rex inclyte, ne datam pro salute Christianæ reipublicæ, sacrosancto patri, cæterisq; fidem vllo vnquam pa-
30 cto violandam censeatis. Initam cum Latinis Græcisque societatem fidè sancteque seruate. susceptam ex conuento expeditionem, sociorum exemplo prosequimini, iacta immortalitatis & glorię fundamẽta tueamini, prouincias, Turcarum seruitute pressas, liberate: collatæ in vos spei, satisfacite: nolite expectationem nunc gentium fallere, quo nihil turpius esse posset. Nulla vos initi cum Turca fœderis religio teneat, illud censete nefarium & detestabile, Pontificij & Christiani fœderis violare sanctitatem: Deum, quod cœlesti benignitate prohibeat, si aliter feceritis, acerrimum violatæ fidei fore vindicem existimate, & nihil reputate, Christo optimo maximo gratius, vobisq; gloriosius futurũ, quàm occupatas à Turca prouincias omnes, humani diuinique iuris experti, à fera il-
40 lius seruitute vindicare. Nolite hanc opportunissimam occasionem præterire, qua nulla cõmodior vnquam dari poterit. Destituta à Turcis est Europa, Carmanico bello: Põtificia classe in Hellesponto interdictus est reditus, Thraciam, Macedoniam, & Græciam, Epirumque inuisere tantum, & lustrare opus est. Nullus hostis adest. Proinde Pontificium, per Deum quæso, seruate fœdus, & fausta feliciaque castra, veluti vobis cum sociis conuentum est, in Macedoniam Thraciamque mouete. Iuliani oratione, abrogandam Turcarum pacem, omnes exclamarunt: initam cum Christianis Principibus societatem, à quibus ipsi opem implorarant, nullo modo violandam: malle extrema omnia perpeti, quàm sanctè promissa non præstare, & quamuis maxima commodorum omni-
50 um spes, in Turcico bello sita sit, tamen si res etiam parum prosperè euenirent, longè satius esse, pro Christiana religione mori, excitatam expectationem tueri, seruare fidem, quàm infamem turpemque vitam ducere. Quare ex consulto senatus, & Regis auctoritate, pax cum Turcis inita abrogatur, & malis inquam auspiciis antiquatur: quandoquidẽ sine auctorum abrogationis exitio, numina quęcunque pacis ac fidei iura tuentur, id fieri noluere. Ne Coruinus & Despo-

tes intercederent, alteri Bulgariæ regnum, parta victoria, ex diplomate promissum: alter, belli felicitate remollitus est. Interea Turcarum legati, repētinæ perfidiæ nescij, promissa ex conuento præstiterant: oppida quæ in Mysia Seruiáve tenebant, ademptis præsidiis, pristinis possessoribus restituerant: pro Carambo, quem secum abduxerant, quadraginta Coruino aureûm milia persoluerāt: Rasciæ regnum, liberosque cum cæteris captiuis, Despoti reddiderant. Vladislaus autem, decretum abrogati fœderis Turcarum, ad Imperatorem Constantinopolitanum, & Franciscum Cardinalem Latinæ classis Præfectum, ne cœpta desererent, repēte misit. Poloni, rescissam pacem audientes, ægerrimè tulere: & quum reuisurum Poloniam regem hinc sperarent, è magna spe excidere, neq; ignorabant, Lituanorum & Amaxouiorum gratia, inter Casimirū & Boleslaum graue bellum perbreui exarsurum. Rex demum per Legatum Polonos cōsolatus, instigante Iuliano, vndecimo calendas Octobres, Segedino castra mouit, non pari atq; anni superioris exercitu: quando Turcicæ pacis fama, ingēs Crucigerorum manus abierat, hac etiam causa multi è Polonis Valachisq; dimissi. Ast vbi ad Orsouam Vngari deuenere, pridie nonas Nouembres traiecere Danubium, postquam Bulgariam attigere, primo Florentinū, deinde Budinum, in Danubij ripa situm venerunt: quanquam nonnulla oppida præsidiaque Turcarum præterirent, nihil vnquā hostile factum est, ne minimis tempus præliis tereretur, nullum inire certamen Rex decreuerat, nisi necessitas adegisset, donec ad Hellespōtum exercitum suum, cum Latina classe, & auxiliaribus Græcorum copiis, coniunxisset. Duæ ad Gallipolim sibi viæ proponebantur, altera campestris & breuior, per extremam Thraciæ oram, qua Macedoniæ coniungitur, inter Rhodopen Bistoniamque paludem: hac si iter facere pergeret, quia rectà Hemus superandus erat, cliui difficultate & angustiis, currus deserere cogebatur. altera ad solis exortum, in Pontū, mox præter Ponti littora, & lustrata Thracia, declinato ad meridiem itinere, Gallipolim deducebat. hæc quamuis multo longior, & in locis plerisque salebrosa, non tamen vsque adeo difficilis, vt agendorum curruum copiā interdiceret. Hanc Vladislaus optauit, ne currus dimitteret, quorum circumsepta, insidiosos Turcarum impetus toties inhibuissent. Quum ad Nicopolim Bulgarorum metropolim peruenisset, cuius pars Danubio abluitur, altera in mōtem assurgit, quia collatas illuc belli trepidatione prouincialium diuitias rumor erat, exercitus ab vrbis oppugnatione contineri nō potuit: primus in suburbana impetus factus est, & continuò populata: quum autem mœnia attigissent, quæ strenuè protegebantur, ab oppugnatione cessatum. Hîc dies tres quatuórve, reficiendi militis & iumentorum gratia, castra moram fecere: regionis vbertate hîc omnem inopiam resarserunt, & reparata sunt omnia quæ bello vsui forēt: quoniam & via difficilior salebrosiórve supererat, ac iter ob frequentia Turcarum præsidia longè periculosius. hîc etiam Rex facta transuectione, exercitum recognouit. antequam hinc castra mouerentur, Vladislao Dracula Valachiæ, quam Montanam dicimus, Princeps occurrit, vir non parua iusticia & æquitate pollens, & fortissimus in quoque bello Imperator semper habitus: quippe qui modicis copiis, magnitudine animi & sapientia, necnon excellenti suorum militum virtute, Turcarum bellum, vix Christianis omnibus tolerabile, præter omniūm opinionem, sine vllis externæ gentis auxiliis, diu tolerauit, tantamque assiduo bello prouincialium iacturam fecit, vt vix superessent, qui agros colerent. hic ne in Turci seruitutem caderet, quando iam nimis attenuatis erat opibus, ad hanc expeditionem, veluti ad præsentem salutem, euolauit: conspicatus Regis exercitum, & militum paucitate consternatus, eum continuò cæterosque Principes orare ac obtestari cœpit, ne vltrà contenderet, pedem referret: quando non sine magno suo malo sat exploratas Turci vires haberet: quippe qui cum longè maiore seruorum manu venatum prodire soleret, quàm Vngaricæ nunc forent copiæ. quin etiam adiecit, sæuitiam hiemis instare, quæ superari non posset: has ad primum tempus legiones reseruandas esse, & quærenda interim cum supplementis, externorum auxilia.

Non-

Nonnulli Draculæ verba in malam partem interpretabantur, rati illum, quia ictum cum Turcis fœdus haberet, præter animi sententiam, ita fuisse loquutum. Res tamen ipsa testabatur, nil Draculam dixisse à veritate & salutari consilio alienum. Verùm quum iam Regis fatum instaret, & Iulianus quotidie magis iter adurgeret, laudato Draculæ consilio nequaquam auscultatum. At is postquam Regem ab itinere se reuocare non posse cognouit, auxiliorum loco, filium cum quatuor milibus equitum expeditissimorum, cum eo misit, item duos strenuos iuuenes locorum peritissimos: & in digressu, ad belli vsum, duos miræ pernicitatis equos dono dedit, quorum opera, si qua mala fors adegerit (quod Deus a-
10 uertat) ex omni se periculo facilè expedire possit. Adauxerant Draculæ metū, Bulgaræ cuiusdam aniculæ magæ responsa: quæ ad Sullonum vicum, belli exitum ab eo rogata, respondit: Vladislaum Regem malis ad Varnam auspiciis pugnaturum, & profligati exercitus reliquias, aduersus Turcā deinde feliciùs pugnaturos. Hic filium antequam dimitteret, studiosissimè monuit, vt si parū prosperè pugnaretur, ne cum fortunæ iniquitate colluctaretur, sed ad meliora se tempora reseruaret. In Thraciam deinde Rex iter conuertit, & quum ad Panisum amnem, qui ex Hemo monte ortus, inter Mesembriam & Odessum, Euxinum illabitur, peruenisset, deprehensam fluuialium cymbarū multitudinem, concremant: creditum hanc ibi esse classem idcirco à Turca paratam, vt præ-
20 terlecto tranquilli Ponti littore, in Danubij ostia ageretur, mox completa milite subiret Istrum, & Pannonias infestaret. Post hæc, quum via confragosa instaret & angusta, diuiso exercitu, ad inhibēdos facilius improuisos Turcarum incursus, Hemum conscendere cœpit. Coruinum cum auxiliatibus Valachorum copiis, & tribus Pannonum milibus præmisit: ipse longo pòst interuallo, cum reliquo suo & Crucigerorum exercitu, ritè subsequitur. Currus & impedimenta in medio collocata, vt à præcedenti & subsequenti agmine munirentur. Iter per angustias ita factum, vt à tergo nihil relinqueretur, quo reditus occludi posset: ab vtraque parte, proxima quæque oppida, Turcarumque præsidia vi capta & succensa, miles non solùm à prophanis manum non abstinuit, sed ne à sacris
30 quidem, & Bulgarorum templis. Id ægerrimè Rex tulit, exclamans, multo plus Deo, quàm armis confidendum, & arma per Deos sumpta, non esse sacris inferenda. proinde oblata sacris reddi edixit, sacrilegij pœnas interminatus. Per Turcas quos captiuos habebat, mox proximis præsidiis eorum significatum est, à Rege cuique fore liberum, aut oppidis tutò cedere, quę tenerent: aut si voluerint, cum Christianis licere stipendium facere: multi conditionem acceperunt, ne si fortè in manus hostium venirent, grauissimis cruciatibus afficerētur. Sanctè his est seruata fides. Contrà verò qui Sunium Pezechiumq; tenebant, præruptis vtrunque rupibus obsitum, freti naturæ munitione, validisque præsidiis, conditionem recusarunt. Rex, quum ab his iter à tergo intercipi facilè posset,
40 vtrunque adoritur: vtrunque tandem, militum robore audaciaq; captum: vbi quinque Turcarum milia cæsa sunt, & magna præda comperta, militi distributa: pars magna hostium, captis oppidis, è rupibus deturbata. In hac expugnatione, Ioannis Tarnouini, & Lesconis Bobricij virtus enituit: dum alter portas non sine duplici vulnere confregit, & alter Pezechij muros primus ascēdit. Vix hac non mediocri victoria Vngari potiti fuerant, quum à Francisco Cardinale Præfecto classis, redditæ sunt literæ, quibus significabatur: Amurathem, elusis astu largitionéve speculatoribus, qui infra Galliopolim, Hellespontici freti littora seruabant, cum maximo in Europam exercitu rediisse, & prope Isthmum Thracij Cheronnesi, cum aliis qui ex Europa illuc conuenerant, coniunxisse.
50 Ne parua quidem Christianorum animos consternatio, hoc nuncio incessit. Aliqui retrocedendum, alij munitissimum aliquem locum præoccupandum esse censent, donec iter numerumque hostium explorarent. A Pezechio tandē, per montes ac saltus, vbi sese optimè tueri poterant (tanta enim vis fati fuerat) ad plana descensum est: iter per obliquam vallem, in Rhodopen biduo factum, & sub Hemum ad sinistram, decimo die, ad Pontum deuentum est. Cauarna, re-

formidato Regis aduentu sæuitiaq́;, qua ad Pezechium paulò antè vsus erat, dimissis vltrò præsidiariis, deditionem fecit. Turcæ quoque, eodem exemplo, qui præsidia per cætera oppida tenebāt, aufugere. Quare Macropolis, Callacrium, Galata, Varna, & maritima pleraque oppida à Turcis destituta, per deditionem accepta sunt, & Christianis obfirmata præsidiis. Sed quum de Varnensi clade dicendum est, locorum situs breuiter exponetur: Hemus à Mesembria ferè oriens, in Macedoniā & superiorem Mysiā, perpetuo iugo protenditur: & à Pannoniis in Pontum præter Danubium descendentibus, è transuerso porrectus, obiicitur, & ni superetur ad Pontum, hàc iter fieri non potest. Is ab vtroq; latere declinans, in minora sensim iuga collesq́;, ad Pontum vsque desidit, vallesq́; maritimas feraces & amœnas facit, atque præ cæteris Varnæ regionem, quæ iucundum vndiq; circumspectum reddit. Varna verò, in angusto sinu, inter duo promontoria sita est: in altero Galata, Macropolis in altero præsidet: hæc à Gallis, ex Asia, præ infelici militia redeuntibus, veluti Gallipolis, & Gallacrium, originem nomenq́ue adepta est: à longitudine ciuitatis, illa denominata. Circa Varnam, ad littus vsque vineta, pomariaque: inferius ad dexteram, vallis nonnullis vicis habitata: ad sinistram, qua Galata eminet, palustris porrigitur sub collibus lacuna. Ad Varnam igitur Christiani castra posuere, vbi nihil militi defore videbatur. Ab Isthmo interea, Turcæ Adrianopolim venerunt, qua Vngarorum nunciabatur aduentus: mox continuatis itineribus, septimo tādem die, haud longius quàm quatuor milibus passuum, à Varna consedere. Quod vbi ab exploratoribus nunciatum est, veluti in ea re fieri solet, nocturnæ stationes, & vigiliæ redintegratæ: ad Regem, qui furunculi molestia, in sinistro crure diebus aliquot laborarat, vniuersi Proceres conuenere, vt de prælio decernerent. Iulianus munienda currib. castra, & tormenta circùm bellica disponenda esse censebat, vt ab innumera Turcarum multitudine sese tutius protegerent: bellum quoq; detrectādum, donec Latina classis adforet, à qua hostes omnino peti reputabat, vt dum ipsi à fronte pugnarent, haberent qui Turcas à tergo lacesserēt. Eius sententiam Simon Rosgonius Agriensis Episcopus, Franco Dalmatiæ Banus, & Vngarorum Polonorumque nonnulli sequebantur. Rex adhuc anceps ducebatur. Contrà verò Coruinus & Despotes consulebant, dicebant enim vallo, fossa, curruúmve circumsepto, in castris muniri, non aliorum esse, quàm consternatorum metu animorum, & extrema quæque expectantium. Ad inferendum se bellum, non repellendum descendisse, nunquam formidinem militi hostique indicandam: virtute, audacia, & celeritate deterrendum hostem. Si in castris se occluderent, negataq́; pugnandi copia obsiderentur, perbreui extrema fame perituros, quando commeatus affatim non adsunt: & in hostili regione comparari nequeunt. Neq; classis opem expectandam, quando classiarij, in terrestri bello, parum prodesse possunt: & si quid possent, in tempore fortasse non adfore. Proinde quum eo descensum esset, vnde sine victoria neque regredi, neque quoquam progredi liceret, forti tandem animo, ac extremis viribus cum hoste confligendum. In consultatione, inter Agriensem Episcopum & Coruinum oboritur altercatio: nam quum Simon detrectandam pugnā, & ad munitiora loca confugiendum esse censeret, à Coruinoque Pānonicæ desidiæ & deliciarum argueretur: Ego (inquit) Coruine non fugiam, neque prælium detrectabo: & si vincere non dabitur, hìc me scito moriturum: te autem, terga versurum auguror, & ad meliora te tempora seruaturum. Rex autem ad hæc, haud aliter atque instante ac adurgente fato, cum hoste fortissimè dimicandum esse, confestim exclamat: & quum speculatores, Turcas sese dudum armis accingere nunciarent, Coruinum acies parare, & in suis quenque locis ordinem disponere iubet. dux circumspectus in primis, ne quid à tergo ex vallib. periculi imminceret, fauces quæ inter lacunā & colles intercedunt, curribus præcludit: quo se à pugna, quum vellent, socij facilè reciperent. Alterum verò aditum, tormentis obstruxit, vt hæc eminus hostes exterrerent, aut obtererent infestantes. Post hæc, instructis aciebus, mediam Regi aulicisq́ue vallem dedit ad paludem, qui

qui-

quidem locus tutior esse videbatur, eiq; nonnullas Vngarorum Polonorumq; legiones adiecit. dextrum verò latus, qua Varna castris obiicitur, cætero ferè equitatu muniuit, quum ea inter paludem & mare, Turcis pateret accessus. Hîc quoque Vngarica signa statuit: dextroque cornu Francum Banum, & Agriensem Episcopum præfecit. His quoq; Despotem cum Rascianis, & Iulianũ cum acie Crucigerorum adiecit. A tergo, apud munitiones, & curruum circumseptum, subsidia vexillumq; diui Ladislai collocauit. Ibique Varadiensis Episcopus, cum suo agmine, & paruo Lesconis Bobricij equitatu cõstitutus erat. Coruinus deniq;, cum expeditissimo Valachorum equitatu, nullum sibi locum definit, sed in commune omnium subsidium disponit, vt vbicunque socios laborare senserit, præstò adsit. Contrà verò Turca, sex equitum milia præmittit, qui hostium numerum & vires speculentur, tententque. Imperata illi continuò factitantes, ad dextram in collibus apparent, prospectato Christianorum exercitu, veluti è contempta paucitate, eminus pugnam conserunt. Simon Agriensis, & Francus, ne loci iniquitate parum prosperè pugnent, se suosq; continent: simulatoque metu, hostes in plana deliciunt: adaucta illi audacia descendunt, cominusq; in planicie manus conserunt. Tunc Agriensis, illico dato pugnæ signo, socios exclamans hortatur, vt pristinæ virtutis & continuatæ victoriæ memores, forti Turcas animo adorirentur, intrepidi aduersus fœdã & prophanam gentem irruerent: scirent propitia sibi cuncta esse numina, quando pro aris ac focis pugnarent. Tantus extẽplo factus est impetus, vt sine multo negotio terga verterent, & in collem se reciperent. Mox ingens equitatus à colle superuenit, fugientes in certamen reuocat: huius pars in cliuo, veluti præsidiaria substitit: pars reiectis è colle Vngaris, ad æqua descendit. Quod vbi factũ est, Francus & Simon ex instaurata & adaucta acie Turcas repetunt, nonnullos obtruncant: cæteros in proximum collis accliuum fundunt, fugantq;. Varadiensis prospecta Turcarum fuga, temeraria percitus audacia, relicta statione, cum suis accurrit, veluti ne sine se victoria pareretur. Id ipsum Despotes facit & Agriensis, atq; è tergo certatim fugientibus instant. Quum collem attigissent, ab increbrescente Turcarum multitudine in sinistram reclinantur: Despotes ad suos se recepit, Varadiensem pertæsum temeritatis suæ, locorum inscitia in paludẽ præcipitem egit, ratum facilè se illac ad proximum montem euasurum. Sed quum armatus palustri cœno cum equo inhæsisset, ibi obrutum esse ferunt. Simon Agriensis lustrata palude, quum Galatam effugere conaretur, ab hoste cæsus est. Aliqui, captum fuisse, ac in seruitutẽ assertum, Pontificem ex fortunæ indignitate, diu apud Turcas pastorem ouium, ad mortem vsq; exercuisse, memorant: plerique, se vidisse, impudentiùs affirmant. Interea Turcæ, turbatis Christianorum ordinibus, ad diui vsq; Ladislai signa peruenerant, quo se Francus, Iulianus & Despotes à colle reiecti, receperant. Hîc acre certamen instauratur, pari spe aliquandiu pugnatum, & multi ad munitiones vtrinque cæsi: verùm superueniente Turcarum multitudine, sic à Christianis laborare cœptũ est, vt confosso vulneribus plerisq; Lescone, etiam cum militibus ipsi currus oppugnarentur. Rex & Coruinus, quũ apud munitiones præsidium iam ad extrema redactũ prospectarent, continuò cũ maximo impetu accurrere. Horum aduentu hostes vsque adeo consternati, vt illico terga dederint. Instabat à tergo Vladislaus, & truci in fugientes Turcas cæde grassabatur. Hi ad propinqua oppida fusi, suorũ cladem nunciarunt. Sed Rex continuò in vallem reuocatus, vt Iuliano iterum & Franco succurreret, quos à recentibus Turcarum subsidiis circumuentos audiuerat. Superueniente Rege, pertinax hîc præliũ redintegratur, & hîc vndiq; Turcarum acies planè confluxerant. Qui quum numero multo superiores essent, continuatis hostem subsidiis defatigabãt. Hîc Rex, quum inter confertissimos hostes, præ iuuenili audacia, & victoriæ ardore, sese ingereret, nullum militis & Imperatoris prætermisit officium: quacunque se conuerterat, ingentẽ stragem agebat. Nemini occurrebat, magno equo inuectus, quẽ non euestigio protereret: hac & illac discursans, occurrentem quenque cædere, verbis & exemplo suo

ſocios hortari,& paſſim exclamare,vt priſtinæ felicitatis memores,fortiſſimè di micarent: ſcirent ſe pro Chriſto optimo maximo certare, vlciſci Ieſu Chriſti ſeruatoris iniurias,pro focis item ariſque dimicare. Nihil cuiquam eſſe addubitandum,quando cum iiſdem tunc pugnam agerent,quos ſæpe fugarāt: illum diem,omnibus huiuſce belli laboribus finem allaturum,quando vniuerſa Turcarum natio eò conuenerat. Contrà, è medio ſuorum agmine obclamitabat Amurathes,quum ſuos à Vladiſlao Rege non ſine magna cæde fugari conſpicaretur,ad expianda violatæ fidei piacula, ad vlciſcendam Chriſtianorum perfidiam, & ad vindicandum ius reſciſſæ pacis, incendit: depromptum è ſinu codicem initi ſanctiſſimè fœderis, explicat: intentis in cœlum oculis, Hæc ſunt (inquit ingeminans) Ieſu Chriſte fœdera, quæ Chriſtiani tui mecum percuſſere: per numen tuum ſanctè iurarunt, datamque ſub nomine tuo fidem violarunt,perfidè ſuum Deum abnegarūt. Nunc Chriſte,ſi Deus es (vt aiunt,& nos hallucinamur) tuas meaſque hîc iniurias,te quæſo,vlciſcere:& his qui ſanctum tuum nomen nondum agnouere, violatæ fidei pœnas oſtende. Vix hæc dixerat,qui vltimum in ſe impetum expectabat,quum prælium quod anceps ac dubium diu fuerat,inclinare cœpit,camelorum onerariorum interuentu: à cæde, ad prædam Vngari animos reuocarunt. Equi, iumentorum peregrinorum inſolentia perciti,colluctari & expaueſcere occœpere. Rex noſter,cum nonnullis equitibus vltrà progreſſus,ad prætorianas cohortes peruenit,quos Ianizaros appellant: pedites ſunt ſpectatæ fortitudinis, & ad Regis tutelam inſtituti. Coruinum interea, cum ſubſidiario Valachorum equitatu, laborantium ſollicitudo diſtraxerat. In ſiniſtro cornu ſocios proſpexerat,à magna Turcarū manu abduci,grauiſſimeq; premi. Accurrerat illuc, & Turcarum illinc impetum planè repreſſerat. Mox cætera circumſpiciens, Regem nuſquam viſum diſquirit, ad Ianizaros vſque peruenit, ibi nutantibus vtrinque rebus, & patrata magna cæde, Regem comperit inter confertiſſimos ſeſe hoſtes ingerentem, & nulla ſalutis habita ratione, difficillima quæque pericula adorientem. dum à feruentiſſimo Regem prælio Coruinus eripere ſtudet,& vt vitæ parcat,hortatur: ille nequicquam fidi verba ducis audiens, Martio furore prouehitur, dextro interim armo confoditur equus: qui quum prolaberetur in præceps, inter medios Ianizarorum enſes Regem eiecit, & confluente ingenti prætorianorum manu, quum Regia geſtaret inſignia,telorum ſylua confoſſus eſt. Quum Regiæ interim turmæ dominum nuſquam viderent, veluti acciderat, occubuiſſe ratæ, terga vertunt. Ianizari dudum inclinati,conſpecta hoſtium fuga continuò conſtitere,& reuocatis cohortibus,quę dudum nutarant,& confuſæ fuerant,pugnam inſtaurant. Mutata Chriſtianorum fortuna,quum toto iam die dimicatum eſſet, laſſitudine correpti miſerè trucidantur. Confunduntur ordines,ac Regiū agmen in fugam effunditur. Quod vbi Coruinus aſpexit,deſerto Regis corpore,quod recuperare nequiuerat, ad ſuos celerrimè ſe recepit, vt ſupereſſet qui hanc cladem & ignominiam haud inuitis numinibus vlciſceretur. Deſpotes & Iulianus dudum ingruente nocte,in proximas montium ſyluas ſe receperant. Varia fortuna & opinione, illo die certatum. Nam Turcæ primùm à Rege fugati, Chriſtianorum victoriam in proxima oppida diuulgarunt: qui ad ſerum vſq; tempus prælium pertulerunt, non vſquequaque ſe viciſſe rati, ac neſcij quonam locorum ſe Vngari recepiſſent,dum ad currus,ob ſilentium, inſidias aliquas ſuſpicarentur,biduo à caſtrorum direptione ſe continuere. In acie ac fuga,innumera vtrinque multitudo cæſa. Ex Turcis multo plures in acie: è Chriſtianis,quos ad ſedecim milia hominum fuiſſe perhibent, vix tertia pars rediit. Ex Turcis autem,qui ad hoc bellum cum ſexaginta milibus hominum ſanè confluxerant, triginta circiter milia interfecta fuiſſe fatentur. Ex his qui fugerant,locorum inſcitia in varia mortis genera,præter Valachos coniecti ſunt. Multi fame ac ſiti, nonnulli frigore laſſitudineque abſumpti: alij,ad hoſtilia loca delati,in ſeruitutem rapti: omnes tamen in acie, quàm fuga mori maluiſſent. Gregorius Labathan ibi capitur, & in ſeruitutem abductus, apud Turcas diu fuit, liberoſq; genuit.

ruit. Iulianum malorum omnium auctorem, inter fugiendum cæsum esse ferunt: nonnulli in castris interfectū, in confertissima pugna. Stephanus Bathor, Comes regalis curiæ, summa virtute, ac singulari fide præditus, cui regia quoq; signa commissa fuerant, fortiter oppetiit: & inter congesta cæsorum hostium cadauera, compertus est. Is Stephani Vaiuodæ pater fuit, integerrimi, sapientissimi, seuerissimique viri, qui tempestate nostra, multo felicius cum Turcis in Transsyluania certauit: ac vnà cum Paulo Kinisio collega, vt cumulatissimis pari parentaret inferiis, sexaginta hostium milia interfecisse dicitur. Hic etiam Henricus Vaiuodæ Themilij filius desideratus est. Miserrimus in sequenti no-
10 cte sauciorum vlulatus in ea planicie collibusque proximis audiri, qui mutilati, lethalique vulnere confecti, quum nondum expirare possent, querulas in nocte voces emittebant. At vbi ad castra peruentum est, quo Crucigeri confugere, nec ex integris, nec è sauciis quisquam superstes fuit, ad vnum omnes fero more trucidati, castraque direpta. Tales igitur pœnas, exauditis Turcę imprecationibus, Deus iustus à Christianis exegit. Infausta pleraq; signa, Regis optimi fata portenderant. In primis galea inter armandum serui manu delapsa: insolens equi reluctatio: & post instructam aciem, ingens in tranquilla cœli serenitate ventorum tempestas, qua Regia signa dilacerata, & hastis exuta sunt, atq; mox ventus ille desidit: item terræ motus vehemens, qui paulo pòst solutum
20 rescindendæ pacis conuentū sequutus est, & insolitæ fluuiorum inundationes. Coruinus cum Valachis, amissis castris & impedimentis, ac cęso fugatoq; exercitu, rectà cum reliquo Vngarorū & Valachorum equitatu, ad Danubium currit: superatoque amne, per Valachiam celerrime, ne quid ob hanc cladem, Fredericus Imperator, cum hostibus moliretur (quemadmodum infra referemus) in Vngariam se recepit. Quanquam Callimachus, & Vngari, bellum ita gestum retulere, haud ingratum tamen fore existimamus, si, vt res verius enarretur, Turcarum quoque testimonia subiecerimus. In tria vtrunque exercitum agmina, in Varnensi agro, diuisum fuisse referunt: Amurathem, in vno cornu Asiæ, in altero Europæ Basseum, cum suis vtrunque copiis collocasse: in medio
30 se, cum prætorianis cohortibus, id est Ianizaris, & tribus equitū expeditissimorum milibus statuisse: suum agmen, altiuscula fossa valloque præmuniuisse, vt si quid aduersi accideret, veluti in tuta castra se reciperet: intra vallum onerarios camelos, & iumenta, loco muri, simul perpetua catena coniunxisse. Contrà, apud Vngaros, in dextro Coruinum, in sinistro cornu Michaelem, ex cognomento Nigrum, præfuisse: Regem Vladislaum, in medio constitisse. Antequam collatis signis congrederentur, in castris fuisse deliberatum, vt Coruinus & Michael, cum duobus Basseis, eodem tempore prælium inirent, & Regium cū Regio agmen congrederetur. Ex composito, pugna conseritur. Michael Asiaticū, Europicum Basseum Coruinus, magno impetu adoriuntur, in cornibus vtrisq;
40 diu anceps ac pertinax pugna fuit: quamuis multi vtrinque cecidissent, Coruinus tamen prior Europicum inclinauit, Asiaticus collegæ exemplo consternatus, ipse quoque terga vertit. Mox ambo palantes in fugam versi, dum in colles se recipere conantur, instant à tergo duces, & inter fugiendum multos obtruncant: decem circiter milibus passuum, ad proximum vsque flumen insequuntur. Dum hæc ita feliciter ab vtroque duce geruntur, in regio agmine, prospecta istorum victoria, de adorienda Amurathis acie, qui contra fortunæ varietatem se muniuerat, aliquantisper contrariis est sententiis disceptatum. Alij fugatis Basseis, ne rex victoriæ expers videretur, adoriendum Turcarum regem esse censebant: nonnulli dissuadebant, & expectādos esse socios, vt castra tutius ex-
50 pugnari possent, affirmabāt. Rex gloriæ cupidus, vt veluti duces cum ducibus, ita rex cum rege congrederetur, moræ impatiens, quadrato in Amurathem agmine contendit. Ille intra munitiones ac vallū cum Ianizaris se continens non occurrere, neque manum conserere ausus est. Quin & paulò antè de fuga cogitarat, nisi fortia cuiusdam militis dicta, quē opibus & honoribus deinde mulțis affecit, remorata fuissent. Vladislaus primo impetu pro fossa & vallo vehe-

menter insultat, ad inuadendas munitiones suos hortatur. Mox dum circuit castrorum aditum, apertum inuenit, quem ab vtroque latere, longa Ianizarorum acies planè vallabat: Rex iuuenili tractus audacia, vix cum equitib. septuaginta, per aditum ostensum, intra castra prosiluit, & in primo plerosque congressu proterit, confoditque. Phalanx Macedonica hunc extemplo circumuenit, vt virum miro decore roboreque præstãtem, & armorum fulgore coruscantem caperet, rata, haud aliter atque euenit, illum fore Regem. Rex dum strenuè se tuetur, & hac & illac insultat cæditque, Ianizari, equi latus pedesque subcidunt, procumbens in medios hunc equus effundit: subducta galea, quum ex vultus maiestate, & præstantissima armorum cælatura, à plerisque confestim agnosceretur, euestigio Amurathis imperio caput abscindũt, hastæque præfixum pro vallo statuunt. Quod vbi conspexere sui, dicto celeriùs, animo consternati, terga vertere: quicunq; cum eo castra inuaserant, pari fato oppetierunt. Quum fugientes Christianorum legiones, Turci confestim insequi voluissent, Amurathes inhibuit: ratus multo tutius fore oblatam à fortuna victoriam accipere, quàm cum periculo ab hostibus extorquere: quare neminem è castris prodire permisit. Quum autem Coruinus & Michael, sub crepusculo, fugatis hostibus redirent, fusum fugatumque Regis agmen inueniunt, exultantia Turcarum castra prospiciunt, iniqua suorum fortuna consternati, ipsi quoque in fugam versi, ad Istrum rectà contendunt: è militibus itinere defatigatis, fatum Regis & belli exitum coniiciunt: re cognita, multo magis exanimati, superato amne, in Valachiam traiiciunt, vt hac in Transsyluaniam iter faciant. Turcæ in sequenti die, quum hanc non fugam, sed Coruinas insidias esse reputarent, vt à proximis vbi illuxerit syluis præliũ redintegraretur, omnia circùm loca, instructa acie, præmissis speculatoribus disquirunt: quin & castris hostium, quæ curribus circumuallarant, adhærere non audent: ast vbi omnes longius aufugisse compertum habuere, castra inuadunt. Quoscunq; inuenere, ad internecionem trucidant. Eodem die, Basseum Asiaticum cæsum esse cognouerunt: quod ægerrimè tulit Amurathes. In castris Ianizarorum, præfectus à Vladislao superiore die confossus interiit. Is fuit huiusce belli exitus, vt à Turcis nonnullis audiuimus.

1444. Varnensem igitur cladem anno quadringentesimo quadragesimoquarto vltra millesimum, & pridie Martinarum feriarum, gestam esse perhibent: ob commissum ingens violatæ fidei piaculum, ad placandum iratum numen, hanc sanctam & immaculatam Regiamque victimam, deuoui sibi Deus voluit, vt quem ipse terris iudicaret indignum, exuta mortalitate, referret inter deos. Quarto Vngarici Regni anno, & in florentissima ætate, Vladislaus occidit: princeps omnium Regum, si vixisset, omni probitate, iusticia, & integritate præditus: cui animus insons & excelsus, continentia magna, fortitudo ingens, ingenium ad imperandum, & ad bella quæque grauissima promptissimum, laudis cupidum, & immortalitatis: præterea tam mite, clemens & benignum, in quos opus erat, & ad officia quæque paratum, vt neminem à se dimiserit, qui mansuetudini illi Regiæ, se perpetuò non profiteretur obstrictum. Item suorum amantissimus, omnium morum nobilitate præcellens: procero fuit corpore, & laboris ac inediæ tolerantissimo, fusca facie, nigris crinibus, & ingenti robore, vultu autem venusto, & tacitam sibi venerationem exposcenti. Promulgata eius morte, multo vehementius ab Vngaris, quàm Polonis deploratus est: quando illi se ab eo desertos, hi verò sanctissimè gubernatos existimabant. Omnes Christianæ reipublicæ potentatus, gloriosissimi Principis interitum defleuerunt: in primisque Pontifex maximus, qui ad primum mortis nuncium collachrymauit, & in diui Petri basilica solennes illius manibus inferias persoluendas edixit. Quinetiam inimici ad mentionem sui nominis ingemuere, atque ex huius interitu, ferum Amurathis animum, aliquid commiserationis incessit: quippe qui vbi in castris suis oppetiit, ibi in perpetuum suæ fortitudinis & magnanimitatis monumentũ, sepeliri iussit, ad caputque columnã statuit, cui nominis, honestissimæq; mortis excisa est inscriptio. Casimirus frater pientissimus, ipsum diu cum vniuersa Sarmatarum

matarum nobilitate deplorauit, ac solennia iusta persoluit. Nostris quoq; temporibus nusquam eius mentio facta est, quin ad ipsum nomen auditores ingemerent, diuinisque dignum honoribus omnes, etiam & hi qui aduersæ factionis fuerant, proculdubio iudicarent. Classis Pontificia, audito conflictu, in Italiam vela reflexit, quum tristem lachrymosamque victoriam Turcis Vngari reliquissent, vano quodam metu, inscitiaque correpti. Cùm in Valachiam Coruinus traiecisset, quam Transalpinam vocant, in amica prouincia, à Dracula Vaiuoda, præter opinionem, nefariè capitur: dies aliquot, non parum honorificè, ab eo retinetur. Dracula tandem facti pertæsus, quum se virum temere cepisse, ac societatis iura læsisse videretur, multis eum muneribus donatũ, in Transsyluaniam remisit. Quare id Dracula fecerit, nondum compertum habeo: multi, vt Turcę aliquantulum gratificaretur, quo cum paulò antè fœdus iniuerat: alij, quia filio nondum reuerso timebat, quem cum quatuor milibus equitum, Coruino vel maximè persuadente, in hanc expeditionem Regi dederat, id in causa potissimum fuisse arbitrantur. Postquam in suam Coruinus prouinciam se recepit, curatis refectisque militum corporibus, quãdo adulta hîc bruma hibernare cogebat, Budam ingruente vere peruenit.

RERVM VNGARICARVM DECADIS TERTIÆ LIBER VII.

POST, vbi Vladislai Regis interitum, & vix tertiam è Varnensi clade partem exercitus superfuisse, Pontifices Optimatesq; cognouerant, ad inhibendas mutuas in Regno iniurias, de vi, de dolo malo, de latrociniis, cædibus & rapinis, seuera decreta promulgarunt: vt donec Procerum, nobilitatisq; reliquię, quæ è bello superfuerant, redirent, tranquillum quietumque Regnum seruarent. Nihil vehementius expauebant, ne qua in tanta rerum perturbatione, ex pristinis factionibus seditio interim oboriretur. Mors tandem optimi sanctissimique Regis, quem vulgò sexus & ætas omnis deplorabat, ita cunctorum animos consternatos habebat, vt qui deiiciendo ex Europa iam Turca spes maximas planè conceperant, nunc ipsum pro mœnibus insultantem cernere videantur. Id pacatum eo tempore Regnum habuit, cùm Vladislao mortuo, Regalia comitia instarent, patres ad proxima festa Pentecostes, frequentissimum cõuentum, apud campum Racosi, qui Pesthi mœnia circuit, & nomen à cancro inditum adhuc seruat, indixere. Coruinus postquam in Vngariam se receperat, ob rem ex violata fide, quadam fati iniquitate malè gestam, nunquam ea hieme, vt iacturam sui nominis resarciret, imminentiaque pericula repelleret, quietem vllam habere potuit: cruciabatur Turcæ audacia, quem non robur, non prudentia, sed fortuna victorem effecerat: & is ad Sauum vsque expeditissimos equites, post victoriam planè dimiserat, qui omnia incursarent: succurrebat ingens rerum metus, quando hinc Amurathem hostem acerrimum, & illinc Romanum Cæsarem infestum habebat: augebat curas intestini belli timor, quod diu Regnum malè vexarat, & Boemorum iniuriæ, qui Transdanubianam regionem, erectis in locis plerisque præsidiis, latrociniis infestam tenebant: quamuis hæc futura Ladislai electione, citò pacatũ iri sperabat. Quum autem nullum formidolosius quàm à Turca discrimẽ instaret, ad hoc in primis repellendũ, sanctissimus ille Pannonicæ Reipublicæ pater, Regnique seruator, animum aduertit. Quare, cùm duabus legionibus, quæ non parum superiore bello diminutę fuerant, supplementa adiecisset, extemplo versus Mysiam superiorem iter intendit, in itinere nunciatur, Turcas ad Sarnon vsque oppidum venisse, incursare, populari, passimq; omnia diripere. Id oppidum viginti milibus passuum, à Sauo amne recedit. Ne minore quidem, quàm antè, audacia Coruinus hostibus occurrit, continuatis vtique itineribus, in Saui tandem ripa, è conspectu Turcarũ castra posuit. Et cùm audacia & celeritate, è Iulij

Cæsaris instituto, deterrendum semper hostem esse arbitraretur: rem consilio muniendam,& nouis,instans prælium,auxiliis ingenij,obfirmandum esse censuit. Multos in castris ignes,ea nocte,qua cum hoste congredi decreuerat, excitauit:vt prospectis è regione ignibus, nihil ille mali, ea nocte,ab Vngaro iam timeret: mox in prima Coruinus vigilia,milité armari, & amnem instructa cōtinuò acie, superare iubet:tertia vigilia, vniuersus in aduersa Saui ripa cōsederat, deinde continuatis ordinibus,aduersus Turcarum castra, qui nihil tale verebātur,pleno gradu contendit:incautos,& sopitos adoritur. At illi repētino tumultu & clamore consternati, alij arma quærunt, pars ignobilior fugam molitur. Nonnulli in primo congressu saucij, cum somno ac hoste pariter colluctantur. Præ nimia vlciscendi libidine, Coruinus ita sæuit, vt dum primos æque obtruncare pergit,aliis fugiēdi spacium dare cogatur. Multi à principio cæsi, mox cæteri in fugam versi,suffragante nocte,se in syluas recepere. Coruinus fuso fugatoque Turcarum exercitu, in inferiorem Pannoniam se recepit. Interim, ne qua Coruinæ virtuti cessatio detur, nunciatur, Vlricum Ciliæ Comitem, post Varnensem cladem noua moliri,& Quadragesimæ resipiscentiæ tempore, vniuersam Croaciam Sclauoniamque hostiliter infestare. Multa in vtraq; prouincia oppida occupasse,& ni prouideatur, perbreui totam Dalmatiā in tyrannidem redacturū. Item à patribus exoratur,vt post fusum Turcam,in Vlricum arma deflectat. Coruinus ne interregni tempore, Pannonicæ res periclitarentur,haud mora,prçter Drauum amnem, ductis his copiis, quæ ad hanc expeditionem sat esse viderentur,iter facit:super Petouiam, quæ in Draui ripa sita est, ascendit,vbi Ciliç comitatus è cōspectu fuerat. Hi quondam Reguli,magnis olim opibus,& auctoritate pollebant:quando Sigismundum Imperatorem, Barbaram Hermanni filiam,vxorē ducere non puduit. Vlricus de quo agitur, Frederici filius,& Hermanni nepos erat:& Zagoriam, Varasdinum, Capronciumque oppidum,præter alia multa tenebat. Coruinus igitur, præter Drauum subiens,vt in hostis cōspectu fuit, proxima nocte tumescentem fluuium,cum quatuor milibus equitum,natando traiecit:mox infestam Ciliæ regionem incursat, vastat agros, vicos incendit,incauta nonnulla castra capit:tanta Regionem trepidatione compleuit, vt de publica deditione cogitaret. Vlricus, sæuo repentinoq; bello in suæ temeritatis pœnitentiam adductus, à Coruino pacem supplex postulauit: qua data, se coronæ Vngariæ perpetuò paritutum esse pollicetur. Supplicem Coruinus Comitem, ad Regni Patrumque obsequium redactum, benignè tractauit. Quum regalia,ad campum Racos,comitia propediem instarent,pacata prouincia, relictaque ibi magna parte copiarum, ad indictum conuentum proficiscitur.

Ladislaus. QVVM in tempore ad comitia descendisset, in ptimis de Rege eligēdo agi cœptum est: id sine vlla secessione transactum. Nam vna omnium voce suffragioque (vt par erat) Ladislaus posthumus, Alberti filius,Rex Vngariæ declaratur: qui annum tunc quintum agebat. Quum Regno autem per ætatem foret immaturus,de gubernatore eligendo agitatum est. Quanquam plures in comitia competitores descendissent,qui se tali honore dignos esse credebant, veluti Nicolaus Vilachus, aliique nonnulli, Ioannis tamen Coruini virtus de Pannonica Christianaque Republica semper optimè merita,omnes ambire, omnium sibi suffragia comparare videbatur,neminemq; sibi patiebatur anteferri: quinetiam & inuidorum fauorem sibi planè conciliabat, memoria rerum tam præclarè gestarum oculis omniū obuersabatur: si qui præ liuore aliter sentire voluissent,quum cessante Coruino, iam de publica salute actum esse videretur, nequaquam refragari cogebantur. Quare Patrum cæterorumque consensu, quousque Ladislaus Regni compos esset, Coruinus tradita Reipublicç summa, Gubernator Vngariæ pronunciatur:quod anno salutis quadringentesimo quadragesimoquinto supra millesimum, festisque diebus Pētecostes,factum est. Cum maximo plausu Gubernator ab omnibus consalutatur: idque vt faustum ac felix ei Pannoniæque foret,omnes passim congratulabantur: & pro ipso, ac Reipublicæ

1445.

publicæ salute, vota magna nuncupabant: pro eo supplicationes indictæ, ac omne hilaritatis genus editum. Soluto conuentu, exigendæ primùm à Dracula Transalpinæ Valachiæ Duce, pœnæ succurrunt: quippe qui læso hospitij societatisque iure, à Varnensi clade redeuntem, interceperat: quare delectū confestim habuit, coactoque exercitu, in prouinciam contendit. Superatis deinde alpibus, hostili animo Valachiam adoritur, vicos oppidaque multa succendit, perbreui bello vniuersam occupat, Draculamq; in oppido quodā cum duobus filiis capit. Patrem nequicquam deprecantem cum filio qui natu maior erat, ad supplicium educi iubet, ambo capite mulctati, dignas perfidiæ suę pœnas exsol-
10 uere: alteri autem filio, qui natu minor erat, vtraque sunt exerta lumina. Draculæ alium Vaiuodam (vt aiunt) Coruinus tunc sufficit. Demum pacata prouincia, Budam ouans rediit. Paucis pòst diebus, Pontifices & Proceres cōuocauit, vt de rebus agendis consuleretur. De posthumi Regis & coronæ repetitione ad Patres retulit: illi censuere, mittendos esse ad Cæsarem Legatos, qui in primis decretum regiæ electionis exponerēt, deinde suum Regem & coronam repeterent: vt alter, in Pannoniis educatus, Vngaros vehementiùs amaret: altera, apud eos esset, quorum Reges illa carere, sine nephario scelere nequeunt. Legati designati, Viennam veniunt: & Cæsari, mandata ritè exponunt. Respondit Imperator, optimè tandem ab Vngaris factum esse, qui suum ac verum Re-
20 gem recognoscerent. Electione opus non fuisse super eo, quem ius hæreditarium & natura Regem genuisset. Puerum autem, & coronā, haudquaquam adhuc restitui oportere, quum ille Regni sit impos, & semel coronatus ritè fuerit: tutore quoq; adhuc egere, eodemq; fidelissimo. Et qui se arctiùs attinente, fidelior inueniri possit, haud facilè dari. Maturam Regno ætatem manere oportere, ne immaturo Rege, res malè gerantur. Proinde quando interregem habent, suis Vngari auspiciis Regnum administrent. Legati reuersi, Cæsaris in Senatu responsa retulere: quæ quidem Patribus parum grata fuere. Intelligebant enim, nescio quid improbitatis, pristinæq; maleuolentiæ, responsa talia subolere: quare Legationibus biennio sæpe repetitis, Fredericus Imperator, vt puerū co-
30 ronamq; sibi ab Elisabetha creditam redderet, nunquā adduci potuit. Ex abnegato Rege coronaque, non paruæ oboriuntur inimicitiæ, quæ nonnullorum quoq; oppidorum repetitione, quæ Imperator in Vngaria sibi vsurparat, augebantur. Quare Coruino Interregi Gubernatoriq;, è Senatus consulto, expeditio in Austriam aduersus Romanum Imperatorem planè decernitur: vt verbis olim postulata, bello repetantur. Comparato exercitu nō mediocri, is Austriam hiberno tempore inuadit, ferro ac igni vicos & oppida vastat. Sempronianum, Viennensem, & Neapolitanum agrum incursans, omnia diripit, populatur & inflammat. Neapolim obsedit natura & arte munitissimam, vbi ne frustra tempus terere videretur, soluta obsidione, ad populandam incendendamque prouin-
40 ciam, animum aduertit. Pari sæuitia incommodisque Stiriam & Carinthiam afficit. Tot rerum rapinis, ac tanta pecorum hominumque præda, castra compleuerat, vt se quoque patratæ crudelitatis commiseratio subiret. His tamē malis inuitus hostilem regionem affecit, vt Imperatorem ad reddenda postulata redigeret. Contrà ille, multo pertinaciùs proposito suo perstare, foris nil contrà moliri: oppida tantùm obfirmata præsidiis, pro virili sua tueri: malle mori, quàm cedere. proinde neque precibus, neq; minis, neque vi deniq;, ac metu vllo moueri. Coruinus autem, ne plus æquo sæuire videretur, populata vastataque prouincia, ingenti præda onustus, ouansq; Budam rediit. Duos circiter annos in Regno quieuit, vt ciuiles lites dirimeret, Optimatumque causas componeret.
50 Interim ius omnib. æquè dixit, iudiciis integerrimè præfuit, multas a foro procul controuersias diremit. Nulla iniquitatis vnquam suspicio in illo viro deprehensa: in negociis expediendis, vsq; adeo festinus & ardens: item in audiendis in omni genere personarū hominibus patiens, & indefessus: vt sedens, stans, incedens, equitansq; rogatus, ius diceret. In miseros, supplices, cæterosque virum adeuntes, pius admodum, & popularis: nec officio ab amicis, ne ab inimicis ma-

leficio, se facilè vinci patiebatur. In hoc breui ocio, ad futura se bella præparabat: congerebat pecunias, & quæcunque bello sunt vsui. Ne quid interea discordiarum inter Optimates oboriretur, miro studio, arte, diligentiaq;, in reconciliandis Procerum nobiliumq; animis vtebatur. Cæterùm non diu sibi quiescere licuit, quãdo se ab Amurathe acerrimè peti senserat. Ne mitius quidem ipse se gerebat in eum, quippe cui nihil erat antiquius sollicitantiusque, quam Varnensem cladem, nominisque iacturam vlcisci. Interea per speculatores sibi nunciatum est, Turcam noua moliri, delectum habere in Asia & Europa: magnos facere apparatus, & in Vngaros arma sumpturum, rumores passim differri. Coruinus igitur, qui ocij tempore nil magis sollicitè agitarat, quàm Turcicæ expeditionis apparatum, quarto suę gubernationis anno, Salutis verò Christianæ quadragesimooctauo supra millesimum & quadringentesimum, cum duobus & viginti milibus hominũ, ex Vngaria castra mouit. Valachiæ nanq; montanæ Vaiuodam (vt aiunt) in huiusce belli societatem asciuerat. Coruinum magna semper cœpta auspicantem, Legatus in primis apostolicus sequebatur, Coronensis Episcopus: è Proceribus autem Vngariæ, Emericus Pelusiensis Vaiuoda Transsyluanus, Ladislaus frater eius, Emericus Marzalius ianitorum Regalium magister, Raynaldus Rosgoinus, Thomas Zeech, insuper Francus Tholomicius Dalmatiæ Croaciæq; Præfectus, Ioannes Zechel Coruini frater, Benedictus Losoncius, Stephanus Banffi, Nicolai Banffi pater, & Bani quondam filius: quibus quidem omnibus de Lindua cognomen erat. Præterea Georgius Ciacus, Robertus Carrus, Ioannes Corothna quadruumuir, quem nunc Regni Iudicem appellant: & innumera nobilium multitudo sequuta. Iter Transdanubium iniuere, superato Tibisco amne, per Daciam in Mysiam descẽderunt: sed vbi ad Cubin in conspectum Mysiæ peruenerunt, paulò infrà vbi Moraua fluuius, per Mysiam currens, in Danubium fertur, Istrum traiecerunt, ad Seuerinum oppidum alij transmisere. At postquam in aduersa Danubij ripa constitere, Coruinus Despotem, qui clandestinis cum Turca internunciis, recuperato Mysiæ Regno, pacem seruare nitebatur, per Legatos hortatur, & orat, vt sæpe à se rogatus, ad sacram expeditionem veniat, beneficiorumque quæ ab Vngaris acceperit, memor esse velit, & ingratitudinis infamiam caueat, qua nihil boni viri dignitatẽ magis dehonestat. Insuper affirmabat, de bello bene sperandum, quando neque pecuniæ, neque copiæ deforent. Duorum & viginti milium se ductare exercitum, accessisse Valachorũ auxilia: nihil huic militiæ, præter Despotem, Rasciæ Principem, deesse: cuius consilio ac viribus, si præsens expeditio adiuuetur, nihil vltrà exoptari posse. Proinde impẽsiùs orare, vt coactis continuò equitum turmis expeditissimorum, sua castra sequeretur. At ille malè sentiens, vt honestiùs militiam detrectaret, variis se modis excusat. In primis pacem causatur, quam cum Turca initam, quamuis inuitus, aliquãtisper Varnensi bello violasset, adhuc tamen Amurathis indulgentia seruatam, continuare studeret, ne in pristinam miseriam recideret. Item importunitatem temporis arguit, quòd præcipiti autumno Seuerinum applicuerant: & quàm difficile sit, dum hibernant alij, in frigidis regionibus bellum agere: quod sat è superiore bello haud impunè didicere. Hæc & multa alia, vt se iturum honestiùs abnegaret, Despotes comminiscitur: Sed virum liuor magis incesserat: ægerrimè nanque ferebat, data sibi repulsa, Coruinum Gubernatorem fuisse creatũ. Subpudere quoq; se Despotem ac Mysiæ Regem, Imperatoris genere natum, sub Gubernatoris ductu & auspiciis militare: multoque maiore se honore dignum esse censebat, quàm gerere potuisset: inuidia sese recognoscere, & aliquid in hac re pensi habere, minimè patiebatur. Coruinus ad hæc responsa succẽsus, admodum interminatur, se suis omnino manibus, ingratissimum hominẽ, Indorum exemplo, capite mulctaturum, Rasciæ Regnum digniori traditurum, si ex hoc bello victor euaserit. Mox per Mysiam, haud aliter atq; per infestam regionem, iter in Bulgariam intendit. Despotes, abeunte Coruino, ad perfidiam illico conuersus, celeribus internunciis, Vngarorum aduentus, & copiarum multitu-

1448.

dinis

dinis Amurathem admonuit: quin & quotidiana significat itinera, quum inuidiæ, tum gratificationis gratia, qua pacem cum eo facilè seruatum iri confidebat. Item edocuit, Coruinum cum modicis illac copiis traiecisse, nil ipsi timere oportere. Præterea hosti haudquaquam occurrendum, sed permittendũ vltrà progredi, mox a tergo iter obstruendum: quod si fecerit, illum nunquam inde rediturum asseuerabat. Coruinus autem grauissimo bello intentus, iter pro virili sua properare, creberrimis Sandarobechum Albanensium Principem literis vexare (quo cum aduersus Turcam, paulò antè fœdus percusserat) vt approperaret, quando iam ipse hostibus appropinquabat: ita enim cum eo consilium inierat, vt ipse cũ Vngaris à Rascia Bulgariaq;, ille ab Illyrico Turcis pariter occurrerent, vt à fronte tergoque vexati, facilè vincerentur. Quod haud ab re fuisset, si Sandarobechus, quẽ illi Barbarè Alexandrum dominum vocant, prælio in tempore adfuisset. Sed immatura pugnæ festinatio, recti consilij finem intercepit. Amurathes Despotis consilia nequaquam aspernatus, Coruino Regnum inuadenti non occurrit, permisit hostem vltra progredi, atque ipse duorum triúmve dierum itinere subsequitur, à tergoq; ne retro pedem referre possit, iter obstruit. Iam in planiciem vterq; peruenerat, quam in Rasciæ Bulgariæque finibus longè lateq; spaciantem, Rigomezcu Vngari, Rasciani Cosonam nunc vocant, nos Campum Merulæ interpretamur. Hãc fluuius interfluit, qui Schithniza nunc dicitur, & ab Illyrici montibus defluens, aliquandiu vagatus, Istrum influit. Campi huiusce longitudo, passuum est viginti milium, quinque milia continet latitudo. Circumuallatur vtrinque montibus amœnissimis, in circi speciem: & fluuius, ac montium appendices, reconditæque conualles, proximè haud iniucunda vicorum frequentia celebrãtur. Quum in campum, haud aliter atque in agona, prius Vngari, deinde Turci descenderent: ad pagum amnis accolam, qui in aditu situs est, anus exclamauit: Heu quàm vereor, ne parum æquis Vngari nunc dimicent auspiciis, quando traiectus eorũ vado exercitus vix vnum, Turcarum verò dies tres fluuium perturbauit: veluti futuram cladem ex inopia copiarum, hariolaretur. In media ferè planicie, collis modicus assurgit, cuius radices Schithniza lambit. Non multò vlteriùs, ad caput æquoris, quædam turris erat, cuiusdam olim Amurathis tumulus & pyramis, qui profligato exercitu, ibi cæsus & sepultus est. Illud quoque nunc Amurathes verebatur, ne Coruinus qui præcesserat, in malum hostis auspicium pyramidem præoccuparet. Quare pleniore gradu subsequitur, vt prius cum eo manum conferat, quàm is turrim attingat. Ad collem igitur Coruinus venerat, in medio campo surgentem, & in eo castra locat, Sandarobechi auxilia expectaturus, qui in horas accurrere dicebatur. Amurathes veritus, ne proxima turris occupetur, & Illyricorum auxilia superueniant, Coruinum irritat ad prælium: detrectat ille, donec ab Illyrico auxilia veniant. Hic multo impensiùs instat, aquationem lignationemque inhibet, pabula præripit, & qua potest arte viqùe lacessit: addebat Turcæ audaciam ingens copiarum multitudo, quas octoginta circiter milia hominum esse ferebatur. Inuitus in certamen Coruinus descendere cogitur, quando aqua cæteraq; necessaria interdicebantur. Tandem in diui Lucæ solennibus, ac die Iouis, exercitum armari iubet, cumq; in duo & triginta agmina diuidit: munitiones omnes in colle aduersus hostes parat, & intendit. Acies sic instructas, sacris Deo seruatori operari, mystica inter se confessione ac terrestri communione vti imperat: & in concione militem ad prælium hortatur. Venit tandem (inquit) dies, ô socij, quo si quid è Varnensi fuga dedecoris & ignominiæ contraxistis, hodie pristinum fidei & virtutis vestræ nomen recuperare, & acceptam cladẽ vlcisci licet. Si viri esse volueritis, è tot cladibus quas a vobis accepit hostis, has vobis reliquias obiecit: quæ etsi numero potiores, spe tamẽ, causis & viribus multo inferiores. Quid nam illis sperare licet, qui non pro suo, sed alieno pugnant imperio? & dum vicerint, in hac seruitutem, & in altera cruciatum, in vtraq; vita perpetuã miseriam consequuntur? Vobis contrà, vtro se res vertat, pro Regno vestro, pro liberis, pro patria, pro focis & aris sanè pugnã-

tibus, æternam ac solidam vtriusque vitæ felicitatem, sperare licet. Causæ quoque vobis longè vehementiores: quippe qui nisi hostem fortissime ceciderits, de salute fortunisq; vestris omnino est actum. Vtrarumque vires exploratæ satis superq;. Ad Varnam semel malè pugnatum est, vbi si partis quandoque vtriusque fortunam cõmutare liceret, maluisset fortasse Turca suorum cædem, cum nostrorum fuga commutare (quum fugientes insequi nequiuerit, grauissimè cæsus) quàm tot suarum gentium fecisse iacturam. Illis plus detrimenti, vobis plus turpitudinis illatum: quamuis illi, vi coacti, damna; vos vltrò fugæ ignominiam subiuistis. Verùm illius fortasse cladis irata potius numina (quæ violatam à nobis fidem vlcisci voluere) quàm vestram ignauiam in causa fuisse crediderim. Nam perfidiæ illius auctores, ad vnũ omnes, capitales illic pœnas exsoluere. Nos qui inuiti ad id bellum venimus, vnà vobiscum adhuc diuina benignitate viuimus, ad Christianæ Reipublicæ tutelam reseruati, & in primis Vngariæ, ne Turcarũ armis ac rabie obrueretur. Hostium numerus vobis nequaquam reformidandus, quando cum multis, pauci sæpissime pugnare, ac vincere didicistis: diuinis potius quàm humanis viribus hucusque dimicauimus: in nomine Iesu Seruatoris nostri, prophanas facilè acies dissipauimus. Quocunq; pedem tulimus, in præpotenti nomine, victricibus semper armis, viam aperuimus, quia diuino ductu & auspiciis militauimus: hinc mortalium Seruatorem, hinc diuam Genitricem semper nobis adfuisse sensimus. Neq; hodie nobis defore credimus, si cœlestis charitatis & virtutis vestræ memores esse volueritis. Adiutor Deus semper adest sanctè ac strenuè dimicantibus. Accedit tutus pugnandi modus, cataphractorũ equitatus, qui in arcis munitæ speciem, haud facilè expugnari potest. Cohortes hæ sunt nobis militum, quæ & facilè regi, & hostibus sat esse videantur: innumera multitudo cõfunditur. Accedunt varia tormentorum ac munitionum genera, quibus illi carent. Præterea in horam Sandarobechus cũ auxiliariis copiis adfuturus est. Periculum non est ita magnum, vt timeatis: neque ita paruum, vt contemnatis. Retrò sine victo hoste cedere non possumus, quia per has montium angustias exercitus ægrè duci potest: & si omnis daretur regrediendi copia, re infecta, ac sine solita gloria, redire non licet. Fortissimis ardua cuncta viris, proposita sunt. Proinde, quando nouissimus iste labor vobis imminet, quo vniuersæ Turcarum vires ad extremum recidi possunt, vos per eum Deum, sub cuius nomine militamus, oro & obtestor, socij, item per patriam, liberos & fortunas vestras, vt dato pugnæ signo, ita strenuè dimicetis, vt diuinas humanasq; iniurias, à fœda gente susceptas, & Varnensem in primis cladem abunde vlciscamini. Sanctum ibi Regem amisimus, qui pro salute nostra, pro cõmisso læsæ fidei piaculo, se deuouit: Regali victima diuinus furor ille desedit. Date (vos quæso) operam, vt illius manibus opiparè parentetis. Vlciscendæ sunt cæterorum mortes, qui eo prælio occubuere. Recidendus semel, ac hodie, metus iste Turcarum, & ita recidendus, ne amplius repullulet: & ab hoc immanissimæ periculo seruitutis vindicanda Pannonia, vt perpetuam hodie quietem ac gloriam ad vtriusque vitæ felicitatem comparemus. Extremis itaque viribus est, socij, dimicandum, quando necessitas cogit, honestas inuitat, ac varia hortatur vtilitas. In vado res est, & in portu nauigamus: vtcunq; res acciderit, bene nobiscum agetur. Si vicerimus, perpetua patriæ salus & incolumitas, ac nobis immortalitas parietur. Sin occubuerimus, hic pulcherrimè moriemur, sempiterna apud superos vita functuri. Quamobrem ea (quæso) mente pugnemus, vt vincamus: aut si res tulerit, honestissimè moriamur. Accensi sunt admodum Gubernatoris oratione, cunctorum animi: & ad strenuè dimicãdum verbis, ac suapte natura, sat animati omnes. Ne minus quidem impigrè Amurathes Rex contrà, in ordines redigebat exercitum, & dictis, promissis, ac iussibus obfirmabat. Eductæ Turcarum acies, & in planiciem effusæ, latus vtrunq; montium attingebant. Vnde haud parum Christianis stuporis incusserant. Tertia hora diei signa inferri iubet. Coruinus vtraq; ex colle cornua ad plana demiserat, longasq; vtrinque vexillationum alas, a fronte pro-

protenderat. In medio Zechelem è sorore fratrem, cum quadrato agmine cataphractorum collocarat: in colle, præsidia curribus munitionibusq; obfirmarat. Dato pugnæ signo, milites, qui animos corporaque curarant, ardentes, eminus primò pugnam ineunt: deinde adaucta, blandiente fortuna, vtrinque audacia, magno cominus impetu, congredi cœpere. Tribus circiter horis acerrimè pugnatum, deinde Turcarū acies, à Benedicto Losoncio, qui in dextro cornu præerat, inclinata. Et à Stephano Banffi, qui in sinistro erat, ne minus quidem impigrè res agebatur, quippe qui Basseum, Europæ pertinaciùs instantē, multis planè cædibus affecerat. Amurathes, nutantes in vtroque cornu suos conspicatus, valida submittit auxilia, præliumq; instaurat. Vngari & Valachi expeditissimi equitatus, irruentibus denuo Turcis haud parum defatigati, ad cataphractorum ordines se receperunt, qui veluti pro muro stantes, maximos quosque hostium impetus facilè excipiebant. Multi vtrinque cadunt, sed è Turcis longè plures, quando nec talibus armis, nec eo equorum robore sese muniunt. Coruinus à colle munitionibus, quas intenderat, procul Turcas obterit, dissipatque. Quod quum Amurathes vidisset, quantum fieri potuit, suas acies colli admouit, iubegitque, vt irritos ab alto machinarum ictus exciperet. Hac igitur arte, munitionum elusa est opera. Hoc vbi à Coruino intellectum est, ad succurrendum laborantibus animum adiecit: suggerit vtrique cornu subsidia, nunc voce, nunc manu rem agit. Suppeditat fessis auxilium, trepidantibus inclamitat, fugientes in ordinem reuocat, acerrimè irruentibus occurrit: nihil ex optimi Imperatoris & militis officio remittit. Nunc fortes hortatur, & laudat: nunc corripit ignauos, & territat: omnibus præstò adest. Quare ita feruet vbique Martis opus, vt cuncta sanguine fœda conspiceres. Amurathes, subsidia crebra acciri iubet, neque suorum cæde cōsternatur, multitudine magna fretus, cui ritè pugnare certum erat. Haud dubiè sperabat, omnino se hostem longa subsidiorū successione defatigaturum, neque spe sua falsus est: vnum Vngarorum agmen, quatuor & quinque Turcarum acies, antè lassare cogebatur, quàm sibi subsidia ritè succederent. In acie pransum & cœnatum, ambulatoriisque cœnis refecta corpora. Eo die vbique Turcica acies inclinata, sæpe in castra vsque fugata, sat prosperè ab Vngaris pugnatum, magnus Turcarum numerus cæsus. Christiani, quamuis eo die bello superiores essent, tamen ita obstinatis vtrinq; animis prælium agebatur, vt vtrique aut vincere aut mori omnino decreuerint. Certamē ad serum vsque productum, nox prælium diremit: vtrique se in castra recepere, his animis, vt postero die pugnam instaurarent, neutriq; terga verterent, donec ius imperandi, Marte iudice definiretur: & nox insomnis acta, vtraque castra crebris vigiliarum stationibus obsita. Insequentem omnes diem solliciti expectabant, veluti Martem suæ vitæ mortisque arbitrum adituri: vix dum illuxit, quum vtrinq; instructæ acies adfuere, redintegratur prælium: sed ab Vngaris, ne eo quidem ardore ac robore, quo superiore die, pugnatum est: nemo ex his fuit, qui extremis pridie viribus non dimicarit. Quadraginta ferè Turcarum milia superfuerāt, quæ aut in certamen nō descenderant, aut leui prælio luserant. Coruinus tamen suos hortatur, ne initam superiore die victoriam, per desidiam & ignauiā interciperent, pergerent vincere, vt occœperint: item obsecrare, ne sibi patriæq; desint: considerent, pridie quàm bene pugnarint, quot hostium milia pauci protriuerint, quoties inclinarint & fuderint: præcaueant, ad extremū turpiter ilia ducant, & sudores hactenus effusos, tolerataque pericula omnia sint irrita habituri. Non qui magna occœperint, sed qui cœpta pulcherrimè terminarint, hos gloria dignos existimari putent. Præponant ante oculos, quæcunq; ipsos detrimenta manebunt, si malè dimicarint: in primis varia mortis & cruciatus genera, item seruitutem matronarū liberorumq;, vltima Regni excidia, raptus virginum, & humanarum diuinarumque incæstationes, infandaq; piacula affirmare. Hæc omnia vnius diei labore euitari posse, proinde orare ac obtestari, per Deûm hominumque fidem, vt solita, se, patriam, liberos, coniuges & fortunas, virtute redimant, & in perpetuam libertatem cuncta vindicēt. Nihilo

fecius Amurathes suos præmiis, pollicitationibus ac minis incendit: vt omnia perpeti, quàm eo die Europa cedere maluerit. Lustrat vtrunq; cornu, & grauissimis cunctos dictis ad pugnandum hortatur. At vbi collatis vtrinq; signis concurrêre, ne minore quidem ferocia impetuq;, quàm superiore die pugnatur. E Christianis quàm plurimi, è sauciis in aciem rediere, suscepta dudum vulnera, aut morte, aut victoria curaturi: nihilo tamen segnius pugnasse dicuntur: magna vbique cædes oboritur, & Vngarorum impetus nusquam repelli poterat. quos cùm pari pertinacia Turcæ reiicere haudquaquam possent, arte robur indomitum eludere, expeditissimi ac recentes eorum equitatus occœpere. Irruentibus in se Vngaris, mox terga vertebant, à tergo aliquantisper insequi, & instare patiebantur, palántes & diffusi fugiebant, seq; latè dissipabant: hi, veluti arridente victoria pellecti, impensiùs insequi, multos in fuga cædere: contra illi, dato signo, conglobati dissipatos circumuenire ordines, & multa cæde conficere: incursu & recursu, Pannonicas lassare vires, ingentes conatus eludere, & perturbatis ordinibus, toto die sine aliqua intermissione dimicare. Magna Vngarorum ea die patrata cædes, & Turcæ fuere superiores, defatigato vtrinq; exercitu: nox & lassitudo prælium diremit. Vtrique se in castra reuocarunt, vigiliæ stationesq; summo studio in castris habitæ. Quum ad diem Sabbati peruenissent, neuterq; cederet, prima luce pugna redintegratur. Coruini frater, Valachorum Præfectus, cũ expeditissimo equitatu primus in aciem prodiit. Sequuti sunt reliqui Proceres, & eodem modo ordines instaurarunt. Reparato certamine, aliquandiu spe pari dimicatum, magna vbique strages oborta, & præsertim Vngarorum, qui longo bello defatigati, multisq; confossi vulneribus, triduo in acie, ob ipsam paucitatem perstare cogebantur. Zechel, in primo ordine obstinatissimè pugnans, è Præfectis legionum primus, inter confertissimos hostes occubuit. Emericus Marzalius, Stephanusq; Banffi à Turcis circumuecti, in medio trucidantur. Quum Amurathes prima signa, quæ in Zechelis agmine constiterant, iam esse capta, & cæso Præfecto, milites terga vertisse conspicaretur, extemplo omnes, quæcunque in castris acies forent, in Christianos edixit effundi, vt paucos, & triduano labore confectos obruerent. Promulgato tunc Regis edicto, vt omnes in hostes vnà ruerent, vtrunque Vngarorum cornu, vbi cuncti laborabant, confestim obducunt: graue prælium instaurant, cæduntur Proceres: à numerosa multitudine, & sagittarum imbribus obruuntur, capiuntur signa, & in fugam omnes ordines planè vertuntur. At vbi Coruinus fratrem interfectum, capta signa nonnulla, & versum in fugam exercitum accepit, continuò relictis castris impedimentisq;, conscenso fugam equo solus præripit: ne fida Regnum tutela priuaret. Fusos fugatosq; Vngaros, à meridie ad intempestã vsque noctem hostes insequuntur, & cædunt: mox à tenebris remorati, in castra per noctem rediere. Cæteri qui in acie remanserant Vngarica, castra circumuenerant: in quibus quicquid calonum fuit & lixarum, item essedariorum accensorum, sauciæq; turbæ, quamuis ad mortem vsque certassent, neque hostem admitterent, quousque minima sagitta telumq; superfuit, ad vnum tamen omnes trucidati sunt: nullusque in castris Vngarus est agnitus, quem tria quatuórve Turcarum cadauera non attingerent. Amurathes, ne maxima suorum cædes extaret, nobilium continuò sepeliri, gregariorum verò militum corpora, in profluentem proiici statim edixit. Quare Schithnizæ fluminis accolæ, diu eius piscibus abstinuere. In saxorum morem campus adhuc ossibus opertus est, terra coli citra crebram armorum inuentionem, vllo pacto nequit. Locus, ex insigni clade, illustris est habitus. Quamuis Turcæ cruentissima victoria cesserit, fusis fugatisq; hostibus, eorum tamen cædes multo maior, quàm Vngarorum. Quippe quum Turcarũ quatuor & triginta hominum milia, Christianorum tantùm octo milia cæsa, referuntur. Vniuersa hic Pannoniæ nobilitas occubuit. Nã hic Emerici duo, Ladislaus, Thomas Zeech, Franciscus Banus, Ioannes Zechel Coruini è sorore frater, Benedictus Lossoncius, Stephanus Banffi Episcopus Coronensis Legatus apostolicus, Georgius Chiach, & Robertus Char, innumerique

riquc Proceres, ac nobiles oppetiere. Multi capti, & ante Amurathem postero die ex edicto obtruncati. Ioannes Corothna quoq; captus est, in Asiamq; translatus, Byrsæ seruitium semestre perpessus, mox Ægeum, Creticum, Ionium, Adriaticumque pelagus emensus, per Dalmatiam in Pannonias se recepit. Octo Vngarorum milia in hoc bello cæsa, Corinthiis Amurathes eodem mēse significauit. Ex his qui euaserant, quicunque per Illyricum effugere, per Dalmatiam incolumes redierunt: qui per Rasciam, qua venerant, reuerti contendere, sic infestam vbique latrociniis prouinciam inuenere, vt pauci euaserint, qui aut spoliati aut cæsi non fuerint. Coruinus, quem expeditissimum aufugisse diximus, infestam ac variam fortunam inuenit, dies tres equo inuectus, per auia loca iter facit, cibi & potus expers: quarto, incidit in duos latrones, dimisso dudū equo, qui præ nimio labore defecerat. Quum esset inermis, se spoliandum dedit: direptis vestibus, ex aurea cruce, quæ è viri collo pendebat, inter latrones oborta contentio: dum salutis viam circumspicit, promptum sibi latronis gladium intuetur, quo mox rapto, litigantes adoritur, alterum lethali vulnere conficit, conculcatq;: alterum petens, in fugam vertit. Hac igitur crucis occasione, vir sanctissimus, se à rapina morteq; redemit. Quod haud ab re diuina benignitate factum, vt qui pro cruce affixi Seruatoris nomine dimicaret, crucis quoque auxilio liberaretur. Vltra progressus, ac itinere, siti, inediaq; cōfectus, quinto die pastorem offendit, qui audita Vngarorū fuga, spe prædæ latè vagabatur: in primo ambo cōgressu constitere: pastor prospecta Coruini vultus maiestate (quēadmodum de latronibus & Scipione legimus) ab iniuria remoratur. Coruinus quoque fame iam absumptus, hunc nequaquam audet adoriri. Mox consalutatione primùm conciliati, sine suspicione, mutua inter se verba conserunt. Alter, non sine diuinæ charitatis præfatione, panem exorat: nomen & casum alter percontatur. Audita viri fortuna pastor, commiseratione percitus, & promissis oneratus, Coruinum in proximam casam ducit: panem cum cepis, & aquam apponit hospiti: qui in iucunda sæpe miseriæ memoria, nunquam lautiùs se, quàm ibi cœnasse, affirmauit. Hinc ad Sinderouiam à pastore ductus est. Vbi postquā id Despotes accepit, eius imperio, à Præfecto arcis capitur. Beneficiorum ille immemor, perpetua ingratitudinis nota sugillatur. Dies aliquot de liberatione ibi agitatum, conuentum tamen inter eos, vt ea Gubernator conditione dimitteretur, vti Matthias eius filius, Despotis gnatam, Comitis Ciliæ neptem, vxorem duceret. Et vt conuenta vtrinque tutiùs præstarentur, Ladislaus alter Coruini filius daretur obses. Proinde Gubernator, dato obside, dimittitur. In Seruatoris igitur nostri natalibus postliminio reuersus, in non parua Procerum nobiliumq; frequentia, ad Segedinum recipitur. Certatim salutem incolumitatemq; omnes congratulantur, tristem cōsolantur, & bene sperare iubent: sat eis cum fortuna bene actum dicere, si Gubernatorem receperint. Militum adhuc copiam, neque ex indigenis, nec externis defuturam: talem se ducem nusquam gentium, si amisissent, reperturos. Nihil hinc Vngaricæ genti turpitudinis accidisse, quando ad vnum omnes strenuè pugnarint, cruentissimam lachrymabilemq; hostibus victoriam reliquerint: neminem suorum inuentum, qui non pulcherrimè occubuerit. Triduo sine intermissione pugnatum, & à paucis aduersus innumeram multitudinem, quatuor & triginta milia ex hostibus cecidisse, ex Vngaris vix octo desiderati: paulò meliorem rectè iudicantibus, ac non iniqua petentibus, victoriam optari posse. Demum omnes eum impensiùs exorare, vt se sibi, patriæ, Christianæque Reipublicæ seruare niteretur, reuocaret animum & obfirmaret. Quod si fecerit, perbreui ipsum, & Turcam, & Despotem meritis vtrunque pœnis affecturum, cæteraque prosperè cessura. Coruinus Procerum consolationibus haud parum confirmatus est. Augebat sibi animū, quòd multo plures ex eo bello reduces quotidie videret, quàm sperare liceret. Nam quicunq; ante Turcas in Illyricum aufugere, rediere incolumes: quinetiam ad viginti milia passuum, Sandarobechum cum auxiliaribus copiis occurrētem, in itinere offendere, cuius occursu ductuq; tutò sese in Illy-

ricum recepere. Curatis corporibus, & instauratis viribus, multo acriùs Coruini animum Despotis ingratitudo, quàm Turci odia, exercebat: captiuitatis iniurias tolerare nõ poterat. Quare coacto repentè exercitu, ad Despotis oppida, quæ à Sigismundo quondam dono acceperat, proficiscitur: vicos incendit, vastat agros, oppida vi capit, ac breui tandem expeditione, quæcunque in Vngaria Despoti parebant, in ditionem suam accepit: mox Rasciam adorituro Despotis oratores occurrũt, qui Ladislaum obsidem, ac bene donatum vltrò reddunt: supplices pacem petunt. Gubernatore tandem ab Optimatibus exorato, pax Despoti data, remissæ penitus iniuriæ inimicitiæque: pacatis deinde rebus in Vngariam reuertitur.. Nunquam fortem virum fortuna quiescere patitur, sed indies vexat & exercet, ne impunè laudibus & immortalitate decoret. Hæc omnia Salutis quadringentesimo quadragesimo octauo supra millesimũ, & quarto gubernationis anno gesta sunt. Nono autem, Turcarum iterum bellum exarsit. Amurathes enim, quum à Georgio Despote dimissum esse Coruinum accepisset, cuius captiuitate nihil erat antiquius, in eũ nimis excãduit: præreptam voti sui spem esse senserat Coruini liberatione, indignabatur acerrimè, quòd pro restituto Regno, captiuo dono dato, cumulatissimas sibi gratias non retulisset. Proinde, quod tanti occasionem beneficij contempsisset, ingratitudinis ab eo pœnas exigere constituit. Frigibechum Præfectum trium legionum, in Rasciæ fines immittit, Chrysonicum oppidum ad Morauam amnem situm, & graui olim bello dirutum, instaurare iubet: atque hinc Despotis regionem impetere, vastare agros, & latè igni ferroque grassari præcipit, vt exin cõtemptæ gratificationis pœnas luat. Frigibechus mandata facit, in primis coacta magna ex finitimis cementariorum artificumque manu, ad Morauam oppidum reficit: interim inhibet iniurias, bellum dissimulat, ne Rasciani sibi impedimento forent: id aggere, fossa, vallo muroque circummuniuit: atque vbi eo peruentum est, vt imposito facilè præsidio, per se maximum quenque hostis impetum perpeti possit, prouinciam Despotis incursat, diripit, & latissimè populatur. At ille inopinato malo consternatus, quid potissimum faceret, haud facilè succurrebat: Turcam sibi citra scelus nefarium, & ingens suum malum, conciliare non poterat. Si resistendum esse censeret, Coruini opem, cuius amicitiam ex captiuitate læserat, omnino desperabat. Et quorsum ipse confugeret, non veniebat in mentem. Cæterùm malebat omnia perpeti, quàm immitissimam Turcæ seruitutem. Postremò ad Gubernatoris opem confugit: quem supplex, non sine summa verecundia, exorauit. Auxilia Gubernator haud inuitus promisit, quum vlciscendæ proximæ cladis gratia, tum re postulante: quandoquidem planè cernebat, occupata superiore Mysia, Turcam pro foribus ac ædibus Pãnonum statim insultaturum. Itaq; comparato mox exercitu, non sine decenti apparatu, in Mysiam, quam Rasciam dicunt, descendit. Reipublicæ gratia, factus immemor iniuriarum, non per Legatos & Præfectos auxilia misit: sed ipse, ductu auspicijsque suis expeditionem hanc accepit. Ad Synderouiam Danubium traiecit. Rasciam ingressus, Despotis copiis sua castra compleuit. Iter die noctuque fieri cœptum est, vt incautum hostem adorirentur. Quarto die Turcis appropinquant. Quum Chrysonici agrum attigissent, continuò illuxit: obortæ sunt inter vtrosque, vt assolet, nubes, quæ vltrò citroque prospectum inhiberent. Resolutis subinde à sole nubibus, armatæ in conspectu hostis acies emicuere, & coruina signa longiùs agnoscuntur. Consternantur illico Turcarum animi repentino ac inopinato Christianorum aduentu: & quum suis Coruinum ceruicibus instare cernerent, ita exanimati sunt, vt non de instruenda acie, disponendis stationibus, & conserenda manu, sed de fuga tantùm omnes cogitarent: quare suscitato mox tumultu, fugam cuncti retrò capiunt. Expeditissimus hos equitatus insequitur, multos in fuga cædit, capitque. Instat à tergo pro viribus, & ad noctem vsq; fugientibus, succurrentem insequutus, cædem continuat: illi mox in syluas effusi, delituerũt, atque haud facilè vltrà impeti potuere. Cataphractorum equitatus, præ graui armatura, lento gradu subsequutus est: ne quid fortè mali ab hoste,

1448.

10 20 30 40 50

sociis

sociis qui præcesserât, inferretur. Nisi cædem nox ipsa intercepisset, multo maior clades patrata foret. Frigibechus cum magna nobilium turba captus. Coruinus victoria potitus, Budinum Bulgariæ metropolim venit, quæ ad Danubium sita est: vrbem belli causas crebrò ferentem, succēdit. Mox per Rasciam retrocessit, & captiuis Despoti dono datis, ouans Budam rediit. Pòst vbi reuersus est in Regnum, Boemorum sollicitudine vexari cœpit, qui Transdanubianam regionem erectis in plerisque locis præsidiis, & occupatis oppidis, latrociniis infestam planè reddiderant. Et quamuis antea istorum audaciam sæpe repressérit, nunquam tamen domitare potuerat. Obstiterat huic profectò rei non
10 mediocris quorundam optimatum inuidia, qui excrescentem quotidie, præter omnium opinionem, viri gloriam ægrè ferentes, vt Coruinæ virtuti negotium facesserent, clàm latrocinantium Boemorum audaciam tuebātur. Ad remorandam nominis accessionem, hos ad bellum sollicitabant: quorum facinora, propter externa grauissimaque bella, quæ cum Turcis gesta sunt, Gubernator diu sanè dissimularat: nunc ad auctam, præ viri patientia, aut coercere admodum, aut prorsus extirpare, decernit. Quare anno quadringētesimo quinquagesimo- 1451.
primo supra millesimū, coacto tumultuario exercitu, & euocato vndiq; gregario quoq; milite, rusticaq; turba, Ioannem Giscram, haud procul à Losoncio oppido, facinorosorum omniū principem, in primis adoritur, qui ad Diui Regis
20 Stephani fanum, præsidium olim erexerat, aggere ac vallo cinxerat, multo milite, variaq; munitione complerat. Giscra fortè tunc aberat, quū suum præsidium acerrimè à Gubernatore oppugnari sensérat: clādestinis socios admonet internunciis, vt pro se quisque locum fortissimè tueantur, donec ipse cum auxiliis propediem aduenerit. Iam Coruinus præsidium tam acri oppugnatione vexarat, vt indies deditio speraretur, qum Giscra, coactis in superioribus Vngariæ partibus auxiliis, & ingenti exercitu, præstò adfuit. Multi nanq; Proceres, ad labefactandam Gubernatoris magnanimitatē, copias gratuitò dederant, & cum aliis Optimatibus coniurarant, qui in Coruini castris erāt, vt prælium detrectarent, & vt elatum eius animū faciliùs attenuarēt, se vltrò vinci paterentur. Nun-
30 quam defuit virtuti liuor. Inita coniuratorum consilia, è sententia successere. Nam quum acies instructæ vtrinq; constitissent, ac nondum pugnæ signa data forent, ecce ex composito nonnulla coniuratorum agmina, vt honestiùs à Coruino deficiant, simulato metu, in fugam se præripiunt. Irruunt data occasione Boemi, & desertum Gubernatoris agmen, collatis signis inuadūt. Coruinus intellecta suorum perfidia, quum se obsistere haudquaquam posse cerneret, cum suis terga vertit: & quamuis à tergo acer instaret hostis, in proxima tamen oppida incolumem se recepit. Stephanus Pelusiensis, qui in pręsidii obsidione à sulphurea machina lethali vulnere læsus obiit, pridie quàm moreretur, cōiurationem confessus est. Multi ex optimatibus in eo bello cæsi, in primisque Ioannes
40 Compolthij, cui de Nana cognomen est: item Ladislaus Hederuara episcopus Agriensis, quum claudus esset, ibi captus, in hostis deditionem venit. Giscra castris impedimentisque potitus, veluti insigni victoria tunc elatus, ad Gede oppidum castra mouit, vbi Lorandi filij dominabātur. Sed quum oppidani fortissimè se tuerentur, spe sua frustratus, Agriam proficiscitur: ratus ob Episcopi captiuitatem, Præfectum arcis deditionem continuò esse facturum. Sed longè aliter atque sperarat, euenit: nam quamuis Episcopus in conspectum adductus, Præfectum suum arcem Giscræ dedere iuberet, preces adiiceret, ac deinde interminaretur, ille tamen, cæteriq; præsidiarij, quum omnes nobili Vngarorum genere nati forent, ne quam nobilitati perpetuam notam inurerent, grauiq; de-
50 trimēto Regnum afficerent, publicam vnius miseriæ vtilitatem prætulere, irritosq; Giscræ conatus effecerunt. Iniquissimo proditionem illam Coruinus animo tulerat, & ne inultam Boemorū audaciam prætermitteret, exercitū reparat. Veteranas legiones, quas in inferiorib. Vngariæ partibus aduersus Turcarum incursus collocarat, acciri iubet: mox instaurato ex fidelissimis copiis exercitu, in Giscram iterum castra mouet: præsidia varia, quæ ad templum Saag (vt

aiunt) Ipolo fluuio proximum, & in monte Galchure: item ad Rosnanum, Scepusiumque oppidum, olim erexerat, grauissima hac obsidione vexauit, & vt quàm primùm deditionem sibi facerent, adegit. Expugnatis his, deletisq; præsidiis, temporarium aliud castellum adoritur, quod in valle quam Derechen appellant, Giscra olim fecerat, cum validoque præsidio Valgatham Boemum imposuerat. Id vallo & aggere, præterea omnium munitionum genere obfirmatum, vt militi parceret, non manu, sed arte expugnandum esse censuit. In valle nanque situm est, quam fluuius paruus influit. Paulò infrà, vallem alto aggere obstruit, vt remorato amne, restagnantibusque aquis, castellum obrueretur. Initum haudquaquam consilium hominem frustratur: namque quum præsidiarij milites sese indies ab excrescentibus aquis obrutum iri cernerēt, vsque adeo præsenti morte perterriti sunt, vt corporum, fortunarum, & castelli denique deditionem supplices fecerint. Ad Zolium repentè profectus, malorum omnium officinam, asylumque latronum, ciuitatem continuò succendit, arcem armis, commeatibus, præsidio, bellicisq; machinis communiuit. Expugnatis demum his Boemorum asylis, in Giscram castra mouet, hominem vsquequaq; insequitur: armorum denique vi, sic vexat exercetque, vt pacem is precario impetrare cogeretur. Præterea longam Giscræ vexationem, alia quoque bella ab aliis Boemis in Vngaria pullulabant: qui inita simul societate, quam fraterna charitate sanxerant, & se mutuò hinc Fratres appellarant, multa latrociniorum gratia in Vngaria iam castella erexerant, quæ militibus & munitionibus obfirmarant, & longè lateque grassati, rapinis & latrociniis victitabant. Vlteriorem Vngariam, quæ ad Boemiam Poloniamque spectat, sic infestam reddidere, vt nemo tutus ibi terram incoleret, aut illac iter faceret: quin & adauctis hi viribus, vicos & oppida multa, in ditionem suam asseruerant. Præter hos, & alij vim impudentius exercebant, vtputa Petrus Comoromucius, qui Liptouiensem sibi Comitatum occuparat: Pancratius, Vngarica gente natus, Thurocium dominatum vsurpauit. Ouar insuper, Berēchum & Strechen oppidum cepit: Regionem is omnem cædibus & rapinis infestam fecit. Mutuis isti sese odijs ac prælijs impetebant, mutuis quoque rapinis vtebantur. Sed ad Fratres redeamus. Facinorosum & ignobile hoc erat genus hominum, è gregario tantùm milite cōflatum, cui partim castella erant, quę vi ceperant, partim quæ nuper erexerant. Monachorū ritu se Fratres appellabant, ferinis tamen moribus vtebantur. Quippe quibus nil aliud placere videbatur, quàm raptu vitam ducere, vastare agros, latè populari, cædes passim agere: nihil æqui sanctique dignoscere. Duces crearant, quibus in agendis latrociniis ritè parerent, & quicunque apud eos maiori facinorum grauitate claruerāt, hi potiores habiti. Finitimas igitur regiones, cædibus, flammis & populationibus infestabant. Vexabant omnia, & aut ad pendenda stipendia, aut ad emigrandum colonos adegerant. Gubernator comperta Optimatum inuidia, qui superiores Vngariæ oras incolebant, à propugnandis eorum oppidis, inhibendisque iniuriis, animum aliquantulum auertit, & vt per se quandoque resipiscerent, proprio & alieno facinore vexari punirique permisit. Sed quum de his satis hactenus dictum sit, ad posthumum reuertamur, ne Vngarici Regis immemores, historiam deprauemus. Quanquam ab Vngaris æquè ac Boemis, abnegante hactenus Cæsare, Ladislaus repeteretur, ad duodecimum tandem annum res prorogata est. Quum rumor esset, Cæsarem in Italiam suscipiendæ coronæ gratia profecturum, antequam iter iniret, ab vtrisque vel honestissimis quidem legationibus sollicitatur, vt Regem redderet. Quinetiā Australes pari ambitione Ducē suum postulant. Boemi, hunc imperiosius exposcentes, quum iuxta sibi atque cæteris negaretur, propediem comitia Regalia interminantur, vbi de alio Rege eligendo se acturos esse profitentur. Cæsar ad hos censuit mittendos esse Legatos, quibus Syluius Æneas, Imperatoris secretarius, adiectus est. Quum Pragæ conuentus, sæuiente pestilentia, non posset haberi, à Georgio Pogiebrachio in Bunsthauiam translatus, ibiq; frequentissimus est habitus, Pium Æneam, Procopio collega interprete, ibi ornatè & compositè concionatum

fuisse

fuisse legimus. Cuius oratione sedati sunt Boemorum animi, atque eis persuasum, vt Imperatoris reditum expectarent, qui Ladislaum itineris honestãdi gratia, secum ducturum esse dicebat. Et reuersum Pius tam Boemis quàm Vngaris Australibusq; se regem redditurum pollicebatur. Causæ ad persuadendũ optimæ sunt adductæ: in primis deducendi Regis pompa, impendiosus Regiæ apparatus, ingens sumptus, ærarij inopia, exigua vectigalia, insuper quàm graue ac molestum sit, è collata stipe insanos sumptus edere: item intempestiua Regis restitutio, quippe quæ nil aliud, quàm discordiarum seminarium esse potest: si nunc Rex reddatur, gubernationis impos, alienæ curæ committetur: quicun-
10 que eum rexerit, inuidiosus is dominus habebitur. Hinc quum è Boemis multi se hoc honore dignos censeant, si sortiri non poterunt, ægrè ferent. Frederici gubernationem contẽtiones has dirimere. His igitur causis Boemi non solùm sedati, sed missis Oratoribus, Cæsari gratias egerunt, quòd cæteris præferantur: expectaturos se faustum felicemque vtriusque reditum, promittunt. Quinetiam ad honestandam profectionem Cęsaris, eximiam nobilium iuuẽtutem mittunt. Vngari quoque & Australes, Imperatoris reditum expectare iussi, ac interim exorati, vt solita Regnum diligentia gubernarent. Barbaram Imperatricem ea tempestate Græci diem obiisse ferunt, indomitæ libidinis mulierem, quæ inter adulteros publicè vitam duxit, prostitutoque pudore, viros sæpius pe-
20 tiit, quàm peteretur. Quum ab omni religione destituta foret, superos ac inferos esse negabat: religiosas ancillas, ieiuniis, aut orationi, rebusque diuinis intentas, grauiùs increpabat, nullis asseuerans molestiis ac inedia corpus esse macerãdum: immo lautè pascendum, in deliciis & voluptatibus alendũ, & post mortem, quum nihil supersit, nullam Deorum animorumque curam esse subeundam. Boemi profanæ tamẽ Barbaræ corpus, Pragam tulere: elatoque solenni funere, inter Regum monumenta condiderunt. Compositis Cæsar Boemorum motibus, & reclamantibus Vngaris Australibusque, simul cum Ladislao Rege, ac honestissimo Germanorum Principum equitatu, in Italiam cõtendit: Romamque profectus, à Nicolao Quinto Pontifice maximo, Augustali dia-
30 demate ritè coronatur. Hinc Neapolim progressus, Leonoram Alphonsi Regis neptem, & Eduardi Lusitaniæ Regis filiam, præstantissimis moribus, ac fausto genere præcellentem, vxorem duxit. In hoc itinere, Ladislaus puer, quum se suis populis abnegari ægrè ferret, iniecta suspicione, pædagogiq; cõsilio fugam molitur: quum è sententia res minimè succederet, reiecta est in pędagogum culpa, & perpetuo is carcere cruciatur. Australes interea, auctore Vlrico Eyzinger, ab Imperatore deficiunt: suscitatoque tumultu, omnes prouinciæ magistratus, à Cęsare institutos, vi deiiciunt: duodecim viros creant, qui prouinciam gubernent: summam rerum Eyzinghero tradunt. In societatem Vlricum Ciliæ Comitem admittunt, è finitimis auxilia cogunt, quo faciliùs Imperatorem perti-
40 naciùs agentem, ad reddendum sibi Ducem impellant. Interea ex Italia Cæsar reuertitur, cui quàm primùm Australium Oratores occurrere, Ladislaum exposcunt, atque reddere recusanti, bellum indicunt: postulata non reiicit, sed responsa Cæsar differt, vt longa mora conatus leues eludat: contrà illi moræ impatientes abeunt. Prouinciales, intellecta Cæsaris pertinacia, arma sumunt, Neapolimque, quam Ciuitatem Nouam appellant, infestis petunt signis: primo vrbem aduentu adoriuntur, pro portis pugna confestim inita, vbi magnã tormenta bellica temere insultantium stragem patrarunt. Mox vbi erumpentibus ex vrbe Cæsarianis iam cominus pugnari cœptum est, sic ab hostibus cæsi ac reiecti sunt, vt parum abfuerit, quin vrbem, quum vnà commixti forent, illi cape-
50 rent: vnius tantùm militis virtute seruata est, cui Andreæ Paumkircher nomen erat, quippe qui, donec à fugiẽtibus porta occluderetur, hostilem impetum audacter pro mœnibus in ponte sustinuit, & ob seruatam virtute sua ciuitatem multis à Cæsare honoribus exornatus est. Quum se Cæsariani intra mœnia recepissent, hi grauissima eos obsidione circumueniunt, muros interdiu noctuq; quatiunt. E Boemis Henricus Rosensis aderat, qui cum ducentis equitibus,

octingentisq; peditibus validissimis aduenerat:nõdum Vngari venerant, quum induciarum tempus nondum foret exactum: quare duodecim hominum milia in castris erant. Interea Georgius Pogiebrachius, qui Cæsaris in Boemia partibus fauebat, magnaque fide ac obseruantia eum prosequebatur, exercitum mox sedecim milium hominum, vt Augusto succurreret, comparauit, ac iter ingressus, audita concordia, retrò cessit: in Rosensiumq; agrum copias conuertit, incendit vicos, & cuncta latè populatur. Caroli Badensis Marchionis, vt aiunt, Sigismundique Salsburgensis metropolitæ interuentu, pax facta. Ladislaus, è Cæsarea manu Australibus restitutus, qui duce potiti, nonnulla deinde pacta abnegarũt: nam quum ex pacto statutũ esset, vt ad tertiũ idus Nouembris Viennæ conuentus haberetur, vbi præsentibus Ladislai cognatis, item Vngaris & Boemis de pueri gubernatore decerneretur: interea Viennam non adiret, in potestate Comitis Ciliæ teneretur, nihil ex propria auctoritate, ante decretum conuentus, gereretur: nihil ex his Australes præstitere. contrà verò puer dimissus, postero die Viennam ingressus, cum faustis acclamationibus & singulari pompa omnium ordinum exceptus est: ibique euestigio in vrbe magistratus, & in tota prouincia præfecturas instituit: pontificatus, & sacra munera, pro suo & amicorum arbitratu distribuit, curiam ad regni speciem reuocauit. Aduenere continuò Vngari, in primisq; Coruinus Gubernator, quem honestissimus Procerum nobiliumque ordo sequebatur, vt suo Regi nuperrimè restituto, debitos honores, legitimaque obsequia persoluerent: confluxere è Boemia, Morauis & Slesitis spectatissima Regulorum & nobilium multitudo: Legati populorum, & varij magistratus, cõgratulationis officio commoti. Frequentissimus igitur vtriusque Regni, Australiumque conuentus, Viennæ est habitus: vbi ad præstitutum quoque diem Augustales Legati adfuere, Lodouicus Bauariæ, & Guilielmus Saxoniæ Duces, Albertus Brandeburgensis, Carolus Badensis, præterea multi è Germania Principes Antistitesque. Primus in concilio locus Coruino datus post Regem, qui Regalibus excultus insignibus præsidebat. In primis Augustales Oratores auditi, & iniquis vsque adeo animis, perinde atque si victi, vt Pius Æneas qui adfuit, memoriæ tradidit, à victoribus audirentur. Eorum expostulationes, de pactis conditionibusque pacis, quas ipsi contempserant, ægrè ab auditoribus exceptæ. A Comite his Ciliæ responsum est, cuius arbitrio omnia gerebantur: victorem nec legibus, nec pactis obligari posse: ius in Martis potestate consistere: nullam in carcere obligationem legitimam licere fieri: conditiones pacis Ladislai gratia Regis initas, qui iniquo tot annos carcere obductus est, haudquaquam valere, immo secundùm ius & fas irritas haberi oportere. Proinde repulsa Augustalibus data. Quinetiam Nicolaus Cardinalis, Legatus Pontificius, componendæ pacis gratia missus, quum de concordia agere occœpisset, illicò reiectus est. Sed vbi ad Regnorum & prouinciarum congratulationem dispositionemque deuentum est, Ioannes Coruinus, qui iam annos octo, decreto Patrum, Vngariam gubernarat, strenueq; à cunctis periculis planè protexerat, quum sua gestarum rerum gloria, omnium in se Principum oculos cõuertisset, primus obsequium, compositis verbis, Vngarorum nomine detulit, vltroq; Gubernationis munere se abdicauit. His enim verbis eloquutum fuisse dicunt: Apparuisti tandem salutare nobis astrum, & post varias longasq; procellas, exortu tuo, nos è medio naufragio omnes eripuisti. Ne minore quidem desiderio te diu expectauimus, quàm publicum Maiores nostri Seruatorem, ad inferos anhelasse traduntur. Et quum interdicta per se desideria vehementiùs incendantur, quanto magis nobis abnegabaris à Cæsare, eo ardentiùs te Principem dominumque nostrum, precario, vi, largitionibus & armis repetere cogebamur. Et ni bello tandem Cæsarea pertinacia victa foret, adhuc fausto ac salutari te duce & moderatore nostro careremus. Agnouerũt oues pastorem suum, & restitutum ac veluti postliminio reuersum semper audiẽt. Quia eum non mercenarium, sed legitimum, fidum, & vitam pro suis ouibus, postulante re, deponere minimè recusantem, intelligunt. Proinde restitutioni tuæ Rex faustissi-

faustissime,immo saluti nostræ,ex corde nunc vniuersi congratulamur. Quando nullum nos cæteræq; gentes, quæ tuæ ditioni parent,ociū sentire potuimus, donec tuo ductu auspiciisq; regi cœpimus,verumq; dominum recuperauimus. Salue igitur Rex Vngariæ, ciuium Dux Australium, bellicosæq; Boemiæ Princeps potentissime:salue spes hominum & salus,humanæq; deliciæ:salue tot gentium & Regnorum pacator vnice,faustus ac felix sit hic tuus aduentus, & restitutio perpetuò salutaris. Sicque Saluator Iesus optimus maximus,te semper incolumem nobis efficiat: ne Regalibus procellis quotidie fluctuemus. Te non tam è sacro nostrorū Regum genere datum, quàm è cœlo demissum credimus: 10 si matris tuæ pientissimæ originem intuemur,quatuor,inter maiorum eius stemmata, Imperatores Romanos recensemus: si paterna, quinque domus Austriæ Augustos edidit. Humano genere, altiùs haudquaquam oriri potuisti. Magna sunt profectò hæc,sed quæ in te omnes intenti cernimus & auspicamur,nimirū multo maiora: diuinum ingenium, intempestiua sapientia, ingenita probitas, Regalis obseruantia,decus:non arte parta,sed à Natura tradita. Plures in te Cæsares & Augustos intuemur: te cœlestem angelum internunciumque ad salutem populorum à Deo missum esse credimus, quem sanctum & immaculatum, plus diuinitatis quàm mortalitatis habentem, haud temere reputamus. Proinde,quando ad regendum natus es,tuorum Regnorum curam forti animo cape. 20 Nos compascuæ tuæ oues, ad pastorem te conuenimus, vt lupos ouilia tua die noctuque lustrantes,audacter abigas,nos fida & perpetua pollicemur obsequia, studia,vires,fortunas. Item humana & diuina omnia tibi offerimus, tuum obseruamus imperiū,vt dicto celeriùs tua iussa præstemus. Nihil tibi deest, quod ad explendam gentium expectationem & ad comparandam faciat immortalitatem. Numerosa tibi est populorum multitudo,opes amplissimæ,omnium rerum copia,artes innumeræ,fida ac præclara hominum ingenia, indomita quoque virorum robora. Capesse igitur forti animo, quod tibi faustum ac felix sit, Rempublicam Christianam, & expectationem te maioribusq; tuis dignā suscipe. Vngaria ditioni imperioq; tuo (vt par est) se totam dedicat & addicit, quem 30 tot annos lugens ac tristis expectauit,tuum supplex postulat aduentum,vt desiderium ex Alberto patre tuo susceptū,fausto aspectu tuo consoletur: quo si frui licuerit,se beatissimam arbitratur. Ego autem (postquam resipiscere, teque dominum nobis abnegatum,armis repetere cœpimus)iam annos circiter octo,sub tuis auspiciis, Regni gubernationem gessi: quantum in me fuit, Vngariam domesticis externisq; bellis defendere studui, diuina benignitate, domi peregreque cuncta pacaui. Foris quod superest, id tuæ asseruatū est gloriæ. Vicies cum Turca prosperè confliximus: bis tantùm, præ militis inopia, cedere coacti sumus: nunquam tamen cessimus,quin cruentissimam hosti victoriam relinqueremus: vt quos fuga victos ostenderat,eos illata clades, hostili quoque iudicio 40 victores esse fateretur. itaque diuino freti præsidio, semper felicissimè dimicauimus.Postquam Iuliani Cardinalis oratione & auctoritate seducti,initam sanctè fidem,Turcæ violauimus,bis commissi piaculi pœnas expendimus, satis superq; illud facinus expiauimus. Nunc autem,quando sat fausta tua indoles,prę coxque sapientia, te Regno maturum pollicetur, & Turcarum bella maioribus sunt viribus & apparatibus ineunda, me quoque graues perpetuiq; labores iam effœtum reddidere: in primis,quia tempus est,& ius ita postulat, vltrò me Gubernationis munere abdico:vero domino,legitimoq; Regi,delegatam mihi potestatem resigno:in priuatam me vitam redigo:ius omne meum, fortunarumq; mearum,tibi hodie,Ladislae,dedico: & ita dedicationis meæ testem, sanctissi- 50 mū hunc conuentū esse iubeo, vt tua Maiestas perpetuò Coruini iure potiatur. Gubernatoris oratione omnes obstupuere Principes qui aderant,clarissimi viri maiestatem modestiamque admirati, de Christiana Republica semper optimè meriti. Rex in primis in eius obseruantiam amoremque succensus,eum ad sua genua procidentem, vt obsequētissimi procuratoris præstaret officium, amplexatus : Salue (inquit) Vngariæ pater,vindex Christianæ gentis,pientissimi loco

parentis mihi semper habende: quo his temporibus si Pannonia caruisset, iam de communi salute fuisset actum. Vtinam talem me Principem diuina clementia præstaret, qualem spes hominum & Coruini sententia postularet. De me tamen cunctos bene sperare iubeo, quando te semper moderatore vtar & magistro. Accedit & fidelium sapientiumque hic ordo Principum, quorum consilio cuncta bene gerentur. Te sponte tuo munere abdicantem minimè patiar, maximis quibusq; honoribus ac præmiis mihi haud immeritò exornandus es, cuius virtute ac sapientia in Pannoniis salua sunt omnia. Quare consulto, quum hæc dixisset, Ciliæ Comite Gubernatore suo, in frequentissimo conuentu Ioannem Coruinum, omnium Procerum consensu, Comitem Bistricienſem declarauit: perpetuum Regni Gubernatorem esse iussit, virumque demum magnificè donauit. magni Coruino plausus a cunctis cum honorificis acclamationibus editi, multæ cõgratulationes redditæ, laudata sunt, & prędicata passim Coruini gesta, fides, religio, virtus & sapientia, commendata quoque vulgò modestia. Rex Coruinum Comitem declaratũ, in diui Stephani basilica, ex alto suggestu, & Regali præsidens apparatu, in summa nobilium Principumq; frequentia, traditæ dignitatis insignibus decorauit: gentilia Corui confirmauit insignia, & quum ruentem Vngariæ coronam fortitudine sua sustinuerit, ardui leonis diadema Regium subeuntis insignibus donauit. Ad postremum, cõuentus huiusce decreto factum, vt instante adhuc Regis pueritia, triumuiri crearẽtur, qui omnia gubernarent: Coruinus Vngariam, Pogiebrachius Boemiam, Vlri[illegible] Austriam sortitur. Summa tantùm rerum, apud Vlricum, moderatorem Regis, planè remanserat. Quum Vngari certatim & Boemi, Regis aduentum instantissimè postularent, hunc propediem Vlricus vtrisque promisit, Vngarisq; prius satisfaciendum esse censuit. Præstituto Regalis aduentus die, Pisonij conuentus a Coruino indicitur: conuenere frequentes Vngari, Regemq; suum ingenti plausu, & faustissimis proclamationibus excepere: festi, ob Regis aduentum, plures ibi dies exacti, in publicæ lætitiæ monumentum. Deinde, Comitis consilio, Rex non vltrà progressus, Viennam rediit. Boemis quoque indicta dies, qua coronandum Regem exciperent. Interea dum de faciendo itinere agitur, Ioannes Smiristheus inter Boemos nobili genere natus, & Germanicæ non expers eloquentiæ, dum regiæ vitæ studere contendit, suam amisit: quippe qui ad Ladislaum Boemiam ingressurum, ita scripsisse dicitur: Venturum te quam primùm in Regnum tuum probo, si modò veneris imperaturus, & non pariturus: iuuenem impotentemq; te intrare non laudo, nisi bicipitem te fortè mater pepererit, vt ex duobus vnum Viennæ apud amicos dimittas, alterum dubiæ Boemorum fidei caput, temerè credas. Vale. Epistola Comiti reddita perlectaque, ad Georgium extemplo remittitur: ille coacto Senatu, præsenteque Ioanne literas recitauit: quare capitale repentè supplicium de literarũ auctore sumptum est. Nulla virtus fortunaq; sublimis, inuidia vnquam carere potuit. Quum autem exhaustum Boemiæ foret ærarium, & iter coronationisque celebritas, citra pecuniarum copiam, honestè ac pro dignitate fieri non posset, ad accipiendas mutuò Ciliæ Comiti aduertendus erat animus. quum ad eam rem neque Proceres neque negociatores sat esse possent, ad Australium morem confugit. quippe qui in repentina Principum necessitate, è ciuibus pro censûs ordine, pecuniam mutuò accipere solent: quod prouincialium iniussu, fieri non licebat. Huc ergo recurritur, ad Nouum Tritici burgum, vt aiunt, veluti consuetudo postulat, conuentus è quatuor hominum ordinibus habetur: sacerdotum, procerum, nobilium, equitum: in media conuocatione, præsidente Rege, Comes Ciliæ de itinere faciundo, & pecuniarum inopia multa disseruit: vt sponte suo Principi succurrant, hortatur, oratque, ne ad suscipiendam coronam, inopem & mendicabundum ire patiantur. Optimates, consultandi tempus exposcunt. Eyzingerus, qui iam pridem Comitis opera, è Regis gratia planè deciderat, oblatam vlciscendi occasionem haudquaquam contempserat. Quum ad deliberandum secessissent, is cum primariis, de Comitis incontinentia, rapinis & iniuriis loqui-

loquitur: eum in tantam cunctorum inuidiam adduxit, vt pedem loco nō mouerint, donec decreta Regi pecunia, perniciosam in Comitem coniurationem iniuerint. Mox Ladislaum, absente Comite, adeunt, pecuniam coronationi supra quàm opus est, pollicētur: itaque Principis animum, præsentaneo nummorum auxilio, mirum in modum sibi conciliant. Mox Eyzingerus de Comitis tyrannide, cædibus & rapinis multa subiicit, cui ni Regia prudētia occurratur, assueuerat omnia funditus ire perditum. Facinora multa refert, suspiciones inijcit, ac demum prouincialium nomine Regem credulum exorat, extemplo virum detestabilem & perniciosum abigat, in exiliumq; mittat. Persuadetur facilè puer, & accito repentè Comiti curiam per Eyzingerum interdicit, potestatem abrogat, consiliarij familiarisq; Regij nomen antiquat, & quò velit gentiū abire iubet. At ille, quamuis non sententia Regis, sed inuidorum maledicentia se Regia explodi clamitaret, multaq; sese purgādo iactaret, cum summa tamen ignominia ire cogitur. Tacitus demum & grauissima quaque capitis diminutione mulctato similis, cum quatuor tantùm equitibus in patriam concessit. Albertus Brandeburgensis Princeps, hunc ne saxis à Viennensi populo peteretur, ad portam vsque sequutus, inhibuit: probrosa tamen conuicia cohercere non potuit. Hoc quidem haud ignobile fortunæ inconstantis exemplum, tempestas illa tulit. Rex autem paucis pòst diebus, cum magnificentissimis apparatibus, in Boemiam contendit, & summis Pragæ honoribus exceptus, ritè coronatur. Sumptus omnes è collata Boemorum stipe facti, quin & exuberante hinc pecunia, nonnulla castella Regiæ ditionis redempta sunt. Nec pauco quidem tempore Ladislaus in Boemia mansit: & illud, adhuc puer, diuinæ prætulit pietatis, quòd nunquam, etiam sæpe rogatus, fana hæreticorum inuisit, nunquam eorum sacris interfuit. Sacerdos quidam Rochezanæ factionis, in sacello arcis sacro habitu instructus, iā altare præsente Rege conscenderat: quod vbi ille conspicatus est, continuò abire, aut fortè reluctantem, è proxima rupe immisso equitum magistro, præcipitari iussit. At ille vitæ timens, facilè cessit imperanti. Rochezanam hæreticorum Principem, in Corporis Christi solennibus Eucharistiam publicè & longa pompa gestantem, è fenestra conspicatus, nullum venerationis signum edidit. Percontantibus causam amicis, respondit: Augustissimum Christi corpus, tam immensæ esse præstantiæ, vt eius gloria, nulla veneratione augeri, & nulla dehonestatione possit imminui: sed quum populares è Principibus pendeant, sibi fuisse cauendum, ne tali veneratione, hæreticorum sectam approbare videretur. Quum aliquot ibi menses permansisset, iam Regis mora hæreticæ multitudini grauis esse cœperat: quippe quæ videbat indies Regis exemplo, alios à suorum templorum frequentatione deficere. Quare factum est, vt in Austriam redire cupienti, ex Hussitarum nemo perfidia intercesserit. antequam pedem retrò referret, Vratislauiam Slesitarum metropolim inuisit. Pogiebrachius Boemiæ Præfectus eum sequebatur. Ab Vratislauiensibus Rex cum eximiis honoribus, & populari plausu exceptus est. Regem enim, nondum è pueritiæ finibus excedentem, supra ætatem vsquequaq; sapientem, faustoque aspectu, & venusta facie, spectatorum facilè animos conciliantem, tanta populi admiratione prosequebantur, vt diuinum potius quàm humanum reputarent. Verùm ad Comitem Ciliæ redeundum. Hic enim ex aula regnoq́ne Ladislai iam exactus, vt diximus, & à reliqua spe destitutus, in Cæsaris gratiam redire contendit, quem Ladislai causa grauissimè læserat. Per internuncios erratorum veniam precatur, pœnitentiam fatetur: cęterùm offert perpetuam fidem, seq; sua opera ademptam Frederico Austriam, propediem (si ignouerit) redditurum. Cæsar, qui rebus, non verbis capiebatur, multa quæ acceperat damna cōmemorat: se indemnem præstare, dicit oportere: quare quæcunque ille possideret, sibi tradi postulat. Comes, vbi nullo pœnitentiæ modo conditioneq; in Cæsaris gratiam restitui posse intelligit, aliò animum intendit: audit grauissimum Venetis cum Francisco Sfortia Mediolanensi Duce bellum intercedere: hic se cum ingētissimis Boemorum copiis venturum Venetis pol-

licetur, si æqua sibi stipendia penderentur. Sed quum res intercedente pace nō prosperè successisset, nullumque exilij præsidium inueniret, spe sua frustratus, ad recuperandam Ladislai gratiam animum conuertit. Eyzingerum intelligit, Procerum obtrectationibus, Regi parum esse gratum, quum illorum auaritiæ rapinisq; obstinatiùs aduersaretur. Clàm eum illis agit, quos infensum sibi Eyzingerum habere senserat, vti cum Ladislao de reuocādo Comite, qui indignè fuerat eiectus, cautè tractarent: dicerent ipsum, viri sapientissimi ac propinqui opera, fide & consilio diutiùs carere non posse: indignum esse, cuius opera Rex iam pridem restitutus erat, eum turpiter eiectum, diutius euagari. Quare clam Comitem Ladislao conciliant: illiq; Regis nomine significant, vt cum honorifico pro virili sua apparatu, Viennam redeat. Vbi gratissimo se à Principe vultu excipi senserat, ab amicis is edoctus, cum expeditissimo mille hominum equitatu, Viennam properat: quem vbi Rex mœnibus appropinquare sensit, cū vniuersa aulica & populari turba, ac honestissimo Procerum & nobilitatis ordine, obuiam occurrit: vt honorificentiùs exceptus, de turpi exilio triumphare videretur. Eyzingerum haudquaquam insipientiùs egisse ferunt, qui, ne quod in alterum statuit, inuitus subire cogeretur, intrante vrbem Comite, is vltrò cum amicis exiit in exilium. Quod postquam Comiti nunciatum est, eum nō parum inuitum laudasse memorant, qui fortunæ ludibrio se subtraxerit: se quoque in posterum aliquāto modestiùs egisse: ac eos assiduò sapientes appellare solitum, qui aulica discrimina declinarint, quum nihil Principum gratia inconstantius esse videatur. Vngari, postquam Regem in Austriam reuersum è Boemis & Slesitis accipiunt, Legatos exoratum continuò mittunt, vt suum Regnum nequaquam contemnendum inuisat. Neque tam parui id momenti faciat, vt populorum desideria miserè cruciet. Erat ea tempestate in Coruina manu summa Reipublicæ, ac vniuersa Vngariæ potestas: item regales arces, præsidia, exercitusq; omnis: nec plus quidem fortunæ, quàm tunc accesserat inuidiæ. Quippe quod nonnullis Pannoniæ Principibus inuidiosum & molestum erat, & præsertim Ciliæ Comiti, qui eius locum occupare auebat. Pactam quotannis largitionis loco pecuniam, post exilium à Gubernatore non acceperat. Criminibus igitur grauissimis, falsò virum afficere cœpit, vt Regi redderet infensum: nō Ladislaum, sed Coruinū esse Regem: illum honores, sacra munia, præfecturas, cæterosque magistratus, pro libidine sua tribuere: illi vectigalia cuncta pendi, parêre legiones & præfectos: illius arbitrio iudicia fieri, illius denique ductu & auspiciis cuncta geri. In potestate Coruinæ, munitissima oppida, arces, ærarium, arma, ac demum omnia esse sita: nihil præter nomen & coronam Regis illi defore. Quinetiam nemini esse dubium, indies eum ad tyrannidem aspiraturum: si Christianorum ope id sperare non licet, ad Turcarum auxilia confugiturum, quibus iam bis, validissimos Vngarorum exercitus, planè prodidisset. Clandestinam cum profanis amicitiam olim iniuisse, item perniciosiora crimina comminisci: eum bis violasse fidem, reginam, introducto Rege Poloniæ, præter æquum & fas repulisse: Polonum quem acciuerat, in acie deseruisse: nunc Ladislaum in Vngariam aduocare, vt vi aut insidiis petitum, è medio tollat. Proinde Regiæ saluti consulere oportere, scelus in auctorem esse conuertendum. Id facilè fieri posse, si promisso aduentu, is interim, sub pacandi Regni prætextu, ad Regem prius euocetur. Perniciosis puer consiliis audit, & quum verisimilia nonnulla videantur, pro iudicio Comitis, iniquas in Coruinum insidias intendit. Ex composito, Gubernator paucis pôst diebus Viennam regiis literis euocatur. Variis indicibus deteguntur insidiæ, quando difficulter magni arcana momenti cohærentur. Quare Coruinus proditionis admonitus, se Regi semper in Vngaria pariturum, & facturum quæcunque iusserit: extra Regni fines, quando nulla officij conditione cogatur, nunquam egressurum esse respondit. Postquam Coruino haud facilè verba dari posse intelligunt, Primores aulę cum Comite Ciliæ mittendos esse censent, qui in Vngariæ finibus, ad Coche oppidum, cum Gubernatore conueniant colloquāturq;: virum aut Viennam trahere co-

reconentur, aut si nequeant, intra oppidum blandis verbis adductum, obtruncent. Is ad oppidum in colloquium accersitus, cum duobus equitum milibus, ad præstitutum tempus aduenit: atque vir ille sapientissimus, de diis & hominibus iuxtà benemeritus, diuina tutela non caruit. Quum diffusi rumores, proditionis suspicionem auxissent, haud inscius quo cum sibi res esset, & quòd alienę potius virtuti quàm labori suapte natura homines inuidere solerent, veluti diuinitus admonitus, sibi diligentissimè præcauendum esse censuit. Quum oppido appropinquasset ad sagittæ iactum, etiã inuitatus intrare noluit. Comes Ciliæ proditionis auctor, & delegatam sibi Regis potestatem gerens, vt è sententia res ipsa succederet, vti oppidum ingrediatur, inuitat, vbi gratissimo exciperetur hospitio, vbique melius, quàm sub diuo esse poterit: officij admonet & decori, se collegasque suos, quum Regiam personam gerant, Regis quoque dignitatem seruare oportere. Gubernatorem hos adire, qui Principis mandata ferunt, haudquaquam indecorum esse. Si priuatarum sit habenda ratio personarum, vel maximè nobilitatis, se Ioanne non esse inferiorem: in oppido, colloquium quietius & honestius haberi, & vtriusque dignitatem commodius seruari posse. Ad hæc Coruinus respondere: Quum ad ipsum legatio missa sit, Oratores ad quem mittuntur, eum adire oportere: de nobilitate hoc tempore non esse disputandum, illius tamen rei hominem admonere, miserum & ignobilem eum fore, qui non à propria, sed aliena virtute nobilitatẽ sibi vendicare studet. Ad extremum, Comiti significare, Se nullum vnquam munitum oppidũ subiturum, nisi impositum æquè præsidium habeat. Proinde infectis vtrique rebus, abiere. Quum parum ista succederẽt, nouas in Coruinum insidias liuidus Comes excudit: ferebant iniquo animo Proceres, Gubernatorem nequaquam parere Regi, cuius beneficio & auctoritate, summo munere fungebatur. Quare communes eum amici peruicerunt, & eò virum adduxerunt, vt Viennam profecturum se reciperet: si per diplomata, promissam à Rege Principibusque suis incolumitatem assequeretur. Offeruntur, quæcunque postularat: his tandẽ adductus, Viennam iter intendit. Quum ad octauum vrbi lapidem appropinquasset, cõfestim Lambergerus eques profectò insignis occurrit: eum properare iubet, quandoquidem cum frequenti ac honestissimo Ladislaus equitatu obuiam dudum prodiisset, & cum eo Ciliæ Comes, cum promissæ incolumitatis literis festinaret. His credens Coruinus, ad quartum vsq; lapidem progreditur. Mox quum latè campos prospectaret, neminemque in occursum prodire cerneret, suspicione remoratus, in proxima villa consedit. Vix ibi aliquantisper fortè desederat, quum Ciliæ Comes, cum quadraginta equitibus occurrit, conscendere statim equum, & properare iubet, quando egressus rex, inter pomaria & vineta præ feruentissimo æstu latitans, in patentes campos exire non audet: literas incolumitatis apud eum remansisse subiicit. Gubernator collocatas extemplo sibi ratus insidias, ad Lambergerumque conuersus, Certò, inquit, mihi mentitus es, amice; cui Lambergerus, Mandata, inquit, Comitis tantùm, ipse retuli: si qua fraus inest, is est in culpa, & adest, ipse qui mandauit, causam suam agat. Coruinus intellecta repente fraude, in Comitem conuersus, Siccine bonos viros perdere contendis? Dolo me petis, at ego te vi queo perdere, veterator scelestissime. Nimirum in foueam, quam aliis paraueras, incidisti: & ni me reuerentia Regis, & mea probitas inhiberet, dignis te pœnis afficerem: Quando nemo est, si vellem, qui è meis te manibus eriperet. Proinde non tibi, sed Regi vitam dono do tuam. Si vnquam posthac, meum veneris in conspectum, moriar, ni vltimo te supplicio mulctatum dedero scelus. Patefactis Cilianis insidiis, tollendi è medio Coruini spes omnis adempta. Ladislaus deinde mitius cum Ioanne agendum esse censuit, puduit, piguitque non parum, dolo se malo fortissimum clarissimumque Regni propugnatorem, Ciliano consilio petiisse: quod & dignitatem Regiam dehonestare, & de se opinionem hominum lædere videretur, per fideles probosq; internuncios, cum Coruino, cæterisq; Vngaris agendum esse arbitratur. Ex Optimatibus nonnulli vltro citroq; missi, rem

ita ſcitè & commodè tractare occœperunt, vt Gubernator munitiſſimas pleraſque arces Regi vltrò reddiderit: (Matthiam filium adhuc puerum ſeruitio Regio dedicarit, quem grato, inter intimos cubicularios, animo Rex accepit, ignorans illum non multo pòſt tempore, in vtroque Regno adiectiſq; prouinciis ſibi eſſe ſucceſſurum) inferiores tantùm partes ſibi auctoritate Regia reſeruatæ, quas à Turcarum furore protegeret. Quare factum eſt, vt Ladiſlaus cum honorificentiſſima aulicorum turba, Budam venerit. Quem Vlricus Comes, cæteriq; Principes, longo ordine ſequuti ſunt. Anno igitur ætatis ſuæ tertiodecimo, Salutis verò quadringenteſimotertio ſupra milleſimum, ac idibus Februariis, Budam ingreſſus eſt, cum ingenti plauſu ac fauſtis acclamationibus exceptus. Aberat tunc Coruinus, & vt Comitis inſidias ac inuidiã declinaret, inferiores Vngariæ oras luſtrabat: recenſebat exercitum, & ne quid a Turcis mali inferretur, ſummo ſtudio proſpiciebat. Audito Regis aduentu, ne à Regia fide deficere, néve tyrannidem, vt à Comite obiiciebatur, moliri videretur, abſq; literis incolumitatis liberiq; itineris, & ſuo & amicorum conſilio, viſendum Regem, & ſuo officio ſatisfaciendum eſſe cenſuit. Eo tamen comitatu, & vſque adeo inſtructo ad Regem venit, vt citra diplomata libertatis ſat vbique tutus eſſe poſſet. Eum nanque magni Proceres ſequebantur, & eximius nobilitatis ordo, validiſſimus etiam equitatus: in primis Thomas Zechel, prior (vt aiunt) Auranæ: Vlada, Montanæ Valachiæ Princeps, item Ladiſlaus Caniſa, Sebaſtianus Roſgonius, aliiq; quamplurimi, qui ſub Coruini ductu & auſpiciis diu militarant, & multos hinc honores fuerant aſſequuti. Quum Regem Gubernator cum nobiliſſimo Procerum comitatu adiuiſſet, honorificentiſſimè hilariq; vultu à Ladiſlao cæteriſq; Principibus excipitur: præterquã a Ciliæ Comite, qui os præ liuore obducere cogebatur, debitam à cunctis reuerẽtiam & honorem exegit. Complures in aula dies familiariter & amicè verſatus, ad colloquia quoque abditiſſima ſemper admiſſus: nihil ipſo inconſulto actum eſt. Quem quum Turcarum oborta ſuſpicio reuocaret, à Rege cum ſociis Præfectiſque legionum honorificè dimiſſus, ad inferiores Vngariæ partes, Themeſuarum deſcendit: vbi quid cum Ioanne Capiſtrano in Turcas geſſerit, eſt ritè dicendum.

1403. 10 20 30

RERVM VNGARICARVM DECADIS TERTIÆ LIBER VIII.

QVVM Amurathes ad Croiam, vt res altiuſculè repetatur in obſidione graui morbo corriperetur, Adrianopolim tranſuectus, anno Salutis quadringẽteſimo & quinquageſimo ſupra milleſimum, diem obiit. Qui quidem annus, quum ſacer eſſet, Iubileus apud nos dici ſolet. Mahumetes eius filius, ex Othomanni genere Septimus, Rex Turcarum, Imperiũ ſuſcepit: patre, maioribuſq; ſuis rebus bellicis, animi magnitudine, ingenij feritate, conſilio, calliditate, & geſtarum rerum gloria longè prçſtantior: potitus Regno, quum longè maiore imperandi cupiditate æſtuaret, cum Deſpote & Palæologo Imperatore pacem fecit: mox in Aſiã traiecit, & in Carmanum Iconij tyrannũ caſtra mouit: quem ſemeſtri ferè bello, magnos in Aſia tumultus excitantem profligauit. Pacata prouincia, vt grandia cœpta quæ mẽte conceperat, proſequeretur, ſe cũ exercitu in Europam reuocauit, & initam cum Imperatore Deſpoteque pacem violare cœpit: Euripidis dicta ſequutus, à Iulio Cæſare ſæpius vſurpata, Licere ius quandoq; imperandi gratia violare. In primis, vti belli ſemina ſereret, & Byzantium ſimul obſideret, ad Boſporum Eu[illegible]num geminas vtrinque arces ſtatuit, miraq; celeritate perficit, vt vrbi P[illegible] & Mœotim obſtrueret: omniaq; auxilia, nõ modò a Pannonibus & Myſiis, ſed ab vniuerſa denique Scythia prohiberet. Imperator, ne ſocia[illegible] ſibi aditus prouinciarũ obſtrueretur, primùm literis, deinde Legatis queri cœpere[illegible] nihilo ſegnius cœpta ille proſequi, obaudire querimonias, multa diſſimulare, purgare

1450. 40 50

gare se quandoque, & nonnulla causari: demum Palæologum grauiter lacessitum, aperto Marte petit. Confestimque ex Asia & Europa, quas poterat copias & auxilia coegit: haud inscius, quantæ vrbis obsidionem moliretur. Crepitantibus deinde machinis mari ac terra, sic obsessa mœnia quatit, vt ciuibus ne curandis quidem corporibus ocium daretur. Procidunt turres, & magna pars murorum: reparantur intus munitiones, consurgunt celeri manu aggeres, & diris hostibus laborem instaurant. Accita mari classis, partim repulsa, partim tormentis obruta, irrita fuere auxilia, & elusi demum diurni nocturniq; conatus. Hostis vrbe, tertio sui regni anno, & quinquagesimo obsidionis die, potitus, magna cæ-
10 de grassatur, cuncta diripit, ætas omnis & vterque sexus nulla hostili iniuria caruit. Polluta & incæstata omnia, & templa quidem studio longè maiore. Patratis nulla piaculis accessio fieri potuit. Palæologus Constantinus, ab Helena genitus, vt honestius occumberet, inter confertissimos hostes dimicans, cæsus est, & solo paludamento agnitus. Vrbs igitur, quadringentesimo quinquagesimotertio Salutis anno supra millesimum, exacto Romano non sine maximo Christianæ Reipublicæ luctu, Barbarum, & prophanū Imperium subiuit. Ad Constantinopolitani excidij nuncium, omnium fidelium animi consternantur, & præcipuè finitimorum, qui instantem propius ruinam intuebantur. Nicolaus Pontifex maximus, studiorum parens, & catholicæ plebis pastor pientissimus, 1453.
20 quum Pannoniis admodum Mysisque timeret, quibus amissis, iam de Christiana Republica actum esse rebatur, sacrosanctæ militiæ saluberrimum promulgauit edictum: quo quidem omnes, qui sanctissimæ Crucis tesseram in Turcas vltrò sumerent, gratuitaque stipendia facerēt, integra delictorum omnium impunitate donauit. Quin & Ioannem Capistranum, è Samnitibus editum, ac Diui Francisci sacris initiatum, prætereа virum sanctissimum, & ad excitandos ad id populos dicendi copia, & vitæ probitate nimis idoneum, in Alamannos, Vngaros, Polonosque miserat, qui ad salutarem expeditionem sacris declamationibus homines hortaretur. Hic ne minore quidem sanctitate præditum, Iacobum Picentem, eiusdem collegij sacerdotem, sibi socium adsciuit: qui in sacra
30 peregrinatione quū Padum ambo traiicere vellent, & à portitore pertinacissimè repellerentur, quia interdicta è diuo dogmate pecunia carerent, quam pro naulo darent, in diffusum super vndas pallium cum comitibus considere, & veluti quadam naufragij tabula, in ripam alteram non sine auari stupore portitoris, diuina ope tutò trāslati sunt. Quum in Austriam & Germaniam venissent, in primis Diui Francisci religionem mirificè propagarunt. Multa in Noricis, Germanis, Sarmatis, & Pannonibus huiusce religionis collegia templaque fundarunt, languentem iam Dei timorem, cultumque diuinum instaurarunt. Sed quum Ioannes Coruinus, pro diuina charitate succensus, ad exhibendum Ladislao obsequium Viennam profectus, Capistrani Iacobiq; sanctitatem præ-
40 gustasset, & ad inferendum Turcis bellum ab his veluti à diuûm interpretibus inflammaretur, compositis ibi rebus, ambos in Vngariam ibi secum adduxit. Dum Cœlianis artibus & criminib. cum Ladislao puero fluctuauit, maximam illi Cruce signatorum manum coegere. Mox Constantinopolitanum exitium intercessit, quo viri sanctissimi, ad contrahenda ex edicti auctoritate vndique auxilia, multo vehementius excitabantur. Quin & pecunias oppidatim cogebant, vt è collata stipe, communi saluti succurreretur. Mahumetes Græcorum Imperio nimis elatus, spes multo maiores concipit, suas vires emensus, naualі bello se Italis inferiorem esse non ignorat, à sollicitanda mentem amouet Italia: se terra præpotentem intelligit, Illyricum & Dalmatiam Regulis obnoxi-
50 am, & in pagos paruaq; oppida diffusam, quotidianis incursionibus & labefactari & facilè capi posse intelligit. Despotem tantùm, Vngarūq; veretur, quum auro militeq; vtrunq; præpollere sentiat. Quos si expugnare contingat, audacius reliqua adoriri posse retur. Itaque superiorem prius Mysiam ingressus, fodinas argenti quæ Despotis erant, occupare nititur: Notū montem, Trepciam & Prifren eius oppida, argenti metallorumque feracissima, obsidet & expugnat.

Despotes grauiter angitur, quòd eius viribus obstare non potest, & opimi prouentus, preciosaque sibi vectigalia intercepta sint, in munitiora se castella recipit, & Vngariæ vicina, vt sua cum Vngaris mala communicet, quos propugnatores optimos sæpius esse nouerat. Differuntur mox vsquequaq; rumores, Turcam ad Albam Græcam, quam Belgradum nunc dicũt, indies castra moturum. Maximam fortunæ successum audaciam addidisse, ni occurratur, cũcta propediem ruitura, neque vllam ab hoste veniam tolerabilémve conditionem sperari posse: Constantinopolitanam cladem, omnibus exemplo esse. Coruinus autem, qui ad protegendas inferioris Vngariæ oras, Regia auctoritate constitutus erat, & in puero Rege, ac pernicioso Comite, parum sperare poterat: in tanto tumultu, neque animo excidit, neque consilio desit. In primis Capistranum ad hanc obsidionem sibi collegam adsciscit, vt alter humanis, diuinis alter viribus niteretur, consulit quid potissimum videatur agendum. Ille bono animo esse iubet, quando non mediocrem Cruce signatorum exercitum è Germania se conflasse fatetur. Quamuis hæc gens, Vngarico ab antiquo sit infesta bello, in communi tamen causa & necessitate, minimè defuturam arbitratur. Quin & totam se Vngariam, post Constantinopolitanam captiuitatẽ, in Turcas concitasse gloriatur. Interim Coruinum cætera, quæ ex vsu belli sunt, curare iubet. Hæc se in tempore auxilia daturum pollicetur, demum ad hanc capessendæ immortalitatis occasionem incendit. Is veteranos omnes, ac alios spectatæ virtutis milites cogit, classem mira celeritate in Danubio parat. Quando Turcam quoque multa in Ponto nauigia parasse, mandasseque, per exploratores acceperat, vt Istrum propediem subirent, & vbi castra esse senserint, ibi consisterent. Calixtus Pontifex, qui Nicolao successerat, imminentis periculi non ignarus, Ioannem sancti Angeli Cardinalem, virum sapientia & magnanimitate pręstantẽ, in Germaniam Pannoniamque miserat, vt Septentrionalis plagæ gentes, quantum in se foret, in dirum hostem cõcitaret. Interim rumor affertur, Mahumetem iam superato Hemo, per Triballos & Istrum centum & quinquaginta milia hominum, ad obsidẽdam Albam ducere. In summa rerum omniũ trepidatione versatur Vngaria. Coruinus, & Capistranus, forti animo, cum suo vterque exercitu, ad protegendam Albam properarunt. Classem commeatibus militibusque oneratam deducunt. Cardinalis Budæ substitit, vt apud Regem cætera curaret. Ladislaus & Ciliæ Comes, audito Turcarum aduentu, vsq; adeo consternati sunt, vt simulata venatione Buda egressi, Viennam continuò se receperint. Quin & Budinam arcem, omni præsidio destitutã reliquere, quæ diebus circiter triginta etiam hosti patuit. A Turcis interim Alba obsidetur, quod idibus Iuniis accidisse ferunt. Vrbs est in angulo sita, vbi Danubio Sauus illabitur: a Septentrione Danubio, ab Occasu verò Sauo abluitur. Arx monti præsidet, loco & arte munitissima: ad radices montis, ciuitas in amnis vtriusq; ripas effunditur. crasso muro confluentibusque obfirmata, à continente duplici vallo, fossa, mœnibusque munitur. Mahumetes in duo castra exercitum diuidit: altera præter Sauum, quibus Basseus Asiæ: altera præter Danubium, quibus ipse præerat, ritu locat. In suis castris tormenta tunc bellica à fronte disponit, locum vallo fossaque circumuenit, ne eruptionibus hostium foret obnoxius. Reliquam multitudinem per campos effundit, quæ omnia complere videbatur. Quum a continente continuatis ferè castris vrbem obsedisset, ne quid efferri inferrique posset, Sauum & Danubium classe compleuerat. Quum expugnatio ciuitatis insanã machinarum magnitudinem postularet, ac illæ ob itineris difficultatem facilè trahi non possent, hoc Barbarus animus commẽto vsus est: machinas diffregit, antequam iter iniret, vt in leuia frusta redactæ, facilius per ardua loca veherentur: mox vbi in Mysiam superiorem ventum est, ad Chrysonicum statim è conflato ære instaurauit: quas quum vrbi propius admouisset, & munitionib. quibus opus erat obfirmasset, mox oppugnationem adoritur: quatit d.e noctuque mœnia, nihil oppidanis ocij iam indulget. Coruinus & Capistranus vrbem acerrime dudum obsessam esse sentiunt, classem Vngaris Crucesignati que complectam,

pletam, secundo amne deducunt, vt Albanam arcem aqua terraque obsessam facto impetu ingrediatur. Quum appropinquauere, vrbem assiduo quati, arcem iactis in altum lapidibus sublidi, regionẽ sulphureo latè fumo caligãtem, perpetuas seruare tenebras conspicantur. Sociorum miseratione correpti, qui acerrima obsidione torquebantur, animos ingentes sanè concipiunt, & ad certamen irritãtur. Trecenti è Polonis erant, qui religionis ardẽtissimæ gratia, sumpta Crucis tessera, stipendia faciebant: item Germanorum ingens numerus, qui sacram expeditionem vltrò susceperant, & certatim vtrique obsessis accurrendum esse censebant. Tormentorum crepitus æneorum, ad Segedinum vsq; exaudiebantur. Quare instructa classe, terrestribusq; copiis in aciem eductis, secundo amne descendunt. Mahumetes his occurrere ausus, suam classem opponit, ne quid laboranti ciuitati afferant subsidij. Collatis in Danubio signis, fluuialis pugna conseritur. Effertur immensus vtrinque clamor, & crepitantium fragore tormentorum, Danubius intonat, ac vtriusque classis grauitate subgemit. Christiana in quadratum agmen effusa, ripam vtranque legebat. In ripis quadrata cataphractorum equitum agmina, vtrunque classis cornu protegebant, in dextro Coruinus, Capistranus in læuo præsidere. Hic à prora crucifixum amplexus ac supplex, ad salutare prælium suos hortari, promittere diuinam opem, & profanis hostibus maledicere. Coruinus acerrimè pugnare, ac exemplo suo ad pugnam Vngaros incendere, iubere vt remis incumbant, & suffragante Danubio cominus dimicent. Quod vbi factum est, mutuis nauigia catenis vtrinq; colligant. Coruinus in prætoriã nauim insiliit, sequuntur socij, ensem latè ducunt, Turcasque saucios seminecesque in Danubium deturbant: idem reliqui faciunt. Feruens vbique colluctatio cernebatur, multi vtrinque cadũt, & quum dira se omnes cæde competerent, cruore Danubium totum inficiunt. Quum secundi amnis subsidio nostri niterẽtur, Turcarum classem inclinant, cæduntque. Illi obstanti fluuio cedere coacti, proras auertunt: multa inter fugiendum intercepta nauigia, vndisque demersa, cæteri ad suorum præsidia confugêre. Coruinus, fusa fugataque classe, quum Albæ appropinquasset, eam reserat, vrbemque ingreditur, quam armis, milite, commeatibusque complet, saucios ægrosque oppidanos educit, arci supplementum suggerit validissimum: obsessorum animos recenti victoria instaurat, & ad propugnandam ciuitatem, vnà cum Capistrano viro sanctissimo omnes hortatur. Mahumetes ad nuncium profligatæ classis: Quamuis grauiùs (inquit) nostro tamen voto omnino potiemur. Quod è classe superfuit, incẽdi iussit, atque obstinatissimum ad expugnandam vrbem animum intendit. Quum paterni sibi amici retulissent, Amurathem olim septem in Albana obsidione menses triuisse, ac irrito tandem conatu abiisse: multis paternos manes probris affecit, & ante quintumdecimum se diem vrbe potiturum gloriatus est. Basseus fortè aderat Asiaticus, hic vt glorioso Principi magis assentaretur, certam imminere victoriam pollicetur, quando Byzantium ipse vi ceperit, veteri arte ac munitione quaque maxima præditum: neque ab Vngaris validiùs muniri, magisque strenuè protegi, quàm à Græcis oppida soleant: quibus non immeritò, non solùm eloquij, sapientiæque, verùm etiã disciplinæ militaris gloria, suo iure tribuitur: præterea multæ dirutę turres, completæ fossæ, & iam æquata solo mœnia forent, proinde haudquaquam diffidendum esse affirmabat. Mahumetes his verbis accensus, in sequenti die omnes arma sumere iubet, ac veluti decreuerat, nunquam etiam cessare constituit, donec Alba potiatur. In tot ordines digerit exercitum, vt perpetuum prælium cõtinuare, & ita fessas subinde acies instaurare possit, vti nulla quiete data oppidani deficere cogerentur. Sacer diuo Sixto erat ille dies, octauo idus Augusti, quo deturbatis dudum propugnaculis, ruderib. completa fossa, & obrutis patentibusq; mœnibus, hostes in occasu solis, vrbem adoriuntur. Obstant oppidani, & quũ completos innumera multitudine campos ab arce prospectarent, contractaq; latè mœnia cernerent, salutẽ desperare cogebãtur. Nulla maior spes & cõsolatio succurrebat, quàm desperata corporum salute, pulcherrimè mori.

Ioannes cum diui Francisci collegio, Crucigeros ad salutarem pugnam hortatur, & Seruatoris nostri crucem amplexatus, ac supplex, Dei præsentiam opemque pollicetur. Illi appetere magis quàm formidare gloriosam mortem visi, ad pugnamq; promptissimi Turcis occurrunt. Vnum his oberat, quòd animo potius quàm corpore armati erant. Gladiis tantùm & lanceis obnitebantur, pauci se galea & thorace protexerant. Dira nimis & cruenta supra murorum ruinam pugna conseritur, summa vi vtrinq; pugnatur. Hostilis clamor, tympana classicaque cœlum sonitu & fragore complebant. Rudera, magna cæde fœdantur, quando illi vi ingredi, reiicere isti connituntur. Coruinus vbicunque laboraretur accurrens, nunc verbis, nunc factis omnibus opem suggerit: timidis & ignauis inclamitat corripitque, strenuos extollit: fortissimos quosque commendat & hortatur, vt vrbem hanc Christianæ Reipublicæ propugnaculum, fortissime tueantur: sciãt sibi cum his rem esse, quos toties olim profligarint, vicerint, & ad internecionem sæpe ceciderint, & in Danubio tot superiore pugna confecerint: non deesse diuinum auxilium, Iesu Christique præsentiam, sub cuius nomine, ductu, auspiciis dimicatur. Mox cum globo veteranorum instructus, vsquequaque discursare, instaurare ordines, pro fessis validos, viuos pro mortuis, pro sauciis integros, pro inermis armatos, veluti opus erat sufficere: quandoque vbi plurimum laborari sentiebat, succurrere, inter confertissimos sese hostes inserere, ingressos reiicere hostes, & imperatoris militisq; optimi officium præstare. Cõtrà Mahumetes à tergo suis instare, grandia militibus præmia polliceri, retrocedentes reuocare in ordinem, & quandoque falcato ense cædere, orare, vt strenuè pugnent, exclamans eam iam vrbem captum iri, & suos intra penetrasse: proinde vt facto magno agmine progrederentur, hortari. Variante diu fortuna pugnatum est, quãdo Turcæ sæpe in vrbem penetrarunt, & à Christianis non sine magna vtrinque cæde reiecti. Supra cadauera murorumq; ruinas, diu nutante ancipitique victoria dimicatum. Et hinc veluti spes vtrinque surgebat, ita extremis indefessisque viribus pugnabatur. Sæpe Turcæ cum maximo impetu in vrbem irruperant: sæpe etiam reiecti, arridẽte subinde Marte, instaurato cuneo, amissam obstinatissimè victoriam repetebãt. Itaque cùm pari spe vtrinque pugnaretur, Mahumetes præsentaneum consilium init, quàm validissimo potest agmine, in vrbem irrumpere, pertinacissimeq; tenere. Quòd si nequeat, hinc reiectum, fugam simulare, qua oppidanos allectos in campos educat, mox irrumpente à tergo dimissa equitum multitudine reditum intercipiat, vti à tergo & fronte Christiana gens iuxtà cædatur: quare validissimum agmen instaurat. Superata mortuorum strue, quæ in ruinis excreuerat, in ciuitatem inclinatis oppidanis irrumpit. Penetrat in forum, & in medio foro prælium redintegratur. E Turcis plerique in forum signa inferunt, altis nonnulli turribus vexilla Regis deponere conantur, quæ adhuc in mœnibus integrè superfuerant. Subeuntem cum vexillo Turcam memorant, qui vt signa sui Regis, ad irritandos in vrbem sociorum animos, qui nondum intrò penetrarant, pinnaculo turris imponeret, & ad exanimandos Christianos Vngarica deturbaret, turrim altissimam repentè subit. Hunc Vngarus illico subsequitur, ac antequam patria signa deponeret, cum hoste in turris fastigio colluctatur. Quum alio modo id prohibere non posset, se cum Turca quem apprehensarat, ex altissimo vertice præcipitem dedit. Coruinus in summum periculum adductam vrbem conspicatus, accito Michaele Zilagio auunculo suo, & Ladislao Canisa, item Sebastiano Rosgonio, cæterisque fortissimis Proceribus Vngarorum, ab arce ruens in forum Turcas inclinat. Hi tanto furore congrediũtur, vt multis in platea vicisque cæsis, extra mœnia extemplo reiecerint. Crucigeri diuina se ope adiuros rati, adauctis animis extra mœnia prodeunt, & in hostes sæua cæde grassantur. Mahumetes vbi se iterum iterumque reiectum esse cernit, extemplo fugam simulat, & planè terga vertit, ac eos educit. Instant à tergo Crucigeri, & arridente victoria pellecti, pertinaciter insequũtur. Iamque ad Bassei Asiatici castra peruenerant, quæ in Saui ripa collocarat: Capistranus prospectis ab arce Mahume-

tis insidiis, confestim suos exclamat, vt retrò cedant. Quum præ strepitu & tumultu magno exaudiri non posset, a tergo receptui signa dat: contra illi victoriæ intenti, nihil exaudiunt, hostilia castra adoriuntur, & incendunt. Pater cum sacerdotum collegio, illuc per medios enses ab arce decurrit, reuocatq;. Mahumetes, qui ad machinarum bellicarum munitiones confugerat, quũ Basiei castra cremari diripique resiceret, cum equitatu, quem à tergo reliquerat, vt reditum oppidanis obstrueret, eò succurrere contendit. Ad hæc iam dies inclinabat. Coruinus desertas à Mahumete munitiones, & bellica tormenta conspicatus, cum sociis ex vrbe prorumpens, repentè capit: machinas æneas, adacto mox clauo, partim obstruit, inutilesq; reddit, partim in hostes conuertit, intenditq;. Turca reiectis è castris Crucigeris, qui à Capistrano reuocati facilè cesserant, ad munitiones redit: eas à Coruino occupatas comperit. Quum instãte crepusculo, recuperandi gratia prælium instauraret, obuersas in se machinas inuenit, à quibus quum grauissimè socij læderentur, ingruẽte nocte, se in posteriora castra, nõ sine fœda fuga recepit. Alij pectore sauciũ, sub papilla, in castra pedem retulisse memorant. Coruinus munitionibus potitus eas incendit. Quum adurgente nocte, machinas æneas exportare non posset, obclusis foraminibus, irritas præstitit, victorque ac ouans in vrbem rediit. Turca vt se ab vrbe sæpe reiectum, & Asiaticis castris ac munitionibus exutum conspicatur, intempesta nocte versus Macedoniam iter intendit. Referunt nõnulli, eum à sagitta saucium, seminecemq; in castra relatum, aliquantisper iacuisse. Turcas ad Sarnon oppidum motis hinc castris Imperatorem transtulisse, veritos, ne intercedente ipsius morte, postero die ad interitum cæderentur. Ad Sarnum quum ille aliquantulum respirasset, de belli exitu fuisse percontatum: quum illi respõdissent, Basseum Asiaticum, & cunctos ferè Proceres oppetiisse, magnam partem exercitus esse cæsam, Kurkutoam prætorianarum cohortium præfectum, sub mœnibus fuisse trucidatum, item munitiones omnes ab hoste captas: ad hæc, hominẽ (vt aiũt) vsque adeo ingemuisse, vt venenum præ vitæ molestia propinari sibi iusserit. quod quum amici recusarent, timidum & demissum, incensis castris, turpem arripuisse fugam: neque tam elatum animo venisse, quàm consternatus abiit: & qui se Terrorem orbis edixerat appellari, à parua manu fusum fugatumq; fuisse. Basseum Asiæ, cui Caraciæ nomen erat, ad munitiones, paucis antè dieb. ab vrbe ictum obiisse plerique ferunt. Sexto igitur & quadragesimo obsidionis die, diuina potius quam humana ope vrbs Albana, Turcarum manibus liberata. Quanquam multi vtrinq; cecidissent, plurimi tamen è Turcis occubuere: multi quadraginta hostium milia periisse prodidere, viginti milia nonnulli, nec desunt qui quatuor tantùm milia fuisse affirmant. Sed quanta clades illa fuerit, potentissimi Regis fuga testatur. Turcæ quoque ingentem & incredibilem fuisse nequaquam diffitentur: quin & deorum ex se plures, quàm Christianorum manu, eo die cæsos fuisse asseuerant: quia multa mortuorum corpora, sine vulnere comperta fuere, quæ diuina potius quàm humana vi cecidisse reputabantur. Capistranus & Coruinus, insigni victoria potiti, per se vterq; ad Calixtum Pontificem de hoc bello scripsere, suis vterque literis tam clari facinoris gloriam sibi vendicare nititur, quum alter mentionem alterius minimè fecerit. Præstantes nimirum viri, potius se Regnis, quàm debita laude defraudari patiũtur. Verum quum duo duces, alter oratione, manu alter strenuè dimicarit, idcirco hoc sanctissimo viro pleriq; factum arbitrantur, vt in eo prælio diuinæ potius, quàm humanę vires, quod Turcæ non inficiantur, enituisse viderentur. Prælium id atrox & inauditum fuit, quando horis quatuor & viginti, sine intermissione vlla, pugnatum fuisse tradũt. Ne quid vtriusq; Ducis fœlicitati posset adiici, ne multis quidem pòst diebus, diuina vtrunq; benignitas, nõ modò mortali, sed cœlesti quoq; gloria donauit: at Coruinus id prius assequutus est, quippe qui longo intolerabilique labore belli defatigatus, in æstuantissimam febrem incidit, qua paucis diebus absumptus est. Medicorum iussu, quorum adminicula cuncta irrita fuere, in Semlyn oppidũ amici contulere, vbi cœli benignitate, se corpusq;

multo facilius à languore redimeret. Aderant filij duo, Ladiſlaus feroci animo, & robuſto corpore iuuenis, & Matthias adoleſcens diuino ingenio, & præſtanti indole præditus: item cognatorum & amicorum numerus non mediocris: Capiſtranus à latere non diſceſſit. Sæuit ipſa febris indies, & nulla medica arte ſæuitiam remittit: deſperatur viri ſalus, & medicorũ eluditur opera. Capiſtranus demum Coruinum hortatur, vt quando diuinæ fortaſſe tempus euocationis inſtaret, teſtamentum edat, humana diſponat, ſaluti conſulat, & quæ ad animi emigrationem pertinent, veluti ſacra munia iubent, cũcta paret, ne minus nunc, quum opus eſt, quàm olim induſtrius & prudens ſibi eſſe videretur. Arriſit ad hæc vir ille fortiſſimus, & pia patris conſilia commendauit, ſe tamen cũcta multo antehac diſpoſuiſſe reſpondit: ignauum & imprudentem illum reputauit, qui ad extremum vitæ, vbi ſui compos præ formidine mortis nemo eſſe poſſet, officia iſta diſtulerit. Ne me (inquit) velim vſque adeo incautum & imprudentem Capiſtrane putes, vt quæ probè ſuades, hæc ad mortis agonem & tempus emigrationis ipſe diſtulerim: multo antè hęc cuncta conſtitui, iam diu quæ ad emigrandum facerent comparaui: teſtamentum diu condidi, & quid liberis & amicis, quid diis immortalibus legandum ſit, ſat bene (ni fallor) pro facultatum copia, prouiſum exiſtimo. Curam ſalutemque animi mei, nequaquam liberis delegandam eſſe cenſui, pro facultate nõnulla templa fundaui. Erogaui in pauperes, quæ humanitas & pietatis ratio iuſſerat. Et ad peragẽdum quod inſtat iter, viaticum quoque mihi comparatum, firma conſtansque fides, & ſpes ingens: item & tot excepta pro fide orthodoxa vulnera laboresque, & præſertim diuina mihi toties explorata benignitas, & præſentia me bene ſperare iubet: haud inſcium, Coruinum in hac miſera vita mortalium, tot inſidiis petitum, tot periculis & tempeſtatibus agitatum, felicem demum quietem inuenturum. Id vnum me angit & cruciat, quòd pro temporis anguſtia, nondum profuſæ in me diuinę beneficentiæ mihi ſatisfacere licuit. Verùm in hac Ieſu Chriſti Seruatoris exuberans clementia pietaſque ſuccurrit: quippe qui ſine animi verſura, à me ſibi ſatisfieri patietur. Totam vitam ſub eius ductu auſpiciisq; militaui: quanquam ſtipendia gratuita facerem, multo plus tamen rependit in vita, quam merita poſtularent: fideliſſimi veterani fidem dux ille non deſeret. Vos autem filij, amicique chariſſimi, huiuſce me vitæ miſeriis exauctorari, æquo animo (quæſo) patiamini, fluxa hîc & caduca ſunt omnia: nihil eſt, quod quicquam præter vmbram habeat boni. Militauimus hîc ſatis ſuperque: militiæ præmia apud ſuperos exigemus, & ea quidem commoda à diuina liberalitate conſequemur, quæ ſunt perpetuò duratura. Si rectè ſapitis, & ſtolida mortalium charitas vos non fallit, interturbatque, fortunæ meæ fidendum eſſe potius, quàm miſerãdum reputabitis. Dux ille præpotens gratiſſimusque, ſub cuius auſpiciis ſacra ſtipendia feci, veterani ſui labores miſeratus, militiæ vacationem indulget: & quæ diu propoſuit, nunc emerito magna præmia tribuet: proinde hunc neceſſitatis abitum patientiſſimè tolerate. Si quid abituro muneris in hac pompa & emiſſione Coruino tribuendum eſſe cenſetis, quod ſit gratiſſimum futurum, veſtigia, dulces filij, paterna ſectamini, eum paterna virtute gloriaque certate: experiamini, ſi ſuperare liceat, quod mihi per mortem interceptum eſt, Turcarum bellũ continuate, conficiteque. Id firmum, conſtans & glorioſum exiſtimate, quod honeſtatem foueat & pietatem, atque Deo gratiſſimum reputetis. In diuino cultu & religione perſiſtite. Et quod mihi aſſequi non licuit, deleti Turcarum nominis gloriam comparate. Ne indignum quidem & indecorum eſt, ſtudiorum militiæque paternæ iuxtà atque legatarum fortunarum hæreditatem accipere. Idq; in primis precor, ne degenerando per negligentiã & ignauiam, paternum nomen dehoneſtare videamini. Te id in primis facere iubeo, Matthia dulciſſime, qui natu quo minor es, eo melius bona indoles de te ſperare cogit. Proinde valete omnes Coruini memores: tu quoq; Capiſtrane vale: pro ſalute noſtra pias preces effunde, ſupplicaque, & quando ſub eodem Imperatore meruimus, ad accipiẽda mecum ſtipendia properato. Quum hæc dixiſſet, præſentibus liberis

dato

dato osculo, benedixit, amicis circùm collachrymãtibus commendauit, omniumque dexteras apprensauit: exorauit mox eos, in primisq; Capistranum, vt in proximam diuæ Genitricis ædem ad rem sacram faciendam se deferrent, & quum eucharistiam acceptutus esset, Dominum ad seruum, quod indignum erat, venire minimè paterentur, sed ipsum in ædem ad Dominum introducerẽt: translatus in templum, & sacris operatus, accepta eucharistia, placatisq; exemplo numinibus, animam efflauit, perpetuumq; sui desiderium Vngaris reliquit. Diem igitur obiit, Salutis anno quadringentesimo quinquagesimosexto supra millesimum, quarto idus Septembris. Corpus, sicuti legarat, in Transsyluaniam delatum, & in æde, quam in Alba Iula fundarat, magnifico funere sepultum. Vir fuit statura sanè corporis mediocri, magno capite, crispis crinibus, castaneæ colore subnitentibus, oculi fuere magni, serenus obtutus, suffulua facies & peruenusta: aspectus vsq; adeo pulcher & iucundus, vt singularem præferret gratiam, & tacitam sibi reuerentiam postularet: cuncta membra corporis inter se ita consentiebant, vt nil posset elegantius exoptari: corporis demum animique viribus æquè pollens. O felicem virum, cui cum singulari virtute viuere, ac summa gloria mori datum est. Dum vixit, ab omni periculo Pãnoniam Christianamque Rempublicam liberauit. Quare promulgata morte, nõ immeritò per vniuersam Vngariam, ab omni ætate ac vtroq; sexu est diu publicè deploratus. Aliqui Propugnatorem fortissimum, milites Inuictissimum imperatorem, omnes Patriæ patrem certatim lugendo ingeminabant: quòd sibi beneficiis Vngaros immortalibus obstrinxerit, & quantum amoris & gratiæ, præ gestarum rerum gloria sibi conciliarit, rei exitus ostendit: quippe quum post Ladislai Regis interitum, Matthiam eius filium, regio haudquaquam genere natum, & adhuc puerum ac rerum impotem, omnes vna voce Regem exclamarint. Quum adhuc animã ageret, Capistranus ingemuit: Inuideo (inquit) Coruine morti tuæ, qui consummato quoq; præstantissimi ducis officio, & fuso fugatoque hoste, quem Terrorem orbis appellabant, ne qua tua felicitas labe inficeretur, extemplo ad superos euolas, & amplissima vtriusque vitæ gloria potiris. O nos miseros, qui remãsimus, quibus si quid nominis recenti victoria partum est, superstitibus facilè id fortunæ inconstantia periclitari potest. Vtiuam te subsequi sit mihi fato datum, vt qui pariter sub cœlesti Imperatore meruimus, vnà quoque in cœlis triumpharemus. Mahumetem aiunt, ad nuncium Coruini mortis, cõfestim oculos humi defixisse, & conuersum in lachrymas dixisse, Neminem vnquam à mundi principio, illi sub aliquo Principe fuisse, meritò ac iure sibi indolendum, cui tantam ex accepta clade turpitudinem, amplius vlcisci non liceret. Viri fatum vniuersa deplorauit Europa. Calixtus audita morte, non parum lachrymarum effudit, solennia quoque iusta, in diui Petri basilica, Christianæ fidei defensori persoluit. Eius mortem prodigia multa portendêre, in primis crinita stella, in gradu quintodecimo, mense Iunio, triginta circiter dies apparuit: in Sabinis, Februario mense, vitulum bicipitem fuisse natum: Romæ sanguinem, ad portam Veneris; carnes, in Liguria pluisse: & in Piceno agro, infantem cum sex dentibus editum, ac facie insolentis planè magnitudinis fuisse memorant. Hæc signa fatum non modò Coruini, sed multa quoq; mala significarunt. Is igitur fuit Ioannis Vaiuodæ finis. E Coruino, vti diximus, duo filij fuere superstites, Ladislaus, & Matthias: alter qui natu maior erat, militari disciplina & virtute præstans, item singulari honestate, & magnanimitate præditus erat: alter verò minor, ad maiora fortasse, quàm pater natus esse videbatur: patri demum vterque similis, ne minima quidem in re à paterna virtute degenerans. Sed vter aut longiore vita, aut maiore gloria functus esset, Capistranus veluti diuinitus afflatus, optimè auguratus est: namquum eum Coruinus aditurus, vtrunque secum filium duceret, Capistranus Matthiam semper sibi ad dextram, ad sinistram Ladislaum maiorem natu collocabat. admiratur huiusce rei pater insolentiam, causamq; sciscitatur: respondet ille, Haud ab re id à se fieri, quando alter immatura morte præreptus emergere non poterit, alter Vngariæ Regnum

1456.

sortietur, virtute ac gloria cum Alexandro certabit, & Christianę plebis propugnatór erit acerrimus: cui si diu viuere licuerit, omnes orbis Principes, sui admiratione conficiet. Capistranus defuncto Coruino nunquam amplius ridere visus est, veluti qui sub iisdem auspiciis militasset, & insigni victoria potitus, triumphante collega, ipse debito triumpho fraudaretur. Noctes aliquot insomnes exegit, inter contemplandum cum Deo sæpe conquestus, quare cum collega sibi obire non liceret: in languorem subinde corporis incidit, quem ex illius lethi dolore contraxerat: elusis medicorum adminiculis, ad triumphãdum accitus, paucis pòst diebus in Domino obdormiuit: ad Vilachum, in Syrmiensi agro, in Diui Francisci æde collegioq; sepultus est. Inter Deos, ex hominũ opi- 10 nione relatus, quotidianis in humana auxilia votis inuocatur, miracula templo affixa, magnitudinem numinis planè testantur. Iacobus Picens vir sanè sanctissimus, defuncto socio, & amplificata diui Francisci religione, in Italiam reuersus est: vbi quum diu vixisset, Neapoli demum excessit humanis: quot viuus & mortuus miracula ediderit, vniuersa Italia planè testatur. Ladislaus Rex, audita insigni Turcarum clade, admodum exhilaratus, consternatum resumpsit animum, & Coruini mortem non ea qua debuit pietate honestauit, à Ciliç Comite malè suasus, lætitiam dissimulauit, veluti Regno sine formidine discriminéve aliquo potiturus. Vlricus verò Comes, ne tam quidem Turcarum conflictu, quàm Coruini morte lętatus est: vtpote qui vniuersam, sublato è medio ad- 20 uersario, Pannoniam se pro arbitrio suo temperaturum esse confideret. Cæcum profectò humanæ mentis iudicium, quæ dira quandoque libidine ira rapitur, vt pro bonis mala, pro malis bona desideret: fuisset Vlrico nimirum longè salubrius, vixisse Coruinum: quippe qui necem ab Vngaris illi destinatam auertisset. Atqui liuor eius & odium, vnde mortem sibi comparauit, non modò in patrem, verùm etiam in filios amicosq; profunditur. In causa non solùm ambitio maxima, superbum ingenium, & inuidia fuerat. Verùm etiam alia intercessere: in primis ægerrimè tulerat, Coruinum ignobiliori genere natum, totius Regni gubernatione fungi, pro Rege haberi, quo quidem munere se Ladislai Regis auunculum multo digniorem esse censebat. Neq; vastationes, incendia & rapi- 30 næ, quas à Coruino in pueri & coronæ repetitione quondam acceperat, quia Regno infestus, Cæsaris partibus adhæsisset, memoriæ exciderant. Neque vindictam in vlla vnquam oblata occasione præterire potuit. Quamuis inimicum mors è medio sustulisset, æquo tamen animo pati non poterat, superstites filios paterno munere ac potestate potiri, magnæ auctoritatis & gratiæ adhuc esse, ab Vngaris tantùm diligi & obseruari, retinere oppida multa, villas prædiaq; amplissima, & amicitiis, opibus, & clientelis cæteris Procerib. longè præstare. Quare cum filiis eius simultates & odia instaurare, nouas moliri in hos insidias, & quum principatum apud Regem ipse retineret, cuius consiliarius & moderator erat, in vtriusque cædem omnia tentare cœpit. Quinetiam sæpe gloriatus est, Se 40 caninum hoc genus propediem è Pannonia extirpaturum. Ne latebat quidem iuuenes, ac cæteros Optimates, infestus Vlrici animus. Neque incautè cum Vlrico versandum esse censebant. Quid sibi cauendum esset, sat patris olim exemplo didicerant. Exacto igitur Coruini mortis anno, Ladislaus Rex, Vlrici suasu, Vienna proficiscitur: & frequenti Procerum ordine, magnaque Crucigerorum manu stipatus, Danubium conscendit, vt Vngariam inuisat. Budam secundo amne delabitur: quum dies in arce aliquot exegisset, cõsilio ac libidine Comitis agitatus, eadem classe ad Futhacum defertur: quod quidem oppidum in Bachiensi agro, & Istri ripa situm est. Hic Rex ex arte Comitis, frequentissimum conuentum indicit: conueniunt vndique Principes, ac ingens nobili- 50 tatis numerus: Ladislaus, qui Albanam arcem, & inferioris Vngariæ oras, eadem qua pater potestate tenebat, vbi Regẽ appropinquasse sensit, ad Futhacũ, nõ sine validissimo equitatu obuiam occurrit, ne quid ab inimico mali pateretur. Excipitur à Rege grato vultu, auditq; eum ad Albam propediem esse venturum, vt hostium spolia & castrorum vestigia recognoscat. Hic etiã, vt sibi caueat,

ueat,admonetur à multis,quos Regis consilia non latebant,ac edocetur à Ciliæ Comite Regis animum infestum sibi esse redditum,Regem idcirco Albam venire,cum Alamannorum Crucigerorum manu,vt eiecto ipso, protegendam illis arcem tribuat, omnia oppida, præfecturas & magistratus, qui in manu sunt Vngarorum,his exactis,Alamannis committat: atq; illud potissimum peragat, vt Coruini liberis paternam omnem abroget potestatem: Vlricum demum malorum omnium esse autorem. Perturbatur his dictis miserè Ladislaus: tamen pro virili sua odium dissimulat, & sese cohercet. Communicat hæc amicis, Vngarorumq; Proceribus,quibus infensum Comitem intelligebat,& ad quos hęc
10 pertinere senserat. Commouentur nihilo secius illi, & inimicum ex occasione omnino perdendum esse censent. Ad Albam tandem peruenitur,quam validissimo Ladislaus præsidio tenebat. aduentanti arcem Regi patefacit, ipsum cum purpuratis & togatis excipit: reliquis verò armatis, qui circiter quatuor milia fuerant,portas obcludit: præsidiarios admonet,die noctuque clandestina arma non deserant, ne quid ab Alamannis sibi infensis detrimenti patiantur. Claues arcis ad Regem defert,atque,Accipe,inquit,Rex optime, tuæ arcis claues, quã tanto sudore ac sanguine pater dudum meus è Turcarum faucibus asseruit, liberauitq;. Quantæ molis id fuerit,mors insequuta testatur. Satis equidem maiestati tuæ ac vniuerso orbi paternam virtutem, fidem & integritatem spectatam
20 esse puto: nos qui ex eo superfuimus, ne degeneres videamur, non minus paternæ virtutis ac fidei,quàm cæterorum bonorũ hæredes esse studemus: inuidia clàm apud te nos Vlricus oppugnat,Princeps clementissime,& non modò dignitate, sed vita, si liceat, nos exuere conatur. Proinde si nemini inimicóve nostro claues daturus non es,accipe: quando nos ipsi,& hæc omnia tua sunt.Si inuidi obtrectatoris cõsilio ac libidini auscultaturus,te Rex quæso,& obtestor, ne Coruinam prolem,quę suo iure mortalium cuique fidelium,tibiq; in primis sat commendata esse debet,præter fas & æquum,tam citò dehonestandum esse censeas.Me igitur(vt par est)Maiestati tuæ semper pariturum,sed paterno nunquam inimico cessurum esse,scito. Rex extemplo primùm recipere claues,ar-
30 cem curare,paternum munus gerere,& bono esse animo iubet:dum mora illic trahitur,Comes Ciliæ,Regem in Ladislaum irritare, sollicitare cuncta non desinit. Ob non admissam in arcem armatorum multitudinem,audax Ladislai facinus criminatur. Quotidianis contrà iuuenis criminibus irritatur, de interficiendo Comite paternos amicos consulit: in primis Ioannem Vetesium Episcopum Varadiensem, Coruini quondam consiliarium, qui deinde a Matthia Rege, ad Strigoniensem Archiepiscopatum euectus est. is religionis gratia, ne cædis auctor haberetur,se,vt id fiat,nequaquã suadere; si factum foret, improbare non posse respondit: trucidandum inimicum cæteri suadent. Verùm detectæ recentiores insidiæ, destinatum facinus maturarunt. Ladislaus gnatam
40 Palatini Comitis, è nobilissimo Gararum genere nati,nuper desponsarat. Vlrico, Despotis filia vxor erat. Ad Despotem is dudum literas scripserat, pòst vbi cum Rege Albam applicuerit,se duos propediem globulos esse missurum,quibus optimè sibi ludere licebit. In his, amborum filiorum Coruini capita pollicebatur. Intercipiuntur à pueris Ladislai literæ, quæ ad dominũ relatæ ac perlectæ sunt. Fortè Rex à sacris aberat,ac Proceres eo die qui diuo Martino sacer erat,in abdito conclaui Senatum habebant. Comes mali conscius, eò vocatus, an ne prodiret, aliquandiu hæsitauit: mox loricata tunica munitus, antequam prodeat. Ladislaus tunc literis incensus occurrit,ac postulato colloquio,proditorem ostentatis literis exclamat,qui patri quondam necem, & nunc filiis indi-
50 gnè moliatur:infensum quoq; sibi Regem fecerit, suppliciorum iam diem venisse ingeminat.Nonnulli Comitem,prius Ladislaum probris lacessisse dicunt, & quòd prætorianas cohortes in arcem non admiserit, eius audaciam admodum incusasse. Illud planè constat, Vlricum arrepto ex armigeri manu gladio, in Ladislai caput eum contorsisse, Ladislaum obiecta repentè manu, in vertice simul & digitis vulnus accepisse:oborto cõfestim clamore,Vngaros irrupisse,&

Comitem acerrimè reluctantem, multisq; confossum vulneribus obtruncasse. Vlrico cæso, hi cum Ladislao Regem adeut, interfectum Regni hostem, & ocij pacisq; inimicum exclamant: scelerum omnium au&orem debita supplicia dedisse dicunt, Regem nihil timere iubent. Quando nunc Rex & dominus verus est, nunc pacatissimum sibi patet imperium. Eum dudum nō Regem fuisse, sed Ciliæ Comitem pro libidine sua imperasse. Rex quamuis dolorem, iram & metum æquè dissimularet, etiam supra quam ætas toleraret, & iure cæsum Comitem profiteretur, audaci tamen facinore nimium commouetur: quum ad tolerantiam hortarentur amici, Ferendum esse (inquit) quicquid imperiosa necessitas attulerit: Ademptam Vlrico vitam reddi non posse, nunc superstitum superesse fata, quæ Deus meliora faxit. Corpus etiam Ciliam deferri, & in maiorum monumenta recondi iussit. Fuit Vlricus proceritate decenti, valido corpore, macilenta facie, vultu haudquaquam indecoro & periucundo: fœminęq; Veneri nimis obnoxius, quare barba rasa, & excultis crinibus, molli quoque habitu semper incessit. Quum immaturum diem obiit, quinquagenarius fere habebatur. Rex ob Vlrici casum, non longam in Albana arce moram traxit, hinc profectus, ad Themesuarum iter intendit, Turcis obiectum, situm in amœnissima regione, ad Themesi fluenta, excultum ædificiis, ac multa arte munitū. Ladislaus eum comitatur, multiq; Pannoniæ Proceres, in primis Ladislaus Garæ, Palatinus Comes, & Ladislai socer: præterea Michael Orzagus, de Guttho editus, Paulus Banffij filius, cui de Lyndua cognomen erat: ianitorum Regalium Magistri, & honestissimus aulicorum ordo. Quum ad oppidum peruenissent, quod Ladislaus cum præsidio tenebat, Elisabetha, Coruini vxor, vnà cum Matthia filio, lugubri veste amicta, & cum pullato ancillarū ordine, quæ vultus præ domini morte demiserant, Regi occurrit: & eum præuenerata, vt par est, supplex ac lachrymabunda filios commendat, & Ladislao veniam precatur, & ne illustria Coruini beneficia mente excidant, obsecrat, & obtestatur. Rex matronam amplexus, Funesto, inquit, habitu, quotidianisq; lachrymis tui viri anatheosin celebrari, summum (credo) nefas est Elisabetha. Coruinus tuus de Deo ac hominibus æquè bene meritus, inter Deos relatus est, vbi iure felici ac sempiterna vita perfruitur. Christo Vngariam, mihi Regnum seruauit. Intestino & externo bello Pānoniam liberauit: fudit, fugauitq; Turcas, & ad internecionem sæpissime cecidit: cum quibus, decies collatis signis, quaterdecies tumultuario & improuiso prælio, feliciter dimicauit. Bis victus, perniciosam hosti victoriam reliquit. Tot templa fundauit, magnificeq; donauit. Tantum pro ingenitæ beneficentiæ ac liberalitatis imperio, calamitosis & miserabilibus erogauit, vt Regias in eo genere vires superarit: fidelibus, prophanorum metum abstulit, Vngaris pacem peperit, vtrisque salutem genuit, vitæ sanctitatem, gestorū gloriam, immortalia beneficia, & triumphorum seriem, omnes gentes ac cuncta secula memorabunt. Talem vitam duxit, tot clara facinora gessit, vt totum orbem, in sui admirationem planè cōtraxerit, ac eius obitum non magis amici, quam hostes deplorarint. Domi æquus & mitis, foris strenuus & fortis. Nec armis ab hoste, nec officiis ab amico, vnquam superari potuit. In vita hostes, in morte se ipse superauit. Quum vltimam vitæ horam instare sensit, haudquaquā à suo domino visitari passus est, sed labētibus iam membris, & defecto corpore, in templum sese detulit: vbi à domino ac Deo suo, sub cuius semper ductu & auspiciis meruerat, delictorum facilè veniam implorauit, imperatori se suo reconciliauit, sumpsit eucharistiā, & ea sumpta, ab duce gratissimo, ad immortalia mox præmia, felix ac ouans euectus est. Quare Coruinæ forti congaudendū congratulandúmve potius, quàm indolendum est: quum optimè ac gloriosissimè vixerit, pulcherrime diē obierit, & optata nunc immortalitate fruatur. Proinde dolor omnis absto, procul esto mœror, & lugubres habitus deponuntor. Supersunt tibi duo filij, qui cum paterna virtute certabunt: hos ego fratres, & te matrem adopto: Ladislaum Cilianæ cędis impunitate dono, sacrosanctam initi fraterni fœderis eucharistiā testē esse iubeo. pullas ergo vestes vos omnes exuere

iubeo,

iubeo,impero ac edico,ac hunc festum diem vobiscum vnà celebrabo. Vix hęc dixerat,quum purpureas vestes,auro contextas,in medium afferri pręcipit. Eas viduæ ac Ladislao,Matthiæque dono dedit. Insigni omnes pietate amplexatus, ancillarum ordinem indonatum nequaquam prætermisit; quas mox habitum mutare iussit,lætitiæ ac hilaritati diem indixit, opipara celebrata conuiuia, quæ carminibus, mimis & saltationibus excoluere. Ladislaum cum Matthia ad genua in media Procerum turba,instantissimè supplicantem,vt patratæ cædis venia,vt dudum promiserat,donaretur,ad pectus erexit: graui asseueratione, cum iuramento super eucharistiam sanctè ac reuerenter inito,omnes iniurias ac inimicitias,ex Vlrici morte conceptas,remisit:ambos fratres adoptauit,ac Elisabetham pientissimæ parentis loco se semper habiturum esse recepit. Fraternæ adoptionis diem publica cuncti lætitia celebrarunt. Verùm quemadmodum in sequentibus ritè referetur,quum Rex initi fraterni sanctè fœderis iura aliorum impulsu facinoroso violarit, antequam annus post læsam fidem exigeretur, extremi supplicij pœnas expendit. Ex quo facilè colligitur, quam præceps ac formidolosum est,adolescentium imperium:qui quum sibi constare nequeant,sæpius ad alienum arbitrium in diem sententiam mutare coguntur. Ad diuerticulum reuocetur oratio. Ladislaus & Matthias, regiis donis & blandimentis allecti,abeuntem Budam Regem,deposita omni suspicione, sequuntur: familiarissimè cum Rege versantur, & habentur inter primos. Non solùm ab eo diliguntur, verùm etiam obseruantur. Hos Vngaria tota paternæ memoriæ gratia sequebatur, à matre tamen perquam sollicita his mãdatum fuerat,vt nunquam simul curiam adirent, ne vnà periclitari cogerentur: quod si seruassent, non fortasse fuisset tantopere laboratum. Vt Budam peruentum est, cum honestissimo vterque comitatu, Regiam frequentabant, fauebant apud Principem amicis, & patrocinia clientibus promptissima accommodabant: at contrà, Vlrici Comitis amici, qui illius interitum ægrè tulerant, regias quotidie aures sollicitare,inconstantem & credulum adolescentis animum à bona mente diuertere, dicere,præclarum Principem, Regis auunculum, à furioso iuuene indignè cæsum: læsam hinc Maiestatem conqueri, audacissimum scelus nullo pacto inultum esse relinquendum. Ingentem iuuenis audaciam,ni præsenti supplicio coherceatur, eò euasuram, vt patris exemplo Regnum anhelet: qui Regi proximum obtruncarit, Regnum quandoque ausurum. Quod pater concupiuit, & præ rei grauitate consequi minimè ausus est,iuuenili hunc temeritate facilè adoriturum: malum antequam increbrescat esse curandum,& ab initio incendiis occurrendum. In Ladislao quotidie vltimi supplicij ansam deprehendi posse. Rex tandem siue per se auunculi cęde succensus,seu talibus dictis irritatus,ambobus insidias molitur: in horum numero,qui vindictam affectabant,inter primarios Comes Palatinus erat,Ladislai socer,& Vlrici nepos, qui vt auũculi necem vlcisceretur,generi mortem,qui nondum filiam duxerat,contempsit. Item Paulus Banffi, & plerique alij, qui aut præ liuore Coruinum olim obtrectarant, & filios infensos habebant,aut assentando,regiæ iræ vindictæque deseruire studebant. Obtenduntur iussu Regis ambobus insidiæ. Quum in Regiam venissent,ex composito portæ clauduntur,& à prætorianis militibus capiuntur,coniiciunturque in carcerem:capti quoque cum his primarij sunt amici,veluti Cilianæ mortis conscij, & insidiarum quæ Regi pararentur artifices: ac in primis Ioannes Varadiensis Episcopus, à Coruino per omnes ordines ad hanc dignitatem euectus,ac filiorum quoque moderator & magister: vir quidem ea tempestate summæ virtutis & prudentiæ, & non mediocris eloquentiæ. Nonnulli quoq; secum Proceres in vincula coniecti, ex quibus Sebastianum Rosgoniũ, Ladislaum Canisam,præstanti genere natos,ac domi militiæq; pollentes: item Bodo Gasparem inter Coruini liberos educatum,virum quidẽ nobilitate,consilio,eloquentia, & multarum rerum cognitione præstantem. Præterea Georgium Modracem, virum sanè locupletissimum: duos Paulos, Hornath & Fradnahar, Alamanna gente natum fuisse dicunt. Hi nanque militiæ à Coruino edu-

cati, militaribusq; muniis & honorib. adaucti, à Ladislai & Matthiæ latere nunquam recedebant. Si Ladislaus matri paruisset, vt nunquam simul curiam adirent, iniquitatem huiusce fati fortasse declinasset. Ipse dudum, quum Turcas in Mysiis noua moliri rumor esset, è superioribus Vngariæ partibus exercitum euocarat: quum propediem in prouinciam profecturus esset, deprauato Ladislai Palatini soceri sui consilio obediuit: qui consulebat, ne inconsulto Rege abiret, néve Matthiã à curia procul abesse pateretur, ne qua eius obliuio cõtemptusq; ex absentia oriretur. Posthabitoq; matris prudentissimæ consilio, perfidiæ soceri credidit infelix. Vt cum grata missione à Rege discederet, atq; suæ amicorumq; dignitatis patronum, ac veluti suæ fidei pignus in aula relinqueret, cum Matthia & honestissimo amicorum ordine, in Regiam vnà concessit, & idibus Martiis periclitatus est. Aliqui, eo die ad Regium colloquium ex industria vocatũ, venisse dicunt. Quum venisset, obstructis à tergo foribus, captiuitatis causam occurrens socer exposuit. Aderat Paulus Banffi filius, Ioannes Giscra, Benedictus Thurocius, & Lambergerius Alamãnus. Mox rumor effunditur, Coruinos fratres cum principibus amicorum esse captos. Consternatur admodum rei nouitate populus, & omnes vltrò commiserantur. Nicolaus Vlachus Vaiuoda (vt aiunt) Transsyluanus, alto genere natus, Coruinæ quondam virtutis & gloriæ summus æmulator, in curiam festinauit, quem talium insidiarũ haud inscium fuisse volunt. Cõperit ex consulto rem successisse, omnia in Ladislai necem consilia intenduntur. Matthias à fratre seorsum custoditur. Tertio die Ladislaus capitali supplicio mulctandus, prætori traditur: & inclinante iam sole, prælato pullo lugubrique vexillo, in plateam reuinctis post tergum manibus educitur, quæ ante Sigismundi palatia latè diffunditur, demissis crinibus, arduo capite, & aurea veste, quam fortasse à Rege acceperat, incedens, ad necem prodit. Huc & illuc gemebundam plebem impauidus inspicit. Quum ad locũ morti præstitutum processisset, lictorem crines colligere iubet: mox pauca pro sui purgatione loquutus, & genua flectere iussus, paruit: nullumque trepidationis vnquam indicium prætulit. Præco qui damnatorum facinora ex more publicat, nil aliud impetrato silentio enunciauit, nisi, Reges tales pœnas è perfidis infidelibusque suis exigere oportere. Lictor à prætore gladium in ceruicem formosissimi iuuenis stringere iussus, commiseratione ac metu iuxtà correptus, ictus tres intulit, & nondum caput absciderat, immo ne lethali quidem vulnere læsus erat. Constanter generosus ille iuuenis, tria in ceruice vulnera exceperat: sed quum ad tertium procubuisset, mox vi magna erectus, deorum hominumq; iusticiam appellat, se non vltrà à lictore petendum exclamat: quartum lictori ictum, ex lege interdictum esse: miraculum pro læso innocentiæ numine, intercessisse. Ad hæc nonnulli Proceres, qui è Sigismundi palatio præsidente Rege spectabant, & Ladislai necem anhelabant, lictorem increpitant, ense ceruicem repetere iubent. Quare vix quinto ictu obtruncatur infelix, annos natus quatuor de triginta. Fuit robore corporis & statura patri non dissimilis, ferocia ingenti, audaci ingenio ac exorabili, item rotunda facie, colore fusco, crines demissi, & castaneæ colorem imitantes. Præterea venustus erat aspectus ac liberalis, neque expers pietatis. Promptus ad officium, ad iram & vindictam non difficilis: belli potius, quàm ocij appetens: venustatem corporis latitudo humerorum adauxit. Supplicium de ipso, neque in foro, neque ad Gradus gemitorios, neque legitima & vsitata deniq; hora, sumptum est. Rex, populi, ac rusticorum, quorum colendarum gratia vinearum, innumera multitudo Budam confluxerat, furorem expauit, haud inscius, plebem eius mortem ægerrimè laturam, & propter indignitatem rei in tumultum facilè ruituram: corpus haud mora, atro panno inuolutum, ad diuæ Magdalenæ basilicam effertur, & ante lucem clàm euectum, in ædicula corporis Christi, quæ in suburbij cliuo sita est, in paricidarũ Regaliumq; proditorum monumenta relatũ est. Id quamuis ad confirmandam necis causam factum esset, vt iure cæsus esse videretur, populi tamen indignitatem nimis auxit, quum ad iniquitatem mortis infandæ, etiam infamia criminis acce-

nis acce-

nis accederet. Verùm ne minor quidem nota, non ſine ſupplicio, huic Regi, & huiuſce mali auctoribus inuſta. Rex, perfidiæ turpitudinem, infamiam periurij, violatæ fidei & execrabilis inconſtantiæ crimen ſubiuit: illi, crudelitatis, inuidiæ, ac iniquitatis perpetuam ſibi notam inuſſere. Hinc intercipiendę Regis vitæ, qui annum non circumegit, anſam fata ſumpſere: qui autem adoleſcentis probitatem malis conſiliis coinquinarunt, pœnas non immeritas dedere. Vt igitur ad captiuos redeamus, Epiſcopus Varadienſis, intercedēte Cardinali ſancti Angeli, Legato Pontificio, Dionyſio metropolitæ Strigonienſi, Cardinaliq́;, ac ſuo iure perpetuo Pannoniarum Legato, traditur iudicandus. De cæteris
10 quæſtio prorogata, qui poſtera nocte poſt Corporis Chriſti ſolennia, fracto carcere, clàm ex arce delapſi, euaſere. Matthias duntaxat Comes, & Paulus Madaratz in arce remanſerant. Matthias in turri, quæ ad Calidas aquas pertinet, aſſeruabatur. Paulo ab aliis ſeiuncto, euadere non licuit. Nunciata prima luce captiuorum fuga, Rex nimis angi & ſollicitari cœpit, ne minore quidem metu cęteri, qui id ſuaſerant, vexari cœpere. Sebaſtianum nanq; Roſgonium, & Ladiſlaū Caniſam, multis opibus, affinitatibus, & clientelis in Pānonia: pręterea conſilio, auctoritate, & animi magnitudine pollere nouerant: ne quid iam liberi molirentur, admodum formidabant. Quare comparatis copiis, rapto ſecum Matthia Pauloque, Viennam proficiſcuntur. In eodem ambo curru vehebantur.
20 Solutum ætatis commiſeratio & innocentia fecerat alterum, alterum præ magnitudine diuitiarum, ſpes magnæ prædæ, graui compede ſanè deuinxerat. At vbi Strigonium Rex venit, Ioannem Varadienſem Antiſtitem, quem Dionyſij iudicio fecerat obnoxium, ad ſe accitum, bonis quidem verbis hominem triſtem conſolatur. Bono (inquit) animo Varadine pater eſto, in carcerē (mihi crede) me inuito incidiſti. Nunquam tanti viri grauitatem probitatemq́; aliqua turpitudine afficiendam eſſe, meo iudicio, cenſuiſſem. Id Budæ factum eſt, vbi quod dira Principum libido tulit, non ſolùm conniuere, ſed tolerare neceſſe fuit. Ibi nequaquam mei iuris eram, nunc Buda profectus, in propriam me libertatem aſſerui. Alieno facinore in carcerem coniectus es. Nunc quando ſat
30 mihi virtus probitasq́; tua ſpectata fuit, non tam beneficio, quàm iudicio meo liber eſto: priſtinā dignitatem recipito, & Varadienſium epiſcopatum eadē qua paulò antè auctoritate gerito. At vbi Viennā peruenit, de optanda Regi ſponſa decerni cœptum eſt. Præpotenti, nobiliſſimo formoſiſſimoq́; adoleſcenti, ex toto orbe, à maximis Regibus, puellæ quotidie offerebantur. Virtus, forma, genus, & poteſtas faciebat, vt certatim gener ab omnibus expeteretur. Nulla, Magdalena dignior, omniū iudicio viſa eſt, Caroli Regis Galliæ filia, cui par ætas, genus, ac forma, morumq́; præſtantia ineſſe videbatur. Egregia legatione puella petitur, & affectata vtrinque affinitas approbatur. Sed de nuptiarum loco eſt oborta contentio: Vngari Budæ, Auſtrales Viennæ, Boemi Pragæ nuptias cele-
40 brari cenſent oportere. Suam quiſque ſententiam, haud inualida ratione confirmat: Rex anceps & diuerſus aliquandiu tractus. Quamobrē Georgium Pogiebrachium, Boemiæ Gubernatorem, cum octingentis equitibus, in Auſtriam ad Danubium vſque veniſſe memorant, magna ſe habere dictantem, quæ Regi communicaret. Traiicere Danubium, ac vrbem intrare iuſſum, continuò recuſaſſe, ac dixiſſe, Se Viennēſes ſemper ſuſpectos habuiſſe. Rogatum per internuncios, arcana quæ haberet Regi nunciaret, pertinaciùs abnuiſſe, ac affirmaſſe, Nemini ſe illa, præterquam Regi tantùm, eſſe crediturum. Rex tandē victus, in tanta pertinacia, pręter dignitatem Maieſtatis ſuæ, cum togato ferè trium milium equitum exercitu, potius quàm ſagato, Danubium ad Gubernatorem tra-
50 iicit. Inter bina caſtra, in vlteriore Danubij ripa, tabernaculum ad ſingulare colloquium paratur. Dies quatuor colloquium habitum: primus dies, in ſalutatione ac obſequij & officij celebratione actus: altero, ac tertio die, colloquio ſunt duo teſtes adhibiti: quarto demum, ſingulare colloquium celebratum eſt, vbi Rex cum Georgio tantùm fuit: de tranſitu Regis in Boemiam, agitatum fuiſſe putant. Quare quum nihil inter eos cōueniret, Gubernator iratus & minabun-

dus,in Morauiam receſſit. Rex ea nocte Viennam ſe recepit: cumque mox pœnitentia non parua ſubiit, Gubernatorem, in cuius manu Boemici Regni ſumma foret, indignabundum dimiſiſſe. Quoſdam ex Optimatibus repentè dimittit, qui aut hominem reconciliatum traherēt, aut ſi non poſſent, omnia Regem poſtulata facturum pollicerentur. Quum in Morauia Georgium adhibuiſſent, nec ab itinere reuocare, nec quicquam ab eius ſententia extorquere valuerunt. Regis igitur tranſitum in Boemiam promiſere, celebrationem quoque nuptiarum, Pragæ futuram nunciarunt. Compoſitis in Auſtria rebus, cum ſingulari quodam apparatu, & longiſſimo Procerum ordine, Ladiſlaus in Boemiam contendit. Quum Pragæ ad ſecundum lapidem appropinquaſſet, Rochezana cum frequenti impiorum ſacerdotum collegio, & multa hæreticorum turba, gratulabundus obuiam occurrit: de fauſto felicique eius aduentu accurata oratione congratulatur. Limis cōtrà toruiſque oculis prophanam illam multitudinem Rex inſpicit. Quinetiam ſubmonente Pogiebrachio, vix gratias egit, & quaſi Maieſtatis ſuæ vultum eo incæſtaſſe ſpectaculo viſus eſt. Ad primum lapidem, Pragenſis baſilicæ ſacerdotes, Romanæ Eccleſiæ aſſertores, qui impia hæreticorum factione diu exularant, in occurſum venere, crucem & ſacra ferentes, diuinos gratulabundi rhythmos cōcinebant: quorum poſtquam cōgreſſum attigit, Veros, inquit, Dei miniſtros agnoſco. Saluete Patres ſacroſancti, quorum ſacris ac precibus humana ſcelera remittuntur. Mox equo proſiliens, oſculatam crucem prærreuerenter adorauit: hæreticorum id animos admodum offendit, quippe qui non æquum ſibi futurum hunc Regem auſpicabantur, & hi præſertim, qui Rochezanæ fauebant: odium tamen pro tempore diſſimulatum, compreſſum eſt. Variæ deinde Pragæ Legationes decretæ, quum varia magni momenti negocia impenderent: in primis nuptiarum ſolennitas & apparatus, curandus hæreticorum morbus, Turcarum metus, & neceſſaria Imperatoris reconciliatio. Itaq; legationes duæ à principio miſſæ: vna, ad Cæſarem placandum, cuius princeps Eyzingerus erat: altera, ad Carolum Gallorum Regem, ſponſam ductura. In hac principatum Vdalricus geſſit Patauienſium Pontifex, opibus, auctoritate, moribus & doctrina præcellens. Hæc omnium quæ tempeſtate noſtra ſpectari potuere, præſtantiſſima eſt habita, cùm honeſtiſſimus hic Procerum nobiliumque ordo fuerit: in hac enim ex Principibus Vngarorum ducēti, ex Auſtralibus quoque ducenti, ac totidem ex Boemis delecti ſunt: qui forma, habitu, nobilitate apparatuq; pollerent, & quiſque Regno dignus videretur. E Patauienſibus, centum delegit Vdalricus: quare ſeptingenti equites, in Galliam, purpura, auro, gemmiſque ornatiſſimi abierunt. Item virgines & matronæ, quæ Regiam ſponſam ducerent, quadringentæ: ſplendidiſſimo cultu ac venuſtate omnes. præterea quadrigæ auratæ, gemmatæque: inaudita inſuper veſtium, donorumque luxuria. Tertia quoq; Legatio, ad Calixtum Pontificem maximum deſtinata, quæ Sacerdotum lites in religione dirimeret, & ad Romanorum dogma redigeret Huſſitas. Quarta denique generoſi Regis ſollicitudo fuit, comparandi tanti in Turcas exercitus, quantus ad vindicandam a prophana ſeruitute iam Europam ſat eſſe videretur. Iam cum Imperatore conuenerat, ac regiæ inſano ſumptu nuptiæ parabantur: Auguſtus cum Auguſta, item ſorores ambæ cum viris, Hymenæi ſolennibus adfuturas ſe receperant. Præterea multi è Germaniæ Rheniq; accolis Principes, è Gallia quoque complures Reguli: qui quidem omnes non ſolùm ad nuptias ſua præſentia honeſtandas, ſed ad decernendum in Turcas bellum, conuenire promiſerant. In tanta rerum omnium expectatione apparatuq; vario, ô ſpes hominum fallaces, & inſtabilem humanæ vitæ conditionem, decimo calendas Decembres, duodecima noctis hora, ſæuo ac repentino morbo Rex corripitur. Aliqui peſtilentiæ ſigno, inguen intumuiſſe ferunt: nonnulli huiuſce morbi nullam ſuſpicionem fuiſſe affirmant. Cubicularij ac medici rem ita referunt: Regem, eo die in iudicio, nō regali cultum habitu, ſed linea ſubucula, & veſte Perſica præſediſſe: vt cōtentionem, quę inter Pogiebrachium Coruahoramque Morauum inter-

intercesserat, sanè dirimeret (quippe qui ea causa fuerāt irritati, vt ad singulare certamen vltrò sese prouocarint) neque in auditorio vnquam subrisisse: fuisse tristi vultu, vnde futuram omnes ægritudinem auspicabantur. Inter satrapas dimisso tribunali accubuisse, nonnulla grauiter & compositè loquutum: relatum in cubiculum, quinta noctis hora oblatas sibi rapulas, quæ in Boemia dulcissimæ sunt, auide deuorasse, bibisse siceram: & prius quàm se lecto deponeret, nōnulla cū amicis verba, relaxandi animi gratia, lepidè salseq; fecisse. Mox oratis ex more numinibus, dixisse: non mediocri se stomachi dolore laborare. Et quū illi ad somnum hortarentur, quem ad abigendum dolorem nimium valere di-
10 cebant, ad horam dormiuisse. Iam decimatertia noctis hora agebatur, quum ægritudinis grauitate experrectus, nullam sibi quietem poterat inuenire. Verùm quum mitissimus foret, ne cubiculariis molestus esset, in lucem vsque dolorem pertulit. Cōuocantur medici, omnemque operam in desperata salute frustrantur. Georgius & ipse quoque accitus, quum venisset, & morbi causam percunctatus, bona spe Regem esse iuberet, Tua iam pridem (inquit) mi Georgi, fides ac virtus spectata fuit, tuo me Regem beneficio Boemi vocant, tenentque: sperabam quod paraueras, vnà me tecum diu potiturum: obstant diuorum numina, in quorum manu sunt omnia iura Regnorum: proinde mihi moriendum esse scito, & conditionem melioris vitæ subeundam. Ita vixi, vt optimè sperare li-
20 ceat, intempestiua morte haudquaquam plus æquo commoueor, quando pro terrenis mihi cœlestia rependentur. Quum omnino mihi moriendum sit, duo sunt quæ à te peto, antequam ex hac vita decedam: quæ quidem, quamuis mihi beneficij maximi loco sint habenda, fas tamen & æquum, ac mea in te pristina charitas, te facere iubet. Alterum est, vt Regnum a te recusatum, iustè pieq; gubernes: pupillis, viduis, cęterisq; miserabilibus, iusticiam & patrocinium promptum accommodes. Alterum est, vt quicunque me à Pannoniis, Austria, cæterisq; prouinciis hucusq; sequuti sunt, inuiolatos incolumesq; dimittas. Quod si feceris, pro referenda gratia, me propitium Seruatoris nostri tibi numen apud superos redditurum esse polliceor. Quum apprehensa semper hæc manu di-
30 xisset, Pogiebrachius lachrymas continere non potuit, & aliquantisper eum consolatus, se postulata facturum, data fide promisit. Iam increbrescente morbo, mors instans, sacra humanæ emigrationis officia festinabat. Acciti sunt illico sacerdotes, qui emigraturam dudum animam sancto viatico & mystico apparatu ritè communirent. Omnia ornamenta Regia, Pragensi basilicæ legantur: aureos crines, quos ad huiusce hucusq; vitæ vanitatem, se gessisse fatebatur, omnes amputari iussit, ne quo in nouo itinere offendiculo præpediretur: qui adstabant, varias subiecere causas, quibus mandatum eluderent. Is autem, vt animam iamiam emigraturam intellexit, sacram facem petiit: qua prompta manu iam apprehensa, propositam nostri Seruatoris imaginē intuens, dominicā ora-
40 tionē exorditur: & quum ad nouissima verba peruenisset, nil vltrà loquutus, spiritum veluti quieturus efflauit, nullumq; diræ mortis indicium edidit. Ladislaus igitur, quem Delicias orbis appellabant, maxima quaque nobilitate præcellens, adolescens fausta & incomparabili pulchritudine, sapientia præcoci, tot Regnorum & prouinciarum dominus, tantis opibus & honoribus præpollens, in summo omnium rerum fastigio collocatus, mansuetudine & clementia singulari, castitate rara, annos natus duodeuiginti, horarum sex & triginta spacio, postquam ægrotare cœperat, anno verò Salutis quadringentesimo quinquagesimooctauo supra millesimum humanis excessit, non sine perpetua cunctarum gentium commiseratione. Ad decentem corporis proceritatem creue- 1458.
50 rat: facies illi fuit venustatis inauditæ, oculi nigri, serenus ac felix aspectus, candidus color & subrubeus in rosarum morem, coma vsqueadeo aurea, promissa, crispaq;, vt cœlestē quendam ori decorem adiiceret: nasus addecens & subaquilinus, lineamenta corporis & membra cuncta formosissima. Nihil in ipso fuit, quin aliquid raræ præstantiæ redoleret: in incessu grauis, in loquendo perhumanus & benignus est habitus. Aliqui morbo, veneno alij, subreptum fuisse af-

firmant,& Teuthones præſertim medici,qui præcipuam curam corporis gerebant,hi euidentiſſima veneni ſigna in eo deprehendiſſe,poſtquam in Auſtriam rediere,pertinaciter aſſeuerabāt:in aliena terra ſe nihil dicere auſos,ne illorum animos læderent,quorum ſcelere ille perierat. Quinetiam ſe Regi clàm dixiſſe affirmabant,veneno eſſe potionatum:illum contra reſpondiſſe , Se id non latere,immo ſilentium indixiſſe,ne vnà cum ſuo Rege enecarentur. Senatus Viennenſis edicto grauiſſimo,ne Boemicam in ſe ferociam irritaret,eam famam inhibuit,medicos admonuit,ne ſua dicta confirmarent. Res tamen vbique veneni ſuſpicione non caruit:cuius quidem auctorem,Georgium fuiſſe rumor erat: qui Viennam profectus,quum ſuſpectum Regem haberet, vrbem iuſſus ingredi noluerit,& Coruini,Ladiſlaique filij exemplo, ſibi præcauendum eſſe intelligebat. Accedebat Rochezanæ odium,quem publicè ſacra ferentem, Rex (vt ſuprà dictum eſt) aſpernatus, non mediocri affecerat ignominia. Quibus quidem coniecturis,vterque Regiæ mortis crimine carere non potuit. Quin & illam ea tempeſtate famam nemo eſt,qui ignoret latè diffuſam,Regem Pragæ ideo nuptias celebrandas eſſe decreuiſſe,vt quum in illa celebritate , frequentiſſimus illic potentiſſimorum Principum conuentus futurus eſſet,inita conſpiratione, hæreticos omnes facilè caperet , & profanam Huſſitarum hæreſim prorſus extingueret. Quod quum Pogiebrachio & Rochezanæ nunciatum foret, audaciſſimum pro ſalute ſua facinus molitos, extemplo Regi inſidias obtendiſſe , vt pari dolos arte fruſtrarentur. Vtrum potius affirmem , haud facilè dicere auſim: ea in medium afferenda cenſui, quæ alij dicerent , & ſentirent. Illud tamen omnibus manifeſtum eſt, Georgium ac reliquos Boemiæ Proceres , præter Rochezanam,ingenti mœrore fatum regium deploraſſe,vniuerſamque Boemiam publico luctu & triſtitia celebraſſe , quem ad ſeptimum calendas Decembres continuatum fuiſſe memorant. Funus regali pompa elatum, neglecta per vrbem circumuectio,ex more maiorum:corpus demum in antiquorum ſacellum relatum eſt , & in diui Caroli Quarti Romanorum Imperatoris gremio collocatū. Promulgata Regis morte, omnes ferè Europæ Principes, aut in commiſerationem,aut in triſtitiam conuerſi ſunt. Hos ætatis , potentiæ, expectationis & fortunæ commiſeratio ſubibat:illos autem,ad quos luctus propius attinebat,priuatio boni,iuſti & ſancti Principis ſummo dolore cruciabat: & in primis Auſtrales,qui natiuum dominum, quem cruento bello repetierāt, per mortem immaturam amiſerint,item in Frederici manus recidere cogerentur,quem prius hoſtem habuerint. In Vngaria non pari mœrore certatum,iniquus enim Ladiſlai Comitis interitus, hunc è pectorib. omnium abegit:præterquam eorum, qui Coruinis infenſi , regias olim partes ſequuti fuerant. Carolum Galliæ Regem,præ cæteris,grauiſſimus dolor inceſſit,Ladiſlai ſocerum,& nuptias propediem fauſtiſſimas celebrare ſtudentem : eo quo Pariſium die , ornatiſſima illa Legatio ingreſſa eſt, antequam conſidêret , repentino de Regis interitu tabellario admonetur. Quo nuncio conſternata,quum clàm Regi Carolo generi necem ſignificaſſet,tanto Principem illum dolore correptum fuiſſe aiunt, vt neq; reſponſum dare , neque triſtiſſimam illam abeuntem alloqui potuerit. Ne fortaſſe minor in Gallia,quam Boemia luctus,ex corde agitatus eſt. Soluta Legatione , ad domum quiſque ſuam mœſtus rediit. Mortem tanti Principis ſigna quoq; nonnulla prodidere. Superiore anno cometes , quem nigrum appellant, Iunio menſe, vigeſimo gradu Piſcium ſuſpectus , triginta circiter diebus , varia mortalium animos formidine exercuit. Plures antequam moreretur dies,ipſe diuerſa paſſus eſt inſomnia:in primis aſſidua parentum colloquia,qui diu obierant:auorum quoque ſermones , à quibus ſe ad ſuperos inuitari , ſæpe experrectus cubiculariis fatebatur. Pridie quàm in morbum incideret, præter morem & inſtitutum ſuum,ad dicendum ius prodiens,triſtis & cogitabundus inceſſit: rogatus ab amicis,cur ab ingenita hilaritate deficeret , reſpondit, Se nihil ſcire, cur triſtitia corriperetur : ea tamen, etiam reluctantem,carere non poſſe:ſe tandem vltrò diuinæ voluntati pariturum. Horrendi quoque non defuere terræmotus,

motus,& præsertim Neapoli, Capuæ,Gaietæ,Auersæ, veteriq; Cāpania vniuer sa. Eodem anno Aragonum Rex Alphonsus,omnium sui temporis Principum sane præstantissimus,quum in febrem incidisset, Neapoli diem obiit. Cui Ferdinandus filius in Neapolitano, Ioannes frater in Siculo Tarraconensique Regno planè successit. Mahumetes Turcarum Imperator,Corinthum expugnat: dissidentibusq; inter se de regionis imperio, Thoma Demetrioq; fratribus Palæologis,vniuersam ferè peninsulam stipendiariam sibi fecit:& non multò pòst Palæologis exactis, Peloponneso tota potitur: interfecto quoque Trapezuntij Rege, Pontum in ditionem suam extemplo redegit. Calixtum Pontificem maximum,senemque magnanimum, octauo idus Augustas, mors nequaquam immatura sustulit:eique Rodoricus Boria,è sorore nepos,Romanæ vicecancel larius (vt aiunt) Ecclesiæ, sepuchrum in diui Petri basilica pro dignitate dicauit. Calixtum centies & quinquagies mille aureùm, gerendi belli Turcici gratia,successori legasse perhibent:cui Pius, sapientia,magnanimitate,ac eloquentia pollens, in pontificatu successit, qui Ferdinandum Aragonium,Apuliæ Regem continuò declarauit, missoque Latino Cardinale Vrsino, regio diademate legitimè coronauit. Mox Mantuæ, Christianis Principibus conuentum indixit,vbi de Apulo Turcicoque bello, octo ferè mensibus agitatum est. Sub idem tempus,Carolus Rex Galliç vita decessit,quem miti ingenio,alioquin hebeti ac inconsiderato fuisse perhibent. Quippe qui quum tumultum potius, quàm bellum aduersus Henricum Britanniæ Regem, & Ioannem Burgundionum Principem excitasset,crebris vsque adeo cladibus, ex imprudētia ab vtroque affectus est, vt maximam Regni partem amiserit: ingratitudines iniuriasque viri in causa fuisse nonnulli referunt,& nisi subulca diuinam illi opem virgo attulisset,iam diu de tota Gallia fuisset actum. Nam quum victoris vtriusque sæuitia libidoque Gallos ad grauissimam inopiam & calamitatem redegisset, illorum preces & gemitus ex alto Deus exaudiuit. Sues haudquaquam procul à Regia, puella pascebat: oborta non mediocri pluuia,in proximum ista sacellum confugit: somnoque correpta,cœlesti mox internuncio admonetur,vti proximum sibi Regem adeat,nuncietq;, Deum Gallicæ calamitatis commiseratione commotū, si bellum aduersus hostes redintegretur, nusquam abfuturum: perbreui se Galliam,si mandatis paruerit, ex hostili seruitute vindicaturum. Virgo mandata peragit, diligenter admonita. Eius dictis à Rege data fides, instaurantur exercitus,maximi terra aquaque fiunt apparatus. Bellum Rex in Rhodano molitur, classem in amne parat, terrestres quoque copias cogit, quarum puella dux fuerat. Quum hostes appropinquassent,collatis prælium signis conseritur,multum vtrinque cruoris effunditur. Britanni tandē, & Burgundiones, magna ex parte cæsi, non sine fœda fuga terga vertunt. Classis quoque audito pugnæ successu, cum amicis quoque copiis, pari prosperitate manum conseruit. Proinde ductu auspiciisq; rusticæ virginis, vniuersum Galliæ Regnum ex hostium manu liberatum est. Ad postremum, virgo à Britannis bello capta, ignique imposita. Paulò pòst cum Burgundionum Duce,Nicolai Cardinalis opera,cui è sancta Cruce cognomen erat,pax à Rege facta,fœdusque sanctè percussum:sed quum violata fide, ducem per insidias captum necasset, grauissima perpetuaq; inde mala promanarunt. Sub eadem quoque tempestate,Iacobus Ioannis Cypri Regis è pellice filius, defuncto patre,Regno potitur. Hunc pater intellexerat imperandi cupidissimum,vtpote qui egregia forma, procera statura corporis,magna eloquētia, & singulari ingenio præditus, regio se honore dignum reputabat. Quare vxoris Helenæ suasu, ad diuertendam hominis ambitionem,sacris ille filium initiauit, ne Carlotæ vnicæ filiæ, cui post mortem Regnum legarat,& Lodouico Sabaudię Ducis filio coniugarat,obesse posset. Post excessum parentum,Lodouicus ab vxore crebris literis euocatus, cum summo populorum plausu in regnum excipitur. Iacobus,cum delecta nobilium manu, ad Soldanum Alexandriam confugit,supplexque ac lachrymans, vt eius ope & auctoritate in Regnum restitueretur,implorauit. Acceptis Alexandriæ Regis

insignibus, cum instructa classe in Cyprum rediit, exactoque Carlota Lodouicoque, & recepta à Genuensibus Famaugusta, pacato regno potitus est. Marci Cornarij filiam, multo pòst tempore, à Veneto Senatu adoptatam, vxorem duxit. Eam cum posthumo hæredem esse iussit, cùm vētris profluuio diem obiret. Ex testamento, vtrunque Veneto Senatui commendauit. Posthumo paruulo sublato, Regnum hæreditario iure in Venetorum potestatem recidit. De rebus externis hactenus, ad institutam nunc narrationem redeamus. Georgius eodem quo Ladislai Regis exequiæ peractæ sunt die, optimates omnes conuocari iubet. Quibus coactis, Gubernationem suam ad Pentecosten vsque, à Rege olim prorogatam fuisse, nunciauit: interea de creando Rege cogitari oportere, se interregni tempore, rem publicam ex instituto suo gubernaturum, & daturum operam, ne quid illa detrimenti patiatur. Præpotenti & prætorianis cohortibus stipato, nemo in Senatu, neque foris aduersari ausus est: nec obiicere, ex morte mandantis, potestatem dudum esse finitam. Haud mora, Pragenses huius imperio paruere. Matthias Coruinus, qua Rex diem obiit, Pragā aduectus, in Georgij potestatem deuenit. Id eius opera factum plerique credidere, vt opulentissimum, sine ingenti mercede non redderet. Nec spes quidem, vt infra referetur, hominem fefellit. Hucusque adolescens Viennæ, adhibitis in Regia custodibus, asseruatus fuerat. Cæteri, qui Ladislaum in Boemiam sequuti fuerant, tutò domū dimissi. Mox à Georgio Regalia sunt indicta comitia, quò multi competitores descendêre, in primis Caroli Regis Oratores, qui aut alteri ex filiis eius, initæ gratia affinitatis, aut alicui Principi cui filiam tradere nuptui nō dedeceret, Regnū dari postulabant. Casimirus Rex Poloniæ, qui Ladislai Regis sororem olim duxerat, vxori suæ Regnum Boemiæ deberi affirmare: pari quoque iure, Guilielmus Saxoniæ Dux niti, cui altera Ladislai soror, natu maior nupserat. Fredericum etiā Imperatorem par ambitio exercere, qui huiusce Regni institutionem ad se pertinere dicebat, quia neglecta (vt aiunt) feudi solennia fuissent. Sigismundus item & Albertus Duces Austriæ, per Legatos Proceres ambire, & veteris iure fœderis ac pacti, Boemiam ad se pertinere asseuerare: quando Rege Boemiæ vita sine virili sobole defuncto, ex compacto ad Austriæ Duces recurrere oporteret. Rochezana denique vulgo clamitare, nō peregrinum, sed indigenam Regem eligendum: si nemo tanto munere dignus inueniatur, Hebræorum ad iudices, aut Romanorum more, ad decemuiratum esse redeundum. Postquam Regalia comitia aduenere, Georgius Pogiebrachius, domi forisq; præclarus, iam ætate grauis, & consilij multi compos, Rex Boemiæ declaratur: quod patrati paulò antè veneficij crimen confirmauit. Rex creatus, è curia in ædem diuæ Mariæ genitrici, vbi Rochezana pontificatum gerebat, solenni pompa & subsequente Senatu deductus, rem diuinam fecit, & Deo gratias egit. Rex passim à populo salutatus, & non sine summo plausu ab omnibus exceptus, festa, ludi, saltationes & cōuiuia dies aliquot celebrata: epulum populo datum. Quum ad disponendam Rempublicam animum aduertisset, ad declinandam nonnullorum Procerū inuidiam, qui opibus & nobilitate præstabant, & ad pacandum Regnum Optimatibus multum indulsit. In omnes beneficus & popularis, hæreticis fauit, quorum factione se ad Regnum peruenisse fatebatur. Mira in gubernando arte vsus est. Quanquam potentiorum postulata nunquam irrita dimittere niteretur, ostentata tamen potentia, ab omni seditione deterrebat. Quin & sæpe illorū postulationibus occurrebat, vt promerēdo magnos sibi animos conciliaret & obstringeret. Populi gratiam diligenter coluit, vt se tali fauore munitum, Proceres formidarent. Accesserat filiorum multitudo, magnæ clientelæ, affinitates & amicitiæ, quibus aduersus potentiorum audaciam, se bene obfirmarat. Frederici Imperatoris amicitiam & patrociniū pro virili parte obseruauit. Cum Casimiro Polonorum Rege, qui id Regnum ad se pertinere dicebat, non sine magna ingenij dexteritate se gessit. Matthiam Coruinum, Ladislai Regis coętaneum, quem captiuum habebat, nec gratuitò restituere volebat, bene tractauit: carcere nunquam indecoro cohercuit, conuiuam in mensa

Pogiebrachius rex.

in menſa ſemper habuit, quoad in eius manu fuit: nimium adoleſcentis indolem, ingenium, dicta, & mores admiratus. Quinetiam quotidie eum conſolari, iubere bono eſſe animo, nihilque à ſe hoſtile vereri: dicere, ſe Ioannis Coruini nomen ſemper obſeruaſſe, ſumma cum eo quondam beneuolentia fuiſſe coniunctum, tanti viri gratiam, beneficiorumque immortalium memoriam adhuc vſque adeo valituram, vt maxima quæque adoleſcenti adhuc ſperari liceat. Auaricia tamen erat, quæ ipſum à reddendo Matthia remorabatur. Non enim latebat hominem, quantum mercedis hinc exacturus eſſet, quando tam affectate, non ſolùm à matre, verùm etiam ab Vngaris adoleſcentem repetitum iri ſentiebat. Ad tantam igitur orbitatem Pannoniæ Boemiæq; Regna redacta fuere, vt è nobiliſſimo altiſſimoque genere, ad mediocris fortunæ manus, ambo peruenerint. Hoc ad Pogiebrachium, quem nulla maiorum ſtemmata decorabant: ad Coruinum, illud recidit, cuius olim genus, ab vrbe Roma oriundũ, nimia vetuſtate iam exoleuerat, & in Valachia a Barbaris obrutum, ad obſcuritatem ſanè peruenerat. Hunc Fortunæ ludum plerique reputarint, qui diuinæ ſapientiæ, mortalium curam, & præcipuè Regnorum, ſubtraxere, quæ quamuis & legibus & armis comparantur, diuino tamen arbitrio tribuuntur. Quis enim, niſi viderit, credere potuiſſet, Coruinam domum, ad vnius tandem adoleſcentis, eiuſdemque captiui ſpem redactam, mox ita diuino iuſſu reſurrexiſſe, vt ad Pannoniæ Boemiæque Regnum Deus euexerit; quod nunquam progenitoribus obtigerit? Sed hæc in ſequentem librum transferamus.

RERVM VNGARICARVM DECADIS TERTIÆ LIBER IX.

POSTQVAM in Vngaria nunciatum eſt, Ladiſlaum repentina morte fuiſſe ſubreptum, & Matthiam Coruinum ad interregis Georgij manum perueniſſe, haudquaquã tamen eſſe liberum, diuerſis Pannones affectibus fluctuarunt. Triſtitia non mediocris eos inceſſit, qui in Ladiſlai Coruini mortem conſpirarant: contrà verò, cæteri lætabantur, qui excuſſum è ceruicibus Alamãnorum iugum, inter ſe mutuò gratulabantur. Plures enim pro vno Reges ſubiuerant, quibus obnoxij, multa pro illorum libidine olim iniquè fuere perpeſſi. Et in primis præ ingenti lætitia, Coruinorum amici, admodum geſtiebant: rati, iam interregni gratia, iniquiſſimã Ladiſlai cædem vlciſcendi occaſionẽ accidiſſe. Et profectò feciſſent, niſi Regalia quę inſtabant comitia, à Ladiſlao Gara, Comite Palatino, nuper indicta, prohibuiſſent, vbi Matthiam Regem declarare ſtudebant. Verebantur enim, ne ſi quid noui molirentur, initum pro Matthia conſilium interturbarent: quare modeſtiùs agendum eſſe cenſuere. Michael Zilagius eius auunculus, omnium conſiliorum fauorumq; moderator erat, vir profectò magnanimus, militaris diſciplinæ peritiſſimus, & auctoritatis prudentiæq; non paruæ cõpos. Quum Procerum quorundam inuidiam intueretur, qui quondam in Coruinam domum conſpirarant, vi potius, quàm ſententiis creandum Regem eſſe cenſebat. Aduerſarios, quamuis populorum ſuffragia nepoti haudquaquã defutura eſſe reputabat, armis tamen abſterrendos, ſi quid per ſeceſſionem auderent, eſſe cogitauit, ratus id ex vſu admodum futurum. Quamobrem è Tranſſyluanis ac inferiorib. Vngariæ partibus, item è Boemis, Polonis, Alamanniſq;, dato ſtipendio, magnum ſibi exercitum, ad numerum circiter viginti milium, comparauit. Non deerant pecuniæ, bellorum nerui, quę ab Eliſabetha ſorore prudentiſſima quotidie ſuppetebantur. Hæc enim, quum multum auri & argenti à viro accepiſſet, Ladiſlai morte nequaquam conſternata, vt alterum qui ſupererat filium, aut ab inimicorum inſidiis liberaret, aut ad Regni faſtigium extolleret, inſanas tũc pecunias erogauit. Non latebat aduenisse tempus, quo pro vnici filij ſalute ac dignitate impendere omnia oporteret. Quanquam hæc Michaele duce in Vngaria

curaret, obliuioni tamen filij liberationem minimè dederat, qui Pragæ sub Georgij ditione Regis detinebatur. Quum viuente Matthia, Viennæ, in artis magicæ disputationem incidissemus, Matthiam memini dixisse, in captiuitate sua, matrem de se ita fuisse sollicitam, vt cursorem inuenerit, qui sex horarum spacio, ex Vngaria Pragam ad filium proficisceretur, totidemque rediret, literasq; & responsa referret. Cacodæmonum itaque ministerio, per aera vectum fuisse credebant. Ioannem igitur Vetesium, Varadiensem tunc Episcopum, in Boemiam ea lege miserat (paternorum sanè amicorum Principem, vnà Budæ cum Ladislao captum, ac spectatæ fidei & prudentiæ virum) vt nunquam Praga recederet, donec quouis modo posset, filij liberationem transegisset. Quum ad Regem ille Boemię peruenisset, nihil sanè aliud in captiuitatis causa, quam auariciam comperit. Quam quidem vbi auro facilè curari posse intellexisset, pacta pro eo mercede, ad matrē rediit. Sexagies mille aureûm pleriq; nonnulli quadragies, redemptionis precium fuisse dicunt. Reuersus in Vngariam, antequam Regalia comitia haberentur, vniuersam Michaeli ac Elisabethæ conditionem exposuit: quam quum illi vltrò accepissent, mox vnà cum his, ad creandum Regem, disponendaq; suffragia, vir consultissimus, & grauissimus ille, animum intendit. Quum ad campum ergo Rachos, in Pesthi suburbanis, comitia ex more haberentur: in primis Michael cum multis copiis, ac eximio Procerum nobiliumque ordine, in regalia comitia descendit. Huc enim omnes Vngarorum Pontifices, Optimates, nobiles, ac vniuersi Magistratuum ordines, ciuitatumq; Legati, ad creandum nouum Regem, ex veteri instituto armati coeunt. Michaelem hi Proceres sequebantur, in primis Thomas Zechel præfectus Auranæ, Sebastianus Rosgonius, Ladislaus Canisa, Pancratius Zenthmiclus, cæteraque Transsyluaniæ ac inferioris oræ nobilitas: atque hi denique omnes, de quibus Ioannes Coruinus olim domi forisq; fuerat bene meritus. Hæc enim gratissima multitudo, post amici mortem, parem quoq; rependere gratiam nitebatur. Accedebat & illud, quòd Coruinam cum sua dignitatem vnà coniunctam esse sentiebat. Contrà verò aduersæ factionis Proceres Budam conuenerant: cuius principes hos fuisse memorant, Ladislaum Garam, Comitem Palatinum: Nicolaum Vilachum, Vaiuodam summa nobilitate pollentem, & Coruini nominis æmulatorem: Paulum Linduanum, Bani filium, regalium ianitorum Magistrum: cæterorumque nobilium ordinem non paucum, præsertim eorum, qui in Coruinam domum coniurarant. Hi omnes in Budensem arcem planè conuenerant, & Michaelis viribus, consilio & virtute admodum deterrebantur, afficiebantur quoque conscientiæ stimulis, quòd necis Ladislai Comitis non modò conscij, sed auctores habebantur. Angebat etiam metu, improuisa Danubij congelatio, qua se ab inimicorum periculo parum tutos esse posse cernebant. Nam quarto idus Februarias, pòst vbi Michael Pesthum intrauerat, in sequenti nocte, præter omnium opinionem, sæuitia frigoris Danubius planè constitit, & glaciali se pauimento cunctis tutò calcandum dedit. Aduersarios prospectabant numero, armis, equis, & animo longè superiores, vt exitus ostendit. Quinetiam Coruinæ factionis multitudo ingēs, superato Danubio Budam venit, vt vi coactos, qui Budæ erant, in comitia deducerent. Metum hunc Michael intercepit: nam edicto suo, comitiorum libertatem promulgauit: crebris qui Budæ erant internunciis omnes, data fide, in comitia traxit. In medio deinde campo, quando plures in comitiis dies acti sunt, furcas, laniariamq; mensam proposuit graui edicto, quicunque Matthiæ suffragia reddere recusarent, præsentaneam mortem interminatus est. Quo quidem tetro spectaculo, nō parum aduersarij consternati, extinctam suffragiorum libertatem, quamuis ægrè ferrent, queri tamen haudquaquam audebant, ne ea mox audire ac pati cogerentur, quæ multo grauiora forent. Quum rogati essent Proceres in campo dicere sententiam, Michael, qui conuentum vniuersum instructa acie circumuenerat, in medium prodiit, atque ita exorsus, Miserabile, inquit, Regis fatum, nos huc Proceres adegit, vt de nouo Principe decerneremus, quo nullo modo carere possu-

re possumus: sicut nihil est, quod grauiorem deliberationem postulet, ita ne omnia misceantur, eantq; perditum, nihil celeriorem consultationem exposcit: in mora, multa dissidia prauæq; sententiæ oboriuntur, quæ à publica vtilitate animum diuertunt. si bonū Regem sortimur, nil melius: si malum, nil peius Reipublicæ accidere potest. Postquam illa sanctorum Regum fausta propago, in Maria defecit, & alienos Reges mendicare coacti sumus, quæ mala pertulimus, omnes iam diu nouistis. Nunc ad eam orbitatem redacti sumus, vt quò confugere liceat, neminem habeamus. Quinetiam si peregrini Reges disquirendi essent, nemo succurrit, cui Regnum tutò committere possumus. Eadem difficul-
10 tate Boemi paulò antè laborarunt, & ne externis publicam salutem crederent, ad indigenas recurrerunt: rati, suos multo diligentius fideliusq; Rempublicam, quàm alienigenas esse gesturos. Georgium Pogiebrachium, cuius in longa gubernatione iusticiam, virtutem, prudentiam & integritatem sat exploratam habuerant, repulsis competitoribus externis, suum Regem declararunt: neque declarasse pœnitet, pigétve, quum Boemia, quę sub Sigismundo, Alberto & Ladislao tam diu ac miserè fluctuauerat, nunc eius probitate sapientiaque quiescit. Nos autem quę nobis ex vsu sint, alieno periculo discere, Proceres, scitū est quidem, & laudabile. Si Gubernatoris nostri filium potissimum eligendum censuerimus, nihil fortasse Reipublicæ salubrius decernere videbimur. Cùm externis
20 competitoribus repulsam omnino dandam esse iudicem, si de Vngaris optio est habenda, Matthiam ego Coruinum eligendum esse censeo: vt veluti patre tot annos gubernante, ab intestinis externisque malis omnibus liberati sumus, ita imperante filio, nos in posterum liberemur. Quàm faustæ ac generosæ sit indolis, quàm diuino ingenio, & quanta animi magnitudine, ac laudis ardore nunc æstuet, sat cuique vestrum constare puto. Non à patre (mihi credite) degenerabit, cum paterno nomine ac laude certabit; in castris natus est, alitus in sago, in veteranorum contuberniis educatus, à teneris hic didicit vnguiculis, Turcarum tumultus & aciem nō expauescere: pugnare sub vinea, & centurionis præcepta seruare, ab equo ac pedibus iuxtà dimicare, ad palum quotidie exerceri,
30 transnare sæpe Danubium, & per frigus & æstum sub galea diem ac noctē agere, laboris & inediæ fieri patiētissimum, nil magis quàm hostilem aspectum anhelare, singulari certamine admodum delectari, in castris cum sociis simulachrum quotidie belli agere, nil ignauia & desidia magis abominari, contrà nil bello plus appetere. accedit ingenita mansuetudo, pietas & morum elegantia cum summa honestate coniuncta: religio insuper ingens, & intēpestiua sapientia. Nisi per hunc, veluti per patrem, in communem salutem asseramur, nil profectò aliud succurrit, quò spes nostras rectius intendamus. Nisi ad sanctas Coruini reliquias confugiamus, nos cætera consilia defecere. Neque obliuioni tradendum est, quid immortalia diui patris beneficia nunc exposcāt, qui dum vi-
40 xit, præter gloriam virtute sua partam, nihil pro seruato Regno, pro defensata semper Christiana Republica, pro cæsis, fusis fugatisq; toties olim Turcis, præmij viuus accepit, liuor edax omnia denegauit: quin etiā nisi sat ipse iam cauisset, extremis hunc inuidia suppliciis affecisset. Quid nam à nobis peteret, si loqui posset? nimirum clarissimus propugnator ille vester, nil aliud pro tot immortalibus in vos meritis postularet, nisi vt infandā turpitudinem, quam ex iniquissima filij cæde intulistis, quando nil prohibuistis, honestissima Matthiæ electione deleatis. Hoc vestrū officium, hoc paterna merita, hoc regni orbitas, & res demum ipsa postulat: hoc ille non tam, vt suæ domus gloriam augeret, cui sat viuens nominis acquisiuit, quàm vt Reipublicæ commodo salutiq; consuleret, pe-
50 tere videretur. Verùm si quid priuati cōmodi ratio, vel inuidia, ingratitudóve hominum virtuti abnegat, rependit id cumulatissimè Deus, qui neq; bona neque mala facinora pro irritis vult haberi: is est, qui Regna curat humana, & sua voluntate imperiū piis mentibus effundit. Omnis à Deo potestas destinatur, & voluntati suæ quādoq; obuersari, haudquaquam tamē resistere possumus. Matthiam pater multo vehemētius altero coluit, & amauit: spem omnē in eo collo-

cauit, præsagiens maximum quid in eo futurum: augebat opinionẽ Capistranus, pater ille sanctissimus, quippe qui introductis à patre filiis ad officium, Matthiam semper ad dextram, ad sinistram contrà Ladislaum, eo natu longè maiorem, sibi collocabat. Rogatus à patre, cur præpostero ætatis ordine in filiis vteretur, apertè respondit, prope diuinitus admonitus, id non ab re fieri: quando minor alter Alexander, & acerrimus fidei propugnator, ac Rex futurus esset: maiori mors immatura laudis iter interciperet. Aiunt insuper, quum à Ladislao Rege Viennam, cæso fratre, duceretur, illudentibus Alamannis, quòd Rex hic Vngariæ esse vellet, Matthiam intrepidum respondisse, Ac vester etiam, si vixero. Dimitto magarum carmina, quæ certum huic in Mysia, cum patre militanti, Regnum portendebant. Nos fatorum seriem inuertere non possumus: mihi autem illud Proceres certum est, ne voluntati diuinæ, publicæ vtilitati, ac numini æquitatis aduersari, & adolescentem, quem Regno dignum, paterna in nos beneficia iam fecere, legitimo honore defraudare videar, Matthiã Regem declarandum esse censere. Quod si refragantium iniquitate assequi non licebit, ab isto regnum gladio accipiemus. Obiicerent aliqui ætatem adhuc Regno immaturã, vindictæq; fraternæ suspicionem: quid est quod prius quàm obiiciatur, non continuò cõfutetur. Dimitto præcocem sapientiam, & eius ingenij diuinitatem. Non desunt tot Patrum Procerumq; cõsilia, quæ quotidie ille sectetur: vester is alumnus erit, & in gymnasio sapientiæ vestræ, perquã docilis exercitabitur animus. Nihil vobis aget inconsultis, Regem habebitis, quem sanctissimis artibus & disciplinis, pro arbitratu vestro excolere poteritis. Maiorum natu, ac omnium optimatum, semper fuit maximus obseruator: quare nihil est, cur vos ætas ipsa deterreat: ad vlciscendum nunquam animum intendet, nouistis omnes animi magnitudinem. Quemadmodum in aliis rebus, ita in hac potissimùm, patris ingenium imitatur, cui mos erat, dissimulare potius iniurias, quam vlcisci: inimicũ officio conciliare, & nihil viro dignius existimare, quam vincere seipsum. Furorem facilè coercere, ac dicere, nullam maiorem vindictam iure censeri, quàm quum possis iniurias omnes ex ingenita probitate remittere. Quinetiam si pedibus in hanc sententiã veneritis, vobis ipse polliceor, ac ita grauissimo id iuramento sanciendum esse curabo, nullas ipsum vnquam iniurias recogniturum: parsurum omnibus, & illis potius indulturum, à quibus se læsum esse senserit: vt eorũ potius, quàm paternorum amicorum beneficio, Regiam dignitatem adeptus esse videatur. Proinde nullius animum ista suspicio à recto iudicio declinare debet. Quinetiam ne pro imperio libidinis Alamannicæ, misella Vngaria redderetur, diripereturq;: illud quoq; cõsiderare debetis, quot pericula, quot iniurias, quot crimina, quot insidias domus ista pertulerit. Ioannes olim à Comite Ciliæ semper insimulatus, ac eius vexatus est insidiis: Ladislaus iniqua morte mulctatus: Matthias in exiliũ ductus, & nunc sæuo carcere maceratur. Adolescẽs patre simul & fratre orbatus, immo ni ad Regnum diuina ope seruatus esset, ad parem cum fratre cædem, quamuis parum abfuerit, iam raptus esset. Coruina gens, quę tot annos à Turcarum & finitimorum nos bello liberauit, cuncta quę Reipublicæ mala imminebant, ipsa subiuit: & quando ad salutem Vngarię nata fuit, nunc etiam pro publica se incolumitate deuouit. Quamobrem Pontifices, ac Optimates, omnesq; magistratuum ordines, & Legati, vos cum vniuersa nobilitate, nunc oro & obtestor, vt immortalium Ioannis Coruini beneficiorum memores, filium, sine vlla secessione, Pannoniæ Regẽ esse iubeatis. A numinibus diuûm, oraculis & auspiciis haudquaquam dissentiendum esse censeatis. Illum optate, qui sanctissimis Patrum conscriptorum consiliis parère non recuset, nullisque malis opinionibus & concupiscentiis, pectori altius inhærentibus, deprauatum animum habeat. Illum salutare Regem, quem gloriæ cupidum, ad publicam salutem ac Regni vtilitatem educare possitis. Suspicionem quanque grauissimam, & priuati (quæso) commodi rationem deponite, vt sine vlla contentione seditioneque salutarem vobis Principem eligatis. Quod vt faciatis, per Deûm hominumque fidem, per

patriæ

patriæ charitatem, vos omnes iterum iterumq; oro & exoro. Quum hæc Michael verba fecisset, multorum animi sedati sunt. Pars magna Procerum, Michaelem ipsum optandũ Regem esse prædicabant, quod ille nepotis gratia obnixè recusauit: & plerique sententiam partim metu, partim illius oratione victi, quum ab instructis circùm legionibus obducti forent, extemplo mutarunt. Nicolaus Vilachus, qui nobilitate generis, & animi magnitudine, non paruaque gestorum gloria, se Regno dignum arbitrabatur, inuitus spe sua excidere videbatur. Ladislaus Gara Palatinus, & præstantia sanguinis, & supremæ potestatis auctoritate, pari quoque ambitione laborans, haud facilè cedebat. Imperator
10 item Fredericus, in cuius manu adhuc corona sacra seruabatur, in spem etiam adductus, clandestinos non sine nomenclatore fautores habebat: sed inter armatas acies, quum nemo reluctari iam auderet, ac passim assentiri: quãuis pars maxima Michaelis sententiam approbasset, Palatinus tamen in diem posterum differendam rem esse censuit, vt de futuro Rege communique salute, res haud citra Procerum concordiam transigeretur. Quinetiam ipse Nicolaus & Paulus, ad declinandum furorem armatorum, qui ceruicibus imminebant, & ad protegendam inuidiam, Michaelem rectè compositeq; loquutum esse, verùm secretiora hæc colloquia postulare dixerunt. Res in posterum protogata, secessionem & discordiam repulit, hoc temporis interuallo extincta seditio. Ponti-
20 fices rem vtrinque tractantes, ad concordiam redegerunt. Palatinus & Nicolaus, cæterique factionis eiusdem, vi ac metu adacti, dummodo his nunquam Ladislai cędes obiiceretur, & veterum iniuriarum, ac vltionis obliuio in perpetuum aboleretur, sacrosanctoque iuramento sanciretur, Michaelis sententiam se approbaturos esse promiserunt. Id libenter, vt spoponderat, a Michaele factum, fœdusque percussum.

In sequenti deinde die, in secreto cõuentu, vnico omnes assensu, Matthiam Regem declararunt: quem aliquot ante dies, vulgus, puerique Pesthani, per compita, vicos ac fora passim exclamarunt. Quod quum inimici exaudiissent, à populari & diuina voce nequaquam dissentiendum esse iudicarunt. Infantium
30 plebisque clamores ab aduersariis nunquam reprimi potuere. quinetiam illud pro summo miraculo habitum, nondum in conclauibus, ab Optimatibus, Pontificibus, nobilibus, & Legatis Rex ille declaratus erat, quum in Pesthana basilica, sacerdotum collegium, haud secus atque diuinitus admonitum, Iesu optimo maximo, diuæ Genitrici, cæterisque diis patriis cum summo plausu intentissimoque concentu, læti gratias agebant. Postquam autem publicè declaratus est, vniuersa in gaudium & festiuitatem conuersa est Vngaria. Omnis ætas per pagos & oppida, varia publicæ hilaritatis simulachra edere, quæ priscis nunquã Regibus exhibita fuerunt. Tubis, tympanis ac fistulis, præterea saltatione cantuque passim exultare, faustas acclamationes per multos dies ingeminare. Mat-
40 thiæ Coruino, Regi nostro, feliciter: patris patriæ filio, feliciter: liberatoris nostri gnato, feliciter: Coruinis reliquiis, feliciter: Matthiæ spei nostræ, feliciter: Pannoniæ Principibus, hunc declarantibus, quoque feliciter: Vngariæ demum vniuersæ, feliciter. Hic à sæuo nos externorum liberabit imperio: hic paterno more de Turcis triumphabit: hic nos à Boemorum latrociniis & populationibus liberabit: hic Polonos abiget, & Alamannorum superbiã attenuabit. Supplicationes pro nouo Rege indictæ, & sacra passim celebrata. Præterea in eodem quoq; conuentu, quum Matthias annos septemdecim natus esset, & nondum tanti Regni compos existimaretur, Pontifices cum Optimatibus decreuere, vt adolescenti Gubernator adiiceretur, ne quid ex inscitia ac parua rerum
50 experientia, detrimenti Respublica pateretur. Quare antequam conuentus ille solueretur, ex decreto Patrum, Michael Gubernator pronũciatur, & in quinquennium potestas summa traditur: vnde non mediocris est inter auunculum & nepotem suborta simultas & discordia: quam Principes quoque aduersæ factionis, qui illi nimis inuidebant, adauxere. Itaque Michaeli Gubernatio data, & adducendi Regis negocium delegatum. Hic mox Georgio Regi prius lite-

Matthias.

ris,deinde Legatis Matthiam Vngariæ Regem declaratum esse nunciat: rogatque,vt ad Regni fines adducat,pactum redemptionis precium, non defuturum esse significans. Pòst,vbi Boemię Regi inter cœnandum literis publicis ea nunciata sunt,quæ rumor prius effuderat,accubãtem sub se in imo loco Matthiam, continuò superius ascendere, sibique præsidere iussit. Ast ille, rei insolentiam admiratus,qui antè grauissimam sibi fraternæ necis & iniquę captiuitatis tristiciam indixerat,quasi in repentinam spem tractus,iam stabat attonitus, & ne ludibrij gratia nouitas illa fieret,extimescebat, percunctatus, cur id ita præpostere fiet, cœnare interim iussus est, exacta cœna, faustũ ac felix nuncium exauditurus. Subticuit adolescens, & spe completus cœnare non poterat. Post cœnam,Rex,quid mihi Matthia (inquit) exsolueris,si summam inauditamque tibi lætitiam nũciaro : nónne cumulatissima pro tanto gaudio mihi præmia referes, & quod à te postulauero,vltrò concedes? At ille,Nil mihi, Rex, libertate lætius esse potest,quam si concesseris,perpetuam,si potero,gratiam, etiam quamcunque petieris,me recipio relaturum. Qui in aliena manu sunt, quando cogi possunt,iuberi,non exorari debent. Tunc iste: Salue (inquit) Matthia Rex Vngariæ,salue Pannoniæ Princeps,diuino potius quàm humano suffragio declarate. Te Vngari Regem, propter immortalia diui patris tui beneficia, propter generosam tuam indolem, & spem ingentem, quam ex te nuperrime conceperunt, vltrò Regem ad campum Rachos & Pesthanam vrbem declararunt, vt veluti à Coruino quondam rectè ac sanctè gubernati liberatiq; fuere, ita nunc à Coruinis etiam reliquiis,in posterum liberentur. Te sub diuina tutela fuisse non ambigo, te Deus ad tanti Regni fastigium idcirco reseruauit, vt non modò paterna vestigia imitari, sed data tibi maiori potestate, illius gloriam superare posses. In mensa te mihi idcirco præposui,vt te Regem longè potentiorem factum esse intelligeres. In pari hoc anno fortunæ dexteritate versamur,vix menses tres intercessere,post Ladislai Regis obitum,vtrunq; nostrum,ad dignitatem Regiam diuina clementia (vti vides) euexit: vtranque domum tanti decoris expertem, vsque adeo illustrauit, vt immortales Deo gratias debeamus: atque si viri esse voluerimus,perpetuæ comparandæ gloriæ occasione nõ caremus. Proinde age (quæso) perpetuum inter nos fœdus,Matthia,percutiamus,percussumq; sacrosancti coniugij vinculo ac pignore sanciamus, mutuis nostra Regna consiliis & auxiliis tueamur. Quippe turbulenta sunt studia hominum, varia, voluntatesq; admodum inconstantes, ambitione, inuidia nouitateque nobilitas & plebs iuxtà laborat. Quare gnatam,Coruini thoro non indignam,nũc data fide,te vxorem ducturum esse recipito, cum dulcissima coniuge imperato, ad extremum Matthia fili liber esto: & quando Regnum adeptus es præpotens & opulentissimum,tuum socerum,tuæ salutis & libertatis auctorem, quo faustissimi coniugij graues sumptus facilius subire possit,sexagies mille aureûm,à tuis me patienter accipere tolerato. Postulatis Matthias annuit, & maiora quoque concessisset, dummodo se in libertatẽ assereret:quin & gratias egit, cuncta quæ petierat,inuiolata se fide præstiturum esse recepit. Dum hæc ita in Boemia geruntur, Michael soluto conuentu, quamuis Proceres cum Pontificibus Budæ remansissent, vt adfuturum Regem expectarent, Corporis tamen Christi ædiculam adiit,ne Ladislai nepotis corpus inter paricidas iacere pateretur, néve insigni nota generosi nomen iuuenis inureretur, non sine multis lachrymis, ex infami tumulo eruit,Albamque in Transsyluaniam transtulit: persoluit ibi funebria iusta,& prope parentis monumentũ collocauit. Post hæc,quum adducendus sibi Matthias esset,mira celeritate rem peregit. Nam eadẽ hieme antequam inita glacies solueretur,Regem introducere studuit. Primùm cum exercitu, & magna Optimatum turba, Strigonium venit: eum Ioannes Varadiensis, Thomas Zechel,Sebastianus Rosgonius,& Ladislaus Canisa,cum Pancratio sequebantur. Item Petrus Zokoli,Ioannes Chianadiensis nũc Episcopi pater, vir impiger ac strenuus, qui exercitui à Michaele præfectus erat. Nam quum assiduo Turcarum bello claruisset,longaque armorum experientia præpolleret,perpe-

tuum

tuum Regis auunculus hunc sibi præfectum asciuerat: quem nunquam antea infeliciter pugnasse nouerat. Ad Strigonium omnes, sicco pede Danubium traiicere: mox continuatis itineribus, in Morauiæ fines contenderunt. Dum iter faciebāt, per internuncios quotidie Georgium Regem, vt quàm ocyssimè posset, Matthiam ad Regni fines adduceret, admonebant: significantes postulatam adfore pecuniam, ex eiusque sententia se cuncta facturos. Nec minore quoque ille celeritate properabat, vt promissa præstaret, Regem Pannonibus redderet, ingens hinc denique auri pondus acciperet. Quare magnum quoque exercitum ipse comparat, vt pro dignitate Regem ac generum in Vngariam restitutus videretur. Quum ad præstitutum vtrique diem, ad Stratniczam vrbem, ex composito conuenissent, nonaginta milibus passuum à Strigonio remotam, in ripis Morauæ amnis, qui Morauiam ab Vngaria diuidit, inclinante sole castra posuere: postero die, instructa vtrinque acie, Matthias quum productus in medium, in opposita ripa apparuisset, ingeniculatę continuo legiones, Regem Vngariæ consalutarunt, adoraruntq;. Plausus cum lachrymis ex immodica lætitia exuberantibus, tam ingēs per horam editus, & tantus tubarum clangor, tympanorum tinnitus, & ænearum machinarum crepitus, passim effusus est, vt cœlum collidere videretur: his quoque militaris clamor adiectus, & faustæ cohortium acclamationes, cōgratulationes gestientium insolentes exauditæ. Certatim lætitia cum plausu aliquandiu edita, quæ vbi paululum expleta est, Proceres sese propius admouere, id ipsum fecere Boemi, vt mutuum facilius colloquium exaudirent. Tunc Ioānes Vitesius Varadiensis Antistes, veluti Pater patratus, hæc in ripa fluminis verba fecit: Salue Matthia Rex Pannoniæ, quem publicis votis, quod nemini vnquam contigit, omnibusq; suffragiis, Senatus Populusque Vngaricus, Principem & Regem suum esse iussit, salue spes vnica Pannonicæ gentis: saluete Coruini generis sacrosanctæ reliquiæ: faustum & felix tibi vniuersæque Pannoniæ sit hoc Regni tui auspicium, & Christianæ fidei admodum salutare. Te tua properare iubet Vngaria, capere Regni habenas, iustè regere, tuique Imperij fines latè tueri. Quantum tibi timuerit, quàm affectatè repetierit, ex his comitiis nunc intellige, quibus maluit te adolescentē optare Regem, quàm consummatos consilio, experientia & ætate viros iam sortiri. Te ad regnandum natum esse intelligit: & quod sub clarissimo patre tuo experta est, id omne in te requirit, speratque futurum. Coruini ductu & auspiciis gubernata, imminentia cuncta pericula superauit: diu floruit, & multa bella prosperrimè gessit. Maximis repulsam Principibus ipsa dedit, vt Coruinis quoque auspiciis regeretur. Te non modò alterū patrem, verùm etiam in maiori potestate situm, paternum omne nomen superaturum esse sperat. Sibi certum erat, te nō modò redimere vbicunque fores, sed etiam, si id negatum esset, vi obstinatè repetere: vbicunque alieno facinore occubuisses, mortem armis vlcisci statuerat. Verùm tot periculis clementissimi Regis Boemiæ prudens animus occurrit, qui mira calliditate ex Alamannorum te manibus eripuit, vt te Vngaris conseruaret. Quamuis hoc fuerit humanitatis & societatis officium, Vngaria tamen perpetui loco beneficij id haberi iubet. Immortales nūc gratias agit, & data referendi copia, cumulatè rependet. Ne igitur de ingratis benemerita esse videatur, id auri pondus dono dat, & quum res tulerit, maiora datura est: perpetuam Boemis amicitiam defert, & immortale Pogiebrachiorum beneficium, nunquam apud se interiturum esse pollicetur. Quodcunque Matthiæ, Proceres, cum vestro Rege cōuenit, id vniuersa Vngaria ratum ac firmum esse iubet. Quinetiam quod Regem nostrum incolumem præstitistis, & cum tā magnifico apparatu, ac nobilissimo equitatu honestatum adduxistis, ne parum quidem huic beneficentiæ vestræ nos debere profitemur. Proinde Matthiam reddite, & initum à Matthia cum inclyto Rege vestro fœdus, vtriq; perpetuò conseruemus. Vix ista dixerat, cùm non sine pecuniarum essedo, fluuium mox traiecit, Victorinumq; Regis Boemiæ filiū, in secretum acciuit: pactamq; mercedē, ritè illi persoluit. Dum solutio ipsa transigitur, Matthias ab aduersa ripa immortales patriæ

genti gratias agit, quòd Regno indignum, & adhuc impotem, supremo & diuino penè munere honestarit. Sat patriæ se debiturum arbitrabatur, si publico dũtaxat nomine repeteretur. Ad hæc polliceri, se nunquam vitæ suæ parsurum, nec labores assiduos, & grauissima quæque pericula recusaturum, ne temere à patria, tanta dignitate decoratus esse videatur. Ictum cum Rege Boemiæ fœdus, rectè sanctéq; omnino seruaturum. Vngaros demum, & Boemos, de se bene sperare iubet, ingenuè pollicitus, se per vniuersum vitæ tempus, vtrosque sine discrimine tractaturum: atque nil aliud enixius curaturũ, quam explere spes hominum, expectationi patriæ satisfacere, à paterna virtute non degenerare, & ingratitudinis apud vtrosque crimen euitare. Vix hæc potuerat effari pientissimus adolescens, cùm lachrymarum profluuio victus obticuit. Boemi quicunque aderant, initam amicitiam & societatem, sanctè seruãdam esse affirmarunt, vires & arma Vngaris ac Regi offerũt, cum promptissimis semper auxiliis, quandocunque opus fuerit, se præstò adfuturos pollicentur. Transacta mox solutione, Victorinus Dux, & Ioannes Antistes, vtrunque exercitum, datis post initum ab vtroque Rege fœdus dextris, mutuisque complexibus confirmare iubent. Regem vtrinque præreuerenter salutant, & certatim se mutuò amplexantur, multæ præ lætitia lachrymæ vtrinque fusæ. Rex à Victorino dimissus, ad sua castra traiecit, Boemisque Proceribus, qui Budam vsque ipsum comitari contendebant, gratias egit, mox vtrique vno eodemque tempore digrediuntur. Vngari, recepto Rege, longis itineribus Budam properãt, vt antequam glacies dissoluatur, Danubium traiiciant, quacunque iter faciunt, ex pagis & oppidis gratulabunda in occursum omnis ætas effunditur, inaudita vbique lætitia celebratur. Quin etiam aniculæ, pueri, senes, & rustica passim turba, Matthiam circumfundunt, salutant omnes Regem. Manus & pedes deosculantur, fausta & felicia cuncta precantur, vbique spes Vngariæ, deliciæ orbis, assertor patriæ, Pãnoniæque salus ingeminatur. Inter plaudentem festiuamque multitudinem, Matthias tanta popularitate, clementia & mansuetudine vtebatur, vti mirum in modum populorum animos sibi cõciliaret. Gratiam, quam sibi patria memoria promeruerat, affabilitate, ac præcoci pietate sua vsque adeo augere, vt in amorem obseruantiamque sui, hominum pectora cuncta succenderet: hos fratres, patres illos, hanc matrem, sororem istam, appellare: se amplexandum deosculandumq; omnibus, vltrò ac passim exhibere, magis alienæ, quàm propriæ saluti congratulari, inter milites conductu decoro simul ac lepida comitate versari, ad imminentia grauibus quandoque verbis bella succendere, de comparanda demum laude semper verba facere. Quum Strigonium paulò ante calendas Maias, circiter Sarcophaga festa, peruenisset, glacies quæ dudũ fatiscere cœperat, ne satis quidem tutum exercitui transitum pollicebatur, læti tandem equites, contempto periculo, & labante sæpe glacie, maxima ex parte traiecere. Cæteri ad Pesthum transiuerunt. Quin & Danubius hilaritati publicæ indulgere & gratificari videbatur, quandoquidẽ in tam propera festinatione, temerarioq; transitu, nemo periclitatus est: Coruina id fortuna factum, omnes esse fatebantur. Postquam in sequenti die Budæ appropinquarunt, omnes Pontifices Optimatesque ac nobiles, qui conuenerant, item Prætor vrbanus, cum singulis ordinibus magistratuum, præterea cuncta collegia sacerdotum solenni pompa, deos & sacra ferentes, obuiam prodeunt, & sacros rhythmos concinunt. Occurrit etiam populus vniuersus, vt summo plausu, ac eximiis acclamationibus, nouum & exoptatum Regem excipiant. Quinetiam & Iudæorum turba, in occursum exiuit, præferens Veteris Testamenti tabulas, & inter primos salutato Rege, maiorum priuilegia sibi confirmari obtestatur, & supplicat. Ad portas vrbis, à ciuibus sub vmbella Rex excipitur, & antequã in vrbẽ admittatur, exoratus à Prætore, libertatem, leges, sanctiones, decreta Senatus, ac cæteras immunitates ab antiquis Regibus impetratas, se nunquam violaturum, adiecto iuramento pollicetur: id ipsum, antequam in arcem admitteretur, vniuersis Regni Optimatibus Pontificibusq; promisit. Introductus in vrbem, rectà in basilicam diuæ Genitri-

nitricis ducitur: quũ ante prætorium iter faceret, ſupplicantibus noxiis, quos olim quæſtor in vincula coniecerat, vt omnibus fauſta felixque foret præſentia Regis, patefacto carcere liberantur. Quum in templum veniſſet, Ieſu Chriſto optimo maximo, ac diuæ Genitrici, ſub cuius tutela degit Vngaria, gratias egit: ſeq; iura ſacra inuiolata ſeruaturum affirmauit. Hinc in Regiam ductus eſt, & plauſus togatorum pariter & ſagatorum tantus per compita, vias, & fora editus, vt cuncta publica lætitia compleri viderentur. Quum in regia conſediſſet, ad componenda Regni negotia animum aduertit. In auditu mirificè omnium expectationi ſatisfecit, laudabant vulgò cuncti mores adoleſcentis, quòd dignitatem Regiam præter ætatem, à principio tam probè ſeruaret: etiam & illi qui cõtrà ſentiebant, eius præſentia conciliati ſunt. Ioannes Varadienſis Epiſcopus, Dionyſius metropolita, cæterique Pontifices, nunquam ab eius latere diſcedebant. Quinetiam Michael eius auũculus, Sebaſtianus Roſgonius, Ladiſlaus Caniſa, Petrus Zocholi, cæteriq; paterni amici, idipſum faciebant, veriti, ne vitio ætatis aliquid committeret à ſua dignitate alienum. Contrà ipſe, à principio de grauiſſimis rebus, nihil vnquam inconſultis Pontificibus & paternis amicis ac Proceribus, decernere voluit, ſiue referebat aliquid ad Senatum, ſeu ferret ad populum, qua grauitate ac eloquentia vtebatur, admirabantur omnes. Qum rogati Pontifices Proceresque ſententias dicerent, attentè & perquam diligenter exaudiebat. Diſſidentes inter ſe Patres conſpicatus, haud irreuerenter quãdoque increpabat, ſi quam ex inuidia ſimultateq; ſeceſſionem in Senatu fieri ſentiebat: contrà verò, quandoque patiebatur non inuitus, haud ignorans, priuatis ſæpe æmulationibus & inimicitiis creſcere Rempublicam. Quinetiam aliena dicta ſic argutè confutabat, dictasq; ſentẽtias improbabat, vt ſuæ quenq; ſententiæ pœniteret, ac id ingenuè fateretur: quem prius ex paterna memoria diligebant, mox obſeruare ac tacitè revereri occœpere: ſpem quoq; initam non confirmauere ſolùm, verùm etiam auxere. Auunculus, qui Gubernationis munere fungebatur, ac rerum omniũ auctor haberi cupiebat, ab eo nõnunquam increpitus, ſententiã mutare coactus eſt. Nicolaus Vilachus, Palatinus, & Paulus, cæteriq; aduerſarij, ſpectato Regis ingenio, quem præter ætatem circumſpectum eſſe cernebant, è magna ſpe deciderunt. Sperabant enim, incõſultæ adoleſcentiæ gratia, præceps in Rege conſilium, quotidianos errores, crebras in regendo iniurias, quibus non mediocris deinde pœnitentia Vngarorum animos inceſſeret, & magna rerum mutatio ſequeretur. Nicolaus, qui regnũ præ nobilitate generis, opib. & auctoritate nimis anhelarat, & in comitiis vi coactus Matthiæ ceſſerat, nunquam adoleſcentem talem futurum ſibi perſuadere poterat. Hunc ſupra ætatem, cuncta prudenter & honeſtè diſponere, nimis angebatur. Auunculum eius omnia gubernare, fauere amicis, & ſuos extollere, perquam ægrè ferebat. Socii factionis eiuſdem, pari quoq; liuore affecti, admodum cruciantur: diſſimulandum tandem dolorem aliquantiſper cenſuerunt, donec aliquid occaſionis daretur, qua noua moliri poſſent. Interim criminibus, dolis, & inſidiis Michaelem circumueniendum eſſe decernunt. Regem frequentant, fidem charitatemq; magnam ſimulant, præſtant obſequia, & data occaſione, pro virili ſua, Michaelem in inuidiam Regis adducere clàm enitũtur. Rex autem ab amicorum conſiliis non recedit, ad bene regendi diſciplinam animum intẽdit, veri Principis artes ſibi inſitas recognoſcit: iuſtus & aſſiduus in dicendo iure, in puniendo clemens, in miſerabiles pius, in gubernando prudens ac ſolers, in periculis grauibusq; rebus magnanimus & audax, in agendo cautus, & ſagax, gloriæ plus æquo cupidus, & ad ſimulandũ diſſimulandumq; nimis idoneus. Cum ſenioribus ſimplicitatem quandam ſæpe præ ſe ferre, callidè quæcunque mens mala ferret, elicere, obliqua conſilia intelligere, & corda hominum cautiſſimè perſcrutari, difficulter alienis artib. falli poſſe videbatur. Quum Regni habenas accepiſſet, ad recuperandam ſacram coronam, quæ in Frederici Imperatoris manu erat, animum aduertit: quando citra ſacroſanctum diadema, legitimè Regno potiri, haudquaquam poſſe putabatur. E ſenatus conſulto, Ioannem

Episcopnm Varadiensem, ad Imperatorem cũ duobus Optimatibus mittit, qui eam repeterẽt. quum hi Viennam ad Cæsarem venissent, & apud eum mandata exposuissent, continuò sibi verba dari intellexere. Re infecta profecti, Budam redierunt: Imperator enim quum secum reputaret, coronam in potestate sua esse, sine qua nemo Rex legitimus dici poterat: & in citeriore multos Principes Vngaria sibi fauere, in spem Regni maximam cõcidit: qua si fortè animum abstinere potuisset, multo sibi Pannoniæque melius profectò consuluisset. Confirmabant quoque spem eius, Nicolaus, Ladislaus, & Paulus, & cæteri, qui in Matthiæ coronatione aduersari voluere: hi nanque clandestinis quotidie internunciis ad id Imperatorẽ incendebant, non tam vt eum Regem haberent multa pollicentur, quàm vt illius viribus & auctoritate Matthiam Regno eiicerent, & ipsi deinde pro sua libidine imperarent. Sed Nicolaum sæua regnandi cupido in primis incesserat: quare factum est, vt nihil per Legatos impetrare potuerit. Fredericus etiam, adolescentem fluctuosissimo Regno potitum, facilè contempsit: sperabat hunc, nedum suis viribus, sed Optimatum quoque factionibus, id facilè amissurum. Proinde factiones alebat, discordiarum semina spargebat indies, & infusa dissensione nutritisque factionibus, in Pannoniis imperare studebat. Addebat animum, humile ac obscurum Matthiæ genus, vt ipse reputabat: ratus adolescentem peregrina gente natum, è Valacho patre, nunquam tot inter nobilissimos Principes, cognationibus, amicitiis opibusq; præstantes, diu regnaturum. Nos autem prius quàm bella ductu auspiciisve suis gesta, gestasq; in regno motus & seditiones attingamus, de ipsius origine copiosè dicendum esse duximus. Matthiæ regi, quemadmodum suprà dictum est, Ioannes Coruinus pater fuit, Buthi Valachi filius, in paterno pago natus, quem nostra quoque tempestate, Coruinum dicunt, imperante Sigismundo, à quo virtus eius & animi magnitudo primùm cœpit intelligi: mater verò Elisabetha Silagia, virago semper habita. is veluti sæpius à parentibus acceperat, quum adoleuisset, se Romana gente natum affirmabat: referebat genus in Coruinos, qui inter priscas Romanorum familias numerantur. Generoso sanguine succensus, & Transsyluaniæ finitimus, in prouinciã venit, à principio in Chyacorum familiaritatem se insinuauit. adaucto mox animo, ingressus Vngariam, Francisco Chanadino seruire cœpit: cui vsq; adeo charus fuit, vti pro filio haberetur. Sub hoc fausta tyrocinij auspicia sortitus est, cliens deinde Demetrij Zagrabiensis Episcopi factus, quum ignaui expers ocij foret, & Sigismundum Imperatorẽ, quem in Italiam profecturum audiuerat, cõtinuò sequutus est, vt Romanos progenitores, ac rerum dominos inuiseret. Militaris disciplinæ gratia, prima, sub Philippo Mediolanensium Duce, stipendia fecit. Reuersus in Vngariam, Turcarum bello se exercuit, vbi antequam aliquod equestre munus assequeretur, dum cum sociis Mysiam incursat, multum lucri fecit. Vetus Caloergorum (vt aiunt) cœnobium populatus, compertis ibi gemmis & lapillis, amplè ditatur. Quum Sigismundum Germaniam reuisurum audiret, repentè sequutus est, vt Regiam frequentaret, & Coruinam virtutem iam maturam in lucem ederet. In spectaculis, saltationibus & conuiuiis, preciosis & gemmatis vsque adeò vestibus vtebatur, vt multis Regulis, ex habitus elegantia, haud citra inuidiam præferretur. Quem corporis forma & venustas oris nimis honestabat: conspicuus incedens, cum nobilissimis matronis saltare iussus est. Id ægrè Sigismundum tulisse ferunt, ac sæpe dixisse: Ioannem Coruinum ad spes magnas non esse prouocandum: quando, veluti ab ambitiosa eius iuuenta mãticinabatur, ne toto quidem orbe is expleri posset. Post Sigismundi obitum, Præfecturas prouinciarum, cum imperio, ac supremam nactus in gubernando Regno potestatem, tanta modestia, & tam grato fuisse animo dicitur, vt Francisco de Ceuadino, neque in via, neque in mensa vnquam præiuerit, stando & sedendo præter dignitatem veneraretur, & illius vxorem pientissimæ loco parentis semper habuerit. Ioannes igitur genus in Coruinos retulit, veluti gentilitia insignia referebãt, & Matthias Romana gente oriundus, ingẽtem hinc animi magnitudinem, vti exitus ostendit,

Matthiæ origo.

dit, planè concepit. Verùm de Coruinæ familię vetustate, & quo modo in Dacos & Getas sese propagarit, est ritè referendum. Coruini primùm à Valeriis Volusiis, Valerij à Sabinis ante vrbem conditam duxere genus, Sabini à Lacedæmoniis promanarunt. Quum ex Achiuis in Italiam olim illi coloniam deduxissent, Sabinos, Lacedæmonum coloniam fuisse, Plutarchus affirmat. Hi quibus Heraclidæ præfuere, ab Herculea gente illustrati, & à Lacedæmone, Iouis filio, quem ex Taygeta tulit, dicti sunt. Ex quo fit, vt Coruini non solùm ante Vrbem conditā fuerint, sed in Iouem præ nimia vetustate genus referre queant. A principio nanq; Italiam Pelasgi, Aborigines Sabini à nimia pietate nominati, coluere: deinde multo pòst tempore, Romulus Vrbe condita, Sabinorum virgines rapuit, confecta pace, in Vrbem soceros admisit, in primisque Tacium eorum Regem, vti Dionysius auctor est: ex illustribus Sabinorū familiis tres cum Tacio Romæ, communicatis honoribus, permansere: quibus multis pòst seculis, fœcunda posteritas ritè perfuncta est. Hi fuere Valerius, Volusus, & Talus, qui Tyrannus cognominatus est: item Metius Curtius, qui armatus lacum nando transmisit. Cum his quoque socij cognati, gentiles & clientes, numero haud pauciores, centum sanè fuere. Aucta ex hac affinitate vrbe Roma, Tulli Hostilij, & Metij tempore, Marcus Valerius floruit: hic primus Fecialis fuit, qui in percutiendo fœdere, in certamine Trigeminorum patrem patratum Spurium fecit. Mox Publius Valerius claruit, quando hoc adiutore Brutus ex Vrbe Reges exegit. Et quum se Collatinus consulatu abdicasset, collega hic Bruti centuriatis comitiis creatus est. Quinetiam Valeriis, Horatiisque ducibus, Romanos Reges pulsos aiunt. Item Publius Valerius cum Tito Lucretio iterum consul creatus, & eo quidem tempore, quo Tarquinij ad Porsenā confugêre. Is Publicola cognominatus, quia in suspicionem cōiectus leges tulit, quæ non modò consulem suspicione liberarent, verùm etiam popularem efficerent. Tertium cum Publio Lucretio consulatum gessit. Marcus autem Valerius cum Publio Posthumio consul designatus, quia cum Sabinis bene pugnauerat, cum collega triumphauit. Ad hæc Lucium Valerium Consulem, de prouocatione ad populum primùm tulisse legimus, & Marcum Valerium, clarum fuisse Dictatorem. Item Lucius Valerius cum Spurio Cassio, & Publius Valerius cum Caio Naucio, & idem cum Tito Æmylio consulatum gessit. Marcus Valerius, Titus Virginius, consules creati, Publicola interrex factus, tertio die, quo interregnum inierat, Lucium Lucretium Tricipitinum, & Titum Veturium, consules creauit. Ad plebem, quæ à nobilitate secesserat, reuocandam, Lucius Valerius & Horatius missi sunt. Et re deinde composita, Valerius Potitius cum Marco Æmylio consul fuit: magnos Ludos, quos in Veienti bello Marcus Furius Camillus Dictator vouerat, edidit. Bellum in Algidio cum Æquis gessit: quare Valerio, qui in cædendis hostibus perseuerantior fuerat, triumphus decretus est. Collega Vrbem ouans ingressus, Valerium, Publij Valerij filium, Tribunum militum, cum consulari potestate, Camillus iterum interrex creauit. Item Lucius Valerius Potitius, interrex designatus, Lucium Valerium Tribunum militum, cum potestate consulari, tertiò creasse dicitur. In bello Gallico, Marcus Valerius, Caio Sulpitio Dictatori adiectus est. Qui quidem Dictator, & Valerij sapientia, & Tullij ac militum hortatu, Gallos superauit, & de Gallis post Camillum æquius triumphauit. Nondum Coruinum nomen ex hac patricia gente profluxerat, ecce tumultus iterum Gallicus oboritur. Huic bello Furium Camillum, Camilli prioris filium, Dictatorem creant. Quo cum Marcus Valerius Tribunus militum proficiscitur. Quum vtrinque castra constitissent, ecce Gallus, armis ac mira corporis magnitudine insignis, Romanum militem ad singulare certamen prouocat. Marcus Valerius adolescens, facta sibi à Dictatore certandi potestate, forti animo in hostem egreditur: cuncta ritè numina inuocat, vt pro patria dignitate, pugnanti faueant: mox cum insano hoste congreditur, manum conferenti, coruus in galea repentè desidit, ob oculosque Galli rostro ac vnguibus appetit, & vsque adeo perterret hostem, quousque ab adolescente

fortiter obtruncatur, ac parta demum victoria, coruus in cœlum elatus, petiit Orientem. Consul aduocata concione, Marcum Valerium Tribunum, decem bobus, aureaque corona donauit. Et hic deinde Coruinus, à præclaro facinore, cum vniuersa posteritate, cognominatus est. Natus annos tres ac triginta, cum Marco Popilio Lenate, atque iterum cum Petilio, Consulatum gessit. Si quis fortasse tale augurium admiretur, si ex auspicijs aliorum cõiecturam ducat, coruos in tutela Principum esse sentiet. Alexandro nanque corui, ad Ammonis templum proficiscenti, apparuere, confusisque ductoribus, diei ac noctis iter ostenderunt. Item quum Babyloni appropinquaret Alexander, corui repentè col luctantes aspecti sunt. Ex quibus ante ipsum nõnulli delapsi, vt iter impedirent, ac Regem hoc augurio à morte reuocarẽt. Corui salutatione delectatus est Augustus. Sub specie corui, Aristeus (si quid Herodoto credimus) planè loquutus est. Et coruo, quem proximæ sutrinæ manceps in foro exanimauerat, qui Romanos rerum dominos, cum Tyberio Drusoque Germanico salutabat, exacta vindicta, honorificum à Romanis persolutum est funus. Coruum igitur iure Matthias Rex inter cætera suæ domus insignia retinuit, quando suæ gentis exemplo, auspicatissimo huiusce auis augurio, in magnis sæpe periculis se vsum affirmabat. Deinde vt hanc faustæ domus fœcunditatem prosequamur, ex qua plures Cõsules, Dictatores, Imperatores ac Reges, quàm ex equo Troiano Principes promanarunt: cùm lapidibus pluisset, Publius Valerius Publicola Dictator dictus: item paulò pòst, ambo patricij Consules, ex interregno creati, Marcus Valerius Coruinus tertiò, & Aulus Cornelius Cossus. Quorum consulatu, belli Samnitici origo fuit, qui quidem quo animi vigore rem gesserint, ex Liuio intelligi potest. Item eo anno, quo Alexãder Epirotarum Rex venit in Italiam, Marcus Valerius Coruinus, & Marcus Fabius interreges creati, qui Titum Manlium Torquatum, & Publium Decium Murem, Consules pronunciarunt. Præterea Marcus Valerius Coruinus quartò Consul, cum Marco Atilio Regulo creatus. Cales, Ausonum vrbem, expugnauit: impositoque præsidio, reductis legionibus, triumphauit. Factus quoque interrex cum Fabio Maximo, Publium Philonem, & Publium Cursorem, Consules pronunciauit. Quum Romæ sæpe contentio oriretur, si Alexander deuicta Asia in Italiam arma vertisset, quisnam è Dictatore & Consulari ordine foret, quem ducem cum Alexandro conferrent, primus omnium Marcus Valerius Coruinus succurrebat. Is etiam in tumultu Hetruscorum, cum Publio Decio, Consul creatus, pręclarè se gessit: & rebellante deinde Hetruria, Dictator creatus est, Marcumq; Æmylium Paulum Magistrum sibi equitum optauit. Aduersus Pyrrhum Valerius Læuinius Consul proficiscitur, cum Caio Sempronio Valerius Maximus Censor fuit. Item Valerius Prætor, in Macedoniam missus contra Philippum. Nonnulli præterea ex ea familia per totum bellum Punicum claruere. Postquam ad Syllana tempora peruentum est, Caius Valerius Flaccus princeps Senatus, sententiam dixit: ex qua Senatus consultum factum est, vt Legati ad Syllam de pace mitterentur. Huic Valerius successit, qui in Sardinia contra Marcum Lepidum arma tulit, & in bello Mithridatico, in Asia Pontoque Legatus Lucij Luculli fuit. Valerius Triarius huius filius repetundarum Marcum Scaurum, Marci Scauri filium, pridie nonas Quintiles apud Catonem, querentibus de eo Sardis accusauit. Ne prætermittendum quidem ducimus, Publium Valerium nepotem, qui cum Marco Antonio & Appio Maiore, contra Milonem dixit, defendente Cicerone. Item Valerium Catullum, qui in Cęsarem versiculos edidit contumeliosos: & Valerium Nepotem, cui diuidundis agris præposito à Cæsare, Volaterranos eleganti epistola Cicero commendauit. Postquam verò Cæsar potitus est rerum, Marcus Messala Coruinus in Republica floruit, qui post mortem Cæsaris, à Bruto & Cassio victus, cõmuni consilio cõdemnatus est. Verùm enimuero, vt quemadmodum in Pannoniam & Daciam Coruinum olim nomen penetrarit, non ignoretur, ex ordine referemus. Quis enim Coruinũ Messalam, Romanæ eloquentiæ parentem, Poetarum quoq; non mediocre præsidium, silentio

lentio prçteriit? Qui Tibullum mirificè dilexit, quem Tyberius Imperator adolescens senem tantopere obseruauit, & in oratione Latina imitari studuit. Hic primus Alpinos Pannoniosq; populos superauit, primos quoq; Dalmatiæ montes, aditusq; inaccessibiles patefecit, primus Coruinum nomē vltra Danubium distulit: primus denique Præfectus vrbis, ab Augusto factus, sexto die, præ nimia mansuetudine, animique modestia se magistratu abdicauit, inciuilem potestatem illam esse testatus. Valerius igitur iste Messala Coruinus, Augusti auspiciis, Pannonios vicit: quin etiam Valeriam prouinciam, quæ Danubiū Drauumque interiacet, à Valerio Messala Coruino, cognominatam esse arbitror. *Valeria.*
10 Item Regionem, quæ inter Dalmatiam & Pannoniam sita est, à Messala Coruino, Coruaciā adhuc non immeritò nominat. Præterea prope Theutoburgium, Coruacum oppidum fuisse legimus, à Coruinis ædificatum. Imperante Iulio & Octauio, per Alpes Iulias iter patefactum, & victis Alpinis, Noricorum prouinciæ accessere. Dardanos & Mysios Europç Curius Proconsul subegit. Tyberius Cæsar, Rhœticum, Vindelicum, deinde Pannonicum Germanicumque bellum perfecit, in ditionemq; redegit Populi Romani, quicquid est inter It. liam, Noricum, Thraciam, Macedoniam, Danubium, ac sinum maris Adriatici: de quibus quum triumphasset, Pannonicus cognominatus est. Bathonē Pannonicum Regem, multis præmiis donatum, quē sub triumpho duxerat, Rauennam transtulit, gratiasque retulit, quòd se locorum angustia occlusum, euadere concesserit. Imperante Claudio, ad res nouas Gallus Asinius & Statilius Coruinus conspirarunt, Pollionis & Messalæ Oratorum nepotes. Tantæ insuper dignitatis splendorisque Coruina domus Romæ semper est habita, vt cum Imperatoribus sæpe Romanis affinitatem sanè contraxerit. Claudius Imperator Valeriam Messalinam, consobrini sui filiam duxit vxorem. Nero huic Statiliam Messalinam, Coruino sanguine natam, Tauri bis Consulis ac triumphalis abneptem sibi desponsauit. Domitianus autem, qui de Dacis & Germanis: Traianus, qui de Dacis & Scythis, ac victo Rege Decebalo, Daciam in prouinciam redegit, multas in eam colonias deduxit. Iberos, Sauromatas, Asreneos, Bosporanos, & *Coruacia.*
20
30 Colchos domuit. Item Adrianus, qui in Sarmatica expeditione, & Antoninus Philosophus, contra Germanos, Marcomannos, Quados, Sarmatas, & Dacos bellum parans: optima hi omnes Coruinæ domus opera, in his expeditionibus vsi sunt. Testantur id innumera, quæ in Pannoniis ac Dacis Epigrammata reperiuntur, in primisque illud, Valeriæ Cocceiæ, quum Valerij & Coruini (vt supra memorauimus) congentiles fuerint. Epigramma tale est: COCCEIAE VALERIAE P. TENACIVS GEMELLINVS AVG. COL. APVL. EX TESTAMENTO P. TENACII VINDICIS E LEG. P. CL. D. D. D. Item Valerius Elidorus, vt in sepulchro quodam, in Budæ suburbanis legimus, magnæ tunc auctoritatis in Pannoniis est habitus. horum nanque quos dixi-
40 mus Imperatorum tempore, EGNATIVS LEG. AVG. PR. PR. E C. L. PISO LEGATVS LEG. FILIO E MAXIMO CONS. ITEM MARCIVS PE. SEXTIANVS EPHESO. Præterea Aurelius Laurentius, Martiæ Candidæ filius, Septimius Lōginus, & Sambucius Modestus, nonnulla præclarè gesserunt. Insuper Lucius Annius Fabianus Duûmuir Capitalium, Valens, & Peurius Saturninus, in Dacia claruere. Post hæc Modesto & Probo Consulibus, in Pannoniis Flauius Ælianus, Ælius Optatus, Macer Sabinianus, Iulius Secundanus, Iulius Emeritus, Cassius Iustinus, Iulius Probus, Ælius Vrbanus, Valerius Sextus, Iulius Alexander, Flauius Emeritus, Valerius Clementinus, Iulius Priscianus, Verus Verissimus, Iulius Ingenuus, Iulius Celerinus, Iu-
50 nius Adiutor, Aurelius Lupus, Flauius Celsinus, cum Aurelio Pertinace Frumentario, in legionibus prima & secunda, adiutricibus, piis, fidelibus Seuerinis, vt in Epigrammate Scholæ speculatorum legimus, ne mediocri quidē virtute in Vngaria claruere. Ex his colligi potest, nunquam Valeriorum Coruinorum sanguinem apud Pannones defecisse. Imperāte Seuero, Valerius Catulinus, & Valerianus, è patricio vterque genere, floruerunt: quorum virtus

quum Imperatori formidolosa videretur, cum multis quoque patriciis cæsi sunt. Verùm imperante Alexandro Mamucei filio, Valerius Cordius, Imperatoris præceptor & moderator erat: quinetiam eadem tempestate alius Messala Coruinus, vehementissimus Orator, in precio fuit, summa fortitudine ac disciplina bellica præditus: quare Alexandri ad matrem adhuc extat Epistola, qua eam consulit, an generum malit Maximinum, Maximini filium, an Marcū Coruinum Oratorem summum, & virum fortissimum, si rebus bellicis applicetur. Sed Maximinus de vico Thraciæ, Alexandro successit. Ex hoc etiam vetustissimo genere, Valerianus duxit originem, princeps Senatus, deinde Imperator, pater Valeriani Iunioris, & Galieni, à Sapore Persarum Rege captus, fortunam virtutis suæ comitem nequaquā sortitus. Tanta hunc probitate Historici fuisse ferunt, vt quum à Deciis Consulibus ad Senatum de censore eligendo referretur, omnes interrupto dicendæ sententiæ modo dicerent: Valeriani vita censura est: ille de omnibus iudicet, qui est omnibus melior: ille de Senatu censeat, qui omni crimine caret: ille de vita nostra sententiam ferat, cui nihil obiici potest: Valerianus à prima pueritia Censor fuit, prudens Senator & modestus, amicus bonorum, tyrannorum inimicus, hostis vitiorum, patricius genere, nobilis sanguine, emendatus vita, doctrina clarus, moribus singularis, exemplar antiquitatis. Adde, quòd Aurelianum Syrmij natum, & Aurelium Valerium Probum, è Syrmiensi vrbe oriundum, qui Almeam Aureumq; montem, apud Syrmium, militari manu vitibus consitum, prouincialibus colendum dedit: ex hac plerique gente originem duxisse putant. Quin & Valeriam Diocletiani filiam, è Dalmatia oriundi, Galieno Imperatori desponsatam, à Valeriis quoque profluxisse credunt. Quam quum Dalmatæ Valachiam propria lingua dicant, hinc Valerium (vt aliqui putant) prouinciam suam Valachiam appellasse prodiderunt. Quanquam variæ Barbarorum eruptiones, Daciam Populi Romani prouinciam, & Getarum regionem, vnà cum Pannoniis inundassent, colonias tamen, legionesque Romanas, quæ recenter excreuerant, non potuisse interire. Inter Barbaros obrutæ, Romanam tandem linguam redolere videntur, & ne omnino eam deserant, ita reluctantur, vt non tantum pro vitæ, quantum pro linguæ incolumitate certasse videantur. Quis enim assiduas Sarmatarum inundationes & Gothorum, item Vnnorum, Vandalorum & Gepidarum eruptiones, Germanorum excursus, & Longobardorum (si bene supputarit) non vehementer admiretur, seruata adhuc inter Dacos & Getas, Romanæ linguæ vestigia? quos nunc Valachos, ab optima sagittandi disciplina dicimus. Hic igitur per tot deinde tempora sanguis Coruini sanè delituit: in Coruino tandem pago † repullulauit. Ne id quidem sine magno Diuūm numine factum est, vt veluti Coruiniis auspiciis per tot annos Populus Romanus à Barbaris, ita nunc iisdem ducibus Christiana Respublica prouincias has à profana seruitute liberaret. In hoc itaque vico, Ioannes, Matthiæ pater, natus est: cuius virtus ac gloria, quanta fuerit, ex his quæ suprà scripsimus, facilè intelligi potest. Matthias, eius filius, in Transsyluania ad Colosuarum natus, & ad tyrocinij vsque tempus etiam immaturi educatus est. Hæc fortasse remotius, quàm res ipsa postulare videbatur, repetiisse existimamur, Scriptoris ambitum pleriq; damnabunt: verùm ne ab re quidem id fecimus, quando Matthias, antiqui sui generis haud inscius, nil molestius ferre videbatur, quàm si quis ex inuidis, obscuritatem sibi gentis obiecisset: aut barbara nobilitate tumens, citra propriæ virtutis merita se præferre studeret. Nō ignorabat aduersarios ignobilitatem sui generis improbasse: vulgò quoq; dicere, Valacha ipsum gēte oriundum. Nonnullos Hibridam appellasse, quem dissimilis linguæ parentes ediderint. Id in primis citerioris Vngariæ Proceres dicere, Valachū Regulū non esse ferendum. Fredericum quoq; Imperatorem iniquissimè pati, opulentissimum vsq; adeo Regnum ab adolescente & peregrino penè Rege possideri, & ne coronam redderet, ab infestis nonnullis Optimatibus quotidie admoneri. Quin etiā Alamanni suapte natura Vngaris infensi, ne Coruino sanguine Matthias ac pater,

† Hollos.

pater, quemadmodum gentilitia Corui insignia testabantur, natus esse videretur, autore Ciliæ olim Comite, fabulam haudquaquam insulsam cõmenti sunt: Sigismundum aiunt in Transsyluanis agentem, cum ingenua venustissimaque Valachi cuiusdam nobilis puella concubuisse, hanc tertio è se mense repetitam grauidam deprehendisse, donasse magnificè, ac symboli loco annulum reliquisse, mandasse, vt quicquid pareret, diligenter aleret, educaretq́;, educatumq́; ad se cum symbolo mitteret. Hãc deinde amplè dotatam, Valacho haudquaquam ignobili, mox detecto facinore nupsisse, qui ob dotis amplitudinem, & ingenui stupri gloriam, oblatam à puella conditionem minimè recusauit. Scitum & elegantem hinc puerum in tempore fuisse editum, quem mater Ioannem appellauit: quum infans in matris gremio iaceret, aduolasse coruum, & annulum symboli loco datum abstulisse: parentem ingenti dolore correptam, virum subitò exorasse, vt coruum insectaretur, & annulum recuperaret, ne pueri spes magna, inauspicatæ auis rapina perderetur. Virum tãdem confosso sagitta coruo, annulum continuò recepisse: Ioannem eximiæ deinde pulchritudinis adolescẽtem, materno iussu, ad Sigismundum venisse, & ostendisse annulum: recognitò Regem annulo prædiis ac villis eum amplè donasse. Quòd si vera hæc fabula fuisset, quis ambigat Sigismundum profusissimæ prodigalitatis Imperatorem, non solùm agro, sed Regno, quum virili prole careret, hunc esse donaturum? vetustatis cognitionem, qui talia confabulantur, liuor ademit, quando adolescentis imperium facilè tolerare non poterant. Nesciebant auita adhuc insignia coruum retinere, ne vetustissimi generis & Romanæ nobilitatis indicia deforent: non ficta, non vsurpata, non nuper excogitata hęc insignia fuere. Multa hæc eadem Imperatorum Romanorum numismata referunt. In Budensi agro ex ære & argento multa reperiuntur, quæ ex altera Imperatoris Constantini caput, ac nomen: ex altera parte, virum cum Conseruatoris inscriptione nudum referunt, qui frameam dextra tenet, læua verò hasta nititur, coruus est ante pedes, anulum rostro gerens, qui suo ramo desidit, stantemque virum non secus ac dominum respicit. Quare multi Constantinum Imperatorem, inter Coruinos non immeritò retulere. In vetustis quoque lapillis, geminas Coruinorum imagines, graui armatura munitas esse vidimus, & consimilem pro pedibus adstare coruum. Tot igitur Coruinæ domus monumenta in Vngaria reperta, sæpius admirati sumus: quin & Bornamissa, qui vrbano quæstori à rationibus seruiebat, numismata multa nobis ostendit, quæ coruum cum anulo respicientem referebant, & in Pannoniis ac Dacia reperta fuisse affirmabat. Hæc hactenus de Matthiæ Regis origine dicta sint. Nunc Regno potitus adolescens, à principio quæ bella gesserit, quum nunquam ocij compos fuerit, in proximum librum transferamus.

RERVM VNGARICARVM DECADIS TERTIÆ LIBER X.

AB INITIO Regni, tria Matthiæ Regi grauissima bella fortuna proposuit, vt non secus ac Hercules, ad maximos labores natus esse videretur. Quæ quidem non modò adolescentem, sed alterum Annibalem Alexandrúmve postulassent: alterum cum Romano, cum Turcico alterum Imperatore intercedebat, tertium cum Boemis, qui initis inter se societatibus, quas Fratrias appellabant, duce Giscra, vniuersam vlterioris Vngariæ plagam (veluti suprà diximus) latrociniis & populationibus assiduis sic infestam planè reddiderant, vt ne domi quidem, ne dum foris quisquam tutus esse posset, quin & suburbana Pesthi quotidie incursabant, diripiebantq́: fumum, Boemicaque præsidia, à Noua Buda prospectare licebat. Nam postquam Elisabetha Regina, Boemos cum Giscra & Telepho in Vngariam introduxerat, eam vsque adeo latrociniis, cędibus & incendiis fecerat obnoxiam, vt nulla or-

bis ora, ista miserior diei posset. Cum duobus igitur terrarum Imperatoribus bellum imminebat: quod quàm arduum ac formidolosum foret, pro se quisque facilè animo metiri poterat. Ex his alterum Turcæ ambitus, perpetui quidem hostis, & latè imperandi cupiditas redintegrabat. Quippe qui expugnato Pannone, se cæteras Christianæ Reipublicæ prouincias, facilè domiturum esse cõfidebat. Ne cladis quidem immẽsæ grauitatem, quam ad Albam olim Græcam à Ioanne Coruino acceperat, obliuioni tradiderat: immo quamuis nuncium de Matthiæ Regis declaratione tristis accepisset, ne Coruinijs iterum auspiciis ad internecionem cæderetur, instaurabat tamen audaciã, adolescentis huiusce inexperientia, ac rerum inscitia, quum per ætatem adhuc reformidari non deberet. Alterum Frederici Imperatoris ambitio, ac Nicolai Vilachi factio fecerat, qui quum ad regnum aspirare nequiuerit, Cæsaris quàm Coruini adolescentis imperium subire malebat. Hunc Graphnitzer, Paumkircher, Hilderbon, Paulus Banffi, Ladislaus Palezius, ac nõnulli alij citerioris Vngariæ principes sequebantur. Item Comes Sigismundus, cui de sancto Georgio cognomen erat, nobilissimo genere natus, opibus, agris, villis, oppidis, clientelis, cognationibusque præcellens: quum inter Vngaros & Australes hic Regulus dominatum haberet, Alamannorum factionibus adhæsit. Hi Cæsari suadebant, ne coronam redderet, pro se asseruaret, eiiceret è Regno puerum, ac latè demum in Vngaria imperaret. Promittuntur auxilia multa, commeatus, arma, opes, quibus excitatus Friderici animus, ad deturbandum Regno Matthiam, confestim incenditur. Præter tria hæc formidolosissima bella, quæ imminebant, exhaustũ accedebat ærarium, intestinæ discordiæ, factiones Principum, varia Vngarorum studia, & nutantes animi: quæ quidem omnia, non modò tenellum Regis animum, sed fortissimum profectò quenque virum consternassent. Quin & multi inter Matthiam & auunculum grauia discordiarum semina interserebant, vt variis adolescentis animus erroribus implicitus, in diuersa præceps ferretur, ac demum vltrò Regno cedere cogeretur. Rex igitur tot periculis difficultatibusque obsitus, haudquaquam animo consternatur, sed hæc cum auunculo Michaele communicat, qui Gubernatoris munus rectè gerebat: amicos paternos consulit, in primis Ioannem Varadiensem Episcopum, Ladislaum Canisam, Sebastianum Rosgonium, Emericum quæstorem, & Pancratium. De his tandem periculis grauissimisque rebus, ad Senatum retulit: quo inconsulto, nil agere decreuerat. Senatus censuit, quum triplex bellum immineret, ac nullum declinare posset, vt tres vno tempore imperatores crearentur, ac suam quisque prouinciam sortiretur, qui rem foris curent. Hi designantur, Magnus Simon, Sebastianus Rosgonius, Michaelq; Zillagius. Simon in Fredericum Cæsarem, qui sacram coronam à Legatis repetitam abnegarat; Sebastianus, in Bocmos; Michael, in Turcas expeditionem ritè sortitur. Creatis ducibus, delectus habetur. Vngari, tot periculis circumuenti, ne impunè ab hostibus obrui viderentur, certatim dedere nomina: legionibus supplemẽta decernuntur. Et quum exhaustum foret ærarium, Optimates & Pontifices pro virili quisque sua, turmas equitum & cohortes, sine publica stipe, mittere coacti sunt. Vix hæc quæ diximus, referente Rege, Senatus planè decreuerat, quum rumor effunditur, Nicolaum Vilachum, Paumkircherum, Helderbonem, Sigismundum, cæterosque Alamannicæ factionis sectatores à Rege ad Fredericum Imperatorem, vna ferè cum tota citeriore Vngaria defecisse. In vlteriore, Boemi quotidie grassabantur, & cædibus ac latrociniis ad Pesthum vsque reddiderant infestam. Turcarum incursiones reformidabantur indies. Primum ex Austria bellum erupit: Cæsar enim in spem potiundæ Pannoniæ tractus, suum Præfectum cum quinque milibus hominum, veluti sibi cum Nicolao cæterisq; suarum partium sectatoribus conuenerat, superiorẽ Pannoniam inuadere iubet. Sabarianũ, † is agrũ, ex mandato in primis adoritur, vicos diripit, multa per deditionem oppida cepit: parẽre Cæsari recusantes, populatur: multos captiuos trahit, plerosq; obstinatiùs agentes, cædibus, incendiis, rapinisq; mulctat. In conuentũ tandẽ, quem Castriferrei

† Zombathel.

ferrei comitatum appellant,progreditur,vt cum sociis pariter castra coniungat. Ex inferiore Pannonia, ex composito Nicolaus,cum tribus milibus equitũ occurrit: ex quibus mille cataphracti, expediti cæteri fuere: item quatuor peditum cohortes adduxit,cum copiis quisq; suis alij coniurati extemplo conuenerant. Matthias autem hoc tumultu haudquaquã consternatus, Magnum Simonem ab vrbe cum exercitu in hostes properare iubet. Ex belli magnitudine animum non deiicit, sed exauget, ratus se aduersus Romanum Imperatorem tutò pugnare posse: quandoquidem si superarit, magna sibi gloria, si succubuerit, nulla adolescenti turpitudo futura est. Quare tot bellis circumuentus, nequaquam animum remittit, immo maiorem ex amplissima bellorum materia spem immortalitatis concipit. Addebant animum optimi Proceres,& amici paterno bello exercitati, peritissimi disciplinæ bellicæ,& domi forisq; prudentes & magnanimi. Simon aduersus hostes castra mouet, quacunque per eorum agros & oppida,qui defecerant,iter facit,passim cuncta diripit ac vastat. In reos perfidiæ sæuit,multos vicos incendit: ad Kermend tandem oppidum peruenit, quod in conuentu Castri ferrei situm est,vbi hostes castrametatos fuisse audiuerat. Forti mox animo è conspectu castra posuit,& è prospectu,inimicorum vires emensus,indoluit,quòd tam citò properasset,se numero ac viribus,illis inferiorẽ esse sensit: & præproperæ festinationis repentè pertæsus, quid potius ageret, haud facilè succurrebat: pugnam sine fœda fuga declinare non licebat, & capessere sine clade non poterat. neque illud etiam latebat, audacibus sæpissime fauere fortunam. Spectatum sibi militum robur, ne pugnam detrectaret, hortabatur: demum in certamen descendere,quam terga vertere maluit. Quum hostẽ iam exercitum in aciem educere prospexisset,ipse quoque aciem instruit: & collatis vtrinque signis,pugna conseritur. Nicolaus dextrum,sinistrum Sigismundus cornu tenuit,in medio Alamannorum acies constituta certabat. Magno vtrinque impetu concurrêre. Nicolaum rei bellicæ peritissimum fortissimumq; ducem, maxima pugnandi libido ac furor incesserat: veritum, si Regio exercitui cesserit,multa se mala mansurum: si vicerit,adhuc pro Rege dominaturum. Ne minor quidem metus Cæsareos inuaserat, qui perpetuam Cæsareæ Maiestati notam inustum iri reputabant, si qua fati iniquitate succubuissent: magnitudo virium animos augebat. Contrà Simon,fortunæ tantùm fidere Vngaros,& prę-sertim veteranos in acie hortari, vt strenuè dimicarent, ne qua clarum nomen turpitudine inficerent: trepidos ac fugientes reuocare in ordinem, succurrere laborantibus, confirmare nutantes, nullum boni militis ac ducis officium prætermittere: at illi nihilo segnius cuncta agere. in sinistro cornu, à Nicolao Rosgone primùm inclinati. Quod vbi Alamanni conspexere, cum prætorianis cohortibus,& cataphractorum equitatu, tantum in medio impetum fecere, vt Simonis aciem retrò flecterent, quæ militum defectu, nullis subsidiis obfirmari poterat. Quum hactenus in prælio multi vtrinque cecidissent,Simon desperatis rebus,vt fuga saluti consuleret,mox terga vertit, omnesq; dato signo secum fugam rapere iubet: à tergo munitissimum relinquit equitatum, qui persequentium impetum remorarentur. Sigismundus ac Nicolaus,continuò receptui canere iubent,ne Alamannos in patrium sanguinem sæuire paterentur,quãdo victoriæ, nõ crudelitatis gratia dimicabant: nonnullos,spectatis quorundam Vngarorum cadaueribus,pœnitentia & dolor simul incesserat, lachrymas emisere plerique,& multi inter certandum, quum Vngaros ab Alamannis trucidari cõspicerent,pertæsi discordiarum ciuilium, remissiùs dimicare cœperant. Simon fusus fugatusque ad Matthiam rediit. Cæsarei, insolenti victoria elati, in Austriam solutis castris rediere. Quum Regij milites, primo bello, Simonis ductu & auspiciis,parũ prosperè pugnassent,tanta verecundia & dolore correpti sunt, vt se à Rege decimari postularent. Hos ille,vultu haudquaquam tristi,sed hilari iucundoq; excepit,talibus cõsolatus, optima futuræ victoriæ hæc auspicia. sse,felicis esse Principis,fortunam à principio iniquam sortiri, eam incõstantem esse,ac variam: si principia fausta tulerit,finẽ deinde amarissimum præbituram:

ſi ab initio infeſta fuerit, fœlicem exitum, ob inconſtantiam, proculdubio allaturam. Alexandrum in perpetuo victoriarũ ſucceſſu, deos ſemper oraſſe, vt aduerſi aliquid interiicerent, ne exacto tenore felicitatis, imminenti miſeriarum mole premi cogeretur. Polycratem à principio diu feliciſſimum, exitum tãdem miſerrimũ habuiſſe. Proinde orare omnes bono eſſe animo, nihil è priſtina fortitudine & audacia ex hac fuga remittere: quando neque numero ac viribus ipſi hoſtibus fuerant inferiores. Id demum in poſterum enitendum, vt clara hanc notam victoria abolere ſtudeãt. Rex igitur haudquaquam animo conſternatus, auxilium ab arte quærit, conſpirationem hanc intelligit diſſolui oportere: funem (vt aiunt) ex compluribus funiculis contortum, niſi diſſoluatur, non facilè abrumpi 10 poſſe. Ad potiores conſpirationis auctores, ac in primis ad Sigiſmundũ & Nicolaum oratores mittit, qui vtrunque ab inceptis auocent, ſuadeantq́ꝫ, Rempublicam inteſtina diſſenſione diu labefactatam, non vltrà vexãdam, e ſuperioribus malis futura coniiciant: honeſtius congẽtili ac legitimo Regi, quàm peregrino factioſoq́ꝫ parẽdum. Item domi ampliſſima quæque munera, latiores dominatus, & commune cum Matthia Imperium polliceãtur: ſe Regalem præter titulum à Republica traditum, nil ſibi reſeruaturum. Demum admoneant, vt impoſterum perfidiæ paricidiiq́ꝫ notam, & vniuerſæ Vngariæ inuidiam, euitent. Aſſiduis huiuſcemodi legationibus ſollicitati, tandem ambo vincuntur, ad Regiamq́ꝫ fidem redeunt. Superiore nanque bello experti, quàm calamitoſæ rei- 20 publicæ inteſtinæ diſcordiæ forent, quamuis noui Regis & adoleſcentis imperium ægrè ferrent, tamen id potius cum vtilitate ac dignitatis acceſſione tolerandum, quàm Vngariam in Cæſaris ſeruitutem aſſerendam eſſe cenſuere: quibus deinde, quum vellent eam redimere, haudquaquam foret integrum. Ad conditiones deinde pacis peruentum eſt. Nicolaum Matthiæ competitorem, genere opibuſque pollentem, vt à Rege deficeret, ambitio impulit: Sigiſmundum Auſtriæ vicinitas, qua à Cæſarea volũtate non ſine periculo diſſentire poſſe videbatur. Sed quum multo plus periculi ab Vngaris quàm Auſtralibus immineret, redactus in anguſtias, Vngaricam tandem ſalutem tueri, quàm Cæſaream ambitionem fouere maluit. Matthias ab ineunte ætate callidũ verſutum- 30 que ingenium ſortitus, habendam vtriuſque rationem cenſuit: Nicolai ambitum, promiſſa Boſſonienſis Regni corona expleuit: Sigiſmundum præfectura ſuperioris Pannoniæ ſibi conciliauit: Ioanni verò fratri prouinciam Trãſſyluaniæ cum Imperio promiſit. Ablatis duobus ex Imperatoria factione Principibus, qui viribus, conſilio & auctoritate præpollebant, ne parum quidem deinde Imperatoris partes eneruatæ ſunt. In eum ſtatim exercitus reparatur, ne Regnum, cuius nullum illi ius erat, impunè inuaſiſſe videretur. Contrà Cæſar, qui è ſuperiore victoria iam animũ adauxerat, quamuis horum reſipiſcentiam iniquè tolerarct, fortunam tamen à principio ſuis cœptis arridentem proſequitur: nouas in tempore copias inſtaurat, cogit auxilia, factionis auctores promiſſis o- 40 nerat, & aduerſus Regem iterum, vt arma ſumant, hortatur: quod illi multo remiſſius facere viſi ſunt: deferbuerat enim ille furor, & conſcientia ſua correpti, ad ſociorum, qui ad fidem Regiam paulò antè redierant, exemplum, animos intendebant: tandem à Frederico vexati, ſocia iterum caſtra coniũxere. Matthias Sigiſmundum, cui legiones duas, & ſupplementa dederat, cum Simone collega aduerſus hoſtem ire iubet: accepto is exercitu, forti animo contrà proficiſcitur: cùm Cæſareis in ſuperiore Pãnonia occurriſſet, prælium nequaquam detrectãdum eſſe duxit, ſed cum collega, haud mora, dimicandi conſilium init. Nunquã Reges (inquit) Simon ſine aliqua ſeceſſione creari queunt. nam quum variæ ſint hominum mentes, & diuerſa ſtudia, nunquam vno conſenſu res, quæ tanti 50 momenti eſt, decerni poteſt. Poſt diſſenſionem experientia duce, quæ rerum magiſtra eſt, reſipiſcunt homines, & deprauata ſua iudicia recognoſcunt: ingenuè fateor, me à Rege defeciſſe, quando violenta Regis fuere comitia, in quibus ſuffragiorum fuit adempta libertas: & ſubire nondũ coronati adoleſcentis imperium, vix mihi ſuadere poteram, ex vſu Reipublicæ fore: neque præcocem

Regi ſa

Regi sapientiam inesse credebam. Tu quoque, qui iussu Regis in nos castra mouisti, infeliciterq; pugnasti, aliqua te nota infectum non diffiteris. Nunc, mi Simon, tempus adest, quo sitam vterque notam abolere potest: ego fideliter, & tu cautius pugnando, vtranque nunc (quæso) turpitudinem exuamus. Exploratores dudum hostes propius adesse retulerunt, si idem quod sentio, tibi visum erit, cras ante lucem, instructa acie, in Cæsareos (oro) prodeamus: audacia quandoque deterrêdus est hostis: & præsertim Alamannus, qui suapte natura superbus, si quem in hoste metum intelligit, tantam hinc insolentiam concipit, vt obstare nemo possit: si absterreatur, audacia sic animo decidit, vt facile suscitari 10 nequeat. Proinde conuocatis centurionibus & Præfectis, consilia communicemus, admoneamusque, vt antequam illucescat, arma parēt, & hostes dato signo adoriantur. Simon Sigismundi consilium non improbat, quippe quod fortis & astuti ducis erat: cum tribunis militum, centurionibus & præfectis, id ipsum decernunt. ex composito nondum illucescente die, Cæsareos adoriūtur: illi quum ex improuiso Pannones adesse vident, haud parū animo consternantur. Quamuis carrorum circumseptu se pro vallo muniuerant, hostis tamē impetum haud facile excipiebant: elato vtrinque tumultu, ingentique clamore, tanta confusio in castris oboritur, vt dum alij castra tuerentur, vix alij tumultuariam aciem instruerent. Mox quum extra prodiissent, ab Vngaris continuò profligantur: cæ 20 teri quum insultantium agmen tolerare non possent, ab auersa castrorum parte relictis impedimentis, terga vertêre. Instat cum equitatu à tergo Simon, & multos in fuga cædit. Sigismundus castris potitus, signa receptui canere iubet, laudatoque milite, ad Regem ouans exercitum reducit. Rex igitur, qui duplicem in Fredericum expeditionem per Legatos iam susceperat, in priore victus, in altera victoriam assequutus est. Imperator quum profligatum à Sigismundo exercitum accepisset, vehementer indoluit, diffusoque rubore, huiusce belli subinde pœnituit. Cæsarem ab adolescente superari, turpissimum esse reputauit, & regni spe decidit, & mitiora in posterum consilia iniuit. Illegitimæ ambitionis pœnitentia correptus, in proprii decori cogitationem recidit: & qui paulò antè 30 de sollicitando alieno regno cogitauit, dum longiùs futura prospicere nititur, Imperio deinde suo timere cœpit. Sed vtinam veluti futura prouidit, sic commoda, vti res ipsa postulabat, consilia subiecisset. E diuerso Matthias de repetendo pertinacius corona sacra cogitat. Legatos alios è Senatus consulto decreuit, qui longè maiore quàm antea humanitate, debitum sibi diadema repeterēt: nullum insolentiæ indicium ederent, quod in Coruina maiestate nunquam deprehensum est. Præterea de pace agerent, eumque hortarentur, et exorarent, vt loco filii Matthiam haberet, patrocinium (vt par erat) Vngarorum acciperet, & inter Vngarum & Alamannum nullū vtrinq; discrimen ageretur. Legationis princeps, Varadiensis Antistes erat. Hi quum ad Australem Neapolim Cęsarem 40 conuenissent, Regia ritè mandata exposuerūt: mitiorem quàm antea Principem inuenere, & quum Antistes illum magis exorabilem nactus esset, sapienti & ornata dicendi copia, eò rem adduxit, vt redditurum se coronā ingenuè polliceretur, & Matthiam loco filij habiturū, percussurum quoque perpetuum cum Pannone fœdus, dummodo id æquis vtrinque conditionibus offerretur. Pro corona, quam apud se depositam esse non inficiebatur, multa præter æquum & fas mala se tolerasse fatebatur, obsidionem hinc Neapolitanam, varias calamitosasque incursiones, agri vastationem, rapinas pagorum, & incendia se fuisse perpessum, aiebat: quintiā insanos pro Ladislao fecisse sumptus: quarum quidem omniū rerum haud immeritò rationem haberi oportere, asseuerabat. post 50 hæc affirmare, se intellecto Matthiæ Regis animo, qui pacem postulat, & à salubri ocio non dissentit, nihil in Vngariam vltrà moliturum: & præsertim si veteres amicos, & assertores sui nominis, quos habet in Vngaria, à Rege senserit bene tractari, & factiones ac simultates extingui. Ad hæc Legati, regiò nomine asseueranter spondent, Matthiam data pace, redditaq; corona, omnium immemorē iniuriarū fore, & multo melius Cæsareos, quàm Coruinos imposterū ho-

mines tractaturum. Eo demum pacto Legati à Cæsare dimittuntur, vt de rependendis sumptibus, redimendaque corona, cum Rege agerent: rem haud immaturè tractarent, de conditionibus vltrò citroque decernerent, & Cæsari referrent. Interim inuiolabiles, ac sacrosanctæ induciæ forent. Legati Budam reuersi, Regem offendunt Boemico bello occupatum: Sebastianum enim Rosgonium, ad purgandam latrociniis vlteriorem Vngariam, quibus Boemi, ab Elisabetha primùm duce Giscra introducti, fecerant obnoxiam, cum duabus legionibus Danubiũ traiicere iusserat. Quin & Ladislaum Hederuarium, Agriensem Episcopum, in eos arma sumere coegerat. Auditis Oratoribus, & intellecto morbo Cæsaris, quem auaricia nimium laborare senserat, non parua lætitia, 10 & animi magnitudine affectus est. Quippe qui ex tribus bellis, primum & grauissimum, expleta Cæsaris auaritia extinctum iri sperat: reliqua prosperè se gesturum esse confidit. Responsa Cæsaris ad Senatum retulit: ex quibus Patres, ne minorem quidem lætitiam concepere, de conditionibus pacis & redimenda corona ocyus agendum esse censuerunt: vnam tantùm in ea re difficultatem esse sentiebãt, eamque haudquaquam perdifficilem: multa pecunia opus esse, quam etiam, si res ipsa tulerit, vndique corradendam esse decreuerant. Res multo minoris à Matthia quàm Senatu fiebat, quando è collata etiam stipe sacram coronam Vngaros vltrò redempturos esse nouerat. Interea Michael, Regis auunculus, inferioris Vngariæ fines, aduersus Turcas latè tuebatur: & de initis cum Im 20 peratore induciis, certior factus, grauissima sollicitudine animi leuatus est. Sub iisdem ferè temporibus, regales nuptiæ celebratæ: quum post mortem prioris sponsæ, de qua suprà diximus, filiæ Georgij Regis Boemiæ, iam nuptiæ instarẽt, quam, antequam emitteretur è carcere, desponsarat. Hanc magnifico duxit apparatu, miroq; amore dilexit. Boemi hanc proceres, Tricinium vsq; duxerunt, hinc Regali pompa Pontifices & Optimates Vngarici accepere, Budamque duxere, vbi nuptiarum solennitas celebrata. Catharinæ huic nomẽ fuit. Vix quartum cum Rege annum clausit, & ante coronationem, immatura morte surrepta, in diuique Sigismundi æde sepulta. Boemicum igitur bellum instabat, quo miserè Vngaria vexabatur. Huiusce mali Elisabetham, Ladislai Regis matrem, 30 causam fuisse ferunt. Hęc prima Giscram ac Telephum introduxerat, quos Cassiouiæ, Zolio, multis quoque oppidis, in vlteriore Vngaria sanè præfecerat. Successere deinde fraternæ Boemorum societates, quæ varia circùm castella temporanea erexerant, impositisque præsidiis hinc discurrentes, cuncta longè lateque vastabant: latrociniis victum quærebant, cædibus, rapinis ac incendiis, omnia fœdabant. Annos circiter octo & viginti pestis ista in vlteriore Vngaria debacchatur, vniuersam regionem ad Pesthum vsque latrociniis infestam facinorosa multitudo planè reddiderat. Ioannem Coruinũ bis ibi fusum fugatumque fuisse scripsimus. Nemo tanti fuit, qui funestam gentem extirpare, & hac Regnum labe, præter Matthiam, purgare potuisset. Bellum atrox arduumq; fu- 40 it, & quod vix annis quinque absolui quiuerit. Præter eos, quos diximus, facinorosæ multitudinis duo alij principes erant, qui præfecturæ munus gerebant, alter Komorozkius, Valgatha alter dictus est. In horum manu Souarum, Sechum, Cassiouia, Zolium, Bistricia, Scepusium, multa quoque alia oppida fuerant: item castella duo, Comorozkius & Valgatha, in montibus temporario opere nuper erexerant, vnde longè lateque tutiora latrocinia exercerent. Nondum primus Regni annus exactus erat, quum Rex composito ferè cum Cæsare bello, expeditionem Boemicam iniuit. Sebastianus Rosgonius, cui belli huiusce summa data fuerat, traiecto (vt dictum est) Danubio, Agriam versus, castra mouit: vt se cum Ladislao, Agriensi tunc Antistite, coniungeret. Agriam celer- 50 rimè peruenit, vt antequam Boemi illa duo castella, quæ in montibus nuper erexerant, munitionibus ac milite obfirmarent, quàm primùm demoliretur: vni Galgozio, alteri castello Vadnæ nomen ab his nuper erat inditum. Sebastianus in primis Vadnam, in edito monte sitam adoritur, quam nondum absoluerant, fraternum exercitum in campo dimiserat, vt desilientes ex præsidiis Boemos inhibe-

inhiberet,ne quò confugerent.Primo insultu, Boemos cum ducibus ambobus offendit,qui extrà discumbebant. Valgatha elato tumultu cum non parua manu,Vadnam insiluit,vt eam aduersus Vngarorum impetum tueretur.Sed quum Sebastianum tanto impetu oppugnantem è propugnaculo despectasset, vt nullo modo protegi posset,defecto statim animo,auersa ex parte desiliit, & in Galgozium effugit. Quum Rosgonius Vadnam nihilo segnius oppugnare contenderet,tertia qua cœperat hora, cæsis tantùm septem ex hostibus, castello montano potitur, reliquos captos ad Regem misit. Mox pari furore ad Galgozium properatur,quo Comorozkius cum Valgatha paulò antè confugerāt. Hi quum
10 Vadnæ expugnatione consternati forent,desperato Galgozij præsidio,non expectato hoste sese inde deripiunt, vt ad Sechum se reciperent,quod non procul ab Agria remotum est.Sed quum ad plana descendissent, à Ladislao Episcopo, copiisq; Regiis inhibiti, quas Sebastianus ad radices montium latè diffuderat, vt diffugientes occluderent,Sechum intrare nequiuerunt.Quod vbi prospexere, vtrique duces cum septingentis ferè Boemis, in proximas profusam fugam syluas continuò rapuere: instat à tergo cum expeditissimo Episcopus equitatu, & in syluis multos cædit: imminente iam nocte,immissisq; multis equitibus,qui eos assiduè insectarentur, & disquirerent, is in castra rediit. Qui eos sequebantur,in sequenti die, ingentem rusticorum manum in eos excitarunt,quare cæ-
20 des ingens continuata. Hi ne longiùs vagarentur, tertio die cum ducentis & quinquaginta captiuis,in castra rediere.Rustici infensam ac execrabilem Boemorum multitudinem,octo circiter dies,sine intermissione sequūtur, cædemq; continuant. Per nemora,saltus & pagos,vbicunq; deprehendunt,sine vlla com miseratione trucidant. Demum ad internecionem omnes cæsi, præter ducentos & quinquaginta captiuos,cum duce Valgatha, qui in syluis captus est:quos Sebastianus omnes ad Regem misit. Quare è septingentis, præter alterum ducem,nemo superfuit.Hoc prælium, quod in Boemos primum fuit,circiter diui Georgij ferias gestum. Sebastiani victoria vsque adeo populis omnibus grata fuit, vt ad liberandam cæteram regionem, tot annos Boemorum latrociniis
30 obnoxiam, multi gratuitò militarent: quinetiam ita cunctorum studia succendit,vt è rustica multitudine, hominum circiter quinque milia, vltrò arma sumpserint, crucisq; tesseram altero humero subsutam gestarint, vt ad sacram alios expeditionem incenderent. Hi ad Sebastianum & Magiar Blasium conuenere, tertio ante Pentecosten die, castellum Myslie,quod ad templum diuæ Virginis illi quondam exædificarant,magnoq; præsidio munierant, mira celeritate circumueniunt (id à Cassiouia tribus milibus passuum remotum est)tanto impetu oppugnare cœperunt,vt pugnam nunquam intermiserint,donec præsidium expugnarint.Quadringenti,qui intus erant, ad vnum omnes trucidati, vna tantùm muliercula superfuit, cui ratio sexus ignouit. Haudquaquam in tanto
40 successu & animorum ardore,Sebastianus & Ladislaus frater, cū Magiaro Blasio, cessandum esse censuere.circiter Pentecosten, Galzech Boemorum præsidium adoriuntur,& vi capiunt. Mox in Telephum & Axamithum insignes latronum principes castra mouent, qui Saros Pathak, & varia castella tenebant: cum vtroque ad Saros prælium conserunt. Sed quum Boemorum duo tantùm milia Telephum sequerentur, tantæ multitudinis impetum perferre nequiuere. non est diu pugnatum, quamuis sæuitia pugnæ truculenta fuit, sexcenti ex his quàm primùm cæsi,capti verò ducenti.Quum cæteri terga dedissent,in hos rustici sæuiere. Ad postremum,è duobus Boemorum milibus vix ducētos euasisse memorant. Axamithus in acie interfectus est.Cum quatuordecim tantùm
50 equitibus, Telephum fugam rapuisse ferunt. Victoria, Rosgonius, & populorum studia, Boemicum bellum continuare iubent: quamuis id ipsum etiam quotidiana Matthiæ diplomata imperarent. Fugientem Telephum Ladislaus insequitur,qui ad Saron se receperat, oppidum quidem in arduo monte situm, & non modò natura loci, sed arte quoque munitissimum. Dum hunc insequitur,Iason Boemorū præsidium,ad templum quoddam ædificatum,obsidet, vbi

Vderczkium,vnum è principibus facinorosæ gentis esse senserat. Vderczkius nocte clàm elapsus,ad aliud præsidium,quod in Poloniæ finibus erexerat,effugit, quod Breznicze nominabant. Iason, Ladislaus in sequenti die per deditionem accepit.Quanquam Vderczkij fuga,ad obsidendũ Breznicze ipsum hortaretur,Saros tamẽ vbi Telephus erat,remoratur. Quod quũ obsedisset,paucis pòst diebus facta deditione recepit. Mox Vderczkium repetit,quem quum ad Nouum castrum, in finibus Poloniæ situm, confugisse per exploratores planè nouisset,imminente hieme in Vngariam ad Regem ouans reuertitur. Ea æstate, hæc omnia quæ diximus,in Boemos feliciter gesta sunt.Quod quidem bellum,posthac vix annis quatuor transigi potuit. Sub eodem ferè tempore,inuidorum opera arteque, Michael Zilagius in Regis inuidiã vsque adeo ducitur, vt de auunculi morte, de se optimè meriti, cogitarit. Simultatis causam nemo sat exploratam habuit.Nonnulli,probum virum, summa integritate præditum, & ab omni denique ambitione alienum,affectatæ tyrannidis insimulant:quam si affectasset, oblatum in comitiis regalibus Regnum à multis Optimatibus accepisset, neque pro nepote tantopere laborasset. Qui verò æquiùs iudicare visi sunt,ob inuidiosum gubernationis munus & autoritatem, maximam cõflatam in hunc inuidiam ab aduersariis,eiusque seueram aduersus Regem censuram, huiusce mali causam fuisse,prodidere.Haud secus atque pater, profusam Matthiæ adolescentiam liberiùs castigabat:corripiebat clàm tetricis quandoq; verbis, ne ætatis vitio in grauem intemperantiam prolaberetur. Qui autem Regis gratiam voluptatum lenociniis inire nitebantur, & quicunque Michaelis aut potentiam reformidarant,aut inuiderant dignitati, vtrique certatim in nepotis odium adducere studuere:alteri,ne dissimilem sui regem haberent:alteri,vt inuisi hominis auctoritatem attenuarent, & insitatam in comitiis audaciam vlciscerentur. Quod vt facilè assequerentur,variis apud Regem criminibus eum afficiebant:accusabant anhelatæ tyrannidis,suspiciones varias suscitabant,& liberas illius increpationes, seueramque censuram,in malam vtique partem interpretabantur: accedebat elatus Regis animus, qui senis imperium & admonitionem haud facilè tolerabat. Atqui memini Matthiam, Viennæ paulò ante mortem, sæpe dixisse, Se in administrando Regno, nunquam alieno consilio esse vsum:quinetiam à sui Regni principio, vix vnius anni, Gubernatoris moderationem & cõsilium tolerare potuisse. Quare factum est,vt tanto magis delatorũ criminibus foret obnoxius. Eò igitur maledici rem adduxere,vt ad coniiciendum in vincula Michaelem, Regem sanè perpulerint: rati quoque, exin ad mortem adducturos. Rex malè persuasus, auunculum, grauissimi colloquij gratia, ad Tibiscum amnem festinare iubet, se illic propediem adfuturum esse significans.Is nepotis chirographo admonitus, cum expeditissimo festinauit equitatu, neque non veritus, nequa maleuoli suspicione Regis animum deprauassent, quorum iniquam in se mentem esse intellexerat: verùm ius sanguinis, vis paternæ charitatis, & immortalis beneficij magnitudo, omnium mentem suspicione abalienabat. Quum vtrique ex composito ad colloquium cõuenissent,Michaelem in proximo Tibisci pago,à validissimo equitatu circumuentũ, repentè capi iubet,& in vincula coniici. Vix hæc dixerat, quum à prætoriana cohorte ex insperato capitur.Non parum nepotis facinus,ac rei insolentiam admiratus:quin etiam aliqui,non probè sentientes,exposcente Rege manicas & pedicas,auunculum respondisse ferunt, In meo curru disquirite, quas Regi comparaui,vt si quid improborum criminibus impulsus,in auũculum auderet, tales Gubernatori pœnas daret.Ex his verbis,falsò aliqui virum illum integerrimum calumniis affectatæ tyrannidis afficiunt. Contrà qui adfuere, Quid hæc rei insolentia,Matthia,sibi vult, protinus exclamasse dicunt:hem, hæc pro dato Regno merita auunculo rependũtur?hæc gratia cumulata refertur?Num hæc Michaelis fides & charitas promeretur?qui pientissimi te loco parentis, ad vltimum cum ipsa domo redactum interitum,è carcere eductum, ad Regni fastigium euexit.Huc te improborum cõsilia & delationes adduxere,vt Regnum ab inauditæ

ditæ ingratitudinis infamia auspicareris? O infausta Regni auspicia, ô inauditam nepotis impietatem, ô insignem ingratitudinem, gentium vbiq; prædicandam. Si hostis tuis fueris, quem alienum tibi fidum inueneris? Non me propria calamitas, & illata præter æquum & fas turpitudo, sed grauis tui nominis expectationisq; iactura vehementer angit: satis vixi, satque laudis domi forisque mihi comparaui: ego nihil mihi timeo, conscientia rerum bene gestarum, me bene sperare iubet. Sed quæ te ex hoc facinore supplicia manēt? quæ tibi numinibus læsæ pietatis vltoribus, expendenda sunt? Hæc ipsa me sanè deterrēt. Talia occlamitantem Rex vltrà tolerare non potuit, imperauit in vincula cōiici, & mox

10 ipse terga vertit. Circumstabant illi, qui obstruendas auunculi dictis aures esse suaderent, asserentes iure captum, aliud nunc dicere in Regem, aliud esse molitum: verba cum rebus haudquaquam consentire, nepoti semper durum morosumq; fuisse, nullâve lenitate vsum, sed dicta factaq; pariter improbasse: & vt sibi cunctarum rerum laudem compararet, hâc in gubernando artem vsurpasse. Duos Vngariam Reges, paribus auspiciis imperantes nunquam habuisse: Marthiam Regno satis esse, & ea quidem sapientia, vt neque turore, neque curatore indigeat: qui his ex lege dari solent, qui rationis impotes & concilij reputantur. His igitur animum adolescentis sic incendunt, vt colloquium Regis efflagitanti, obstinatiùs abnegaretur. In sequenti die Michael iussu Regis vinctus, ad Vi-

20 lagosuarum, quod Lucidum castellum interpretantur, Turcis quoque finitimum, non sine cohortis prætorianæ custodia ducitur. Committitur duobus castelli præfectis, qui ob Turcarum metum, cum valido id præsidio tenebant. Horum alteri Gregorio Labathlano, Georgio Dachio, alteri nomē erat. Commissum sibi virum in carcerem coniiciunt, custodes præficiunt, omnes euadendi modos inhibent. Cæterùm pro viri dignitate bene tractant. Exoranti vt veterem fidumq; coquum, domini gulam probè callētem, sibi seruire permitterent, concessere. Interim Michaelis inimici, haudquaquā vltrà cessandum rati, multa apud Regem in eius mortem moliuntur, & tot miserum criminibus onerant, vt nepotem ad indicendam auunculo necem impellerēt. Vincitur tandem ini-

30 quis persuasionibus tenellus adolescentis animus, & pro inuidorum libidine, præfectis custodiæ Regio diplomate mandatur, vt extremo supplicio Michaelem afficiant. Id inscio Rege sub adulterinis plerique literis factum existimant, qui rei veritatem diligentiùs explorarunt. Gregorius & Georgius hunc capite mulctare iussi, ne præcipiti quidem consilio, in re tanti momenti, vtendum esse censuere: id improborum scelere, ac inscio Rege factum esse rati, consilia inter se conferunt: alterumque ex ipsis, ad explorandam Regis voluntatem, omnino mittere decernunt: & de Michaele supplicium sumere non deliberant, quousque ex ipso Regis ore imperiosum mandatum explorator non acceperit: in regium sanguinem nequaquam temere, neque vno, nisi altero ac tertio, eodemq;

40 capitis ac rerum supplicium interminante, edicto, sæuiendum esse arbitrantur. Gregorius ad explorandum Regis animum proficiscitur. Interea coquus, astus ac fidei iuxta compos, cum tribus conseruis, pari fide præditis, liberandi domini consilium init: improuisum, ad rem perficiendam, Turcarum incursum comminiscitur: ex arce Turcas adesse clamitans, prę̨sidiariam cohortem, adhibitosque custodes, omnes arma sumere iubet, se quoque in arma furere simulat: credula è castello multitudo prodit, nouissimus cum tribus conseruis, iste subsequi fingens, mox egressis, à tergo portam obstruit, & quibusdam cæsis, qui in arce remanserant, fracto carcere Michaelem educit, in pristinam libertatem asserit, castellique dominum statuit: ad falsum quicunque tumultum prodierāt, quum

50 nihil vidissent, subinde reuersi, occupatum à Michaele castellum, & occlusam sibi portam comperiunt: quum vi recipere niterentur, illicò reiecti abiere. Michael igitur, salute simul & arce ex insperato potitus, rustica manu sibi deditissima, commeatibusque oppidum compleuit. Mox accitis amicis ac suis legionibus, imposito prę̨sidio obfirmauit. Memorabili nimirum moderatione posthac vsum ferunt, quippe qui recuperata salute viribusq; suis, non ad vlciscendas ne-

potis inimicorumque iniurias, sed ad vindicandas à Turcarum incursu inferioris Vngariæ oras animum intendit: in posterum se curia abstinêdum esse censuit. Ad Regem mox nuncium salutis suæ misit, Se plus coco quàm nepoti debere significans: quando alter iniquè in carcerem coniecisset, coniectum fide liberasset alter: & hic ingratitudinis, fidelitatis ille, perpetuum sibi nomen comparasset. Ne paruo quidem hinc Matthias rubore suffusus esse dicitur: nec aliquod doloris indicium edidit. Sæuitiam aliena culpa patratam recognouit, & faciles maledicentibus aures haudquaquam adhibendas, hinc primum didicit. Rescripsit ad auunculum, liberationem suam, quæ propediem instabat, fuisse gratissimam: atque id duntaxat tristitiæ attulisse, quòd non ingenuè fatetur, eocum liberationis auctorem, pietatis & resipiscentiæ sibi laudem præripuisse. Id nonnullorum scelere factum esse, non inficiatur, quorum libidine se Regni initium, ætatis vitium, auctoritasque Regia nôdum obfirmata, fecerat obnoxium: se nihil in eum cogitasse affirmabat, quod præter beneficij magnitudinem, & sanctitatem cognationis esse videretur. Quinetiam haud parum auctoritatis ex hac re sibi comparasse fassus est, quum improbi plerique Proceres hinc Maiestatem regiam契 uereri & timere dudum occœperint. Eum igitur bono animo esse iussit, & futuram propediem honestissimam reconciliationem nunciauit. Sunt qui ferant, id ex industria à Matthia factum, vt debitam suæ Maiestati reuerentiam, & optimatum metum, ab auunculo primum auspicaretur. Sed de his hactenus. In sequenti anno, quum Boemicum in visceribus Vngariæ bellum, & necessaria Michaelis recôciliatio superesset, Sebastianus primo tempore Rosgonius, iussu Regis, in Boemos castra mouet: ipse propediê, vt se auunculo reconciliaret, ad Tibiscum amnem profecturus erat, quamuis regni negocia cunctationis aliquid interiicerent. Boemi ligneum in monte castelliû fecerunt, quod Patha nominarant, non modò loci natura, sed arte ac pręsidij robore magnitudineque munitum. Id in primis pręfectus Regis adoritur, obsidetque: primo die quum se ad expugnandum accingeret, intercedens pluuia prælium diremit: secundo pugnam instaurat, completa fossa vallum aggreditur, militem quenque fortissimum lignea mœnia subire iubet. Contrà illi, quum se acriter oppugnari cernerent, subeuntes deturbant, admotas muro scalas reiiciunt: in hos saxa deuoluunt, alios discusso securi capite diruunt. Ipsi quoque sagittis, lanceis, sulphureisque missilibus petiti, haud impunè sæuiunt. Multi vtrinque eo die cæsi, saucii verò multo plures. Quum irritos sibi conatus Rosgonius fore existimaret, ne frustra tempus tereret, ad Regê venire decreuit: haud ignarus, hoc bellum Regias quoque vires addecere. Audit, ad Tibiscum amnem, reconciliationis gratia, illum iter facere. Quare extemplo sequutus, in citeriori Tibisci ripa, ad Vatkon, Regem adhibet: in vlteriore, ad Thizauarsan, Michael erat auunculus: dies ibi aliquot acti sunt, colloquium in Tibisci ripa celebratû: pauci vtrinque arbitri adfuere. Multæ à principio vltrò citroque intercessere incusationes & querelę, multę vtrinque purgationes interiectæ. Ad postremum, postulata & concessa mutuò venia, pacati animi, & admotis deinde Pontificibus, Præfectis legionum & Proceribus, reconciliatio non sine lachrimis ac icti perpetui fœderis solennitate transacta. Post hæc, Michael Zilagius, Regem, Agriam vsque sequutus, vt frequens ibi de imminentibus bellis, & distribuendis expeditionibus, consultus haberetur. Hic Michael, recuperata dignitate pristina, inferioris Vngariæ prouinciam cum imperio sortitur, vt aduersus Turcarum incursiones, eam solita diligentia & fortitudine tueatur. Sebastianus, ductu auspiciisq; Regis, in Boemos reuertitur, vt vnà cum Rege, cæterisque Proceribus, superiorem Vngariã à latrociniis & seruitute Boemica liberet. Michaël, in prouinciam mox profectus, castellum Keui, quod prope Synderouiam situm est, mira arte, ac omni munitionû genere, ne quid à Synderouia, à qua nimium sibi timebat, mali iam acciperet, obfirmauit. Matthias, reconciliato auunculo, omni ferè improba sollicitudine liberatus, expeditionem Boemicam fortissimo adoritur: in primisque Patha, vbi Sebastianum frustra pugnasse diximus,

ximus,dura obsidione circumuenit:& ea quidem mente, vt nunquam hinc recederet, donec hostili & calamitoso oppido potiretur, quod latrocinantium asylum esse nouerat. Hostes præsentia & apparatu Regio consternati, per internuncios in primis cum eo agere cœperunt, vt quatriduanas secum inducias faceret, interea de facienda inter se deditione decernerent. Dantur induciæ, & pactiones inter eos factæ,vt si ad statutum diem auxilia non haberent, sese dederent. Quæ quum habere nequiuissent, quum omnes Rex aditus occupasset, ad præstitutum ex compacto tempus,deditionem fecere. Multa adhuc oppida & castella supererant,partim olim ab Vngaris,partim ab ipsis erecta, quæ Bo
10 emi pertinaciter retinebant. Recepta Patha, Matthias Saiomenthe, Saionque castellum obsidet, quæ in superiore Vngaria olim erexerant,eaque sine magno negocio recepit. Deinde ad Balozuar castra mouit, & potitus oppido, paucis mensibus tria præsidia expugnauit:in primis Ghemerum, deinde Drench, tertiò Vsdin. Supererant & alia, quæ Boemos adhuc Vngaria cedere non patiebantur:hæc non multo pòst tempore,Matthias in ditionem suam planè redegit. Nanque Rhymam, Zecchum, Zyrchiethum, Zaygriapheon, Salgon, & nonnulla alia, partim vi, partim ex deditione cepit. Duos hîc annos,a Pathæ obsidione, in hunc vsque diem exegerat: Giscram autem nondum attigerat, Boemorum principem,& huiusce belli moderatorem, qui ad Zolium latè domina-
20 batur. Expugnatis Rex præsidiis & oppidis, quæ paulò antè retulimus, Budam rediit: ibiq; Emericum Quæstorem regni, cum magna potestate reliquit. Nam in superioribus, Emericum è paternis amicis haud dubiè primarium, spectatæ virtutis & sapientiæ virum: in inferioribus verò Vngariæ partibus Michaelem auunculum ritè præfecerat. Quin & Emerico Stephanum Bathorem collegam adiecerat, vetustissimo Vngarorum genere natum, veluti variis in locis, ex vniuersa historia colligi potest, virum profectò impigrum, ad gerenda tantùm bella natum,ab initio ætatis de se maxima quæque pollicentem: quando à tyrocinij sui die,tantam fortitudinem, prudentiam, seueritatem, cum inaudita castitate coniunctam prætulit,vt ex eo tempore,quanti foret, augurari quisque
30 facilè potuisset. Stephanus Emerici frater,natu minor, impari auctoritate,contrà tunc fortitudine & probitate pari,vt cum fraterna laude certaret, in eo bello fuit.Saron oppidum,haud inuito fratre circumuenit: vbi cum validissimo sanè præsidio,Pan Matthiam,Corabin,Maczyn,Belian,& Russian,exploratæ virtutis ac fidei centuriones, Giscra præfecerat. Id in edito monte situm, ad radices, ligneum castellum fuerat Boemorum, quod Vngari vi ceperant. Stephani peditatus,absente inscioque ipso,Saron adoritur, & oppugnat. Quum pugnam temerè iniuisset, parum prosperè dimicatum: plures enim ex Vngaris, quàm Boemis,in eo prælio cæsi captique. Saros ab altera Eperies, ab altera Sibinium parte habet:ad quintum lapidem est Eperies,ad decimum Sibiniũ,vbi Stepha-
40 nus hibernabat: quod quidem totum è materia confectum est. Boemi recenti victoria elati, è Saro in Sibinium descendũt, vt ligneam ciuitatem incenderẽt, Stephanumque cum cohortibus caperent. Equitatus autem qui in castris erat, prospecto Boemorum insultu,à tergo adurget.Quum illi Sibinium oppugnare succendereque cœpissent,suburbanaque diriperent, instant à tergo isti,vniuersumque in se impetum conuertunt. Pugna hîc atrox & fœda committitur, diu variante fortuna pugnatum, & multi vltrò citroque saucij & interfecti. Boemi tamen, numero viribusq; in tumultuario illo prælio superiores,Vngarorũ tandem equitatum inclinarũt:is terga dare coactus, rapta in proximas syluas fuga, diffunditur,& instante nocte pugna dirimitur. Quum à suis malè pugnatum E-
50 mericus ac Stephanus accepissent, irritatis multo magis quàm olim animis, & arctiore quidem obsidione Saron obducũt,locum natura arteq; munitissimum & vi nequicquam expugnabilem,inedia superandũ esse decernunt,vias omnes præoccupant,ne quid commeatuum à Giscra posset inferri. Boemi, postquam sibi aqua & cibo ab hoste interdictum esse intelligunt, ne fame absumerentur, ad Emericum Stephanumque Bathora literas mittunt, quibus colloquium sibi

dari postulant: quod quum facilè impetrassent, Pan Matthias cum collegis, de deditione Sari, legibusq; eius agere occipiunt. Post dies aliquot eam trāsigunt, & ea quidem conditione, vt saluis corporibus & impedimentis oppidum dederent. Conditionem Emericus accepit, tertioq; die Saro potitur. Post hæc recepto Saro: quod magni momenti esse videbatur, ad recipiēda finitima oppida quæ adhuc graui Boemorum imperio premebātur, ad Viuar mox castra mota, paucisq; mensibus Viuar, Bichne, Scepusium, Kesmaarkumq; recipitur. Cætera quoque castella, Boemorum quoque præsidia, partim deditione, partim pecunia recepta sunt. Solus Giscra supererat, calliditate, experientia, & animi magnitudine præstans: is intellecto Regis ingenio, quum se viribus imparem nouisset, subornata cum eo liberalitate agendū esse reputauit: vt arte potius se suaque tueretur, quàm Regem beneficio superaret. Conflatum in se Regis impetum, ac Vngarorum inuidiam, breui quidem epistola declinauit: Ex ingenti mea in Ladislaum olim Regem charitate, Rex inclyte, in impietatem & latrocinia incidi (sic me Deus adiuuet) inuitus: Elisabetha Regina, vt posthumi aduersus Polonum Regni iura tuerer, hāc mihi vlterioris Vngariæ oram, introducens dedit. Posthęc, variæ facinorosorū manus insequutæ, quas libentissimè data magna licentia admisi, vt faciliùs vtcunque possem, delegatam prouinciam propugnarē. Feci id pro virili mea, nō minus obstinato, quàm fido animo. Polonos sæpe fudi: cum patre tuo bis prosperè conflixi: Vngarorum potius inuidorum proditione, quàm mearum legionum viribus adiutus. Ad hæc vsque tempora traditam mihi prouinciam in mea potestate seruaui: atque si adhuc Ladislaus viueret, sub eius ditione seruarem. Nunc autem quando illo mortuo, te è carcere non sine diuino numine, ad regiæ Maiestatis fastigium, præter opinionem omnium elatum esse video, nimirum haudquaquam sic humanitatis expers sum, & ab omni ratione destitutus, vt inter Vngaros vltrà sæuire, & cum diuina voluntate colluctari velim. Quid paterna virtus ac merita, quid indigna fratris mors, & generosa tua indoles, ac intempestiua sapientia mereatur, non me latet. Facinorosas hactenus societates, quæ hîc sub tutela nomineque meo longè lateque latrocinia agitabant, forti animo eiecisti, & extirpasti omnes: solus Giscra superest, ad hunc vsque diem infestus: qui nescio quid magni de Matthiæ triumphis & gloria auguratur. Proinde ne laudis victoriæque tuæ primordia, inuitis numinibus intercipiam, id mihi certum esse scito, me prouincia vltrò cessurum: obtemperaturum victrici Matthiæ dextræ, & vbique gentium ipsius imperata facturum: acceptisque Legatis, ciuitates & oppida sponte resignaturum. Haudquaquam spes Giscram consiliumque fefellit. Rex perlectis literis, se ab hoste multo pulchrius armis, quàm beneficio vinci posse ratus, ad eum continuò Legatos misit, qui oppida reciperent: Giscram abire volentem, suo nomine remorarentur: conditionem optimam, & amplissima quæque dona pollicerentur. Legati mandata transigunt, compositisque rebus, ad Regem, Giscram promissa incolumitate ducunt. Gratissimo ac hilari à Rege vultu, his verbis excipitur: Nunquam me beneficentia (mihi crede) Giscra, superabis: turpe est Reges acie vinci, sed beneficio turpius: immo quicquid in Regem meriti confertur, fœneratorium illud esse debet, vt Regia dignitas ritè seruetur. Sat mihi tua fides virtusq; spectata est. Tu autē quando inter raros referendus es, ad aliena te seruitia exire, Giscra, non patiar. Sub Matthiæ ductu & auspiciis, eadem qua sub Ladislao quondam fide, stipēdia facies. Quare quòd nostra sine bello reddideris, quòd nihil vltrà negocij facessere decreueris, quòd liberalitate potius quàm acie agēdum esse censueris, hæc in primis à Matthia tuo nunc habeto: Lippam & Soliom oppidum, tibi recipito: quinque ac viginti aureûm milia, donò nunc accipito: honestissima te cum Proceribus Vngariæ affinitate coniugari tolerato: commodissimamq; mecum militiam gerito. Giscra ad hæc, regia liberalitate confusus, quū supplicio potius quàm magnificis donis se dignū esse iudicaret, in lachrymas conuertitur, & pauca respondens, fidelissimum perpetuumq; obsequium, interiecto sanctè iuramento Regi pollicetur, & deuo-

deuouet. Paucis pòst mensibus, Ioannis Orzag, præstantis quidem Proceris è multis, filia deligitur: qua cum Giscra, cum solenni apparatu, nuptias celebrauit: & addictam Regi fidem ad mortem vsque sanctè seruauit. Telephus autem, qui antè fusus & fugatus erat, in Boemiam rediit. Quum datam nemini fidem præstitisset, eò miseriarum redactum fuisse ferunt, vt in foro sportulam circumferret: & vix quandoq; obolum haberet, quo ad popinas paululũ carnis emeret. Tales igitur perfidiæ latrociniiq; sui pœnas, facinorosorum ille princeps expendit. Hic demum belli Boemici finis fuit. Nam postquam Giscra cessit, nil vltrà superfuit. Miseram tandem Vngariã, quo annos octo circiter & viginti, Boemorum latrociniis & rapinis obnoxia fuerat, & nulla vnquam vi liberari potuerat, Matthias inito regno, grassatoria turba purgauit. Sub iisdem temporibus, Turcarum bellum oboritur. Mahumetes enim consternatam ex Albana quondam clade spem, ad subigendam Pannoniam resuscitare cœperat. Impellebat ad hoc adolescentia Regis, Procerum discordiæ, Frederici ambitus, & intestina finitimaque bella, quæ nondum adhuc, neque tam feliciter composita esse nouerat. Halibechum igitur superioris Mysiæ præfectum, Pannoniam traiecto Sauo incursare, ferro ac igni cuncta vastare iusserat. Syrmiensem in primis, desidente Sauo, agrum inuadit. Cheulpen, Sanctumq; Demetrium, populosa tunc oppida, diripit & incendit. Adaucta mox audacia, longè lateque populatur. Ad Futhachum vsque discurrit, opulentum sanè oppidum, in Danubij ripa situm: quod vix fossa ligneaque mœnia à feræ gentis incursu seruare potuerunt. Effuso rumore, pro Turcarum libidine omnia misceri diripique, extemplo Michael, & Petrus Zocholi, Chianadiensis Episcopi pater, vir impiger ac strenuus, ne minori quidem animi magnitudine, quam rei militaris disciplina præstans, cum tumultuariis occurrunt copiis: ne vltimum illum inferioris Pannoniæ tractum, quem adhuc magnam Italiam appellant, in Turcarum seruitutem coniici paterentur. Haud procul à Futhacho, ingenti præda onustos adoriuntur. Halibechus obstricta arctiùs captiuorum turba, & deposita prędа, instructum in hos equitatum cõuertit. Pugna vehementi vtrinq; impetu inita, quando abactam hi prædam efferre, contrà isti spolia recuperare studebant: paribus vtrinque viribus aliquandiu dimicatum. Sed Halibechus, intellecta Vngarorum pertinacia roboreque, dimissa tandem præda, terga vertit, ne ditandi gratia vitam amitteret: id ipsum reliqui fecere Turcæ, equorum pernicitate freti. instat à tergo Petrus, & recuperata præda, longoq; captiuorum ordine, adhuc latrocinij ab hoste pœnas exigere contendit. Cum eo, pari celeritate expeditissimus Regis equitatus insequitur: at vbi ad Saui fluenta peruentum est, maxima in ripa cædes redintegratur. Nã è Turcis, quicunq; instãtem à tergo hostem reformidabant, pars in amnem se proiicere, peti telorum multitudine, ac iuxtà demergi. Alii, ne inulti caderent, in hostem se cõuertere, & ad mortem vsq; obstinatiùs dimicare. Multi instaurata in ripa acie animosiùs agere, & pulchrè ibi oppetere. Pauci demum cum equo Sauum tranantes, Synderouiam se recepere. Ad Sarnon vsque oppidum, hos Petrum profligasse ferunt. Halibechus Synderouiam aufugerat, fœdæ fugæ turpitudine vsque adeo angebatur, vt eam propediem abolere decreuerit. Quatuor milia expeditissimorũ delegit, vt clandestino incursu Transsyluaniam inuaderet, & magna cæde incendioque patrato, in Mysiam se repentè reciperet. Matthias, qui præter ætatem, prophani hostis astum nouerat, illum haudquaquam quieturum esse ratus: omnes legionum Præfectos eo diligentius fines tueri, & cautiùs cum Turca agere iubet. Clandestinis, quid ille moliatur, exploratoribus scire præcipit: futuram in Trãssyluaniam excursionem illi referunt. Rex Pancratium imminentis periculi admonet, imperatque, vt impositis vbique speculatoribus, prouinciam à Turcarum incursu tueatur: vel si eos aliò iter capere senserit, occurrat. Pancratius Regia mandata seruans, ad Themesuarum, cum validissima Sithulorũ manu, Turcis occurrit: cruentum hîc prælium initur. Halibechus, recenti turpitudine se exuere: contrà Pancratius, prouinciam tueri, & perniciosæ gentis audaciam

Magna Italia.

proterere contendit. Multi vtrinque cadunt:sed quum Turcæ Vngarorum vires vltrà tolerare non possent,haud inuito Halibecho, fugam rapiunt.Instant à tergo Sithuli,duceque Pancratio,ne paruam quidem stragem patrant,& ad Danubium vsque sequuntur .Halibechus fusus fugatusque , Synderouiam reuertitur; & prospecta noui Regis fortuna , multo posthac cum adolescente cautiùs agendum esse reputauit. Duplici iam clade confectus, grauiter angitur, quum suo multum nomini hinc detractum iri vereatur. Matthias contra , maiore fit indies animo,maiores pectore spiritus concipit:& quum pro vita (vt ita loquar) hucusque pugnarit, pro gloria posthac certare decernit. Vnum obstabat, quòd antequã ritè coronaretur, nil sine magna sollicitudine se moliri posse cernebat: 10 quare coronæ redemptionem , Ioanni Episcopo Varadiensi, spectatæ fidei & prudentiæ viro, commiserat. Is clàm cum Imperatore, ne inconsulto quidem Rege, rem ita composuerat:vt coronam,Vngaria, milibus aureûm septuaginta redimeret.Quum id Proceres fortè sensissent,ad Imperatorem scripsere,se conuentionem cum Ioanne Varadiensi transactam , dudum accepisse:nimiumque mirari, propriam tanti coronam redimere oportere:eius Maiestatem admonere , vt cum Ioanne cautiùs agat , à quo , ne verba dentur , admodum vereatur, quum nihil de conuentione hac grauissima ad Senatum hactenus sit relatum. Ipsam sine Senatus consulto,nullo modo fieri posse. Quæcũque à Ioanne vltrò citroque agitata sunt, ipsis hæc inuitis ac insciis fuisse tentata. Quum has Imperator literas accepisset, ad Ioannem quàm primùm scribit : Initis inter se pactionibus,quãtum ex illorum literis intelligere potuit,regni Proceres stare nolle:obmurmurare passim,& conqueri precij grauitatem , quod soluere non possent:atque si etiam soluendo essent,tanti nunquam redimerent.Proinde petere se occasione fieri certiorem, ánne pactiones initæ , pro factis , an irritis & infectis haberi debeant. Ioannes perlecta Imperatoris epistola,quum fortè Varadini foret, extemplo ad Matthiam , qui Sigedini copias comparabat, vt in Transalpinos proficisceretur, suas cum Cæsareis literas misit , quibus Optimatum quorundam auariciam & improbitatem patefecit. Rex vbi vtrasq; perlegit, ne Cæsari verba dare videretur, Varadinum cum proceribus extemplo concessit: 30 ibique coacto Senatu,de bello & corona agi cœptum est. Inde profectus Cibinium venit,vbi postquam de redimẽda corona decretum est, ibidem Septemuiri quoque creati ex consulto patrum,qui sacram coronam redimerẽt,redemptamq;,cum decenti(vt par est) apparatu, referrent. Septemuiri designati hi fuere,in primis Ioannes Varadiensis Antistes, Stephanus metropolita Colociensis,Nicolaus Vilachus,Ladislaus Palocius, Emericus Quæstor regius,Lamberger , & Benedictus Thurocius.Soluto Senatu, Rex in Transalpinos , Legati ad Cæsarem festinarunt. Sed de Matthia prius,deinde de coronæ redemptione dicatur. Rex in Transalpinos ad liberandum Draculam è Turcarum manibus contendere dicebatur:cui mulierem, suam quoque consanguineam , legitimo 40 matrimonio coniugarat. Illac profectus , nescio qua causa, quando id nemini satis compertum est,Draculam in Trãssyluania cepit:alterum verò Draculam, à Turca in prouincia præfectum,præter omnium opinionem approbauit:hunc Budam captiuum duxit, decennalique carcere mulctauit. Inauditæ crudelitatis & iusticiæ, Draculam fuisse memorant : hunc aiunt , Turcarum Legatis , in præueneratione, pilea Phrygia ex patriæ instituto deponere recusantibus,confirmãdi moris gratia,tres capiti clauos affixisse,ne amplius amoueri possent.Innumeros palis Turcas præfixisse,& inter eos cum amicis lautè discubuisse.Mẽdicos insuper omnes deperditæ ignauiæ , miserabilisq; valetudinis & fortunæ, lautissimo conuiuio excepisse,deinde cibo vinoque completos , iniecto igni absumpsisse.Item Turcis sępe captiuis cute pedes exuisse,cõtusoq; sale præfricuisse,mox lingentes salsis plantis capras adhibuisse,quæ linguæ asperitate cruciatũ augerẽt.Mercatorem Florentinum de asseruandis pecuniis sollicitè percũctantem,in media deponere via iussisse, & nil de numerata nocte pecunia mentientem,incolumẽ dimisisse. In Barbara regione tanta seueritate vsum, vt in media quisque

quisque sylua cum rebus tutissimus esse posset. Hunc deinde Matthias in pristinam dignitatem sanè restituit: sed in Turcico demum bello cæsus, caput ad Mahumetem dono missum. Equitum Legati circiter tria milia duxere, vt coronam pro dignitate afferrẽt. Quum in Australi Cæsarem Neapoli esse sensissent, Sempronium venere: sed antequam vrbem inirent, à Cæsare potestatem impetrarant, vt Semproniensium hospitio vti liceret, donec de corona transigeretur: & re transacta, integram ciuitatem relinquerent. Sempronium enim olim, vna cum arce, Elisabetha Cæsari oppignerarat. Deinde cum vniuerso Neapolim equitatu Oratores contenderunt. Quum vrbi appropinquassent, Cæsar ab arce, 10 copiarum multitudinem admiratus, ex insolẽtia rei formidare cœpit: mox portas iubet occludi, disponi per mœnia stationes, & hanc non legationem, sed hostilem exercitum reputare. Quum portas propius accessissent, easque sibi legationis iure patefieri postularent, eo obfirmatiùs obditæ. Paulò post Cæsaris Orator vrbe prodiit, non tot dicens copiis, nec tam expedito coronam equitatu repeti, sed insidias obtẽdi, expugnari ciuitates, prædas abigi, & agros vastari solere. Demum ne initæ concordiæ pactiones rescindantur, Cæsari placere, Ioannem tantùm Varadiensem Episcopum, cum ducentis equitibus, vrbem tutò intrare exiréve. Respondere Oratores, Sacræ coronæ religione se adactos, cũ magnifico equitatu venisse: nullam suspicionem cõcipi oportere: se à Cæsaris vo-20 luntate nequaquam dissentire. Quare Ioannes cum ducentis duntaxat equitibus Neapolim ingressus est: cæteri collegæ Sempronium rediere. Mensis hicà Ioanne actus: demum re composita, cum Imperatore peregit, vt Ladislaus Palocius, Sempronio Neapolim aduocaretur, qui sacram coronam recognosceret. Duas coronas adulterinas affabrè ab Imperatore factas, rumor erat, ne vera dignosceretur: atque id quidem Romanorum exemplo, qui duodecim ancylia, ne verum facilè intercipi posset, Mamurio auctore fabricati sunt. Ladislaus accitus, veram sacramque coronam primo obtutu, signo quodam recognouit. Paumkircher & Groph Nichel, à Cæsare Semproniũ ad reliquos missi, qui eos ad vrbis mœnia ducerent, & allatas pecunias explorarent. In sequenti die, ad 30 suburbana peruentum est, tunc iterum vltrò citroque redintegrata contentio: nam nec coronam hic sine pecuniis, nec illi pecunias sine corona dare volebant. Par vtrinque intercesserat differentia. Varadiensis tamen & Pataviensis Episcopi interuentu, præstita vtrinq; fide, factum est, vt ad portas vrbis vno eodemque tempore, & hinc corona Legatis, & hinc pecuniæ Cæsari traderentur, vnoque momento compensatio fieret. Itaque res ex composito transacta, & sacra sexaginta milibus aureûm corona redempta, cõditiones perpetuæ pacis eodem exemplo exscriptæ, vtrinq; datæ, ne violari aut aboleri facilè possent. Quicunque Cæsaris Friderici & Matthiæ Coruini Pannoniarum Regis initum nuper fœdus & concordiam scire cupit, ista legito: Cæsar, vt exortum è deposita 40 sibi corona bellum extinguat, Pannoni, cuius est (ne Regnorum moderator, iniuriam facere videatur) eam reddito: pactam iustè pecuniam accipito: Matthiam filij loco semper habeto: ius omne Regni illi cedito. Contra Matthias, vt parem beneficio gratiam referat, Cæsarem tantùm parentem agnoscito: si liberis absque legitimis extremum diem obierit, Pannonici Regni ius, Cæsaris mox esto: quin & nonnulla Neapolitanæ ditionis oppidula, vicique, intra Pannoniç fines effusi, potestatis quoque Cæsareæ sunto: Alamannus & Vngarus, sine vllo discrimine, ab vtroque Principe tractator: veterum iniuriarum sectator instauratórve discordiarum, capitalis esto: quicunque demum fœdus ritè sanctéque percussum læserit, sanctionémve hanc cum summa per Legatos potestate ini-50 tam violarit, veluti publici & communis ocij pacisque interceptor, & Deorum penatium violator, igni ferroque vt fœda porca feritor. Coronam igitur Sempronium, quæ annos quatuor & viginti sub Cæsarea potestate fuerat, singulari pompa, læti festiuique, haud aliter atque rem cœlo demissam, teniis aduehunt: vbi Oratorum auctoritate promulgatur edictum, lateque diffunditur: Quicunque recuperatæ sacræ coronæ gratia & religione capiuntur, liberã visendæ re-

cognoſcendæq; poteſtatem omnibus triduo Sempronij fore. E finitimis oppidis & pagis, religionis amore, innumera multitudo cõfluxit, agnouit agnitamq; prærcuerenter adorauit: mox Budam delata, in arceque recondita. Sed Legati ad Regem feſtinarunt, quem in Syrmienſi agro aduerſus Turcas agentem inuenere. Hinc enim Turcas per Ladiſlaum Marcum Præfectum legionis nuper eiecerat: & hoc bello ſuccenſus, adauctusque animo, quòd ſacrum diadema redemerat, & cum altero Imperatore terrarum pacem fecerat, ad obſidendam Iayzam properabat. Hæc vrbs eſt in edito monte ſita, in mediterranea Illyrici regione, quam duo amnes circumfluunt, præruptisque rupibus & vadis obfirmant. Ad radices montis, & vrbis ambitum confluunt, admixtiq; vnà in Sauum deinde feruntur. à tergo profuſa planicies (Boſſonienſis quondam Regni hæc caput erat) inexpugnabili arce ac hoſtibus inacceſſibilis. Res eſt altiuſculè repetenda. Georgio Deſpoti, de quo multa ſuprà diximus, liberi tres mares fuere: Stephanus, Georgius, & Lazarus. Stephanum & Georgium Turca excæcauit. E Stephano, Lupus miræ fortitudinis: è Georgio, Deſpote noſtri temporis, Ioannes ac fratres ſunt geniti. Lazarus, qui Regno ſucceſſit, vnam tantùm filiam genuit: quam Stephanus Boſſonienſium Rex vxorem duxit. Is defuncto Lazaro ſocero ſuo, non ſolùm vxore, ſed Regno quoque vnà potitus, Boſſonæ & Raſciæ iuxtà dominabatur, Turcico ingenio, ſumma impietate, & profana religione præditus. Anno Salutis quadringenteſimo ſexageſimo tertio ſupra milleſimum, quum in ſuperiore Myſia latè imperaret, blanditiis Mahumetis Turcarum Imperatoris è caſtelllo clam euocatur, accitus in colloquium, repentè capitur: Barbari iuſſu, cute exuitur: Regnum quod à patre dolo ſurripuit, cum vita ſimul amiſit. Huius igitur temeritate ſcelereque Raſcia & Boſſona, cum magna Seruiæ parte, in Turcæ ditionem peruenit. Matthias igitur quum Sauo tantùm ſe à Turca diſterminari conſpicaretur, rem ſacra profectò corona dignam aggredi conſtituit. Exploratis Iayzenſium animis, qui Turcæ iugum ægrè ferebant, extemplo cum magno exercitu Sauum traiicit, Iayzamque contendit, quatuor dierum itinere à Sauo remotam. Ad clariſſimum facinus, iuueni animum addiderat, diffuſus rumor, Pium Pontificem ab vrbe Roma, vniuerſam in Turcas Europam ſuſcitare. Quare primo impetu, ne obuerſantibus quidem oppidanis, vrbe potitur. Arx ſola ſupererat, quam Turca cum validiſſimo præſidio retinebat: hanc die noctuque oppugnare adoritur, non modò loci natura, ſed arte, milite, machinis & commeatibus munitiſſimam. Dies noctesque arte quauis & ingenio, præterea vi, prece, doloque vexat. Harambechus tãdem Præfectus arcis, colloquium Regis petit, datur adeundi copia. Quum honorificè à Rege exciperetur, aliquantiſper vtrinque ſubticitum: Turca tandem exorſus, arcem ob rerum inopiam ſe redditurum pollicetur, ſi abducendorum captiuorum copia, ſaluis corporibus & impedimentis, fiat: ſin minus, Imperatorem propediem adfuturum interminatur. Reſpondit Rex, liberandorũ captiuorum gratia, bellum hoc nuper ſuſcepiſſe, & ſe ne minimum quidem famulum conceſſurum. Conuentio tãdem de deditione arcis tranſacta, Turcis data poteſtas, quicunque ſub Rege ſtipendia facere vellent, commodè poſſent: qui nollent, tutè dimitterentur. Harambechus Regem ſequutus, cum ducentis equitibus, coronationem eius, recentis victoriæ teſtimonio decorauit. A calendis tãdem Octobris vrbem ceperat, decimoſeptimo calendas Ianuarias arce potitur. Eodem quoque tempore, ne ingrato hibernare ocio videretur exercitus, ſeptem & viginti circùm finitima oppida recepit. Compoſitis in prouincia rebus, impoſitoque Iayzæ præſidio, Seruatoris noſtri natalibus, victor & ouãs Budam ingreſſus, & cum ingenti Senatus Populique lætitia ac plauſu exceptus eſt. Supplicationes diis immortalibus inſtitutæ, apud omnes aras res diuina facta. Tantum hinc nominis Coruino Regi comparatum, vt non modò Pannones ſacro diademate dignum, ſed Veneti, Pontifices, cæterique Chriſtianæ Reipublicæ Principes, hunc vnicum aduerſus Turcas imperatorem creandũ eſſe cenſerent. Mahumetes Othomannus, audita Iayzæ captiuitate, quæ illius Regni caput erat

Iayza.

1463.

erat, vſque adeo indoluiſſe dicitur, vt parum abfuerit, quin corde diſrumperetur. Exercitum circiter triginta milium hominum, mira celeritate comparauit, antè per ſæuitiam hiemis Iayzæ ſuccurrere nequiuerat. Nũquam enim arcem, tam citò captũ iri ſibi perſuaſerat. Ad hæc teſtudines, catapultas, arietes, ac cætera tale genus parat, ſulphurea in primis tormenta: nullum nouæ munitionis genus omittit, ac deſidente hiberna væſania, quum primùm licuit Iayzam oppugnare adoritur. Vrbeculam, Vngarorum præſidio munitam, ariete æneiſque machinis, quas circùm collocarat, die noctuque quaſſat, nunc tormentis territat diruitq́;, nũc nocturna oppugnatione pertinaciſſimè vexat. Nulla oppidanis

10 requies datur, quippe modò mœnia reſarcire, modò interiore foſſa, vallo, aggereque communire nituntur: mulieres & pueri militaria æquè munia obeunt, pro communi ſalute, pari ſtudio quiſque decertat. At vbi Mahumetes ſat murorum dirutum eſſe putat, aperto Marte ciuitatem inuadere audet: præterea tot acies inſtruit præ multitudine copiarum, vt dies tres pugnam continuare poſſit. Nam antequam nouiſſimi defecerint, primi, inſtauratis viribus, prælium redintegrare facilè poterant. Quare ex omni parte vrbẽ adoritur, non ſolùm peruia, ſed inacceſſa quoq; loca milites tentare iubet: ipſe à tergo inſtat, omnes ad prælium hortatur, præter murales coronas ingentia militi præmia pollicetur: recuperandam Iayzam occlamitat. Quum nihil Turca ceperit, quod vi amiſerit, pa-

20 tratum ſociorum ignauia dedecus obiicit, ingeminatq́ue: quod præſenti virtute abolendum eſſe vociferatur. Turcæ tanto impetu mœnia ſubeunt, vt multi pinnas vel muros conſcenderint: pleriq; ſigna mœnibus impoſuiſſe viſi, moxq́; ab oppidanis reiecti ſunt. Clariſſimum Vngari facinus commemoratur, qui quum Turcam imperatoria ſigna turri imponere cõtendentem ſuſpiceret, correpto ſimul hoſte, ſe præcipitem ex alto dedit, vt Coruina adhuc ſigna ſtare viderentur. Tanta cædes eo die facta eſt, vt foſſas hoſte complerint. Ex oppidanis multi cæſi, saucij ferè omnes. Matthias audita ſæuiſſima Iayzenſium obſidione, Emericum Sepuſienſem mox cum duabus legionibus accurrere iubet. Vir ille impiger ac ſtrenuus, non minus animo quàm prudentia & aſtu præſtãs,

30 ocyſſimè mandata peragit. Nuncios multos præmittit, qui rumores differant, Coruinum Regem cum innumeroſo exercitu propediem adfuturum. Sentit Turca vndique Vngaros propediem adfuturos. Quoties, & quàm infeliciter Amurathes pater, & ipſe, collatis ſignis, cũ Coruino duce pugnarit, memoria repetit. In repentinum ſubinde timorem coniicitur: eumque auget recens & improuiſa Matthiæ victoria. Increbreſcentibus deinde rumoribus de Coruini Regis aduentu, quum dudum adfore nunciaretur, præ nimia trepidatione, relictis munitionibus, machinis & impedimentis, in Macedoniam ſe recepit. Emericus ſola fama ciuitatem acerrima obſidione liberauit. Inſtaurato mox præſidio, & obmunita Iayza, ad coronationem quam

40 Rex edixerat, feſtinauit. Hic tertiæ Decadis finis erit.

TERTIAE DECADIS FINIS.

ANT. BONFINII RERVM VNGARICARVM DECADIS QVARTÆ

à Sambuco repertæ, Liber I.

CAPTA Iayza,& magna Bosniæ parte, postquã Matthias, adaucta iam bruma, Budã peruenit, nihil profectò Coruinæ magnanimitati fuit antiquius, quàm de legitima coronatione cogitare. Huic igitur, ex senatus consulto, Palmarum dies præstitutus est: ad quem cùm è remotissimis oris præ sæuitia hyemis optimates ac nobiles, magistratus, & legati adesse nequiuissent, in diem Parasceues res ipsa est prorogata. Albam igitur, è sacro, prophanoq; ordine omnes principes, pontifices, cum vniuersa Vngariæ nobilitate, conuenerant, vt regem, præter ætatem de Republica benemeritum, & ad clarissima quæque facinora natum, sacro ritè diademate, quod nuperrimè redemerat, coronarent. Hîc statuto die, regalibus quibusq; insignibus in diui Stephani basilica Dionysius Sech, Strigoniensis metropolita, in frequentissimo tot gentium conuentu, Coruinum ex more decorauit: tanto populorum plausu & coronatus, & circumuectus est, vt hunc magnanimum regem alterum Alexandrum, alterúmve Cæsarem, hunc inuictissimum Pannoniæ propugnatorem, variis linguis tot populi, conclamarent: plerique Martem Scythicum, nonnulli Romanæ gentis reliquias appellarent. Dona, missilia, nummi, vectes, ac cætera tale genus, quæ in ea celebritate spargi solent, profusiùs, & magnificentiùs quàm vnquã antea diffusa sunt: Coruino regi fœliciter, liberatori Pannonicæ gentis fœliciter, Matthiæ victori cuncta fœliciter, certatim miles cum plebe ingeminabat. Multos eo die viros equestris ordinis dignitate donauit. Quibus autem torques aureos, aut purpureas lacernas adiecit, spectata à cunctis pontificibus & proceribus non sine admiratione profusa regis magnificentia, quæ omnium sibi ordinum animos admodum cõciliauit, pro eius vita mira solicitudine vtriusque sexus & ætatis omnes homines vota nuncuparunt. Anno igitur Seruatoris quadringẽtesimo sexagesimoquarto supra millesimum, regni verò sexto, coronatum esse dicunt. Illud nequaquam omiserim, quod in referenda gratia monumentum inter coronãdum fecit. Ioannem Varadiensem episcopum de patre, deque se iuxtà benemeritum, amplissimo illo ditissimoque comitatu perpetuò donauit, vt ipse, posterique pontifices legitimè fruerentur: qua quidem donatione basilica Varadiensis diuæ Genitrici à diuo Ladislao rege dicata, plurimùm aucta & ditata est. Priuilegium Matthias alto solio præsidens, sacra corona, sceptro, pomoque conspicuus, proprio ore protulit, id tale fuit. Cùm Ioannes Vitesius, cui pater moriens nos vnicè commendauit, nobiscum vtranque fortunam subire non recusarit, pari quoque discrimine nobiscum in captiuitatem inciderit, liberarit Boemico carcere: domi forisque nobis consilio, labore, opera semper affuerit: dissensiones & bella represserit: in Boemica, Turcica, Transsyluana & Bosnensi expeditione, vel sua præsentia, vel copiarum auxiliis nunquã nostra castra deseruerit, & salutari demum legationis officio grauissima quæque negocia fœliciter egerit, coronamq; nunc sacram longo postliminio retulerit: placet nobis, patribusque conscriptis, eum successoresque suos ob singularem, qua in diuam Genitricem & Ladislai numen afficimur, religionem, comitatu Bihoriensi perpetuò donare, vt eadem fidelitatis officia cõmodiùs continuare possit: & nos euitata ingratitudinis nota, haud

1464. (margin)

ta, haud indebita virtuti prçmia persoluamus. Transacta celebritate coronationis, Matthias cum singulis põtificum optimatumque ordinibus Budam rediit, ibique æstatem illam tranquillam egit: quotidie varia spectacula edidit, illud nunquam defuit, certamen equestre curuléve, præterea leonum venationes, duo triáve gladiatorum paria quibus apprimè delectabatur. Quin & ipse quotidie in hippodromo equestri certamine depugnauit, tanto robore & audacia, vt cum fortissimo quoque infestis hastis congrederetur. nullam in certamine dignitatis suæ rationem haberi iubebat, quin & publico id sæpe agebat edicto. Aurigatione assidua vsus est, nil ignauia & desidioso ocio duxit abominabilius, multas in regno lites inter æstiuandum Budæ composuit. Appropinquãte iam autumno, haud vltrà terendum in spectaculis Budæ tempus esse putans, ad suscipiendam aliquam expeditionem non minus vtilem, quàm necessariam, animum intendit. Iayzę victoria succensus de Turcico iterũ bello cogitare cogitur. nullum enim aliud succurrebat antiquius, neque sibi neque Reipublicæ gloriosius, magisque necessarium, insidiosum & præpotentem à tergo hostem habebat, quem neque negligere, neque per ignauiam sine extremo periculo vllo modo dimittere poterat. Quare audacia hostem vincere satiùs esse ducens, delectum habuit: vndecunque potest, auxilia cogit. Accessêre piæ, auxiliaresque cohortes Crucigerorum militum, quas Moldauiensis episcopus secum adduxerat. Cum decem igitur millibus equitum, Phutachum venit. Sequebatur eum Ioannes Emus Venetorum orator, qui etiam in captiuitate Iayzæ cum rege fuerat. Nam cùm Veneti duobus antè annis à Turco grauiter in Peloponneso vexari cœpissent, & ad Isthmum ab Ionio & Ægæo mari cum fossa murum tumultuaria opera duxissent, vt peninsulam à Turco protegerent: circumuenti vi, multitudine hostium irritos conatus habuere: ad ineundum cum Pannone fœdus recurrerant, & oratorem hunc miserant. Deinde Pius pontifex, cùm vniuersam ferè Europam, promissa peccatorum omnium impunitate, in Turcorum bellum concitasset, venisset Anconam, eique Christophorus Maurus cum x. instructis triremibus continuò affuisset: lenta febri correptus, biduo pòst, x i x. Calen. Sept. humanis excessit. Cardinei patres quinque & quadraginta aureûm millia Christophoro duci, quæ in pontificia arca repererant, dedêre, vt ea Matthiæ aduersus Turcos acerrimè pugnanti mitteret: Id à duce perquàm diligenter factum. Fœdus igitur cum Pannone, Venetoque percussum, plures annos sexaginta aureûm millia Veneti Matthiæ contulere, vt perpetua cum communi hoste bella gereret. Ioannes igitur Emus legatus hic annos treis fuit: hæc cuncta bella spectauit, cum oratoribus tandem regiis, qui ad Paulum pontificem proficiscebantur, vt infrà referetur, in Italiam rediit. Sed ad diuerticulũ redeamus. Rex traiecto deinde Sauo, Mysiam superiorem ingressus, Zoynichum Rasciæ oppidum in arduo mõte sitũ obsidet. Ad protegendum Saui fluminis vadum, ne interciperetur ab hostibus, Stephanũ Colocienſem archiepiscopũ cum validissimo equitatu reliquit. Dum Zoynichum arcta obsidione circumuenit, quod à Sauo quadraginta millib. passuum remotum est, & fodinas habet argẽti, ad expugnandũ Streuerinchũ, Emericum cum prætorianis cohortibus mittit, quod viginti millibus passuũ distabat à castris: & exuberantibus vsq; adeò fodinis pollebat argenti, vt ab argento sibi nomen inuenerit. Streueron enim Sclauonica lingua significat argentũ. Milites immissi cùm gloriæ, tum argenti cupiditate, tanto impetu oppugnare adoriuntur, vt vno alteróve prælio ceperint. Potiti oppido, cuncta diripiunt. Turcos multos capiunt, abducuntq;: imposito repentè præsidio, præda onusti, & in castra læti redeunt. Iam duos circiter menses Zoynichum obsederant, acerrima sæpe pugna vexarant, & adhuc expugnare nequiuêre. In oppugnatione nouissima, Emericus equitũ præfectus, immissa ab oppidanis sagitta oculo præfigitur: parum abfuit, quin oculũ erueret, nimio dolore correptus, & deiectus animo, in tẽtorium refertur. Rex præfecti sui vulnere consternatus, se multò deinde remissius agere cœpit. Dein rumor haud paruus increbuit, Maumethem ne argẽtea oppida

deféreret, cum numeroso propediem exercitu aduenturum: collatis cum rege signis, omnino pugnaturum: cum quadraginta millibus hominũ in horam affuturum. Hac fama Emericus oculo saucius, multo grauius angi & absterreri, regi consulere, vt soluta obsidione castra amoueat: dicere, se Turco imparem: & militem lõgo bello & assiduo labore defatigatũ, refici & recreari oportere: se omnino cum victoria & ingenti præda redire. Postero die fama hæc magis magisque militari metu & mussitatione augeri. Oborto tandem tumultu, Turcos haud procul abesse, & iamiam cum instructo agmine affuturos: rex sola fama perterritus, signa tolli, & castra moueri iussit. id cum tanta militum trepidatione factum, vt relictis tormentis ęneis, & plerisque impedimentis, ad Sauī ripam continuò se receperint, mox amnem remensi, in Syrmiensem agrũ rediere. Æquam hic aliqui vtrique principi volunt fuisse fortunam: quippe quæ, veluti ad Iayzam, solo aduentantis Coruini nomine Maumethẽ machinas æneas, & impedimenta deserere: ita sub Zoymichi mœnibus, ad Turci famam Vngaros, autore Emerico, turpem fugam rapere iusserit. Postquam falso rumore ac metu se correptum intellexit, rex haudquaquam obsidionem illam repetendam esse censuit: sed frequentissimum Segedini cõuentum indixit, vbi de commodo Reipublicæ, & suscipiendo ritè bello multorum sententias audire voluit. Segedinum igitur castra mouit: quo cæteri pontifices, ac principes edicto publico conuenere. Inter primarios Dionysius Zeczhius affuit, metropolita Strigoniensis: Ioannes † Quinqueecclesiensis episcopus, poeta nostri tẽporis nimirum insignis: & Michael Orsagh Palatinus, qui ea sapiẽtia, probitate, ac fortuna fuit, vt cùm sub Sigismundo florere cœperit, quem in Italiam dispensator sequutus est: sub quinque regibus nunquam intercepta felicitate, ad extremum vsque finem, vitam cum summa laude, & autoritate peregerit. Hunc Matthias ob singularem prudentiam, experientiam rerum, & æquitatẽ, abdicato Ladislao Gara, Palatinum creauit. Affuere præterea cæteri optimates frequentissimi: sed Dionysius eodem anno, paulo pòst habitum ea hyeme conuentum, vita defunctus est, vir perpetua laude, & commẽdatione dignissimus. Octo milia aureûm, quæ ad instaurandam basilicam legarat, in belli vsum à rege vsurpata. Ioannes Vitesius, cùm Varadiensi se pontificatu abdicasset, Strigoniensis metropolita, ob multa merita, spectatissimamque fidem, non sine maxima aliorum affectatione, à Matthia pronunciatus, & pontificia autoritate approbatus est. In eo conuentu (vt quid decretum fuerit, ex regiis ad Venetum ducem literis satis exploratum habeo) de bello Turcorum & mittendis Romam oratoribus, præsente Ioanne Emone, Venetorum legato, actum est. Oratores duo præstantissimi omnium consensu designati: Ioannes Quinqueecclesiensis episcopus, vir summa eloquentia, & doctrina præditus, & Ioannes Rosgonius vnus è principibus optimatum: mandata his data, vt Paulo pontifici obsequia prompta deferrẽt, & aduersus communem Christianæ reipub. hostem, opem & auxilia implorarent. Ioannes Emo, quia pluribus Turcorum prœliis adfuerat, veluti spectator & testis laboris fortitudinisque Pannonicæ, tertius his adiectus est. Illam æstatẽ Budæ in spectaculis rex exegit. Cùm primo coronationis anno hæc in Rascia gesta fuerint, secundo ingruente Septembri, in Coruatiam castra mouit. Expeditionis quæ causa fuerit, nondum satis compertum habeo. In Frangipanes comites, qui Segniam, Modrusiam, & varia Dalmatiæ oppida tenebant, obsequiaque parum grata præstiterant, regẽ tunc aliquid moliri voluisse, opinantur. Ea namque tempestate multi ex ea familia, quæ Romana est habita, reguli, comitésve florebant, in primis Stephanus Modrusiensis, deinde Martinus diuinus, duoque Ioannes. Plerique regulorum, nobiliumq; nonnullorum iniuria eò iter intendisse dicunt, qui vniuersam prouinciam latrociniis & rapinis infestam effecerant. Rex igitur Albam primò venit, octo ibi dies egit, quibus equestres ludos semper exhibuit. ibi quoque Suohla Boemus, vir impiger ac strẽnuus, infesta hasta pulchrè decertauit. Rex Alba profectus, cùm Zagrabriam iter intẽderet, ad tertium lapidem à quodam pago, pluribus à Suohla exoratur, vt missione donare-

† Ianus Pannonius.

10 20 30 40 50

donaretur. Remotam is militiam, & sterilem causabatur: vt missionem impetraret, aut ansam quęreret abeundi, ab intempestiui stipẽdij efflagitatione rem inceperat, vt abnegato stipendio, etiam inuito rege iure sibi abire liceret. Duos in hac re sibi socios fuisse memorant: Georgiũ Batolezki Morauiæ regulum, & Franciscum generum Boemum. verùm illa fuit desciscendi causa, sperabant enim, procul abeunte rege, Pannoniã veluti gubernatore destitutam, latrociniis spoliisq; patere. Suohla demũ inuito rege, cum sociis abiit. Reuersus in Vngariam, ad grassandum potius, quàm militandum: in primis castellum regis quod Costolan appellant, occupauit: deinde societatem illam Boemicam, quæ ex cognomento Fratrum nomen acceperat, in Morauia tum ęstiuantem, & ab imperatore Romano inauctoratam, ocyssimè conuocat: (erat enim hæc hominum ferè septem millium) & ad lucrum faciendũ in Vngariam inuitat, opulentas populationes, & cõmoda ibi latrocinia pollicetur. Fraternus hic exercitus Suohlæ pollicitis oneratus, Pisonium venit. De occupanda hîc Ternauia agi cœptum. E centurionibus vnus erat Vngarus, cui Blasio Podmaniczki nomen erat. Hic patriæ gentis charitate correptus, libero in medium animo prodiit: Quocunq; me (inquit) socij, nostra societas ire iusserit, siue in Polonos ire cogor, siue in Boemos, Alemannósve, nulla vnquam erit in me mora. Sed in patriam arma sumere, quando præter fas & æquũ est, id nullo modo præstare possum. Deterret impietas, religio interminatur, patriæ charitas inhibet: & præsentanea supplicia dij penates, patriique proponunt. Proinde aut aliò nunc arma vertite: aut, si pergitis, me vltrò dimittite, & exauctorate. Is accepta cõtinuò missione, insequenti nocte cum suis contubernalibus clàm Ternauiam concessit. Cùm eum custodes admittere recusarent, præfectũ vrbis ad se vocari iussit: festinati causam aduentus, & quantũ periculi immineret exposuit, omni iubens eos suspicione carere. Cùm ista retexisset, à præfecto vrbano mox admissus est. Postero die rumor passim increbuit, quicquid agri Pisoniũ Ternauiamq; interiacet, id omne à Boemis populatũ iri. Hæc enim XXV. millibus passuum à Pisonio remota est. Atqui res ipsa rumorem antecessit. nam ad portas vrbis Boemi statim affuere, & vrbem sibi dedi postulabant: huic exitium interminati ni portas cõtinuò patefacerent. Dicere ad hæc, nil esse timendũ, se præter commeatus, & hospitium nil aliud exposcere, nihil etiã sine mercede accepturos: polliceri, si admiserint, omnibus cum integra libertate incolumitatem. Contrà à mœnibus extemplo se Blasius prodidit: qui imperiosus eos abire iubens, minis ac vi nil ibi profecturos esse significauit, quando sat commeatibus, & præsidio ciuitas munita foret, quinetiam, ni continuò recesserint, pœnas interminatur. Ii postquam in vrbe Blasium esse cognouere, pedem continuò retulerunt, & ad decimum lapidem ad diui Viti fanum castellum instaurarunt, quod Costolan appellabant, à Suohla prius occupatum. Hinc mox, cùm locum fossa aggereque duplici & crebris turribus communiuissent, in rapinas proximas effunduntur. Pagos & oppida vimineo muro circumsepta incendunt, abigunt pecora, in captiuitatem omne genus hominum asserunt, cædunt reluctãtes, & cuncta diripiunt. Suohla indies cum facinorosa multitudine latiùs longiusq; grassatur. Instaurata in superiore Vngaria pristina esse latrocinia, omnes vociferantur: redintegrantur vicatim & oppidatim fœminarum hominumque lamenta: ad reuocandum è Dalmatica expeditione regem nuncij mittuntur, qui Suohlæ facinus & renouata Boemorum latrocinia referant. Vix Zagabriam rex fortè peruenerat, cùm Suohlæ nouitatem accepit. Euestigiò cum exercitu pedem retulit, continuatis itineribus Strigonium venit, & in ripa fluminis castra posuit, insequenti die coactis vndecunque licuit nauibus, copias traiicere cœpit, transmisso Danubio, Ternauiam concessit: moxque Costolan, famosum grassatorum asylum, obsidet. Castellum, quod vi facilè capi non poterat, magnam vtrinque cædem sibi postulabat: nullaque machina & ingenio citiùs quàm inedia capi posse videbatur, nam ingens multitudo propter operosam munitionem, & properam obsidionem, ne tantum quidem commeatuum inferre potuit, quantum sat esse

Ternauia.

putaretur. Suehla igitur, cui laquei suppliciũ quotidie rex interminabatur, & suas nunquam manus euasurum auspicabatur, ad fugam animum primum intendit, propositam ante oculos famem spectabat, cui tantum sociorum numerum per inediam absumptum iri ægrè ferebat, ab arte salutem exquirit. Proceras arbores, quæ murum ex materia & congesta terra factum circumstabant, nocte clàm subcidit: pontemq́; ex his construi iubet, vt ab auersa castelli parte, iacto supra fossam cæco ponte, profiliant. Cùm omnia è sententia fierent, per silentium noctis cum vniuersa ferè societate Suehla per actuarium pontem clam elabitur: ducentas meretrices, & trecentos tantùm homines in castello relinquit: quo præsidio, donec ipsi longius effugiant, conatus regis eludant. Rex contrà, cùm hos maxima ex parte exiluisse sensisset, immisso expeditissimo equitatu, multisque cohortibus à tergo insequitur: in fœda fuga cæduntur multi. Rex ea nocte in castra rediit, magnam partem copiarum eos insequi iussit. In syluas illi se recipiunt, per cunctas latebras & singula lustra petuntur. Diffuso rumore, rustici superueniunt, qui multo sagacius eorum vestigia insequuntur: multos inueniunt, quos repentè trucidant, spoliantq́;. Latrociniorum pœnas seueriùs exigunt: & iniuriarum haudquaquam immemores, pro furoris imperio sæuiunt. Ex his pauci euasere: ducenti & quinquaginta capti, ad regemq́; in castra perducti. Paucis pòst diebus Suehla captus adducitur: is enim solus equo insidens, cùm per syluas erraret, vt in Morauiam effugeret, in lignatorem quendam incidit: orauitq́; hunc impensius, vt sese viæ ducem tantisper accommodaret, quousque proximos Morauiæ fines attingeret. Pro mercede equum, arma, pecunias & perpetuam denique gratiam pollicebatur. Cùm nomen rogatus, Suehlam se esse diceret: ille continuo, Ha salue, inquit, Suehla, latronum princeps facinorosissime: ô quoties mihi pecora, & iumenta abegisti? quot meam domum calamitatibus affecisti? quod de te aliquid pollicearis, non est opus: iam mei iuris es, Suehla, equus & arma mea sunt. mox apprehenso equo, Suehlam cepit, qui trium dierum inedia iam absumptus, vix equo sustineri poterat. Hunc ad castellum Cheithe duxit: Castelliq́; præfecto, cui Ladislao Zenas nomen erat, captiuum assignauit. is mox ad regem, adhuc Costolam obsidentem, literas misit, quibus & Suehlæ captiuitatem, & quid de eo fieri vellet planè significabat. Hoc nuncio rex in castris admodum exhilaratus, eum diligentissimè vinctũ, fidisq́; custodibus asseruatum ad se mitti præcepit. Ladislaus Zenas continuò mandata facit. Suehlam manibus pedibusq́; vinctum, fidaq́; custodia circumseptum, ad regem in castra misit. In conspectum eius adducto: Non ne tibi sæpius (rex inquit) interminatus ipse prædixi, te manus meas suppliciumq́; crucis nunquam euasurum? cùm fortè rogatus, triginta te dentes habere dixisses: non ne meministi conuiuas tibi omnes affirmasse, crucis omnino pœnas te esse daturum? Scelus, cum astro consentiens, fatum tuum adduxit: te Suehla facinorosa perfidia huc adduxit: quoties te suspendio dignum liberaui? ratus, viribus & virtuti bellicæ aliquid tribuendum. Significaui, vt ab auersa præsidij porta clam elabereris, ne cũ cætera multitudine æquè mori cogerere. fecisti, aufugisti quidem: manus meas euadere nequiuisti. Proinde quando perfidia, fatum & latrocinia tua ita iubent, laqueo cui es obnoxius, emorere, & moriendo malè mereri desine. Fatum enim remorari, non tamen euitari potest. Frustra supplicantem, in carcerem rapi iussit. Facinorosorum supplicio Blasium Magyar præfecit. Is insequenti die pro castelli porta cruces longo ordine disposuit: super has eminentiores quasdam instituit, vbi latronum princeps ipse præpenderet. mox omnes ad supplicium educti: in inferiori, spectantibus socijs, qui in castello erant, ducenti & quinquaginta ritè suspensi: in superiore verò ordine, qui magis erant insignes, in medio, Suehla: à dextra, sacerdos eius: à læua, puer qui post ensem gestare solebat. Cæteri, qui in præsidio remansere, tetro sociorum spectaculo absterriti, ad hostis arbitrium sese dedidere. Trecenti ibi capti sunt: ducentæ verò mulierculæ, quæ pari scelere victum quæritabant. Ii omnes à Stephano Bathore secundo amne Budam deducti, & in tur-

rim

tim, quam Mancam ex cognomento dicunt, coniecti sunt. Michael Czobor ea tempestate præfectus arcis erat, vir quidē haud infacetus: alioquin seuerus in noxios, & non expers crudelitatis. is enim esurientis fastidio multitudinis exasperatus, sub prætextu liberationis sex, octóve intempesta nocte excipere cœperat, quos alligato gutturi saxo, Danubio clam demergeret. Interpolatis id noctibus vsque adeò factum, quousque vniuersus captiuorum numerus hoc supplicio absumeretur. Ex ea igitur Boemica societate, quæ septem milibus hominum planè constabat, perquam pauci euasere. omnes enim fere aut fame, aut ferro sunt absumpti: hic Fraternitatis illius finis fuit. Dum hæc aguntur, secundo coronationis anno, eodem quoque tempore legali, qui in conuentu Segedinensi designati fuerant, adiecto Ioanne Venetorum oratore, cum apparatu magnifico, & honestissimo equitatu in Italiam venere, quemadmodum suprà diximus. Quinqueecclesiensis episcopus & Ioannes Rosgonius ij fuere. Ioannes Emo non inuito inconsultoque senatu Veneto cum his venit, & testis grauissimi potius quàm legati munus obiuit. Is enim quicquid in Bosna, Rascia ac Seruia à Matthia gestum fuerat, ritè cuncta spectauit: non modò enim vt comes, sociusq;, verùm etiam vt consiliorum moderator & particeps, periculis & prælijs omnibus adfuit. Vir enim consilij ac experientiæ magnæ compos, domi militiæque regi semper adstitit. Legatio non tam equorum præstantia, quàm florentissima iuuentute culta, omnium in se spectatorum oculos sanè conuertit: rara huic assimilis in Italia visa. Legati mandato regis primùm Venetias, deinde Romam venere, vt de communi bello cum Venetorum duce colloquerentur. Cùm vrbi appropinquassent, mirifico sunt honore à senatu populoq; suscepti. Rebus ibi è sententia constitutis, Florentiam venere: & in senatum admissi, opem in Turcos ad salutem publicam postulasse creduntur. Romam propius accedentes, honorificè Pontifex maximus sacrosanctumque collegium excepit. Facta dicendi potestate, Ioannes antistes, vir summa dicendi copia pollēs, regia mandata eleganter exposuit. Postquam legitimum promptumque regis obsequium, vires, facultates & animum in re quaq; maxima pontificio imperio obtemperantissimum obtulit, multa de imminenti Turcorum periculo, deque intolerabilibus & quotidianis Vngarorum laboribus ritè disseruit: quinetiam, veluti à rege post abitum fuerāt edocti, nouos Turcorum apparatus adiecit. Maumethem, inquiens, varijs trium annorum cladibus affectum, non vsitata solùm ira, odioque, sed diro quodam furore vexari: omnes artes dolosq; tentare: nunc inducias insidiosas offerre, exposcere amicitiam, ocij desiderium præferre: nūc grauissima bella moliri. Nuperrimè duos duces cum expeditissimis exercitibus præmisisse, qui Vngariam penitus ingressi, quantum in se esset, igni ferroq; vastent, & cædibus cuncta ex more compleant: in reditu Belgradum obsideant. Hos iam Synderouiæ appropinquasse: Maumethem cum filio, qui natu maior est, cum certis & innumerabilib. quidem Turcorum viribus, haud procul hinc subsequi, vt ea æstate ciuitatē expugnet, Seruiam occupet, & Iayzam demum, Bosnamque recuperet. Et eò obstinatius his duobus locis vt potiatur enixurū, quo faciliorē vnus in Vngariam, Poloniam, Boemiā: alter in Dalmatiam, Istriā, Italiam, Alemaniamq; aditū præstare videtur. Matthiam regē pro virili sua grauissimis his difficultatibus occurrere, multas lignorum strues, vt Belgradū muniat, secundo amne demisisse: obfirmasse armis, milite, commeatibus: in Bossena, propter Emerici gubernatoris occupationes, qui superiores Vngariæ oras à Boemis Polonisque tuetur, præfectos alios disposuisse, copiasque dedisse. Regem habito delectu, Buda profectum, in superiorem Vngariam concessisse, vt prouinciam à Boemorum Polonorumque latrociniis vindicet, quos magnas sibi societates comparasse intelligit. Demum pro viribus, imminētibus circùm periculis occurrere. Eius animum consilio, & celeritate promptissimum, nulla laborum grauitate succumbere. Hosti non prudentia, non animi magnitudine, sed viribus tantū cedere, quibus se imparem esse non inficiatur. Demum quando Christianæ Reipub. propugnaculum Vngariam esse nemo negat, in commu

nem fidelium salutem à pontifice opem,& auxilium implorat. A pontifice patribusq; Apostolicis benignè responsum: Sacrosancti collegij decreto sanctum, vt quinquaginta quotannis aureûm milia, pro gerendo bello, ad Matthiam in Vngariam mitterentur, quæ annos multos persoluta sunt. Quinetiam stantibus adhuc Romæ legatis, Marcus Tininiensis episcopus, nouus ad vrbẽ orator à Matthia missus est. quem cùm propter ista quæ diximus, tum propter Stephani Colociensis archiepiscopi cardinalatum, ad Paulum pontificem Matthiæ indulgentissimum, profectum esse nouimus. Oratores, rebus omnibus è sententia confectis, in Vngariam rediere. In Achaia interim Turcus agens, vt initum Venetorum cum Matthia fœdus rescinderet, nunc Venetos, nunc Pannonem 10 cùm induciis, tum pace solicitauit: quin & Matthiam per maioris Valachiæ regulum, quem Vaiuodam appellant, sæpe tentauit, optimas pacis cõditiones obtulit, adiecerat nonnullos in Bossenę Seruiæque finibus vltrò citroque nobiles: & in primis Rasciæ Despotam, quem non paruæ apud regem auctoritatis esse intelligebat. Internuncij quoque quotidie mittebantur, per quos mittẽdorum legatorum potestatem postulabat. sciebat enim, nisi soluto duorum fœdere potentatuum, nihil in alterutrum bello profecturum. Vires quasque maximas sola discordia eneruari. Contrà verò sub prætextu pacis, bellum multo grauius parabat, nec latebat quidem Pannonem, Venetumque hostilis astus, perfidia plusquam barbara, & insidiæ: seruandum eo impensius vterque fœdus esse cen- 20 sebat. Sæpe his etiam Ioannes Emus, antequam abiret, interfuit. His quoque temporibus multæ inter Matthiam, Imperatorem Romanum, Boemicumque regem Georgium, querelæ vltrò citroque intercessere, quæ animos non mediocriter alienabant, & futura inter eos bella portendebant. Friderico in Pannonia superiore prope Sempronianum agrum, castella quædam fuerant, veluti Khismarthon, & Forychstam: alia quoq; nõnulla, quæ intra Vngariæ fines continebantur. Hæc cùm Imperatori vectigalia penderẽt, iure fœderis à rege Pannoniæ immunitatem habebant: nihil tributi à rege impositi, nisi pro Turcico bello, cùm gerebatur, soluere debebant. Rex cùm extraordinarium ea tempestate stipendium, partim propter Turcorum, partim propter fratrum latroci- 30 nia numerosæ multitudinis indicere cogeretur: his iuxtà atque cæteris, tributum imposuit. indoluit Cæsar, nihil in vectigalibus suis populis indultum iri, nihil è stipendiis remitti, nullam Augustæ dignitatis rationem haberi: & ne secus quidem, atque si ipse quoque Imperator vectigalis haberetur. Sæpe tamẽ Matthias Cæsaris, & Leonoræ Augustæ literis exoratus, imposita belli gratia tributa remisit: ne ius tamen amitteret, non perpetuò concessit: & cùm permisit, retinendi iuris causa, non incautè id fecit. Præfectus Sempronianus in exigendis huiuscemodi tributis, se cum reluctantibus aliquãto seuerius agere cogebatur: contrà illi, quod iure patiebantur, hostiles iniurias reputare: Confugere ad Cæsarem: & exaggerata re, grauissimè queri: abacta à Sempronianis pecora, & ca- 40 ptos hostiliter homines, populatosque pagos dixere. Ad hæc Imperator (cùm quisque suis facilius quàm alienis credat) Matthiæ succensere, querulas scribere epistolas, & vltrò citroq; plerunque ad iram animi irritari. Cùm rege Boemiæ, defuncta iam Catharina vxore eius, iniuriæ, quæ à fratrum societatibus: & latrocinia, quæ partim à Morauis, partim à Boemis (latronum tunc asylis) Vngarię inferebantur, & à Georgio haudquaquam inhibebãtur, ad capessendum facilè bellum, ipsum suscitantibus quoque aliis, incenderunt. Cùm in his tandem mutuæ vtrinque literæ animos reconciliarent, nouum fortuna bellum obtulit. Nam in Transyluanos & Moldauos communi consensu expeditio decreta. Alteri namque, creato nouo rege rebellarunt: alteri, Stephano duce à re- 50 gia fide defecere. Benedictus Rufus Transyluanæ nouitatis auctor fuerat, vir in prouincia opibus & auctoritate iuxtà potens. Ea namque tempestate Ioannes, comes eius plagæ, vt aiunt, Vaiuoda, prouinciam à rege sibi traditam, cum imperio tenebat: vir nobilitate, prudentia, autoritate, viribusque præstans, natus è domo sancti Georgij, quæ inter Vngaros nobilissima semper habita. accedebat

debat fratrũ præstantia, multitudo amicorũ & clientium, præterea cognationes & affinitates eximiæ: item amplitudo diuitiarũ, quæ quidem omnia hominem ad maxima quæque speranda hortabantur. Cùm ex vsu belli inusitata Transsyluanis tributa imponerentur, quorum non tam grauitas, quàm insolentia prouincialium animos ad res nouas irritabat: is à Benedicto Rufo à principio clàm vexari cœpit, & ad capessendum munitissimum opulentissimumque regnum exhortari. dicebat enim Matthiam ex rege tyrannum euasisse, grauissimis inusitatisque vectigalibus populos afficere, nemini priuilegia, sanctiones, immunitates & municipalia iura seruare, ex libidine cuncta gerere: prouinciales impe-
10 riosum, insolentemq; hunc dominum vltrà tolerare non posse, disquirere quem regem creent: neminem ipso Vaiuoda succurrere digniorem, quippe cui nobilitatis & sapientiæ tantum inesset, quantum cæteri nossent: præterea tantum autoritatis & potentiæ cum summa probitate coniunctæ, vt quem alium magis optent, neminem inueniāt. His, consimilibusque dictis labātem sensim animum ad magna speranda conuertit, nec ab re quidem: quando regalia comitia nemo competitor ex hac prosapia dedecuerat. Benedictus inclinato huius animo, rem cum plerisque principibus agere cœpit: & multos è nobilitate plebeque, communicato consilio, vt noua moliantur, impellit. deinde res clandestina palàm agi cœpta: multi ad diuersa loca dimissi, qui querelas, regis inuidiam, & nouitatis
20 semina per vicos & oppida spargerent: regem Matthiam criminibus peterent, quòd insolentissima, grauissimaque tributa imponeret: priuilegia, immunitatis & libertatis iura non seruaret, æternum bellum corrogandarum gratia pecuniarum aleret: alium omnino regem quæri oportere, libertatis, & otij amantiorem: Vaiuodam propensè nũcupatis votis optandum, quem pientissimũ Transsyluaniæ patrem semper fuisse nouerint. Transsyluanum regnum suapte natura esse ita munitum, vt si prouinciali concordia roboretur, nihil sibi sit à parte vlla formidandum: regionem esse auri, argenti, pecoris ac marmoris, præterea vini, frumenti, salis, omniumque rerum, quas lautissimus vitæ vsus exposcit, præ cæteris, feracissimam: è coloniis olim Romanis, & legionib. completam: optimo-
30 rum matrem equorum, quos syluæ etiam spontè ferant: boumque fœcundissimam parentem, natiuum diuitiarum ærarium, & non immeritò à natura montibus circumuallatũ, ne à barbaris facilè nationibus expilaretur. Insuper Transsyluanis finitimos omnes esse conciliatos, quando sine vbertate hac viuere illi nequeant. Proinde humile ac stultum esse, legatam à maioribus libertatem, pusillanimitate quadam per ignauiam amittere: inusitata nullo pacto vectigalia tolleranda: vindicem libertatis, & nouum regem omnino quærendum, Ioannem Vaiuodam potissimùm eligendum. Hæc Rufo autore, agitari occepēre. Conspirantium quotidie numerus augetur. Res deinde publicè agi cœpta. Primariæ quoque vrbes legationibus, internunciisque vexatæ, vt à rege deficerent, quæ
40 defectionis crimen abominabātur, sub asserendæ libertatis specie, ad sumenda contra regem arma sunt adactæ. Vniuersa demum Transsyluana prouincia partim malè suasa, partim sua sponte à regia fidelitate defecit: Ioannemque Vaiuodam, etiam inuitum, regem declarant, salutantque. Passim per totam Vngariam haudquaquam falsus rumor effunditur, Trāssyluanos noua moliri, nouum sibi regem creasse, & palàm sacræ coronæ obsequia detrectare. Hæc igitur omnia publico rumore ferebantur. Habito delectu, rex Michaelem auunculum, & Nicolaum Wylachum, regni fines aduersus Turcos tueri iusserat. Ipse haud mora in Transsyluanam expeditionem cum palatino Michaele, multisque proceribus, antistitibusque contendit, octo milia equitum, & quatuor milia peditum
50 secum ducit: cæteras cohortes, turmasque Nicolao Michaeliq; tradiderat, quò facilius Turcorum incursus tolerarent. Sed Michael non multo post Zoynichi obsidionem (quando vix duo, vt perhibent, menses intercessere) malè pugnando cum Turcis, capitur. nam cum eorum aduentum per exploratores accepisset, coacto repentè exercitu, ad Bozazin (qui quidem locus sub Synderouia triginta milibus passuum est) Turcis occurrit, impar hosti, cùm honestè pe-

Transsyluania.

dem referre non posset, audacter manum conserit, ratus Fortunã pietatis & audaciæ rationem aliquam forsitan habituram. Primo congressu Mars arrisit, multi è Turcis à principio cecidere. Alibechus, & Scēder frater eius, breuem Christianorum numerum conspicati, cùm vtrinque cornua ducerent, extemplò circumueniēdos Vngaros esse duxêre, quod cùm fecissent, ij ab hostibus circumuenti, consternatis animis, partim magna patrata cæde occubuere, partim confusa acie elapsi effugere. Michael spectata sociorũ clade, ne ipse quidem superesse voluit: in confertissimos, cũ paucis qui superfuerant, hostes repentè se coniecit, capiturque. quin etiam Gregorius Labathan præfectus alæ, & in Turcico diu bello versatus, hostiles manus euitare non potuit: quem in Varnensi clade captum quoque fuisse diximus. Ambo Constantinopolim captiui ducuntur, & Imperatoris iussu capitis supplicium subire coguntur. Michael prior, non sine hostili affectatione obtruncatur: Gregorius mox eductus, cùm in horam iugulum expectaret, quidam præsto Turcus adfuit, qui eum cum filio rependēdum à Principe precario impetrarat: & pro captiuo Turco repēsus, fati diuerticulum Gregorio est oblatum. Auunculi mortem rex ægrè tulit: quippe non paruam regno iacturam in eo factam esse intellexit, à cunctis etiam fuit ordinibus iuxtà deploratus. Matthiam continuatis itineribus in Transyluanos contendentem, vehemens quoddam festinandi studium incesserat: haud inscium, locum esse hostibus inaccessibilem, si prouinciales montium fauces, impositis vbique præsidiis, asseruarent. nam cùm Carpatiis montibus, iisdemque perpetuis, & editissimis ab Vngaria diuidatur: Prouincia in amphitheatri morem continuis iugis vniuersa cingitur. Aditus angustissimi, & qui facilè obstrui queant, currus vix sigillatim admittunt: Angustiæ mõtium per quindecim milia passuum continuantur: vbi breuissimum quodque præsidium validissimas copias non modò remorari, verùm etiam ad internecionem cædere posset. Has igitur Matthias inprimis occupat: & insequenti die in patentes campos penetrat. Non procul à castris, prouincialis occurrit exercitus: rogatus à conspirationis autoribus, cùm vsus tulerit, an ne aduersus regem Vngariæ dimicare decerneret? Respondit vniuersus ad vnum: Se pro conseruanda prouincialium libertate, item priuilegiis & immunitate ad supplicandum, non dimicandum esse inuitatum: contra regem nunquam arma sumpturum: defectionis, infidelitatisque crimen morte impensius abominaturum. Cùm hæc nouitatis principes accepissent, animo consternati, & pœnitētia ducti, castra soluere populi, qui cõuenerant, sedes proprias repetunt, Rex vltrà castra mouens, in rebelles iter intendit: & postero die eò peruenit, vbi superiore illi die castra metati fuerant. Ioannes Vaiuoda extemplo cum vniuersis prouinciæ iudicibus occurrit, supplexque veniam exorauit. Nunquam, clementissime rex, inquit, in conspectum tuum venire potuissem, nisi misericordiam, mansuetudinemque tuam satis exploratam habuissem, eaque grauitate Maiestatem tuam præditam intellexissem, vt nihil temerè ageret, & inconsultè: Quinetiam, si iusticię simul, & misericordiæ occasio offeratur, clementiæ potius quàm seueritatis officium te nouimus optaturum: quando regiam alterum dignitatem magis addecet, ingratum verò & inuidiosum est alterum. Hoc magni, pusilli illud est animi. Nos cum iudicibus ad te confugimus Matthiam, vt si peccauerimus, veniam: sin minus, gratiam imploraremus. Sed quis est tam bonus, qui non quandoque peccarit? Ad malum potius, quàm bonum, mortalium pronum est ingenium, sed ocyssimè resipiscendo, cùm labitur, tempestiua pœnitentia veniam promeretur. De me verò, & de iudicibus rem vniuersam ingenuè fatebor, vt aliquid sibi libera passio comparare videatur. Cùm insolita ex edicto vectigalia Transyluani, quondam magna libertate donati, ob grauissima bella pendere cogerentur: hinc maximè vulgo querelæ sunt obortæ, insolentia quisque tributa detestabatur, & pendere recusabat. Publica hinc indignatio suscitata, & apertè quisque stipendiorum insolentiam, & grauitatem incusabat, ego communem animorum indignitatem facilè coercere non poteram, mansuetudine potius & tolerantia sedandam, quàm exa-

sperandam

ſperandam ſeueritate cenſebam. Inter hæc lamenta, ecce Rufus interceſſit, rem ipſam grauiter exaggerans, indignatos ad defectionem animos irritauit. Ad id nonnullos nouarum rerum cupidos impulit, me regem declarauit, cum ſociis qui vnà conſpirarant, diu me reluctantem, & interminantem acerrimè, his verbis, vt id paterer adegêre: ſi regnum non acciperem, ſe Polonũ, aut Valachum, Ruthenúmve introducturos eſſe minabantur: Ne quis ab his alienigena introduceretur, qui noſtram prouinciam magnis viribus occuparet: vltrò nomen regis admiſi, quouſque regni vindex & verus rex ipſe veniret, qui cũcta pacaret. Cùm pro rege hic forem, regia me ſalutatione honeſtari eò vſque toleraui, do-
10 nec præſtò adforet exercitus, quo facinoroſorum audaciam coherceré. Quin etiam & illud ingenuè dicere auſim, quod ſi ad peregrinos id transferendum erat imperium, mihi quàm cuiuis externo maluiſſem: haudquaquam diffiſus regiam ſuſtinere dignitatem, quæ degeneres animos abominatur. Ni Matthia veniſſes, inter iſtos dominari, quàm furorem gentis in me conuertere maluiſſem. Poſtquam, rex ſacroſancte, veniſti, paſtorem ſuum oues agnouêre: te verum regem, te Vngariæ Tranſyluaniæque dominum omnes conſalutant. Ego quoque inprimis principẽ dominumq; meũ agnoſco, ac ſupplex veneror & adoro: aduentu tuo pacata ſunt omnia, & antequã in tuum aſpectum venirent, arma quę ſumpſerant, depoſuere. Omnes facti pœnitet, & leuitatis, qui autem perfidia no-
20 tari poſſint, ſunt herculè perpauci. Populi qui conuenerant (vt è iudicibus ciuitatum, qui nunc adſunt, ſcire poteris) quamuis ad bellum à nouitatis autoribus irritarentur, ad ſupplicandum pro rebellione confluxerant. Poſtquam à principibus conſpirationis ſe ſolicitari intellexere, vt ſumpta in te arma verterent, continuò depoſuere, ne impium & infidele bellum gererent, quare pauci ſunt in culpa. iudices autem quibus è primariis vrbibus conuenêre, debitum & gratiſſimum vbique gentium & obſequium Maieſtati tuæ pollicentur: præter inuſitati extraordinariiq; tributi querimonias, nihil ſe commiſiſſe profitentur. Si hoſtilem in te animum geſſiſſemus, ante ingreſſum profectò occurriſſemus, obſtruxiſſemus anguſtias montium, & obſtructis faucibus, præſidia impoſuiſſe-
30 mus. poſtquam autem in Tranſyluaniam penetraſti, non armati, non quadrato agmine tibi occurrimus, non inſtructa acie obuiam prodiuimus: ſed inermes, ac ſupplices clementiam tuam venimus exoratum, inprimis vt, ſi quid peccauerimus, veniam & erratorum impunitatem impetraremus. Illud profectò clariſſimum Maieſtatis tuæ opus erit, ignoſcere ſupplicantibus, præſertim cùm in tempore reſipiſcunt. Repentina pœnitẽtia, ingenua faſſio, maximum quodque delictum abolet. Da operam, rex benigniſſime, vt ex opere clementiæ tuæ hodierno te die verum regem, & patrem pientiſſimum eſſe cognoſcamus. Boni principis eſt officium, in delictis plerumq; conniuere, & oblatam miſericordiæ occaſionem haudquaquam recuſare. Nulla quidem in regia Maieſtate virtus
40 plus dignitatis habet, & ſplendoris, quàm ipſa clementia, qua Deum reges propius accedunt. Quid enim magis regium eſt, quàm vincere ſe ipſum, parcere ſupplicãtibus, & errata mortalium, cùm tutò fieri poteſt, facilitate potius, quàm ſeueritate corrigere? Proinde nobis impenſiſſimè ſupplicantibus ignoſce: & ne priſtinæ libertatis priuilegia Tranſyluanis violẽtur, pro tua beneficẽtia proſpice, iuraque tuere. Cùm hæc dixiſſet, ad pedes regis vnà cum iudicibus prouolutus, ad oſculum mox excipitur. Rex omnibus veniam, pręterquam perfidiæ ac defectionis autoribus, daturum, & libertatem priuilegiaque Tranſyluaniæ vltrò ſeruaturum pollicetur. Ioannis Comitis fiduciam, dicendi libertatem, & ingenuam confeſſionem commendat: aſſeuerat ſe nunquam de Tran-
50 ſyluaniæ fide dubitaſſe: ſi quid nouitatis acciderit, id nonnullorum perfidia & improbitate accidiſſe: atque eos miti ſe tantùm exilio mulctaturum. Vnum erat quod in ea expeditione regem vehementer angebat: Emerici Scepuſienſis indignatio, qui in hac expeditione regia caſtra deſeruerat. Cauſa nemini ſatis comperta fuit, ſed illud omnium ferebat opinio: regem iam optimatibus formidoloſum eſſe cœpiſſe: ſuo, non alieno ductu agi velle: tacitam à cunctis proce-

Clementia maximè regia virtus.

tibus reuerentiam, promptissimumque obsequium sibi postulare. Emericum inter paternos amicos primarium, quem tantopere cunctis honoribus euexerat, liberè loquentem, aut consiliis aduersantem, minis quandoque corripuisse. Fecisse illi stomachum: & hinc Michaelis exemplo, illum plerunque motum incessisse. Intercessisse quoque calumnias inuidorum, qui parui ab illo regem fieri dicerēt: quinetiam illum sese rege maiorem ducere. Proinde oborta hinc simultas & suspicio, veterem amicitiam interturbare cœperat. Emericus eò sola suspicione adductus, vt castra desereret: & cùm opibus & auctoritate ita foret adauctus, vt arte viribusque suis se tueri posse confideret, de aperta defectione cogitauit: palàm exclamās, se obtrectatorum opera ad inopiam, & agrestem vitam nūquam rediturum, imò potius mortem obiturum. Virum tanti momenti, præterea spectatæ fidei ac sapientiæ, non temerè dimittendum rex esse censuit. Ioannem archiepiscopum Strigoniensem cum Emerico dimiserat, vt hominem recōciliaret, suspiciones omnes adimeret, & ad veterem regiamque fidem omni studio & diligentia reuocaret. Archiepiscopus mandata regis è sententia præstitit, namque redeunti è Moldauia regi, Emericus reconciliatus cum florentissimo occurrit exercitu, & se imperata cūcta facturum esse recepit. Sed ad Transyluanàm expeditionem redeamus. Rex cùm Ioanni iudicibusque (vt diximus) ignouisset, primò Colosuarum venit, deinde Thordam. Ibi nouitatis gratia conuentum prouincialibus indixit: quò ad præstitutum vniuersi diem conuenere, de fidelibus hîc, & infidelibus agitatum: qui rebelles ac perfidi declarati, his perpetuum duntaxat exilium indictum est: & ea quidem conditione, vt ad statum diem extra regni limites, quocunque luberet, se cum fortunis transferre sit liberum, quinetiam cuique tutò abeundi potestatem & diploma pollicetur. Benedictus Rufus, huiusce mali autor, in Poloniam se surripuit, ibiq; vitam exegit. Mite iudicium omnes comprobarunt. Quin & ipsi perfidiæ cōuicti, in se mitius, quàm oportuerat, actum esse fatebantur. Sed multos ignauia, & regis lenitas planè fefellit: quippe qui dum cōniuentem in his regem sperant, magis opinione seuerum deprehendêre. Cibinium enim cùm venisset, opulentissimam Transyluaniæ ciuitatem, si bi continuò renunciatum est, ibi nonnullos ex his esse, quibus dies perduellionis fuerat indictus: & contempto prorsus edicto, periculoque capitis, in exilium nondum abire voluisse. Nec parum quidem his regis animus incenditur. Et ne ex nimia indulgentia facilitateque contēptus aliquis calamitosus oriatur, Quæstorem statim acciri iubet, qui reos, & eos qui regni hostes in frequentissimo Tordę cōuentu pronunciati fuerant, cōtinuò caperet, moreq; maiorum nouissimum de his supplicium sumeret. Eo die octo capti, è quibus hos inprimis memorant: Petrum Gerch, Michaelem Suki, præterea prætorem vrbis, Iohannemq; Chercium. ij omnes in foro securi à publico lictore obtruncati sunt: nullus ex horum nece tumultus in Cibiniensi vrbe suscitatus, omnes iure cæsos adfirmant. Rex pacata prouincia, dum diuæ Catharinæ solennia celebrantur, Transyluania egressus, in eam Valachiæ partem castra mouet, quā Moldauiam nunc dicunt. Hîc Stephanus Vaiuoda latè dominabatur: & cùm sub regis Vngariæ ditione versaretur, omniaque stipēdia exoluere, ac imperata facere deberet, elatus animo, ac ferus ingenio, præterea impiger, & bello asper, detrectarat obsequium: Transyluanas etiam factiones fouerat, vt perturbatis rebus libertate frueretur. Rex igitur per syluas, angustiasque mōtium iter facere cogitur, vt rebellem Vidalachum ad obsequiū reuocaret. vbi obstructas arboribus, multaq; materia fauces inuenit, partim igni, partim ferro sibi viam aperit, patefacto itinere, cùm in latiorem regionē exiuisset, ad oppidum Remanuasiar castra locauit, quod Romanū illi forum interpretātur, lignea huic sunt mœnia, aggere fossaque munita, Serethus hoc amnis abluit: ad ripam arx lignea, præsidio potius quàm arte munita. Stephanus hic erat prouinciæ regulus, cui Moldaui omnes iuxtà parebant. Rex primo impetu Romanū forū occupat, quod vbi ab hoste visum est, postero die per internuncios de pace agi cœptum. Multa vltrò citroq; de cōcordia agitata sunt, nihil tandem

confici

confici potuit. Pòst, vbi Matthias sibi ab hoste verba dari senserat, infecta pace, castra hinc vltra mouet, antequam abeat, succendi diripiq; oppidum edicit. Incenso Romano foro, quacunque iter facit, pagos, & oppidula igni ferroq; passim cuncta vastat, homines ac pecora cum ingenti præda miles abigit. Ad ciuitatem demum tertio die peruenit, episcopo haudquaquam ignobili præditam, quæ Moldauis Bania dicitur: vbi in prima vigilia noctis, rex cum insidioso callidoq; hoste confligere cogitur. In hoc quisq; bello fortunam regis cum virtute coniunctam fuisse perhibet. In parte fori, regis erat hospitiũ, quà ad episcopatum spectat: vbi duæ quoque viæ congruunt, quæ basilicam amplectuntur. Cæteri
10 pontifices, proceres, legionumque præfecti, circa forum hospitia occuparant: vt ex vsu regi præsto semper adessent. Inter cœnandum, ad regem captiuus quidam Sythotus adducitur: rogatus, accitus interprete, quis esset, vnde, & quò tenderet, & quæ causa fuerit itineris? respondit, Interprete nequaquam sibi opus fore, se Vngarum, & Transyluanum esse: ac rerũ ignarum, ad reuisenda sua prædia nunc in Moldauiam venire, quæ caduca vxoris bona forent: in itinere Valachorum duodecim milia haud procul hinc offendisse, qui Vngaros prima vigilia noctis incautos adorirentur, trucidarentque: se gentis charitate properasse, ne silentio nefario suorum exitium pateretur. Cùm hæc à principio parum crederentur, ne salutis fortè gratia ista comminisceretur: & à rege minæ in-
20 teriicerentur, mox adiecit: vt adhibitis se ipsum custodibus asseruarent: si falsa nunciasset, vltimum de se supplicium continuò sumerent. rex hominem asseruari, & Drach Bertholdum, ea tempestate dispensatorem suum, equitem fortissimum, & ad gerenda bella natum, conuiuas bene tractare iussit. Incœnatus ipse mensæ se subtraxit, optimates omnes centuriones & præfectos equitum extemplo cogit, imminens ab hoste periculum enarrat, omnes clàm arma sumere præcipit: stationes in ciuitate per omnes vias, portasque disponit: ad fori aditus prætorianas cohortes collocat. Ducentos veteranos, & eos quidem grauis armaturæ, pro suo hospitio statuit, vt à duobus vicis, qui ibi congruunt, hostium impetum excipiant, turmas equitum per compita cuncta
30 distribuit. Vix hæc ita disposuerat, cùm sub primam noctis vigiliam hostis aduenit: ligneam vrbem viminco muro circumseptam, à tribus repentè partibus immisso incendio adoritur, maximus vtrinque clamor & tumultus oboritur. Valachi immisso per vrbem igni, intrò penetrant: iniectus vtrisque ignis per cæcam noctem tantum luminis præstabat, vt euidentissimè dimicarent. Ad portas primò, deinde, per vias & triuia magna strages agitur: tanto vtrinque impetu pugna conseritur, vt nil infestiùs agi videretur. Ex industria, quadrata duo agmina duplici via ad regale hospitium contendunt: veteranos ibi instructos offendunt, acerrimum atrocissimumque hìc prælium agitur: Cadunt hìc multi è Valachis: & dum ij hostes domo eiicere, illi contrà vincere, & vitam seruare ni-
40 tuntur, multum hìc sanguinis exhauriunt † Michael Palatinus, Nicolaus Chiupor, & Ioannes Pongratius, Vaiuodæ Transyluani: Nicolaus Banffij, Stephanus Bathor, cæterique proceres, fori aditus obstinatissimè pro se quisque tuebantur, & irruentium impetus repellebant. Non latebat enim, capto foro, haud secus atque arce, cætera facilè peritura. Vbique inter tela, & incendia, pertinacissimè dimicatum. Valachi tandem ex omni fori parte reiecti, post mediam noctem terga dedere. Instant à tergo Vngari: & antequam vrbe se hostes surripiant, quamplurimos intercipiunt, alios pręauiditate fugæ in flammam, multos in enses agunt, dum in propera festinatione sese cõglomerant, aut pilis à tergo confodiuntur, aut mutuò cæci sese collidunt. Vix quatuor milia vrbe exilue-
50 re, cæteri in vrbe deprehẽsi, ad vnum omnes trucidati sunt. Rex ea nocte modò pro hospitio suo cum veteranis certans, modò in foro stationes percurrens, militis & Imperatoris optimi præstitit officium. In acerrima quaque pugna primus affuit, & nunc fortes hortando, nunc increpando timidos, nunc laborantibus succurrendo, & fortissimè vbique dimicando, se exercitumque seruauit. Grauissimas è rebellantibus Valachis pœnas exegit ad internecionem: nanque

† *Michael, puto Orszagh.*

ſeptem, vbi illuxit, Valachorum milia cæſa, ex numero comperta ſunt: ex Vngaris, mille & ducenti, cæteri, magna ex parte ſaucij. Quin & rex ea nocte haud procul à ſpina dorſi ſagitta Getica confoſſus eſt: vbi cùm excuſſa ferrum haſta altius inhæſiſſet, quatuor annos non ſine graui moleſtia pertulit. Et cùm, vbi inſederat, tabeſcente plaga remitteretur: deinde repellente natura, ſenſim excuſſum eſt. Ea nocte pro vita potius, quàm dignitate, pugnatum. Finitima quæque oppida viciq́ue pariter incenſi, direptiq́ue. Rex vulnere grauatus, cæſo ad internecionem hoſte, pedem in Tranſſyluaniam, deinde in Vngariam referre ſtatuit. Seruatoriſque natalibus Braſſouiam rediit: ibi in reos perfidiæ ſeuerius animaduerſum eſt. Michaelem Tranſalpinum, nobili Vaiuodarum genere natum, ſupplicio affecit. Ex rebellionis autoribus, Michaelem Zekel, Aladarium, & Nicolaum, cui ex Viſakna cognomentum erat, à Quæſtore captos, ad Coloſuar candentibus per vrbem forcipibus circumuectos, diſcerpi fruſtillatim, ac demum obtruncari iuſſit. Ex diro ſupplicio tantum terroris omnibus, qui cum Rufo conſpirauerant, incuſſit, vt clandeſtina ſine liberis & fortunis fuga in Polonos & Valachos elaberentur. Eorum bona aut in ærarium relata, aut poſtulantibus nonnullis dono data. Nondum è Tranſſyluania pedem extulerat, cùm ſupplices à Stephano Vaiuoda literas accepit, quibus audaciam, & temeritatem ſuam ingenuè fatebatur, quòd aduerſus regiam Maieſtatem, cui plurimum numinis ineſt, nefaria arma ſumpſerit: non minus iuſtas quàm cumulatas pœnas ſe dediſſe dicebat, demum quia poſt ſupplicium venia ſequitur, poſtulabat ignoſci, non difficilem ſibi putabat veniam fore: & reconciliatum regis animum precabatur. Rex, ne plus ſeueritatis, quàm miſericordiæ præ ſe ferre videretur, ſpem veniæ dedit: quam ex quotidianis rebus ac dictis, ſi ille vellet, augeri poſſe ſignificauit. ſi obſequia grata legitimaq́ue præſtaret, ſe nunquam difficilem futurum: ſi minus, Martem cruentiſſimum litem eſſe diremptúrum, illum humanorum ſcelerum vltorem eſſe iuſtiſſimum. Matthias igitur pacata vtraq; prouincia, in Vngariam rediit. Nondum è Carpatho monte prodierat, cùm ad pagum quendam, Emericus cum florentiſſimo exercitu improuiſus occurrit: & veluti antè diximus, per Ioannem metropolitam Strigonienſem reconciliatus, ſupplex regem veniam exorauit: hilari & periucundo vultu ſuſceptus, & amplexatus eſt, ibiq́ue perpetuæ fidei fœdus ictum. Quo miſſi ea tempeſtate ſecretarij Matthiæ fuere: regale ſigillum ex compacto, ſenis menſibus viciſſim ab vtroque geſtatum: ſcribendi munus ſine cõtrouerſia hoc modo Ioannes Strigonienſis & Stephanus Colocienſis ambo metropolitæ geſſere, qui his temporibus haud parum grauitatis & iuſticiæ retulerunt. Hæc igitur bella, poſtquam coronatus eſt, tribus circiter annis à Matthia geſta ſunt.

1567. Boemicum bellum aduerſus Georgium regē.

Quarto autem coronationis anno, cùm ad clara ſemper facinora animũ extuliſſet, in Turcos hæreticoſq́ue Boemos animum intendit. E Tranſſyluania rediens, traiecto Tibiſco, Agriam ouans peruenit: indictoq; ibi conuentu, dies aliquot in ea vrbe conſedit, vt de futura expeditione decerneret. Cùm regnum latrociniis purgaſſet, rebellantiũ repreſſiſſet audaciam, & prouincias noua molientes è ſententia pacaſſet, quemadmodum hactenus abundè ſcripſimus, duo Matthiæ bella ſupererant: alterum Turcorum, quibus cum eſt perpetua colluctatio: hæreticorum Boemorũ alterum. hoc neceſſarium, illud à Romano pon-

Paulus II.

tifice delegatum. Paulus enim pontifex, verus Romanæ eccleſiæ paſtor, fideliumq; pater, ne minore animi magnitudine, quàm pietate præſtaret, ad pacandam prius Italiam: deinde ad corrigendos hæreticos, cohercendoſque Turcos animum aduertit. Vtinam conſilium numina fortunaſſent. Quarto pontificatus anno, cùm per hyemem magna induſtria, & labore res Italas componere conaretur, & non ſatis adhuc inter partes conueniret, rerum ille dominus, ac pacis auctor, inter celeberrima ſacra publicè pacem quibuſdam conditionibus indixit: & in æde Marci, inter ſacra ſolennia, cum ſummo Cardinalium omnium conſenſu edictum edidit, quo omnibus Italæ pacis & concordiæ interturbatoribus Chriſtiana conſuetudine ac ſacris omnibus interdictum eſt. Hæc molie-

moliebatur, vt expeditiùs cætera consilia, quæ ad salutem humanam intenderat, prosequeretur. Matthiam eo tempore ad facinora quæq; clarissima accommodatissimum, non tam natum, quam à Deo sibi datum reputabat: cuius ductu & auspiciis prophanum æquè, ac hæreticum protereret, Georgium Boemiæ regem execrabilis hæreseos planè conuictum, publico grauique edicto, regno ac dignitate priuauerat. Id anno Salutis quadringentesimo sexagesimo octauo supra millesimum factum erat. Et eo quidem anno, quo Ioannes Quinqueecclesiensis antistes & Ioannes Rosgonius, legati ad Paulum pontificem venere. Ex eo tempore, pontificiis sæpè literis ad vtrumque bellum Matthias incenditur. Reluctantem, & vtrique hosti imparem se esse dicentem, variaq; causantem, Romani Imperatoris epistolæ & oratores circumuenere, qui promissis oneratum, ad extirpandam tandem hæresim impulére. Hortabatur ad id iuuenem, quòd Turcum in Asiam arma vertisse, & Syriaco, Ægyptiacoque bello implicitum esse cernebat. Succendebat vlciscendi libidinem, iniuriarum adhuc recentium amara memoria. societates enim fratrum, qui tot oppida in Vngaria occuparant, tot pręsidia, & castella erexerant, tot annis regnum latrociniis infestum præstiterant, Boemicæ, Poloniæque fuerant: & hinc eiectæ in Morauiam, Boemiámve, haud aliter, atque in patrium, tutissimumque asylum, confugiebant. Quinetiam mutuæ finitimorum iniuriæ, incursiones & rapinæ, vltro citroque odia suscitabant. nam dum quisque suis facilè credit, ad veritatem & iusticiam plerumque animum non intendit. Nec defuerat quidem ingenitus laudis & gloriæ stimulus, qui ad maxima quæque gesta trahebat. Immortalitatis enim cupiditati sic obnoxium natura finxerat, vt pro comparanda sæpè gloria, grauissima quæque pericula contemneret. Instigabat etiam religio, sacrosancti collegij obseruantia, orthodoxæ fidei charitas, & diuinus amor: indulgentissimique pontificis & Romani Imperatoris autoritas, quorum alter quinquaginta aureûm milia per Ioannem oratorem Quinqueeclesiensem episcopum & collegã ad Matthiam miserat: alter omnia vnius anni vectigalia Austriæ, item arma, commeatus & tormenta quoque bellica ad hanc vltrò expeditionem offerebat. Quinetiam, quantum ex regiis epistolis, quæ ex Strigonio ad Victorinum Georgij regis filium Munsterbergensémque ducem, & ea tempestate Morauiæ præfecturam sanè gerentem, secundo coronationis anno mittebantur, intelligi potest: Henricus Lippa, & Matthæus Steinbergus, ista odia & belli huiusce semina seuere. Alter enim regni finibus cum Michaele palatino mutuis decertauit iniuriis: & cùm prior ipse prouocarit ad protegendum scelus, læsum aduersarium accusabat, illatasque loco vltionis iniurias deferebat. alter, cum sociis eiusdem petulantiæ, crebris regnum incursionibus inquietabat. Nec minore quidem audacia Stephanus Eyzinger stomachum regi fecerat. Ad coëmenda namque tela, sagittasq;, quarum inopia Turcico bello is admodum laborabat, in Germaniam superiore anno nõnullos miserat, necubi portorium, ob salutaris belli rationem ac regis autoritatem ab his solutum est. Cùm Morauiæ fines attigissent, grauissimum Stephano publicano portorium expendere coacti sunt. Quare haud ab re in Stephanum Matthiæ commotus est animus. Insuper ex veteribus nouæ quotidie iniuriæ, à facinorosis vtrinque hominibus serebantur, interturbatores initi fœderis, & ocij indies oriebantur, item (vt regis querula testatur epistola) in obsidione Costolani, cùm obsessi fratres equos, familiasque alere non possent, clàm per silentium noctis elapsos, in Morauiam ad Henrici oppida emiserunt: ibique gratum tutumque hospitium inuenere. Hæc igitur omnia cùm rex mente reuolueret, ad bellum Boemicum animum acclinabat. Nihil tamen inconsultis patribus, proceribusque agendum esse censebat. Cùm de suscipiendo bello ad conuentum frequentissimum retulisset, variæ vtrinque sententiæ sunt auditæ. Plerique, propter Maumetis insidiosi potentissimique hostis periculum, à cæteris expeditionibus omnino cessandum esse censebant. Sat Vngarum agere, si Turci impetum, furoremque repellat: perpetuum, dirum, validissimumque hostem, haudquaquam dimittendum:

Vngariam duplici bello prorsus imparem videri: & assiduò bello vexatam iam milite, opibusq; exhaustam esse. Contrà alij planè sentiebant: perniciosum dicere Vngaro fore ocium, si cessarit enim, in factiones, intestinasque discordias repentè recidere solere: ad bellum tantum esse natum, robore corporis validissimum, ac laboris & inediæ tolerantissimum: Vniuersos Europæ principes, Vngari tantos labores & quotidiana prælia demirari. Addere fortunam, sapientiam, fortitudinemque ducis: cui nihil aggredi licet, quod dexterrimum euentum non afferre videatur. Bellum vtrumque pium & sanctissimum: obortam nuper Boemorum hæresim esse pestilentissimam. quinetiam admodum verendum, ne cùm è Boemia Morauiam nuper inuaserit, quæ contermina est, Vngarorum sensim, & pedetentim animos illabatur. Omnes tandem tacentes, regis animum & sententiam expectabant.

RERVM VNGARICARVM DECADIS QVARTÆ LIBBR II.

REX post diuersas Patrum sententias, Pauli pontificis, & Cæsaris epistolas continuò recitari iussit: quæ Matthiam hortabantur, & orabant, vt delegatum à Pontificia & Cæsarea autoritate Boemici belli dudum imperium, vltrò susciperet: ac stata pollicebantur cùm auxiliis stipendia. Demum obsecrabant, vt veluti à Turcis hactenus, ita nunc ab hac hæreticarum peste Christianã Rempublicam & orthodoxam fidem assereret. Recitatis epistolis, ipse à solio sic exorsus. Si quis (inquit) hoc proceres, bellũ declinare deberet, Matthias ex his profectò vnus esset: quippe quem in socerum, salutis autorem, arma sumere, quem pij loco parentis semper habuit, nec æquum, nec fas vllum hortatur: sed cùm mecum reputo, quicunque publicam personam gerit, vel maximè principes, potius communis quàm priuati commodi rationem habere oportere: ex hoc fit, vt publicam salutem & vtilitatem propriis rationibus anteponam, Cùm me considero priùs ad regni Christianæque Reipublicæ, quàm affinium commodum esse natum, meorum sæpe cogor obliuisci. Nec illud quidem Seruatoris optimi maximi documentum quenquam præterire debet, plerunque, cùm ius fasque tulerit, non modò suorum nullam habendam esse rationem: sed animam quoque suam, cùm de Deo agitur, perdere oportere, vt in cœlis inueniat eam. Verùm si, quanti momenti sit id, quo de hodierno die agitur, rectè pensitaueritis, nimirum etiam iniussu Pontificis & Augusti, vltro id bellum suscipiendum esse censueritis. Res tanti ponderis si cui detrectanda esset, in primis profectò mihi esset. In eo enim loco regnum situm habemus, Proceres, & ad tam misera tempora venimus, vt hoc bellum necessitate magis, quàm voluntate suscipere cogamur, cùm Turcico perniciosius esse videatur. Turci, præter obsequium & tributa, nil aliud exposcunt: ad suas ceremonias nec vi, nec cruciatibus impellunt: nullis animum prophanis opinionibus inficiunt: corporum, non animorum imperium quærunt: Boemica hæresis, quæ tam multiplex est, & diuersa, vt contrariis semper fluctuet opinionibus, vsque adeò propagari cœpit, vt non solùm Boemiam, sed iam iam totam Morauiam, & magnam Silesię partem infecerit. Iam nostris finibus pestis hæc imminet, & nonnullorum etiam militari consuetudine (vt nuper accepi) mentes incessit. Corporis interitus incommodúmve, parua iactura est, patres: sed animorum, maxima. Boemus, dummodò te in suam ruinam trahat, insitaque labe contaminet, nil aliud postulat: te noctu & interdiu familiarissimè vtitur, & quibuscunque potest, humanitatis officiis excolit: ad voluptates quasque perniciosissimas incendit. Iustum, fas & ęquum, omnia miscet: pollutæ ac inuersæ sunt ceremoniæ: verus Dei cultus piaculorum multitudine deprauatus: extincta religio, spoliata templa, sacraque collegia monachorum: orthodoxa fides tot malis opinionibus infecta, vt nocturna sacra ad promiscua adulte-

Oratio regis.

10 10 30 40 50

adulteria, incestusque redegerint. Hic Adamitas, & Adæ more viros passim cum mulieribus nudos incedentes, sine rubore pudibunda ostendentes, cernere erit. Hic Iacobitas, hic Paulinos, hic Taboritas, & Hussitas, ac varias hæreticorum sectas quisque spectabit. nec illud ab re quidem: quando, postquam ab ipsa veritate diuertitur, diuersi vtrinque nos errores excipiunt. Quare pestis, & exitium nostris limitibus imminet: & ni salutem fortè nostram, veluti amentes desperatione contemnamus, necessariò hanc labem propulsare cogimur. Præterea quódnam bellum honestius, glorio siusque nobis proponi posset, quàm id, in quo non modò de communi corporum libertate, sed in vniuersum de animorum salute agitur? vos orthodoxæ fidei vindices, vos Christianæ Reipublicæ assertores, vos vniuersæ salutis autores: nunc pastor gētium, sacrosanctum collegium, & Romanum imperium vehementer hortatur, & exorat, vt Christi populum non modò à seruitute Turcorum, sed etiam ab hęreticorum contagione liberetis. Et ne ea quæ vires nostras exuperent, ij orare videantur: pecunias, arma, commeatus, & auxilia non parua deferunt. Calamitosum laborem, fortasse quis dixerit, nobis proponūt. Imò si rectè sentire, ac viri esse volueritis: argumentum laudis, & materiā nobis offerunt immortalitatis. Laudis, dixi, & immortalitatis: imò regni accessionem, perpetuumque commodum. Quicquid armis quæretur, vobis, non Pontifici, non Imperatori, parabitur. Interitum tantùm hæreseos illi quærunt. Quicunque non laude, non belli pietate mouetur: commodo militiæ, & imperij propagatione excitetur. Sed turpe est, momentaneam vtilitatem perpetuæ præferre honestati: non solidum, sed inanem sibi finem præponere. Quietem sibi aliquis optabit: quænam quies, præter desidiosum & ingratum ocium, Vngaro esse potest? Quæ vestræ artes, quæ studia sint, quæso considerate. In tria hominum genera vniuersa digeritur Vngaria: vnum Deo dicatum, in religione versatur: alterum, militiam: tertium, agros colit. Non vos diuersa literarum studia, non variæ artes & mercatura solicitat. pars maxima vestri arma gerit: qui nisi stipendia feceritis assidua, vitam cum dignitate retinere non potestis. Si domi degitis, impatientes inopiæ, cōtinuò ad vim, seditiones & rapinas animum aduertitis. Formidolosum (mihi credite) tale vobis est ocium, ad gerenda bella vos natura genuit. Proinde nolite, quæso, turpi ignauia desidiaque torpescere: partum tanto sanguine à maioribus regnum, a Boemis & Turcis vindicate. Non ignáuia laus ipsa comparatur. Nihil honoris tibi virtus adfert, & ornamenti, sine labore, difficultateque quàm maxima. Generosi viri est, more Herculis, in perpetuo labore, & sudore versari. Non ad vētrem, & desidiam, sed ad laborem nati sumus. Videte quàm bene nobis cum fortuna agitur. Inter Turcos & hæreticos nati sumus, qui Turcis sunt longè perniciosiores: alteri in seruitutem, in perpetuam animorum miseriam alteri nos asserere conantur. Martialis, ni à maioribus degenerare velit, est Vngaria. Vtrinque laudis & commodi, perpetuæq; salutis proposita materia est. Quis hic vacationem militiæ, quis otium, aut exauctorationem appetierit? nisi fortasse nutrire ventrem, & inter mulierculas pensa disponere cupiat. Ardua & difficilia cūcta fortissimis viris sunt iurè proposita: ignauos & inertes repellit gloria. Sat ipsa experientia didicistis, nihil desidioso ocio vobis esse perniciosius, quo humanum semper contabescit ingeniū. Si religio & vera fides prius nobis insitæ esse debēt, quæ diuino potius quàm humano beneficio cōparantur: vobiscum, pontifices, aliquantisper (quæso) reputate, quid à vobis in primis sacrosancta mater Ecclesia, quid sposus eius Seruator noster, quid Christi vicarius, quid Apostolicus ordo, quid Cæsar Augustus, quid propinquum exitium iam nostris limitibus imminens, quid salus animorum, & res denique ipsa postulare videatur. Existimate à IESV optimo maximo vos omnes orari, per cruciatus indignos, per sanctissimū sanguinē, in patibulo crucis pro nostra redemptione largè diffusum: per saluberrimā mortem, qua vos à morte liberati estis: ne hostes sui nominis, vel religionis infectores, in exitiū fidelium, in animorū interitū, vires & imperiū amplificare patiamini. Idipsum cæteri, quos diximus, expo-

ſcunt. Opulentiſſimi vobis pontificatus & baſilicæ, opulentiſſimæ quoque proceribus & nobilibus ciuitates ac villæ, à ſuperioribus noſtris factæ ſunt non ad luxuriam agendam, non ad crapulas celebrandas: ſed cùm Chriſti milites ſitis, ad alendum exercitum, ad protegendam fidem, ad eradicandam hæreticorum impietatem. Quæ ſi præter opinionem contempſeritis, ad æternam animi corporiſque miſeriam (mihi credite) militabitis. Ad ingratum hęc ſagitta me hortatur ocium, quam altiùs dorſi ſpinæ infixam Valachico bello nuper accepi: quàquam ſomnum inhibet, quietem intercipit, & moleſtum cibum reddit: quotidie tamen grauiorem corpori loricam induxi, & contempſi dolorem, quando plus regni ſalus delectationis attulit, quàm illa moleſtiæ. Si vos non religio, non Chriſti charitas, non orantium autoritas, ac cætera quæ diximus, excitauerint: num vſque adeò ſegnes, bruti, ac ab omnibus ſenſibus eritis deſtituti, vt priſtinarum intolerabiliumq; iniuriarum memoria, quas per tot annos à Boemis accepiſtis, ad bellum pro fide, pro Chriſto capeſſendum, non impellat? In primis annos octo ac viginti Telephus Giſcra, ſociiqúe quàm plurimi nos cædibus, rapinis & incędiis affecerunt: fratrum deinde latrocinia multò grauiſſima ſucceſſere, qui illorum exemplo è Boemia, tanquam aſylo malorum omnium, prodiere, erexere caſtella, templa diripuere, inceſtauere virgines, eximiasque matronas: igni ferroque latè graſſati, nec ætati, nec ſexui, nec focis & aris pepercêre. Suehla quid molitus ſit, non ſine ſpectaculo quoq; cruento ſpectaſtis. Quin etiam ſuperiore anno, quid Henricus Lippa, fraternæ ſocietatis latronum hoſpes: præterea quid Stephanus Eyczingerus, & Matthæus Steinbergus aduerſus noſtros patrarint, accepiſtis omnes, & plerique ex accepta calamitate ſenſiſtis. Vindictam ſibi tales poſtulant iniuriæ, quando illi quibus bellum ſumus indicturi, hoſpitia ſemper latronibus grata præſtabant, læti excipiebant, alebant in perniciem noſtram, & prædam fortaſſe communem habebant. Quò vſque igitur, proceres, hæc inulta tolerabitis? quò vſque in cædem calamitatemq; veſtram funeſtum hoc genus hominum reſpirare patiemini? An vſque adeò diuturna malorum patientia obduruiſtis, vt tolerata fortunarum iactura, ferēdum nunc quoque animorum interitum expectetis? Tolerabilia ſunt quandoque illa detrimenta, quæ reſarciri queunt: ſed cùm de æterna corporis animique miſeria agitur, ad declinandum tam exitiale periculum, omnes hominis vires intendendæ ſunt. Difficultatem belli quis obiecerit, & tempus minus idoneum: neque difficillima duo bella, & tantopere formidoloſa, proſperè vno tempore agi poſſe cenſuerit. Fateor, Boemos Martiales eſſe, formoſiſſimum genus hominum, culturæ corporis ſtudioſiſſimum, & quàm maximè crinium: cupidiſſimum belli, & ad pericula promptiſſimum. procera ſunt his corpora, & ſpecioſa: contemptus mortis magnus ineſt, & perſuauis herclè conſuetudo. Sed animi corporiſque voluptatibus nimis ſunt obnoxij, quibus vires omnes eneruantur: mira inediæ, laboriſque impatientia. Primo congreſſu nimis poſſunt: ſed ſudorem aſſiduum, ſitum, ſqualloremque caſtrenſem perferre nequeunt: mori aut terga vertere, quàm comæ cultum præterire, malūt. Accedit & illud, quòd non cum vniuerſa nobis Boemia bellum ſuſcipiendum eſt: ſed cum hæreticis tantùm dimicandum, quos & robur fideſque veſtra, & numen veritatis, Seruatoriſque præpotens dextera proteret vniuerſos. Aliter cum Sigiſmundo, qui infeſtum ſemper ſibi Martem habuit: aliter cum Germanis, & nunc cum Vngaris (bene ſpero) pugnabunt. Alium ſibi hoſtem eſſe ſentient, à diuina benignitate, à cœleſti iuſticia, ab orthodoxæ fidei veritate longè aliter munitum. Pro victoria noſtra Romæ pontificis edicto ſupplicationes indictæ, ad omnes aras diuina res fit. Pro victoria noſtra, Auguſti beneficentia, omnia Auſtraliū armamentaria patefecit, vectigalia conferet, & auxilia validiſſima pollicetur. Nudiuſtertius pontifex Paulus, pater ille pientiſſimus, Apoſtolicum diploma cum Imperij ſceptro, gladioque miſit. Quo me (velim nolimve) ex apoſtolici ſenatus conſulto, & Auguſtali conſenſu, autoritateque Chriſtianæ Reipub. Imperatorem aduerſus Boemos hæreticos, & Turcos pronunciat, & edicit, Maumetes ne quid

Boemi.

vobis

vobis à tergo moliatur, haudquaquã hoc anno dubitate. In Asia sibi cũ Syris & Ægyptiis res est, cum Assyriorũ rege bellum iniuit. In Scyllã (mihi credite) incidit, & Charybdin: nostra in vado res est, cum hæreticis tãtùm nobis bellum erit: quos ad resipiscentiã salutarem reuocare, cùm alioquin viri sint magnanimi, & domi militiæq; præstantes, nõ modò gloriosum, sed piũ & sanctũ erit. Quæ hinc cõmoda animi corporisq; proueniãt, quis vnquã numerarit: Hinc regni accessio, cõmunis vtrinq; salus, põtificia & Augustalis obligatio, & gloria cũ immortalitate cõiuncta. Quas ob res (sacrosancti patres, proceresq; fortissimi) desidiosum ociũ repellite, omnes vno cõsensu capessendũ hoc bellum esse censete, piã
10 sanctamq; militiã militate: me Christianæ Reipub. ducẽ, me Imperatorẽ in hæreticos ab Apostolico senatu declaratum sequimini: pro orthodoxa (quęso) fide, pro asserẽdo veritatis numine arma capite. Nobile ac præclarũ genus hominũ, vi ad meliorẽ frugẽ reuocate, vt immortali hoc beneficio conciliatũ, vobiscum deinde in Turcos, ductu auspiciisq; meis, arma gerat. Proinde cõparate copias, supplemẽta quærite: & Coruinum, Coruiniq; fortunã forti animo sequẽtes, adiuuate. Te autem IESV CHRISTE optime maxime, cuius auspiciis ista bella suscipimus, nũc supplices exoramus, vt per nos, in virtute tua, hæretici resipiscãt: Turci, cum quib. tot annos bella gerimus, præpotenti dextera tua proterantur: nobis vera salus, & nomini tuo sempiterna gloria cõparetur. Secundum grauis-
20 simam regis orationẽ omnes sine vlla secessione, pedib. in eius sententiã iuere. Expeditionem hanc iustè sanctèq; suscipiendã esse, graui decreto censuere. Parendum pontifici, obsequendum Cæsari, vna voce affirmarunt. Addidit omnib. animum Turcorum honesta legatio, quã Nicolaus Vylachus, vir ea tempestate opibus, & autoritate præstantissimus, qui inferioris Pannoniæ præfecturã gerebat, honorificè duxerat. Oratores in senatum admissi, & benignè exauditi sunt. Maumethis nomine inducias petebant, & bonæ amicitiæ spem pollicebantur. Hoc nõ temerè Othomanica perfidia exposcebat, vt, dum in Asia rẽ ageret, initis cum Pannone induciis, nihil vltrà in Europa formidaret. Nunquã rex eos ad se introduci permisit, quin Draculam, quẽ captiuum habebat, acerrimum Tur- *Dracula.*
30 corum hostem & illis perquàm formidolosum, semper obiiceret. Illi hominem agnoscentes, à quo tot immanes cruciatus acceperant, toties etiam fusi fugatiq; fuerant, limis eum oculis intuebantur: & eò magis ad peragendas inducias inuitabantur. Verùm rex cõfirmandi metus gratia inducias abnegat, referẽs, patrio iure nulli Pãnoniæ regi cum Turcis inducias, pacémve facere fas esse: si fecerit, dignitate regia statim excidere. Sed eas quæ verbo fieri nequeunt, inducias se cũ Turcis re initurũ, si secũ illi bene vixerint, si iniuriis abstinuerint, vim & rapinas inhibuerint. Oratores voti nec prorsus quidẽ impotes honestè dimissi, & à Nicolao Vaiuoda in tutũ reuecti. Antequã conuentus à rege solueretur, nonnulli proceres, qui in Moldauiæ bello se optimè gesserant, à rege magnificè do-
40 nati: Nicolao Bamffij multæ villæ, ob rem optimè gestam, hîc à rege dono datę: virtutẽ deniq; fidemq; militarẽ magna beneficentia, multisq; præmiis Matthias prosequendã esse censebat. Rex Agria mouens, Budam venit: delectum ibi habuit, legionum supplementa disposuit. Vix octo hîc dies exegerat, cùm Georgio regi per fœcialẽ bellum indixit: & motis hinc castris, Pisonium cõtendit: interea pontifices omnes, ac proceres cum suis copiis obsequi iubet. Pisonij dies aliquot præstolatur, dũ optimates & auxiliares copiæ cõuenirent. Contrà, Georgius rex, qui se à Paulo pontifice ob improbæ opinionis pertinaciã regia potestate abdicatũ esse nouerat, & indicendum sibi bellũ indies opinabatur, nihilo segnius validũ instructumq; exercitum cõpararat, se armis opinionem dignita-
50 temq; suã defensurum esse confidit, suæ gentis viribus fretus. è Praga mouẽs, in Morauiam cõcessit, vbi Victorinus filius, vir profectò impiger ac strenuus, prouinciam cum imperio tenebat. Socia cũ eo castra iungit, ac forti animo ad Morauiæ fines Vngarum opperitur. Matthias, antequã Pisonio moueat, autoritate legati pontificis, Laurentij Roborellæ, Ferrariensis episcopi, qui ex vrbe Roma nuper aduenerat, edictum põtificium in Morauos promulgat, quo graui Mora-

Initiū belli Boemici. 1468.

uos cum Boemis & Slesitas omnes pontifex anathemate mulctat, qui se hæreticorum partib. acclinarint. Quare bellū hoc Boemicum, anno Salutis quadringentesimo sexagesimo octauo supra millesimum initū fuisse nouimus: & quarto Paulini pontificatus, coronationisq; Coruinæ anno. Morauі, Slesitæq; interdicto promulgato deterriti, Georgij partes sectari nō decernunt. A Boemica fide pars magna deficiunt: vrbes Romanæ ecclesiæ dogmata retinēt. Harum tamen imperium in hæreticorū manu erat: nā arces omnes præsidiis obfirmatas illi tenebant: parebant vrbes & oppida, & vectigalia cuncta pendebāt. Rex tandem cum pontificio legato, castris Pisonio motis, Lauam concessit. Vrbs est in planicie sita, ad Morauæ fluenta, qui Morauiā ab Vngaria diuidit, & fines vlterioris Austriæ claudit. Hæc Cæsareæ ditionis erat. Aduenienti Matthiæ vrbem ciues & armamentaria patefecere, adiuuere cōmeatibus, & haud secus ac Cæsari, obsequia ex vsu grata præstitere. Ad ripā Vngarus castra locat, è conspectu rex Boemiæ metatus est, mensis hîc teritur, nulla collatis vtrinque signis pugna cōferitur, præter simulachra quædā prælij, quæ lasciuientes quotidie nonnulli milites cōmittebant. Pares vtrinq; vires, par vtrisq; metus, audacia, numerus, ac robur. Ducibus quoq; par virtus & prudentia, sed impar ætas: quādo septimum vix Matthias & vigesimū claudebat annum, quo Georgius sexagenarius fortasse fuerat: veteranus tyronis, & tyro veterani ingeniū, fortunā vterq; verebatur. Quin & oborta vltrò citroq; pristinæ suauissimæq; affinitatis quandoq; memoria, pugnæ studiū remittere, reconciliare animos, & bellum abominari: inita ex affinitate nomina, nunquā bello deposita: alter filium, patrem alter appellare: socer & gener, pia hæc nomina vsurpare. Verùm cùm belli causa, ac laudis studia succurrebāt, animi repentè reglutinari, in certamē remitti, & alter alterius ruinā appetere, colloquia in ripa fluminis ab vtroq; quandoq; habita, non sine amara verborū velitatione. Generi impietatē socer arguebat, soceri prophanā mentē increpabat gener: ad mitiora plerumq; verba deuentum. Georgius sæpè iuuenē mollire, blanditiis, artibus circumuenire, quādoq; minas precesve interiicere, vt ab iniquo & infando bello deterreat: cōtrà ille pertinacius obstare, cōuincere ratione, & vbiq; par pari referre conabatur. Interuentu etiā procerum vtriusq;, de induciis & pace agitatum. His omnibus Matthias aures obstruit, preces & affinitatē ab internunciis repetitam obaudit. Laurentius eum obfirmat, nunquā à latere discedit, ne vxoris ille memoria collabascat. Cùm nulla demū vtrinq; pugnandi copia fieret, Georgius grauissimo belli sumptu deterritus, quē tolerare nō poterat, retrò pedē referre cœpit. Ad defendendam Trebyczum, cū præsidio validissimo Victorinum filium natu maiorē subinde misit, per arces & oppida hosti obiecta præsidia distribuit. Ea regnum tēpestate ij proceres sequebantur: Emericus comes Scepusiensis, Stephanusq; frater, cuius virtus, cōstantissimaq; fides in eo bello nimis enituit: item Cyupor Nicolaus, Vayuoda (vt aiunt) Transyluanus, Stephanus Bathor, & Michael Palatinus: præterea Magyar Blasius, Paulus Kinisij, Lupus Despotes, Nicolaus Banffi, vtriq; archiepiscopi, & Ioannes poëta non ignobilis, Quinqueecclesiensium antistes, aliique cum frequentissima nobilitate proceres, regulique. Paulus humillimo genere natus, è pistrino frumentario in militiam eductus, sub Magyare Blasio primùm meruit: cognomē à paterno pago inditum, inauditis animi corporisq; viribus fuit: statura, robore, lineamentisq; membrorum Herculi prorsus assimilis. In paterno pistrino altus, molā sæpè frumentariam, sine quoquam adminiculo, quandoq; vas vinarium vix currui tolerabile, solus humo sustulit. Armatum quoque hominem dentibus surreptum, inter militares choreas, nō inermis saltando circumtulit. In palæstra, & pancratio semper indomitus, Blasij contubernio vsus, sic illi gratus fuit: vt nō munia modò quæq; militiæ potissima statim obiret, verùm etiam pro spectata fortitudine, ac fide, oblatam eius filiā vxorem duxerit. Tantam præstantium virorum fœcunditatem protulit illa ætas, vt vix totidē Troianus equus peperisse videatur. Si quis Emerici astum, sapientiamq; pensitarit, alterū Vlyssem, Palamedémve fuisse dixerit. Stephanus Agamemnonem, Aiacem Paulus,

Paulus, Ciupor Diomedem, Nestorem Michael, & rex Achillem omni ex parte referebat. Consimiles Matthiæ proceres fortuna dedit, quorum opera clarissima quæq; facinora gereret. Pôst vbi regi nunciatum est, Trebyczum cum præsidio à Victorino teneri, quod non procul à castris erat, & Georgium cum exercitu abiisse cõspicatur: oppidum illud obsidet, vt regis filio potiatur. Rex primo impetu suburbana succendit, hinc ignis in vrbem effusus, cum ab vrbanis coerceri non posset, absumit omnia. Victorinus cum præsidiario milite ciuibusque multis egressus, in proximam vrbi arcem, in edito monte sitam, confugit cum suis, qui nongenti penè fuerant, à præfecto mox excipitur. Ciues repulsi, in ma-
10 nus hostium deuenere. Trebyczum igitur duabus ferè horis, ac solo tantùm incendio expugnatũ. Hæc decimo ante sacrã Pentecostes diem acta sunt: arx circiter Paschæ solennia obsidetur. Expugnatio dies aliquot tentata. dum hæc negligentiùs asseruatur, ecce tria equitum milia intempesta nocte à Georgio missa, clàm arcẽ subeunt. Victorinum cum præsidiariis nongentis, absq; cunctatione, subducunt. Custodiæ per stationes distributæ, instructũ eorum agmen cùm non in tẽpore obseruassent, inhibere nequiuerunt. Secundum Victorini fugã, Matthias arcẽ per deditionem accepit. Qui custodias agebant, grauiter increpuit, quòd tã negligenter, ac segniter sese gessissent. Cùm Victorinus euasisset, rex Brunã versus castra mouit, quæ Morauæ gentis caput est: vrbs ædificiorum Pr...
20 præstantia, & negociatorũ multitudine, opibusq; cõspicua, in plano sita est, duplici fossa muroq; munita. ciuitati arx prominet, quã Spilbergum vocãt, & loco & arte hosti inaccessibilis, ac valido hæreticorũ præsidio obfirmata. Cùm vrbi appropinquassent, in suburbanis castra posuit, mox immisso præcone, senatum rogat: An impietatis hæreticæ, an Romanę fidei partes sequi velint. Si Romanę, legato pontificis, pontificioq; duci portas vltrò patefaciant: sin hæreticæ, indictum à præcone bellũ accipiãt. Præconi responsum à senatu, insequẽti se die legatos esse missurũ. Legati postero die ex vrbe prodiẹre, & data dicendi copia, vnus ex his, Si senatus populiq; Brunensis animũ, inquit, scire cupitis, princeps, nil vobis cum ciuitate nostra hostile intercidere posse sentietis. Orthodoxæ,
30 Matthia rex, fidei, ac Romani dogmatis sectatores sumus: omnesq; ad vnum interire malumus, quàm ab Apostolica Romanæ ecclesiæ veritate deficere. Cùm vindicẽ nullum haberemus, hæreticorũ, quando ita tulit vsus, imperium pertulimus: perniciosa nunquã opinione ipsi nos imbuimus. Vt quæ Cęsaris, Cæsari, & quę Dei, Deo redderemus, insons nobis animus, & mens Romano dogmate affirmat: nullũ hæreticorum imperiũ, nullaq; cõsuetudo nostra pectora penitus infecit: Sincera & intemerata fides, integer sacrorum ritus, & inuiolatæ quoq; ceremoniæ. Præter legitima vectigalia, & obsequia, quę detrectare minimè poteramus, nil aliud hæreticis præstandũ esse censuimus. Summum pontificẽ iam pridem accepimus, huic bello Matthiã regem præfecisse: hũc fidelib. principem
40 assertoremq; dedisse. Te quoq;, pater optime, misisse legatum, vt pro pontifice cuncta gereres. Senatus noster decretũ summi pontificis nõ detrectat: in primis eius numini, qui Dei vicẽ gerit in terris: deinde Matthię principi, inuictissimo orthodoxæ fidei assertori, gratissimũ domi forisq; obsequium pollicetur, spondet, se imperata facturum, cõmendat libertatẽ vrbis, & vetera immunitatis priuilegia integra sibi seruari postulat. Quinetiã pro seruata inter tot varias hæreticorum sectas integra fide, libertatẽ & cætera immunitatis genera amplificari supplicat: vt potius à vobis officio vinci, quàm vos vincere videatur. Integræ fidei maximè sunt præmia: & quãdo sincera fide pollemus, Seruatoris nostri, pro cuius nomine arma sumpsistis, documenta sectamini: præstate nos pro fide sal-
50 uos, & omni (vt æquum, & fas est) seruitutis onere leuate, nos immunes efficite, vt hæreticorũ bello resistere possimus. Postremò senatus populiq; nomine pro tutela sanctissimæ fidei, pro dignitate pontificia & Maiestate regia, studia, vires, fortunas, vrbẽ, agrum, ætatẽ omnem, & humana deniq; ac diuina omnia, cùm vsus tulerit, offerimus, dicamus, & in vtraq; fortuna pollicemur. De fide nostra periculum magis fieri, quàm incognitã præteriri cupimus. Vobis igitur, vt ami-

cis,vt conciuibus,vt propriis etiã possessoribus,ac dominis, portæ vrbis ac ædes cunctæ patent,grata sunt hospitia. Proinde cùm volueritis,capessite potestatem vrbis: & vt cõmodius proceres,tribuni militũ, & præfecti hospitalibus augustæ vrbis ædibus vtantur, ciuitatẽ militibus gregariis inhibete. Legatus his cũ rege congratulatur,quòd in recta fide permanserint,quòd pestilentissima cõtagione se non infecerint:quòd,ne iacturã irresarcibilem animorum facerent,a Boemico rege,quàm à summo pontifice deficere maluerint. Responsum à rege,hãc fidem & integritatẽ multum esse promeritam:proinde iubere bono animo Brunenses esse:se non modò vetera priuilegia seruaturum,sed integra libertate donaturum. De militari quoq; molestia nihil timeri oportere: ciuitatẽ haud secus ac sacellum,patriámve,à minima quaq; iniuria,& fastidio defensurum: imò ciuilia cõmoda castrensi mercatu adaucturum. Ad dexterã mox omnes,vna cum Legato,ac osculum accepit: & de prompto obsequio, officiosaq; pollicitatione gratias egit. Postero die ciuitatẽ subiuit honorificè à Brunensibus exceptus:hospitia cuique pro dignitate distributa. Mox castellum vrbi prominens obsedit, quod à valido hæreticorũ præsidio tenebatur:Id octauo die post corporis Christi solennia obsessum est, quod vix nouem mensium obsidione capere potuit. Georgius,vbi Brunam regi deditionem fecisse nouit,haud mora cum exercitu festinauit,vt castellũ quod loco arcis est,obsidione liberaret. Prope regia castra quadrato agmine transiuit rex,cùm à superiore parte tutò inuadere potuisset,at noluit. Cumq; is in medio agmine cataphracto stipatus equitatu progrederetur,propeq; regẽ esse cerneret: Siccine,inquit, mecum agis,fili? patrẽ hostiliter insequeris,& sub orthodoxæ fidei prætextu me regno spoliare contendis? Non religio,sed ambitio:non diuina charitas,sed imperandi libido te furentẽ trahit. Vtinã,Matthia, in angusto loco ambo depugnaremus. Ad hæc Matthias: Resipisce,inquit,resipisce pater, & de fide sacrosancta stude rectè sentire, nõ ambitiosum,sed piũ & legitimũ tecum bellũ geritur: quia Christianæ Reipub. hostis es. Quod verò ad singulare me certamẽ prouocas,illud scito,Georgi,me nõ esse rusticum,qui in angusta fornace tribulis frumentũ: sed principẽ Georgio non deteriorẽ. Principes armati in cãpo decertant. Proinde si verus princeps es: Eia age nunc equestri certamine depugnemus, vt principali pugna fungamur. Cõditionẽ generosi certaminis veteranus nõ accepit,sed præteriit mussitabundus. Cùm propè castra metatus esset, bonorum procerum interuẽtu in colloquium ambo descendere. His diebus Matthias,ne quo soceri furore periclitaretur,pro interiore tunica, lorica cæca vsus est. Inter vtraq; castra duo tabernacula tenta, vbi colloquium & singulare & frequens habitũ: inter vtrumq; cõtentiones plerumq; graues. Ibi quoq; conuiuium celebratum: vbi quid acciderit,nequaquã silentio præteriri potest. Inter prandendum duo aderãt histriones regij,qui iocis eorum seria soluerent: alter Boemici,Pannonici alter regis erat. Inter cæteros Satrapas Isdengo,Boemici regni gubernator aderat, orthodoxæ obseruator fidei,& Matthiæ studiosissimus. Ad principem ergo salsus vtrunq; conuersus,in histrionibus,inquit,veræ fidei periculum esse faciendum:in palæstræ certamen vtrunque esse committendum, victoris fidem præstantiorem esse habendam. Approbatur gubernatoris vtrinque sententia: & vtriq; suum ad singulare certamen, histrionem voce plausúque hortantur. Vngarus statura minor, Boemus longè procerior: vires vtriusque dubiæ & par animus: Boemum tamen insano corpore victurum esse,omnes augurantur. Iam certamen initur in regis vtriusque conspectu, vterque suæ gentis hortatu ad victoriam prouocatur. Legatus pontificis aderat,qui rem diuinam histrionum fortunæ cõmissam ęgrè ferebat. E iocis in seria reuocantur omnes,veluti de corporis,animique salute,ac dignitate per histriones ageretur. Forti vterque animo congressus,manibus ac pedibus obnititur: vi & arte iuxtà vterque colluctatur. Spe dubia res agitur: nunc Boemus Vngarum corripit,& torquet: nunc Vngarus Boemum: nunc pedibus manibusque ambo micant: cùm suo vtrique vocibus fauerent, ingens hinc & hinc clamor editur. Vngarus tandem,veluti sacrosanctæ fidei numine communitus,

nitus, insanam Boemi molem in aëra sustulit, humum continuò inuersurus: quidam Boemus, qui propius aderat, intercessit, & ne suus humi cõsternaretur, dextram obiecit. Isdengo pugnæ arbiter, extemplo iniquè intercedẽti alapam incussit: obortus confestim hinc clamor & tumultus, arma vtrinq; rapta. Principum tandem nutu, edictóque deposita sunt arma, & sedata omnia. Desidente tumultu, Georgius in gubernatorem haud parum sanè succensus: cùm inter me, filiumque meum (inquit) hodie Isdengo tumultum, & arma suscitaueris, interturbator pacis, & concordiæ, nunquam tale facinus mihi mente excessurum esse scito. Non tui gratia, sed benignitate mea tibi parco: haud inscius quid 10 faustæ Matthiæ præsentiæ tribuendum sit. Subticeo tandem scelus: & silentio propter filium, indignitatem rei, & impunitatem tui prætereo. Exacto conuiuio, rebus infectis principes in castra redière. Motis hinc castris, Georgius paucis pòst diebus abiit: Matthias Spilbergum arctiore obsidione circumuenit. Cùm in expugnando conatus omnes elidi intelligeret, victoriæ successum prosequi decreuit. Magyarum Blasium cum Paulo in obsidione dimisit: ipse verò ad Olomutium, vrbem Morauiæ præstantissimam, castra mouit. In faciendo semper itinere oppida nonnulla capta vi, aut per deditionem accepta. Cùm Olomutio appropinquasset, ciues continuò obuiam prodiere: fideles & Romanę ecclesiæ sectatores se esse profitentur: regem & legatum pontificium cum ma- 20 gno plausu excipiunt: quòd salutarem vindicem libertatis, & fidei, quòd sacrosanctum pontificem accepetint, inter se mutuò congratulantur. Arx tãtum extra vrbem erat munitissima, hæreticorum præsidio obfirmata. Citra morã hanc obsidet, ac paucis pòst diebus vi expugnata potitur. Finitima oppida immissis legionum legatis occupat, vbi quodcunq; hęresim sapere deprehendit, vniuersum id militibus prædæ dedit, incenditq;. Cùm iam hyems appropinquaret, ac Magiarum Blasium in Spilbergensi obsidione præfecisset, relicto in prouincia exercitu, cum Emerico rex nonnullisq; proceribus, & Prætorianis cohortibus in Vngariam hybernatum se recepit. Tunc fama fuit, eum per Viennensem vrbem iter esse facturum. Prætor vrbis, & senatus, vt pro dignitate regem, cuius 30 studiosissimi, amantissimiq; fuerant, exciperent, episcopatus atria, & arcẽ vrbis apprarunt. Ad declinandã verò imperatoris suspicionem, & temperandos Viennensium affectus, rex iter diuertit per vlteriorem Vngariam, rectà Budã venit. Quinetiam quando in Transyluaniam & Transalpinam ad capiendũ Draculam profectus est: tunc Viennenses, cùm imperatorem in arce acerrima obsidione circumuentũ haberent, ad regem clàm misisse literas ferunt: quibus, si vellet accipere ciuitatem, simul, & imperatorem se daturos esse pollicebantur. At ipse ne quid in patrẽ (quem semper appellabat) impij committere videretur, oblatam ab his conditionem obstinatissimè recusauit. In Vngariam igitur, cùm circiter diui Michaelis solennia rediisset, & quatuor ferè menses hybernasset, 40 supplementa coëgisset, & quæcunque bello vsui forent, sat cum Emerico curasset: Idibus Februariis, in prouinciã rediturus, iter iniuit. sollicitabat belli grauitas, & exercitus, qui inter medios hostes parùm cõmodè hybernare poterat, nec non & castellorum promissa deditio. In regis aduentu, Spilbergum à Magiaro Blasio obsessum, deditionẽ cõtinuò fecit. Capto Spilbergo, rex ad Olomutium secundo belli Boemici anno castra mouit: nam captis potiorib. Morauiæ ciuitatibus, & occupata penè tota prouincia, iã Boemici regni, & marchionatus huiusce titulos accipiendi tempus aduenisse arbitrabatur. Id ritè faciendum esse censuit. Quod vt fieret, frequentissimũ Olomutij proceribus, nobilibusq; conuentum indixit: vt à catholicis Boemis, & Morauis rex Boemiæ legitimè elige- 50 retur. Ad præstitutum diẽ conuentus celeberrimus est habitus: isq; vtroq; titulo exornatus est, quò honestius, ac iustius pro addicto sibi regno dimicare videretur. Ibi cum summo plausu magnoq; consensu & rex Boemiæ, & Morauiæ (vt aiunt) marchio declaratus, & salutatus est. Nam cùm in libertatẽ prouinciales omnes assereret, mirificè cunctorũ studia in se conuertit. In Silesiam deinde castra mota: quæ ne à fide Boemica factione deficere videretur, vltrò eũ ad-

uocatat. In primis Bratislauia,quæ prouinciæ caput est,& amplitudine vrbis,& ædificiorum pulchritudine,præterea opibus,probitate,politicis artibus,& præsertim negociatoria,nimis conspicua:hanc Odra fluuius abluit.Magnificentissimè Bratislauienses Matthiã & legatum pontificis accepere,ac detulere gratissimum in vtraq; fortuna obsequium:huncq; regem,hũc suum ducẽ, hunc propriæ libertatis assertorem, ac orthodoxæ fidei vindicem se perpetuò habituros esse profitentur, pollicentur & iurant. Idipsum cæteræ ciuitates & oppida faciunt,Bratislauiensium exẽplo, fidelitatem, & obsequia deferunt, ac regi eorum nunquam imperium se detrectaturos esse, interiecto iureiurando confirmant. Michaelem Lectorem Strigoniẽsem, ea tempestate ab epistolis illi seruientem, paulò antequam Bratislauiam intraret,pecuniarum gratia Viennam miserat,vt quod in ea expeditione promiserat imperator, re ipsa præstaret. Cuncta vnius anni Austriæ vectigalia,prçterea è nobilitatis ordine mille equites Cæsar obtulerat. Nobiles equites mille ex cõpacto miserat,remiserat illos Matthias,causatus ineptum militiæ genus hominum. Stipẽdia mille equitatum,quàm equites habere maluit. Quod Australes quoq; nobiles facere non recusarunt. Promissa ab imperatore stipendia non soluta,pro nummis Michaeli verba data:præter collatam à nobilitate stipem quæ mille equitibus veteranis impenderetur. De reliquis ab imperatore promissis,aut parũ aut nihil exactum est, ex quo discordiarum,quæ Matthiæ cum Cæsare intercesserunt, vnde Australe bellum obortum est,semina profluxere. Abnegata namq; pacta merces, vsque adeò Matthiã incendit,vt nunquã quiescere potuerit,quò vsque,nata occasione,pro illa mercede,stipendioq; vniuersam ferè Austriam occuparit. Pacata igitur prouincia Silesiæ,quam ab hæreticorum manibus sibi vindicarat,in Morauiam rediit,vbi Victorinum Vezele oppidum occupasse, atque indies aliquid moliri senserat, quare continuatis itineribus eò festinauit: ac Vezele, quod ab Victorino cum validissimo præsidio tenebatur,obsedit: turres ac vineas mœnib. admouet,tormenta addit ænea,& die noctuq; grauissimè quatit,magna ex parte muros conterit, mox facto impetu, cùm oppidani vltrà resistere nequirent, Vezele cepit. A Prætoriana cohorte Victorinus capitur: & in conspectu regis adductus,mortem deprecatur. Cui, salue (rex inquit) Victorine frater,huccine tua pertinacia,imò execrabilis opinio,quam a patre imbibisti,nunc te adduxit, vt si alio ductu,auspiciisq; bellum hoc gereretur,nouissimas impietatis tuæ pœnas exolueres? Te sæpe monui, vt à paterna opinione deficeres: calcatoque patris gutture, Deum sequerere, quãdoquidem abnegare semet ipse debet homo vt Seruatorem IESVM CHRISTVM sequatur. Cùm opus fuerit à patre potius, quàm à Deo, deficiendum est. Tu autem beneficio nostro, & affinitatis interceptæ memoria viue,bono animo esto: non magis hostis,quàm affinis clementiam recognosces:non modò non vita, sed ne dignitate quidẽ te patiar defraudari. Proinde viue,ac resipisce,atq; hinc discito:quàm insolens,temerarium,& formidolosum est, infesto deorũ numine, dimicare. Verissima igitur Romanæ ecclesiæ posthac dogmata sectare. Respirauit ad hæc Victorinus: & qui de vita æquè,atq; dignitate actum esse verebatur,in spem regia verba restituerunt. Is haud indignè tractatus,indies regis clementiã admiratur. Capto igitur Victorino,& pacata magna ex parte Morauia, reuisendã rex Vngariam esse censuit, vt hybernaret in regno:& supplementa legionũ,ac cætera,quæ bello sunt vsui,cõmodiùs prouideret. Hæc secundo Boemici belli anno gesta sunt. Rex cũ Emerico,& Michaele Palatino,nõnullisq; pontificibus, & præfectis in Pannoniam, ingruente dudum hyeme,se recepit. Hoc etiã tempore Huson Cassan, vir bello clarus, Mesopotamiæ & Armeniæ rex, Persarũ, Assyriorum, Medorumq; principum sibi infestorũ castra per fraudem nocte aggressus,ingentem hostib. cladem intulit: & cæso rege, tot regna magna ex parte occupat: In Maumethem Turcorũ principem mox arma vertit, Othomanidamq; graui gẽtem prælio affecit. Quinetiam eodem tempore classis ducentarum nauium,quã Maumethes compararat,vt Trapezuntio foret auxilio,oborta tempestate, ad Hellespontum vniuer-

vniuersa disiicitur, obruiturq;. Tunc Nicolaus Canalis, præfectus Venetę classis, Eniam Thraciæ vrbem diripit, & incendit: abducitque ingentem prædam. In Patrēsi paulo pòst littore, duo Turcorum milia cædit, Vestitiumq; oppidum imposito præsidio communit. Item Paulus pontifex eodem quoq; anno, quem sexagesimum nonum, vltra millesimum & quadringētesimum esse volunt, cum Venetis aduersus Turcos, ac cæteros Romanæ hostes ecclesiæ fœdus iniuit. Cùm pontificis exercitus Ariminum obsideret, ab auxiliaribus Ferdinādi regis copiis funditur, fugaturq;: & Robertus vrbis princeps, acri obsidione liberatur. Petrus Medices diuturno morbo confectus, Laurentio, Iulianoq; liberis superstitibus, diem obiit. Cùm Tergestini rebellassent, Fridericus imperator præfectos quosdam alarum, & cohortium immisit, qui ciuitatē vi captam diripuere, subuertereq; : vbi tanta patrata est cædes, vt neq; sexui pepercerint, neque ætati. Eodem quoq; anno, Turci populabundi Alemaniam Stiriam inuasere, & ex omni ætate multum hominum abduxerunt. Quare non immeritò Matthias Boemicam sequutus expeditionem acceperat, cùm Maumethem in Asia nimis occupatum esse intelligeret. Iam quadringentesimus septuagesimusq; Salutis annus supra millesimum agebatur, cùm rex exactis in Vngaria hybernis, primo tempore, reparato iam exercitu, Morauiam repetere cœpit. Cùm Iaurinum venisset, nuncij extemplo varij occurrere, qui Georgium Boemię regem humanis excessisse dicerent. Nam audita Victorini filij captiuitate, præ dolore morbus quidam incessit, quo paucis pòst diebus extinctus est. Audito ad primum nuncium hostis interitu, pientissimus princeps ingemuit, collachrymauitque: fortunámne, animi iacturā indoluerit, an dolorem ex arte simularit, nemo satis exploratum habuit. In prouinciam tamen properandum esse censuit, vt cùm regalia Boemis comitia instarent, per legatos ipse regiū munus peteret: quamuis competitores in ea re sibi haudquaquam defuturos esse intelligeret. Ambitus iter festinare coëgit, nec latebat quidem ipsum, pauca in peregrina gente suffragia inuenturū: ni largitiones, promissa magna, vis armorum, precesque iuuarent. Ad Iglauiam, Morauię oppidū, subsedit, vt hinc oratores in Boemiam ad comitia mitteret: qui adhibito nomenclatore, proceres omnes ambirent, orarent, & nonnullos promissis & largitionibus in fauorē allicerent, ac demum suo regnū nomine postularent. Ad Cuthnam, Boemiæ ciuitatē, vbi argenti fodinæ sunt, futura comitia rumor erat: quæ nō procul à Praga est. Oratores, quos delegerat, Cuthnā mittit: quorum Nicolaus Ciupor Vaiuoda Trāsyluanus, princeps erat. Huc Henrici omnes, ac alij è Boemis conuenere, vt ex more regē eligerent. In comitia varij cōpetitores herclè descenderant: cum primis regum Vngariæ, Poloniæq; legati. nec Imperator quidem ambitione carebat: quippe qui hunc sibi honorē clàm deferri exposcebat. neq; Georgij regis filij cessabant, qui hæreditario quasi iure id sibi dignitatis dari debere sperabant. Matthiæ Legati ægrè auditi, quum in Boemos graue bellū ea tempestate gerebat: quanquam regni titulū à Paulo summo pontifice Coruinū habuisse dicerent, sine cuius autoritate, approbationeq; nullū regnum, nulla potestas haberi potest: se tamē post Georgij soceri mortē, Boemorum procerū suffragiis eligi cupere affirmabant. Referebant quoq;, regnū hoc cum Vngarico sæpe fuisse cōiunctum, neq; sine detrimento ac scelere diuidi posse. Sigismundum, Albertum, & Ladislaum, vtroq; regno fuisse potitos: alterum sine altero nunquam cōmodè victurum. veterem inter vtrunque affinitatem intercessisse: alterum hominū fœcunditate, vbertate rerum omnium pollere alterum: nihil vtriq; cōmodius faustius feliciusq; fore, quàm si pari ductu, & auspiciis gubernentur. Initum bellum non ex ambitu, sed salubri charitate geri: vt pars Boemorum, quæ alio modo curari non poterat, Martiali demū remedio resipisceret. Nihil cum fidelib. adhuc hostile gestum: quinetiam fideles omnes perpetua libertate fuisse donatos. Proinde Matthiā regem, si regali hac, & legitima electione decoretur, æternam libertatem, ac vectigalium omnium remissionem polliceri: & quod ad amorem spectat, Boemos ac Vngaros sine vllo discrimine tractaturū. Obaudiebant hęc proceres, præsertim

1469.

1470.

hæreticæ prauitatis sectatores, vultus obducebant, & mussitando quandoque dicentis orationem interpellabant, repulsa Matthiæ palam data, nunquam hostem ceruicibus præficiendum esse obclamitatum est. Orator igitur, haud sine pudore perorauit. Quin & imperatoris legati, qui aliud dicebant, & aliud inferre nitebantur, æquis parum auribus auditi: neque initum fœdus, veteraque pacta subticuere, quibus Boemos, deficiente regia legitima prole, ad Australes principes confugere oportere asseuerabant: officij, dignitatis & pacta admonebant. Ad Georgij plerique filios recurrendum esse censuêre. Id potissimum hæretici malle: cùm illum opinionis Hussitarum assertorem seuerissimum semper habuerint. Sed Victorini casus rem intercipere, qui per captiuitatem proceres ac nobiles ambire non poterat. Patris mortem omnes ægre ferre, dicere, mira fortitudine regnum vndique petitum propugnasse: formidolosum fuisse proceribus tyrannidem anhelãtibus, & populo seruata diu pace commodissimum. Introducti demùm fuere Poloni, à Casimiro rege missi: quem tanta probitate, prudentia, & sanctitate præditum ferebant, vt solo multos nomine conciliaret. Ex his vnum in septis, qui dicẽdi copia non parum poterat, ita loquntum fuisse ferunt. Si quantum iure, tantundem autoritate apud vos, proceres, hodierno die valeremus, nihil profectò vereremur, quin ante solis occasum Vladislaum nostri regis filium, & vestri nepotem, Boemię regem declaratum haberetis: neque si eandem constantiam, iudicium & æquitatem, quam in cæteris rebus retinere soletis, nunc, vbi plurimum opus est, seruaueriris, nos prorsus ambigimus. Quin & vos publicæ salutis, & nos voti compotes dudum efficiamur, veteres amicitias, necessitudines & officia à maioribus mutuo instituta, item consimiles mores, linguę similitudinem, & gentis vtriusque cognationem quis fortasse memorabit, vt orationis ambitu imbecillem causam, & per se parum subsistẽtem, obfirmare videatur. Contrà nobis ipsi breuitatem indiximus, partim ne eodem quo cæteri fastidio afficeremus, partim quia iusticiæ ac integritati vestrę non diffidimus, regna, proceres, etsi quandoque armis comparãtur, & iure belli rarò retinentur, diuina tamen voluntate, & hæreditario, vel quouis alio iure, vt plurimum, cùm successor nullus erit, dispensari solent. In potestate Dei sunt omnium iura regnorum. Si Dei nutum quærimus, consulta oracula, caprata auspicia, quæsita astra, edita signa, & multa omina publicaque vota Vladislaum Boemiæ regem esse iubent. Si ius, æquum & fas inter mortales seruandum est, quis negarit Boemiæ regnum, quod per tot auos, proauosque Ladislai fuerat, immatura morte surrepti, ad nepotem pertinere? Quis nepoti, decedente sine sobole auunculo, quis sorori, obeũte fratre, hæreditatem legitimam abstulerit? quis posteritati ius maiorum abnegarit? si lege hic viuitur, si religio retinetur, si ius diuinum & humanum in humanis adhuc pectoribus versatur: nemo quidem reperiri potest adeò rationis expers, qui Vladislaum iure eligendum esse non censuerit. Cùm Sigismundi, & Alberti regis temporibus, nouitaris gratia Boemi fluctuarẽt, num a Poloniæ rege nõ solum auxilia, sed regẽ quoque petiistis? Si iniquo id tempore factum est, quid æquo rempore, iubẽte lege, imperante iure, cohercente religione, facietis? Nimirum nemo sapiens, nisi qui præceps vesania feratur, & auunculi nepotem hæreditate priuauerit. Nihil vnquam in rebus quàm maximè arduis inuito numine, ac infesto diuino humanoq; iure faciendum. In his primùm diuina voluntas, deinde iustum & fas considerandũ. Proinde iusticia duce, ac prudentia comite, vestris nunc rebus, Proceres, (quæso) consulite. Si quis humilitatem generis obiecerit, quid est quod non prius, quàm obiiciatur, suapte natura confutetur? Recensete paternum genus, & faustos Vladislaos, & Casimiros considerate. Si maternum, connumerate longo ordine reges, ac diuos Augustos: pientissima Vladislai parens è materno quatuor, quinque è paterno genere Romanorum imperatores inter maiorum stemmata numerabit. Qui maiorem hac nobilitatẽ quęsierit, in obscuritatem incidat, oportet. Verùm enimuero parum prosapia & hæreditarium ius omne valeret, si rex aut improbus, aut parum idoneus in medium adduceretur.

Regum

Regũ filij, qui publicè ſemper educantur, haudquaq̃ in obſcuro latere debent: & ij quã maximè qui ſuper ætatẽ agunt. Non erubeſcimus, Boemi, noſtra laudare, quando cuiq; licet, cùm de fortuna, & dignitate agitur, propria ſine rubore cõmendare. Omnis namq; taciturnitas improbatur, & laus propria toleratur, cũ ſilentiũ detrimẽto fuerit, & pudor hominẽ honore debito defraudarit. Quis igitur Vladiſlaum regno dignum non cenſuerit? Quis ad imperandũ tantũ natum non eſſe iudicarit? quis hæreditario regno fraudandum exiſtimarit? Num prohibet hoc genus? tot regum nepotem, tot imperatorum pronepotẽ & nunc tãti regis filium? Num fauſta, & generoſa indoles? num adoleſcentia, tot artibus & ſanctiſſimis diſciplinis exculta? A teneris annis domi militięq; pręeſſe didicit: prima intempeſtiuè rudimẽta imbibit: timorem Dei, religionem, pietatem, miſericordiam, integritatem, continẽtiam à ſanctiſſima parente vnà cum lacte ſuxit. Materno primùm gremio elapſus, nõ duce pædagogo, ſed inſtinctu ſuo literarios ludos irrepſit. Ab ineunte pueritia Cracouiæ ſophiſtas, philoſophos, poetas audiuit: frequentauit dialecticorum ſcholas, & philoſophando, diſputádoq; corpus ſimul & animũ adauxit. Quicquid hinc temporis ſupereſt, rebus diuinis ac bellicis artibus impẽditur. Vitæ ſanctimonia, & diuina oratione, ſacerdotem quenq; Deo deditiſſimũ exuperat. Ingenita tãtum virginitate prępollet, vt præpotentiſſimæ huius virtutis numine ſupra ætatem & viuere & ſapere videatur. Tempus ocij & recreationis, ſtudia Martis vſurpat. à magiſtris diſciplinæ militaris aditur, qui in hippodromo decurrere, ex equo pedibúsve certare punctim cæſimq; ferire, aciem inſtruere, exercitum ductare, aut quauis arte vincere hoſtẽ doceant. Corpus magnitudinẽ, & ingẽteis vires pollicetur: itẽ venuſtatem, formã, animũq; virilem oſtendit. In adoleſcẽte ſenem, in tenera præcocẽ ætate ſapientiam recognoſcit. Plures in eo Vladiſlaos, plures Caſimiros, deniq; Carolos, & Sigiſmundos intueri licet: nulla in adoleſcente dicacitas, nulla petulantia deprehẽditur: nõ ſolùm rebus ac verbis, ſed obtutu quoq; ac inceſſu, omni deniq; geſtu corporis grauitatem, ſapientiam, pietatemq; fatetur. Non præcipiti conſilio, nõ repentina ira, nulla libidine ac improba voluptate corripitur. Nulli hunc vitio dixeris obnoxium. ingenium mite, cõſtans, & benignũ: cæterũ ſapientiæ, honoris & gloriæ cupidum, corpus laboris & inediæ tolerantiſſimũ. Regiam Maieſtatẽ præfert aſpectus, & quandã ſibi tacitè reuerentiã expoſcit. Vtinam, Proceres, is hîc nũc adeſſet. ſic teſtor Deũ, hominumq; fidem, plus ipſe tacendo, quàm nos è Ciceronis ore dicendo, in cauſa ſua loqui videretur. ipſum ſi videretis, veſtris ſuffragiis electũ, nimirũ potius à Deo demiſſum, quàm iudicio veſtro deſignatũ exiſtimabitis. Nõ humanũ regẽ, ſed cœleſtem ad publicã ſalutem, & ęternũ ociũ vobis internunciũ datũ eſſe reputabitis. Teneram adhuc ætatẽ, ac regno immaturã quis fortaſſe cauſabitur. ſed quis hoc in adoleſcẽte requiret, diuina quadã & intẽpeſtiua ſapientia prædito? quis in eo qui prius ſenex, quã adoleſcẽs eſſe cœperit. In tutela Dei reges ſunt, & filij regũ: qui ad regendũ nati, indulgẽtiſſimã ſibi naturã, & peculiarẽ Dei gratiã, & culturã aſſequuntur. nõ deerit cõſultiſſ. æqui ſenatus veſter, qui quotidie circũſtabit. Melius eſt quãdoq; habere regẽ è ſenatus cõſulto, quàm è proprio iudicio cuncta gerentẽ. Qui nimis ſibi arrogat, & aliena conſilia planè contẽnit, ſæpe decipitur. Nullus ſub iſto metus, nulla ſuſpicio, quæ imperãte tyrãno ſemper intercedit, nullũ externi belli periculũ, & reformidatio. Potẽtiſſimus pater propè adeſt, & à latere dominatur, nõ per ſectas & opiniones vobis bellũ ſæuũ indicetur, nõ pontifex aduerſus irritabitur, non in belli ſocietatẽ aduocabitur imperator. Quin etiãſi hæc omnia fierẽt, nõ proximus deerit aſſertor, nõ ſociorũ aberit multitudo numeroſa. ſociorũ dixi: imò cognatorũ, quibus vnũ genus & eadẽ eſt natio, vt cognatio linguæ profitetur. Inſuper Chriſtiani ſumus omnes, & in Euãgelica lege vtriq; ambulamus: inter opiniones, ac ſectas paruũ ferè diſcrimen, & illud quo de agitur, vtinã faciliùs argumentis, quàm armis corrigi, & emendari poſſet. Dummodo CHRISTI dogma ſeruemus ad amuſſim, an licentius ex patrum conſilio quis fecerit, parui (mihi credite) refert. Quas ob res, Boemi proceres, vos Caſimiri re

gis nomine nũc hortamur, monemus,& oramus, vt diuini humaniq; iuris memores esse velitis. Regnum hæreditario iure filio debitũ, beneficio vestro tribuatis: bellum à latere vobis illatum, non tam Pontificio iussu, quàm ne debita suæ proli oppida in alienam ditionem trãsferrentur, susceptum fuisse credatis: rationibus vestris commodè,ac rectè consulatis,quod si feceritis,hac electione hostium quoque numerum imminuatis. Quod si feceritis, vtrorumque saluti dignitatique optimè consuletur. Polonorum oratione victi Boemorum animi,occulta inter se consilia agitant, centuriatim hinc, & hinc coeunt, prompta Vladislao suffragia reddenda mussitant: hunc vnum,ad ocium, quietemq; Boemicã natum esse dictitant,hoc aliquãtisper cuneatim agitatum. Postquam inter eos de rege conuenit, extemplò proceres cum vniuersa nobilitate ac equestri ordine, Vladislaum quintumdecimum vix natum annum, regem pronũciant. Omnes Vladislao regi fœliciter,Casimiro quoque patri fœliciter, Boemico regno fœliciter, proceribus, & senatui fœliciter exclamare: faustissimis Vladislaum acclamationibus ingeminare,ij angelum è cœlo demissum,virgineum & sanctum regem illi:pars salutarem principem, & almæ pacis autorem, multi sanctas tot regum imperatorumque has vnicas reliquias appellare. Oratores, inter multos plausus, crebris osculis ab omnibus aspersi sunt. Cæteri verò,& præsertim Vngari, repulsæ turpitudine, rubore suffusi abiere. Cùm, veluti res gesta fuerat,Matthiæ continuò retulissent: rex spe sua frustratus,in Boemos excanduit:& quamuis sæuum de Turco nuncium dudum accepisset,in Sauo noua moliente,nihil tamen de ira & vltione remisit. Turcus,dum Pãnonem Boemico bello occupatum intelligit,viginti milia hominum ad Sauũ amnem clandestinè, quantum fieri potest, cum expeditis artificibus,& operariis mittit,vt è conspectu Syrmiensis agri, temporarium è materia castellum erigerent, & summa arte,multoque præsidio communirent: vt quoties libido ferret, Syrmium, extremam inferioris Pannoniæ oram, incursarent: ac demum vniuersam Vngariam, Alemãniamq; adorirentur. Tristi nuncio Matthias haudquaquam cõsternatus,& nihilo segnius Boemicis rebus intentus, Gabrielem metropolitam Colociensem,& Ioannem,cui Vngor cognomen erat, in re bellica educatum,versatum in periculis,& exploratæ virtutis ac fidei virum, extemplo acciri iubet. Hos ad inferioris Vngariæ oras properare præcipit,quid fieri opus sit, ostendit,admonet periculi:atque nisi initum à Turco castellum ij continuò demoliantur, de Pannonia actum esse prædicit. Sabaz, inita moles à Turco nominari cœpta,quod Turcica lingua mirabile quid significat. Datur his potestas habendi delectus, accipiendi vectigalia, & imperandi ciuitatibus quæcunque ex vsu belli sint. Quin & ad Michaelem Palatinum, cæterosque proceres scribitur, vt cum suis copiis Gabrielem sequantur: & quantum in eis situm est,castellum à Turcis in aduersa Saui ripa institutũ amoliantur: néve molem in ceruicibus Christianæ Reip. inchoatam,exædificari patiantur. ij pro virili quisque sua mandata regia præstare conantur. Gabriel & Ioannes Vngor in Vngariam reuersi, proceres conuocant,cogunt exercitum: & comparatis vndique auxiliis,ad Saui fluenta descendunt. Ast vbi in ripa constitere, tormentis primùm crepitantibus hostes ab instituto opere amouere occipiunt, iidem quoque machinis illi inhibentes absterrent. quandoque vehementius irritati,vtrique Sauum ingrediuntur,mutuisque sagittis sese competunt. Neutri tamen flumen traiicere audent,quando pares vtrinq; vires, militumq; numerus erat. In ripa Turci aggeres ex aggesta terra sic edunt,vt securi ab Vngaricis tormẽtis intus ædificent. Quin & ante,quàm illi aduenissent,fossa & vallo situm obduxerant: ingesserant affatim commeatus,& omni munitionum genere obfirmarant. Palatinus, Gabriel,& Ioannes,conatus omnes irritos cõspicati, quamuis vltrò citroque nonnulli occidissent,ad protegendum tamen Syrmiensem agrum,alterum è regione oppidulum exædificare adorti sunt, & in illorum inuidiam die noctuque in extruendo opere versantur. Dum hæc ad Sauum agũtur, Matthias ex irrita spe in iram cõiectus,è Morauia crebris incursionibus & incendiis Boemiam longè lateque

Sabacz.

10 20 30 40 50

lateque vastat, tam assiduis rapinis & tot populationibus afficit, vt oppidorum ac ciuitatum pars magna pacem mercari, multæ sese dedere cogerentur. Quinetiam ad vicinos vsque montes, qui Pragam circumuallant, discursatum & vastatum fuisse perhibēt. In Boemia nulla ciuitas vi capta, sed per deditionem ex detrimentorum intolerātia in potestatem regis haud paucæ sunt acceptæ. Hæc igitur tertio Boemici belli anno gesta sunt. Rex autem dispositis per cuncta oppida, quæ in Morauia, Boemia, & Silesia ceperat, præsidiis: relictisque nonnullis legionibus, quæ prouincias tuerentur, Budam rediit. Victorinum, quem captiuum adduxit, in ardua Vicegradi arce asseruari pro dignitate iussit, vt post 10 belli finem tutò dimitteret, & qua deceret beneficentia, in dignitatem ipse pristinam restitueret. Hoc etiam anno, de quo suprà diximus, Maumethes Turcorum Imperator comparata quadringentarum nauium classe (vbi triremes ducentæ ac decem equitum milia fuêre) Euboiam adortus, Chalcidem obsidet: et tanto vrbem impetu oppugnat, vt magna suorum cęde trigesimo die potiretur: quod Romæ 4. Idus Iunias grando insanæ magnitudinis portendit, cuius frusta XII. vncias appenderunt. Quare Paulus pontifex maximus impetrandæ pacis liberandorumq; obsessorum gratia, indicta ad omnes aras solenni supplicatione, ipse pedes sacrum diuę Genitricis simulachrum ad Lateranensem vsq; basilicam piè circumtulit, ibiq; sacris operatus est. Veneti Euboiæ captiuitate 20 haudquaquam cōsternati, instructam sexaginta nauium classem ad infestandas maritimas Turcorum oras cōtinuò misere: in qua triremes sexaginta, & viginti onerariæ fuêre. Nicolaus Canalis præfectus classis ob rem in ea expeditione malè gestam, quia Chalcidi in tempore nō subuenissent, in senatus suspicionem adductus, vinctus Venetias aduectus est, perpetuo deinde exilio mulctatus. Ioannes Andegauensis, qui Neapolitanum regnum recuperare studuerat, & spe frustratus, ad moliendas res nouas in Narbonensem Galliam se receperat, vrbe potitus Barchinione, diem obiit. Acerrimum in Galliis bellum inter Ludouicum regem, & Carolum Burgundionum ducem oboritur: rex Budam reuersus, recreandum reficiendumque in hybernis militem esse duxit, assiduo bello iam 30 absumptum. Duæ tamen res eius mentem acerrimè vexabāt: In primis Sabacz, in Saui ripa ædificatum beneq; munitum: deinde imperij Turcorum accessio, quandoquidem audita Euboiæ captiuitate, maxima tristitia virum incessit: verebatur (quod & obtigit) ne vno eodemque tempore cum duplici, præpotentiq; hoste dimicare cogeretur. Turcorum vires nemo ignorat. Boemi bello acerrimi, metus expertes, & quàm maximè mortis (quia Vladislaum Casimiri regis filium nuper elegerant) adiectis Polonorum viribus, potentissimi habebātur. Eodem enim tempore quo Matthias acerrimè Boemiam infestauit, Casimirus etiam, pontificis hortatu, iussuq; in Boemos arma sumpsit. Sed postquam filium ab his regē lectum intellexit, Vrsinosq; omnes, ac Stelligeros cum cætera pro- 40 cerum turba, vehementissima in Vladislaum studia intendisse conspicatur: Boemorum tutelam ex corde suscipit. Quo igitur modo imminentibus his periculis Matthias occurrat, cum patribus & proceribus miro studio, diligētiaq; decernit. Cùm bella sine pecuniis geri nequeant, ad eas disquirendas in primis animum intendit. Vectigalia solito grauius exigit: collatam à pōtificibus, sacerdotumq; collegiis stipem exposcit: imponit noua tributa, & stata à summo pontifice, Venetisq; stipendia postulat, vt hęreticis & prophanis obsistat. Ne merita quidem militum obliuionis iniuria prætereunda censet. Cùm Stephanus Scepusiensis, Lupusq; Despotes, in bello Boemico se optimè gesserint: neque in periculis laboribusq; obeundis vnquam sibi pepercerint, Scepusiensem honori- 50 bus multis adauxit: Despotam egenum castello Feyezkeo donauit. Cæteros pro sua quenque dignitate, muniis, honoribus & præmiis prosequutus est. Secundum Boemicum bellum, insequenti anno Polonicum sequutum est: de quo in postero libro latissimè disseremus.

Chalcis.

Bellum Gallicum.

RERVM VNGARICARVM DECADIS QVARTÆ LIBER III.

NIMIRVM eo fato Matthias natus erat, quemadmodum vniuersus vitę ordo testabitur, vt nunquam sibi ocium inueniret, bellum ex bello sereret, & ad extremum vsque vitæ exitum plus voluptatis ex armis, quàm pace caperet. Quanquam domi pacem, foris bellum aleret: sępe tamen obtigit, vt ipse quoque domi non solùm externo bello, sed intestinis quoque factionibus laboraret. Vt domi quietè viueret, foris bellum alebat: nonnunquam opinione sua falsus, optimatum seditione vexatus est, quod fortasse non immeritò à fortuna factum est, vt Herculei virtutē principis omni ex parte periclitaretur. Etsi labores multos illa proposuit, nunquam tamen virum (mihi crede) destituit. Nec maiore quidem fauore cathenata Coruino pericula obiiciebantur, quàm promptiore ipse animo semper obibat. Insequenti nanque anno cùm in Boemia ageret, Polonicum bellum oboritur: quod anno Salutis quadringentesimo septuagesimoprimo vltra millesimū initum est. Pontifices enim & proceres Hungariæ in Matthiam maxima ex parte conìurarunt: Casimirum secundum, Casimiri regis Poloniæ filium, introducere decreuêre: vt postquam hunc regem declararint, eiusdem copiis Coruinū eiicerent. Coniuratio ita vehemens & fœcunda fuit, vt in vlteriore Vngaria, præter Gabrielem archiepiscopum Colociensem, Michaelem Palatinum cum paucis optimatibus, nemo superfuerit, qui à regia fide ad Polonum non defecerit. Michael Orsagh, vir ille prudentissimus, & longa rerum experientia non iniuria sapientissimus semper habitus, illud non minus in corde, quàm ore versasse dicitur: Quemcunque sacra corona coronatum videris, etiam si bos fuerit, adorato, & pro Sacrosancto rege ducito, & obseruato. E septuaginta circiter quinque Conuentibus, quos Comitatus (vt suprà scripsimus) appellant, tanta coniuratio fuit, vt vix nouem superfuerint qui Matthiæ parerent, & vectigalia penderent. Coniurationis principes Ioannes duo fuere, nepos & auunculus: alter Strigoniensis metropolita, à Matthia patris loco semper habitus: Quinqueeclesiensis antistes alter fuit, vir ille vtraque lingua eruditissimus: qui si à curis Reipub. se reuocare potuisset, habuisset nostra ætas, qui cum vniuersa vetustate certasset. Nec ab his quidem Emericum Scepusiensem comitem complures excludunt: quia olim semel ante Transyluanum bellum (vt diximus) à rege defecerat. Hunc quandoque rogatum, cur id fecerit, tot beneficiis & honoribus affectus: respondisse ferunt: Fateor me à rege defecisse, sed ita tamen, vt illi nunquam ipse deficiendo nocuerim, & me ab inimicorum obtrectationibus, & insidiis asseruerim. Vir enim ille tanta calliditate, ac prudentia fuit, vt deficiendo regem delatorum criminibus irritatum, ad resipiscendum impelleret: & hac arte quanti momenti ipse foret, principi, & inimicis ostenderet. Eo igitur temperamento vsus est, vt regem regno, & se regi prudentissimè conseruarit. Cur autem paterni inprimis amici coniurationis autores fuerint, causæ nonnullæ referuntur. Nam ij ea grauitate ac fide sint habiti, vt nullius leuitatis & perfidiæ rei existimari posse viderentur. Metropolitam præ indignatione varia res nouas molitum fuisse dicunt. Rex enim iam compos sui factus, ab optimatum consiliis, quibus hactenus fuerat obnoxius, se asserere cœperat: suo, non alieno ductu, & consilio vtebatur. confutabat illorum dicta, si quid quandoq; liberius suasissent: cuncta solus agere videri volebat. Contrà illi, autoritatis hinc iacturam haud modicam se facere arbitrabantur. Accesserat extraordinarij stipendij insolens impositio, quam Dicam nominant: quæ non modò domesticatim, sed viritim plerunque indicebatur. Et quamuis assidua bella grauissima tributa postularent, insolens tamen vectigal nimis cuique graue videbatur. Quinetiam episcopatuum prouentus vsurpare cœperat. Et cùm pro publica salute dimicaret, id sibi licere repu-

Polonicum bellum. 1471.

Coniuratio in Matthiā.

Dica.

reputauit. Hoc tamen non sine Laurentij Roborellæ Apostolici legati authoritate fecerat. Quare illum multi grauiter incusant, quòd primus Matthiæ regi & animaduertendi in pōtifices sacerdotesq; & ex vsu belli basilicarum prouentus vsurpandi potestatem fecerit. Summum enim nefas arbitrabantur, pontifices & sacerdotes, qui semidei censeri debent, prophanæ censuræ esse obnoxios. Archiepiscopo Strigoniensi fodinarum auri decimas (quæ Vrburæ vocantur) abstulerat, quæ magni fuerant momenti: nonnullis etiam episcopatibus vectigalia occuparat. Quod ab eo pleriq; haud temerè factum putant, partim ne in tanta rerum copia lasciuirent: partim ne opibus adaucti, regi bellum inferrent. Insuper formidolosus optimatibus, & violentus esse cœperat: & tacito quodā nutu se solum imperare, parere cæteros velle indicabat. Qui autem apud eum nimia plurimùm authoritate valuerant, ex attenuata dignitate id ægrè ferebant. His igitur causis archiepiscopum Strigoniensem, ac cæteros, vt noua molirentur, adactos esse opinantur. Cùm hæc per coniuratos clàm agerentur, & inter se Casimirum regem elegissent, ad Poloniæ regem continuò scripsere, quæcunq; fecissent, omnia edocuere: omnes ferè proceres à Matthia vltrò defecisse, significarunt: & si qui restiterint, aut idem propediem esse facturos, aut nihil aduersaturos. Vngaros temeraria quadā pietate correptos, Coruinum regem elegisse, non regio, sed humili genere natum: illum è regno in tyrānidem prorupisse: & quando è regio sanguine haudquaquam natus est, regiam Maiestatem ac sanctitatem tueri non posse: nō solùm in alios, sed in suos a principio sæuire occœpisse. auunculum, qui delatum sibi regnum recusarat, & nepotem regē fecerat, in vincla coniecisse, quin & indixisse mortem: nunc autem in paternos amicos, qui eum tantopere excoluerant, & in nullis vnquam periculis deseruerant, vim inferre cœpisse: sacram sibi censuram vsurpasse, sæuire in sacerdotes, antistitum vectigalia occupare, ius diuinum & humanum iuxta miscere, pro ratione libidinem habere. Proinde regnum Vngariæ iniquè Matthiæ traditum, æquè auferri debere: ad Poloniæ domum ex more, recurrere oportere: demum orare, vt Casimirum filium regem nuper electum mittat, & delatum sibi regnum accipiat. Polonus rerum harum admonitus, in tāta liberorum fœcunditate, fortunæq; successu, haudquaquam cunctandum esse ratus, delatum prętor opinionem regnum accepit. Lætitia magna cōpletus, Deo gratias agit, quòd duobus annis, duo filij, in duo regna optati fuerint, & nunc instantissimè postulētur. Delectum extemplo habuit: legiones tres cum optimo equitatu cataphractorum comparauit, quas Casimiro daret, qui ad obeundum regnum, in Vngariā profecturus erat: neque ignorabat, alterum Wladislao exercitum esse comparandum, qui Boemiæ regnum sine controuersia erat aditurus. Ad archiepiscopum igitur & optimates scribit, se filium propediem omnino cum validissimo exercitu esse missurum. Interea coniurationem, & competitoris aduentum rumor ipse detexit. Cùm res ad regis aures peruenisset, haud parum excanduit: & vix credere poterat, paternos inprimis amicos, quos ipse tantopere excoluerat, & tot muneribus & opibus adauxerat, in se noua moliri: animo tamen nequaquā consternatus, dicere solebat: Se studio summo visurum, quisnam è suis optimatibus Casimiri hospes esse velit. In eos qui coniurationis insimulabantur, sæuire non poterat, quia clàm elapsi, in proprias arces se receperant: neq; si potuisset, eo tempore sæuiendum esse iudicabat: simulare & dissimulare multa, comprimere iracundiam, & comitatem, lenitatemq; præferre: non ignorare Vngarorum ingenia, neq; varia hominum studia latere: scire incōstantes eorum esse animos, ac vulgus spem, fortunamq; sequi. Proinde nutātes obfirmare, promissis & largitionibus plerosq; à proposito reuocare: proceres multos oppidis dono datis sibi reconciliare, plura consilio quàm armis agere: contra torrentē brachia non tendere, sed astu & prudentia aduersantem fortunam declinare. Nunquā tamen sibi diffidere, quin & in aduersis sæpe rebus maiorē quandoq; animum concipere, veluti maior ostentandæ fortitudinis materia offerretur. Item quos è coniuratorum numero esse subolebat, vltrò consulere, & præferre fidu-

Laurentius Roborella.

Coniuratorum epistola ad Casimirum Poloniæ regē.

Bb

Casimiri adventus. ciam. Interea fama percrebuit, Casimirum cum viginti milibus hominum Vngariæ finibus appropinquasse: multos ex Vngaris veluti congratulatum occurrisse,& eius exercitum Vngarorũ accessione indies augeri. Kalendis igitur Nouembribus, anno Dominicæ salutis quadringentesimo septuagesimoprimo supra millesimum, regni fines ingreditur. Quacunq; iter facit, magnificè excipitur; Fortunam quisq; sequitur. E proceribus multi ex propinquis locis occurrunt, qui & magnificè nouum regem excipiunt,& obsequia gratissima pollicentur. Augentur quotidie Polonica castra: & multi ex industria & cõposito, nonnulli aliorum exemplo, Casimirum sequuntur. Maiorem indies animum Polonus concipit,& tutò per regnum suum vagari posse arbitratur. Iam Cassouiensem,& Agriensem agrum prætererat, Nitriæq; propius & Vaciæ castra admouerat: cùm principes coniurationis, qui ipsum exciperẽt, expectare cœpit. Substitit igitur,& creberrimis literis, clandestinisq; internunciis primarios optimates accersit. Nec interea quidem Matthias obdormiuerat: quippe qui comparauerat pro viribus exercitum: principes multos Budæ coëgerat. illuc enim Palatinus, & Gabriel archiepiscopus, item Emericus, & Ioannes Alemanus Varadiensis antistes, multique alij ex coniuratis etiam conuenerant: clàm a rege oppidorum, villarumq; largitionibus reconciliati. Nicolaum Wylachum Bosnæ regulum, rex per internuncios consuluerat, an ne cum hoste illico cõfligendum esse videretur, an cunctantius agendum. Cessandum, vir prudens ille respondit: quando indies multæ ex infestis hastæ conuertantur, & auxiliares fiant. Placuit Matthiæ sententia, & motis Buda castris, Strigonium cum his optimatibus contendit. Hoc primum non temerè faciendum esse censuit. Videbat enim, reconciliato metropolita, coniuratorum principe, nihil vltrà reformidandum. Cùm Strigoniũ venisset, rex in vrbe subsedit, in suburbanis castra posuit: mox Emericum Scepusiensem, spectatæ grauitatis & prudentiæ virum, & non minus eloquentia, quam calliditate præstantem, cum Palatino, nonnullisque pontificibus in arcem submisit, qui archiepiscopum sibi reconciliarent. Ii cum ad eum venissent, orare cœperunt, ne à regis fide, quem loco filij semper habuerat,& quem sua industria,& labore ad regnum euexerat, nunc aliqua indignitate deficeret. Item dicere, Si quid filius quandoq; cõmittit, à patre ignosci oportere: indulgentissimos magna ex parte esse parentes,& in filiorũ erroribus plerunq; conniuere. Animum ab initio proposito omnino esse reuocandum, quando nouitas ista non sine maxima regni calamitate fieret. Regem tot aliis virtutibus pollentem, si quid errarit, esse tolerandum: à successu gloriæ, ac regni defensione non esse reuocandum. Eius animum tam clara facinora quotidie molientẽ, non sine maximo scelere intercipi posse: eũ præsenti nouitate haud mediocriter resipuisse: recognouisse seipsum,& pœnitentia correptũ, se alium futurum polliceri: quicquid insolentiæ fecerit, ab vsu bellorum se coactũ fecisse, ingenuè fateri: nil sibi thesauri cõparasse: posthac se cum omnibus temperatius acturum. Demum & suo & regio nomine obsecrare, ac obtestari, vt filiũ ea, qua solebat, pietate, studio & diligentia tueretur, quæcunq; ipse iusserit, postularitque, regem pro ratis & firmis habiturum: quinetiam decimas quas extorserit, vltrò redditurum:& nunc, antequam hinc castra moueat, partem maximam instaurata gratia repensurum. Post verba, supplices interuenere virum, nonnulli exorandi causa procidentes, patris illius genua amplexabantur, vt regni perturbationem & periculũ deprecarentur. Ille autem, quamuis ex his nonnullos limis oculis despicaretur, repentinam illorum mutationẽ,& incõstantiam demiratus: tamen victus, ista respondit: Se à cæterorum pontificum & optimatum consulto nunquam dissensurum: neque vnquam sibi tantum arrogaturum, vt præter ipsorum voluntatẽ quicquam moliretur. Non diffiteri se Matthiæ quandoque succensuisse, increpasse licentius vti filium: & sæpissimè fuisse questum, nec æquum & fas esse, regem sacrorum virorum vectigalia vsurpare, neque sacram obire censuram: neque fateri, se tantùm Casimirum aduocasse, sed plures in ea re socios habuisse, qui mutato mox animo subticuerint. Neque se solum Casimi-

Casimirum in Vngaria remoraturum, neq; aliorũ iudicio obuersaturum. Matthiæ diu nouisse mores: neque illud ignorare, lenitatem hanc & sibi, & multis exitio fore. Demum, quando ita volunt, coguntq;, intercedente fide publica, se, vt antea, regi pariturum. Cùm ij omnes suo, regioq; nomine fidẽ detulissent, & decimarum loco pecunias (vt plerique volunt) rependissent, reconciliationem transegere. Mox vt regẽ ad castrum introducerent, descendere: retulere omnia vti acta fuerant, & ingenti extemplo sollicitudine regem liberarunt. Haud mora, is arcem cum eisdem ascendit, & cùm in colloquium, adhibitis paucis arbitris, peruenissent: Nunquã, sacrosancte (inquit) pater, me à te desertum iri, mihi 10 ipse persuadere potui. Non me latebat, nunquam te id obliuioni mandaturum, cùm me pater moriens tibi cõmendauit. Neq; credere poteram, illum à mea fide defecturum, qui charitatis & fidei perpetuum exẽplum appellari potest. Tu mecum in carcerem, & vincla incidisti, tu vltrò pro salute ac dignitate mea cuncta pericula obiisti, tu quoque è Boemico me carcere redemisti, excoluisti regno, & corona: nihil arduum & difficile fuit, quod tua opera & consilio nõ cum laude peregerim. Neque nunc te Matthiam in tuis vlnis natum, & à te semper studiosissimè educatum, deserturum esse credo. Si quid mea iuuentus in te patrauit, ignosce, pater indulgentissime: tuo filio parce, ex indignatione hac, si qua fuit, pristinus vtrinq; amor (quæso) redintegretur. Quem cum cæteris Vngariæ 20 regem constituisti, periclitantem nunc, quæso, filium protege: & immortalia in me tua beneficia, solita benignitate tuere: vt quod decedenti è vita patri recepisti, re præstitisse videare. Ex his verbis obortę vtrinque lachrymæ, metropolita ad pedes prouolutus, quia initi consilij pœnitentia dudum incesserat, veniã postulauit. Rex ad osculum excipiens, è contrario veniam petiit, & concessit. Data & accepta vtrinq; fides, in iniuriarum omniũ obliuionem: & transacta pace, pacatisq; vtrinque animis, rex ac proceres abiere. Insequenti die, cùm Casimirus (quem rumor erat, superiori nocte in Strigoniensi arce cum archiepiscopo fuisse, vt apertè pro dignitate sua arma sumeret) vlteriorem Vngariam ad Danubium vsque discursaret, & detrimentũ his inferret, qui pro se arma nõ ca- 30 perent: rex copias traiicere cœperat. Effusa deinde fama, Matthiam sibi metropolitam reconciliasse, & iã Danubium trãsmittere occœpisse: Poloni ab incursionibus se abstinuere. Casimirus Nitriam venerat. Ciuitas, quia se verum Vngariæ regem esse profitebatur, vltrò ipsum excepit. Pro mœnibus verò castra metatus est. Rex traiecto Danubio, rectà Nitriam versus castra mouit, atque ex omnibus pagis oppidisq; Polonos, vbicunq; inuenerat, eiecit. Cùm Nitriæ appropinquare eum rumor esset, Vngarorum multitudo, quæ Casimiri fortunam hactenus sequuta fuerat, repẽtè defecit. Multi clàm elapsi, in castra regis venere: pars in oppida propria se recepere: alij magis ingenuè hostilis detrimẽti metum causati, qui ad regia castra venere, hilari à Matthia vultu excepti sunt, pu- 40 blico tamen edicto impunitas omnibus qui Casimirum sequerentur, promissa, si ipsum triduo desererent. Promulgato ante castra hostium edicto, elapsis clam cæteris, pauci remansere. Quare Casimirus animo admodũ consternatus, intra Nitriam cum exercitu se recipere cœpit: contrà Matthiæ adauctus est animus, cùm ad fidem redire Vngaros conspiceretur. Nitriam ergo properatur. Quò cũ venisset, in vrbe Casimirum obsidet: inhibet commeatus, & diram interea famem interminatur. Casimirus Vngarorum facinore euocatum se ingenuè fassus, per internuncios clàm cum rege agit, impetratque vt intempesta nocte sibi egredi, & tutò in Poloniam redire liceat: seque regno nullum vnquam bellum posthac illaturum pollicetur, interiectoque iureiurando affirmat. Paucis pòst 50 diebus, cum septingentis ex compacto equitibus elabitur: & continuatis (vt aiunt) itineribus, in Poloniam se recepit. Exercitus qui remanserat, arctiore obsidione circumuentus, quotidianis internunciis tutò abeundi, ne inedia cõficeretur, potestatem petit. His autem hac cõditione dimissio data, vt saluis corporibus & impedimentis abirent, nullũ regno nocumentũ inferrent, nihil in faciendo itinere hostile facerent. Quod si adiecto iuramento non seruassent, cuiq; no-

Casimirus in Nitria.

bili,plebcióve, item vrbanis omnibus, & paganis, cumulatas passim de his pœnas sumere liceret. Lex abeundi à Polonis accipitur. dimissi à rege, in Poloniam castra mouent. Rex cũ exercitu diei itinere subsequitur: & quoscunq; in vicis, & oppidis deprehendit, reluctantes obtruncat. At illi haud secus ac è carceribus elapsi, cùm inediam sentire cœpissent, paulò licentius per vicos & agros cibaria quandoq; surripiunt: quãdoq; simulantes se obsonia & pabula mercaturos, mox illata vi diripiunt. Indemnem prouinciã præstare iurati, non præstant. rapinis manus abstinere non possunt, indies licentia augetur, & quãto Poloniæ fines propius accedunt, eo maiora pecoribus ac rebus detrimenta inferunt. Inopiam rerum aliqui ingenitã, pleriq; grassandi libidinem causantur. Ex pagis & 10 oppidis querelę, grauiaq; in dies lamenta suscitantur, ad regemque deferuntur. Rex violato cuiq; vlciscendi potestatem facit: edicitq;, vt omnes vim vi repellant, armis sua quisq; tueatur, & erepta recuperet. Promulgata licentia, Polonis vicatim rustici cõmeatus abnegant: quos cùm illi vi accipere conarentur, bellum ob violata fœdera rustici Polonis indicunt: suscitatoq; tumultu, in finibus Vngariæ cunctos spoliare decernunt. Cùm illi quadrato agmine iter facere nõ possent, ob rerum egestatẽ, cuius ipsi fuerant authores (quando in ingressu congesta frumenta succenderant) diuersi iter facere cogebantur. Extenuatis diuersitate viribus, & tunc maximè cùm Poloniæ finibus appropinquarent palantes & effusi, a rusticis circumuenti spoliantur, & in prædam vertuntur omnes: non- 20 nulli quoq; in rapina desiderati sunt. Poloni igitur, qui duce Casimiro Kalend. Nouemb. Vngariam inuasere, quarto pòst mense eiecti sunt. Matthias cũ exercitu vlteriorem Hungariam lustrauit, ne quid illi, antequam egrederentur, mali molirentur. Pacata demũ prouincia, & exacto hoste, in sacra hebdomade Budam ouãs rediit: legionesq; magno labore defatigatas (quippe quæ tota hyeme in castris hybernarant) vernatum, æstiuatumq; dimisit, vt equos & corpora reficerent. Ea æstate nil memoria dignum esse factum audiuimus. Postquam eiectis hostibus, propulsatisq; periculis, rex Budã se recepit, ad vltionem iniuriarũ animum reuocauit. Videbat enim, si maxima quæq; facinora semper impunitate donaret, se audaciam scelerum, æquè ac perfidiam, augere, & perbreui re- 30 gnaturum. Quare, vt alios à crimine læsæ Maiestatis absterreat, ab archiepiscopo Strigoniẽsi facit initium. Hunc per internuncios Budam accersiri iubet, sub grauissimi colloquij prætextu. Ille quanquam se non sine periculo iturum esse intelligeret: tamen fide regia fretus, & veteri beneuolentia, Budã sponte venit, nullumq; sibi à rege periculum imminere putauit. Quamuis enim primus authoritate foret, nouissimus tamen ad coniurationẽ venerat, optimatum impulsu, & nepotis potissimum instigatione adactus: quod non modò regi, sed multis quoq; aliis palàm factum esse intellexerat. Et cùm in campum Rakos, vbi regalia comitia haberi solent, Casimirus se propediẽ descensurum esse, proceribus, qui aduocauerant, continuò significasset: admonuissetq;, vti ad statã illuc diem 40 conuenirent, inuitantibus ipsum optimatibus, vltimũ se venturum esse respondit. Quare factum est, vt reliqui se remissius agerent, & coniuratio sensim solueretur. Ne id quidem regem latebat, sed illud sine aliquo vltionis signo præterire non poterat: quando memoria repetebat, in amico paterno, quem loco parentis semper habuerat, quomodo nefanda perfidia concipi potuisset? Itaq; vbi Budam metropolita venit, honestè in aula retineri, & adhibita custodia pro dignitate asseruari iussit. Ad Vicegradum deinde clàm translatus, in arce mensibus aliquot à custodibus regis obseruatur. Vicit deinde Matthiam ingentium memoria beneficiorum, ingenita pietas, & datæ fidei recordatio: obuersabatur ante oculos, crudelitatis & infamiæ metus, quando in sacrosanctos pontifices se 50 haud sine nefario scelere animaduertere posse reputabat. Pertæsus igitur iracundiæ suæ, hunc carceribus emisit: in Strigoniensem arcem cum dignitate restituit. Adhibuit quosdã milites custodiæ, ne quid in ipsum vltrà moliri posset. Ipse tamen, cùm vidisset se nõ sine turpitudine captum, neq; absque ignominia dimissum: & vitam, quam semper cum dignitate gesserat, in nouissima senectute infa-

te infamasse: tantus demum dolor incessit, vt indies mortem exposceret, pro ea quoq; vota nonnunquã nuncuparet. Subierat in senectute iam vitæ fastidium, & ad leuandam turpitudinẽ, & infamiam, morte nihil antiquius reputabat. Æstatem eam vix claudere potuit. Nam quinto Idus Augusti, & pridie eius diei, quo diui Laurentij solennia celebrantur, diem obiit, non sine maximo procerũ, nobiliumq; desiderio. Quicunq; grauissimi viri probitatem sunt experti, perpetuo eius desiderio & pia commemoratione afficiuntur. Vir fuit archiepiscopatui vehementer accommodus: quippe qui triclinium in arce amplissimum erexit: prominens verò ante triclinium è rubro marmore ambulacrum cum duplici podio, & superbissimum extruxit. Ad triclinij caput, Sibyllarum sacellum, è fornicato opere acuminatum statuit, vbi Sibyllas omnes connumerare licet. In triclinio non modò omnes ex ordine Vngariæ reges, sed progenitores Scythicos cernere erit. Item caldarias, frigidariasq; cellas, & hortum duplicem, quem xystis excoluit, & superiore ambulacro coronauit. Inter vtrunq;, turrim rotundam penes rupem erexit, in varia triclinia, cubiculaq; diuisam, variis supra specularibus exornatam. neque ædicula carere voluit, hanc ipse ferè semper inhabitauit: quia Danubio prominẽs, iucundum prospectum & hortorum amœnitatem afferebat: locus quidem ad philosophandum & contemplandum nimis idoneus. Diui Alberti basilicam vitriaria tegula, ne igni foret obnoxia, texit: tectumq; fastigiatum ad imbres niuesq; reiiciendas fecit. Bibliothecam quoq; vtriusque linguæ fœcundiss. dicauit. Hic igitur Ioannis Vitesij metropolitæ finis fuit. Ioãnes Quinqueecclesiensis antistes, & è sorore nepos, qui inuitum auunculum in coniurationem attraxerat, audita eius captiuitate, Zagabriam versus fugam rapuit: vt si à rege fortè peteretur, continuò è finibus elaberetur. At postquam de metropolitæ morte nunciatum est, paucis pòst mensibus superuixit: quin & eodem anno geminato dolore correptus interiit, æternumq; sui desiderium non minus Pannoniç, quàm Italiæ reliquit. Annos septendecim sub Guarini Veronensis disciplina fuerat, vtramq; ab ineunte pueritia linguam imbiberat. Præceptor eius sæpe dicere solebat, se nullum adhuc ex Italis, peregrinisque discipulum habuisse, qui prçstantia, docilitate, fœcunditateq; ingenij cum Ioan. Pannonio cõferri posset. Si Latinè loquebatur, in vrbe Roma: si Græcè, mediis natum Athenis affirmasses. Nil barbariei actio, & oratio redolebat. Natum ad carmen ingenium reputaueris: in prosa oratione non iniucundum. Quod si in publicis curis & procellis non fluctuasset, nimirum cum priscis oratoribus & poetis certare potuisset. Pæstãtibus plerunq; ingeniis fortuna inuidet: & ne pro viribus emergant, intercedit. Quàm sacro basilicæ suæ collegio charus hic fuerit, hinc coniice. Cùm ob regis iracundiam, is quasi hostis Reipub. haberetur, & solennia viro iusta nemo persoluere auderet, sacerdotes clàm eius corpus in sacellum Quinqueecclesiense retulere, idq; picato scrinio diu recondità habuere. Cùm multo pòst tempore Matthias fortè vrbem illam & basilicam inuiseret, sacerdotum regi collegium supplicauit, vt Ioannis poetæ corpus, quod diu insepultum asseruarant, præ metu iracundiæ eius, debito sepulturæ honore iam honestare pateretur. Indoluit rex tanti viri casum, falsam eorum opinionẽ ac metum increpuit: & ne poëta insignis sepulchri honore fraudaretur, honestiss. mox exequias edixit. Pannonicus igitur hunc vates exitum sortitur. Hæc anno salutis quadringentesimo septuagesimosecundo supra millesimum accidere. Hoc anno Veneti aduersus Turcos, cum Ferdinando Neapolitano rege fœdus percusserunt. Paulus pontifex idibus Aprilis, inter sacra solennia, Borsium Estensem, Ferrariæ ducẽ instituit: aurea trabea, pomo, sceptro, torque, paludamẽtoq; donauit: ducisq; insignibus donatum, ad diui Marci ædem, & atria à frequẽtissimo senatu duci iussit. In Galliis, summi pontificis opera, inter Burgundios, & regem bella composita. Fridericus Imperator, & Franciscus Picolhomineus, Cardinalis Senensis, legatus Apostolicus, vir omni laude, & commemoratione dignissimus, ad Australem Neapolim frequentissimum Christianorum principum conuentum habuere: vbi multa in vsum, & salutem Christianæ Reipub.

Vitesii mors.

Ioãnes Pannonius.

1471.

Borsius Estẽsis.

decreta sunt,& præsertim in Turcos: quæ principum deinde dissensione ac ne- gligentia,non sine grandi iactura,prætermissa sunt. Paulus pontifex max. sexto Kalend. Augusti,dum solus in cubiculo requiescit,apoplexia correptus interiit. Cui Sixtus ritè successit. Quin & Christophorus Maurus, Veneti senatus princeps,diem obiit:& in defuncti locum, Nicolaus Tronus suffectus est. Ioanni metropolitæ Strigoniensi,Sclauonico genere nato, Ioannes Alemanus Varadiensis antistes,regi quàm familiarissimus, planè successit. Quinqueeclesiēsi verò nepoti,Sigismundus, Ioannis Ernesti quæstoris regis filius subrogatus est. Perpetuum fortuna laborem Matthiæ indixisse videbatur: quippe quæ nullā quietem obire patitur. Insequenti namque anno, qui septuagesimustertius erat supra millesimum & quadringentesimum, Polonicum simul & Boemicū bellum oboritur.neque Turcicum vnquam defuit: quando quotidianis incursionibus nunc Dalmatas & Carnos,nunc Pannones & Dacos infestabant. Huius autem originem facilè quisq; coniecerit. Quis enim filij dignitatem æquo animo deserere poterit?Boemi Wladislaum,quem regē nuper elegerant,honorificè a patre missum,in regnum cum summo plausu ac ingenti celebritate acceperant,& paucis pòst diebus ex more coronarant. Cùm duabus opulentissimis à Matthia prouinciis non modò priuatum offendisset, sed ex magna Boemiæ parte interceptum,vehementer indoluit: seque non modò non regem,sed ne tetrarcham quidem esse reputauit. Ad patrem scripsit,se nō ad regnum, sed regni reliquias esse euocatum. Ne id quidem pater ignorabat: quippe qui, antequam se ex filij electione Boemis reconciliasset, vna cum Matthia his bellum indixerat. Nunc autem,quia de filij dignitate agitur, consilium mutat, & etiam præter æquum & fas, Boemorum causam tueri filij iure compellitur. Quare sæpe literis,vt Morauiam Silesiamq;, & quæcunq; in Boemia ceperat, Wladislao sponte redderet,Matthiam Casimirus hortatur: magna ex parte belli sumptus repen surum,& interea ciuitates aliquot dimissurum pollicetur. Contrà ille,mutuæ amicitiæ iure se id recepit vltrò facturum,si quadringenta aureûm milia, quæ in eo bello erogarat,sibi redderetur. Interea se parto regno potiturū. Cùm ingens pecuniarum summa peteretur, cui ne Boemia quidem & Polonia cum vniuersa Sarmatia soluēdo fuisset,vtrinq; bellum indicitur. Polonus populorum multitudine præpollens,numerosum cogit exercitum:& non solùm nobiles stipendium facere iubet, verumetiam è plebeiis & rustica turba, item è Roxanis & Tartaris ingentem multitudinem inauctorauit:ratus, victo Matthia,non modò prouincias cum regno se recuperaturū, sed Vngaria quoq; vxoris iure potiturum. Idipsum quoq; filium facere monet. Delectus vtrinque magnus habetur, triginta hominū milia vterq; cogit. Qui de magnis sæpe maiora loquūtur, sexaginta milia fuisse iactitant. Matthias autem se tot malis obsitum conspicatus, haudquaquam animo cōsternatur. Patres & optimates consulit: & quamuis illi admodum formidarent, ipse tamen veluti extrema tentaturus, è desperatione vires concipit,& animum adauget. Vix octo,aut decem ad summum hominum milia cogit,ex quib. cataphractus,& expeditus equitatus validissimus erat: domi hostem expectare non decernit,ne suis alere sumptibus adigatur,in Silesiam hostibus occurrendum esse putat,ne regni finibus appropinquare patiatur. Bratislauienses crebris eum nunciis accersunt: significant moræ periculum,& præuenientibus competitoribus se portas patefacturos esse interminantur. Pontifices igitur omnes,primariosq; proceres, cum exercitu Bratislauiam secum ducit, & præoccupaturus vrbem continuatis itineribus contendit. Dux Laurentius, Nicolai Bosnæ regis filius, cum expeditissimo equitatu regem sequitur, tyro audacissimus,in aula semper altus: & Matthiæ charus,æquè ac filius, semper habitus. Item Gabriel Brixiensis, Agriensis episcopus, quem è fraterculorū diui Francisci collegio mortalis ambitio ad potentatū euexerat. Hic cum Ioanne Capistrano,ex Italia in Pannonias primùm venerat: mortuoque illo viro optimo,cùm dexteritate ingenij,consilio & grauitate polleret,correptus ambitu, humanos honores affectauit:& cū regi placuisset, ad cardinalatus vsq; fastigiū

eius authoritate euectus est. Cùm Bratislauiam ventum esset, quam Odra fluuius abluit, munitq; prospectis hostiũ castris, quæ nimia amplitudine deterrebant, è conspectu haudqnaquã metari ausus est. Nam cùm præsidiis oppida obfirmaret, ne facilè ab hostium multitudine caperẽtur, exercitum extenuare cogebatur. Anceps iam diu tractus est, an ne cum exercitu intra vrbem se reciperet, an extrà metaretur, cũ hosti numero multo foret inferior. Proceres & amicos cõsulebat, vtrum potius videretur. nonnulli in vrbe persistendum esse censebant: contrà alij, qui metũ potius dissimulare, quàm pericula euitare viderentur, è cõspectu hostium locanda castra, & fossa, vallo, circumseptuq; carrorum 10 munienda suadent, ne prouincialibus metum augerent, & sibi diffidere viderentur. Gabriel, cùm inter cœnandũ de re ista fortè dissereret, Thomas scriba eius, acerrimi compos ingenij, & qui ab adolescentia qualis futurus esset ostendit, vtrunq; faciendum esse dixit, intus & extrà ponẽda castra. Quod cùm episcopus fieri posse negaret, adiecit, castra in suburbiis pro mœnibus habenda: quę ab vrbe propugnari possent, & in suburbano loco sita, intus & extrà esse viderentur. Ne patri quidem displicuit iuuenile consilium. Mox per accensum accitus, sui scribæ adagium recitauit: quod vsque adeò principi gratum fuit, vt insequenti die castra mœnibus admouerit: & ne qua vrbem militari molestia afficeret, aditum ciuitatis militibus inhibuit. Suburbana castra machinis bellicis, turribus, 20 præterea vallo fossaq; muniuit. Poloni propius castra admouere, & ad quintum lapidem metati, Pãnonicas vires tentare occœperunt: rati hostem se in obsidionem propediem esse redacturos, & aut per inediã absumpturos, aut vi omnino expugnaturos. At rem longè aliter, ac opinio fuit, accidisse ferunt. Nam rex vrbem nactus loco & arte munitissimam, pręterea omnium rerum vbertate completam, & sui multo studiosissimam, se in portu nauigare reputauit: in hostẽ igitur animum viresque redintegrat: & se vincere, si prudenter agat, & non vinci posse retur. Patitur milites è castris exilire quotidie, in certamenque cum Polonis, Boemisque descendere: idipsum illi faciunt, simulachra quotidie belli referuntur: neque sine aliquorum hac cæde, & captiuitate fiunt. Post simula-30 chra, seueriore Marte dimicari cœptum. Instructa vtrinq; acie, quotidiana pugna conseritur: sed nõ totis viribus dimicatur. Arrisit in præludiis Matthiæ semper ipsa victoria. nam dum rem prosperè succedere videt, hostẽ insequitur: cædit, capitve. Si hostili se multitudine obrui conspicatur, in castra, vrbemve continuò se recipit: & instans à tergo hostis, vrbanis machinis inhibetur. Capiuntur è Polonis quotidie multi: quando magis è gregario humilique milite, quàm edocto, numerosus exercitus ille constabat: Pannonicus autem, è veterano tantùm, & delecto. Rex numero inferior, à callido ingenio opem exposcit, incautum semper hostem aggreditur: non collatis signis, non indicto pugnæ die res agitur: non æneatores signa dare iubet: modò noctu, modò interdiu, modò se-40 reno, spurcidóve tempore, ex improuiso manum cum hoste conserit. Multum lædere, parum ipse lædi potest. Detrectat sæpe prælium, & ad certamen apertum prouocatus abnuit, subticétve: hosti impar, vires hostium, quas vno alteróve die superare nequit, indies attenuare cõtendit. Nullus dies actus, quin viginti trigintáve ex hostibus non ceperit: quandoque ducenti in vrbem captiui è castris, finitimísve oppidis adducti. nam circumstantia oppida, quibus validissima præsidia imposuerat, in palantes effusosq; Polonos irruere iusserat. Edixerat pabula circùm incendi, coërceri vndique commeatus, & nullius rei copiam fieri. Multi circùm incensi sunt pagi, temporariaq; castella: in munitiora sese omnes oppida retulere. Casimirus cũ Wladislao suas vires eludi conspicatus, æ-50 grè fert conatus tantos fieri irritos. Crebris cum rege internunciis agit, vt litem quæ inter vtrumq; intercedebat, iudice Marte definiat, pugnandique potestatem faciat, quam nemo rex magnanimus detrectauit. Neq; non videt cibariorũ inopiam imminere, frumentatum pabulatumque longius mittere oportere, & è castris sine præsidio neminem tutò vagari posse, multos quotidie à circumfuso hoste capi. Obaudit hæc cuncta Matthias, & diuinæ tantùm iustitiæ, militiq;

Thomas scriba.

suo confidere se respōdet: quin & ad iucunda spectacula quotidiana prælia trāsfert: pro mœnibus temporaria theatra extruit, quæ ab hoste prospectari queant: assiduas ibi matronarum, virorumq; choreas agi iubet, quò Polonos Boemosque proceres ad saltandum sæpius inuitat. Celebrabantur cōuiuia, & mulierum choro excoluntur: epulum quandoque regia beneficentia populo militique datum: sparsa in orchestra missilia, dataque vrbis optimatibus congiaria: proposita quoque Psaltriis præmia non parua. Milites ardore duplici feruere, Veneris & victoriæ amor iuxtà incendere animos: & vt magis placeant, ad præclara facinora hortari. Certatim saltationes & bella geri: ante amicarum conspectum conserta pugna, pro se quisque fortissimè dimicare: illi clariores haberi, & per puellarum ora vagari, qui plures captiuos reducerent, aut pluribus insignes aduerso pectore vulneribus redirent, opimáve spolia referrent. Contrà illæ quandoque his occurrere, & congratulari: collaudare quoque certatim suum quęque amatorem, ac demum omnia cum festiuitate agi. Illud etiam admirati sunt omnes, tantam Bratislauiensium fuisse vbertatem, cum summa probitate coniunctam, vt nulla victui necessaria carius quàm antea venderentur: frumētum ac vinum non pluris in fine quàm à principio venierit. Contrà verò, hostes omnium sensim rerum egestas incesserat, spes potiundæ victoriæ remorabatur: variis, vt hostem in æquum & apertum Martem elicerent, artibus vtebantur. sæpe cedebāt, vertebant quandoque terga, & palantes fugiebant, vt in patentem campum educerent, à tergoq; reductis clam alis circumuenirent. instant illi, & insequuntur, quò vsque se tutò redire sentiunt. admoniti, vltrà non progrediuntur: ne interdicto reditu circumuenti, trucidentur. Ars arte eluditur: & illud Polonis rabiem suscitabat, quòd nō stataria, sed tumultuarię pugnæ copia fieret: eorum quotidie numerus imminuitur, & in vrbe captiuorum multitudine non modò carcer publicus, sed turres quoque mœnibus circumstantes complentur. Neque interea Matthias ipse cessarat: clam in Poloniam Stephanum Scepusiensem, & Paulum Chinisium, impigros quidem fortissimosque duces, qui spectatæ semper virtutis fideique fuerant, cum expeditissimo vexillationum equitatu miserat: mandaueratque, necubi consisterent, expugnarént ve, sed longè lateque Poloniam incursarent, popularentur, incenderent, & ferro igni que vsquequaque sæuirent. Isti pari audacia roboreque freti, mandata faciunt: quicquid vicorum occurrit, incendunt, pecora hominesque passim abigunt, in nullius oppidi expugnatione tempus terunt: sed Cracouiam vsque discursant. tantum ex isto tumultu Sarmatis terroris incutiunt, vt omnia metu, & trepidatione complerent. Regina cùm non solùm regnum, sed vrbana quoque Cracouiæ insano tumultu ex arce fluctuare despicaretur, missis obuiam prætorianis cohortibus, quæ suburbana propugnatent, ad virum filiumque reges tabellarios extemplo mittit, populationis & incendii admonet, instans periculum edocet: ac demum, ne ita pro alienis dimicare videantur, vt sua perdant, festinatis itineribus ad defensandum regnum redire iubet. Casimirus ex illato Poloniæ detrimento (quod multo maius, quàm erat, esse ferebatur: quādo ea quæ audiūtur, grauiora quandoque videntur, quàm quæ oculis cernuntur) non parum regno timere cœpit. Ciuitates enim & oppida ferè cuncta lignea sunt, & ex materia quoque cōstant mœnia: à paucis omnia facilè concremari queunt. tanta enim lapidum laborat inopia, vt vniuersa igni Sarmatia sit obnoxia. Quin & castra tanta gentium varietate referta, iam annonæ caritate laborare cœperant: grauiter hinc & hinc princeps angebatur, quòd neque collatis signis dimicandi copia fieret, & paternum regnum igni ferroque vastaretur. Intercessere vtrinque proceres optimi, qui de colloquio & pace agitare cœperunt. Id multi Matthiæ regis astu & largitionibus factum esse affirmant, quibus corrupti nonnulli Casimiri principes, eum ad concordiam hortarentur. Quis autem negarit, Matthiam neque vitæ, neque labori, neque sumptibus, neque artibus eo tempore pepercisse, vt à grauissimo se bello sine detrimento & turpitudine liberaret? Gemmatis namque poculis, ex hostibus plerosque in partes suas adduxisse fertur. Procerum igitur inter-

Matthias in gratiam. *Polonia.*

10 20 30 40 50

interuentu tandem factum est, vt dierum aliquot induciæ fierent, iam menses ferè quatuor tumultuaria & quotidiana pugna certauerant,& Polonorum(vt aiunt)circiter fuerũt octo milia capta, quorum liberatio Casimirum admodum sollicitabat. Initis iam induciis, de regum concordia principes vtrinque impensius agunt. Facilè inter eos conuenire non poterat. nam Matthias nihil reddere pergit, nisi præstetur indemnis: contrà illi, quamuis debitas pro sumptibus belli pecunias ex tempore exoluere nequirent, aliquid tamen è Boemici regni appendicibus, vt sibi redderetur, instabant. Insanos exercitus comparant, & id citra commodum fecisse perquam molestum erat. Principes tandẽ vtriq; suos reges vsq; adeò pro communi salute vexarunt, vt quod ipsi cõficere nequiuere, id in colloquium illi iam adacti, ingenita quadam probitate transigerent. Regia vtrinq; probitas planè constabat, & hinc spes omnis cõcordiæ colligebatur. In vniuersum demum eos consulere oportere nouerant,& ex eorum colloquio pacis aliquid omnino sperabant. Data acceptaq; pariter fide publica, sacrorũ hinc & hinc pontificum interuentu, ad præstitutum diem tres reges in campestre colloquium conuenere: & suum exercitus quisq; regem, instructa acie, quamuis data fide, sequebatur. Cataphractorum equitum quadrata agmina, micantibus armis, cum sole certare videbantur: præcedebãt alæ vexillationum, quę iucundissimum spectaculum referebant. Cùm in campum effusum conuenissent, legiones omnes se in orbem redegere: & quamuis paruo interuallo distinctæ forent, & prompta ad bellum arma gererent, appropinquantes tamen se mutuò cõsalutarunt,& militarem in spem pacis plausum edidere. Reges cùm propius in orbe medio conuenissent, intentè circunstant, mutuò silentiũ indicunt, regem quæque suum diligenter obseruant: & quamuis dicta exaudire non possunt, nutus tamen, gestus & indicia intelligere connituntur. Cùm ij latè à turmis obducti, in trianguli speciem constitissent: non sine honorificis amicisque præfationibus pręreuerenter sese mutuò consalutarunt. Mox Casimirus, rex ille serenissimus, ætate multo maior, & summa grauitate conspicuus, primus verba fecit. Non ambitio, imperandive libido, me sumptis armis huc adegit, Matthia frater: sed filij huiusce pietas, qua nos, quanto maiores sumus, tanto magis pollere debemus. Nam nuperrimè regnum Boemiæ sortitus, ad reliquias quasdam,& tetrarchatum, non ad regnum se inuitatum esse queritur. Paribus anno superiore auspiciis, pontificio iussu Boemiam infestabamus. Nunc hic dies & hæc causa aliam belli rationem postulat. Si me regnandi libido agitasset, te profectò, qui vxorium, violatis comitiis, regnum occupasti, nõ breui, sed perpetuo bello vexassem. Sed cùm Coruinę gloriæ, & Vngaricæ authoritatis rationem haberem, cui creandi regis est summa potestas: te in Pannonia latè imperare permisi, haud inscius, immortalibus tui patris beneficiis, non minus de Ladislao fratre quàm Christiana Respub. benemeriti, ne parũ quidem esse tribuendum. Itaq; si regnum Vngariæ, quod vxoris meæ iuris erat, tibi vltrò dimisi: si rerum dispensationem diuinæ prouidentiæ reliqui(non ignarus, diuina quandoq; benignitate, si fata iusserint, Pãnoniæ regnum ad liberos fortasse meos recasurum) cur nunc filium in suo regno sollicitas? cur Boemiam, ad te nulla ex parte pertinentem, sic pertinaciter vexas? cur neminem è finitimis tibi parem esse pateris? Immodicus, Matthia, (mihi crede) ambitus, & imperandi libido, grauem casum sæpius, quàm sublimem statum parat. Si Cæsaris & Alexandri fortunam recensueris, quorum te æmulatorem egregium esse non diffiteor, ex intẽperata regnandi cupiditate intempestiuũ sibi fatum inuenere. Nemo sua libenter amittit, nemo sponte regno cedit, quod sui iuris est: præsertim ille, qui vi non modò sua tueri, sed aliena potius inuadere posset. Collige te parum: & ex ista ambitione, quæ te adeò premit, respira aliquantisper: ac tecum ipse loquere: & considera, quàm bene tibi cum fortuna sit actum. In priuatis laribus natus es, è carcere ad regnum eductus: eoque potitus, virtute duce, & comite fortuna, præclara multa gesta peregisti. Scito fortunam inconstantem esse, ac variam: & dum se virtuti fingit obnoxiam, mox clandestinas illi insidias moliri. Quin &

Casimiri oratio.

perpetuam virtuti cum fortuna inuidiam intercedere credito. Proinde sic habeto, nos nec minus quidē officiis, quàm armis, à te superari nolle. Redde quæso Wladislao regi, filioque nostro, Boemici regni appendices. Bratislauia cede, ac Morauia, si beneficio nos superare perrexeris: sin minus, pro arbitratu tuo vrbes aliquot tibi retineto, quousque pro belli sumptibus te præstiterimus indemnem. publicæ saluti & concordiæ consule, ne te quidem sub pontificia authoritate protege: quódnam regiæ probitatis sit officiū, meditare: & pensitatis bene viribus, ea facito, idque cōsilium inito, quò depositis vtrique armis in perpetua pace & charitate viuamus. Cùm hæc grauissima Casimiri dicta Matthias animo accepisset, ne minore quidem audacia, quàm ille grauitate, loquutus respōdisse fertur: Si quem olim laborum meorum misereri sperabā, Casimire pater: (hac enim in te præfatione vti fas est, quem præuertere beneuolentia, cum patre meo instituta, & ingenita probitate parentis loco semper habendum mihi esse duxi) te potissimum esse credebam. nam quanto religione, sapientia & ætate maior, tanto beneficentior in me ac cęteros, & Christianæ Reipub. commodior esse debes. Fuisti Casimire, fuisti inquam, superiore tempore mihi non inutilis, donec Vngariæ regnum aliorum impulsu non affectare cœpisti. Me sensim habenas regni capessentem annos aliquot tolerasti, nullum mihi negocium palàm facessere studuisti. at ne illud quidem mihi satis compertum est, an hoc proba modestia, an spe improba feceris: quousque bellorum procellis, quibus fueram circumuentus, obruerer. Quæcunque tamen ratio fuerit, probitatis ista species admodum laudari potest. Deinde me paternorū beneficiorum memoria è carcere ad regnum ab Vngaris (quib. tantùm suos reges creare est integrum) vltrò petitum, publico plausu & lęticia coronatum, dominatumq; tot annos in meo regno, non sine maximo populorum detrimento inuasisti. Adiuuit me diuina benignitas, & propugnauit: quæ ad regnum olim euexerat. Poloniam ego nunquam, nisi lacessitus, petendam esse censui. nec ego, nec pater ille meus, Polonorum quenquam iniuria affecit: nisi quos in regno deprehēdimus, antiquis victum latrociniis quæritantes. E finitimis læsi neminem, nisi quos vlciscendi necessitas adegit. Proceres tantùm meos, ac Vayuodas prouinciarum nostrarū, obsequia legitima detrectantes, iusto bello puniendos esse duxi. Cum Turco perpetuum mihi bellum est: quem ne in cęterorum Christianę Reipub. regnorum exitum elabi patiamur, æternum cum eo bellum gerimus. Pōtificiis Augustalibus, quàm literis, diu vexati, ob pestilentem hæreticorum labem, Boemis inuiti bellū indiximus. Anne ambitio, & ingens imperādi libido sit hęc appellanda, tu ipse pater indicato. si ex ambitione Boemica bella suscepimus, eiusdem quoq; tua Maiestas insimulari potest. Ego non aliena diripui, non in quenquam tyrannidē exercui: fideles hæreticorum iugo ac pestilentia liberaui: Morauiam & Silesiam, quas armis ab hæreticorum seruitute vindicaui, perpetua libertate ac immunitate donaui. Non ambitio regni, Casimire, hæc est: sed cupido laudis & immortalitatis. cuius me appetentissimum esse non diffiteor, quando id principis generosi est officium. Quòd me fortunæ admones, & humilitatem obiectas, tibi debeo plurimum: quando parentis optimi est officiū, ad quotidianam filium resipiscentiam, & sui recognitionem exhortari. Sed cùm hinc timor sæpe immodicus oriatur, ab instituto laudis recordatio ista remoratur. Fateor ingenuè, Casimire, me fortunæ fuisse ludum. quātum Coruinā domum imperiosa illa humanarū rerum domina vexarit, tute nosti. Moritur pater: nos cum fratre capimur. iniqua mox ille morte mulctatur: Matthias in carcere superest: qui, parum abfuit, quin vnà cum fratre ad extremum supplicium educeretur. Antequam annus exigatur, eductus est è carcere: ad regale fastigium euehitur. Non fortuna, sed humanum scelus, & diuina benignitas est in causa. Alterum Coruinam domum ad extrema redegit: instaurauit & euexit altera. Hæc fortunæ varietas mihi animos addidit. E malorum experientia didici secunda pati. Plus etiam laudis & gloriæ mihi vendico, quòd in humili lare, ac è Christianiss. patre, imò Christianæ Reip. assertore olim editus, ad ista peruenerim,

quam

Matthia oratio.

quàm si ex infidelibus parentibus in regia natus aula imperarem. Quod autem ad rem pertinet, sic habete. Matthiam pacis & concordiæ semper fuisse amantissimum, & amicitiæ fœderisq; vestri studiosissimum: nec vllas recusaturũ conditiones, quæ turpitudine grauique damno careant: & inprimis Wladislai semper fuisse obseruantissimum, quem (vt paterna bona venia dixerim) longè maiore pietate, animo & integritate pollentem existimo. Nihil me Wladislai mei probitate magis vincet, quem fratris loco mihi semper habendum esse duxi. Vt vna fraterno semper amore viuamus, Morauiam, Silesiamque, & cætera quæ in Boemia possideo, me redditurum esse polliceor, cùm quadringẽta aureûm millia (vt huiusce belli me præstetis indemnem) rependeritis. Quinetiam si, vt spero, gratum esse nouero, cumulatiore quotidie beneficio prosequar. Me autem, antequam rependantur impensæ, scitote ne vnum quidem viculũ redditurum, nec regno, nec regni titulo cessurum. nemo enim tales prouincias tanto sudore, sanguine, sumptuq; partas, tam facilè reddiderit: nec regem quenquam tali liberalitate his temporibus vsum acceperim. Quod si etiam Matthiæ animus hanc pati posset, & Wladislai probitas mereretur, vt vestra pace dixerim: Casimiri tamen merita, qui tam graui me bello sæpe petiit, à beneficentia ista repellunt. Neq; me hæc sine pensitatis viribus respondere credite, neq; me de dictis quicquam immutaturum existimate: nihil vnquã temerè adorior, nisi meas vires prius fuerim emensus. Quare, Casimire pater, Maiestatem tuam, præsente filio tuo, adolescente clarissimo, nunc oro & obtestor, vt nos hodierno die fraterna charitate & concordia obliges: perpetua beneuolentia vtrumq; obstringas: ocium Boemiæ & Vngariæ tribuas, imò Poloniæ: quæ, si bello vexabimur, ipsa quoque bello non carebit. Prouinciis meo sanguine partis cedito, redito in Poloniam: & me, Wladislaumq; fratrem paribus auspiciis & charitate è Polonia gubernato. Vires & arma non inter nos, sed in Turcos (quæso) exerceamus: ibi perpetua regna, quæ nulla vi possint auferri, cõparare studeamus. Quod vt Casimire facias, iterum iterumq; supplico: sin minus, vltores humanæ iniquitatis Deos esse scito. Cùm hæc Polonus audiuisset, Matthiæ ferociam admiratus, & iraparumper concitus, eius pertinaciam incusare cœpit: In communi tot gentium salute, non ea peruicacia vtendum, nec commoda propria in rebus publicis semper attendenda: pro publica salute ac pace quicquid erogarit, maxima id vsura repensurum. Excitata hinc bella, ne facilem quidem exitum inuentura. Item Wladislaus rex, qui sextumdecimum ætatis annum tunc agebat, cum Matthia mitius agere, hortari & orare, vt oblatam potius pacem, quàm bellum optaret: sui regni appendices redderet, fraterna secum charitate certaret. Mox pater, ac filius, Matthiam, nihil concedere contendentem, acrioribus verbis competunt, bellum vtrique interminantur. Contrà Matthias pertinacius obstans: Testor, inquit, Deûm hominumque fidem, & vtriusque vestrũ maiestatem, cùm necessitas ipsa tulerit, me cœlesti humanaque iusticia vsque adeò esse fretum, vt vno die collatis primùm cum patre, deinde cum filio signis, me dimicare pollicear: confido, præpotentis mihi iusticiæ numen nunquam defuturum, & me ab iniquè petentibus omnino defensurum. Interea quicquid pacis gratia à me iure fieri debet, spondeo polliceorque me vltrò facturum: si pax ipsa negabitur, ius meum, & parta tanto sanguine regna nõ solùm meis viribus, quantæcunque fuerint, sed si fortè defuerint, accitis aliorum etiam auxiliis, pertinacissimè asserturum. Vix hæc dixerat, cùm terga vertere voluit. Casimirus autem, princeps ille grauissimus, ne eum desperata pace dimitteret, ad alterum tertio die colloquium inuitauit. Interea de iustis concordiæ legibus cogitare iussit. Soluto colloquio, se perreuerenter mutuò dimisere, legiones suum quęque principem in castra sequuntur. Proceres cùm nihil in eo colloquio de pace, bellóve decretum esse intelligerent, vtrinque postero die intercessere: certatim suadere concordiam, præsentia mala ostendere, connumerare imminentia: & multo salubriorem etiam cum iactura pacem, quàm cum aliqua vtilitate fore bellum. Hæc tria regna dicere bellum omnino recusare, optare pacem;

Casimiri responsum.

Matth. pertinax.

quam si non inuenerint, à principibus malle deficere. Nec rex quidem [illegible] se segnius agere: proceribus Polonis, qui Casimirum ad pacem redigerent, munera geminare, non parcere sumptibus, & promissa augere. Neque deerant literæ e Polonia missæ, quæ illata quotidie noua incendia & vastationes referebant: quæ quidem omnia illorum quoque oratione augebantur. Aliqui inediam imminentem, & rerum omnium egestatem obiectabant: exprobrabant aliq hostium vbertatem: & captiuorum multitudinem, quæ ab hoste facile ali non posset, in memoriam reuocabant. Rem hostis in vado esse dicebant, saltationes etiam, & quotidiana spectacula memorabant. Cùm igitur se his difficultatibus Casimirus circumuentum esse cerneret, ad pacem omnino animum intendit, quam necessitate adactum commodè recusare non posse intelligebat. Interea pontificum procerumque interuentu factum est, vt ad secundum colloq[illegible] inermes principes cum legionibus cõuenirent, vt ad certam potius pacẽ quam bellum prodire viderentur. Tertio die cùm ad medium interualli spacium conuenissent, post honestissimam consalutationem, tria ibi tabernacula, quæ paulò antè ex composito tetenderant, subiuere. Mox ad Poloni tabernaculum sine arbitris trini conuenerunt: tres circiter horas ibi de concordia, & cõditionibus eius disceptatum est. Illud tandem conuenit inter eos, vt sua quisque regna tutò repeterent, nihil vtrinque amplius iniuriarum fieret: Morauia, Silesia, quousque viueret, Matthiæ regi cederet: post mortem, repensis Matthiæ successoribus quadringentis milibus numûm aureûm, Wladislao regi vtraque recideret: Wladislaus, restitutis quæ capta in ea fuerant, Boemia tota potiretur: Boemici regni titulo vterque, dum viueret, legitimè frueretur: post Matthiæ regis excessum, titulus, regnum, & prouinciæ eius appendices, Wladislao cederent. Contrà, si fortè Wladislaus ante ipsum excesserit, his omnibus Matthias, cum posteritate, integro iure potiretur. Multi adiiciunt, adaucta inter eos mutua beneuolentia conuenisse, vt vter prius vita decesserit, alter alteri pari iure succederet: demum captiui vtrinque redderentur: item, malus dolus, & iniuriæ inter se perpetuò interdicerentur. Postquam vtrinque conuentum est, proceres in rei testimonium acciti sunt, qui concordiæ iura conscriberẽt. Quod vbi factum est, reges apprehensis inter se dextris, in simulachrum initæ pacis, perpetuique fœderis, sese mutuò amplexantur. Pontifices & tetrarchæ, regulique acciti, concordiam ex more transigunt, fœdusque percutiunt. Mox Bacchus lætitiæ deus, in publicæ hilaritatis speciem introductus est: quo omnes admodum exhilarati, insequenti die, cùm nox inclinans iam digressum suaderet, antequam colloquium soluerent, conuiuium regium, ac militare epulum indixere. Promulgata pace, legiones omnes vtrinque præ lætitia lachrymas emisere. Gaudebant vniuersi, grauissimo, maximoque bello finem principes imposuisse, ac longam malorum seriem intercepisse. Matthias, postquam in vrbem rediit, captiuos omnes qui viui in turribus reperirentur, vt bene pascerentur, edixit: sed ex octo millib. vix duo millia viua comperta sunt. Nam partim multitudine nimia suffocati, partim inedia absumpti: multi in primo belli furore in Odram fluuiũ demersi sunt. Præfecti quoque carcerum præ timore vrbanæ famis, alimẽta subtraxere: obstruxere carcerem, vt sæua fame conficerent. è fastidio namque captiuæ multitudinis, & belli sæuitia, in feram crudelitatem incidere. Matthias, qui non modò armis, sed gloriosissimo quoque apparatu præcellere studebat, tota nocte nihil intentius curauit, quàm vt pro dignitate reges exciperet, quorum se hospitem eo die futurum professus erat. Augustale tabernaculũ ibidem, vbi superiore die, tetendit: purpura, auro, gemmisque cõtextum, accliuem, multisque gradibus consurgẽtem abacum in medio statuit, omnium vasorum gemmatorumque poculorum genere conspicuum. Apparatus circùm admirabilis instructus, ingens epularum varietas, ab ingenua etiam gula excogitata. Cùm principes in tempore affuissent, quadrata trini mensa accubuerũt: adiecta mox histrionum festiuitas, qui longissimum missuum ordinem condirent. nullum illa tempestate spectaculum maiore admiratione dignum, hoc fuisse, memorãt: vbi tres

Pacis leges.

vbi tres reges, tot pontificum procerumq; adstantiũ corona circumuentos cernere erat,& ex his in conuiuio quemq; pro dignitate discumbentem. Augebãt ferculorum condimenta,grauissima principum dicta. Nihil ibi dictum factúmve,quod in volumina non rectè referri posset. Hic illud Laurentij ducis, Nicolai Bossonensis regis filij, magnanimum facinus ritè commemorant. Is cùm adhuc foret adolescens,& in regali conuiuio præter ætatem architriclinus, paterno cultus balteo incedebat,tot gemmis & lapidibus onerato, vt sexaginta aureûm milibus censeretur. Addecebat cultum generosa indoles,nobilitas,imperiosus quoque animus, cum magnitudine ac venustate coniunctus. Cùm ferculorum pompam mira celeritate studioq; instrueret,ac elatus(vt moris est)incederet, hinc obortum iniquè cuidam è Polonis proceribus stomachum fuisse ferunt:quem cùm tolerare non posset,nescio quomodo festinantem hac & illac adolescentem interturbauit. At ille succensus ira, Polono alapam irreuerenter incussit: & oborto aliquantisper tumultu,cùm quid illud esset, à principe quæreretur: cognita causa,laudatum vtrinq; Laurentium fuisse dicunt. Exacto cõuiuio,non modò Casimirum & Wladislaum regem, sed ne proceres quidẽ potissimos,Matthias indonatos dimisit: laudata vtrinque principis magnificentia. Postero die,captiui, quicunque viui comperti sunt, vltrò redditi: magnam eorum iacturam præfectorum carcerum sæuitia factam fuisse dicunt. Transacta pace, Polonus Boemusque pariter abiere. Rex quoque pacata prouincia, non multo pòst versus Vngariam castra mouit. Huic bello episcopus Barriensis, Ferdinandi regis legatus, affuit, qui de Beatricis Aragoniæ matrimonio cum Matthia tunc agebat. Contrà Matthias huiusce coniugij gratia Nicolaum Banffij, & Georgium archiepiscopum Colocièsem Neapolim miserat, faustum id coniugium eo tempore Bratislauię promulgatum. Cùm multi è proceribus Vngaris in bello Boemico, Polonicoque sese optimè gessissent, quorum nomina referre ociosum est,inprimis Stephanus Scepusiensis comes, Paulus Despotes, & Iaxich vexillationum præfectus, se strenuè gessisse referuntur: omnes tamen à Matthia pro dignitate donati sunt, præsertim Stephanus, qui in quoq; bello regem nunquam deseruerat,neque in maximo quoque periculo vitæ sumptibusque pepercerat, Trincinio oppido, circumiacentibusque pagis & possessionibus,item vectigalibus & portoriis (quæ Trinciniensis agri iuris essent) donatus est. Hanc tamen rex conditionem adiecit, vt quoties cæteri, qui sibi ritè succederent, id redimere vellent, quindena nummûm aureorum milia rependere deberent: gratuitò nunquam ab inuitis recuperare liceret. Hoc anno Heleonora Aragonia Ferdinandi regis filia,ac Herculi illustrissimo Ferrariæ duci desponsata, cùm ad virum singulari pompa emitteretur, vbique pro dignitate suscepta est, præsertim Romæ, Xisti pontificis max. iussu:quippe qui,authore Petro Cardinale sancti Xisti, ad diui Apostoli ædem eam excepit, vbi conuiuium sponsæ tam insolenti apparatu, & tanto luxu, spectaculorumque varietate cultum exhibuisse vidimus,vt nihil ætate nostra magnificentius sit auditum. Hanc deinde tam fausta liberorum fœcunditate ac sapientia præditam fuisse vidimus,vt cum felicissima quaque regali matrona sui temporis posset sanè conferri. Husson Cassan in Armeniæ finibus magno prælio cum Maumethe Turcorum Imperatore conflixit,vbi triginta Turcorum milia desiderata sunt, deinde relictis in regnum impedimentis se recepit. In Cypro Iacobus rex moritur, vnico infantulo, & vxore Veneta superstitibus. Quare Veneti reiecta, cæsaq; Ferdinandi regis classe, regni gubernationem obtinuere, nec multo pòst, extincto infante, Cypri regnum vsurparunt. Petrus Cardinalis, cui sancti Xisti cognomen erat,qui Italiam legatus mira celeritate lustrarat,correptus morbo, Romæ non sine ingenti pontificis dolore diem obiit. Hæc igitur anno Salutis septuagesimotertio supra quadringentesimum & millesimum gesta esse nouimus. Insequenti anno, rex inter redeundum nullo modo arma deponere constituit, donec Polonorum, qui in Transdanubiana regni parte superfuerant, prouinciam latrociniis purgasset. Ii namque in Vngariæ Poloniæque confinibus præ-

Laurentij ducis facinus.

Iacobi regis Cypri mors.

1473.

10 20 30 40 50

sidia duo statuerant, vnde latius sua latrocinia exercerent: vnum ad Nagmihal, ad Homonnam alterum fuisse dicunt. Præfecturam tūc exercitus Ciupor Vaiuoda gerebat. Cùm ij pertinaciter castella, quæ munierant, retinerent, astu hos rex aggredi statuit.* Iasich, vexillationum expeditorumq; equitum præfectum, aduocat, & quæcunque fieri vellet admonuit. Hic accito collega, cū equitibus quingentis, intempesta nocte iter ineunt: ac mira pernicitate è castris profecti, ad Nagmihal perueniunt ante diem: vbi potissimum Polonorum præsidium inesse nouerant: duos è castello dudū egressos offendunt, quos continuò laqueo suspendunt, ne quid ab his exploratoribus indicari posset. Mox in vicina sylua insidias collocant. Illucescente die, ducenti & quinquaginta equites è castello egrediuntur, & mali nihil suspicantur: totidem in castello remanserant. In proximam isti syluam descendunt: & cùm per quatuor circiter stadia processissent, velites quosdam à tergo respiciunt. Ex hoc metus nonnullos incessit: numerum tamen aspernati, vltra progrediuntur. Vix ad syluæ medium peruenerant, in cæcamque conuallem descenderant, cùm se ab insidiis circumuentos esse senserunt. Vndique clamor magnus oboritur, acris ibi pugna conseritur. Poloni, ne captiuitatem perniciosam subeant, in acie oppetere pergunt. Contrà isti obstinatissimè dimicant, obcludun tque, vt è latronibus neminem elabi patiantur. Ad postremum, hostes media ferè ex parte in prælio cæsi sunt: cæteri capti, & è regione castelli post regis aduentum suspensi, vitam laqueo turpissimè finiere. Postero die castellum oppugnari cœptum, vbi miserabilis casus non multo pòst intercessit. Nam dum præsidium, admotis tormentis æneis, acerrimè quatitur, Ciupor ab aduersa parte viminea mœnia conscendit, emissoq; à crepitāte machina lapide, colliditur. quod vbi rex, ac cæteri optimates accepere, optimi ducis casum miserabilem deplorarunt: quippe quem plus adipiscendæ victoriæ, quàm tutandæ salutis auidum fuisse intellexerant. Perpetuum iste sui desideriū militibus reliquit. Castellum tandem expugnatur: ducenti & quinquaginta Poloni in eo capti, in Budensem turrim missi, quam Mancam cognominant: & ij partim carcere, partim Danubio absumpti sunt. Castra ea hyeme mox ad Homonnam mota sunt, quam Polonorum præsidium haud inualidū tenebat. Hæc breui obsidione demum capitur. qui in ea deprehensi sunt, partim cæsi, partim capti, Budamq; missi. Hæc ea hyeme à Matthia gesta sunt. Gabriel episcopus Transsyluanus bello semper affuit: quandoquidem regius erat secretarius, & illi ab epistolis apposité seruiebat. Insolita hoc anno aquarum siccitas, perennes quoq; fontes exhausit. Turci superato Sauo, Pannoniam incursarunt. Christinus rex Daciæ, Gotię, Noruegiæq;, Romam soluendi voti gratia, ad pontificem peregrè profectus, magno honore excipitur. Scodram Illyrici litoris oppidum, & in edito monte situm, Turcorum centum milia obsedere: quod à validissimo Venetorū præsidio defendebatur. Sed illi post irritos conatus morbo correpti, quem ex mala subiecti fluminis aura concepere, in proximos montes abierunt. Carolus Burgundiorum dux Nassiam, Coloniensis agri oppidū, ad Rheni ripas obsedit. Sed cùm Fridericus Imperator obsessis auxilio venisset, inito fœdere, recessit in Belgas. Nicolaus Marcellus Venetorum dux diem obiit: & in defuncti locū Petrus Mocœnicus suffectus est. Item Iubileus à Paulo institutus, à Xisto pontifice max. hoc anno declaratur. Nihil aliud memoria dignū hoc anno à Matthia gestum esse inuenio. Sed cùm Salutis annus septuagesimusquintus supra millesimum & quadringētesimum insequeretur, Sabaczij expugnatio successit, omni laude & commemoratione dignissima: quamuis à Sauo, Sauatium fortasse melius diceremus. Quemadmodū enim suprà dictum est, cùm in bello Boemico rex foret occupatus, ad Saui ripam, Sabaczium Turcus erexerat: vt facilè non modò Syrmiensem agrum, sed Pannonias ac Noricos incursaret. Et quamuis per Gabrielem metropolitam ædificationem inhibere tētasset, haudquaquam tamen amouere potuit. Nunc autem compositis in Boemia rebus, & Morauia Silesiaque pacata, initoq; cum vtroque rege fœdere, ad expugnandam hanc munitionem, quam in exitium Christianorum Turcus erexerat, Matthias animum

[Margin notes: * Iasych. — Ciuporis interitus. — 1475. Sciabaczū, siue Sabaczium expugnatur.]

animum intendit: haud inscius, se Pannonias crebris incursionibus omnino deserturum: nisi castellum illud aut amoliretur, aut in sua potestate teneret. Quare insequente illuc hyeme cũ maximo exercitu concessit, & eo quidem animo, vt aut ibi vitam amitteret, aut oppido in inuidiam exitumque suum posito potiretur. Fortissimi ac obstinati fortuna animi comes fuit: quippe quæ voti compotem effecit. Maumethes cùm reuersum in Vngariam Matthiam audiuisset, quem annos circiter septem in Boemico, Polonicoq; bello versatum fuisse nouerat, remuniendum ex integro Sabazium esse duxit, ratus Pannonem stante Sabazio nunquam quieturum. E prætorianis igitur cohortibus validissimum
10 quemque delegit, & id robustissimo hoc præsidio muniuit: quin vt delectam hanc suarum copiarum manum esse significãtius indicaret, omnium quoscunque isthuc miserat, pileis, mitrísve, suis ipse manibus (vt aiunt) pennas assuerat. Matthias igitur quatuor legionibus instructus, ad Sauum peruenit. In opposita mox ripa castra locat, spem omnem in celeritate ac hyemis sæuitia ponit: quando vtrinque Turci opem inhibiturum esse sperat. Haud mora, Sauum traiicit, ac nouo oppido turres circùm, & tormenta ænea admouet: septo ligneo ac fossa circumuenit, ne quid inferri auferrive possit. Mox nocturnam oppugnationem adoritur, & nihil artis laborísve remittit, nullam oppidanis requiem impartitur. magna vtrinque cædes oboritur, & sępe in murorum minis, & supra propugna-
20 cula dimicatum est. Christiani tandem reiecti, regem ferunt, sub habitu gregarij militis cum accenso, ac remige tantùm cymbam conscendisse: & vt propugnacula propius exploraret, sub mœnibus nauigasse, & lustrasse omnia. Quod cùm ab excubiis foret intellectum: Turcos mox in cymbam tormentũ æneum intendisse, cuius ictu accensus obteritur: & subornatus princeps, dissimulato metu, ab inita lustratione non cessat. Audax id facinus existimatum. Cùm longa igitur hostem oppugnatione defatigasset, necdum oppido potiretur: ab auersa parte maximum agmen in cæca conualle reliquit: ipse cum cætero exercitu a fronte, illucescente die, pugnam aggreditur: & tota ferè die, haud intento Marte certatur. Paulò ante crepusculum certamen dirimit: & amotis castris,
30 desperata victoria, se abire simulat. Oppidani assiduo bello defatigati, se relaxant, pars corpora curat, euagantur sine timore alij: omnes hostem abiisse rati, si quid timebant, à fronte curabant, quæ ad proficiscentem hostem spectare videbatur: à tergo nihil mali formidabant. Ingruente iam nocte, qui in insidiis resederant, ex composito ab auersa parte oppidũ adoriuntur: & prius mœnia conscendere, quàm oppidani animaduertissent. Rex, qui abierat, vix ad secundum lapidem, celerum extemplo agmina remisit: ipse cum cætero subsequitur equitatu. Præmissi præliũ redintegrant, adduntur sociis animi, qui supra mœnia nutante adhuc Marte certabant. Res tanto impetu agitur, & totis vsque adeò viribus pugna instauratur, vt infesto mox oppido potirẽtur. In primo ingressu mul-
40 ti cæsi sunt, at vbi furor ille deferbuit, cæteri in deditionem accepti, & in perpetuam asserti seruitutem. Multa munitionũ genera ibi deprehensa. Postero die, regis edicto id non incendunt: sed remoliuntur omnia, perpetuoq; opere communiunt: & circumducto Sauo, in insulam redigunt, quod trigesimo obsidionis die ceperant. Clarissimæ victorię postquam rumor effunditur, Sabazium machinam ceruícibus Christianæ Reipub. insidentem, à Matthia tanta celeritate fuisse captam, vt prius omnes dirutam, quàm obsessam audiuerint: tanta populos lęticia compleuit, vt nihil vnquam lubentius sit auditum. Supplicationes vicatim, oppidatimq; per Pannonias actę, & Romæ iussu pontificis, Venetiis quoque ex senatusconsulto, apud omnes aras solenniter supplicatũ. Quin & vtrinq;
50 legati missi, qui faustam salutaremque victoriam regi congratularentur, & pecunias in huiusce belli sumptus erogandas deferrent. Xistus pontifex maximus Dominicum Aleriensem episcopum, Venetusque senatus Ioannem Emum, virum profectò grauissimum, misere: ac tria, & nonaginta aureûm nummûm milia tulere. Rex, quamuis ex insigni victoria animos sibi adauxerat, ne minores quidem ex his belli neruis planè concepit: quin & ex deleto Sabazio, tanto

prophanos hostes terrore perculerat, vt Sinderouiam vsque latè popularetur, & cuncta passim igni ferroq; vastaret. Sinderouia tantùm ad Danubij ripam sita supererat, quam Turcus amplissimo præsidio, ac omni munitionum genere obfirmarat, expugnandæ demum huius libido non mediocris incesserat. Quod vt efficeret, eadem hyeme tria circùm castella, ex lignis & egesta terra confecta, propius erexerat: triplici quodque vallo, fossa militeque munierat: vimineis hæc mœnibus obduxerat, quæ ex terra, materiaque congesta, nullos tormentorum ictus perhorrebant. Ex his vnum, quod Sinderouiæ prominebat, Vitestrapezan à militari mensa nominauit. Hæc enim vrbem illam vsque adeò coercebant, vt nullus præterquam Danubij pateret aditus: quæ si seruare potuisset, vt insequens liber ostendet, iam de Sinderouia, quæ nostris adhuc ceruicibus imminet, omnino fuisset actum. Hoc anno Turci superato Istro, Valachiam malis auspiciis incursarunt. nam ab hostibus primò defatigati, deinde circumuenti, ad internecionem cæsi sunt: & cùm paulo pòst inferiorem Mysiam inuasissent, insigni clade sternuntur. Mutata deinde fortuna, cum maxima classe Capham adorti, in Taurica Chersoneso sitam, quæ sub Genuensium ditione tenebatur, feliciter occuparunt. Nec memorabile quidem illud orthodoxæ fidei miraculum, quod eodem anno Tridēti acciderat, sine piaculo præteriri potest. Iudæi furtim infantem quendam, cui Simoni nomē erat, octauo Kalend. Aprilis, qui dies Dominicæ passionis erat, rapuisse dicuntur: & mox in eo omnia sacrosancti cruciatus mysteria ritè operati, crudeliter interfecisse. Sed patefacto diuinitùs diro scelere, variis illi suppliciis affecti, meritas deinde pœnas luerunt: corpusculò infantis tot cruciatibus affecto, ob ingentia quæ quotidie miracula edebantur, dicata basilica, & ipse inter Deos relatus est.

Sinderouia. — *Capha.* — *Iudæorum Tridētenorū facinus. b. Simon.*

RERVM VNGARICARVM DECADIS QVARTÆ LIBER IIII.

QVAM bene cum Turcis cæterisque hostibus superiore anno actum fuerit, ex his quæ scripsimus, facilè intelligi potest. Insequenti verò, qui septuagesimussextus vltra millesimum & quadringentesimum numeratur, longè variante fortuna, res Vngaricæ successere: quod pleriq; regalibus nuptiis, quarum tempus appropinquarat: nonnulli sæuis brumæ temporibus, quæ Turcorum cœpta fortunarunt, adscripsere. Cùm nuptiæ ad Bratislauiam prius in castris honorificentissimè per præconē publicatæ fuissent, celebritas in hunc annum, qui tertius ex eo publicationis tempore agebatur, edicto regis translata fuerat. Ad duos ingētes apparatus hoc anno Matthias animum aduertit: alterum belli, celebrandarum nuptiarum alterum. Atque ne remissius quidem in hunc, quàm illum intendit, dum in quaquere maximam virium animique præstantiam ostentare conatur. Magnam in Danubio classem molitur, qua cum secundo amne descendat, machinas varias multiplicesq; parat, item commeatus, militem & arma: non ignarus, quantum molis adoriretur, & quocum sit hoste pugnandum. Quin & amplissimas crates, abiegnis trabibus instar turrium oneratas, Istro demiserat, quæ vallo, momentaneisque castellis, item septis, fabricisque bellicis vsui esse solent. Nec prætéribat quidem circumspectum principem; extremo prælio in ea expeditione cum Turco pugnaturum. Sciebat enim, Turcum pro retinēda Sinderouia, quæ Thraciæ propugnaculum est, nihil prorsus omissurum, delectum insuper magnum habuerat, & amplissima vndique conciuerat auxilia. Ad nuptias verò, quæ insequente bruma celebrandæ erant, non modò vniuersos regni proceres, sed finitimos quoque regulos, ac principes inuitarat: quæ ad conuiuia spectaculaque pertinebant, insano sumptu, copiaq; pararat. Regiæ apparatum, abaci præstantiam, & diuitiarum ostentationem supra Persicum luxum, & plusquam opus esset, affectatè curauit. Hæc autem duo quæ potentissimo cuique principi grauissima fuissent,

1476. — *Nuptiarum apparatus.*

fuissent, pecuniarum copia leuarat, quas partim è regni vectigalibus, partim è statis Italorum stipendiis nuper acceperat. Idibus Februarij hoc anno Ioannes Alemanus archiepiscopus Strigoniensis aut ab Imperatore seductus, aut regis metu, in cuius suspicionem inciderat, corrasa supellectili, ac multo auri pondere, in Austriam ad Cæsarem effugit, ibique Saltzburgensi archiepiscopatu à Cæsare donatus est, quod multum omnibus admirationis attulit. Addiderat igitur animum inter tantos conatus, victoria recens, quæ Augustis idibus intercesserat: & faustus rumor, qui cæsos ad Danubij ripam in superiore Mysia Turcos ad internecionem attulerat. Rem ita gestam audiuimus. Cùm Emericus Nisor, & Cepli Ianos præfecturam Albægræcæ, quam Belgradum nunc dicunt, fortè gererent, ab exploratoribus acceperunt, Alibegum cum quatuor milibus equitum expeditissimorum traiecto Danubio, ad Themeswariensem vsque agrum omnia latè incursare, ferro igniquе sæuissimè grassari, multum quoq; hominum abducere: & ni prospiciatur, Transistrianam regionem perbreui ad extremam solitudinem redacturum. Re cognita, Lupo Mysię Despoti, item Nagh Alberto, & Nagh Ambrosio, qui Themeswarum cum validissimo præsidio tenebant, præterea Iaxith Demetrio, Francisco Aristio, viro fortissimo, & tribus Dociis, Petro, Emerico & Ladislao, generosis vexillationum præfectis, cōtinuò nunciarunt, vt cum equitatu quisque suo expeditissimo conuenirent, quando Turci cuncta latè popularētur. Admonuerunt etiam cataphractorum equitum præfectos, qui vltra Tibiscum æstiuabant, Michaelem Pechcy, Sebastianum Abrezæ, & Ianum Adamfi, ac Marcum denique cum Ladislais Heneyum, vt superato repentè Tibisco descenderent, nec Rempub. Turcorum incursu periclitari paterentur. Cuncti sic edocti, mādata faciunt, & in calamitosum hostem sine cunctatione arma capiunt. Dum iter faciunt, socia iunguntagmina, & indies Turcum inquirunt: postquam Emericus, & Ceplianus inferioris oræ præfectos commonefecerunt, sine cunctatione cum equitatu ex Alba profecti, Danubium transmittunt, seque cum Despota, cæterisque coniungunt. Dies tres Turcos insequuntur: per exploratores tandem intelligūt, eos adesse propè. Ad montem, ingruente nocte peruenerunt, ad cuius radices, ne quem ab hoste impetum paterentur, conglomerati subsedere. Immissis speculatoribus, quid hostes agant, & moliantur, exquirunt: contrà illi clandestinos supra montem exploratores emiserant, qui è iugo montis, quid Vngari subsidentes tota nocte agerent, obseruarunt, & paucos esse rati, inter se confertos, ante lucem in Turcorum castra rediere, ac dixere: Christianos, qui insequerentur, esse paucos, & eos nulla ex parte formidandos. Quare Alibegus animatus, illucescente die cum hoste congredi statuit. Vngari, qui sub monte inquietam noctem exegerant, & pars in equis, cæteri stantes, frenaque tenentes hostem expectarant, vbi illuxit, ne ingentem impunè prædam agere Turcum paterentur, manum cōserere statuunt. Paulo ante lucem, quadrato agmine iter ineunt, & in solis exortu in hostium conspectu fuere. Turci in montem consederant: ac prospectis hostibus, se ad pugnam accingunt. Alibegus, Scenderbegusque frater, duas extemplo alas è monte obtendit, ibique præsidium collocat: à tergo in recondita valle prædam condiderat: Pannonesque idem faciunt: duo vexillationum cornua producunt, & ea quidem amplissima: ne verò ab hostibus amplecti possent, in medio cataphractos equites statuunt: istis equites quinquaginta proponunt, qui prælium ineant. Petrus Doci in dextro cornu primum impetum Turcorū fortiter excepit: nec segnius quidem Franciscus, qui in sinistro pugnabat. Illud tamen vterque nitebatur, vt reiectos in medium hostes à lateribus amplecterentur. Atrox vtrinque prælium committitur, & multi in primo congressu cecidere. Sed Turci cùm se à lateribus circumuentos intellexere, mox animo cōsternati, pars in cataphractorū manus incidere: alij, vt vitæ consulerent, vertere terga, & ad Istri ripam cursum flexere. Instant à tergo isti, alios in fuga, multos in ripa cædunt, cæteros in amnem impellunt: ij partim vndis obruti, partim conscensis nauiculis, in alteram ripam aufugere: nonnulli nauali bello exercitati,

Danubium tranarunt. Alibegus, qui è Sinderouia classem acciuerat, illico inclinata acie, ad ripam properauit, breuiq; cymba sibi salutem inuenit. Scenderbegus in fuga interceptus, obtrūcatur: cęteri, qui remanserant, in acie trucidati. Captiui, qui in valle recōditi fuerant, audita Turcorum cæde, prosiliunt, & eorum castra populantur, ac miseri æquam sortiti sunt fortunam: quippe qui, cùm paulo antè liberos, cōiuges & fortunas cum libertate amisissent, nunc cumulatius omnia recuperarunt: imò plerique perpetuò ditati sunt. nulla fuit mulier, puérve, quin vnum equum insideret, alterum præda onustū dextera traheret. Post hæc plausus liberatorum, liberantiumq; tantus vtrinq; editus, & tā vehemens oborta congratulatio, vt præ gaudio lachrymarū profluuium emitterent. Turci non modò castris exuti, sed ad internecionem cæsi sunt. Prælium hoc ad Pozazin oppidum gestum est, in vlteriore Danubij regione, quod triginta milibus passuum sub Sinderouia situm est. Eodem etiam loco Michaelem Syllagi profligatum, & cum Georgio Labathani captum esse audiuimus: diuerso tamen vtrumque fato, quando alter Turci sæuitia Constantinopoli publicè a lictore obtruncatus est: cum præfecto Halæ repensus est alter, quemadmodū suprà scripsimus. E captiuis ducenti & quinquaginta ad regem ducti: allata quoque vexilla quinque. E Turcorum spoliis haud parum dono datum: præsertim falcati gladij, multo auro gemmisq; culti: item fluitantes vestes, Persarum more: pilea solido auro cōtexta, & tympana cum fistulis multa, quibus equi volucres adurgentius concitantur. Hæc quinque ferè mensibus ante nuptias gesta sunt. Recenti victoria regis animus nimis accreuerat: quæ latè diffusa, omnium Christianæ Reipub. principum corda mira lætitia sanè compleuit. Amplificatur hinc viri gloria, ac is ad maiora indies facinora laudis amore suscitatur. Postquam enim trinis Sinderouiam castris, quæ circùm erexerat, obsedit: iam de capienda ciuitate cogitabat. Obstabant consiliis nuptiæ, quæ imminebant, & maxima cœpta inhibebant. Statuerat iam coactis virib. vniuersis, eò descendere, & Turcici imperij propugnaculū expugnare. sed id facilius hyeme quam æstate sperabat, cùm ob difficile Turcorum auxilium: tum quia ex glacie stante Danubio, ea facilius capi posset. Accedit sæuitia frigoris, quam præ vino & crapula multo facilius Vngarus, quàm Turcus abstemius & hydropotes perpeti solet. Dum hinc rei difficultatem, hinc breuitatem temporis æquo examine pensitat, ab inito consilio deterretur, nihilo tamen minus incepta prosequitur. Habito delectu, copias cogit, non solùm quæ aliàs meruerunt: sed eas quoq; dare nomina iubet, quæ fortasse nūquam arma sumpsere. Ne belli quidem solicitudo nuptiarum curam intercepit. Dominicum enim, clarissimum basilicæ Albensis antistitem, virum ingenti probitate, & faustissimo aspectu, nec parua etiam eloquentia præditum, ad Cæsarem cæterosque Germaniæ principes oratorem mittit, qui eos suo nomine ad nuptiarum celebrationem inuitet. Missi quoque aliorsum alij. Dum ingentem igitur molitur apparatū, à Ioanne Varadiensi antistite, cæterisque legatis, qui ducendæ Beatricis reginæ gratia Neapolim in Italia concesserant, edocetur: ipsos cum faustissima sponsa, iam Neapoli mouisse, honestissimum Italorum procerum equitatum cum ea venire: illorum principem & parentis & moderatoris loco sponsæ datum, Adriæ ducem: esse virum maxima grauitate ac sanctitate præstantem, ad Sipontum tres longas naues cōscendisse, Adriaticum se sinum lustraturos: inuisuros Ferrariam, Herculis illustriss. ducis & Leonoræ sororis gratia: neq; Venetam vrbem, opibus & ciuium grauitate citra inuidiam omnibus iure terrarum ciuitatibus anteferendam, tacitè prætersituros. Mox per Forum Iulium, Istriam & Carnos, in Pannonias descensuros. Hæc nuptiarum expectatio, non parum ab intentò belli studio regis animum remisisse fertur: deferbuere conatus, & affectatæ vxoris desiderio generosi impetus retepuere. incendebat viriles animos, atque admodum molliebat, constantissima, frequensque Beatricis fama, quā singulari forma, venustate faustissima, incomparabili pudicitia, nobilitate rara, item extemporalitate orationis, & expeditissima pronunciatione præstantē, ex omnium ore perceperat.

Beatrix regina.

Beatricis virtutes.

Accede-

Accedebat virtutum muliebrium copia, etiam suprà quàm sexus ille pateretur: quibus accensus, in amorem se coniecerat. Qualis ista fuerit, quicunque noscere studet, librum quem de Virginitate ac matronali pudicitia edidimus, perlegat: totam ibi intus & in cute noscere licebit. Ducendæ Beatricis gratia rex proceres decem miserat, qui singulari pompa & apparatu per Italiam iter facerent. Ex his nemo fuit, qui in vrbe quaque nobilissima multiplices abacorũ gradus nõ explicuerit, gemmatis poculis, & aureis argenteisq́; vasis oneratos. Varadiensis antistes legationis princeps, qui apud regem præ magnificentia, fide, eloquentia, consilio, & ingenij dexteritate, inter primos semper habitus: & ab 10 Vrbinate duce honorificentissimo exceptus hospitio, in mensa salinum exposuit, quod principem etiam ditissimum in admirationem adduxit. Id monti erat impositum, à latere arbor creuerat salino prominens, quæ pomorum loco gemmis optimisque lapillis onusta, pro vmbra conspicuo nitore micabat. in monte latebræ affabrè factæ, quæ gemmarias apothecas referebant. Item aureum prochyton, cui emissoriæ loco fistulæ draco prostabat anhelans: è conchylijs huic corpus erat, prominebatque arduo capite: ad pedes, in spiras aureas caudam reuocabat: gemmata insuper ansa, tegmentum oris in fastigiatæ testudinis morem sesquipedale consurgebat: cætera ex auro omnia. Supra editissimã basim tripedalis moles excreuerat. Alij quoq; collegæ certatim suas opes ostentarunt. 20 Omitto superbissimos habitus, excultam iuuentutem, & honestissimum equitatum: quæ omnia nostri temporis spectacula superarunt. Ii eundo redeundoq; non modò Neapoli, vt par erat, honorificentissimè excepti: sed Matthiæ gratia Christianæ reip. vindicis, vbiq; pro dignitate tractati sunt. Verùm in his Veneti, Ferrarienses que præstitere: quippe qui quanto plus opibus antecellunt, tanto magnificentius Vngariæ reginam excepere. Cùm huic in occursum senatus Venetus cum vniuerso patriciorum ordine obnauigasset, eam congratulantibus patribus, ingenuisque matronis vsque adeò cunctis appositè ac eleganter respondisse, & in Senatu tam grauiter & ornatè orasse memorant, vt supra sexum sapere prædicarent. hæc ante eius aduentũ, cùm legati Matthiæ significas-30 sent, magis ac magis indies exoptatissimæ sponsæ ardore flagrabat, animumque non parum à bellorum curis abalienabat. Præter nuptiarum etiam impedimẽta, Maumethes, vt Matthiam ab ineunte Sinderouiæ obsidione reuocaret, proxima hyeme Dalmatiam crebrius exercitum suum incursare iusserat: neq; forsasse, andito reginæ aduentu, se ingentem prædam facturum esse sperabat: nec deerat quidem sæua vlciscendi libido, quando acceptam nuper ad Danubium cladem æquo animo ferre nõ poterat. Hæc igitur Dalmatiæ incursatio, quæ ingentem socijs calamitatẽ inferre iam cœperat, & vehemens nuptiarum cura, ab ingenti expugnãdæ Sinderouiæ cupiditate illius animũ planè diuerterat. Nondum regina Venetum sinum legerat, cùm Turci Croatiæ finitimi, Maumethis 40 imperio Dalmatiã inuadunt, mira pernicitate prouinciam peruagati, pagos & oppidula viminea, infirmaque succendunt, populãtur omnia: pecora, homines, fortunasq́; passim abigunt: reluctantes obtruncant, & in ætatem imbecillem ac inutilem valde deseuiunt: incendunt vbique templa, deorũ simulachra parietibus illidunt, confringuntq́;: sacerdotes ante aras trucidãt: sacras ædes virginum stupris, matronarumq́; raptib. incestãt. Quin & vulgò bestiarum more vtrumq; sexum ineunt, abutunturq́; diuina & humana miscẽt, veluti religionis ac rationis expertes. At vbi satis superq́; sæuitum esse sensere, cum multa prędã se in extremum Illyricum & Macedoniam recepere. Regina, cùm Carnorũ montes superare cœpisset, incursum Turcorum & prouinciæ calamitatem statim audi-50 uit. Cunctatius iter facere cœpit, & in re quaque grauissima legatorum consilia obseruare: in plerisq; subsistere ciuitatibus. neque iter quotidie vllum inibant, ni superiore die immissis exploratoribus, se tutò progredi posse intellexissent: quin & instructũ præmisere agmen, quò Turcorũ pericula declinarent. At postquã in mediterraneam Dalmatiæ regionem sensim desidentem paulò pòst descendêre, quam Turci dudum incursauerant, incendiorum populationumq́;

Bonfinij liber de Pudicitia coniugali, & virginitate Samb.

Salinum mirabile.

Venetorum pompa.

vestigia crebra spectarunt: sæpe in his locis pernoctarunt, vbi Turci castra posuerant: quin & vbique iacentia cæsorum corpora nondum contabefacta repererunt. Nec mediocris quidem commiseratio hinc omnes incessit, & prouinciam Turcorum rapinis obnoxiam admodum miserabantur. Iter etiam ad Drauum vsque cum ingeti trepidatione factum: quamuis traiecto Drauo, aliquanto minus trepidare cœpissent. Verùm superato Drauo, haud aliter, atque omnia pericula superassent, cùm Vngariam attigissent, indies noua põtificum procerumque agmina congratulatum occurrebant. Per altas vbique niues iter factum, sæuitiamque hyemis hucusque commemorant. Rex cum vniuersa principum & nobilium multitudine ad Albam regalem venerat, vt ibi primùm reginam exciperet, & (vt par erat) antequam coniugium patraretur, eam ritè coronaret: Budæ nuptiarũ celebritas, & consummatio fieret. Ex composito facta omnia. Cùm ad octauum lapidem, vxorem appropinquasse nouit: cum singulari pompa, & honorificentissimo procerum equitatu, confestim occurrit. Excepit hilaris pro vtriusque dignitate virginem: & ad primum vsque lapidem strata rubro panno via, Beatricem in vrbem admisit. quod cum tanto populorum plausu, & tympanorum tubarumque sonitu factum est, vt aliquid supra humanas vires celebratissimæ festiuitatis spectatum fuisse credideris. Addebat plurimum lætitiæ Pãnonicæ, faustissimus & perquàm hilaris Beatricis aspectus: cui speciosa frons, elata supercilia, saginata tempora, item erubescentes vtrinque malæ, cum oculorum hilaritate, nasi modestia, ac oris venustate, tantum raræ gratiæ comparabat, vt forma habituque Venerem, Dianam pudicitia, & sapientia eloquentiaq; Palladẽ ex omni parte referret. Transacta coronatione, Budam idibus Decembris, anno Salutis septuagesimosexto supra millesimum & quadringentesimum à rege ducitur: qui virginis pulchritudine, ac ingenij dexteritate vsque adeò cœpit æstuare, vt nihil anhelantius appetere videretur. Ibi nuptiæ dies aliquot celebratæ, datum sæpius epulum, editaque varia spectaculorum genera: assiduò tamen equestre certamen, & multa in aditu sparsa missilia: contra verò innumera à singulis oppidis & ciuitatibus, item optimatibus ac regulis, Matthiæ, Beatricique oblata munera. Quinetiam à cæteris Christianæ Reip. potentatibus, preciosa sunt missa dona, quibus regale ærarium completum fuisse dicunt. Publicæ hilaritatis gratia, noxij omnes in carcere deprehen~, soluti sunt: crimina impunitate donata, vadimonia à prætore dilata, relaxata ad tempus debita: & ne creditores vllo modo sæuirent, menses aliquot leges promulgatæ. Stantibus quoq; nauibus, rex sæpe cum regina aurigauit, ne horam quidem absque ipsa esse potuit. Tota ferè Vngaria ad regalium nuptiarum celebritatem sanè conuenerat: quod cùm Turcus apertè sensisset, tempus cõsilio suo nactus idoneum, quadraginta clàm hominum milia ex Europa mira celeritate coegit, & dum regem cum tota Pannonia nuptiis occupatũ esse intelligit, extemplò tria castella, quæ ad Synderouiam Matthias erexerat, rigente bruma, circumuenit: cùm sæuitia frigoris non modò fossæ aqua completæ, sed Danubius quoque constitisset, incenso vallo, mœnibusque ligneis, sine magno negotio imposita Pãnonum præsidia oppugnauit. Illi desperata salute, deditionem fecere: & saluis corporibus & impedimentis ab hoste dimissi sunt. tormenta ænea, cunctaque munitionum genera, item classis & armamentaria, in Turci potestatem deuenere. Castella mòx diruta & incensa, ac solo æquata. Insuper, ne occasionem quidem tantam dirus hostis temerè abire patitur. Cùm stratum adhuc glacie Danubium conspicaretur, & Transsyluanos, Valachosque ad nuptias quoque confluxisse per exploratores intelligeret, cum expeditissimo triginta milium equitatu Daciam inuadit: & longè lateque vagatus, igni ferroque cuncta vastat: mox populata, incensaque prouincia, ex omni ætate, ac vtroq; sexu, quadraginta hominum milia hinc abegit: & antequam solueretur Ister, in Mysiam se recepit. Nuptiæ Decẽbri mense celebratæ: & hęc ea hyeme detrimenta in Dalmatia, Mysia ac Dacia à Turco Christianis illata sunt: quæ regis, totiusque Pannoniæ mentẽ vsque adeò consternarunt, vt nihil tale posthac in Turcum audentius molitum fuisse

repute-

1476.

reputetur. Intercesserat etiam ingens cum Friderico Imperatore indignatio, ac vetus odium, quod Matthiam à Turci bello nimium reuocauit. Nam posthæc ad se tuendum potius, quàm inuadendum Turcum, simultas ista mentem eius intendit. Quin & sat pro magno negotio in posterum habuit, si incursiones illorum inhibere potuisset. quanquam verò sæpe Matthias dicere solebat, neminem præter se Imperatoremq; futurum, qui intimam belli causam nouerit, quod sibi cum Cæsare intercessit: nos tamen, quas alij opinantur, & quas à grauissimis viris accepimus, eas in medium adducemus: quando non modò de dubiis, sed de falsis quoque rebus plerique scripsere. Multas belli Alemannici causas Matthiam prætexuisse constat: quarum quæ potissima fuerit, ipse nouerit. Multi initium pro corona odium fuisse coniectant, quãdo Cæsar, qui ambitiose regnum anhelarat, sex annos Matthiæ coronam abnegarat: ægerrimeq; tulerat, adolescentuli gratia se in regalibus Vngarorum comitiis passum esse repulsam: & quia regium diadema sibi creditum, sine magno auri põdere, sine maxima procerum obligatione, & regni successione, reddere recusarat, atq; Augustale denum negocium venale fecerat: quare perpetuam auaritię notam Augusto inustam esse censebat. Pacato regno, & legatis & clandestinis crebrò internunciis precabatur, vt violentam illam obligationem, qua obstrictis proceribus Pannonici sibi regni successionem asseruerat, quandoque solueret: néve tam violenter, & imperiose cum Pannone ageret: commemorate pientissimi patris officium: & cùm filium adoptarit, orare, vt secum indulgentius ageret: item monere, vt euitaret infamiam, ne veluti circumscribendi pupilli gratia, insidiosam adoptionem obitet. Contrà, obaudire semper ille, asserere id iure factum. Cùm obstinatissimum in relaxanda obligatione deprehendisset, rex non parum commotus, illi succensuisse: & non modò literis, verumetiam vulgo plerunq; dixisse dicitur, se illud ius, quod vi adactus inique Cæsari concesserat, æquo quandoque bello vindicaturũ, & quicquid aliena improbitate amiserat, in foro Martis recuperaturum. Deinde cùm ex illegitimo concubitu scitum & elegantem puerum nactus esset, multò grauius conditionem illam tolerauit: vt si fortè liberis careret, haberet qui regno succederet. Aliud quoque causantur alij, & pro sua quisque opinione loquuntur. In acceptis à Matthia beneficiis, summam Imperatoris ingratitudinem arguunt, eamq; Matthiæ stomachum adauxisse opinantur. Georgium, aiunt, Boemiæ regem in Hussitarum hęresim coniectum, ac ideirco summo pontificis anathemate mulctatum: Fridericum Imperatorem nihil hostile metuentem, iniquo bello lacessisse: misisse Victorinum filium cum maximo exercitu, incursasse Austriam, & grauia igni ferroque damna intulisse: Viennam demum vrbem nobilissimam, vbi tunc Cæsar agebat, obsidere ausum. Fridericum mox Vngariæ regem, quem semper filium appellabat, exorasse, vt præsentanea mitteret auxilia, ac ipsum hæreticorũ obsidione liberaret. Matthiam extemplo suis etiam sumptibus exercitum & auxilia cogisse, & in Viennensi agro præstò affuisse: hostes quamprimum eius aduentu soluisse obsidionem, & se in Transdanubianam regionem recepisse. Matthiam adaucto Imperatoriis copiis exercitu, illos in Boemiæ vsq; fines periisse: neque vnquam fuisse deserturum, donec aut Imperatori satisfacerent, aut collatis vtrinque signis, litem Marte dirimerent: Victorinum ad extrema redactum, cum Cæsare statim, inscio Matthia, pacem iniuisse: pollicitum non solùm legitimum in omne tempus obsequium, sed indemnem quoque præstiturum. Imperatorem composita pace, clàm, ac illico suas copias è Matthiæ castris reuocasse, vt & inglorius rediret in regnum, & nullam Imperatori opem attulisse videretur: atque omnis denique labor, diligentia, cura, impensæque grauissimæ pro irritis haberentur. Superasse præterea ingratitudinem, quòd aliorum nomine, immissis sæpe legionibus regnum infestarit, & rapinis incendiisque finitima loca vastarit. Insuper non multo pòst tempore in Boemico bello, cùm non solùm à catholicis rex Boemiæ foret electus, verumetiam Pauli summi pontificis authoritate pronunciatus & approbatus esset, ac regni processionem ritè iniuisset: Imperato-

ris obtrectatione non caruit. Nam post Georgij regis excessum, cùm apud hæreticos de futuro rege ageretur, Imperatorem memorant vehemētissimam dedisse operam, vt Casimiri regis filius, data Matthiæ repulsa, rex Boemiæ crearetur: ac extremum intendisse studium, vt iis comparati iure sibi regni titulum amitteret. Conceptus nanque liuor, Coruinas vires & imperium amplificari minimè patiebatur: atque Polonicum hinc bellum in Bratislauia, veluti suprà scripsimus, exortum fuisse dicunt. Quin & cùm menses aliquot intercessissent, nullis Matthiæ iniuriis prouocatus, Germanorum quasdam copias hostiliter Vngariam inuadere permisit: & cùm oraretur vt inhiberet, partim verba dedit, partim dissimulauit: & nunc iusticiam, nunc inopiam virium causabatur. Multi promissum ab eo in expeditione Boemica stipendium, quam hortante exoranteque Imperatore susceperat, nedum iubente Rom. pontifice, potissimam Alemannici belli causam fuisse reputarunt: cùm Cæsar id nunquā exoluere voluisset. sex & triginta aureûm nummûm milia id fuisse dicunt: sexaginta plerique supputarunt. Neque desunt, qui alia comminiscuntur in causa fuisse. Matthiam ferunt, post duarum obitum vxorum, Imperatoris filiam pro coniuge postulasse: Cæsarem, quasi hominis humilitatem aspernatum, non modò hunc recusasse generum, sed per cōtemptum, nescio quid insolentius respondisse: Matthiam hanc repulsam ægerrimè tolerasse, aliò cōuertisse animum, & Beatricem Aragoniam desponsasse. Inuenti quoque sunt, qui ad veteres inimicitias præinstitutas, & autore Ciliæ comite diu retentas, rem istam referunt. Bellum addunt, à regni initio ab Imperatore tam variis sæpe negotiis illatum. Sed cùm diuersi diuersa causentur, haudquaquā absurdum cuiquam videri debet, si plures vni eidemque rei causæ ascribantur. Quodcunque enim fieri potest, & perquam verisimile est, à veritate non potest esse alienum. Reconditam complures demum illam causam expromere non erubescunt, quæ in peregrinatione Cæsarea, sedēte Paulo, intercessisse fertur: hanc licet affirmare non ausim, haud ab re tamen referendam esse duxi, vt ex pluribus coniecturis pro aliorum iudicio rei veritas inueniatur. Cùm Imperator igitur reuisendæ vrbis gratia in Italiam peregrè profectus esset, ibi à pontifice Paulo cum faustis honoribus exceptus, menses tres moram traxit. In Austria procerem quendam præfecerat, magna autoritate, & potentia virum, cui Pamkhircher nomen erat. Hunc, interea dum Cæsar abfuit, sicut exitus ostēdit, aduersus imperatoriam Maiestatem noua esse molitum, & cū septem & viginti proceribus Austriæ (haud inscio Matthia rege) coniurasse ferunt: quem defensorem in nouitate delegerant. Augustalis vxor coniurationis admonita, crebris tabellariis Cæsarem, nihil Romæ tale suspicantem, nouitatis & periculi admonet: oratque, vt quàm ocyssimè possit, in prouinciam redeat. At ille continuatis die noctuque itineribus, opinione celerius affuit. Post reditum nihil studiosius egit, quàm vt in coniuratos quæreretur. Illi literis acciti, non veniunt: varias moræ causas commentantur, prætexuntque. Cæsar tandem sub fide publica sex è coniurationis principibus Neapolim coegit, quos indictà causa, & violata præter dignitatem suam fide, clàm in hortis capite mulctauit. Rogatus ab his, antequam supplicium sumeret, cur datam fidem læderet? respondit: Æquum & fas esse, perfidis & parricidis violare fidem, & scelus pari arte punire. Matthiam omni suspicione in hac re liberandum esse crediderim: quem quidem, veluti suprà dictum est, si quid ipse in Imperatorem moliri voluisset, nunquam profectò occasionem illam prætermisisset: cùm sibi aduersus Draculam agenti, Viēnenses obsessum in arce Cæsarem, & ad extremam redactum inediam, vnà cum vrbe dedere voluere: & instantissimè, vt conditionem & imperium acciperet, efflagitarunt. Vt autem res ordine referatur: Non multo post sumptum de his supplicium, Cæsar veluti officij admonens, Matthiam ad visendum patrem Viennam inuitauit. Obtemperauit piæ volūtati Matthias, & cum honestissimo paucis pòst diebus equitatu Viennæ affuit. Recipitur à patre, vt par erat, honorificè: & dies aliquot in equestri certamine, variisque spectaculis & choreis teruntur. Intempesta interim nocte à

& à ciue Matthias admonetur, vt dicto citius Imperatoris euitet insidias: sciatque, se non ad officium, sed capitale iudicium accersitum esse: & ni cauerit, omnino iaciturum. Rex tristi quamprimùm nuncio consternatus, cum duobus intimis, quos habebat, amicis rem communicat: Czobor alter, alter Nicolaus Banffij dictus erat. Vterque fugæ pernicitate quærēdam salutem esse censet: in non credendo multum periculi instare dicit: & pro tutanda salute, multa quoque temerè credenda, vt in portu nauigetur. Quare Vienna se extemplò subripiunt: quam primam in Danubio offendêre cymbā, cōscendunt: secundo clàm amne Pisonium deuenere. nunquam tamen posthac se Imperatori credidisse dicitur: & hinc, vt omnium fert opinio, veterum inimicitiarum cuncta vlcera recrudescere visa sunt. Neque deerant quorundam nobilium & regulorum factiones, qui in finibus oppida, vicos & prędia possiderent: atque variantem fortunam sequuti, dum hinc & hinc se gratificari studēt, vtrinque odia adaugerēt. Aliqui Matthię subditi recalcitrabant, Augusti viribus freti: plerique sub Imperatoria ditione siti, si quid patiebantur, ingrati auxilio regis vlciscebātur. Hinc nouæ quotidie belli causæ obortæ sunt. Item, si quid inter hos proceres controuersiæ noscebatur, ad factiones confestim publicas referebant. Præter ea quæ diximus, accedebat ingens dissimilitudo morum, & ingenitum æternumq; Vngari & Alemanni odium. Matthias enim suapte natura liberalis & magnificus, laudis plus æquo cupidus, & appetētissimus honoris: cui summa animi magnitudo, & promptus ad pericula, præclaraque facinora semper inerat animus: contra Fridericus Inperator non modò parcus & frugi, sed auarus: & plus pecuniarum, quàm honoris appetens, ad magna Christianæ reipub. commoda, vel sua vel aliena culpa, animum nunquam extulit. Ille bellicosus, & impiger laboris, & inediæ tolerantissimus: hic ocij & quietis amator, quin & plus æquo negligens, desidiosus & tardus. Ille clarissimorum principum æmulator semper cum antiquorum laude certauit: hic inuidus quandoque habitus, nobilia aliorum facinora intercepit, in pace bellum, in bello pacem optare solitus fuit, & nullam in vtroque constantiam retinere. Illi liberum ingenium, Mars apertus, animus ad pacem bellumque perfacilis: huic arte, consilio, calliditate, & pro iudicio cūcta suo gerere placuit, & nihil consiliis amicorum tribuere, demum ad vtrumq; difficilis. Illius vita lautissima, apparatus Persicus, & vsurpata ex vino animi relaxatio, neque humanarum inimicus voluptatum: huius cultus modicus, cōtinentissimus fuit animus, inimicus crapularū, quin & semper abstemius, hydropotesque perpetuus, solitudinis & contemplationis amator. Illum sales, ioci, & amicorum consuetudo nimis oblectauit: hunc vita recondita, seuera, tristis, & à suorum consuetudine admodum aliena. Rex denique præ ingenij probitate facilè cuncta remittere, omnia quidem absumere, vt è regno nihil imminuat, plus honorem quàm pecuniam amare: præterea lętus, hilaris & iucundus, ac ad omnia promptus. Imperator pertinacia omnia perpeti, & iacturam parui facere, aduersarium obstinatione defatigare, malle omnia perdere quàm nummum ex arca promere, pecuniis potius quàm sociis parcere, sperare cunctando instaurari omnia, & à rigiditate solitudineque sua nō recedere. Par vtrique religio, par quoque superstitio astronomorum, mathematicarumque vanitatum: quibus ambo sese nimis obnoxios non diffitebantur. Sed Cæsar in sacris multo magis assiduus, ac diuinæ nimis deditus contemplationi. Vtinam in his quæ scripsimus, mentiri fas esset: quando, si hos morum similitudo conciliasset, nūquam Anstrale bellum, graue quidem & perpetuum, tot vtrinque calamitates & incendia peperisset: nunquam etiam tantum sanguinis hausisset. Quis igitur reputarit, inter tam diuersos variosque mores, veteres ingenitasque discordias & suscitata bella facilè posse componi? Hæc igitur omnia, quemadmodum suprà scripsimus, ad indicendum Friderico bellum, Matthiam impulere. Item, si & illud addiderimus, nemini fortasse videatur absurdum: Nimis appetens gloriæ Matthias erat, inter duos orbis Imperatores se situm esse conspicabatur. Cum Turco diu felicissimè pugnarat, compararat multum hinc sibi

Matthiæ & Friderici Imp. diuersi mores.

nominis, cum eo multum proficere non posse cernebat: quando is terra mariq; plurimum poterat: nunc iniuriarum mole grauatus, fortasse non inuitus ad alterum Imperatorem arma conuertit, quo cum se, quum iste minus virium haberet, multo plus proficere posse intelligebat. neque latebat eum, quantum sibi laudis ac nominis inueniret, si cum vtroque Cæsare gloriosè pugnasset. Augebat huiusce belli libidinem, Austriæ pulchritudo, opulentissimarum superbarumq; frequentia ciuitatum, quam deliciarum domum, & humanarum voluptatum officinam esse senserat. Viennenses illecebræ nondum mente exciderant, a quibus se quandoque victum feruentiore iam ætate esse nouerat. Rusticitatem Vngariæ, ciuitatũ inopia laborantis, parta bello Austria facilè resarciri posse intelligebat. id quod etsi potissimè bellum hoc excitasse non dixerim, inhibere tamē nequiuisse affirmatim. Matthias igitur his omnibus commotus, suscipiendum, post exactas nuptias, bellũ primo tempore esse censuit: quãuis, vt declinaret, quę potuit, omnia tentauit. Sæpe legatis, sæpissimè literis Cæsarem commonefecerat: obsecraratque, vt bellum & iniurias inhiberet: & quando pater est, filij regnum infestare desineret, à pientissimi parentis officio, non desineret. Sin pristina obstinatione perrexerit, se armis iniurias omnes vlturum. Nil tandem legatis, nec literis ipse profecerat. Dabantur bona verba, quæ cum rebus haudquaquam consentire videbantur. Ad postremum, rex de bello Alemannico retulit ad senatum. Variæ in vtranque partem pronunciatæ sunt sentētiæ: inter primarios Stephanus Bathor, vir maximæ nobilitatis, authoritatis summæ, & spectatę virtutis, sapientiæque, rogatus à rege sententiam dicere, licet inuitus, tandem ita disseruit. Silentium hodierno die, patres, mihi indixeram, ne qua re inuictissimi principis nostri voluntatem fortasse læderem: cuius animum amplificandi regni, & comparandæ immortalitatis gratia, belli cupidissimum esse nouimus. Sed cùm dicendi libertatem, præ modestia & probitate sua, senatui nunquam abrogauit, meq; sentētiam dicere iussit: ingenuè, quod de repub. sentio, dicam: & cum regalis veniæ præfatione, de regni vtilitate disputabo. Quicunque pacē habere potest, cur bellum graue, prophanum & æternum quærat, haud facilè dixerim: quando declinanda sunt bella potius, quàm prouocanda. Alemannorum iniurias diu passi sumus, & quandoque grauiter vlti: nunc amicos, nunc dissimulatos hostes habuimus: inter infirmam pacem, & breue bellum tempus traduximus. Quid est cur posthac pari arte, veluti antea, perpeti nequeamus? Cum Turcis, cum hæreticis iure bella gessimus: quia ius diuinum & humanum, item ipsa necessitas adegit: ne cum prophana impiaque gente consentire videremur: æquissimum ferè semper cum his nobis Martem habuimus, quando pro aris & focis, pro diis, & Christiana repub. pugnabamus. nunc, si cum Alemannis bellum iniuerimus, qua cum gente dicite, dicite, inquam, patres conscripti: nempe cum vicinis & Christianis optimis dimicabimus, quos antiqua vicinitas, quæ cognationis esse loco solet, & ipsa religio, catholicaque fides, sat nobis cōciliasse debet. Nonis, inquies, iniuriis quotidie nos afficiunt, nouas indies Vngaris insidias intendunt, nouos quoque dolos excudunt: sat erit, pro arbitratu nostro par pari referre: nunc propulsare iniurias, nunc vlcisci, beneficio quãdoque hostem vincere, non vtile. Si vicinorum errata pati non possumus, quónam pacto externorum tolerabimus? nec minus quidem laudis promeretur ille, qui pati sciet, quàm, qui vlcisci. multa toleranda sunt, simulanda & dissimulanda quoque multa: non parum quidem fructus affert, adhibita in loco patientia. Supputemus iniurias, connumeremus & commoda, nos quoque illis quandoque fuimus iniurij: grauiores fortasse intercedũt regiæ Maiestati cum Imperatore causæ: quæ cùm nos lateant, æquam proferre non possumus in suscipiendo bello sententiam. Illud sat nobis compertum habeamus, nil ab ea temerè fieri posse, in manu eius pax & bellum. nos eius ductum, auspiciaque sectabimur. Si autem fortè cum Noricis aut Australibus certãdum est, quis animum pro Christo assiduè militantem, in Christi gregem obuertere poterit? Si fratres omnes in Christo sumus, quis fraterno cruore manus fœdare ausit? Non Alemannicum, sed fraternum

Austriæ laus.

Stephani Bathoris oratio.

num erit hoc bellum. Quot proceres, quot ciues, quot nobiles sunt vtrinq; sic mutuis affinitatibus necessitudinibusque coniuncti, vt inito bello, intestinum Martem exercere cogantur? quæ ciuitas nobis est, quam Alemannica natio nõ complerit? non institutis artibusque politicis excoluerit, nõ domibus, & superbis ædificiis exornarit? nullum oppidum, nullus pagus est, quem Alemannus non incolat. Vtinam potius falsò quàm verò id possem dicere, Vngariam eiectis Alemannis nihil esse futuram. Esto belli causa iustissima, vtilis & necessaria: Num, quibus cum nobis agendum sit, considerare debemus? Cum Romano Imperatore res erit, qui plus Augustali authoritate, quàm nos viribus, potest; 10 cum Germania, omnium gentium profectò fœcundissima, magistra belli, & diuersarum artium parente: quam per tot annos populus Romanus etiam multo sanguine vix domitare potuit. Vbi Cæsar, vbi Augustus adhuc à Quintilio Varo gemebundus cæsas ad internitionem legiones repetit? cũ Australibus, quibus immensæ opes, indomita superbia, ingenium varium, & fallax, auidum nouitatis, & assiduo bello exercitatum: præterea in muniendis protegendisq; oppidis vsque adeò edoctum, vt nihil sine magna cæde, vi capi possit. Accedit frequentia ciuitatum, & castellorum natura, & quauis arte munitissimorum, vbi ne passus quidem sine cruore parari potest. Quis Hamburgum? quis Viennam? quis Neapolim Augustam expugnarit? nempe nemo, nisi qui gentis suæ inte- 20 pestiuum dirumque sepulchrum parare perrexerit. Esto, profligemus Cæsarem, & Austria potiamur: quid tandem fecimus? æternum Martis ludum edémus: bellum de bello seremus: decies in die fusus Cæsar, decies magnos exercitus reparabit. Hydra, mihi credite, Herculis est Austria: cęso vno capite, septena resurgent. finitimos etiam nobis vndiq; irritabit. Lupum auribus tenere difficile: quinetiam si illa nobis hodie sine negotio deditionẽ fecerit, & sese in nostram ditionem asseruerit: profectò pro retinenda quotannis multo plus pecuniarum & sanguinis erogabimus, quàm etiam quadrupla eius annua vectigalia patiantur. Si totidem sumptus, quot paranda illa postulat, in Turcos effuderimus, quod iustum & fas est, imò quod pientissimum: nimirum totam triennio 30 Europam à prophani hostis manibus vindicabimus. Insuper & illud mihi nunc succurrit, quod reuerentiam prohibet: quamuis libertas animi, & principis indulgentia patiatur. Quid igitur faciam? dicámne, quod futurum auguror? Dicam inquam, rex inclyte, dicam, & bona tua venia. Si Austria potieris, quando nihil virtuti fortunæque Coruinæ obstare potest: mihi crede, rarò, heu nimis rarò te tua videbit Vngaria, ea tanquam vidua deseretur, & frequentabitur Austria, hæc exhaurietur, & illa ditabitur: vectigalia nostra vorax absumet Austria. Vtinam me vanum audiatis augurem, nostrum dominum, ac regem Australes eripient. Quas ob res Alemannis bellum indicendum esse non censeo, cùm propter ea quæ diximus: tum, ne apud Christianos potentatus Vngari, 40 catholicæ fidei, æterni vindices, infames habeantur. Nolite quæso calamitosum & æternale bellum nunc inire, ac intempestiuum iuuentuti vestræ parare sepulchrum. Ego de me hoc habeo polliceri, nunquam aduersus optimos Christianos arma sumpturum. Animam creatori Deo debeo, Matthiæ corpus. si in Alemannos castra moueritis, ad Turcos me conuertam: & meorum exemplo, ibi pro Deo, pro Matthia, pro me denique ipso, haud incommodè animam effundam. Cùm Bathori ista dixisset, omnes pontificum animos in se conuertit; & ex his nemo fuit, qui pedibus in eius sententiam non ierit. Contrà proceres belli cupidissimi, & laudis ac gloriæ sectatores, magna ex parte aliter sentiebãt: illos otium, publicaq; charitas, hos bellũ, & Martis emolumenta trahebant. Ex- 50 citabantur etiam regis appetitu, quem indice vultu ad hoc bellum, veluti quodam fato, tractum esse intelligebant. Cùm de Stephani sententia per subsellia mussitaretur: Paulus Chinisius à rege iussus dicere sententiam, hæc verba fecit. Superuacaneum est, patres conscripti, non solùm de suscipiendo bello, verumetiam de quaqne re grauissima ante Maiestatem regiam proferre sententiã. latent enim nos multæ causæ, quas illa tantùm nouit: & explorata satis est sapien-

Austria, Lernaa hydra.

Pauli Chinisii oratio.

tia,altitudoq; consilij, nobis potius silentium quàm orationem indicit: diuã eius prudentiam, probitatem,& fortunam diu experti nouimus. Clementia principis liberè nos loqui iubet: sed ista libertas nihil eius consilio adiicit, supra humani vires ipse sapit ingenij. Ego tamen, quãdo parendum est, dicam quod sentio: & hanc senatoria militari libertate communiam. Cùm (proceres) nunc veteres Cæsaris iniurias, sacræ coronæ redemptionem, obligationem illam infaustam, imò iugum, præterea abnegata regi stipendia, quotidianasque insidias & incursus mecum reputo, equidem nullo modo ab ineundo bello mẽtem reuocare possum. si, vti Bathor apposité, diserteq; locutus est, hoc honestè bellũ declinare possemus, ocium potius, quàm formidolosum hoc negotium optarem. Sed vsque adeò necessitate vrgemur, vt nostros fortasse nisi nostri dissimiles fieri patiamur, nullo id iure euitare possimus. Diuina Cæsar insignia nostrorum regum, præter æquum & fas, venalia fecit. Quinetiam si tanti apud alios censerentur, iam diu in auctione, in foro Christianæ reipub. posuisset. Vtinam hoc Cæsareæ sat fuisset auaritiæ. Nos,& posteritatem nostram, per iniquam violentamque obligationem in seruitutem asseruit, ius alieni regni sibi vindicare non puduit. Nomen ditionis Vngariæ vsurpauit, qua non alio modo quàm vmbratili Romanorum imperio potitur. Quinetiam, si in sua potestate iaceremus, sub hasta, mihi credite, veniremus. Omittantur ista, quando tolerari queunt: quis ab assiduis vltrà insidiis se tueri poterit? malo quotidie dolo petimur. Nunc hunc, nunc illum, in nos hostem irritat. Sedula sub alieno nomine nobis infert incommoda, & quandoque impudentius regni fines inuadit, & vastat assidue: nunc subornatas copias immittit: querentibus legatis, bona tantùm verba dantur. Quare non emplegmate, sed gladio recidẽdus est iste morbus: nec amplius in nostram nostrorumq; perniciem alendus. Ioannis archiepiscopi Strigoniensis fugam non aduertitis? quid in nos quotidie Cæsar moliatur, non attenditis? illum sociis carere putatis? O nos cæcos,& imprudentes: in medio senatu hostem habebamus, imò principem senatus, ac regni primatem, & non intelleximus? Patiamur igitur hæc omnia, quousque ad vnum omnes Cæsarea arte ruamus. Proinde postquam aliquantisper à bellorum multitudine respirauimus, nullumq; bellum superest nisi quod nobis cum Turco hæreditarium est, à quo non solùm induciæ, sed pax quoque quotidie postulatur, suscipiẽdam forti animo cum Friderico hanc expeditionem esse puto. Excutite quæso (proceres) iugum è ceruicibus: & obligationem illam iniquè olim initam, æquo Marte rescindite. vos, posterosque vestros, vobis vindicate: donec iniuriarum finem ille non fecerit,& ius illud non remiserit, quo nos obstrinxit, ne à bello vnquam supersedete: non obstabunt, mihi credite, munita oppida, Germanæ acies, & obstrepitantes æneis fabricis cohortes. Hostem longè maiorem etiam cum magna gloria passi sumus,& quotidie patimur: nouimus Australia olim robora, & fortunam nostri principis inuictissimi non ignoramus: Pannonicas vires quotidie periclitamur: non belli difficultas, nõ longitudo deterret. Mihi certum est, domi forisque, siue fas siue nefas rex auspicetur, imperium suum vbique gentium forti animo sequi. Quanquam igitur me iniuriarum memoria ad hoc bellum hortatur: tamen omnia principis nostri sententiæ potestatique committenda esse iudico: siue pacẽ siue bellum mentis illa diuinitas auspicetur, eius, quæso, ardentes ductum auspiciaque sectemur. Pauli sententia, maxima ex parte ab his laudata, qui belli studia planè sequuntur: sed quatenus rem ipsam iudicio regis committendam esse censuit, id omnes approbarunt. Archiepiscopi Ioannis facta mentio, qui cum vniuersis facultatibus aufugerat,& principatum apud regem obtinebat, in Cæsarem nimis animos omnium irritauit. A senatu demum regi supplicatum, sententiã diceret, Reipub. sibi commissæ consuleret, prouideretq; (vti semper antea fecerat) vt nihil detrimenti pateretur, sed potius accessio fieret. At ille: Testor, inquit, Deûm hominumq; fidem, vestramque inprimis (antistites, commilitonesque mei) Matthiam vestrum à regni principio, quod beneficio vestro acceperam, nihil intensius diligentiusque curasse, quam Impera-

Matthiæ regis sententia.

Imperatorem, vestrum Imperium anhelantem, quocunq; possem officio conciliare. Legationum frequentiam nouistis, intellectam principis auaritiam, vti sacram recuperaremus coronã, quam tot annos vobis abnegarat, multo sanè auro compleui. Ne sat quidem illuderat, me ad breue tempus interiturum ratus, vi regni successionem sibi vindicare voluit, ac inanem regni titulum vsurpauit; ne corona sacrosancta careremus, iniquam illam conditionem accipere imperiosa necessitas adegit. Dimitto vetera, aliaq; permulta. Vtinam etiam cum misera conditione quietè viuere licuisset. Me, vt nostis, adoptauit, frequentaui quandoque patris curiam inuitatus: & quacunque potui pietate reuerentiaque parentis Maiestatem ipse foui: quid in me officia quæq; præstantem moliri cœperit, ipse nouit. Ad Boemicum cum summo pontifice me bellum impulit: auxilia ampla, & vnius anni Australis prouinciæ vectigalia in belli adminiculũ pollicitus, nihil expendit: in regis Boemici electione, & in re quaque vbi de dignitate nostra actum sit, quantum profuerit, filioque fauerit, vtrique scimus. Quotidianas iniurias, ac iniquas regni vastationes vos ipsi spectatis. Nec legationes assiduæ, nec literæ, nec verba prosunt: nec adhibita Christianorum principum patrocinia, quæ ab hac ipsum impietate reuocarẽt, quicquam proficere potuere. Neq; tam graues iniurias, ne dicam vitæ periculum, tam diu tolerassem, nisi impij notam filij reformidassem, & hæc in vestra detrimenta verterẽtur. Quanquam inuitus ad arma trahor: hoc tamen bellum, mihi credite, declinare non possum. Vos autem estote bono animo, ac inprimis iustitiæ vestræ, deinde fidei, diligentiæ, fortunæq; nostræ bene confidite. Quid archiepiscopi fuga portendat, quem tot honoribus exornaui, ac loco fratris habui, considerate. illa conscientia rerum bene gestarum, & præstita vbiq; patri pietatis officia bene sperare iubent. Proinde bellum æquis mecum numinibus audacter accipite, cõmilitones: hic spectatam fidem & virtutem ostendite. Id hodie vobis Matthias obstinatè pollicetur, & affirmat, se non modò vlturum iniurias, & damna repensurum: sed iniquam quoq; conditionem illam obligationis, æquissimo Marte rescissurum: aut si id non dabitur, vectigales vobis Cæsaris prouincias omnino facturum. Inuicti principis oratione confirmati omnium animi: ad belli sese studia penitùs intendunt. Indicitur delectus, & è proceribus quisq; primo tempore cum suis copiis expeditus esse iubetur. si quos belli grauitas fortasse deterruit, regis tamen virtus fortunaq; confirmauit: in opulentam pulchramq; Austriam arma omnes parãt. Verùm prius quàm Austriam adoriamur, de situ eius haud ab re aliquid referendum esse duximus. Cùm Rethi, Vindelici ac Pannones intra Danubium olim continerentur: nunc istorum loco Bauari, Australes & Vngari successere. sed non citeriorem solùm, verumetiam vlteriorem Danubij oram occupauere. Defluẽte namq; Danubio, Septentrionalis plagæ parente, Bauari Vindelicorum loco vltra citraq; fluuium accolunt, mox Australes & Vngari: deinde Mysiorum loco, Rasciani, Bulgariq;: Austria inter cæteras prouincias multò formosissima, à Noricis hinc montibus consurgit, & alta progrediẽs, Danubio prominet: mox in Pannoniam paulatim ipsa descẽdit. vltra Danubium, præter paucos montes, in vndantia plana diffunditur: ab occasu Bauariam, ab exortu solis Vngariam habet. Citerior Stiria, vlterior Morauia clauditur. amœnis vtrinq; fluuiis, & vicorum oppidorumq; frequentia plus hominum opinione cõspicua. Hinc Neapolis, & Vienna: illinc Egnburgum, Rethia, & Laua. Danubium Cremsum, Claustrumburgum, Cornuburgum, Vienna, Hamburgumque accolunt: & tot vtrinque pagi comitantur, vt cunctis facilè regionibus anteferas. Hic ædificiorum plus æquo superbia, copia pomorum, & frumenti: & tanta boni vini exuberantia, vt superiorum inferiorumque partium sitim expleat. Hinc rusticitas omnis est exacta: quando pagani quoq; vrbanam vitam & luxum seruant. Artes hîc omnes florentissimas spectare licet, inprimisq; negotiatoriam, quam mulieres multo frequentius viris exercent. Ingenia vtriusq; sexus domi forisq; mirabilia, & vsq; adeò industria, vt victum facilè parent, partis quoq; cum voluptate fruantur: vrbanæ mulieres plus æquo negotiosæ, sine

Austria situs.

rubore fora pileatæ frequentant: superbè incedunt, & tacitam à viris reuerentiam exposcunt: domestica forensiaq; negotia curant: nihil præter crapulam,& luxum,ac Reipub.curam viris relinquunt. Reliqua virilitatis officia obeūt,voluptatibus non parum indulgent: rebus cæteris dominari,præterquam libidini, gaudent: in cæteris decorum seruāt. Laboriosa plebis vita est:& quicquid profestis partum est diebus, id festo totum absumitur. gulæ nimis indulget, vinoq; plus æquo est obnoxia,arti tamen cuiq; vsque adeò intenta,vt nullum artis opus exoptes,quod non facilè inuenias. Hic etiam opulentorum multitudo ciuium, & præsertim mercatorum frequentia,magna nobilitatis,item procerum, regulorumq; copia: qui Australes comites creati, oppidis & ciuitatibus potiuntur. Fastus horum ingens,quibus grauis & togatus est habitus, vita lautissima, & ingenitis voluptatibus intenta. Multi ex his belli studiis dediti,haud parū valent: cùm volunt,domi militiæque præpollent. Cęterùm ingenium his varium & inconstans: at vsu belli vsque adeò exercitatum,vt ad munienda protegendaque oppida nullum genus hominum edoctius inueniatur.

RERVM VNGARICARVM DECADIS QVARTÆ LIBER V.

1477. Matthia regis in Austriam expeditio.

MATTHIAS primo tempore cōparatis exercitibus, cæterisq; rebus quæ bello vsui esse solent: anno Salutis septuagesimoseptimo supra millesimum,& quadringentesimum, priusquā castra moueat,astra consulit,ac expeditionis captat auspicia: nihil inconsultis vnquam sideribus egisse visus est: diuinā hinc voluntatem, faustamque horam elicere nitebatur. Vt cœpta quæq; grauissima bene succederent, nihil vnquam nisi cōsultis patribus,legibusve, & astronomis,adoriri placuit,ne vi ac temerè quicquam auderet: quin apud aras omnes rem diuinam fecit,vt numinum æquanimitate potiretur. Postquam omnia sibi tuta fore sensit, adaucto iam vere, comite Beatrice,ex Buda castra mouit. Duplex tū ardor eum incesserat: alter legitimæ Veneris,ac Martis alter. Ne Mithridati quidem Hypsicrateam, quæ nunquā eum in bello deseruit: neque Pompeio in ciuili perturbatione Corneliam tam gratam fuisse legimus, quàm hanc Matthiæ vidimus. Primis enim annis nullā noctem sine Beatrice transegit,at id ne ab re quidem: venustas namq; formæ,dexteritas ingenij cum apposita eloquutione cōiuncta,ipsum (mihi crede) Socratem in amoris æstum coniecisset. Sed ne laboriosæ hæc militiæ incommoda pateretur,in proxima quaq; castris ciuitate,castelloque quiescere solebat. Antequam Iaurinum peruenisset, Imperatori præmisso nuncio bellum indixit. Indicendi belli formula hæc fuit. Cùm, Cæsar,præter æquum & fas initā toties nobiscum pacē solueris, & icta sæpe fœdera violaueris, nullaq; promissa præstiteris: quin & malo sæpissimè dolo læsa concordia nostrum agrum, pagos & oppida hostiliter inuaseris: Nos Matthias rex Vngariæ,cæterique pontifices, reguli, optimatesq;,iustum tibi bellum indicimus: & Iesum Christum opt. max. diuamq; genitricem, peculiare Vngariæ numen, cæterosq; Deos patrios, violatæ iustitiæ, ac læsæ pacis, & inexplebilis auaritiæ vindices precamur, vt propius victoria nostra arma respiciant: vires legionū obfirment:& vltoribus iniuriarum,ac violatæ quietis, & fidei assertoribus debitam insignemq; victoriam tribuant. Proinde aut Cæsaream mentem ad resipiscentiā reuocēt:aut susceptа nobis iustè vota,auspiciaq; fortunēt. Neq; Cæsar bellum sibi propediem indictum iri nesciebat. ipse quoque delectum magnum in Noricis & Vindelicis habuerat, ciuitates & oppida cuncta validissimis præsidiis ac omni munitionū genere obfirmarat,copias quoque disposuerat. Regem multi proceres sequebantur: in primis verò Stephanus Scepusiensis Comes, vir spectatissimæ semper fidei & virtutis, qui ex cataphractis equitib. mille,ex velitibus quingētos secum adduxerat. Itē Paulus Chinisius cum expeditissimo equitatu, Nicolaus Banfij, Zelena,Iaxith,

Indicendi belli formula.

Petrus Emericusq; Dochij, vexillationum præfecti: Lupus quoque Despotes, indomiti quidem roboris & constantiæ, quem regi semper fidelissimum fuisse memorant. Præterea Drach Bertoldus, miræ fortitudinis & audaciæ, qui a regis latere nunquam discedebat. Nec Laurentius, dux impiger, & à paterna virtute nequaquam degenerãs, cum honestissimo inferioris oræ comitatu aberat, a rege filij loco semper habitus, ne passum quidẽ ab eo recedebat. Præterea cætera nobilium ac procerum multitudo, quorum referre nomina foret ociosum. Castra vbique triplicia posita. hîc Boemi, illic Vngari, isthic Ratiani metabantur. Boemi equites cataphracti omnes, aut hippoballistæ: Vngari, in grauem & 10 expeditum equitatum æquè diuisi: Ratiani vexillationibus tantùm vtebantur. Peditum quoq; non mediocris ex omni gente numerus, grauis & leuis armaturæ, vix decem hominum milia fuisse creduntur. Per Iauriensem igitur agrum in Austriam contendit. Cùm eius finib. appropinquasset, primo insultu Trauterstorphum oppidum, cui validissimũ à Cæsare præsidium fuerat impositũ, ac suapte natura munitissimũ, adoritur. Primo impetu, cùm immissi à rege milites intra propugnacula prosiluissent, magnã ab oppidanis stragem accepere: multi in ea pugna fortissimi viri cecidere. oppidum tandẽ non minus vi, quàm astu expugnatum, in ditionem primùm regis peruenit. Haud procul hinc ad Peterstorphum castra mouit, quod ad secundum Viennæ lapidem appropinquat. Hoc si- 20 ne negotio in ditionem accepit. Nam cùm oppidani se tueri diffiderẽt, deditionem in tanta trepidatione continuò fecere. Cùm hîc XVI. Kal. Augusti castra posuissent, Ratiani cum expeditis pernicibusq; equis mox citeriorem Austriã, facta potestate, incursarunt: cùm licentiam plus quam hostilẽ vsurpassent, cuncta diripiunt, incendunt pagos, in omnem ætatẽ, ac vtrumq; sexum æquè desæuiunt. Cædunt, quicunq; occurrunt, & cruore magis quàm captiuitate gestiunt: eo plus se lucri facere arbitrãtur, quo maiore cęde grassantur: ferro & igni cuncta vastant, templa diripiunt: & humanitatis expertes, diuina & humana iuxtà miscent. Tantus hîc longè lateq; terror prouinciales incessit, vt circumstantia quæq; oppida deditionẽ vltrò offerrent. Cùm ad Peterstorphum castra forent, 30 quis obsessam Viennam negare potuisset? Agrum velites vsq; adeò infestũ cædibus planè reddiderant, vt ex vrbe nemo prodiret: quin & suburbana ita solicita fuere, vt assiduas excubias haberent. Cùm ingẽs omnes pauor inuasisset, vno die quatuordecim oppida, quæ in Viennensi agro sita vrbẽ in coronæ speciem circumstant, vltrò sese regi dedidere. Quicquid Neapolim, Viennamq; interiacet, in amœnissimam planiciem effusum, & in pomarij similitudinem virenti vicorum oppidorumque frequentia consitum, deriuatisque passim fluminibus irriguum, id omne vno die in Matthiæ potestatem peruenit. Et hæc facta deditio, ita Viennensibus commeatus inhibuit, vt ad extremam famem perbreui redactura videretur: item Imp. animum vsq; adeò consternauit, vt ne mediocris 40 quidem non declinati belli pœnitentia subiret. Viennam tamen, & Neapolim, vi, arteq; omni retinere conatur. Vienna inter pulcherrimas barbarorũ vrbes, licet complures magnitudine præstent, iure numerari potest. Danubium accolit, in cuius ripa diffunditur in orbis speciem, vt vrbi magis blãdiatur amnis, insulam è cõspectu facit, in hortorum vsum, qui fructiferis consiti arboribus, grauissimorum ciuium animos relaxant, & lasciuientẽ ad cœnas & choreas iuuentutem excipiunt. Mœnia duo passuum milia complectuntur, intus & extrà aggere obfirmata: ne crepitantium tormentorum obtutui sint obnoxia, perpetuo coronantur ambulacro, & in coronæ speciem superbatum turrium frequentia excoluntur: quarum aliquæ è quadrato lapide & quadrangulares, nonnullæ la- 50 teritio rotundæ consurgunt: quibus crateatæ insunt fenestræ, ferreæq;, atq; ferrea quoq; ostia. Fouea obducuntur pedum altitudine trigenũtorum: latitudine verò ea, qua sagittæ ictus eliderctur. Ad caput in ima fossa tantum aquæ scaturit, vt cùm libuerit, & vsus tulerit, hac muro ad emissarium retenta, perbreui toti fossa compleatur. Supra portas vrbis quadratæ turres consurgunt, vt impetũ quemque maximum facilè excipiant. Suburbia circùm maxima & ambitiosa

Ratianorũ sæuitia.

Vienna obsidio.

Viennæ descriptio.

effunduntur: vrbem haud aliter, ac arcem regiámve cōplectuntur, & cum vrbana pulchritudine certant. Vrbs autem intus, cùm adiueris, nō vrbs, sed regia videtur, ob elaboratissimam structuram tota conspicua: hospitibus tota blāditur, *Ædes.* & certatim quæq; domus ædificiorū superbia spectatoribus magis placere contendit, remoratur eos, neq; pulchritudine sua progredi patitur. procerum cuncta dixeris esse palatia. Quæq; domus anticū habet, & posticum: laxa intus subdiualia, cùm finitimorum prominentia montium nimis algeat. Triclinia lautissima habent, abiegna contabulatione vestita: structaq; in angulo fornace, pro æstiuariis vtuntur. Fenestræ omnes vitreæ, & ad inhibenda furta ferreis cratibus munitæ: cætera domus in caldarias cellas, & cubicula diuisa, quæ inquilinis & hospitibus locantur: subdiualia, apothecæ negotiatoriæ circumstant, cùm vrbs tota sit pensilis, infra soli planiciem subterranei fornices, vinariæque cellæ magna laxitate conspicuæ. In fenestris ac specularibus tantus cultus & luxuria, vt antiquorum sumptus adæquare videatur. has auibus complent oscinibus, garrulisque: vt cùm vrbem inambulaueris, per sonoras amœnasque syluas spaciari *Templa.* videare. fora, vici, compita cuncta placent. Templa spectare licet, insano sumptu facta: inprimis diui Stephani basilicam, ac diuæ Genitricis ædem, vbi nihil est artis, quin spectatorem admiratione conficiat. Turris est, vnde nō modò totam vrbem, sed vniuersum agrum, & citeriorem Austriam prospectare licet. Octogona est, & ex pyramidali specie desinit in pomum, vbi tot deorum imagines, tot excisos summa arte lapides cernere est, vt nihil dixeris in orbe spectabilius. Sacerdotum collegia, gymnasia philosophantium, sanctimonialium clau- *Collegia.* stra, præstantiam vrbis adaugent. Si Scotorum collegium cum æde lustraueris, si quædam principum palatia inuiseris, Romanam ad peregrinos superbiā traiecisse reputaueris. Hîc Scaligerorum, Carrariorumq; domos, gentilitia insignia recognoscere poteris: qui Paduæ, Veronæ, Vicentiæque, ac in Cisalpina Gallia latè regnarunt. Hîc multorum quoq; nobilium monumenta comperimus, quorum posteritas Friderici Ænobarbi cæterorumq; Imp. ductu & auspiciis in Ita- *Ciuium copia.* lia militauit, ibique oppidis ac pagis magnificè donata remansit. Cùm ante bellum census haberetur, quinquaginta hominū milia numerata sunt: præter pueros & infantes. in ludis literariis, septem sæpe studiosorum milia recensita. Præter consulatum, ex decem & octo virorum numero constantem, duo sunt magi- *Magistratus.* stratus: Prætor vrbanus, qui ius populo dicit, & Magister ciuium nominatur: atque Quæstor capitalium, qui criminibus præest inquirendis, & Iudex appellatur. Prçter hos nulli sunt, nisi qui venalis vini vectigalia exigunt. Cauponam domi facere, nulli vitio datur: quin & ille præpotens & patricius habetur, qui eam domi semper retinere potest: quando ager est in bibula & frequenti gente, vini feracissimus. Quare tanta diebus festis hîc ebriorum fit copia, vt nulla sine rixa homicidioq; celebritas agatur. Item diebus festis nō solùm noctu, sed interdiu, *Olim id fuit fortasse.* tutò iter facere Bacchus inhibet. Quicquid negotiosis diebus plebs ipsa parat, Bacchanales absumunt feriæ. Cùm vino incalescunt, nunc inter aulicos & artifices, nunc inter Academicos & plebeios, nunc inter rusticos & vrbanos Mars oboritur: & cùm atrox & cæca pugna conferatur, sæpe plus æquo, temulentus ille desæuit: non est Magistratus potentia, quæ rixas inhibeat. Tanta est in vrbe gentium varietas, vt pauci vel in vicinia se norint. Rara familiarum antiquitas: mercatorum hîc magna copia, quorum diuites senio confecti, puellas sibi coniungunt: has perbreui factas iam viduas, familiares mox sibi despondent. Viris ius est legandi vxoribus, vxores etiam viris pro arbitratu dotem, caducaque bona legant. Accommodata pignora, si quid lucrifaciunt, non recusant: neque vsuræ loco reputant. Furta apud furem deprehensa, Quæstori cedunt capitalium. Immania hîc supplicia expenduntur. Quicunque igni mulctandi sunt, viui pyræ imponuntur, ac sensim suburuntur. Quicquid paratur, aut gulæ, aut ædificiis, aut vestitui indulgetur, mulieres æquè ac viri negotiantur, & citra pudorem fora frequentant. Viennensis ager, vinetis & pomariis totus est consitus. Villæ circùm amœnissimæ, vbi elaboratissima spectantur ædificia: neque auia-

auiaria, piscinæ, cæteraque viuaria desunt. montium appendices, vicorum castellorumque frequentia viatores omnes admodum oblectant. Cùm Viennensem Neapolitanumque agrum attigeris, in planiciem longè lateque diffusum, hunc omnibus lætis & amœnis regionibus tractũ, sine cõtrouersia facilè anteferas. si qua hîc quies & tutum ocium inueniri posset, potius Austriam, quã Italiam optares. Verùm tempestate nostra semper nunc Boemico, nunc Pannonico bello fluctuauit. Pòst, vbi rex Podom, Peterstorphum, Trautostorphũ, Liectestan, Medlingum, S. Margaritam, Schuandorphum, cæteraq; finitima castella cepit, vrbem arctius obsessurus, nihil sine religionis obseruantia aggredi voluit: inprimisque Viennensium numina placanda esse censuit. D. Stephano, ac Leopoldo, cæterisq; diis patriis maiorem cultum, & magnificentiora his tẽpla, (si fortè obstinatæ vrbis exitium intercideret, quod Deus auertat) ipse vouet: si deditionem illa fecerit, magnos diis hominibusque adauctus pollicetur. Mox cum quinque milibus equitum castris egressus, intempesta nocte Claustrumburgum adoritur, expugnatque. Oppidum est ad secundũ lapidem supra Viennam, quod Danubio prominet, & diui Leopoldi basilica sepulcroq; clarum est. vbi sacrum regularium monachorum est collegium, ædificiorum amplitudine & tricliniorum cubiculorumque præstantia spectabile: ibi subdiuale est insano sumptu factum, & specularia sacris historiis inscripta: item fœcundissima scientiarum omnium Bibliotheca, vbi multa ex Italicis vrbibus erepta volumina spectantur, quæ antiquitatis autoritate permagni æstimantur. Ad magnam aram tabula est ænea, à tergo candelabrum Salomonis, vtrumque arte maxima elaboratum: ænei sunt templi postes, & basilica è quadrato lapide constructa. subiacent horti lætis arboribus consiti, oblongaque piscina: vbi lupos, carposque saginant, ac cætera tale genus. Suburbium per montis dorsum effunditur, & Danubio dominatur. Huius anticipatio non ab re facta, quando fluuium hic claudere decernit, ne commeatus ab Imp. Viennensibus deuehi possint. Clandestino deinde itinere, cum equitatu, relicto ibi præsidio, Viennam rediit: & traiecto mox amne, pontem vrbis adoritur occupatq;, ne quid ex vlteriore Austria cibariorum haberent. Ad pontem ligneum vtrinque castellum erexit, impositoque præsidio tormentis æneis, ac omni munitione compleuit. Duos ponti Tetauros præfecit, bellicæ artis sanè peritissimos, qui fratres erant, & Boemicis parentibus geniti, ne alter facilè alterum hostili impetu perire pateretur. ij commeatus omnes inhibebant, obseruabant noctu Danubiũ, ac ne quid breui etiam cymba inferretur, dispositis vtrinque vigiliis attendebant: quin & socios quandoq; lucri cupiditate aliquid inferre ausos, grauissimè mulctabant. Cùm obstructos sibi aditus ciues esse sensissent, animo consternati, futurã famem reformidare, sibi liberisq; timere, ne vitã inedia finiant: ad Imp. clandestinos mittere nuncios, & imminentium periculorum admonere: demũ orare, vt obsessis continuò subueniatur. Vrbem, si fame prematur, in officio retinere non posse: quin & plerosque de deditione cogitare. Imperator, qui copias per ciuitates, & oppida diuiserat, vt longo bello Pannonicas vires eneruaret, exercitum mittere non poterat, qui obsidionem solueret, collatisq; signis cum rege cõgrederetur. Spes bona dabatur: promittebantur auxilia, quæ indies affutura dicebãtur: interim aut nulla, aut exigua submittebantur. Nonnulli ferebant, id dedita industria à Friderico fieri: nec Viennenses in angustias redigi ægrè pati, vt eã illi famem paterentur, quam obsessum olim in arce Cæsarem pati coëgere. Suspicabantur & aliqui ex composito bellum Australe geri, vt rebellantiũ ciuium procerumq; superbia, haud iniussu patris, à Matthia filio reprimeretur. Verùm id nõ facilè, rectè sentientibus persuaderi potest. Cùm in tanto victoriæ successu rex cunctandum esse minimè iudicaret, ad Cornuburgum castra mota, in vlteriore Danubij ripa situm, quod è cõspectu Claustrumburgũ intuetur. oppidum est in plano locatum, elegantibus prẽditũ ædificiis, optimis mœnibus, & alta fossa valloq; munitum. Id decimo obsidionis die capitur, cũ tormẽtorum impetum tolerare non posset. Rex opulentissimo potitus oppido, præsidiũ imponit. Quarto

Pons Viennæ capitur

Tetauri

Cornuburgum.

Tulna. deinde die, ad Tulnam castra posita: ciuitas est Danubij accola, quinque ac viginti milibus passuum a Vienna remota. Rex in Cornuburgo remansit: regina ad Pisonium, non sine magna aulicorum turba, subsederat. Militem ergo graui eam impetu vexare iubet. quæ magno terrore perculsa, aliarum exemplo, septimo quo ventum est die, in regis potestatē peruenit. Tulnę deditio, finitimis quoque animos ademit. Arridente adhuc fortuna, Stephanus Bator, qui inuitus ad hoc bellum accesserat, Paulus Kinisius, & Zelena, præfecti equitum, nihil vltra cunctandum esse rati, Chremesum, & Stainum obsident: quæ in vlteriore Danubij ripa sunt, vix vnius interuallo stadij seiuncta. quod non temerè ab his bellicæ artis autoribus factum est: ne è superiori parte Chremesium commeatus & auxilia posset accipere. vrbs enim est non parui quidem, quādo opibus ac pulchris ædibus illa floret. Paulus, ac cæteri vexillationum præfecti, expeditos equites finitimos latè infestare iubet: at illi longè discurrētes, tumultu & terrore omnia complent, obuios aut obtruncant, aut captiuos ducunt, incendunt pagos, & circumfusam regionem diripiunt, vastātque. Diri belli rumor per Germaniam repentè diffunditur: Cæsaris omnes auaritiam, morositatem & pertinaciam incusant: execrātur negligentiam, & plerique id haud inuito ipso fieri criminantur. Germanici potentatus Imperij nihil prospiciunt, partim quia Imp. iniussu nihil audebant: partim quia à rege prius edocti, bellum id iure geri nouerāt. indolebant igitur, & sociorū damna commiserabātur. Interim Imp. à Lintzio oppido hostiles incursus, & incendia prospectabat, Chremesiensium tandem periculo, & commiseratione victus, quos nimis amabat, Viennensiumque obsidione commotus, quos ad Pannonem deficere ęquo animo pati non poterat, non ingentem comparauit exercitum, non principum Germanorum acciuit auxilia: sed legatos quamprimùm in Regia castra misit, qui cum hoste de pace agerent. Si à principio pecuniis non pepercisset, si tātum parasset exercitum, qui obsidionem vrbium inhibere potuisset: ne tantam quidē is Imperij iacturam, neq; tot calamitates & incendia florentissima illa prouincia subiisset. Cùm legati Cæsaris in regia castra venissent, à præfectis pro dignitate sunt excepti. Insequēti die cùm colloquium postulassent, ex officio datum: de pace mox agere cœpere: detestari bella, & inter patrem & filium perquam iniquum, ac summum esse nefas, hæc intercessisse. A Batore, ac Paulo repentè responsum, ad bellum se, non ad pacem esse missos: nullam esse sibi componēdi belli potestatem. regem ad Cornuburgum resedisse, eò esse concedendum: ac ne quid à militari insolentia detrimenti ex incōsideratione patiantur, se satis honestum equitatum daturos esse pollicentur. Dirempto colloquio, & accepto comitatu, ad Matthiam properāt. Rex iam à suis delegatorum aduentu, clàm superiore nocte fuerat admonitus. Cùm ciuitati appropinquare per exploratores accepisset, vniuersum ferè pontificum procerumque ordinem, vt honorificè eos exciperet, obuiam misit: ipse quoque è solio aduenientibus occurrit, ac vt legationem Cæs. omni officio honestaret, ex ordine omnes amplexatus est. Ast vbi omnes consedere, Oratorum princeps ita profatur: Legati equidem & Cæsaris, & tui patris indulgentissimi, sumus, rex inclyte, quos non tam ad mitigandam iracundiam, quàm recognoscendam pietatem, ad te misit: illiusque rei nos in primis admonuit, vt vtrum vti hostis, an vti parentis Oratores admitteremur, diligentissimè obseruaremus. Nunc autem, cùm ex hoc aditu ingenitam tibi pietatem & clementiam nulla arte dissimulari posse intelligamus: nos, vt Augustalem filium, non vt hostem Imperij Rom. nunc alloquemur. Cōqueritur, Matthia, pater ille tuus, cur tam hostiliter secum agas. hostiliter dixi? imò, vt sic bona tua venia loquar, immaniter, vicorum incendia, vastationes agrorum, captiuorum ac pecorum abactiones: nequaquam ista demiratur. Patitur hæc ipsa furiosi Martis licentia. sed templa diripere, rapere virgines, tot cædibus & incendiis sæuire, pueros illidere parietibus, ac nihil diuini humanique iuris retinere: hanc facinorum insolentiam pater attonitus, execratur. Quod etsi à te mandari non credit: tamē hæc omnia, te nesciēte, à nobis vix credentibus, sua rusticorum multitudo, gens tibi vicina, accom-

Chremesum.

Legati ab Imperatore pro pace missi.

Legatorum pro pace oratio.

accõmoda, Christiana & officiosa patitur. Quid illa meruit infelix? quid commisit? quid misera ausit? Nobiscum haud secus ac cum Turcis agitur, Matthia, vindex Christiani nominis, & fidei propugnator. Non equidem Turci sumus, non inhumani, non immanes. politicis artib. ac negociatoriis studiis cuncta lustramus: inculta excolimus: atque si Alemannis careret Vngaria, vt vestra pace dixerim, aut deserta, aut inculta inhospitabilisque foret. Apud principem loquimur, cui nunquã veritas & dicendi libertas infensa fuit. Cæsar Deorum hominumque fidem planè testatur, quo bellum iure sit indictum, adhuc se ignorare. Multas vtrinq; iniurias inter subditos intercessisse nouit: sed nullarũ se au-
10 thorem affirmare: si quid suorum audacia patratum est, id se inscio factum esse: se quoq; ingenuè fateri, suorum quandoq; recalcitrantium audaciam coercere haudquaquam potuisse: multos contrà iniuriarum postulari, qui vltores potius quam contumeliosi reuera dici possent. Suis plus quisq; quàm alienis credit, & suorũ quandoq; charitas æquitatẽ inuertit. si mutuarũ commemoratio iniuriarum fieret, iam æquũ vtrinq; constaret examen. Satis superq; ab vtrisq; lusum esset, ne tantũ quidẽ pœnarũ erarta nostra postulassent. Esto, vastationis & incendij rei sumus. nos tamen plus pœnarũ expendimus, quàm fortasse debemus: nisi capitaliũ more, pro definito sæpe scelere æternũ exitium subire cogamur. Verùm quis inter finitimos, qui mutua cõsuetudine fruuntur, quotidianas lites
20 admiretur? longissimo tantũ interuallo seiuncti, non litigãt. Inter vicinos modò de incertis finibus, modò de vectigalibus, & promiscua iuris ditione certatur. Ille plus sapit, & probitate præpollet, qui officio indulgẽtiq; tolerãtia, vicinũ sibi cõciliat: excelsioris quidẽ animi esse duco, magis proximũ quemq; beneficiis, q̃ armis vincere: alterũ cõsummatæ probitatis, temerariæ fortunæ alterũ est officiũ. Romani, Coruine, è quorũ gente te oriundũ omnes vno ore fatemur, magis hac arte, q̃ armis imperiũ propagarunt: quia potius quid se deceret, quã quid externorũ iniuriæ mererentur, animũ aduertebant. Non minus pietate, quàm viribus, vtranq; Pannoniã Messala Coruinus olim, tuus atauus (mihi crede) superauit. Patiatur tua Maiestas, rex inuictissime, non tam Martis aliquãdo, q̃ pie-
30 tatis, à paternis Oratoribus admoneri: quando nec plus ille quidem, quàm hæc affert, cui tãtopere studes. Inmortalitatis recentia & grauissima, quæ nuper accepimus, dãna, nos iniurias referre coegerunt. Sed quis inter patrẽ & filiũ graue quid intercidere posse dixerit? nisi ab humanitate vterq;, præ diro quodã furore fuerit destitutus? Quicquid pater in filium fecerit, haud ab re fecisse reputatur: quicquid filius deliquerit, ex nimia indulgentia, confidentiave facit: quæ inter vtrunq; temerè quandoq; intercedunt iniuriç, nimiæ charitatis deliramẽta vocantur. Quanquã Imp. te hostem & audiuerit & senserit, tu tamẽ eũ an hostem an patrẽ pientissimũ appellare debeas, hinc intellige. In tanto belli furore ac vesania, captis tot vrbibus & castellis, incensis tot vicis, tot etiam hominibus in ca-
40 ptiuitatẽ abductis, occupata deniq; magna patrimonij sui parte: non sociorũ is auxilia conuocauit, non fœcundã bellicosamq; Germaniã in te concitauit: non suorũ cohortes, auxiliaresq; Imperij Romani copias, quas gratuitò habere potẽst, educi iussir, nõ suas etiam vires effudit: vix tumultuariã breuemq; peditum manum coegit, quam per oppidorum præsidia distribueret, vt aliquãtisper filij sæuitiam coerceret: non hostis, non Cæsaris sunt apparatus isti. Proinde indulgentissimi parentis patientiam, Matthia, nunc tecum recognosce. Si quam in Cęsarem, & in Australem gentem iram concepisti, iam iam compesce, rex inuictissime: ac veluti cæteros armis & virtute, ita nunc clemẽtia & probitate vince. Cæsaream mansuetudinẽ & benignitatem æmulare, nec fortitudinis magis quàm misericordiæ laudem assequare. Quantam gloriæ iacturam ex isto bello
50 feceris, facilius coniici quàm dici potest. Quid summum põtificem, quid senatum Apostolicum, quid totam Italiam, quid vniuersas Christianę reip. ciuitates de te locuturas existimas? Cùm à te Rom. Imperatorem, & cùm duo sint gladij, alterum immani bello premi nonerint? Filij quoque adoptati nomen, multo plus grauitatem facinoris exaggerabit. En iste Christianæ fidei propugnator &

vindex,qui Christianorum principem, & humanarum rerum moderatorem,furore plus quàm humano persequitur. Proinde, rex inclyte, resipisce, hac te infamia exue,qui perpetuæ studes immortalitati. Quid æquum & fas sit recognosce Matthia:qui plus quàm cæteri principes, iam sapere soles. Pro illatis iniuriis sat erat vnam alterámve ciuitatem in tuam ditionem asserere, non omnia miscere:non tibi animum inducere,pro modicis erroribus licere tibi omnia occupare, diuina & humana confundere. Delicto non debet esse grauior pœna. Memento te mortalem,ac principem non ad exitium,sed gentium salutem esse natum: & non ad tyrannidem, futilemque gloriam, sed ad salutarem gubernationem, veramque felicitatem esse genitum. Neque communium incommodorum ratio prætermittenda est.Maiora(quis ignorat?) nos detrimẽta patimur, neque vos tamẽ multum hîc lucri facere arbitramur. Hinc Vngaria exhauritur, hinc inceditur Austria.Demum,quid feceris,& quid regno vtilitatis attuleris, exitus ipse docebit. Inuitis nemo diu imperauit:nil violentum naturæ iure perdurabit vnquam,sic sumptus eluduntur, & operæ: sic cruor hinc & hinc effunditur:sic pœnitentia mordax in animos frustra desæuit. Reputa quandoque tecum fortunæ varietatem, cui nemo sapiens nimis credendũ esse censuit. & quis eius insidias & pericula te melius considerare possit, inuenio neminem. Meditare,quemadmodum ante regnum,& pòst tecum quandoque illa fecerit:& aliorum quoque vires pensita. Paterna tibi animum tolerantia augere non debet: nec,quod pietati & patientiæ adscribendum est, id imbecillitati, negligẽtiæ,ac animi exiguitati tribuendum.Passus est huc vsque Cæsar, finitimos vobis iniurios,& sibi parum obtemperantes,à te haud secus ac à filio castigari:tu quoque patere,Matthia benignissime,ne cæterorum innocentiam offendas, ab hoc bello paterna voce reuocari. Cæsar hucvsque veri patris vel indulgentissimi compleuit officium: tu probi filij decorũ obserua. Ille vt Cæsar, vt pater,vt tutor adhuc tuus,de te optimè meritus, deponere arma iubet:cæterùm hortatur, orat & obtestatur, quando satis superque sæuitum est:tu contrà, vti filius, paterna iussa capesse:ac exoratus precibus,vltrò cæde. Nullam tibi gloriam id bellum affert, quando facile est vincere non repugnantem.paternus id amor, pietasque inhibet,neque vllo modo patitur cum gnato certare: mauult pati, quàm paternum nomen exuere:mauult ex pietate quàm viribus prædicari:in externos,non in filium Rom.Imperij vires asseruat.quod quanti momenti sit,tu quoque, Matthia prudentissime, non ignoras: non armis, sed paterna patientia tuam iracundiam Cæsar vincendam esse duxit. Quinetiam & in hanc Germania suspicionem incidit,cùm ipse tibi non repugnet,id ex composito bellum geri. Quare Cæsareo, paternoque nomine te monemus, hortamur, precamurque, vt arma deponas, iniurias omnes hostiles inhibeas,ad salutarem pacem animum intendas,de concordia perpetuaque quiete nobiscum agas:& quãdo repensæ sunt vtrinque iam iniuriæ, secretiore colloquio de componenda pace disceptemus. Cùm hæc dixissent, ne parum quidem Vngarorum animi à belli studiis alienari occœpere. Collegæ quoque adiecere multa,& vt partis vtriusque saluti cõsuleretur,regem obsecrarunt.Rex tandem ab Augustalibus legatis exoratus,breuiter ista respõdit. Testor Deûm hominumque fidem, faustissimi Oratores, me nunquam spontè in vos arma sumpsisse.A grauissimarum multitudine iniuriarum circumuentus,vobis bellum indixi. Quantum in me fuit, expeditionem istam prorogaui,ne in parentem optimũ,impij more filij,sæuire reputarer, & hanc demum infamiam declinarem.Inuitus demum (mihi credite: & vestram in hac re conscientiam testor)præ assiduarum magnitudine contumeliarum, & non præstita promissorum obligatione,me in arma conieci: ne ex tolerantia nimia intolerabilem perniciosumque contemptum subirem. Remedia cuncta tentaui, nulla profuere. postremò recidendum gladio morbum esse censui. Belli causas, iniuriasque omnes hic ritè referendas esse non existimo:ne infausta commemoratione,dextera pacis auspicia interturbentur. Absurdum est,cùm de pace agitur, de belli causis accuratissimè disputare. refricantur per iniuriarum memoriam

Matthiæ regis responsio.

sæpe

sæpe vulnera,& remolliti dudum animi redurescunt. De belli crudelitate quod dicitis,nihil patratū est.In cibaria,res & pecora,viuendi causa,per vicos aliquan tisper sæuitum. Iustum bellum indiximus, atq; gessimus multo modestius:imò ne par pari referrent, inhibuimus, vt paternam vbique Maiestatem obseruare videremur. Illæsam honestatem & pudicitiam vbiq; esse iussimus.Verùm quæ audiuntur,quàm ea quæ cernuntur,multo maiora plerunque reputantur.Cùm nunc pacem à vobis postulari videam, & me ad concordiam pater animum intendere iubeat:quantum in me est,dabo operam, vt vestræ inseruiam volūtati, vt paterno pareàm imperio: potius armis, quàm officio,nunc à vobis patiar su-
10 perari.Inhumanis meritò reputari possem, si postulatam pacem, vtrisque salutarem,nunc abnegarem:& Cæsareæ,paternæq; Maiestati,vt iustum & fas est,non obtemperarem. Illud vnum adiicio,si sine malo dolo petatur.Proinde viri optimi,si æquis pacem cōditionibus postulatis,eam perbreui vos habituros esse cōfidite:sin iniquis,& mala fraude, spem omnem adimite. Si inita deinde violabitur,Deum vltorem & vindicē æquitatis expectate.Illud scitote,me propter pacem,bellum gerere:& non bellum, quod calamitosum est, ex bello serere. Sed rem ipsam in secretiora colloquia transferemus.Cùm hæc dixisset,Senatum dimisit,Oratores secum accumbere iussit. Insequenti die,de pacis conditionibus agi cœptum.Rex bellum iure indixisse affirmabat, insanos in eo sumptus effu-
20 disse:haud iniquum esse,si non ex omni,saltem ex aliqua parte se præstari indemnem:proinde repetere belli sumptus, & trecentena aureûm nummûm milia postulare.Contrà illi,de belli æquitate non differere,prædas dicere sumptus omnes rependisse, nulla vtrinq; damna resarciri oportere. Adhæc ille, Præsentia detrimenta,quæ Alemannis intulerit, adhuc Vngarorum calamitates, rapinas, vastationesq; agrorum ab Australibus acceptas,æquare nō posse. Oratores tandem à rege conuicti,eum indemnem præstari oportere,inficiari non audēt:crebris tamen cursoribus Imperatorem consulunt, haud procul absentem. Angebat adhæc Cæsarem vehementer Chremesi, Viennæq; obsidio. Vienna deditionem interminabatur,ni aut commeatus,aut auxilia mitterentur:magnam an-
30 nonę caritatem populosam vrbem incessisse,dudum rumor erat: respōsa differri non poterant, neque pro more verba dari:nihil moræ sine maximo periculo interiici posse videbatur.Insuper Beatrix regina,Cęsari affinitate cōiuncta,crebris eum internunciis orabat,vt à calamitosa pertinacia sua deficeret,cum viro æquis pacem legibus optaret:contrà,virum pro virili sua quotidianis literis hortabatur, & rogabat, ne tantopere sæuiret, & ad pacem salutemque populorum animum suum reuocaret. Post longam igitur disceptationem, hæc regi cum legatis Cæsaris conuenere, vt Imperator ob bellum iustè indictum, Matthiam regem præstaret indemnem: centum & quinquaginta aureûm milia pro belli sumptu, ad præstitutum anni tempus rependeret: Matthias obsidionem statim
40 solueret:captas omnes vrbes & castella, vbi satisfactum fuerit,continuò redderet:pia filij patrisq; nomina, & antiquæ pactiones, ratæ firmæq; manerent.Si ad statum diem Matthiæ haudquaquam satisfactum,suo iure vniuersam Austriam occupare,occupatamque legitimè possidere,& in regni Pannonici prouinciam redigere liceret: neque vllo impietatis & iniusticiæ crimine alicubi gentium notari posset.Cùm his conditionibus inter eos conuentū foret, adiecto solenni iureiurando,pōtifex Agriensis pro patre patrato in medium aceitus: Iubes me, inquit,Matthia rex Vngariæ,pacis tabulas promulgare? Iubeo. Iubetísne vos Cæsaris Augusti Oratores,quibus ineundi fœderis data est summa potestas?Iubemus. At ille conscenso pulpito promulgauit, mox vtrosque in tabulas iurare
50 adegit. Demum:Iesu Christe, inquit,opt.max. seruator humani generis, tuque diuina genitrix, sempiterna virgo, vnica Pannoniæ patrona, vosque cœlites omnes,patriiq; dij,tuque D. Stephane & Leopolde sanctissime, his quæsumus, propitij pacis auspiciis adeste,mutuam inter principes & vtranque gentem con cordiam dudum initam, & perpetuam amicitiam confirmate. vter prius inita sanctè fœdera violarit, non vt antiqui fœdam porcam, sed iactis fulminibus

Descriptio de conditionibus pacis.

Conditiones pacis.

Promulgatio pacis, & percussio fœderis.

ferite. Percusso fœdere, legatos omnes rex cæterique Pannoniæ proceres ritè amplexati, in transactæ pacis & concordiæ speciem lachrymæ vtrinque fusæ. Tunc rex post mutuas pacis congratulationes, ne plus armis quàm beneficẽtia vincere videretur, præter omnium opinionem exclamās: Vos, inquit, sacrosancti Oratores pontifices, proceresque mei, nunc mihi testes adesse iubeo, dicta hæc attendite: & quantum Imperatori Romano, patri piẽtissimo, cōfidam, hinc quæso considerate. Quanquam pactionum iure capta reddere non debeo: Cæsarea tamen & paterna Maiestate adactus, nunc cuncta quæ cepimus, ei sponte reddo, cedo Austria, vt obtemperantis pijque filij animus quandoque noscatur, & me plus ocij quàm belli amatorem omnes intelligāt. Mox vulgò accitis cursoribus, cunctis præsidiorum præfectis qui capta oppida retinebant, imperauit, vt præsidia repentè deponerent, oppida legatis Australibus resignarēt, sine mora captis cederent. At illi Coruinam magnanimitatem admirati, conuersique in lachrymas, immortales gratias agere, deosculari dexteram, & nullū gratæ mentis officium præterire. Cæsari igitur extemplo Matthiæ liberalitatem & transactā pacem significarunt. Obstupuit rebus cognitis Imperator, & ingentes literis Matthiæ gratias egit. Castra ad Chremesim, & Stanum posita, regis edicto mox reuocantur: restituūtur omnia, & insperata læticia Austria tota completur: nec minori quidem gaudio iam exultat Vngaria, cuius vbertas non sine magno lucro ab Alemanno digeritur. Hoc tempore præpotentes duo duces Christianæ reipub. sinistro fato cæsi sunt: alter Galeatius Maria Mediolanensis fuit, à Ioanne Andrea Pamproniano, in diui Stephani æde obtruncatus: Carolus Burgūdiorum princeps alter, qui dum Lingones, Treuerosque debellat, ad Venacoum oppidum in Treuerorum finibus profligatus occiditur. Reuocatis rex in Pannoniam exercitibus, & percusso cum Imperatore ea hyeme iam fœdere, insequenti anno, qui septuagesimus octauus supra millesimum & quadringentesimum est, Pisonium venit, & quadragesimale ibi ieiunium peregit. Deinde cum maxima aulicorum manu, & vnà cum Beatrice sua, vt à curis aliquantisper bellicis animum relaxaret, per regnum vagatur, vrbes locaque præstantiora lustrat, vxorique ostendit, Cassiouiam, Cremnitiam, Nouosolium, & montana ambo loca reuisunt: auri argentique fodinæ spectantur: educendi ex terra auri, præterea molendi, diuidendi, conflandiq; modum admirantur, qui nunquam antea viderant. Vtcunque potest rex, Beatrici studet: vbique ex ciuitatibus & oppidis prouinciales occurrunt, ac eximios vtrique honores, acclamationesq; exhibent, ac magnificè (vt par est) excipiuntur. Interea compositam cum Romano Imperatore pacem, rumores vbique gentium distulerunt: ad cuius nuncium, omnes principes admodum exhilarati sunt. videbant enim ex hoc bello tantum animorum Turcis accedere, vt Christianæ multum reipub. timerent. Ex hoc tempore præstituta Matthiæ regi à Rom. pontifice, Venetoque senatu stipendia abrogata sunt, quæ centies mille nummûm aureûm sanè complebant. Id haud ab re factum, ne aduersus Cæsarem Matthiæ opem afferre viderentur, Christianæ reipub. principem. Pòst, vbi reconciliatos esse sensere, optatā certatim pacem congratulantur. Andreas Vendramus Venetorum dux, vt ex archetypis accepimus, literis ita scripsit: Distulimus aliquantisper gratulationis officium, serenissime princeps, quoniam varius & incertus initæ pacis nuncius inter tuam, regiam, Augustalemque Maiestatem adhuc esse videbatur: sed indies certiores facti, has breuiter scribendas esse censuimus: quibus etsi non abundè gaudium & lætitiam promere, perbreui tamen indicare videremur, itemque ingenti deuotionis affectui aliqua ex parte satisfaceremus: vt sicut bello grauiter angebamur, ita percusso nuper salutari fœdere mirificè lætaremur. Gratulamur igitur Maiestati vestræ, imò communi gentium saluti, quarum tutela ex vestra concordia pendet. Gratulamur amicis quibuscunque vestris, in quorum ordine nos sumus haud cum postremis numerandi. Gratulamur denique reipub. Christianæ, cui posthac à Maiestate vestra, hoc finitimo & intestino bello liberata, id auxilij sperare licet, quod vestram amplitudinem, pietatem, religio-

Austria Imperatori restituta.

1478.

Rex cum Beatrice vagatur.

Stipendia pontificū & Venetorum regi ablata.

Venetorum ducis epistola gratulatoria.

religionem, ac ardentissimum in Christianam rempub. studium planè addecet. Nec ingrato quidem animo Matthias ista perlegit, atq; pari ferè breuitate vsus, ita rescripsit: Matthias rex Vngariæ, Andreæ Vendramo, Veneti senatus principi, salutem. Quòd ob initam cum serenissimo Imperatore pacem nobis ex animo gratulamini, quòd amicitię officium in re quaque tam diligenter attenditis, nos hunc gratulationis affectum, & gratissimum habemus, & gratias agimus ingentes, quando ex fido ac beneuolenti corde profluxisse cognoscimus. nec minus quidem vos nostris quàm propriis commodis lætari credimus: quando nobis nihil gratius accidere potest, quàm cùm optimum florentissimæ amplissimæque Reipublicæ vestræ successum audimus. Hæc vetus amicitia, fida societas, & explorata diu vtrinq; fides, vtrosq; facere iubet. Quod in calce subiicitis literarum, vos Christianæ reipublicæ gratulari, quòd à nobis vicino & intestino bello liberatis, id auxilij sperare possit, quod amplitudini & pietati nostræ conueniat: vos scire velimus, quemadmodum etiam per Oratores sæpe vestros superiori tempore significauimus, nobis ardentissimum defensandæ reipublicæ Christianæ studium nunquam defuisse, neque in posterum esse defuturum: si tantam turbulentissimi hostis molem, cuius vires soli tolerare nequimus, humeris nostris sine adminiculo aliorum subire possimus. Intercepta igitur Matthiæ regis stipendia, à Venetorum societate, beneuolentiaque animum abalienarunt. Accedebat occupatæ olim Dalmaticæ oræ memoria, quæ nō sine molestia succurrebat: item quòd in bello Australi Cæsareas potius quam Pannonicas partes fouere rumor erat. His quoque temporibus, cùm Ioannes Bietigus, superioris Silesiæ præfectus, regem edocuisset, in his finibus Polonos quosdam noua moliri, vicos infestare, abigere pecora, ictum olim cum Casimiro rege fœdus lædere: rex ira aliquantisper infensus, Polonię regem admonuit, rogauitque, ne initum fœdus læderet, ne iura societatis violaret: quod si facere perrexerit, eadem se quoque facturum interminatus est. At ille præfecto in primis querenti, deinde regi se literis diligentissimè purgauit: id à quibusdam, qui proprij essent iuris, se inscio, inuitoque fuisse factum: varia quoque causari, quæ violatæ pacis ipsum excusarent. Contrà rex ad eum rescribere, se quoque posse multos ex regno subornare, qui Polonos hostilibus iniuriis afficerent, ac dicere, illos sui iuris esse. Demum ad seruandum fœdus hortari, ne ars arte primùm eluderetur, & è minima deinde scintilla suscitaretur incendium. Casimirus sic admonitus, illorum qui in superioribus Silesiæ finibus noua moliri occœperant, audaciam repressit. Venetorum porrò memoria animum Matthiæ indies infestiorem reddebat. sciebat enim, Venetos Pannonicæ societatis authoritate haud infeliciter cum Turcis egisse: multos à Veneto quondam senatu legatos acceperat, quibus præsentibus cum Maumethe prosperè pugnauit: & quoties in Illyrico & Epiro Turci in Venetos aliquid moliebantur, instaurato repentè in Mysia bello, obsidionem soluere coacti sunt. quod & Croiæ, Scodrææque oppugnatio sæpe testatur. Franciscus Venerius ab initio ad eum missus, deinde Ioannes Hemus, post hunc, Franciscus Diedus, & Frāciscus Iustinianus: nouissimè verò, Scodrensi obsidione, Sebastianus Badouanus, legationis quoque munere functus est. Antonius demum Victorius cum Arietensi antistite venerat, & ex annuo (vt aiunt) stipendio, centies ferè mille aureûm nummûm ambo Rom. pontificis Venetique Senatus nomine in Vngariam attulere. Intermissa igitur Cæsareo bello fuere stipendia, quę Christianæ admodum reipublicæ obfuere. Ignorabant plerique Turcorum vires, & somnia potius, figmentaq; esse, quàm rem veram existimabant. Passus est ergo, qui non credebant, illorum feritatem experiri: vt quãtus in dirum hostem apparatus fieri oporteret, cæteri sentirent. Itaque ex Illyrici finibus, quos dispositis oppidatim stationibus tuebatur, legiones, ob impensarum grauitatem, & Italorum ignauiam, auaritiamque reuocauit, suas tantùm prouincias curauit. Ferus hostis, vbi remissas Dalmatiæ custodias esse, Pannonisque animum defecisse nouit: diffusas per Illyricum, Mysiam, Macedoniamque turmas, ad Dalmatiæ fines conuenire

Responsio regis.

Discordia cum Casimiro rege.

Veneti legati ad Matthiam missi.

iubet. At vbi quindecim equitum milia, haud procul Scodra conuenisse sciuit, Dalmatios, Carnosq; montes superare, ac Forum Iulij incursare, agrumque latè populari præcipit. Turci, Alibecho duce, Dalmatiam traijciunt: nullum, dum iter faciunt, prouinciæ detrimentum inferunt: equorum pernicitate longa itinera metiuntur. Dalmatiam, & Carnos demum emensi, Foroiulianum agrum inuadunt, fluuios, præter hominum opiniones, tranant, montes superant editissimos: & nihil vsque adeò arduum, ac difficile reputatur, quod illorum audacia non adoriatur. Cùm in Venetorum prouinciã descendissent, tot homines cum vxoribus, & liberis abduxere, vt supra quàm viginti hominum milia in seruitutem vindicasse dicerentur. Tantum hinc tristiciæ Venetorum animos incessit, & tanta vniuersam Italiam trepidatio inuasit, vt plerique de facienda emigratione cogitarent. Ii pontificem Romanum, ac cæteros Italiæ principes orãt, & obtestantur, vt communi cõsilio ac ope, commune periculum deprecentur. Intestina tamen Italorum odia, factionesque perniciosæ, vsque adeò a communi salute distrahebant, vt nihil antiquius inimici calamitate reputarẽt. Alphonsus Calabriæ dux, & Federicus Vrbinas, cum Hieronymo Comite, Xysti pontificis nomine Florentinum agrum, villas insano sumptu ædificatas, amœnissimosque pagos, & oppida diripit, atque expugnat. Veneti iure societatis ad Florentinos auxilia miserant: & cùm socios grauissimo bello laborare cernerent, magnopere angebantur. Etruriæ enim bello impliciti, in Macedonia, & Foro Iulij a Turcis acerrimè vexati, grauissimaque damna perpessi sunt. Dum Xystum pont. vt Christianæ saluti consuleret, ab Etrusco bello reuocare conantur, cùm tempus hîc frustra triuissent, ad Ludouicum Gallorum regem oratorem misere, precantes, vt Italiæ tumultus, discordiasque comprimeret. Hac Ludouicus legatione commotus, Xysto diem dicit, seque Renatum Lotharingiæ ducem, regis Renati Andegauensis ex filia nepotem, missurum interminatus est, vt præreptum aui regnum recuperet. Quinetiã vt rebus Italicis impensius incumberet, inducias cum Maximiliano Burgundiæ duce composuit. Veneti, Florentini, Mediolanensesque, tempestate illa inita societate, Herculem Estensem ducem huic bello præfecere. Præter hæc, Veneti Turcorum successu admodum consternati, post primam eorum in Italiam irruptionem, prçter Sontium amnẽ, quicquid vadi fuit inter Goricianum pontem, & Aquileiæ paludes, perpetuo aggere obstruxerant, stationes militum & munitiones imposuerant. Hoc itaque opere in muri speciem, barbarum Italia prohiberi credebant, nullum hinc periculum vltrà imminere putabant. Ecce ex insperato ferus hostis aduenit, ac præter omnium opinionem in vlteriore Sontij ripa consedit, cuius exercitum decem milia equitum plerique reputarunt. Marbechus Turcorum præfectus, circumacta equitum ala, castellum, quod ponti imminebat, paruo negotio expugnat: præcipitato in amnem præsidio, pontem occupat. id à castris sentiri non potuit, cùm quatuor milibus passuum abessent. Mox equites mille expeditissimos flumen tranare iubet, seque cum cætero equitatu sequuturum ostendit. Imperat Venetorum castra adoriri, irritare ad certamen: deinde sensim retrocedere, hostesque temerè à tergo prementes in insidias locatas trahere. Faciunt ij mandata, cùm in insidias Venetos allexissent: cæteri à fronte coorti, primam eorum turmam ad vnum obtruncant: nemini parcunt, præterquam paucissimis quibusdam illustribus, quorum captiuitatem sibi commodissimam fore sperabant. Proxima turma præcedentium morte perterrita, in fugam effunditur. Instat à tergo Marbechus, cum reliquo equitatu: & equorum pernicitate palantes assequutus, passim sternit, capitque. Ad Mossam vsque continuata clades. Hieronymus, qui exercitus gerebat imperium, cum filio, item Iacobus Baduarius, Anastasius Flaminius, & pleriq; illustres in ea pugna desiderati, Marbechus quoque grauiter vulneratus. Postero die quicquid pagorum inter Sontium Taliauentumque fluuios effunditur, igni ferroq; vastatur, & ad Vtinum fumus apparuit, vt finitimis hostem adesse id foret indicio. Ad haæc calamitatem astus plus quàm barbarus. Simulatur ab his reditus: motisque castris amnes retrò

Turcorũ excursio in Alemanniam & Italiam.

Turcorum alia eruptio cõtra Venetos.

Vtinum.

10

20

30

40

50

retrò ſuperant. Traiecto Tallauento, vnius diei iter iam remenſi, mox proxima nocte redeunt: & liberatos dudum metu prouinciales, ac incautos, iterum adoriuntur, & longè maiore quàm paulò ante ſæuitia prædaque graſſanturi innumeram virorum mulierumque multitudinem abducunt. Quid plura? Veronam vſque trepidatum: & à Venetis ex editiſſima diui Marci turri, veluti è ſpecula, ſociorum, feraciſſimique agri proſpecta ſunt incendia. Andreas Vendranus Venetorum dux, hoc anno mortuus eſt: cui Ioannes Mocenicus ſuffectus. Alia quoque detrimenta, ex intercepta Matthiæ ſocietate, abnegato ſtipendio, Venetis acceſſere. Croiam Maumethes, munitiſſimum Macedoniæ oppidum, repentè obſidet: fameque adacta, vndecimo menſe deditione potitur. oppidani, priuſquam ſeſe dederent, omnia tentaſſe feruntur ſedandæ inediæ remedia, vt etiam boum coria & equorum auidè deuorarint. Nondum malorum finis aderat, cùm Alibechus, capta Croia, Scodram obſidet. Subſequitur paulò pòſt Maumethes, & vt munitiſſimam præſidio locique natura ciuitatem expugnet, vniuerſas quaſcunque potuit copias ex Aſia & Europa coëgit, veluti extrema iam ſibi tentanda eſſent. Mox dum incerta ſpe Scodram obſidet, ingentē Turcorum equitatum per Dalmatiam, in Fori Iulij agrum immittit: Sontiacasque iterum munitiones aggredi iubet. Carolum præſidiorum præfectum, qui caſtella ad perpetuum aggerem inſtaurata tuebatur, in pugnam educere conatur. At ille ſuperioris quidem cladis haud immemor, intra vallum inſtructa acie, Turcorum impetum expectare: dimicabundus, longa hoſtem expectatione defatigare. Eluſus demum longa mora Turcus, à Gradiſcanis caſtris retroceſſit: & hinc ad quatuor milia paſſuum, inter Medeæ montem, & Cremonam proxima nocte ſubſedit. Proxima nocte, propter Manſanum, per patentes valles ad radices montium caſtra poſuit. Superatis deinde abruptis confragoſisq; Carnorum montibus, in Scodrenſia caſtra ſe recepit. Triginta Turcorum milia in hac nouiſſima eruptione fuiſſe perhibent. Dum bellicis Scodra machinis aſſiduè ac miſerabiliter oppugnatur, Maumethes, ne fruſtra cum tam numeroſa legionum multitudine tempus terere videretur, Ioannem Cernoi Sabiaco ciuitate priuat. Aſiaticæ oræ præfectus ad expugnandum Driuaſtum mittitur, & perbreui tormentorum adminiculo potitur: quingenti ex oppidanis capti, in caſtraque perducti, in Scodrenſium conſpectu omnes trucidati ſunt. Maumethes obſidionis faſtidio ac deſperatione correptus, relicto ad continuandam obſidionem Marbecho, cum octo milibus hominum, ipſe cum cæteris legionibus abiit. Eodem quo profectus eſt die, Lyſſum ad Drymonis ripam, cum duabus Venetorum longis nauibus, in ſuam poteſtatem redegit. Ducentos ad Marbechum remiges ibi captos miſit, quos ante conſpectum Scodrenſium trucidaret. mandata pro libidine feritatis facta ſunt. Itaq; vniuerſa, quę breuibus enumerauimus, mala, è deſtituta bellicoſi regis Matthiæ ſocietate promanarunt. Quem cùm ſibi haud iniquè ſuccenſuiſſe intelligerent, nec facilè tamen reconciliari poſſe exiſtimarent, donec ſocietatem cum Pannone iuſtè ſanctèque ſeruarent, forti animo ac citra detrimentū Turcorum omnes impetus excepere. Contrà rex indies exacerbatus, vel proprio, vel aliorum inſtinctu, nunquam amplius eorum amicitiam requiſiuit, neque contempſit, ſuis tantùm rebus conſuluit. Ad poſtremum Veneti, cùm ſe Turco impares eſſe cognoſcerent, ſeque in hoc bello ab vniuerſis Italiæ potentatibus deſtitutos eſſe conſpicarentur, deſperata Matthię reconciliatione, de ineunda cum Turco pace cogitarunt. In cauſa, iſta fuere cōplura: Venetorum ſuperbia, inuidia, potentatuum Italorum diſcordia: & in partiendis quæcunque bello recuperarentur rebus, auaritia, cum ſumma iniquitate coniuncta: quæ quidem omnia, pro libidine iudicioque ſuo cuique definienda relinquo. Inſequenti anno, ſenatus iuſſu Ioannes Darius ſcriba, exacta iā hyeme, de pace agere occipit, ne hoc ſenſim bello Reſpub. labefactaretur. Parum æquis tamen & honeſtis cōditionibus eam ſanè compoſuit: nempe vt deductis ex vrbe præſidiariis militibus, & oppidanis quicunque vellent, Scodra Turco cederet. Veneti quoque Tenarum La-

Croia capta.

Scodra obſidio.

Driuaſtū.

Lyſſum.

Venetorum cum Turcis pax.

coniæ promontorium, & Lemnum insulam insuper adiicerent: atque octo demum aureorum milia quotannis eo nomine Maumethi penderent, vt ponuca Venetis negociatoribus nauigatio tutò pateret. His igitur legibus pax composita, haud parum Venetæ libertati derogauit: quando stipendiariam, vectigalemque Turco ciuitatem fecisse videbantur. Sed ab omnibus destituta auxiliis, non temerè, quando ita res tulit, publicæ vtilitati salutique consuluit. Quin & Cephaleniam insulam, quæ ante Ætoliam exposita est, & à diuæ Mariæ cognomento nominatur, vi in Turci ditionem peruenire Veneti passi sunt: ne inita dudum fœdera in discrimen suum violarent. Sed de his hactenus. Ad Matthiam reuocetur oratio. Nihil ei postero anno fuit antiquius, quàm initam olim cum Ladislao Boemiæ rege pacem confirmare. Iam intelligebat illum esse maturum, præterea magnanimum & prudentem, ac bellicosissimis denique populis præpollentem. Vndique sibi bella imminere augurabatur. cum Turco perpetuum erat, & hæreditarium, quamuis ad crebras id inducias haud inuito Maumethe redegerat: quoniam adempta sibi Italorum adminicula nouerat. Nec latebat quidem præter hæc principem Cæsarea mens pertinax, & quandoque inconstans, variaque: illinc quoque Casimirum Poloniæ regem admodum timebat, ne Prutenorum causa fœdera solueret. Pruteni, sinus Oceani Sarmatici sunt accolæ: Vistulæ amnis ostia, qui Cracouiam præterfluit, Oceanoque demergitur, accolunt, & præter litus effusi, ad Venedicos vsque montes accedunt. Apud hos potens ac sacrum diuæ Mariæ collegium imperat. prouincia quidem ob negociatorum frequentiam ciuilis est admodum, & opulenta: in cuius imperium iam animum Casimirus intenderat. videbat enim, domita Prussia, ad Oceanum vsque Sarmaticum Poloniæ regnum propagatum iri. Pruteni, qui à Poloniæ tergo sunt, aliquem sibi defensorem parare studebant, qui à fronte Polonum infestaret. Si quid in eos ab auersa parte moliretur, societatem cum Matthia ineunt. Rex cum Casimiro deinde agit, vt ad tempus vsque proximi conuentus (quam diætam appellant) nullum Prutenis bellum inferatur: si quæ in eos copiæ missæ forent, continuò reuocentur, quò ad diætam tutò veniendi libertas fieret. Casimirus hæc omnia & chirographo & data fide se facturum esse promisit. Quare initæ cum Prutenis sunt induciæ. Sed, quemadmodum paulò pòst ex Matthiæ accepimus literis, Casimirus promissa non præstitit, vt epistola rex longa conqueritur. Missum in Prutenos exercitum non reuocauit: conueniendi potestatem Prutenis non fecit. quare haud parum indignitas ista Pannonis animum incendit. Hicreslauum Boscouium rex in Poloniam misit, qui suo nomine Casimirum, vt promissis staret, hortaretur: moneretque, vt icta olim fœdera, vti fas est, seruaret. Demum certiorem redderet, à Pannone Prutenos nunquam societatis iure desertum iri. Itaque cùm huiusce belli periculum vereretur, confirmandam cum rege Boemiæ pacem Matthias esse censebat, ne vno tempore cum tot hostibus certare cogeretur. Prius autem per legatos dedit operam, vt cōuentus ille haberetur, quo demum vtrique reges in colloquio coirent. Ipse Georgium Colocensem metropolitam, & Protasium Olmuncensem episcopū, item Stephanum Comitem Scepusiensem, Venceslaum Boscouium, & Nicolaum Zeecensem, oratores pronunciauit. Stephanus enim ea tempestate Silesiæ præfecturam cum imperio gerebat. Ladislaus verò, illustres profectò viros ad hanc legationem destinauit, inprimis Ioannem Tymbutem, & Boleslauum summum Boemici regni iudicem. quibus collegæ optimi fuerāt adiecti. Benessius Vaitmiller, Burgrauius Carisius monetæ magister, & Ioannes curiæ præfectus, cui de Riupo cognomen erat. vtrinque igitur præstantes viri ad Olmucium conuenere, quibus cùm liberum foret vtriusque regis negotia componere, sic omnia inter se citra discordiam disposuere, vt omni ex parte cuncta congruerent. Id vnum supererat, vt principes conuenirent, & ab legatis acta, sua auctoritate, ac fausta præsentia confirmarent. Quare vtriusque regis edicto ad Olmucium conuentus indicitur: atque non solùm reges, verumetiam antistites omnes, ac reguli, proceresque maximi, cum vniuersa nobilitate, ad præstitutam diem

Pax cū Ladislao cōfirmata.

Prutens.

Olmucij cōuentus.

10 20 30 40 50

diem conuenire iubentur. Insolentes vtrinq; fiunt apparatus, & à Matthia prę- sertim, qui plus ęquo ambitiosus est habitus: & nec vindicta, nec beneficio, magnificentiaq;, à quoquã hoste amicóve superari se passus est. Wladislaus ad statum tempus, cum ornatissimo procerum ordine, aliquot diebus prior affuit, secumque florentissimum duxit exercitum. item præter Boemos, duces duo illustrissimi, & affines, quorum alter Bauariæ, Saxonię alter princeps erat. Præ cæteris autem terrarum gentibus, proceritate staturæ, roboreq; corporum, ac pulchritudine, præstantia crinium, & suauitate consuetudinis, Boemi sanè præcellunt: corpora comasq; plus iusto colunt, in habitu vestituq; nitidissimi, & perquam molles, ad bellum & voluptates tantùm nati: populares omnes sunt, & affabiles: ad conciliandas quoq; amicitias nimis idonei. Cõtra seueriores Vngari, & magis agrestes, bello durissimi, austerę cõsuetudinis, & quam maximè peregrinæ. exteros parum amant, plerunq; abominantur. elatum his est ingenium, ac immodicus equorum vestium luxus: armorum habitus, ac mẽsæ potissimum est studium: cæterùm minima cura, solicitudoque, pericula contemnunt, bella ferunt, ocium formidant: honorem laudemque appetunt, quam armis parare nituntur. Matthias ob ingentem apparatum cunctantius accessit, crebris à Boemo literis vexatus. Reginam, cum Francisco Aragonio fratre eius, itẽ pontifices procetesq; omnes secum duxit. Cùm Olmucium venisset Boemus, qui aliquandiu, & plus æquo in finibus expectarat, ad quintum mox lapidem castra posuit. postero die tabernaculum, in medio interualli spacio tenditur, vbi reges vnà colloqui possent. Ex composito deinde instructis vtrinque aciebus prodeunt. Cùm ad tabernaculum ambo ad sagittæ lapidisve ictum iamiam congressuri essent, substitere vtrinque agmina. Reges in medium coiuere: primo congressu dextras mutuò apprehensarunt, & dedere pacis oscula: mox equis desiliunt, tabernaculumque sine arbitrio subeunt. Inito colloquio tres circiter horas, de communi concordia, de redintegrando fœdere verba fecere. Demum fœdus arctius reuinciendum esse rati, inter se iterum sanctissimè percussere: fraternoque obstrinxere vinculo, ne facilè violari posset. & accitis deinde vtrinq; pontificibus, proceribusque arbitris, sacrosanctum id esse iussere. Soluto deinde colloquio, alter in castra, alter in vrbem se recepit. Tertio verò die rex inermis, cum vniuersis principum ordinibus, ex vrbe digreditur, atque versus Boemi castra agmen intendit. Et occurrit è castris ille, comprehensisq; ad congressum dextris, socia vtrinque agmina iunxere, in vrbemque petuenere. Hîc regis edicto lautissima cunctis Boemorum principibus parata erãt hospitia. prope forum duo palatia inter se opposita, Persicoque luxu apparata, reges excipiunt. Bauariæ Saxoniæque duces pro dignitate recepti sunt. Incredibiles in vrbe apparatus Matthias instituerat. Wladislaus armatus, ac instructa acie, ciuitatem ingressus est, alterumq; Martem referre videbatur, magis arma quàm toga magnitudinem corporis addecebant. Ædes huic rex mirifico luxu apparauerat: triclinia, cubicula, subdiualia, & vniuersum denique atrium sericis pictisque aulæis curiosè vestiuerat. Excoluerat etiam regia supellectili, ne quid ad honestandum fratrem prætermisisse videretur. Apparatus vbique magnificus, etiam supra quàm excogitari potest. Culta quoque pro cuiusque dignitate cæterorum hospitia. Dies quindecim ob fraternæ societatis lætitiam, quam dudum iniuerant, conuiuia assiduè celebrata. Temporarium in foro theatrum, scena orchestraq; sumptu magno paratũ, vbi ludi scenici, saltationesque accitis eximiis matronis, cum summa festiuitate editæ. ante scenam hippodromi circique vicem tunc forum præstitit, vbi quotidie equestri certamine pugnatum, magnaque ac varia victoribus pręmia proposita, proque regali magnificentia multa in spectaculo sparsa missilia: epulum viscerationesque populo, item Pannonio Boemicoque militi quotidie datæ: celebratum in foro conuiuium est principum. In medio fori tetragonus stabat abacus, gradatim more pyramidis ab omni parte consurgens: per cuius subsellia aurea, gemmata, argenteaq; vasa ritè disposuerant. Prostabant abaco rhinocerotes duo, vnus à dextra, à læua alter,

Boemi.

Vngaros cũ Boemis confert.

Vngari.

miræ vterque magnitudinis, infestoque cornu spectatores intuebantur, ad basim hydriæ capacissimæ, œnophora, diotæ è pustulato argento affabrè factæ: suprà verò chrysendeta, calices, scyphi, cupæ, fialæque, lapillis ac vnionibus onustæ. Consurgebat igitur gemmatus, ex omni parte conspicuus in medio foro abacus, in montis aurei speciem, vbi miserè spectatorum lumina fatigabantur. Reges cum proceribus in cœna accubuere, decem quoque mensæ ex ordine ibidem stratæ. Inter prandendum nunquam in scena & hippodromo cessatum, aliqua semper edita spectacula, hinc mimi, histriones, citharœdi: hinc equorum certamina, infestis hastis congredientium. Deinde remotis mensis, principes cum matronis illustribus duxere tripudia. Regina cum Vladislao rege, & Franciscus Aragonius cum formosissima nobilique puella Germanicam pyrrhichiam, non sine magnis populi acclamationibus, plausuque saltarunt. Rex quotidie Wladislauum è regione manentem, officij gratia, traiecta via familiariter adibat, educebat in regiam, admissumque concubiculum Beatrice teste domesticè ac iocosè alloquebatur: quandoque latrunculos cum regina ludere iubebat: quod futuri vani coniugij fuit auspicium. Tantum fraternæ charitatis semper ostendit, & honoris exhibuit, vt nihil vltrà addi & optari posset: veluti diuus ille princeps Wladislauum successorem suum ariolaretur. Quin & in aduersa formidolosaque valetudine, rogatus à suis, quem sibi successorem optaret, regnoque eligendum consuleret? Wladislauum, inquit, si optimum regem appetitis. Compositis rebus, cùm iam soluendus conuentus esset, ne indonatum quidem Boemiæ regem, quẽ fratrem adoptauerat, dimittendum esse censuit. Inprimis quidem vniuersum hospitij apparatum, vbi eum exceperat (aureis cubicula aulæis texerat, stragulis etiam aureis lectos strauerat, preciosissimum quoque abacum explicauerat) illi dono dedit. Item id paruum ratus, redditis duabus (vt aiunt) ciuitatibus, munificentiam auxit. Beatrix trabeam auro contextam, regales vestes, lectos lautissimos, & cætera tale genus, quæ cœlibem principem addecerent, adiecit. Nec indonatos quidem ambos duces, & cæteros principes dimisere: nemo dimissus immunis. Verùm illud potissimè commemorant, & admirantur homines, cuncta Boemorum hospitia à regali gazophylacio apparatum accepisse: denas in scenam mensas fuisse stratas, quæ multum auri argentique ad propinandum & ad fercula postulabant: nihil tamen è regali abaco, quem in foro construxerant, in conuiuij vsum accepisse. Quare quanti census Coruina supellex fuerit, ne facilè quidem coniici potuit. Sed quis mortalium vitam aliquid solidæ felicitatis habere arbitretur? Dum conuentum felicissimum ad Olmucium haberi Turcus accipit, præter omnium opinionem, ingentem expeditissimumque exercitum in Vngariam excursare iubet, vt eam à rege diætæ gratia, quæ Augusto mense est habita, destitutam, furtim inuaderet, diriperet, & (quod nunquam antè ausus fuerat) igniferroque vastaret. Fortuna Turci audaciam sequitur, fouetque. nam tanta siccitate is annus exaruerat, vt ad VII. Kalend. vsque Aprilis nunquã tantum pluerit, quantum sitibundum terræ dorsum parumper aspergere potuisset. Vtraque Pannonia Sauo hinc, & Drauo illinc circumuenta, Istro munitur, & Turcorum incursu amnes inhibent: præ insolenti verò siccitate Sauus in plerisque locis vado transiri poterat. Drauus semper ac vbique nauigabilis, eo anno pedibus traiici passus est: in causa fuit, insolentissima siccitas, cùm fluuij tres vbique nauigentur. Turcus vadi exploratorem inuenit ad Drauum, quem multa mercede cõduxerat. Transmisso iam Sauo, triginta Turcorum milia in Draui repentè ripa consedere. Ac ij tutũ vadum edocti, superato amne, Pannonias inuadunt, in pagos, in homines, ac pecora iuxtà desæuiunt: ferro, igniquè vsquequaque debacchantur: ad Castrum vsque ferreum, & ad Styriam, Rachospurgumque decursant. Triginta hominum milia cum ingenti præda, incensa vastataque non parua ex parte prouincia, secum abducunt: iterque remensi, in Bosnam se recipiunt. Quod vbi regi soluta diæta nunciatum est, omnes proceres, alarumque præfectos, tumultuario Turcos exercitum insequi iubet, ipse

per

per sæuam pestilentiam, quæ eo anno per vniuersam Vngariam latè debacchata fuerat, per syluas & amœna loca, valetudinis tuendæ gratia, vagabatur. Reginam Cassouiam versus à se dimiserat, ne qua hominũ frequentia ac cõtagione inficeretur. In tanto tumultu & calamitate, rex nequaquam consternatus est animo: imò tunc cùm nihil à Turco timeret, de Australi bello cogitabat. quare cum Wladislao rege fœdus repercusserat, societatẽq; redintegrarat. Romanum enim Imp. crebris literis, ac multis legationibus orauerat, vt pacta præstaret, promissa persolueret, centum & quinquaginta aureûm milia iam diu exacto tempore penderet. Viennenses audiuerat cẽtum milia Cæsari collata stipe dedisse: illum auaritia, peruicaciaq; correptum, nihil esse soluturum. Quare veluti cum eo sibi cõuentum fuerat, pactionũ iure abnegatas bello pecunias, repetere omnino censebat oportere. Contrà, cùm Cæsar se obstinatissimè recusaturũ intelligeret, bellumq; hinc iam futurum prospiceret, iam copias clàm parauerat, & in superiori Pannonia, Styriaq; aliquid, paulo ante tumultum Turcorũ, moliri cœperat. Matthias igitur in tãta rerũ omniũ perturbatione, non excidit animo, vtrunq; bellũ audacter adoritur: neq; vno, eodemq; tempore, cum duobus rerum humanarũ Imperatoribus, neq; cũ ambobus Cæsaribus, & Augustis dimicare veretur: vana hæc nomina contemnit, animũ ac vires ab iracundia, ac læsa æquitate, ac polluta religione sumit: Deum sibi vindicẽ & propugnatorẽ nunquam defuturum esse confidit. quem Pannonicis rebus affuisse semper, ex ipso periculo nouerat. Comparato itaque magno exercitu, secundum eos quos præmiserat, Turcum insequitur: & non modò abactam prædam recuperare, verũetiam iniurias barbarorum sperat vlcisci. nam cùm paulo ante Turcorum ingressum, pactam ab Imperatore pecuniam exigere non posset, Garapetrum, Stephanumque Comitem Scepusiẽsem in Styriam miserat, eosq; Rachospurgum, Petouiam, & Fierstenfeld obsidere præceperat. Ob Turcorum verò incursum initis cum Imperatore induciis, Stephanum & Petrum Garai cum exercitu reuocarat, vt Turcos vnà peterent. Hostium mox sequitur vestigia: quos cùm in Pannoniis assequi non posset, extra regni fines eò vsque persequitur, donec ab his pœnas cumulatas exigeret. Vltra Iaiczam demum castra mota, dies tres iter factum: & in campo quẽ Greben appellat, locata castra: hinc expeditissima sexdecim hominum milia sunt emissa, quæ Turcos cum præda persequerentur, proximamque illorũ regionem, quam Burbosigniam vocant, pari sæuitia popularentur & vastarent. Ad amplissimum tamen Illyrici oppidum, quod Verbos nominant, peruenere: ibique hostes ac prædam adhibuerunt. Basseum hìc obsident, qui Pannonias dudum inuaserant: & in circumuentam fluuio ciuitatem clàm noctu penetrant. Maxima hìc cædes oboritur: miserrimè cum oppidanis Turci, nil tale opinantes, trucidantur: ædes, pueris, hominibus, mulieribus & fortunis vbique completas incendunt, diripiuntur omnia, & Mars cruentissimus planè grassatur. Basseus clandestinam nocte fugam capit, circumfusasque per finitima oppida vicosque sociorum copias cogit: mox cum celeri equitatu, Pannones, qui triduò ibi moram traxerant, cunctaque diripuerant, ingenti præda onustos, & Iaiczam castraque sine metu repetentes, à tergo adoritur. Atrox hinc pugna redintegratur. nam dum ij prædam magnam auferre, ac illi recuperare obnituntur, truculentissimum sanè prælium conseritur. Vngari non modò equos, verumetiam & se ipsi spoliis onerarant: prædaque grauatis expeditè dimicare non licebat. multi malle mori, quàm preciosa quæ ferebant onera dimittere: contrà illi dicandi gratia contempta morte, acerrimè certare. pars magna depositis impedimentis pugnare, iamque non calamitosè solùm, verumetiam turpissimè Vngari rediissent, ni fortè trecenti Coruatiorũ equites intercessissent: qui à latere redintegrata pugna, Turcorum impetũ repressere. At illi multo plures esse rati, & mox exanimati, terga vertunt. Vngari iam in fugam versi fuerant: Coruatij dimissis magna ex parte impedimentis, & præda potiti, cum cæteris paulò pòst Vngaris in regia castra rediere. In Illyrico quæcunque ditionis Turcorum castris per triginta milia passuum

Austriaci noui belli causa.

300. Croatæ.

finitima fuere, passim igni, ferroque vastarunt. Hac tempestate, si Romanus Imperator inducias, & vetera pacta seruasset, neque violatis induciis Iaurensem agrum instaurato bello inuasisset: Matthias ad asserendum è Turcorum manibus Illyricum, tempus profectò nactus erat nimis idoneū. Sed pertinacia Cæsaris irritatus, reuocatis copiis, in Australe bellum se ad mortem vsque conuertit: & eo quidem animo, vt aut Vngariam amitteret, aut vniuerso Imperatoris patrimonio potiretur. Itaque Cæsaris inconstantiam secum reputans, compositis in Bosna rebus, cum exercitu ea hyeme Zagrabiam venit: vt quid in Styria, vel Austria sibi cum Imperatore agendum esset, ibi cum proceribus ritè decerneret. Hæc igitur omnia hoc anno gesta sunt, quem septuagesimumnonum supra millesimū, & quadringentesimum ritè numeramus. Paulo antè Georgius archiepiscopus Colociensis, diem obierat: vir grauissimus, & summa laude dignus semper habitus: in cuius locum Petrus à rege suffectus, vir libero, acrique ingenio, & animo pro asserenda sæpe veritate, & vtilitate publica vsque adeò vehementi, ac intrepido, vt formidolosam regis iracundiam quandoque nō expauerit. accedebant literarum studia, quibus in Italia diu operam dederat. hic enim ab ineunte pueritia Ioanni Vitesio, Varadiensi tunc episcopo, vsque adeò placuit, præ ingenij dexteritate, optimaque indole, vt diligenter inter pueros suos educarit: ad Strigoniēsem hic archiepiscopatum euectus, canonicatu haudquaquam inhonesto donarit: propria quoque impensa Bononiæ optimarum artium studiis excolendum curauit: Contrà hic patronum nactus indulgentissimum, à tanti viri educatione non degenerauit. Mox cùm excogitata & extemporali polleret eloquētia, atque ne parua quidem animi magnitudine præstaret, inter scribas regios insinuatus, cùm Matthiæ seruiret ab epistolis, vsq; adeò placuit, vt hunc potissimum Georgio successorem dandum censuerit. Metropolitanus Colociensis suo iure scriba regius, & secretarius (vt aiunt) esse debet. Perbreui sua virtute, diligentia & integritate id effecit, vt inter familiares consiliariosque regis principatum obtineret. Iisdem ferè temporibus, cùm post Ioannis Hernesti quæstoris obitum, Georgius, antequam metropolita foret, quæsturam gesserit: secundum eius excessum, cùm de creando quæstore decerneretur, apud principem variis aliquandiu sententiis disceptatum est. Quæsturæ duo competitores erāt: vnus vrbanus, qui proquæstor fuerat: Dominicus præpositus Albensis, alter. Patrocinia magna vterque pro virili sua sibi comparabat, vt quæ in regno maxima est dignitate fungeretur. Prudentes ambo habiti, & ad getendum hoc munus accommodati. Dominicus ambitiosius, cautius & modestius Vrbanus honorē sibi postulabat. plura ille suffragia præpositur æ amplitudine habuit: pauciora iste, qui mitiori videbatur ingenio, & sacro munere longè inferiore. Notam item ambitus apud principem formidabat. placuit tandem regi plus ambitione modestia: & cùm illum rerum gnatissimum, & in exigendis vectigalibus, quia diu proquæstor fuerat, expertissimū esse sciret, quamuis adhuc diuersus & anceps, per dies aliquot muneri præfecit. Hic in eo magistratu cùm dexteritate ingenij, laborum tolerantia, experientia rerum, patientia molestiarum, incredibili humanitate, ac fidei & integritatis magnitudine regiam opinionem superasset: perpetuum rex quæstorem pronunciauit. Hunc enim præ cęteris omnibus suis moribus accumulatissimum, ad maxima quæque negotia promptum, præterea ab omni superbia & ostentatione alienum, item vires ingenij probè dissimulantem, & voluntati denique suæ duntaxat intentissimum esse nouerat. Succedentibus deinde annis, sic regi virtute, diligentia & fide charus fuit, vt hunc cæteris prætulerit amicis, & cunctis honoribus, maximisque opibus ornatissimum, spectatissimumque rediderit. contra hic, quanto authoritate, potentiaque apud principem maior erat, tanto submissiorem animum præferebat. Hæ igitur artes ipsum, vti nunc Vngari thesaurarium, Græci apochrysiarium, & Romani quæstorē vocant, effecere. Basilicæ Dominicus Albensis antistes, aliis honoribus, ad alia quoque aulicorum munia, grauissimasq; legationes reseruatus est. Cùm enim non modò prudentia, & integritate, verume-

rum etiam venusta præsentia, ac fausto proceri corporis aspectu nimium præstaret: magnificè sæpe munus regio iussu legationis obiuit, & cum magno decore laudeque peregit. Hoc eodem anno, Hercules Ferrariensis dux, Florentinorum ac Senensium agrum populabundus ingressus, pleraq; illorum oppida cepit. Ludouicus rex Gallorum, peractis iam induciis, magna manu Maximiliani Burgundiæ ducis fines ingressus est: & parum prosperè pugnans, militum circiter viginti milia tunc amisit. Ludouicus Galeatij Mariæ Mediolanensis ducis frater, cum Roberto Seuerinate in exilium actus, qui à Genuensibus exauctoratus, suo ductu auspiciisque exercitum ductabat, Dertonam Mediolanẽsium ciuitatem cepit, finitima oppida supra viginti, vnà cum Alexandrinis, in ditionem suam redegit: quæ postea compositis rebus Mediolanensibus planè restituit. Florentini pluribus calamitatibus acti, amissis oppidis, cum Fernãdo Neapolitano rege, non sine maximo suorum detrimento, turpe fœdus insciis Venetis percussere: quibus auditis, Ludouicus Rex Gallorum, contemptis certis Italiæ sociis, cum Veneto tantùm senatu ictum fœdus retinuit. Pyrametus Carmanus Maumethis copias, Baiazeto filio duce, fudit, fugauitque. Maumethes Imperator ingenti classe, numerosoque exercitu Rhodum petens, vrbem obsedit, acerrimeque menses tres oppugnauit: demum amissa parte maxima copiarum, irritis conatibus abiit: vrbem diuino potius, quàm humano præsidio seruatam affirmant; quando in summo belli periculo Iesu Christi ministri è cœlo propugnantes visi sunt: atque nostris auxilio miraculoque, Turcis econtra terrori maximo fuere. Ad huius anni exitum, Decembri mense, Ioãnes Aragonius Cardinalis, ac legatus Apostolicus, ac Beatricis reginæ frater, à Matthia rege Budæ tertia hora noctis excipitur: & tanto quidem apparatu, & honore, vt summo pontifici, Augustóve Imperatori nihil ampliùs fieri potuisset. Cum tanto enim plausu, pompaque procerum & sacerdotum, cumq; tot denique funalibus & cæreis, in vrbem admissus, vt noctem in diem versam esse diceres. Faustis vbique honoribus semper excultus, vel suprà quàm optari posset: sexto tamen mense, ex quo venerat, amplissimè donatus à rege, dimittitur. Quin ex illius aulicis nemo fuit, quem regis liberalitas non attigerit. Verùm de his hactenus, nunc ad institutum gestorum ordinem redeamus.

Rhodus obsessa.

RERVM VNGARICARVM DECADIS QVARTÆ LIBER VI.

CVM Zagrabiam è Bosina se Matthias planè recepisset, regina non multis antè diebus è Cassouia profecta, viro congratulabunda statim occurrit. Zagrabiæ regale iudicium proceres postularunt: quod breue quidem, & formidolosum est. Quicunque hoc tribunal accedunt, hastam subire coguntur: perorata vtrinque causa, in cuius caput hasta dimittitur, is capitis reus habetur, præsentaneoque supplicio mulctatur. Id propterea factum, quia ex optimatibus & nobilitate multi homicidij, latrocinij, & rapinarum plerique, nonnulli peculatus, repetundarum alij postulati. Tuz Iano quoque dicta dies. quod vbi regi nunciatum est, mox illum in iudicium non venturum esse prædixit. Hic enim genere, opibusque præstans, inter potentissimos diu proceres est habitus: multumque apud regem consilio, authoritate, prudentia valuit: annos aliquot quæsturam, item varia munera cum laude gessit. Incidit autem in suspicionem, inuidiámve principis. causa nemini satis explorata. multa huic oppida, castellaque in Sclauonia Pannoniaque fuere. Detrectato demum iudicio, ad declinandam inimicorum inuidiam, cum liberis & fortunis Venetias aufugit: sexaginta aureûm milia secum asportasse fertur. ibi cognita viri dignitate, in Patriciorum ordinem à Venetis admissus est, vitaque tranquilla fruitur, & beata. In eo iudicio in plerosque grauiter animaduersum. Hæc ab anni principio agi cœpta, qui octuagesimus super millesimum

Iudicium

1480. est & quadringentesimum. Dum Zagabriæ rex moratur, continuò rumor affertur haud incertus, Imperatorem Romanum noua molientem, quingentos per Prucchensem agrum equites in superiorem Pannoniam dimisisse: qui prouinciam, contemptis induciis, longè lateque vastarent, & Iaurinum vsque cuncta ferro igniq; miscerent. Rex nō mediocriter ira inflāmatus, Zagabria castra mouet, ad Rachospurgumque peruenit. Hinc vltrà profectus, ad Marienpurgum concessit, quod in eadem valle situm est: oppidum arte potius, quàm natura, munitissimum, vnius ferè diei itinere à Rachospurgo remotum. id vbi tumultuario bello non posse capi videt, machinas admouet æneas, mœniaque quarit, oppidani præsidio validissimo præditi, quacunque vi possunt & arte obnituntur: vrbana tamen hostili manu succensa, murus ab vna parte nimis obteritur, & iam hosti non perdifficilis patet aditus, quamuis oppidani intus diligentissimè murorum damna resarcirent. Dum oppidum ad extrema pericula redactum, fama differt: ecce Prosper Capharellus, legatus Apostolicus, & episcopus Asculanus, vir genere, doctrina, probitate & eloquentia præstans, cum Cæsaris oratoribus occurrit, Imperatoris crimen excusat, hortatur ad pacem: quam propediem, si rex dictis audierit, se compositurum esse pollicetur. Regulorum quorundam iniquitate, non Cæsarea voluntate, si quid noui intercessit, factum esse: pacem, quàm bellum Cæsarem malle. Demum adiicere mandata, monitus, precesque pontificis, qui hoc execrabili bello tātopere angeretur, vnde Christianæ reipublicæ & Catholicæ fidei iam instet exitium. Ad hæc regem respondere, se inuitum à legato pontificio, Cæsareisque oratoribus, ad pacis consilia reuocari: quando se cum legatis omnibus, ab Imperatore falsum iri prorsus intelligat. Sed ne pontificiæ authoritati aduersari videatur, quam (vt fas est) semper antehac studiosissimè obseruarit: inducias esse cum Cæsare facturum, quamuis eas irritas omnino futuras arbitretur. Accessere suasiones Oratorum, quibus parum ipse mouebatur: plus Romano pontifici, quàm Imperatori, morem gerendum esse censuit. Authore igitur Prospero Asculano antistite, componuntur induciæ: cessat oppugnatio omnis. Rex cum cætero exercitu ad Rachospurgum redit, vnam tātùm legionem in obsidione dimisit: cuius Stephanus comes, & Tetaurus præfectus erat. obsidio non omnino soluta, quando mores Cæsaris principem nō latebant: sciebat inducias non spe pacis, sed comparandi exercitus gratia postulari. Oratores cum legato pontificio ad Cæsarem rediere, vt ante induciarum exitum, pacem cum Imperatore transigerent. Cùm rem persequi occœpissent, extemplo cognouere sibi verba dari: regē Vngariæ vera prædixisse. Prospero colloquium crebrò postulanti, prorogatur. Interdicebatur quandoq; aditus: & varia causantem, adire nō poterat. Angebatur, se sua culpa regem imminenti certaque victoria defraudasse, intercepisse belli successum, irritosque eius apparatus reddidisse. Nec se quidem fugiebat, maximum officiosissimo principi detrimentum intulisse, dum Apostolico ab Imperatore legato verba dantur. Interim vnam is legionem, cum duobus milibus equitum, ad Marienburgum mittit, imperatque, vt comitem Stephanum & Tetaurum obsidionem soluere iubeant, agrum Marienburgensium expeditum liberumque dimittant. si reluctentur, manum cum hoste conferant, oppidumq; fidelissimum liberent. At illi mandata faciunt. Cùm prope castra metarentur, Pannonios continuò per præconem admonent, vt dimissa obsidione recedant. quod nisi postero die fecerint, vim & prælium interminantur. Id cùm Stephanus & Tetaurus cognoscerent, re iubente cessere: quamuis haud inscio id rege fecerunt. Matthias igitur, postquam se deceptum ab Imp. esse cognouit, Budam versus iter init, & ad Soclos diuertit, cùm oppidi dominum diem obiuisse sensisset. Michael enim Gara, genere ac viribus cæterorum sine controuersia procerum præstantiss. semper habitus, sine liberis vita decesserat: oppida, villæ, cæteraque bona ad fiscum sanè reciderant. In hoc itinere, cuncta per legatos Garensium castella recipit. Postquam igitur ipse Budam venit, nil duxit antiquius quàm violatas toties ab Imperatore inducias vlcisci: & non artem arte eludere,

dete,sed aperto Marte hostem superare. Verùm, quum vno tempore cum duobus orbis Imperatoribus sibi bellum instaret, non id tam citò præstare potuit, quàm ocio ac tempore opus erat.quare mẽses circiter septendecim Budæ quieuit.Interea multa molitur: regni fines, qui ad Turcum spectant, omnes militum stationibus circumuoluit,qui excursiones hostium inhiberẽt, & socios tuerentur: deinde validissimum aduersus Imperatorem parat exercitum. Dum hæc rex in ocio molitur,nonnulla præclara gesta per legatos legionum prouinciarumque præfectos curasse visus est. Comes Ioannes, è nobilissima Frangepanum familia natus, & Coryciæ insulæ tyrannus, quem Veglam nunc dicunt, cũ insulanis dissentire cœpit. Hinc orta seditione, illi Venetos libertatis vindices,hic Matthiam regem licet infensus,sub cuius ditione ac tutela semper Frangepanes fuerant,opem orabant.Magiar Blasius cum quinq; cohortibus,tribusque turmis equitũ, in Dalmatiam à rege missus, in insulam traiecit, Fulciniũq; inprimis oppidum, quod nunc Muselum vocant, vi capit: mox ad vrbem castra mouet,vt ea capta,tota demum insula potiatur. Hoc breue bellum,non iniutia à rege susceptũ:quando Mattinus,Ioannis frater, Coryciam à suis diu maioribus possessam,& cætera quæ in continente tenebat oppidula,Matthiæ liberis orbatus planè legarat.Ioannes,qui fratris bona inuito rege occuparat,inconstantia laborabat: nam nunc Venetorum, nunc Pannonum auxilia sollicitabat: Veneti,audito Corycianorum bello,ne in manus Pannonum reciderent,intercessere.Iacobus enim Vernerius,ab Antonio Lauretano classis prȩfecto è Corcyra præstò cum nõnullis triremib.affuit.sequutus inde Antonius Vinci Guerra,a Veneto senatu cum quatuor longis nauibus.hi vbi illuc appulere, Vngaros monuere,ne insulanos bello læderent,se ab iniuriis abstinerent: quòd si pergerent,ipsi reditum interciperent.Interea ad defectionem Corycianos hortabantur: optimas pollicebantur conditiones,si Veneto senatui sese dederent. Hine Ioannem monitis promissisque solicitant, vt cùm à Venetis non solùm amicus, verumetiam conciuis è senatorio ordine habeatur,ibiq; liberos vxoremq; paulo antè missos teneat,ne barbaros Venetis anteponat. Demũ vir ille inconstantissimus populi seditione motus, ac istorum precibus pollicitationibusque victus,ius quod in insula retinebat,Veneto remisit, arcis deditionem fecit, cessit insula,Venetiasq; nauigauit. Perpetuum a Senatu stipendiũ huic constitutum: quatuor aureorum milia pro filiæ dote, Senatusque authoritate decreta. Paulo pòst malè rerum gestarum pœnitentia correptus,in Germaniam cum liberis abiit, miserrimeq; vixit. Magiar Blasius,cùm triremes quatuor superuenissent, veritus vt,cùm redire vellet,sibi foret integrum: accepta publica fide in continentem se recepit. Multi insulam Matthiæ tarditate negligentiaque amissam prædicant. Dicunt Ioannem ad principem sæpe venisse, orasse regem insulam reciperet,muniret præsidio,& tantundem in continente sibi redderet: Regem, hominis inconstantiam & pusillanimitatem aspernatum, non vt par est aures adhibuisse. Hanc olim Veneti insulam iure belli suam fecere:deinde Raincrio Zeno principe,vt aiunt,Schinellis, quæ illustris ea tempestate in Coricianis familia fuerat,tota vectigalis est cõcessa.Illi cum posteris ducentos circiter annos in fide mansere. postea verò, pro motuum Dalmaticorum varietate, nunc Venetorum,nunc Belæ,Ladislai,Ludouici, cæterorumq; regum illa fuit. Verùm, si temporum seriem rectè seruauerimus,hæc vt alia Dalmatiæ oppida,vi, malóve dolo, à Venetis est occupata. Hoc etiã octuagesimo anno, ductu auspiciis ve Coruini,vbique prosperè pugnatum est.Nam in Styria Februario mense,Petouia,& pleraque oppida Cæsaris expugnata. Petouia, Iacobi Zekel astu & copiis, qui ciuitatem acerrimè oppugnarat, in regis ditionem venit. Nec minore quidem calliditate Comes Stephanus, vir indomitæ fortitudinis, magniq; consilij, Rakospurgum occupauit. Cùm exercitum suburbanis admouisset,ad insequendos Turcos transitũ ab oppidanis exposcit. nam subiecto amne id abluitur, ac longo ponte pro muro transitur.Oppidani nihil tale opinantes,sed iustissima esse postulata rati,concedũt.Stephanus verò põtẽ paulò ante crepuscu

Frangepanes. *Muselum.* *Iacob Vernerius.* *Rakospurg.*

lum milites transire,& in vlteriore parte subsidere iubet, quæ ad Iudæorum vicum pertinet: vbi mœnia parum obfirmata senserat. Ingruente nocte, pontem concessum occupat, præsidioque vtrinque munit: mox secunda vigilia noctis, ęnea mœnibus tormenta admouet: ante lucem assiduo crepitantium machinarum obtritu, muros latè pandit. item eadem nocte arcem, in edito monte sitam, extra mœnia, subactis etiam machinis expugnat. At oppidani nocturna oppugnatione vexati,& capta arce consternati, vti patriæ saluti consulăt, deditionem Pannoniis fecere. Hoc exemplo multa, quæ circumstabant, oppidula, in deditionem Vngaricam peruenere. Nec minore quidem felicitate in Transyluania dimicatum. Ad Sinderouiam turmatim indies ingentem Turcorum exercitum conuenire rumor erat: quónam locorum profecturi essent, nemo satis exploratum habebat. Ad primum increbrescente fama nuncium, Matthias inferioris Vngariæ fines obfirmat, vt Turcorum audacter incursum excipiat: Stephanum Bathorem (qui prouinciam Transyluanam cũ imperio tenebat,& Vaiuoda olim creatus erat) item Paulum Kinisium Themesuari comitem, præfectumque regionis, acerrimum vtrumque Reipublicæ propugnatorem, cursoribus admonet, fines diligenter custodiant, quando Turci propediem excursuri nunciantur. Quin & speculatores vbique haberi iubet, vt antequam Sinderouia moueant, eorũ iter prospiciant, & alter demum alteri in loco subueniant. at illi mandata miro studio præstant. Stephanus ingentem sibi parat exercitum: id ipsum facit Paulus. Mox à speculatorib. nunciatur, Alibechum Danubium traiicere occœpisse, intendere iter in Trãsyluanos, & sexaginta circiter hominum milia secum ducere. hoc ambo nouere duces. Stephanus, vndecunque potest, auxilia educit: & è Siculis, Vngaris, Valachis & Saxonibus cogit exercitum: varioque hominum genere ad excipiendum hostem castra complet, obfirmatq;. Interea nunciatur, populabũdum cum numeroso exercitu Alibechum prouinciæ finibus appropinquare. Forti Vaiuoda Bathor animo obuiã proficiscitur. Interim crebris Paulum collegam commonefacit internunciis, iter Turcos in Transyluaniam vertisse: se obuiam indies castra mouere,& à tergo hostem subsequi oportere: & diligenter obseruare, vt in conserenda manu alter à fronte, à tergo alter instet: quod si fecerit, se certò sperare, insignem diro hosti cladem vtrumque daturum, neq; victoriam è piis manibus elapsuram. Ille quod fieri opus erat admonitus, ac nihil tale opinantem obseruat hostem. Nihil obstat, sed quadrato lõgo agmine sequitur. Quin & à tergo Turcus nihil reformidat. Pòst vbi Transyluaniæ fines attigere Turci, cùm nullam à fronte aciem conspicarentur, ad versam in rapinas prædam & incendia se conuertunt, vicos populantur, inflammant oppidula: & per effusam planiciem, quam Marisus amnis interlabitur, intrepidi progrediũtur. Planum montes ab vtraque parte claudebãt, quos exercitatiores Valachorum populi vicatim incolunt: ab vno latere mons altissimus se extollit. Cùm illi in prouinciam penetrassent, vltra Albam Giulam effusi, cuncta diripiunt: incredibili demum coacta præda, obstante nemine, retro pedem ferũt. Sequitur à tergo cum exercitu Vaiuoda, vt captato loco Turcos adoriatur: collegam etiam spectat. quare illi ad villam vsque perueniunt, quam Kinyr mezou à pane Vngarica lingua vocant, vigintiquinque milibus passuum ab Alba distantem. Hic per speculatores intelligunt, Vaiuodam cum exercitu in proxima esse ciuitate, quam Saxones incolunt, Saxobanyamque vocãt. Substitere igitur aliquantisper, neq; temerè abeundũ esse censuere, nisi prius fuso fugatoque hoste id facere tutò liceret. idem ab exploratoribus dudum Stephanus intellexerat. Quare neutro Martem detrectãte, vbi illuxit, in campum vtrique prodiere. Consedere tres circiter horas octo stadiorum interuallo, vt alter alterius vires emensus, victoriæ suæ consuleret, & in alas & cornua copias disponeret. Stephanus turmatim rem inprimis diuinam fieri edicit: mox omnibus mysticam terram eucharistiæ loco impartiri, ambulatorioque ientaculo quotumquemque militem corpora aliquantulum reficere: & data inter se fide, mutuisque osculis affirmare iubet, alterum ab altero in acie nunquam desertum iri, neque

Mystica terra pro pane, & loco eucharistia.

iri,neq; iniussu ducis loco cessurum, neq; prælium detrectaturum, sed ad mortem vsque fortissimè pugnaturum. Aduocata deinde concione, verba facit: Damnabunt fortasse alij, commilitones, militiam nostram, immaniumque Turcorum vicinitatem, & pericula deprecabuntur: contrà ego, nihil vobis antiquius feliciusque dari, aut contingere arbitror potuisse. Alij perniciosa, vana plerique stipendia faciunt, quando pro impotenti ac imbecillo Imperatore, item pro rebus fluxis momentaneisque metuisse visi sunt: nos contrà saluberrimam sanctissimamque militiam militamus, quando pro IESV CHRISTO optimo maximo, pro Christianæ reipublicæ salute, pro patria, pro aris & focis, pro liberis & 10 coniugibus, pro fortunis, pro corporum & animorum denique salute dimicamus. Pars pro alienis commodis, & imperio bella suscipiunt: nos pro nostra vtilitate, regno & immortalitate arma gerimus. Multi totam inedia, abstinentia, religioneque durissima vitam absumunt: nos plus vno momento lucri, quàm per totam illi ætatem facimus, & lucrum quidem stabile ac perpetuum. Pluris profectò momēti est gutta sanguinis, quæ pro Christi charitate funditur, quàm cætera quæ in toga & reliqua vitæ securitate meremur. A comitibus discipulisque Seruatoris nostri accipite coniecturam. Cur ille neminem in Apostolorum numerum, & beatorū ordines adoptauit, nisi quos suo calice impartiuit? cur martyres potissimùm, animarum prodigos, inter diuos & cohæredes retulit? Nem-20 pe quia sapientissimi præceptoris exemplo documentoque didicere, pro asserenda catholica fide iacturam corporis pro nihilo esse ducendam: imò nihil pro diuino beneficio magis reputandum esse iudicabant, quam cùm in professione orthodoxæ fidei ad vltima supplicia, nouissimosque cruciatus educebantur: quos non modò sponte, sed auidè subibant. Sanguinem enim nostrum vbi nam commodius erogare poterimus, quàm in vindicando nomine veritatis: in proterēdis gentibus, quæ pseudoprophetarum errores perniciosos sectantur & asserunt: & Iesum Dei filium vnigenitum, principem veritatis, & cœli terræque authorem, abnegant? Multi sunt, socij, quos parum ista mouent: partim, quia his parum numen & natura indulsit: partim, quia humanis affectibus obruti, 30 non multum ista considerant. Tales igitur homines cùm prouinciæ calamitates, & pericula, tum patria domesticaque damna, damna dixi? imò solitudinem & exitium considerare velim: vtinam id foret exitium, quando finis quisque miseriæ non potest esse, nisi optimus: sed æternarum est initium ærumnarum. Non prouinciales solùm cum fortunis & pecoribus abducuntur, proceres: verumetiam filij, quos ingenuè educastis, quos vobis charissimos habetis, pro quibus tot labores & pericula subiistis: & vxores suauissimæ, quæ alterum animorum dimidium possident: ingenuæque matronæ, quæ pudicitiam & religionem tantopere coluerunt: fortunæ, quas tanto sudore domi peregreque comparastis: honores, quos tot virtutum vsu obiuistis: dij denique patrij, & cætera 40 diuina & humana auferuntur, sine quibus vltrà viuere non licet. Non ad mortem & malorum finem ista omnia, sed in perpetuam seruitutē & miseriam auferunt, ipsa morte longè deteriorem. Pudet pigetque referre, cōmilitones, quot piacula, incestus & sacrilegia, castas virgines, pudicasq; matronas proxima nocte maneant, nisi virtute vestra vindicaueritis. Longè maiorem, mihi credite, miseriarum cumulum turpitudo ipsa, quàm cætera damna præstabit. Num vlulatus mulierum, & vagitus infantium exauditis? num vociferationes captiuorum accipitis? qui manibus post terga reuinctis, longo fune trahuntur: quibus etiam omnibus, elatis ad cœlum manibus, neq; supplicare, neque vota suscipere, neq; ex more numina exorare licet: quando in vincula cōiecti, Deos exorare 50 nequeunt: & nisi virtute vestra redimantur, nihil morte maius anhelant. Proinde expergiscimini, commilitones: hodie nō solùm pro Deo, regno & prouincia, sed pro vestra salute vobis dimicandum est: ne, quodcunque prædæ superfuerit, iterum à Turcis abducatur. Pugnate, cùm signum dabitur, si fieri potest (quando res ita postulat) maioribus, quàm vnquam antea, viribus, & animo multo maiori: hostium multitudinem ne plus æquo timete, quia pauci contra

Stephani Bathoris oratio.

multos iam diu pugnare didicistis: nunquam cum Turcis pari numero dimicastis, nunquam etiam terga vertistis. Animus est qui numerum auget, legionibus supplementa suggerit, pectora nuda munit, & strictos in iugulum gladios corporaque contemnit. Quinetiam & in horam, vt dudum mihi nunciatum est, affuturus est ille fortissimus collega noster Paulus, quē in tempore opitulaturū esse speramus. Pro Iesu Christi, quæso, nomine, fortissimo animo dimicate, quem nunquā vobis in huiuscemodi bello defuisse nouimus. Sin verò, quod dij prohibeant, barbarico furori fortasse cesseritis, quæ & quot vos mala iam manent considerate. Præter mortem, quæ inter cætera plus boni quàm mali adferet, inauditi cruciatus, æterna seruitus, turpitudo intolerabilis, & miseriarum denique omnium incredibilis cumulus accedet. Hæc autem omnia, si viri esse volueritis, dextra vestra declinare poteritis. Quare inuocato pientissimo Iesu Christi nomine, agite socij, manū conserite, fœdam audacter gentem proterite, quam diu vincere didicistis. gemitibus captiuæ multitudinis, per Deum hominumque fidem, & per vestrorum denique liberorum charitatem, quæso, subuenite. Hac igitur hodie mente pugnate, vt aut ad internecionem dirum hostem cædatis: aut, si qua fati cogat iniquitas, ne ea quæ diximus mala, & longè maiora patiamini, pulcherrimè moriamini: vbique Bathor vobis aderit, inter confertissimos pugnaturus: & ne paternæ gloriæ cedat, hodie aut victorem, aut deorum conuiuam fortè sentietis. Vix Bathori ista dixerat, cùm quotusquisque miles nimis incensus, signum pugnæ dari postulabat, ac Imperatori monita facturum omnino pollicebatur. In tanto virorum ardore, Vaiuoda haudquaquam cessandum esse ratus, instructas in cornua statim acies disponit, se cum cataphracto equitatu in medium collocat, præsidium à tergo munitum relinquit, pro vtroque cornu duas equitum alas obtendit. Dextrum cornu præter amnis ripam producit, obtendit ad editissimi montis appendices alterum. Cùm Saxonibus, Valachis & Vngaris constaret exercitus, quia Carolum Magnum domita Vngaria Saxonibus, quibus cum toties dimicarat, hæc loca in relegationis speciem compleuisse perhibent: Saxones, qui ciuiliter viuunt, ac vrbes incolunt, primas pugnæ partes sibi dari postularunt: proximas Valachi: vltimæ Vngaris & Scythis superfuere. Dux laudata animi magnitudine, concessit. Contrà, Turci suas alas explicauerant, recondiderantque a tergo prædam: & collatis vtrinque signis, cum magna ferocia congrediuntur. vnum Turcorum agmen in cornu dextrum fertur, & forti à Saxonibus animo excipitur. in ripa fluminis tanta vi pugnatum, vt perbreui multi vtrinque caderent. Pari adhuc spe certabatur: cùm alterum Turcorum agmen immissum est, cuius impetum Saxones numero multo pauciores sustinere nequiuerunt. Quare inclinati, præter fluuium cæduntur: alij vulneribus confossi, cùm retro pedem dare nequirent, in aquas aguntur, demerguntur que: cæteri dato tergo, intra Valachorum subsidia se recipiunt. Contrà illi consurgūt, obuersanturque, & instaurata pugna multos ex hostibus obtruncant, nonnullos præcipites in aquam impellunt. Dum hîc acerrimè pugnatur, Scythuli, qui læuum cornu tenebant, ne minori quidem periculo laborabant: alæ non sine cruenta pugna vtrinque retusæ, quando inundanti hostium multitudini obstare non poterant, intra cataphractorum aciem se receperant. Valachi cum Saxonibus in dextro cornu miserè cæsi, quamuis multo plus hostium ibi oppetiisset. Marus amnis totus cruore infectus est. Dum vehementer in vtroque cornu laborabatur, Vaiuoda, antequam res ad triarios redigatur, quadratum cataphractorum agmen, quod in medio stabat, vltrà promouet. Cùm primus in acie staret, primo gradu, citato equo, cum eo vnà concidit: socij tunc ostenti iniquitate consternati, ad Saxabanam quinque milibus passuum ab Iula distantem, vel proximum montem redeundum esse censebant. At ille, Quicunque (inquit) pro Deo optimo maximo, diuaque genitrice pugnat, quònam pacto malis prælium auspiciis inire potest? Proinde timori parcite, & me forti animo sequimini, commilitones: futura vulnera abominatur equus, sine quibus bella non geruntur!

Saxij. | Marus vel Marysus flumen.

geruntur: sed iste, mihi credite, hodie victorem me vobiscum referet. Mox dicto celerius in Turcos irruit, laborantium animos instaurat: cum tanto impetu fertur in hostes, vt primum illorum agmen sine mora prostrauerit. Quod cùm Alibechus accepisset, quatuor simul agmina iungit, vt equitum multitudine circumglomerante, Vaiuodæ aciem obruat. Remittitur interim in vtroque cornu pugnæ furor, & ad prætorianas acies Mars totus vertitur. ibique sic conferto prælio dimicatur, vt dux cum duce, veterani cũ veteranis cominus acerrimè certarent. Vaiuoda sex vulneribus vnà cum equo confossus, ad extrema cum sociis redactus erat. quamuis cæsorum corporibus obductus esset, quò 10 plures tum ex hostibus cadebant, eò frequentior vndique turba confluebat. Cùm ita laboraretur, & iam ad præsidiarios se recipere non liceret: ecce à tergo Turcorum, à montis vertice cum quadrato cataphractoq; agmine, vexillationumq; alis, collega Paulus apparet: confertamq; cum hoste manum cùm extemplo prospectasset, citato gradu, edito ingenti clamore, vnà cum tubarum clangore coniuncto, in Turcos irruit: tantoq; impetu hos à tergo premit, vt primo congressu multi ceciderint. illi cùm numero dudum superiores, victoresq; fore viderentur, à tergo petiti, non modò spem victoriæ, sed multitudinis quoqu speciem simul amiserunt. Paulus duplici accinctus gladio, veluti leo rugiens, multo cruore vsquequaque grassatur: indomitus, quacunq; ruit, cuncta obuia 20 proterit, latam & insignem stragem agit: nunc vltimam hostibus internicionem oбclamitans, nunc suorum ferociam inflammãs: quandoque vsque adeò intonans, vt à laborantibus & cedentibus exaudiretur. Postquam pientissimo se Iesu Christi nomine foueri, ac victoriæ successum continuari intellexit: geminatis viribus animisq; intonuit, per infesta latum Iter agmina faciens, Vbi vbi Bathor es, inquit: vbi castæ castitatis specimen, fidei propugnaculum, & seueræ integritatis exemplum? sicubi locorum es: si viuis adhuc, responde Bathor: sum Paulus, pro te, pro patriæ salute, ad vtramq; fortunam expeditissimus. Senserat Vaiuoda potius ex desidente hostium ferocia, quàm ex intenta voce, collegam in tempore adfuisse: & quamuis multiplici vulnere iam exhaustus, tamẽ quia plus 30 alieno sanguine quàm suo cruore fœdatus erat, inter congesta vtrinq; cadauera: Adsum, inquit, mi Paule, adsum, adhuc viuitur. Dum defecta ruinam nostra corpora minantur, & nutant: tu catholicam fidem, regnum, patriamq; tuetor. Cùm hæc vix inter cædes mutuosque ictus Paulus exaudiuisset, Si viuis adhuc, confide ergo, inquit, & cuncta pro nobis numina dudum arma sumpsisse puta: mox circumactum laboranti Vaiuodæ agmen proterit: collegæ turmam, quæ iamiam Turcorum, qui circumuenerant, vi casura videbatur, præsenti morte liberat: additis subinde animis, agmen in cæteros latè ciet. Turci cùm fronte tergoq; se obclusos intellexere, in montem, quem diximus, editissimum, proximaque iuga diffugiunt, exuuntur castris, & opulẽta præda. nihilo segnius ac illi fu- 40 giũt, insequuntur isti, & per difficillima quæque loca disquirunt. potissima in plano strages acta: & per omnes citra inuidiam insignis, verùm paulò minor in montibus, patrata cædes. Nam dum per auia feruntur illi, prouinciales locorum non ignari, præoccupant exitus: aut si nequeunt, ne minore quidem isti cędis & vindictæ, quàm illi salutis & fugæ cupiditate correpti, per anfractus ac prærupta loca petunt, palantes illi fugam in iuga surripiunt: ij pari celeritate subsequuntur: multi per arcta & ardua surrepentes, correpti pedibus, & ad ima tracti, immaniter dissecantur: pars per accessa vagãtur palantes, & à rustica turba eodem posteroque die cæduntur: nõnulli saucij & exhausto cruore defecti, partim inedia, partim lethali languore absumpti sunt. Quicunque per montium appen- 50 dices adhiberi potuere, continuò cæsi: pauci capti, nisi quorum liberalis aspectus, magnum captiuitatis lucrum pollicetur. Alibechus habitum linguamque iuxtà mentitus, pastoris ductu in montem aufugit, in paruaque casula ea nocte deliruit. At vbi illuxit, conscenso equo: Abi pastor, inquit, ad Vaiuodam, & te Alibechi hospitẽ fuisse nunciato: mox dicto celerius auerso equo cucurrit. Fusis fugatisq; Turcis, in eorum castra factus est impetus, quæ ingenti præda com-

pleta diripiunt, captiuos quoq; cuiusque ætatis & sexus in libertatem vindicant, congratulatur pileata turba, pedes manusque assertrices certatim osculantur, & gratias agunt. Deinde cæso ferè ad internecionem hoste, cùm receptui signa cecinissent, in agonem locumq; certaminis omnes conuenere. Paulus victoria quamuis haud incruenta lætatus, cum collega legionibusq; victricibus & pientissimis inter cadauera cœnare decreuit: quia ingruente nocte in castra redire nō poterant, atque multum commeatus & vini, potiti castris hostium, hinc abstulerant. Super cadauera strata mensæ: quippe quæ vsque adeò frequentia densaq; iacebant, vt per vniuersum campum, quoquo versus in stadia penè sedecim, in cadauer prosilire potuisses. Appositis ergo dapibus accubuere milites. refecta satis superque corpora: & animi lætitia, vinoque plus æquo exhilarati: captiui, qui prospecta dudum victoria hostilia castra populari cœperant, ibi quoque opulentissimè discubuere: cœna non sine militari cantu transacta, incomposito extemporalique carmine ducum procerūq; laudes concinuere. mox incalescente Baccho, militarem pyrrichiam saltarunt. Cùm adhuc armati Martiales choreas agerent, elatis in numerum clamoribus, cuncta complebāt. item cùm in publicæ hilaritatis monumentum, quotusquisq; miles gestu motuq; corporis aliquid ageret, quo risum a cæteris exigeret: Paulus saltare iussus, in media coronaita subsiliit, medium sublimemq; cæsum hostem humo porrectum, dentib. sine vllo manuum adminiculo, planè corripuit: mox in orbem, admirātibus potius quàm ridentibus spectatoribus, numerosè saltauit, choream se & Herculeo quoq; viro dignā edidit. Ea nox præ lætitia gestiente insomnis acta. Postero die, ambo duces cum exercitu in Albam Giulam ouantes rediere: dimisere multos, qui sociorum corpora legerent, simulque congesta sepelirent. Pauco pòst tempore ad sepulturam Bathoris edicto impensaque sacellum constitutum, vbi quotannis parentaretur, inferiæque fierent: hostium cadauera in aceruos redacta quàm plurimos, quos in hodiernum vsque diem cuique cernere erit. Ex Vngaris octo milia desiderata, ex Turcis triginta circiter milia cæsa: quin & per accliuia montium loca passim cæsorum ossa spectātur: duoque ferè Saxonum, Valachorumq; milia in profluentē acta, quæ sigillatim deinde reperta fuere. Rex cùm à Transyluanorum rebus admodum solicitaretur, insignis ecce victoriæ nuncius adfuit, qui cæsum ad internecionem Turcum retulit. Præsenti gaudio refocillatus, ingentes Deo gratias agit, quòd semper res Pannonicas propitius ipse respiciat. Aras omnes cum regina supplex circuit, supplicationes populis omnibus indicit, & ipse quoque multos dies ad omnia templa rem sacram facit. Quare in Styria XII. Kalend. Martias, & Transyluania ea hyeme bene pugnatum. Eodem anno Ioannes cardinalis Aragonius, qui cum summa pontificis potestate paulo antè venerat in Vngariam, Strigonium V. Idus Maias intrauit, & archiepiscopatum accepit, à Matthia datum. Sed cùm Ioannes Alemannus, cuius ipse successor erat, adhuc in Cæsaris aula viueret, seq; in Romano foro iure priuari non posse contenderet: cardinalis prouentus omnes apud Strigoniense collegium deponi iussit, donec verus diiudicata lite possessor extaret. Rogatus Ioannes, cur archiepiscopatu regnoque temerè cesserit? Caudati monachi pulueres, longum ante syrma trahentis, vltrà se tolerare non potuisse, respondit: Gabrielem cardinalem cauillatus, quem sibi apud regem præferri, æquo animo pati non poterat. Quarto pòst anno archiepiscopatus Aragonio sententia iudicum addictus est. Hic etiam annus Apulis & Salentinis perpetuò memorandus. Turcorum namque classis delecto milite onerata, & ex Aulone profecta, quod antiquum quondam nauale fuerat, Hydruntum traiecit: viginti hominum milia in littus exposuit, qui vrbem incautam, & ex antiquo ocio inermem olim factam adorti, decimoseptimo die vi capiunt, ac oppidanos ad vnum vsque omnes obtrūcant: nec sexui nec ętati pepercere, in templis ante aras cæsi sacerdotes, pontifex cute exutus: nihil immanitatis, inexpiabilisque audaciæ prætermissum. Mox agrum & finitima quæque oppida igni ferroque vastant, in seruitutem asserunt, quoscunq; capiunt. Bestias, vetustissimum ad Garganum oppidū, amoliuntur,

Ioan. Aragon. metropol.

Hydrūtum.

10 20 30 40 50

liuntur, ad quinquaginta passuum vsq; milia in prædam omnia redegere. Quare Alphõsus Calabriæ dux, dimisso Etruriæ bello, copias in Apuliam reuocauit: & contractis ex tota Italia auxiliis, ad recipiendam Hydruntum terra marique proficiscitur. Italia magno tunc metu perculsa, multi emigrare decreuerãt: quin & summus pontifex Italiæ factionibus consternatus, de deserenda quandoque vrbe Roma cogitauit, & se in Galliam Narbonensem profecturum esse minabatur. Nouus bellandi vsus ita milites Italos exterruerat, vt congredi non auderent: sua nanq; robora à barbaris eludi senserant. Ad generi sui opem Ferdinandus rex confugit: validissimus duorum milium equitatus à Matthia missus, cui Magiar Blasius, & Nagy Ianos præerant. Ii cùm in Apuliam traiecissent, & mari & terra Hydruntum obsessam esse accepissent, vt Pannonicas Italis vires ostentarent, ea qua Itala castra ingressi sunt hora, cum Turcis congredi voluere. Turrim magno præsidio munitam expugnarunt, quam pro porta ad fontem proximum Turci constituerant, potentique præsidio & munitione obfirmarãt. multi vtrinque cæsi. Vngari tandem ea potiti, sic hostiũ audaciam sanè represserant, vt amplius egredi nõ auderent. Ciuitas demum insequẽti anno, paulo post Vngarorum appulsum, non sine multa suorum cæde, XVIII. Kalend. Septemb. ab Alphonso duce recepta. Hoc etiam anno Ludouicus rex Gallorum, exactis cum Maximiliano induciis, ad expugnandam Doblam triginta hominum milia in Burgundiam misit: qui à Doblensibus non modo profligati, verum ad internecionem cæsi. Quare Ludouicus non iniuria succensus, reparato validiore exercitu, vrbem infestam vi cepit, solo æquauit. Item Stephanus Frangepanis, comitum Segniensium virtute, probitate ac religione, nõ immeritò princeps semper habitus, superstite Berardino filio, viro indomitæ fortitudinis & audaciæ, pulchraque nepotum prole, Modrusiæ diem obiit. Franciscum quoq; Philelphum Picentem nostrum, Græca Latinaque lingua eruditissimum, post edita multa sui monumenta, octogenarium Florentiæ mors tempestiua corripuit. Insuper Cledacoriandulus stratiotarum præfectus, cùm in Peloponneso ageret, magnas rupes quæ ad Tenarum promontorium sunt, inuasit, ac cæsis fugatisque Turcis, Mantineam eius loci oppidum in suam potestatem redegit. Hoc etiam anno ingẽs pestilentia per Vngariam debacchatur. Quin & Matthias, cùm hoc tempore Budæ semper fuerit, cum Friderico Imperatore, vt in Turcos aliquid moliretur, inducias fecit. Sæpe etiam antea misso antistite Agriense, de solida pace tractauit: nunquam tamen eam ad ratam firmamque concordiam redigere potuit. verùm ille ad cardinalatus fastigium regia ope & authoritate euectus, voti compos, fastidita Vngaria, Romam concesserat: in bello Hydruntino, Italiæque tumultu, legatus Apostolicus cum summa potestate creatus, in Apuliam contenderat. Sed antequam è Pannonia recederet, haud inconsulto principe regalia sigilla, quibus literæ obsignantur, Petro Colocensi metropolitæ concessit. Neque hæ, neq; aliæ vnquam regi, quas cum Imperatore iniuerat, induciæ profuere. Nam quoties parato exercitu iter in Bosnam, aduersus Otthomanum sumeret, extemplo præfecti Cæsaris, violatis induciis, Vngariam infestabant. Insequenti verò anno, qui octogesimus primus erat supra millesimum & quadringentesimum, Hamburgum regis oppidum, quod Pisonio est proximum, Cæsaris copiæ obsedere. Id haud parum regis animum commouit. Quare præfectum quendam equitum, cui Pandobles nomen erat, Hieraslai Boemici reguli fratrem, ad soluendam obsidionem repentè misit, gnarum rei bellicæ, & spectatæ fidei virum. Is clam ad hostes iter facit, nil tale adhuc metuẽtes. Cùm castris appropinquauit, iam nox ingruebat: stratis passim mensis hostes accubuerant, vinoque dudum incaluerant. Incautos à tergo † Pandobles cum expeditissimo adoritur equitatu. maximus primo insultu tumultus in castris oboritur, mira confusio cum terrore cunctos incessit. accubantes multi trucidantur, fœdantur passim cruore thori: & qui aliquid audebant, his nec promptum nec liberum erat arma capere, instruere aciem, & impetum excipere. Quare fugæ his potius, quàm pugna succurrit. quibuscunque fuit integrum, omnes terga

1481.

† al. Pampoplos.

dedere: insequuntur Pannones aliquantulũ, mox cæca nocte reuocati, ac fusis, fugatisq; hostibus, potiti castris, liberatum obsidione oppidum subiuere. Regina quoq; Beatrix affinitatis fiducia, literis & legatis Imp. ad ineundã cum viro pacẽ sæpissimè hortatur: præter bona verba, nil aliud accepit. Quantũ calamitatis non modò sibi hostiq;, verùm Christianæ reip. hæc obstinata Cæsaris pertinacia attulerit, haud difficulter hinc intelligi potest. Maumethes enim Orientis expeditionẽ adortus, post ingentia terra mariq; patrata facinora, hoc anno, nõ sine veneni suspicione, v. nonas Maias in castris 27. Constãtinopolitani imperij anno, itẽ mense 11. & die 5. præter omnium opinionẽ, emoritur. Duo huic superfuere liberi, maior natu Baiazetes, minor Czaliabus. Audita Imp. morte, ingens in vrbe tumultus oboritur. In duas, vti duo filij erãt, factiones vulgus diuiditur. vicerunt tandem Baiazetis partes: & cùm is abesset, quippe qui in Carmaniam duxarat exercitũ, filius pro patre absente, ad imperiũ postulatur. Baiazetes XVI. Kal. Iunij Constãtinopolim reuersus, Imperator à populo salutatur. Czaliabus cognitis his quæ Cõstantinopoli gesta sunt, imperiũ Asiæ anhelauit, vt alter Europæ, Asiæ alter imperaret. Sed lõgè aliter q̃ sperauerat res ipsa obtigit. Ex Assyriæ finibus reuocatus, Prusam in Bithynia occupat. Contrà frater, quando imperiũ nõ patitur cortiualem, cõparato exercitu in Asiam traiecit: & fuso fugatoq; fratre, Asiæ quoq; imperiũ in ditionem redegit. Matthias adhæc nactus tẽpus, quale nunquam antea magis idoneũ, cogit exercitum, delectumq; habet. Vndecunq; potest auxilia euocat, vt vtramq; Mysiam, Illyricũ Daciamq; recipiat. Dum id vnũ intendit, & ingentes in Turcũ molitur apparatus, (namq; eò versus castra mouerat) ecce tristis nuncius aduenit, qui à Friderici Imp. præfecto superiorẽ Pannoniam igni, ferroq; vastari retulit. Indoluit admodũ Coruinus, & grauiter angebatur, quòd tã idonea è manibus occasio per Cæsaris inconstantiã elaberetur. Prætorianæ Ottomani cohortes ad Hydrunrẽ erant obsessæ, in quibus potissimùm Turcorũ vires continebantur. Bizantiũ grauissimis factionibus, & fratres intestino bello flagrabant. Nicolaus Gingi dux Macedoniam ingressus, amissam olim ditionẽ, patrata magna strage Turcorũ, planè recuperat. Idipsum à Ioanne Cernoi factũ est, qui tandem cõpositis cum Baiazete rebus, cùm sua præter Sabiacum vi recepisset, in pristino regno remansit: annua tantùm stata Turco tributa rependit. Hoc anno, audito Maumethis obitu, Alphonsus cũ Italicis Pannonicisq; copiis Hydruntũ, vt paulò suprà diximus, facta deditione recipit, dediticias barbarorũ cohortes ad seruitia naualia redigit. Desperata igitur expeditionis huiusce fortuna, Coruinus nõ mediocriter commotus, ad vlciscendã Cæsaris pertinaciam vniuersas animi vires intendit: omnibus Vngariæ finibus antè prospicit, qui Turcos attingunt, ne illorum incursu ab incepto reuocari possit. Cũ Stephano Vaiuoda Valachiæ principe, quam inferiorem quondã Mysiam appellabant, fœdus iniit: qua quidẽ societate, nonnulla in superiore Mysia vi Turcis oblata. hinc Ioannẽ Schanderbecci filium, aliosq; regulos Illyrico ab Ottomano olim eiectos, vt paterna bona recuperẽt: hinc Ferdinandum socerũ, qui Aulonis spe frustratus, Chymirã dolo ceperat, in Baiazetem hortatur & irritat. Verùm eodẽ anno Baiazetes Imp. è manibus Pannoniæ regis Risanũ astu oppidũ eripuit. Hæc igitur eo anno memoratu digna gesta sunt. Proinde insequenti rex Hamburgũ in Vngariæ Austriæq; finibus situm, obsidere decernit. oppidũ est decem milibus passuum super Pisoniũ, citeriore Danubij ripa, & in altissimi montis cliuo resupinatũ. in vertice arx est inaccessibilis, vniuersæ Austriæ Pannoniæq; cõspicua. hanc optimo præsidio Cæsar obfirmarat. A tergo Prucchũ subiacet, duodenis penè stadiis remotum. Nec Matthiam quidẽ bellicæ disciplinæ sanè authorẽ latebat, nihil in Austria tutò moliri posse, nisi Hamburgũ prius expugnaret. A tergo namq; relictũ, amploq; præsidio munitum, multũ obesse posse videbatur. A difficillimo igitur loco bellũ instaurat. Pisoniũ primò venit IIII. Kal. Iulias, cohortes quasdã cum nõnullis equitũ turmis eò submittit, quæ oppidũ obsideant: ipse ad decimum lapidem castra posuit. Imperator audita obsidione, cùm id prouinciæ suæ vnicũ propugnaculum

Maumethis mors.

Nicol. Gingi.

Risanum amissum.

Hamburgũ obsessum.

10

20

30

40

50

culum foret, ne rẽ tanti momenti per socordiã & ignauiam amitteret, tria equitum milia obuiã mittit, qui obsidionem inhibeant: plura indies, vti vsus ipse postulauerit, subinde missurus. Hostes propè adesse, rumor & tumultus oboritur. Stephanus Scepusiensis Comes, Tetaurusq́; præfecti equitum à rege missi, sine curribus & impedimentis his occurrunt. cùm in Prucchẽsem agrũ peruenisset, Alemanni quadrato ex vrbe agmine contrà prodeunt, vehementissimo vtrinq; impetu pugna conseritur. à principio in acie cecidere nulli: sed Vngari numero impares, qui exploratũ potius, q̃ pugnatum venerant, ab hostiũ ferocia inclinati, palantes fugiunt: instant à tergo illi, fusos insequuntur. Stephanus dux vbiq; gentiũ fortissimus semper habitus, & impatiens turpitudinis, inclinatã aciem sistere conatur: fugientes aliquot obclamitans in ordinẽ reuocat: subuenit laborantibus, & qua potest vi, arteq́; aciem instaurare cõtendit. Inter conatus tandẽ irritos ab hostibus circumuentus capitur, captiuus nondũ domitus abducitur. Duo custodes inermi dantur, qui eũ asseruent. Dum cæteros socios turba petit, à duobus, qui latera clauderent, Prucchũ versus agitur. captata loci & temporis occasione, à custodis latere, quẽ ad læuam habebat, ensem ex inopinato rapit, transfodit vtrumq;, atq; horũ manibus elapsus, per auia loca in regia demũ castra refugit. Fusi quoq; dudũ equites, eodem paulo antè rediere; gratulãtur præfecti fortissimi salutẽ omnes, quem tam properè nunquam reducem videre credebant. Pleriq; qui in castris cũ rege remanserant, audita dudum suorum fuga, longè maiora rati, in proximã Pisonij vrbem, vbi tutius agerent, se cũ principe recepere. Pòst vbi paucos fuisse captos, ac cæteros cum duce Stephano in castra rex incolumes rediisse cognouit, Hamburgũ longè maiore, quã antea obsidione circumuenit. Machinas belli æneas, atq; vnam inprimis raræ magnitudinis, Buda mox adferri iubet: quã ferrato claustro inuectã, vix equi circiter octogeni loco mouere poterant. Cùm has vrbi admouisset, mœnia discutit, ingentes turres proterit, & laxos vbique aditus patefacit. Contrà præsidiaria cum oppidanis turba iacturam mœniũ nocte resarcit, aggerẽ ponè murũ erigit. Insidiosa vbiq; fabrica tenditur, trinis circùm castris ciuitas obducitur, ne quo adiuuari subsidio queat. Clandestinis Imp. internunciis admonetur, tã arcta vrbẽ obsidione esse obsitam, vt nisi citò subueniant, deditionẽ omnino facere cogatur. Decem milia equitũ tertio pòst mense ab Imp. mittuntur, vt Pãnones inde repellãt: aut si id fieri nequeat, ciuitatẽ milite commeatuq́; cõpleant. Cæsareæ, vt imperatũ fuerat, copiæ aduenere, atq; occidẽte iam sole in conspectu hostiũ affuere. Præmisere currus omnes: in aduẽtu, vt agminis magnitudine copiarumq́; multitudine celarent hostẽ, ingruente nocte, vnũ tantùm lumen visum in castris, maximum vbiq; silentiũ actum, custodiæ vbiq; dispositæ. In medio tãtum interualli fuit, quantũ æneis mutuò sese machinis lædere possent. Cõtrà rex ea nocte cunctos qui ad Hamburgum ducebant aditus, impositis militum præsidiis obstruit: tormenta cuncta mœnibus admota, hostibus obtendit. relicta obsidiaria manu, reliquos equites peditesq́; Alemãnis opponit. Quamuis numero inferior esset, locorũ tamen difficultate, machinarumq́; copia vsq; adeò se suosq́; obfirmat, vt maioribus etiã viribus idẽ amoueri nõ possit. Alemanni intẽpesta nocte cũctos vrbis aditus explorãt: imposita vbiq; præsidia offendunt, tentant eiicere, irritos conatus sentiunt: mox re infecta, in castra redeũt. Cùm ex improuiso hostes affugissent, Prior Lauranæ cũ tumultuaria vexillarionũ manu his statim occurrit, multos interficit, capitq́;, ad regẽ redit, & inflãmat ad præliũ. Rex armatus conscenso equo, cũ forti animo illis occurreret, regalia signa iussit explicari. Quod vbi factũ est, signa à vento in hostes confestim intendebantur. Milites augusto succensi auspicio, vix cõtineri poterant. Cùm Alemannis appropinquassent, tota nocte machinæ bellicæ eos infestarũt. pòst vbi illuxit, ne tẽpus frustra tererẽt, desperata re, cõmuni omnium cõsensu castra retro mouẽt: & econtrario, veluti prælatis curribus pridie aduenerãt, sic postero die propositis recessere: vt si quis a tergo impetus immineret, curruli sese oppositu facilè tuerentur. Postquã Alemãnos abeuntes Vngari conspicantur, instandũ à tergo multi esse censent, cita-

Varga Mozar.

toque impetu congrediendum, ne inultos dimittere viderentur. Despotes, cui à lupo cognomen erat, longa bellorum experientia præditus, prælium cum hoste haudquaquam conferendum esse censuit, quando & numero & robore armisque longè superiorem esse diceret. nonnulli tamen regis iniussu à tergo insequuti, manumq; audacter cōferere ausi, parum prosperè pugnauere. Cùm hos pugnam iniuisse Franciscus Aristus vexillationum præfectus intueretur, ipse quoque armis abstinere non potuit. Cum delecto eos equitatu ad Prucchum vsque persequitur: & dum inter confertissimos vir fortis acerrimè pugnat, humero ab hoste transfoditur. Moses idem ausus, ac ictu graui læsus, acie excessit. Cùm illi Prucchum recto agmine contenderent, ab oppidanis non admissi, ne ibi fortè à Pannonibus obsessi, fame ac rerum inopia vnà absumerentur, in suburbanis consedere. Quicunque tumultuarium à latere tergôve prælium cōmisere, arreptis viginti curribus onerariis, nonnullisq; impedimentis, in castra redierunt. Obsidionem rex instaurat: repulsisque maiore animo auxiliis, vrbem oppugnat: disfringit mœnia, atque dies aliquot machinarum genus cessare visum: oppidani tandem ab omni ope destituti, cùm extremam reformidarent inediam, & subsidia desperarent, sese dedunt. Hamburgū igitur pridie Kalend. Octobris capitur. Quanti hæc expugnatio regi constiterit, non facilè credi potest: plerique bis centies mille aureûm prodidere. Arx quamuis dies aliquot propugnari potuisset, à præfecto tamen acceptis tribus aureûm milibus, regi traditur. Item, eodem ferè mense, cùm delectus Turcorum equitatus Sinderouiam prodiisset, vt Vngariam excursaret, & pro more cuncta diriperet, Paulus Cinisius, Despotes, Petrus Dochius, cæterique illius oræ proceres, obuiam occurrere, in campum, quem Beccher appellant, Sinderouiæ proximum. Vtrique conuenere, collatis vtrinq; signis pugna conseritur: cùm in dextro cornu Paulus præsideret, ac in læuo Despotes, ductores ambo fortissimi, circumactis equitum alis sic hostem circumuenere, vt extremis ibi viribus sit vtrinq; certatum. Turcus cedere non poterat, cùm vndique premeretur: tanto minus Panno, qui certam iam victoriam assequi confidebat. Dum ille se pertinacissimè tueri, & hic superare contendit, magna vtrinque cædes oboritur. subsidiariæ mox à tergo cohortes, ac equitum turmæ successere, vt laborantibus opem afferrēt. Cum his prælium instaurant. quò cùm omnes facto agmine Pannonum cataphracti equites confluxissent, hostes extemplo reiecti, dato tergo, se in fugam vertunt. Instant isti, & inter fugiendum magna patrata strages. Turci demum fusi fugatiq; Sinderouiam cōfugere. Tria milia in acie cæsa, capti & saucij multi: quingenti ex Vngaris desiderati. In victoriæ testimonium magnæ pars prędæ, à Paulo ad regem missa: pars quoque veluti signa, & nonnulla spolia templis affixa.

Hamburgi deditio.

Capto iam Hamburgo, quod totius Austriæ propugnaculum non immeritò dicebatur, Imperator præsidiis cætera obfirmat oppida: in primisque Prucchum hosti proximum, & Cornaburgum, quod magni in vlteriore Austria ponderis esse videbant. Matthias ingeminato animo, ne ibi tempus tereret, ac vires eluderet, Prucchum præterit, & Viennensem agrum adoritur, infestatque. Vbi Fridericum Imperatorem esse senserat, hoc non ab re factum, vt sensim & pedetentim Viennam, caput gentis exterreat. Nonnulli in suburbanis capti sunt, finitima quoque circum oppidula circiter octo, inprimis S. Vitus, Podon, & pleraque alia. Styriam deinde perculsurus, penetrare voluit. Ad oppidum igitur cui Nouæ ecclesię nomen est inditum, cum exercitu proficiscitur, quod decem milibus passuum est vltra Neapolim. Ad Sceam Viennam itineris angustia, & impositis ibi præsidiis, remoratus retrocessit, Semproniumq; peruenit. Hinc cum paucis equitum turmis, nonnullisque cohortibus militum, ad obsidēdum Kewzegh oppidum contendit, haud procul à Sempronio remotum. Id sine magno negotio capitur: reuertitur mox Sempronium, vbi dies aliquot mora tracta, ad obsidendam mox Viennam rediisset, nisi exhaustus labore miles, defatigatus equus, ac rerum inopia prohibuisset. Sæuiente ergo bruma, in Vngariam ad hybernandum copias reuocare decernit. Quare Sempronio mouens, Tatam venit.

Quid rex fecerit post captum Hamburgum.

Neukirchē.

Schaduuien.

Gunsium obsessum.

nit. Quadragesimale hîc ieiunium agitur: corpus animumque rex à belli labore reficit, recreatq́;, tertiodecimo ante Paschæ solennia die, Budam reuertitur. Ista hoc anno gesta sunt: postero multa oppida expugnata, vt ex ordine referetur. Pruchum superat, in superioris Pannoniæ Austriæq́; finibus magni momenti oppidum, quod Cæsar validissimo præsidio & quauis arte muniuerat, ratus ibi haud minus, quàm ad Hamburgū Pannonicas se vires vexaturum. Hoc tutelam omnē itineris è Pannoniis in Austriam tendentis intercipit, inhibet cōmeatus, & nemo sine præsidiario comitatū, hac iter facere potest. Stephanus Dauid, cui Hazy cognomen erat, à rege cum prætorianis cohortibus, delectisq́; huc equi-tibus primo tempore mittitur, iij obsident. Ciuitas non solùm milite, fossa, mœnibus, verumetiā optima arce, circūfluoq́; amne Leyta munita in plano sita est: ob longū pulchrumq́; præ porta suburbium. Verno tempore oppugnari cœpta, haud facilè capi poterat, quādo varia circùm munimenta prohibebant. tentata sæpe expugnatio, mœnibus admotæ machinæ, tranata aqua, superata sæpe fossa aggereq́; ad muros cominus pugnatum: adhuc tamen capi non potest: multi sub muro cæsi: qui dū audacter admotis ad mœnia scalis subire conantur, extemplo reiecti, saxisq́; sunt obruti. Iam quartus ab obsidione mensis agebatur, cū Dauid non minus ira quā verecundia percitus, extremis viribus hāc aggredi cogitet, ordines instruit, & dato signo militū ignauiam vulgò increpitans, primus com-pleta fossa murum conscendit. Præfecti exemplo milites excitantur: obstāt oppidani, saxaq́; deuoluunt. Inhibent contrà sagittarij: vrbs pari virtute vndiq́; oppugnatur. Ad obtrita demū mœnia peruentū est, quà hostis haud difficulter intrare poterat: obstant intus oppidani: & in aditibus, quos ænea tormenta fecerant, grauis pugna cōmittitur. Misera hîc cædes exoritur. In spe victoriæ instār, timore mortis obstant illi. Sex circiter horis pugnatū. Vngari tandem ingressi, vrbe potiuntur. In primo ingressu ne mediocriter quidē sæuitum, mox cædib. rēperatum. Arx autem ipsa supererat, quæ nondū capi poterat. Mensem vnum obsident: & duo de quadragesimo die præfectus arcis inedia coactus, deditionē facit. Hic annus Prucchi captiuitate insignis habetur. Insequēti verò anno, qui octogesimusquartus supra millesimum & quadringentesimum numeratur, Cornamburgi obsidio, ardua quidē & perquam difficilis ritè successit, quæ non minus hunc, quā illa superiorem effecit insignē. Vienna vrbs sanè potentissima obsideri nō poterat, nisi oppida quædā, quæ supersunt, antè caperētur. Nunquā enim illa capi potuisset, nisi suprà Danubius erectis vtrinq́; turribus, impositisq́; præsidiis occluderetur, ne quid cōmeatuum auxiliorúmve ab Alemānis secundo amne facilè demitteretur. Dauid igitur cū iisdem copiis & prętoriano equitatu, regio iussu Cornamburgū obsidet. Claustrumburgū autem, antequā Prucchum caperetur, † Pandobles Boemico genere natus, præfectusq́; equitū insignis à rege missus occuparat. Quin & oppidū, cui à diuo Hippolyto nomē est inditū, subducto ingenti mercede præfecto arcis, subinde ceperat. Dauid, multo milite, ac omni machinarū genere ciuitatem à Cæsare studiosissimè munitā esse regi significauit, pluribus ad hanc obsidionem copiis opus esse docuit: quare huc regis imperio Boemicus quamprimū exercitus aduenit. Acerrima ciuitas obsidione circumducitur: & iā fossæ mœnibusq́; hostis imminet: multæ circùm turres constituuntur, assiduoq́; præsidio munitæ: cū oppidanis eminus quotidie certāt. Ferreæ vtrinq́; glandes ac saxa mittūtur, prohibentur muro custodes, & grauiores machinę mœnibus admouētur, quibus murus obteratur, & hosti paretur aditus. Instaurāt diruta intus oppidani mœnia, & ex materia egestaq́; terra aggerē pro muro attollunt. Cæcas quoq́; fossas, ac vallū nocturno labore conficiunt, & soliciti conatus hostiles reddere nituntur. Cùm grauiter obsideri Imp. acciperet, exercitū Alemannorum haudquaquā ignobilē, mittere decernit, quo repentè soluatur obsidio. Itaque è Noricis & Vindelicis milites conducit, delectum cōparat equitatum: & exercitum obsessis opem allaturū quā ocyssimè potest, eò mittit. Alemannos postquā propius adesse rumor effunditur, obsidiaria, ne qua ex oppido fiat eruptio, manus relinquitur, oppidanos iubetur asseruare, &

Reditus in Austriam Matthia.

Dauid Hazy.

Prucchi obsidio, & expugnatio cruenta.

1484.
Cornamburgi obsidio.

†forté Pampoples.

Ad Sanct Pelten contlictus.

nihil à tergo timere docetur. Dauid cum cæteris copiis, aduersus hostes propè metantes, instructo agmine proficiscitur. Cùm in conspectu fuissent, clamor ingens effertur: & collatis vtrinque signis, manus conseritur. à principio mira vtrique ferocia concurrêre, cecidere nonnulli: qui infestis congressi hastis, equo defluxere, humique à cataphractorum equitatu miserè conteruntur. Vix in horam furor iste perducitur, cùm Alemannorum equitatus inclinatur: quod vbi Pannones & Boemi miro robore prædití cōspexere, adauctis mox animis præsenti victoria, longè maiore quàm antea impetu feruntur. Illi cùm vehemētem incursum ferre non auderent, tergiuersari occœpere, palantes deinde fugere. instant à tergo isti, ac necubi consistere patiantur, ad quintum vsque lapidem insequuntur. Castris igitur exuunt, & inter fugiendum multos intercipiunt: sed in proxima se illi oppida recepere. Dauid signo receptui dato lætus, ac ouans, cū victrici manu in castra reuertitur: vbi victoriæ lætitiam conuiuiis gratulabundisque clamoribus vnà concelebrant. in oppidanorum inuidiam exhilarantur omnes, ac insomnem noctem agunt. Contrà illi tristes & gemebundi, silentium intus agunt: & qui liberationem dudum sperabant, spe sua frustrati, taciturnum luctum exercent: demum vires ac animum ab ipsa desperatione concipiunt. Multi postquam illuxit, à vallo sub publica fide tutò loquuti, ad deditionem eos hortati sunt: quin & preces adiectæ, ne calamitosam obstinationem persequantur, quando & honori suo, ac fidei Cæsareæ satisfecerint: néve ad extremam se hostis sæuitiam reruent, dum tempus est resipiscant, & clementissimi præpotentisque principis legem accipiant. Contrà obaudire illi, & obstinatissimum silentio animum indicare: quin & inter se, iubente præfecto, coniurare, potius omnia perpeti, quàm Pannonis iura subire, cuius imperio nihil ducunt esse miserius. Instauratur itaque obsidio, at spes auxilij indies adimitur. Prælium sub mœnibus sæpe tentatum, nunquam tamen vi capi potuit: quando non pari animo certabatur. Pro laude enim commodoque illi, quippe qui indulgentissimi Cæsaris imperium pro summa libertate reputabant. Dauid autem sub mœnibus, dum prælium ciet, glande percussus interiit, à crepitanti machina tunc emissa. Hyems in castris acta. Rex fame vincendum esse censuit: quæ cùm septimo mense sæuire in vrbe cœpisset, extrema Cornamburgenses inedia laborarunt. tanta eos fames inuasit, vt equos felesque in deliciis lautissimæ gulæ censerent. Ea hyeme cùm rex Budæ hybernaret, rumor incessit, Achileiam, quam nunc Cheliam dicunt, & Nestoralbam, ad Istri ostia sitas, à Turcis grauissima obsidione premi. Stephanus Valachiæ princeps, ad quem hoc bellum præcipuè pertinebat societatis iure, ad Matthiam confugiens, auxilia petit. Rex quamuis initas cum Turco inducias habebat, neque in conditionibus induciarum per obliuionem de inferioris Mysiæ tyranno quicquam cautum erat: tamen societatis & catholicæ fidei gratia, non dimissa Cornamburgi obsidione, ingētem delectum habet, atque proceres omnes, cum nobilitate nomina dare iubet. libenter ob periculi magnitudinē, ne Achileia caperetur, nomina detulere. Magnus comparatur exercitus, & Varadinum versus iam castra mouentur. Nondum eò peruenerant, cùm tristis nuncius aduenit, de Achileia dudum & Nestotalba esse actum. Rex, qui nondum ex Buda mouerat, ne tantum frustra exercitum comparasse videretur, castra Posonium, per vlteriorē Danubij oram reuocari iubet, Comitem Stephanum, qui paulò antè *Feleston oppidum sanè munitissimū prope Rakospurgum in Styria expugnauerat, vt à citeriore Danubij parte Viennā obsideat, clàm admonet: ipse ad Pisonium castra consequitur, ibiq; dies aliquot subsidet. Stephanus datis exercitibus supplementis, mira celeritate regia mandata peragit. Sed antequam vltra prosequamur, nonnulla quæ hoc anno acciderunt, interiicienda sunt. Ab anni principio Ioānes Cardinalis Aragonius in Vngariam rediit: & cùm in vrbe Roma, repulso Ioanne Alemanno, legitimus Strigoniensis ecclesiæ archiep. pronunciatus esset, x. Kal. Martias Strigonium subiuit, & Apostolica authoritate, regioq; beneficio, metropolitana in Pannoniis dignitate potitur. Hoc etiam tempore, cùm septem Turcorum equitum

*Felestē, sine Furstenfeld.

rum milia per Coruatiam in Carinthiam,& Carniolam,ad diripienda quædam emporia erupissent,in reditu ad Hunnum amnē Coruatiæ,qui Sauū influit,abductis decem milibus captiuorum,& ingenti prǽda,à Despote Lupo,Garaij,& Matthia Bano,Comite Berardino, cæterisq; prouinciæ regulis ad internicionē cæsa sunt,& omnia recuperata. vbi Berardini Frangepanis virtus nimiū enituisse perhibetur. Hoc etiā anno Stephanus Crispus, Vrbani quæstoris è sorore nepos,Ferrariæ primùm,deinde Romæ, humanitatis studiis mirum in modū eruditus,claro itē ingenio,& profusa eloquentia prǽditus, ad Casimirum Poloniæ regem primùm legationis munus obiuit,ad quod omniū iudicio nimis videbatur idoneus. Nā aspectus huic erat vsq; adeò hilaris,faustus & iucundus, vt primo spectatores obtutu conciliaret. accedebat summa comitas, item compta & suauis oratio, nec non ingenita quædam probitas, cum incredibili humanitate cōiuncta, vt vel inuitum hominem amare cogat, vel infestissimum quemq; animū vincat, vel implacabilē exoret: neq; deest animi magnitudo, libertasq; loquendi: & mens simplex, nullius mali conscia: insuper animus ad benemerendum semper intentus, nec iracundiæ, nec inuidiæ expositus. Hunc etiam annum Petri Colociensis archiepiscopi captiuitas fecit insignem, quod non sine maximo omniū procerū stupore accidit. Primus hic erat principis secretarius, qui solus dicendi libertate apud eū omnia liberè loquebatur. Damnabat insolentia palàm tributa, quæ ter quaterve quotannis ob ingentia diuersaq; bella à rege imponebantur, quas Dicas appellant, quibus non modò domesticatim, sed viritim, aureum quisque nummum pendere cogebatur. Id vulgo & apud principem sæpius improbauit. Præter linguæ libertatem, qua maximi quandoq; viri se tangi sentiebant, factiosa quædam accessit æmulatio, huius gratia inter principes exorta: qua regis animus offendebatur, quamuis eum alioquin diligeret & obseruaret. Commotus tandem rex, aut coercēdæ libertatis gratia, aut vti dilectissimi exemplo amici cæterorum audaciam procerum deterreret, hūc præter sacrosanctam metropolitę dignitatem, in carcerem sanè coniecit. Sed honestissimè per arces regias asseruatus, annos sex circiter linguæ suæ pœnas luit. Itē eodem anno Vrbanus quæstor, inuidorum obtrectatione parū abfuit quin carcerem subiret: sed innocentiæ, probitatis ac fidei spectatæ ratio virum integerrimum, regiq; commodissimum, periculo liberauit. Quinetiam regina & Cardinalis Aragonius frater intercessere, ne insontē virum, sine quo rex commodè viuere non posse videbatur, indignè liuor alienus opprimeret. Id Matthiæ vitio quandoque datum, obtrectatoribus delatoribusque fuisse paululum obnoxium, & hinc in amicos plerunque sæuitum. Nimia, qua eos beneficētia prosequebatur, & pro delatorum suasu læsa charitas, in criminis huiusce regij causa fuit: atque læsa fides, in exigendis plerunque pœnis immodica esse solet. Explorata quotidie Vrbani probitas, & inaudita cum integritate patientia, item ingenij dexteritas, laboriosum obsequium, & inaudita prudētia, nullum criminibus locum reliquit. Multi illud de Vrbano memorant, quod in Hamburgi obsidione accidit. Cùm rex pecuniis & defecto iam exercitu nimium laboraret, qui maxima supplementa postulabat, ab vrbe Buda Quæstotem acciri iubet, necessitatem aperit, & maxima cœpta patefacit. Postremò nil aliud hominem dimissurus inquit: Vrbane mi, quod nobis opus est, id pro industria, fide, diligentiaq; tua cura, prospiceq;: & tu consiliorum triumphorumq; nostrorū, ministeriumq; auxiliumque vale. Quinquagesimo pòst die, militum quinq; milia in regia castra misit: quos rex si in Vngaria delectum habuisset, cogere nequiuisset. Cùm & celeritate, & beneficij magnitudine opinionem ille regiam superasset: Vniuersa, inquit, talem virum Vngaria centum annis fortasse non genuit. Ex eo tempore, tanta in Vrbanum regiæ pietatis & beneficētiæ facta fuit accessio, vt hunc præ cæteris virum amauerit, cunctisq; honoribus & commodis excoluerit. Sed ad diuerticulum reuocetur oratio. Cùm rex Pisoniū vesaniente bruma venisset, quò exercitum paulo antè præmiserat: hinc à Comite Stephano fauente sæuitia hyemis ad occupādos Viennæ pōtes, eorūq; præsidia: hinc ab his qui Cornam-

Hun fl.

Stephanus Crispus.

Petrus Colocensis captiuus.

Vrbanus quæstor.

Matthiæ vitium.

burgum obsidebant, ad capiendam ciuitatem excitabatur: vno tamen tempore vtrumque præstitit. Proinde xv. Kal. Februarias Pisonium cum exercitu proficiscitur: & (vsque adeò increbrescente frigore, vt accensi duodetriginta præ rigore brumæ coleos amiserint) ad Cornamburgum peruenit. Oppidanos percõtatus, ânne adhuc sese dedere vellent? Nondum tempus esse, respondere. missuros ad Cæsarem, si aliam opem implorare possint: sin verò denegabitur, ciuitatem continuò dedituros. Dati super ea re dies aliquot. Interea ne tempus frustra teratur, instaurata obsidione, Danubium sæua glacie rigentem sicco pede superat, secum prætorianos equites & cohortes ducit, Claustramburgum proficiscitur. Subsedit hic dies aliquot, mox ex composito per Danubium itineris cuiusque grauissimi tolerãtissimum, ad Viennę pontes quadrato agmine descendit. Ex tribus ibi præsidiis, quæ ciues imposuerant, duo in insula eo die expugnat: tertium quod ad caput pontis ex parte continentis erat impositum, quæ ad Morauiam spectat, expugnare non potuit. duabus turribus, quas eo die ceperat, præsidia sua imponit. Deinde vtroque ponte potitus, & sat eo die fecisse ratus, retro pedem refert. Item iter emensus ad Cornamburgum & sua castra reuertitur. Desperatis tunc auxiliis, Cornamburgenses iam inedia absumpti, deditionem vltrò fecere. Capto igitur Cornamburgo, quod Viennæ propugnaculum esse videbatur, & impositis ad Danubium vtrinque præsidiis, ne quid demitti posset comme atuum: rex cum viribus vniuersis ad obducendam arctissima obsidione Viennam descendit. Die qua diui Pauli conuersio celebratur, à parte quæ ad Claustrumburgum pertinet, vt ex auspicato obsidionem iniret, castra locat: quæ verò ad Podon spectat, comitem Stephanum paulo antè metari iusserat. Exactis Paschæ solennibus, accitus ex inferiore Pannonia dux Laurentius, inter cæteros proceres genere, animo, opibusque præpollens, & à principe filij loco semper habitus, cum maximo exercitu aduenit: & præter Danubium ab Vngariæ parte castra ponere iubetur. A parte Morauiæ, quæ ad Septentrionem respicit, prærepti dudum fuerant à rege pontes, & potissimus rei frumentariæ aditus obstructus. Præsidium, quod in continente supererat, locatis subinde castris, xvi. Kal. Aprilis facta deditione recipitur, & eo quidem die, quo sic insignis fuit solis eclipsis, vt stellæ multæ cõspectæ fuerint. Multi quoque illum solis defectum Cæsari infaustum fore prædicarunt. nec ab re quidem: quando eo anno, qui octogesimus quintus vltra quadringentesimum & millesimum numerabatur, Viennam Austriæ metropolim cum maxima patrimonij iactura Imperator amisit. Cùm igitur ab huius anni principio, haud inconsultis sideribus & auspiciis, rex Viennam obsidere cœperit, quo infesta Friderico astra esse nouerat: huc animum vniuersum intendit, vt indomitam hactenus Pannoni ciuitatem, præterea florentissimam & opulentissimam, aut vi, aut inedia domitet. Sciebat enim, si superbissima vrbe potiri poterat, id perpetuum victoriæ monumentum omnino futurum. A superiori parte proximum vrbi castellum erexit, id ipsum cætera castra facere iubet. Suburbana deinde oppugnat, & diripit: eximias, amœnissimasque villas miles circumpopulatur, & incendit. Nemo ex vrbe prodire audet: quæ innumera multitudine completa, iã fame sæuissima laborare cœperat. Defectis plebeię gulæ alimentis, ad impura & interdicta descendere necessitas adegit. In macellis & popinis equi carius opinione veniere: clàm nec felibus parsum, nec muribus. Interea rex nunc suburbia, nunc ab insula Danubij mœnia tentare, quotidiana ciere prælia, quandoque circumire solus cum accenso mœnia, & ciues nonnullos alloqui, mirari milites principis securitatẽ. Rex castra sua, quæ in superiori parte locauerat, secundum Laurentij ducis aduentum, extemplo reliquit. Petrũ Garaij consobrinum fratrem his præfecerat, & se cum aulica manu in Laurentij castra redegit. nullo vnquã cessasse die visus est. Inter obsidendum, cum prætorianis copiis ad expugnandum Eberstorphum proficiscitur, matronæ cuiusdam nobilissimæ oppidum, & summa solicitudine, sumptuque munitum. quod cùm obstinatissimum & nefarium scelus ausum esse vidisset, non indignas ab authoribus pœnas exegit. Cùm præ mœnibus castra posuisset, & in humili domuncula

gum

Cornamburgũ capitur. *Vienna obsidio.* *1485.* *Eberstorphij expugnatio.*

10 20 30 40 50

cum proceribus quibuſdam & familiaribus accubaret, emiſſa ab oppido ferrea glande, paries ex terreſtri incruſtatione transfoditur, & parum abeſt, quin rex ictu ſulphureo tranſuerberetur. Conſtans & intrepidus ipſe perſtitit: cæteri præſenti periculo conſternati, vbi reſpirarunt, id malo dolo & ſumma perfidia factum muſſitarunt. Paulo pòſt oppidum expugnatur, milites præſidiarij in captiuitatem militarem accepti. Data matronæ venia, Hiereſlaus ſcriba eius, ac Boemicarum rerum procurator, intentarum regi inſidiarum poſtulatur, & maior indies de hoc ſuſpicio ſuſcitatur. Crimen rex diſſimulat, ad Viennam domitandam incumbit, obſtruit delatoribus aures, & ad pacatiora quærendum crimen tempora differt. In caſtra reuerſus, vineas, turres, crepitantes machinas, ac cętera tale genus muris admouet. Vnum è ſuburbiis noctu vi capitur, incēditur magna ex parte, vbi non mediocrem plebes iacturam feciſſe dicitur. Ciues hinc omnes animo conſternati, quia optimum ciuitatis membrum interceptum eſſe conſpicantur: Rogatus Cæſar, vt his auxilium mitteret: Patiantur, inquit, eam Viennenſes inediam, quam ſuum quōdam principem in arce obſeſſum perpeti coegerunt. Quin & portis quotidie inſultabat hoſtis: & quàm maximè, qui in ſtationibus inſulanis verſabantur. Vario in Danubij ripa euentu pugnatum. Semel Vngari hac mœnibus propius acceſſerant, ſed ab erumpente ex vrbe multitudine reiecti, interdicto ponte, cùm ſe in inſulam recipere nequirent armati, ſub vndis humo reptantes, remenſo vado in tutum rediere. Laudata nimis militum audacia. Viennenſes tandem ab omni auxilio deſtituti, execrabilique fame adacti, Kalend. Iunij Matthię deditionem haud ſine perpetua Cæſaris ignominia, fecere. Ingens eo die terræmotus fuit, quo quidem oſtento ſignificatum eſſe regem vrbe non diu potiturum, ibique diem nouiſſimum obiturum. Rex ouans pridie feriarum diui corporis Chriſti, Viēnam ingreſſus, quem Stephanus Comes Scepùſienſis, Petrus Garaij, dux Laurentius, & plerique Boemorum, Pannonumq; proceres in palmata veſte ſequuti ſunt. Poſtero die Beatrix regina, occurrente omnium ordinum multitudine, ac turmis equitum, ſingulari pompa vrbem inuecta: ibi, ac in proximis oppidis, milites æſtiuarunt, refecerunt, recrearuntque corpora, longo belli labore defatigata. Vrbem omnium rerum copia compleuit. Priuilegia nonnulla ciuibus pro voto conceſſa: ſex circiter menſes Viennæ acti ſunt. Interea non omni ex parte ceſſatum. capta namque Vienna, Comes Stephanus cum duabus legionibus, nonnulliſq; proceribus, Neapolim, Viennenſis ſanè pulchritudinis æmulatricem, obſidere iubetur: ne quid in Auſtria magni momenti planè ſuperſit, quod ſuum Imperium nuperrimè partum interturbet. Ipſe cum regina, ſine qua nihil domi militiæque moliebatur, ſexto pòſt menſe Vienna receſſit, Budamque pridie natalis Dominici peruenit. Verùm illud quoque memoria dignum eſſe cenſemus, quod de ipſius inſidiis paulo ſuprà dicere occœperamus. Rex vrbe potitus, vt in proditores, parricidas & inſidiatores quæreretur, edixit. Nam inſidias ad Eborſtorphum ſibi tentas obliterare non poterat. in Hiereſlaum, comperto indice, primò quæſitum. Scriba regi perquam familiaris capitur, coniicitur in vincula: & in quæſtione poſitus, ſe clàm illius oppidi præfectum admonuiſſe confeſſus eſt, eum obſidionis periculo alio modo liberari non poſſe, niſi accubantem in proxima domuncula regem glandiuomo tormento petat. Item, ne falleretur, ictus locum præſignaſſe regiæ ſellæ in ſcopuli ſpeciem. In Viennenſi quoq; obſidione, ſub adulterinis literis clàm ciuibus è Morauia, Boemiaque, commeatus ſæpe miſiſſe. Paulo pòſt eadem rogatus, dicere, ſe præ cruciatibus iſta fuiſſe confeſſum, & ne capitis reus eſſet, ſui conſcius, extra quæſtionem nihil de confeſſione affirmare. Hac demum cauillatione vti, equuleo ſe reſiſtere non poſſe. Item, inſontem eſſe, & nihil vnquam in dominum de ſe optimè meritum fuiſſe molitum: demum, mori malle, quàm ſupplicia morte grauiora perpeti. Rex, qui facinus ſat compertum habere dicebatur, per internuncium & præfectum carceris eum admonuit, vt ſi veniam poſtularet, ſe non denegaturum eſſe pollicebatur. Cōtrà ille, ne criminis regiæ Maieſtatis reus eſſe videretur, nunquam

Fortitudo oppugnantium.

Vienna capitur à Matthia.

Neuſtatt.

adduci potuit, vt sibi supplicaret ignosci, capitisq; supplicium deprecaretur: capite mulctari maluit, quam ex veniæ petitione, precariaq; vita, pro confesso haberi, ac tanti facinoris infamiam sustinere. Commotus hac obstinatione princeps, ritè de eo iudicium haberi iussit: &, antequam ille Vienna discederet, cõuictus ille capitus, in forum educitur. Æquis scribæ mortem oculis Viennensis populus spectare non poterat. Multi lictorem clàm admonebant, ne lethali vulnere sæuiret in ceruicem. at ille, siue ex composito mercede dudum adactus, siue casu, ceruicem haudquaquã amputauit: ictum ex media ceruicis parte in humerum deflexit. Cùm repetere vellet, saxis à populo petitur, in fugamq; stricto ense conuersus abiit. Hiereslaus in proximas ædes translatus, è profluuio sanguinis, paulo pòst animam efflauit. Pandobles, fraternæ mortis indignatione, ad Cæsarem transfugit. Hic fuit infelicis scribæ exitus. 10

RERVM VNGARICARVM DECADIS QVARTÆ LIBER VII.

MATTHIAS igitur, Vienna semestri obsidione capta, cũ Budam venisset, creberrimis populorũ precibus reuocatus, (quia regnum absentia regis, latrociniis & iniuriis infestum sanè reddiderat) nihil profectò eo fuit antiquius, quàm crimina purgare, optimis legibus & institutis instaurare Rempub. quæ legum veterum indulgentia, nimia scelerum fœcunditate laborabat. Octogesimus iam sextus annus agebatur, supra millesimum & quadringentesimum, cùm hæc quæ sequentur, Budæ rex moliri re- 20 perit. Capta namque Vienna, quinque tantùm annis ille superuixit, ne diutius ex terræmotus ostento victoria potiretur. Inprimis Quæstorem Vrbanum, & Emericum palatinum, quos & amare & obseruare videbatur, in colloquium admisit. Ioannem Varadiensem episcopum, supremum ea tempestate cancellarium adiecit, vt de indicendo Budæ conuentu ritè decerneret. Quin & Thomam † Dragi, prætorem regni, quem non multo antè tempore legatum ad Sixtum pont. miserat, è sententia cuncta mandata cum summa laude ac munificentia peragentem, item maximi callidissimique ingenij virum, & ad maxima quæque negotia natum, præterea Scythica lingua nimis eloquentem, seorsum alloquitur, percunctatur mores hominum, & de abrogandis, iubendisque legibus cum homine verba facit, vt qui multos in Vngaria annos ius dixerat: ex eo quæcunque opus essent, & quàm graui scelerum mole Pannonia laboraret, intellexit. Demum senatus habetur: ex patribus & proceribus nemo fuit, qui regni mores non abominarétur, & renouandas leges non censeret. Quare conuentus, quam diætam appellant, optimatibus, populis & nobilibus ad Calendas Ianuarias indictus: ad statum omnes diem conuenere: nec parum quidem temporis absumptum, quando rei moles ita postulabat. Ibi sanctiones editæ, ac regia & senatus autoritate munitæ: inprimis Palatinale iudicium abrogatum. Et quando Vngaria in conuentus diuisa est, quos comitatus appellant, cuique in flagitiosos latrones, sicarios & fures animaduertendi potestas facta: vt præsidente conuentus præfectò, de grauissimo quoque reo perorata causa, supplicium sumatur: & palatinales proclamatæ, vt aiunt, congregationes, ad declinanda, quæ accidere solebant, scelera interdictæ. Octauæ, statis temporibus bis quotannis, non sine iudicum designatorum, vicariorúmve præsentia indictæ. Idipsum Transyluanis, Sclauonibusque præceptum. Ad inhibendam iudiciorum æternitatem lex promulgata, vt omnes causæ in quatuor tantùm Octauis definiri debeant, vltrà prorogare non liceat. Causis etiam insinuationum modus impositus. Ad intercipienda litigantium subterfugia, Octauarum tempore prorogationes regiæ Maiestatis omnibus abolitæ, nisi qui vel peregrè profecti, vel in castris, muneribusque publicis occupati fuerint. His in tribus tantùm Octauis indultæ prorogationes: in quartis autem causas definire

1486. (margin)

† Al. Dragfi. (margin)

30 40 50 (margin line numbers)

Octaua instituta. (margin)

Quarta. (margin)

definire coguntur. Quinetiam absentibus, quibus parentes, fratrésve domi vnà viuentes fuerint, exceptio nihil illa suffragatur: prorogationes autem falsò impetrantibus, vel allegantibus, linguæ emenda proposita. Item, in quoq; conuentu præses eius, ne solus ius dicere videatur, è nobilitate octouiratus, decemuiratúsve, magistratum quotannis creare iubet, quibus in tribunali coniudicibus vtatur. Munus hoc recusantibus, statuta mulcta, & in falsitate deprehensis humanitatis & honoris iactura, ex lege tributa est: quando & centum, & vigintiquinque aureorum adiecta mulcta. Cùm nobiles iudicia exerceant, & olim a plebe ipsi iudicari solerent, ne præposterè superioribus inferiores in dicẽdo quandoque iure præessent, lex lata, vt in causis nobilium potiores è nobilitate iudices crearentur. Testimoniis, exequutionibusque sacrorum collegiorum & conuentuum, modus præscriptus est, & ad Sigismundi regis morem reuocatus. Periuris & falsariis sacerdotibus pœna grauis imposita: nam sacro extẽplo munere abdicari debent. Abbates & præpositi, qui seueriori vitæ se alligarunt, in testimoniis, cæterisque rebus, à suæ religionis institutis nunquam desciscere iubentur. Episcopis quoque mandatum, vt singula suæ diœceseos collegia sacerdotum bis quotannis recognoscant: si absfuerint, per vicarios boni pastoris officium resarciatur. Item consensus & voluntatis euocationes inhibitæ, quando corda hominum nemo præter Deum intueri potest. In publicis quæstionibus agendis pristina consuetudo seruata: itidem etiam in euidenti recognitione. In exequendis quæstionibus hic ordo traditus: Si ex quorumuis relatione sic querelæ, veluti factæ fuerint, reperientur, non reus, vt ex more hactenus factum est, se purgare, sed actor suo coniuratorumque suorum iuramento, prout rei magnitudo & ex iudiciis deliberatio postulabit, actionem munire debet: & vsque adeò, vti si de illatis damnis agatur, iuramentum pro regni more sibi adiudicetur. Quod si sat probasse videatur, nondum reus potentiæ gratia conuictus esse dicatur: sed centum aureis iudici & actori æquè diuidendis, ipse mulctetur, aduersariumque præstet indemnem. Sin autem diuersa vtrinque testimonia fuerint, tunc iudici liberum est, an actorem pro illatis sibi damnis iurare, an reum potius se purgare velit. De illata vi, qualiter inter actorem & reum in iudicio sit agendum, ritè præscripsit, & testimoniis, approbationibusque inducendis modum instituit. Item etiam, & innocentiæ tutandæ, & his qui vi impulsúve alieno, aut necessitate aliqua peccarunt, prospectum, in quibus quid iustum & æquum sit, iudicem obseruare iubet. Depulsionibus quoque cauit, ne iustieia interturbetur: & trinoforenses proclamationes aboleuit. Cùm Vngaris mos esset, deficientibus vtrinque probationibus in quoque negotio, singulari certamine causam definiri: quod absurdum est, ac cæteris foris inauditum: lex inde lata, qua vbique poterit, quàm in militari foro, duellaris dimicatio antiquata est. Item edictum, grauissimam quamque causam ad quartas octauas terminari oportere. Nullus etiam è iudicibus, quos Protonotarios seu Magistros appellant, neque prætor qui his præest, & regiam Maiestatem persona refert, extra tribunal sine collegis vllam ferre sententiam, aut edicta literasque vllas emittere priuatim potest. Omnium qui propriam iurisdictionem detrectarant, vtque à rege tantum iudicari possent, impetrarant, priuilegia sunt antiquata, præterquam perpetuorum (vt aiunt) comitum, qui diuorum regum beneficio à cæteris tribunalibus asserti, regali tantùm iudicio sunt obnoxij. Cauit etiam, ne quid bonorum malo dolo aut iniquè impetraretur: vt bona à regia Maiestate collata nemini accipere liceret, donec præfectus, iudicesque conuentus, illa alieni iuris esse iudicarint: Si quis bonorum huiuscemodi possessionem vi obierit, iudici, vniuersóq; conuentui repellendi eius potestas data. Quinetiam in donationibus clausulam illam, de manibus regiis, quam tanti momenti esse censebant, irritam esse iussit. Item, superiores bonorum omnium donationes, quæ iniuria, & præter regni morem data fuerint, edicto publico rescidit. Ad coercendam fœneratorum auaritiã sanxit, vt oppignorata bona, quæ vsusfructus gratia satisfacientib. non redduntur, in primis octauis perorata causa, dominis

Testimoniorum vsus.

Illata vis.

Duellaris dimicatio.

Clausula manuũ regiarum.

fine fœnore, primaque sorte, redderentur: quin & pto vsuræ mulcta fœnerator aduersario tantum vltrà soluere debeat, quâti oppignorara olim bona extimentur. Querentibus & proclamantibus, iura possessionum ad se pertinere, quæ ad fiscum defectu hæredis recidisse creduntur, iustè prouidit: item, etiam regiæ donationi aduersantibus. Matronarum dotes saluas, ac ratas semper esse voluit. Sacrarum quoque potestatum & magistratuum auctoritatem, si quid sibi cum nobilitate rei foret, ne actor in reum videretur habere imperium, hac re duntaxat coercuit aliquantulum, ne inconsulta regia Maiest. in nobiles ex anathemate sæuire liceret. Cùm negotiatores, atq; alij, tutò per regnum vagari non possent ob creditorum sæuitiam, qui debitores, aut alios pro debitoribus in foro sistebant: optimè cauit, & vtrisque prospexit.

Militaris disciplina. Damna quoque proceribus, & nobilitati, quacunque per Vngariam iter faciant, sunt inhibita. Item, cuique pediti, equitive edictum est, vti commeatus & pabula vendentibus vbique satisfaciant: si vi rapiant, apud iudices conuentus, regiámve Maiest. pœnas luant. Quin & copiæ regiæ in faciendo itinere, si quid vi ceperint: præfectus, qui audaciam non represserit, delatus, pro illis cumulatè satisfaciat. Item, ne quis soluto iam exercitu, & data missione, in alienis possessionibus immoretur, qua re damnum inferat: ita cautum est, vt quicunque ex militari mora detrimentum acceperint, ab eorum præfectis præstentur indemnes. Quod si quam in dicendo iure, conuentus, iudices, præfectúsve, ignauiam negligentiámve præstiterit, apud regiam Maiest. prouocare liceat, illaq; læsum indemnem prestare debeat.

Rogationes ad cæteros. Rogatio quoque in Polonos & Venetos promulgata, qua his nemo bonorum quicquam vendere, aut oppignorare potest. Facinorosam quoq; clientium audaciam coercuit. sic enim legem tulit: Quòd si qui clientes in aliquo munere à patronis constituti, facinora in alios iniqua patrarint, pro his patroni, patefacto scelere, apud conuentus præfectum læsis satisfacere debeant: sin verò nullo in munere fuerint, sed domi suæ patronorum stipendio fruantur, ipsimet apud forum conuentus proprij pœnas luant, nullamq; opem à patronis accipiant, neqi patrono cuiquam his afferre patrocinium liceat.

Patroni. Quin & patronis data potestas, vt clientes, qui alios vi iniuriáve aliqua affecerint, aliquáve facinora patrarint, aut malæ dispensationis rei aufugerint, reddendámve rationem administrationis detrectarint, contempto priuilegio nobilitatis, & immunitate concessa, in vincula coniicere, & ad satisfaciendum cogere liceat: si verò iniquè captos, cóiectosque in carcerem illi causentur, citato in ius patrono in primis res octauis diiudicetur. Si cliens, & familiaris ad alienum patronum transfugerit, seruitioq; alligarit alieno, ille mox eum dimittere debet: quod si nõ fecerit, duplices pro eo pœnas pendere teneatur, & in primis res octauis agatur.

De portorum. Ne portoria plus æquo vbiq; exigerentur, conuentuũ præfectos cum potioribus nobilitatis recognoscendis viis, pontibus & aggeribus præfecit. Rusticos, qui antehac ex aliis pagis ductis vxoribus denarios quadraginta portitoribus soluere cogebantur, item tonsores & sartores eadem pendere coactos, ad viatorum portoria longè leuiora redegit.

Sigismundi edictum cõfirmatum. Sigismundi regis edictum olim antiquatũ in vsum restituit: Ne quis gubernator, præfectúsve prouinciæ, palatinúsve in basilicas, abbatias & præpositutas à diuis quondam regibus fundatas, donatasque, aliquid audere, disponeréve possit: quando ad regiam tantùm potestatem sacra hæc dispositio pertineret. Qui furem, homicidam, latronem, facinorosúmve quemuis captum vltrò dimiserit, parochiali iudici pro eo homagium soluito, læsisque satisfacito.

Villicorum abductores. Villicorum abductores, vnius anni apud conuentus præfectũ patronis reddunto: si recusarint, pro eis homagium soluunto. contrà patroni villicos transmigrare volentes, sine vi vlla dimittunto. Qui malo dolo varia causati, villicos remorantur inuitos, sex & triginta pro villico quoque aureos expendunto.

Decimatores. De decimis quoque exigendis legitimè cautum: Decimatoribus præscriptus est modus; hortus, cellaq; vicatim vinaria interdicta. Rustici qui decimatorium ministerium obeunt, immunes esse iubentur. Decimarum controuersias ad regnum,

Rom. forũ. & è Romano foro, ad regale tribunal reuocauit. Insuper Romanum forum re-

gnicolis

gnicolis omnibus, item optimatibus pontificibus, præpositisq; interdictum. Decimarum iudiciũ regiæ tantùm Maiest. conseruatum. Potestati quoq; regiæ ius præscriptum est, ne quem ex prima querela delationóve, procerúmve consilio damnet, aut ignominia & perfidiæ crimine notet, donec a conuentus præfecto, eiusque nobilibus rem veram liquidò fuerit edoctus. Aduersus perfidos, infideles, ac sceleratos sanctio quoq; non magis grauis, quàm mitis, edita. Reos violatæ regiæ fidei dies tantùm quindecim sine mala fraude domi tenere: interim pro eo supplicare, innocentiam tueri: item ad regem tutò adducere, abducereque quisque potesto, vltrà non licito. Quicunque aduersus ausus fuerit, reipub. hostis habetur, domus & fortunæ ad ærarium rediguntο. Fures, sicarios, homicidas, latrones, incendiarios, alienarumque literarum & monetarum adulteratores, domi nemo excipito: qui exceperit, querenti, conuentus præfecto, iudicique tradito. Qui facinora defenderit, contráve fecerit, domus & fortunæ fisci extemplo suntote. Qui pro his arma sumpserint, quas illi debent pœnas expendunto. Fodinas auri, argentiq;, item salis, aliorúmve metallorum, quæ in priuatis possessionibus reperiuntur, rex citra compensationem æquam non accipito: si nihil rependere voluerit, earum ius omne, fructusque domini possessionum esto. Tribunal Comitum Zagoriç ad Varasdinum, antiquatum: conuentus huiusce incolæ Sclauonum procerum tribunal petere iussi sunt. De his qui homicidium ex dedito studio patrarunt, ita sanxit: Quicunque hominem interfecerit, capitalis esto: si aufugerit, vbicunque deprehendetur, ex regni cõsuetudine conuentus ipse præfectus iudicesque de eo pœnas sumunto. Si verò non ex industria, sed forte fortuna, ex inopinatóve quem necauerit, reo, cæsique cognatis componendæ causæ potestas esto. Ad quodque tribunal quicunque conuictus erit, extemplo adurgente iudice, si recusarit, iudiciorum onera, & litis expensas ex more rependito. Ad inhibendas futiles friuolasque appellationes edictum, quicunque ad Maiestatem regiam prouocarit, si succubuerit, geminatas litis expensas, geminata quoque iudiciorum onera pendito, omnisque remissionis expers esto. Qui autem iniusta iudicia queritur, haudquaquam inreuerenter ad Maiestatem regiam, palatinum, prætorémve prouocato: si cesserit, succubueritque, eas, quas illi damnati debuissent, pœnas expendito. De conuictis in iudicio capitis, Lodouici regis edictum instaurauit. id tale fuit: Conuictus quisque capitis in iudicio, mox ad iudicem in vincla conijcitor: dies tres concordiæ gratia detinetor: re incomposita, in aduersarij manum traditor, vt legitimè ab eomet pœnæ exigantur, quà à corpore cum rebus in eo deprehensis iure dari possunt. In vxores, liberos, sorores, cognatos, possessionesque nihil vltrà animaduerti possit. Si iudex concordiam patrarit, omni iudicij emolumẽto in hac re careto. Illud quoq; adiectum relegi: Filius pro paterno facinore nec corpore, nec re pœnas vllas luito. Vicis sacris, religionive addictis, absq; priuilegio regiæ Maiest. possessiones vllas tenere non licito. Qui sedem iudiciariam violarit, mox aureos centum expendito. Per conuentus omnes, qui iuri dicendo præsint, disponuntor. Haud incõsulto senatu rex præfectos, ex proprio quemque conuentu deligito, qui vnà cum iudicibus è nobilitate creatis ius dicat. Nemo eques, pedésve, templorum ostia præfringere, aut quicquam hinc rapere audeto. Si qua sacellis vis illata fuerit à milite, præfectus turmarum cohortiúmve pro his pœnas dato, possessionesque illius ærario cunctæ ceduntο. Si rerum inopia iusserit, accito statim pagi iudice, sacerdotéve, cõdita in templo cibaria præstituto æquo precio militi venduntor. In coercenda presbyterorum auaritia edictum Caroli regis, de sepulturis, restitutum, quod tale est: Archidiaconorum, & plebanorum nemo, præter vsitata funeralia, vltra quicquam exigere pro sepulturis audeto: si exegerit, sacris extemplo beneficiis abdicator. Item imperatum, vt communes cuiusque conuentus impensæ, è collata pecunia persoluantur. Item, vt neutra litigantium pars armata iudiciale forum adeat. Quin & nundinas, mercatus ac fora, inermia Matthias esse voluit. vt iudicia tuta integráque seruaret, edixit. Quicunque optimatum nobi-

Perfidorum pœna. *Fures, sicarij, &c.* *Comitatus Zagoriæ.* *Homicida voluntarij.* *Appellationes futiles.* *Conuicti in iudicio.* *Auaritia presbyterorum.* *Mercatus.*

liúmve, præfectum iudicij, vicariumque eius in dicendo iure ac exequendo impedierit, infidelis esto. Qui seruos villicosque habuerit, qui iudiciorum officium interceperint, eosque quamprimum in manum præfecti non tradiderit, centenis aureis mulctator. Iudices ordinarios, legitimosque definiuit: vtputa palatinum: prætorem, quem iudicem curiæ nominant: secretarium, vt aiunt, cancellariúmve. Prætor autem post palatinum, præsentiam regiæ Maiestatis refert: ipseq; cum protonotariis dicendo iuri præest. Alios autem, veluti tauernicorum magistrum, & Vaiuodas (vt aiunt) banosq; Sclauoniæ, inter ordinarios regalis fori iudices adnumerandos esse non censuit. Quicunq; temerè inaccersitúsve istorum curiam intrarit, cētenos auri nummos soluito. Causidicis quoque causarum numerus præfinitus: quippe quibus supra quatuordecim hominum lites suscipere non licebat. Qui autem priuilegia populatione, raptu, incendióve amiserit, ad sexagesimum vsq; annum gestarum rerum nobilium testimonio comprobationeque vti liceat. Præterea illud, Nemo iudex iniuratus suum munus obito. Præscripsit etiam iurisiurandi formulam. Præstitutus quoque redimendis capitularibus, conuentualibusque literis, atque etiam curialibus, vt aiunt, modus est. Sed de legibus nouisque sanctionibus hactenus.

Persona regia præsentia. *Bani Sclauoniæ.* *Causidicorum numerus.* *Iurisiurandi forma.* *Literarum redemptio.*

Verùm enimuero nō modò nouas leges ac edicta tulit, sed viuendi mores Matthias Beatricis aduentu sanè mutauit. Pannonibus regibus mos erat, cum proceribus & nobilitate familiariter viuere, aditum negligentius asseruari, multas mensas sternere, inter optimates amicè discumbere, inter prandendum patere fores, mendicos rogatores admitti: congiario eleemosynam impartiri, faciles omnibus aures adhibere: secundo vt plurimùm pane vesci, omnibus vel miserrimæ fortunæ hominibus regis aditum patere, viuere incultius, ne humilia quidem fastidire atria, insanos sumptus in clarissima bella erogare, magnifica contemnere ædificia, domi parsimoniam, foris magnificentiam & liberalitatem amare: populare præstare ingenium, & benignum: his demum moribus omnium sibi gratiam conciliare. Priscorum ergo regum vestigia sequebatur. quin & comitate, industria, & ingenij dexteritate in quoque officiorum genere præstabat, ne plus gestarum rerum magnitudine, quàm vitæ imitatione, eorum quenquam præstantissimū adæquare videretur, ne dixerim superare. Ad promerendam procerum ac militum beneuolentiam sua liberalitas, clementia, popularitas, & beneficentia promptum effecerat, vt à cunctis ex animo coleretur. Cum optimatibus & præfectis militum ita quandoque domesticè versabatur, vt suauissima hac cōsuetudine sibi omnes obstringeret. Nullo benignitatis & liberalitatis officio poterat expleri. Non solùm proceres, nobiléve milites officij gratia, sed gregarios quoque visitauit. In castris ægrorum charitate cōtubernia lustrauit, sæpe languentes propria manu pauit, ientaculaque porrexit: hortabatur ad conualescendum, increpitabat pusillanimes, & desperatos cōsolabatur: sæpe in acie vulnera obligauit. Ex hoc igitur officij genere mirificam omnium fidem sibi comparabat. Quinetiam gloriabundus sæpe retulit, se Nicolao Bosnæ regi, cùm per officium visitasset, ægrotanti pedum digitos interfricuisse. Item, amicorum sæua nausea laborantium, inter visitandum perhumanè succurrisse: ac veluti regiæ dignitatis immemor, & expers, stomacho fluctuantis caput sustinuisse. Omitto sales, quibus defectos obfirmabat animos, & mortuos ab inferis reuocabat. Inter amicos quandoque licentiore symposia & comessatione lautiore vsus est, vt curas abigeret. Cum Mysiis, & Ratianis, cum Boemis & Alemannis, cum Vngaris & Cumanis iuxtà versatus, domi militiæque negligenti corporis custodia vsus: fides tamen omnium, & quàm maximè militaris, id effecerat, vt publica ipsa cura & solicitudine muniretur. Pro stipatoribus omnes certatim corpus eius peruigili quisque custodia asseruabant. Nulla domi gemmata pocula, nec chrysendeta, myrrhináve, nullis atria aulæis vestita: nullus, vel si quid, rarò videbatur, & ipse quoq; incultus, ac rudis apparatus, sordidæ in quadrata mensa mappæ, cultus omnis ad equos & arma translatus: ibi aurum, gemmas & argentum gestare mos erat: item excolere comas, gemmata serta

Quomodo vita mores etiā aduentu reginæ mutauit. *Matthiæ humanitas.* *Simplex Matthiæ pompa.*

ſerta geſtare, habitu lautiſſimo vti, qui trabes Romanas exuperet: cæteras parum artes curare. Poſtquam autem regina venerat, menſas, & viuendi modum excoluit, faſtidita domorum humilitate: magnificas cœnationes, exculta triclinia, aurata cubicula introduxit, regem à popularitate reuocauit: ianitores foribus appoſuit aſſiduos, intercepit faciles aditus, regiam Maieſtatem ad ſeruandum longè ambitio ſuis decorum redegit. Statis regem temporibus in auditorium prodire, actus dicere monuit. Scythicis Italicos mores inſeruit, & Latinis quoque epulis oblectauit. Varias, quibus olim carebat, artes, eximioſque artifices ex Italia magnu ſumptu euocauit. Quare pictores, ſtatuarij, plaſtici, cçlatores & lignarij, argentariique fabri, item lapidicidæ operarij, & architecti ex Italia conducti, inſanaque his impenſa ſalaria: diuinus hinc cultus adauctus, ædicula regia accitis è tota Gallia Germaniaq; cantoribus exculta. quin & olitores, cultores hortorum, agriculturæque magiſtri ex Italia educti: qui caſeos etiam Latino, Siculo, Gallicoque more conficerent, euocati. Adiecti quoque hiſtriones & mimi, quibus cum regina nimium indulſit: item monaulæ, vtricularij, choraulæ ac citharœdi. Inuitati etiam muneribus Poetæ, Rhetores & Grammatici, qui falſi opinione ſua, miſeriores longè muſas, quàm adduxerint, in Italiam reduxerunt. Has omnes Matthias mirificè coluit, aluitque, Pannoniam, alteram Italiam reddere conabatur. Viros quaque arte præſtantiſſimos vndique diſquiſiuit, conduxitque. Aſtronomos, Medicos, Mathematicos, Iuriſq; conſultos dilexit: ne Magos quidem & Nigromantes abominatus eſt: nullam artem contempſit vnquã. Contrà Vngari politicæ culturæ ac deliciarum expertes, hæc omnia ægrè ferre, inſanos damnare ſumptus: regiam Maieſtatem quotidie incuſare, quòd pecunias ludibrio haberet, vectigalia ad meliores vſus inſtituta in res futiles vanasq; erogaret, à priſcorum regum parſimonia & frugalitate deſciſceret, patrios & ſeueros mores exueret, aboleret antiquos ritus, & ad Latinas, imò Gotalanicas delicias, effœminatosq; mores planè trãsfugeret. Muſſitare quoq;, nimis vxorium: & externos non modò aurum, ſed principis indulgentia vniuerſum quotidie regnum populari: multa quoque obloqui, & in malam partem accipere. At diuus ille princeps, omnium bonarum artium parens, & fautor ingeniorum, Vngaricos vulgò mores damnare, ruſticitatem Scythicam & incultam vitam publicè taxare, inhumanos paſſim ritus abominari, vrbanitatẽ ſenſim introducere, proceres cum nobilitate ad politicum cultum hortari, iubere domos pro facultate magnificas erigere, viuere longè ciuilius, ac ſeſe mitius cum peregrinitate gerere, quàm antè præter omnium opinionem abominabantur. Ad hæc igitur omnia exemplo ſuo inprimis omnes inuitauit. Budenſem arcem, vbi præter magnifica Sigiſmundi ędificia nihil ſpectatione dignum erat, excolere adorſus eſt: retractiorem aulam nimis exornauit: quippe qui a Danubij parte ædiculam ſtatuit, hydraulicisque organis, item ſacro fonte duplici marmoreo & argenteo decorauit: collegium adiecit honeſtiſſimum ſacerdotum: ſuprà Bibliothecam ſtatuit, mira vtriuſque linguę fœcunditate completam: cultus quoque librorum luxurioſiſſimus. Ante hanc cubiculum eſt in abſida curuatum, vbi cœlum vniuerſum ſuſpicere licet, qua ſpectat ad Auſtrum. Palatia erexit haud parum à Romano luxu differentia, vbi laxa triclinia, procita, cubiculaque ſuperbiſſima, item laquearia vbique varia & aurata, multa inſignium varietate diſtincta: poſtes inſuper emblemate conſpicui, inſignesque camini, in quorum faſtigiis quadrigæ, ac multa Romanorum ſtemmata ſunt ſculpta. infrà hypothecæ, theſaurique. ad ſolis exortum varię cœnationes & cubicula, quò altioribus ſcalis, & ambulacro ſanè ſubitur. Buleuterium hîc, & diæta. Cùm vltrà proceſſeris, variæ manſiones in excelſam abſidem conuexæ: hybernacula, æſtiuaculaque multa: item heliocamini, & auratæ zetæ. præter hæc alta, abditaq; ſecreta, argentei lecti, argenteæq; cathedræ. Ad occaſum, vetuſtum opus, nondum inſtauratum: in medio area veteri porticu circumuenta, quã duplicia coronant ambulacra: quorum ſupremum, nouoq; palatio præpoſitum, quà ad ſumma triclinia conſcenditur, duodecim ſigniferi orbis ſideribus inſigne non ſine admiratione ſuſpicitur.

Mutata omnia.

Studiũ Matthiæ erga literas & vitæ cultum.

Bibliotheca.

tessellata vermiculataque vbiq; pauimenta teruntur, nonnulla encaustica sunt: caldariæ passim, frigidariæque cellæ: hypocausta in tricliniis mammatis tegulis obtecta, quæ non modò colorum pulchritudine, sed animalium confictorum varietate conspicua. In subdiualibus, è conspectu pedestres tres statuæ, ex alto non inermes, adeuntibus obiiciuntur. Galeatus in medio Matthias constitutus, hasta clypeoq; innitens, cogitabundus: à dextra pater, & subtristis à læua Ladislaus. In medio subdiualium fons æneus, marmoreo lacu circumuentus, cui Pallas galeata, subcinctaque imminet. Ad aulæ huius aditum in anteriore subdiuali, quod multo laxius est, hinc & hinc duæ constitutæ ex ęre statuæ nudę, clypeo, securi, enseque iuxtà minātes, ad basim circumsculpta sunt tropheą. In hac igitur quadrata area, ante Sigismundi atria cōstituta: vetus à latere palatium instaurare cœperat, quod, si præstare potuisset, plurimum de superba vetustate referebat. Geminas huic scalas adiecerat, porphyreo marmore, æneisq; candelabris insignes. Ex eodē lapide geminas huic ianuas superstruxerat, quas ænei postes, & affabrè facti, Herculeisque laboribus admirabiles, & non minus à tergo quàm à fronte spectabiles exornabant, quibus illud Antonij Bonfinis Epigramma mandauit, incidi:

Statuæ.

Ant. Bonfinis Epigrāma.

ATRIA CVM STATVIS, DVCTIS EX ÆRE, FORESQVE,
CORVINI REFERVNT PRINCIPIS INGENIVM.
MATTHIAM PARTOS TOT POST EX HOSTE TRIVMPHOS,
VIRTVS, ÆS, MARMOR, SCRIPTA, PERIRE VETANT.

Contignationes huic insano sumptu destinarat, quibus laquearia aurigantes per æthera planetas continerent, erratilesque cursus miro suspectu referrent. In fronte subgrundiis tectorum triglyphos subiicere decreuerat, & qua posset arte conspicuum opus efficere. In fontem regiæ per octo ferè stadia pixidatis tubis, fistulisque plumbeis aquam subduxerat. Sigismundi ambulacrū, quod totam ferè arcem ambibat, ne pari quidem sumptu prosequi cœpit. Ille æternitatis destinatione, hic temporaria in ambulacro mora ædificauit. Laxos lōgosque ibi tractus instituit: specularia quoque multa, item atrium murorum minis impositum, ex lignario opere confectum, vbi triclinium, cubiculum, præterea apodyterium: & paulò retractius lucubratorium, graphiariumque locum perfecit, sed *inuentum vesanam ruinam in Danubiū minari videbatur. Extra arcem in proxima conualle horti subiacent amœnissimi, marmoreaque villa. Huius propylæum columnis tessellatis, embrycatisque circundatū, quæ ænea candelabra sustinent. Triumphales sunt villæ postes, & triclinium cubiculumque cum laquearibus & fenestris vsque adeò spectabile, vt lautissimam antiquitatem propius accederet. Qua spectat in hortos, porticus subest. in hortis labyrinthus, ex arboribus consitis institutus. Insuper auiaria, è peregrinis nostratibusq; auibus: quæ ferrea retia coercebant. In auiariis quoque arbusta, fructiferæque arbores, & nemus, item xysti per ordinem digesti, variisque arborum generibus circūuallati. Insuper crypto porticus, prata, lithostrata, piscinæ. Turres quoque cœnaculis ac pergulis obductæ, in quibus cœnationes cum vitreis specularibus vsque adeò iucundæ, vt nihil putes amœnius. Argentatis villa tegulis contecta. Quin & in vlteriore Danubij regione in Pestano agro, ad primum lapidem, suburbanum habuit, ne minore quidem amœnitate delectabile, vbi à curis animum relaxare mos erat. Item in Budensi agro alterum sibi erat suburbanum, ad tertium lapidem, vbi syluestrium ferarum amplissima sanè viuaria spectabātur. magna quoque hîc cicurum copia. Ad salinarium erat tertium, non procul ab vrbe Buda. Sed quis ea pro dignitate referre poterit, quæ ad Regalem Albā in diuæ Genitricis basilica moliebatur, vti sacrorū sunt monumēta regum. totam enim non modò instaurare, sed multo præstantiorem efficere conabatur: & præstitisset eximius ille princeps, ni mors immatura è medio sustulisset. Magnam inprimis aram, lōgè pristina laxiorem, fundare adortus est, vt hîc sibi, patrique Mausoleum constitueret. Huc etiam Helisabethæ parentis pientissimæ corpus non multo antè vita defunctæ, transtulit, vt parentibus hîc & fratri, sibi-

Labyrinthus.

Horti Pestani.

Alba Regalis edificiū.

Ara.

tri, sibiq; sacellum dicaret, opus artificiosæ testudinis, ac eminentissimæ, è quadrato lapide inchoatum, quod in conuexa absida iam consurgere cœperat: totq; circùm fornicibus obstructum est, vt acerrimum quodq; superet ingenium: &, quando in palude situm est, altissima iacta habet fundamenta. Tam insanum igitur molitur ædificium, vt hoc duntaxat vno cætera superiorum regum opera obscurare videatur. Ad Vicegradum priscorum quondam regum arcem in editissimo loco sitam, subiacentem regiam sic amplificauit, sic hortis, viuariis ferarum & piscinis excoluit, vt ædificiorum superbia, alia quoque superare videatur. Apparatus hic Attalicos, & laxa triclinia, ambulacra tectorio opere candidissima, & fenestras superbissimas cernere erit. Hîc horti, fontesq; pensiles, qui porphyreo marmore, æneoq; solio culti sunt. Si vltrà progrediaris, Tatam offendes: quæ meo sanè iudicio cæteris arcibus anteferri in tanta breuitate potest. Hîc enim è perpetuo crassoque aggere, conuallium aqua sistitur, stagnat, ac lacum iugerum septenorum ferè milium passuum efficit. Pistrinæ ad emissorium aquæ frumentariæ, ex ordine nouem: quæ arci sanè cohærent, & nunquam bello auferri queunt. Arcis formam in astragoli speciem duplici muro, propugnacula & fossa munita: breuis inter porticum area, quam auratæ cœnationes, magnificaque cubicula circunstant: laqueatæ contignationes, multo auro cælaturaq; conspicuæ. Emissæ lacu aquæ sæpe resistitur, & piscinas haud inuita facit innumeras: magna luporũ & carponum copia. Duo vtrinque pagi non ignobiles, duæq; basilicæ. Circunstant saltus quoquo versum patentissimi, qui ne mediocrem quidem ferarum copiam alunt. Non procul hinc à Danubij ripa, Rom. legionis vestigia pleraq; supersunt, quæ adhuc præ loci amœnitate, & feracitate soli, Latinæ gentis coloniã vocant. Paulò suprà, ad caput insulæ Comarom cõspicitur spatij sanè laxioris, cui subdiualia patentiora, capaciora triclinia, & diuersa vbiq; laquearia grauissima quidẽ impensa constructa. Bucẽtaurus quoq; ad velificandum Danubiũ ex ligno constructus, in atriis simulacrum, vbi tricliniũ, procython & cubiculũ, vbi andronicon, & gynæceũ, inter puppim & proram latè compactũ. Præterea Vienna capta, pensiles in arce hortos, heliocaminos, marmoreosq; subducta aqua fontes fecit. Frigidarię, caldarięq; cellę in pensili solo confectæ. Inferius quoque hortos excoluit, caueæ auicularum, & auiaria ferreis retibus obducta: factum in secessu nemus, topiariaque loca, ambulatoriæ circùm porticus, vitiũ texturæ conuexę: supra mœnia produxit ambulacra, ad spaciandũ nimis idonea. De faciendo in Danubio ponte, etsi per vitã licuisset, fortasse pręstitisset, Traiani Cęsaris inuitatus exẽplo, qui prope Sinderouiam marmoreo Istrum ponte traiecit, cuius nonnullæ adhuc pylæ supersunt, cogitabat. Addebat animum architectura, quam tribus sanè mensibus Antonius Bonfinis in Latinam è materna lingua traduxerat. Cætera, quæ per arces regias & basilicas exædificari fecit, operæ lõgioris esset ritè enarrare. Præter hæc ad Ioannis Coruini filij sui, qui nondum puerilibus annis excesserat, educationem animum aduertit. Nam cùm annos decem domi militiæque semper cum regina fuisset, & ne passum quidem à suo latere dimisisset (quare vxorius à plerisque reputatus est) nullamque ab vxore prolem tulisset, ad hunc vnicum spem omnem intenderat. Hunc si liberi defuissent, regno præficere studebat. Alliciebat ad hoc animum, & spem augebat, pueri liberalis effigies, & indoles generosa. Patrem enim non solùm ex omni parte, verùm etiam Coruini aui oculos referebat: quibus nihil vnquã serenius visum esse aiunt. Eadem cum patre facies, eademque manus, os, obtutus, frons & nasus: caput, vti illi, sine menda: in circumagendis oculis motus grauis & tardus, cui non hac atque illac lancinare oculos, neq; his leuissimè micare, sed aspectu, motu, gestuq; corporis regiã quandam præferre grauitatem, quam in consiliis ac verbis ęquè seruare videbatur. Intrepidus & liberalis huic erat aspectus, plus gratiæ præferẽs & venustatis, quàm seueritatis & tristitiæ. Desperatis deinde liberis, Matthias augẽdam eius & dignitatem, & authoritatẽ naturę esse iure reputauit. Cùm vt futurũ decet principem, educasset à puero, vt spectatũ cunctis redderet, & quanti fieri vellet, osten-

Aedificia ad Vicegradum.

Tata arx.

Antonius Bonfinis.

Ioannis Coruini disciplina.

deret: in dicendo sæpe iure ad dextram considere iussit: item cùm sacris operabatur, solenniáve celebrabat, aut vtriusque Cæsaris, Romaníve pontificis, cæterorúmve regum potentatuúmve legatos admissurus erat in senatum: ad dextram semper filium collocauit. Quin & officij regij gratia huius opera sæpe vsus est. Quoties solenne conuiuium aut principibus, aut oratoribus eximiis editurus erat, strata regali mensa, sub prætextu ægritudinis, quæ dudum incesserat, sæpe pro se filium accumbere iussit. Contrà ille pro patre decorum ritè seruauit, & prudenti argutoque colloquio conuiuarum opinionem, ac ætatem profectò superauit. Verba quandoque sic grauia subiecit, vt non minus oratio, quàm similitudo oris, verum & dignum filium patre indicaret. Maximas hinc indies sibi clientelas & amicitias comparauit. a paternis amicis admonitus, gratum & promptum apud regem patrocinium exercere cœpit. Quare maiorem indies à proceribus, nobilibus, & prouinciis fauorem sibi conciliauit: pro nemine vnquam frustra supplicauit. Contrà pater, vt maioribus quotumquenque Pannonem beneficiis obstringeret, supplicanti filio nihil vnquam abnuit. Item, vt regiæ prospiceret orbitati, de honestissimo coniugio cogitauit. Admirabatur iam adolescentis ingenium, quem inter loquendum nunquam incautum offenderat: obseruabat mores eius, & peruigiles clandestinosque custodes, speculatoresque adhibebat, qui explorata cuncta referrent. Non citra stuporē quandoq; in castris consuetudinem eius cum manipulis intuebatur, & ad promerendam legionum gratiam, dexteritatem. Deplorabat secum pueri fortunam, qui, quicquid natura largius indulserat, & ius dederat humanitatis, à seuera nonnullorum censura, opinioneque, post mortem suam ademptum iri præuidebat. De renouatis regiæ moribus, de ædificiis & Ioanne duce Coruino loquuti, hucusq; vagati sumus, ne ista quoque, memoria non indigna, ingrato silentio omitterentur. Nunc ad institutam gestarum rerum seriem redeamus, ne plus æquo vagati videamur. Post captam Viennam annos quinque Matthias, vti diximus, superuixit, de quibus vna dicemus, ne annorum supputationem toties facere cogamur. Cùm habito Budæ frequentissimo conuentu, rempub. optimis legibus & institutis instaurasset: mox delectum habuit, legionibus supplementa dedit: & reparato exercitu, vnà cum filio Beatriceque regina, primo tempore ad expugnandam vlteriorem Austriam proficiscitur. Pisonium primò ventum est, aliquot ibi dies acti, dum literis, clandestinisque internunciis nonnulli reguli proceresq; faciendam deditionē suaderēt. Præmissis deinde copiis, Czistetorphum obsidetur, oppidum sanè non ignobile, quod rex sine magno negotio in fidem accepit. Motis hinc castris, Lauam rectà concessit. Ciuitas est ad † Moram amnem posita, oblonga quidē, & quadrata, cui ad caput arx est, non paruo artificio munita, in medio basilica, mœnia verò crassa, altaque, ac duplici fossa & aqua completa, duplici quoque muro, item aggere valloque munita, quem infestis cuspidibus pertice contexuere, à latere paludes attingunt. Conspicatur vrbem obsessam facilè capi non posse, nisi ænea mœnibus hinc & hinc tormenta admouerentur: quę cōpleta fossa, pontéve substructo, militibus aditum patefacerent. Quare in primis, qua spectat ad Pisonium, castellum pro porta erigit amplissimum, quod aggere, fossa, valloque circumuenit, ne facto oppidanorum impetu capi posset: ibique machinas ritè disponit, quibus mœnia obtererentur. Ab auersa parte, qua Isnaimam prospicit, Morauiæ vrbē, id ipsum facit: nec intactam quidem à capite arcem prætermittit, quando non infirmo præsidio Lauam munitam esse nouerat. Dum vrbs inclementer vtrinque quatitur, dimisso exercitu, ad diætam (vt aiunt) in Morauiam contendit: quam ad Iglauiam ex cōposito cum Wladislao Boemiæ rege præstituerat. Ad labefactandas enim Australium vires, & frangendam Imperatoris pertinaciam, nihil commodius esse censebat, quàm Boemicum regem, bellicosissima gente pollentem, sibi conciliatum habere. Nulla enim auxilia, præterquam Boemica, Germanicáve, Cæsari promptiora esse videbantur. Quin & verebatur, quod antea semel acciderat, ne instituta cum Wladislao amicitia, Cæsarea arte dirimeretur: ne bellicosum iuuenem,

Expeditio in Vlteriorē Austriam.

Laua.

† al. Morauam.

Znam.

venem,& ad clarissima quæque facinora natum, magno stipendio conduceret, inq; suam adduceret inuidiam. Quod si Fridericus Imperator exuta aliquantisper auaritia fecisset, nunquam Pannones Austriam occupassent. Verùm hæc humana, quæ mortalium animos sensim illabitur: ita cæteras virtutes eneruat, exploditve, vt non modò populum, sed prouincias amplissimas in grauissimas calamitates planè coniecerit. Nihil enim consilio suo obuersari posse, si Boemũ regem habeat, Matthias intellexit. Indicto iam tertio conuentu, in Morauiam cum regina gnatoq; Ioanne proficiscitur, vt confirmata cum Ladislao amicitia, tutius cum Imperatore deinde bellum gereret. Multi mandato regis Oratores
10 eum sequuti, qui eo tempore fortè conuenerant: inprimis Neapolitani regis,& illustrissimi Ferrariæ ducis, cui ab indomita fortitudine Herculi nomen erat. Conuentus frequentissimus Iglauiæ iam habetur: quò vtriusque regni principes cum regibus cõuenere. Repercussum hîc est ex sententia fœdus,& pristina confirmatur amicitia. Wladislaus à Matthia magnificè donatus, gemmata muneri data galea, adiectumq; oppidum: Innumeræ quoque à regina vestes auro purpuraq; contextæ, addita etiam regalis multa supellectilis, vt societatẽ digna munera confirmarent. Compositis hîc rebus, alter in Boemiam, ad obsessam Lauam alter se recepit. Secundum regis aduentum, præfecti castrorũ iam de conferenda cum oppidanis manu consultabant, quando tormenta in plerisque lo-
20 cis mœnia obtriuerant,& aditum hosti satis amplum patefecerant. Regem duntaxat expectarant, vt dexterioribus prælium auspiciis inirent. Cùm ordines forent vbique dispositi, vt pugnæ signum acciperent, inducias in triduum oppidani postularunt, vt interea de pace agerent. Rex haud inuitus postulata concessit, vti commodius vtrorumque saluti consuleretur. Postero die prodeuntibus è Laua legatis, de conditionibus & facienda deditione agitatur. Tertio res transacta,& ciuitas à rege in fidem accepta. Capta Laua, vlterius castra mota. Cùm Morauiæ, prouinciæ suæ fines attigisset, Isnaimam venit: vbi dimissa regina, cæterisque Oratoribus, ipse cum Coruino duce ad obsidendam Rheti- Retz. am properauit. Triplex in eo bello illi fuit exercitus, veluti vbique in grauissi-
30 ma quaque expeditione mos fuit: primus Vngarorum, Boemorum alter, tertius Ratianorum, qui totus in vexillationes & velites digestus erat. Trinis eam ciuitatem castris obducit, vt obfirmatam validissimo præsidio citius expugnaret. Hæc inter faciles montes resupinata iacet: turribus circùm, propugnaculis, altissimaque fossa est obducta, nec sine machinis æneis capi poterat. quare magna in mœnibus iactura facta. Obstinatius oppidani à principio restitere, die noctuque in castra erumpere sunt ausi: & tunc maximè, cùm excipiendi commeatus tempus erat. Tumultus sæpe, ac rixa potius quàm prælium fuit. Sed cùm semel custodiæ se negligentius agerent, illiq; ad excipienda quædam auxilia ex vrbe erupissent, incauti ex equitibus nonnulli occurrêre, qui cùm
40 strenuè pugnarent, ab hostibus circumuenti, fortiter occubuerunt. Valachus quidam regi charissimus, qui excitato tumultu primus occurrit, primosque hostium impetum, ac solus excepit, cùm acerrimè pugnaret, tribus cæsis, lethali vulnere confossus est,& ad suos ægrè se recepit. insequenti die animam efflauit, à rege admodum deploratus. Ad declinandas Alemannorum insidias, rex arctius vrbem obsidendam esse statuit, grauiores circùm machinas apposuit: quibus turres & mœnia quaterentur: quin & cuniculos adegit, quibus eam tutius capi posse reputabat. Id vbi ciues intellexere, de facienda deditione cogitarunt,& paucis pòst diebus, formidata hostis iracundia vrbem dedunt. Rhetiani perhumanè in fidem accepti. Ad Egnburgum deinde castra mota sunt, Egnburgi obsidio.
50 & vrbs grauissima obsidione circumuenta. Interim rumor effunditur, Gallorum Oratorem aduentare, & esse propius. itaque regis edicto multa procerum pontificumque agmina obuiam prodeunt, & honestissimi equitum ordines in occursum effunduntur. Singulari pompa is excipitur: & postquam in castris cum rege colloquium est habitum, Rhetiç apud Beatricem cum cęteris Oratoribus honorificè subsedit: donec capta vrbe, Viennam hybernatum cum rege

proficisceretur. Ad ineundum contra Maximilianum, Friderici Imperatoris filium, ipse fœdus venerat, Burgundiæ ducem, & acerrimum regis Galliç inimicum: quo nihil vtrique commodius esse poterat. Nam cùm ille in Belgis ageret, ac pater in Noricis à Pannone vexaretur, duplici bello distractus, neutrum è sententia gerere posse videbatur. Intercedebat Matthiæ cum rege Gallico fœdus & affinitas: quandoquidem Beatricis mater eum regem propius attingebat. Percussum igitur ex composito inter Vngarum, Gallumque fœdus, & fraterna est inita societas, quam mutuum commodum & consuetudo conciliarant. Stephanus Crispus, vir liberali ingenio, fausto aspectu, & singulari eloquentia præditus, Oratori honestãdo comes & procurator, propter suauissimos eius mores, à rege datus. Rex ad expugnandum Egnburgum subinde animum aduertit. Vrbs est inter inæquales sita locos, & circumuenta monticulis: & ipsa quoque in monte sita, laxis circùm piscinis obducta. Ab aduersa parte, arx non infirma: & qua consurgebat in monticulum, ampla & alta fossa, item perpetuo muro, vallo, aggereque, ac mira turrium frequentia protegitur. Ad vtramque portam geminæ consurgunt turres, ac solidæ, quæ facilè obteri non poterant. Impositum huic validissimum sanè præsidium fuit. Tentata pugna, oppidanorum fabricis multi cecidere: quin & in castris incauti plerique cæsi, admotis ex ira plus quam hostili more tormentis. Solida, quæ stabat præ porta, turris propugnaculi loco, crebris machinarum ictibus obtrita: à latere pars mœniũ in vastum diruta, qua congelatis insano rigore piscinis, magnus in vrbem patebat aditus. Instanti periculo consternati ciues, vix regem exorarunt, vt in fidem acciperentur. Duodequadragesimo demum die vrbs in ditionem regis peruenit, subinde mota fuere castra, præsidium cum impedimentis liberè dimissum. Postquam Egnburgenses in fidem Pannonis concessere, regina per Drag Bertoldum, cataphractorum equitum præfectum, & Ladislaum Moritz, collegam eius, à rege accita, cum honestissimo equitatu Egnburgum ouans inuecta est: quam vbi rex ad primum lapidem appropinquare sensit, obuiam prodiit, in currum suum excepit: iunctisq; agminibus, veluti pariter ambo triumpharent, vrbem subiere. Aliquot hîc dies cessatum est. Deinde duorum dierum itinere traiecto Danubio, Claustrumburgum peruentum. in ædibus ad Basilicam diui Leopoldi, rex cum Beatrice pernoctauit. In suburbanis centuriones, equitumque præfecti subsedere. Exercitus ad recipienda quædam oppidula dimissus, variis demum itineribus Viennam, mox edicto regis Neapolim, quam vno iam anno à Stephano comite & Tetauro, Ladislao Canisa, Iacoboque Sechel obsideri iusserat, sine intermissione concessit. Rex insequenti die cum vniuerso aulicorum comitatu, ex Claustrumburgo Viennam descendit: cui ad tertium lapidem Emericus Palatinus, & Vrbanus Quæstor, qui ea tempestate Iauriensis pontifex erat, cum singulis Viennensium ordinibus, veluti de vlteriore Austria triumphanti, ex vrbe cõgratulabundi prodiere. itaque cum regina singulari pompa XIII. Kalend. Ianuar. Viennam inuectus. Paucis antè diebus Antonius Bonfinis, ciuis Asculanus, è Picenti agro, Coruini regis nomine succensus, Rhetiam venit. vbi cùm regem & Beatricem adiuisset, varia librorum, quæ nuper ediderat, volumina detulit. Tria regi dicauerat: Hermogenem, & Herodianum, quos è Græco in Latinum ipse traduxerat: atque breuem de Coruinæ domus origine libellum. Reginæ duo: alterum, de virginitate & pudicitia coniugali, de historia Asculana alterum. Vnum autem Epigrammaton libellum Ioanni Coruino inscripserat, cum haud iniucunda, inutilique præfatione: vbi de instituendo nouo principe agebatur. Cùm in castris ista volumina rex auidè lectitasset, scriptoris admiratus ingenium, quia nondum hominem nouerat, Calend. Ianuar. accitis omnibus aulicorum ordinibus & legatis, Viennæ orantem Antonium intentus auscultauit: adductosque in medium libros omnes, cunctis proceribus & pontificibus lectitandos dedit. Postulanti missionem, abnegauit: nec paruo quidem Picentem rhetorem salario conduxit, faustæque Beatrici legere, & pro arbitratu suo scribere multa iussit: nec nõ castra sequi præceperat, scriptoribus & philosophantibus inimica. Quod cùm ille

De Antonij Bonfinis aduentu ad regem & scriptis.

10 20 30 40 50

cùm ille inuitus facere cogeretur, ne ingrato in castrensi tumultu, molestiaq; ocio vteretur: oblatũ sibi Philostratum tribus mensibus in Latinum transtulit in primis verò Neapolitanas Iconas, deinde Vitas Sophistarum, & epistolas. Rex autem, cùm Natales Dominicas celebrasset, duo magna negotia, quæ potissima imminebant, expedire curauit: in primis, legationem in Galliam honorificentissimam: deinde, Neapolis expugnationem, quæ omni arte ac viribus obfirmata, obstinatissimè resistebat. Ioannes Varadiensis antistes ad Gallos orator pronunciatus erat: quo ad id munus obeundum nemo tempestate nostra magis idoneus visus erat. Is enim ex humilibus, vt ipse ingenuè fatebatur, parentibus, & in tenui re ad Olmutium natus: tanta ingenij dexteritate, consilio & industria valuit, vt apud regem inter primos & charissimos haberetur, & supremus (vt aiunt) cancellarius, & secretarius esset. In bello namque Boemico, cùm rex Morauiam in prouinciam redegit, capto Olmutio hunc adolescentem Ciupori Vaiuodæ commendauit. Hic mox ingenij præstantia, & experientia rerum sic excreuit, vt in gerenda prouincia, Boemicisque rebus administrandis, hoc potissimùm adminiculo & moderatore vteretur. Quare perbreui sua fide, integritate, prudentia & magnanimitate sic regi placuit, vt in primis Varadiensi, deinde Olmucensi pontificatu exornarit. Quinetiam multis basilicarum præfecturis adauctus est. triginta enim aureorum milia è prouentibus annis accipiebat. Immensa huic inerat liberalitas, & magnificentia. vt munus quodque sibi delegatum, honorificentissimè gereret: nec labori, nec sumptui pepercit. Nobilissimas domi semper clientelas aluit: omnia mandata regis non modò è sententia, sed præter omnium opinionem feliciſſimè gessit. Grauissima huic quæque negotia quæ foris imminerent, à rege committi solita. Accedebat faustus & venerandus aspectus, oratio liberalis, animi magnitudo, robur & pulchritudo corporis operosissimi, cui indefatigabile ac perspicax inerat ingenium. adde his mores præstantissimos, Inauditam mansuetudinem, hilaritatem summam: præterea comitatem cũ magna popularitate coniunctam. Promptissimus ad officia semper habitus: cui nihil molestius, quàm aut quenquam lædere, aut simulare dissimularéve quicquam. Amicos nimium ex corde dilexit: obtrectatores, & inimicos bene potius reconciliare, quàm malè merendo vlcisci statuit. Ad obliuionem iniuriarum, & benemerendum potius, quam ad vindictam natus erat. Sat habuit quandoque inimicum libera quadam & præsenti maledicentia vlcisci: à facinorosa vltione se semper abstinuit. quare vir bonus & innocens à rege & iudicatus, & pronunciatus est. Is igitur cùm in Galliam orator profecturus esset, atque legatum Gallorum secum reducturus, raram profectò pompam instituit, vt rem principe, seque dignam faceret. Trecentos inprimis equos eodem colore omnes & magnitudine: trecentos quoque iuuenes ex vniuersis procerum ordinibus, & ex tota nobilitate delegit: qui per singulas vrbes togati incederent, & purpureo cuncti habitu vterentur: item intonsi omnes, & eadem proceritate, ætateque consimiles. Ex his torquatos multos cernere erat: cæteros verò, quibus aurei crines fuerant, gemmatis capita sertis obductos. Supellex adhæc plusquam pontificia, quæ necubi explicari potuit, quin regiæ Maiestatis hospitium referret. Varia a principe mandata accepit, illudque inprimis, vt per Galliam Cisalpinam iter faceret, Mediolani sororem ducis regij filij nomine desponsaret: quam quidem affinitatem Inscia regina tractarat, & exacto adeò sub fugæ prætextu Fontana Brixiensi viro callidissimo, cuius adminiculo commodaque opera sępe alias in Italia vsus erat, clandestinis iam literis ferè transegerat: deinde, vt cum Gallorum rege fœdus iceret, fraternamque societatem iniret, vt distractum bello duplici Maximilianum absumeret. Item Czaliabum, Maumethis Ottomanni filium, Turcorum Imperatoris, qui à fratre pulsus Asia, primò Rhodum, deinde in Galliam effugerat, & in potestate Francorum regis erat: precario nomine impetraret, vt sub illius nomine Turcum grauiori, quàm antè, bello metuque afficeret. Cuncta igitur mandata è sententia confecit, præterquam quòd Turci fratrem sum-

Ioannes episcopus Varadiensis.

Pompa legati.

mo pontifici promissum abducere nō potuit. Legationem tāta vbiq; pompa gessit, vt nihil tempestate nostra magnificentius vsquam gentium spectatum esse referatur. Parisiis sæpe forum piscarium in celebrādis conuiuiis sic exhausit, vt dispensatores quandoque regij pisces mendicare coacti fuerint. Destinata regi Gallorum munera obtulit, quę plusquam vigintiquinq; milibus aureûm veniere. Inprimis Turcicos equos vigintiquinque mirę pernicitatis, vasa præter hæc aurea & gemmata, equos quoque cataphractos & gradarios, desultoresque Dacicos. Accedebant ephippia auro, lapillisque distincta, superbæque cum frenis phaleræ. Reginæ è ductili auro contextam trabeam, vestes Persicas, balthea, & aureum cubiculi apparatum misit. Legatus etiam Francorum, cui Christophoro nomen erat, cum Varadiensi episcopo honorificè dimissus: quem nos ipsi & à rege reginaque donatum amplissimè vidimus. Ad tria nummorum aureûm milia iudicio cunctorum eius munera pertinuere. Iisdem diebus, cùm de creando pontifice Agriensi ageretur, indicio regio, suffragantéque regina, quando nemo præstantior occurrebat, Vrbanus Quæstor, qui Iauriensis erat, Agriensi pontifex creatus est, Iauriensemque basilicam Thomas scriba regius, ob operam summa semper fide, diligēterque nauatam, absque negotio impetrauit. hos enim ambos cum Varadiensi episcopo, qui in Gallias dudum profectus erat, ea tempestate Matthias nimium dilexit, adauxit honoribus, cōmodisq;, & qui cum vltrò consilia communicauit. Mitiore Vrbanus Quæstor erat ingenio, & ad maxima quæque tractanda erectiore. Contrà vehemētiore hic, & vt fuluus præferebat aspectus, asperiusculo, in agendis tamē negociis expertissimo, item perspicaci, callido ac indefatigabili, officioso, constanti & integro. Sed Vrbanus mira dexteritate, fide, tolerantia, & ingenij altitudine, apud regem semper principatum obtinuit, quamuis ingenitæ sapientiæ magnitudinem dissimularit.

Munera. 10 20

RERVM VNGARICARVM DECADIS QVARTÆ LIBER VIII.

EXPEDITIS deinde legatis, Matthias consultis mathematicis & astronomis, Idibus Ianuariis ad expugnandam Neapolim Austriam, superiori anno iam obsessam, contēdit: Reginam Beatricem cum cæteris Oratoribus, qui reliqui fuerant, Viennæ reliquit. Properauit aliquantò sua voluntate celeriùs, quia duces, præfecti legionum & milites, vnius anni obsidione defatigati, ad reficiēdos in hybernis equos dimitti postulabant, & graui bello è castris multi se subtraxerant; quare trecenti Alemannorum equites, cum ducentis curribus onerariis, multisque bobus qui hos trahebant, inuitis custodibus, intempesta nocte in obsessam vrbē penetrarunt, & aliquot mensium commeatibus sanè compleuerant. Vnde tanto diutius regi adlaborādum erat. Id is ægrè tulerat; quum vrbem viribus inexpugnabilē, in suam potestatem per inediam propediem se redacturū esse sperabat. Cùm eò venisset, iure postulantibus missio data, adiecta supplementa legionum, & completa nouo milite castra. Neapolis vrbs est in plano posita, quam in theatri speciem Pannonici Noricique montes circumstant, non procul ab ea remoti. Solum vrbis palustre, vliginosum, ab altera parte glareatum: præterea sic scaturientibus vndique aquis abundans, vt nusquam tres, quatuórve pedes effodias, vbi aqua non subsiliat. Infra quintum sextúmve pedem, solida firmaq; glarea subest. Fossæ igitur vrbis altissimæ ac laxæ. Præterea è quadrato vtrinque lapide munitæ, strataq; in pelagi speciem piscosam aquam emittūt. Quadrata vrbis forma, quaternæ quoque portæ. Si in medio fori te ipse constitueris, portas omnes circumspiciēs rectà intueberis. Suburbiū cuiq; suū est, vrbanis assimile ædificiis: & ea vallo, fossaq; ex aqua completa circumdantur. Mœnia triplici fossa, frequentibusq; turribus munita, ad angulum quemque murorum, portamque extra fossam erecta. Turris

30 40 *Neustat.* 50

Turris in castelli simulacrum,impositumq; præsidium, non sine multiplici munitionũ genere. In angulo ciuitatis qui spectat ad Pannoniam, arx in aqua pensilis,pensiles quoq; horti,& hanc per laxa fossa circumducit. Hæc item quadrata est, in astragali speciẽ : & in angulo quoq; stat alta turris,à tergo Cæsaris horti : viuariaq; ferarum, quæ in quindenum milium amplitudinem passuum sanè spaciantur,perpetuoq; muro obductæ sunt. Ibi ferarum quodque genus, peregrinarum & cicurum copia non mediocris vagatur in hortis diuersis. Machinarum fabricæ per mœnia dispositæ, quæ plumbeas glandes, ferreosque talos erumpentes ad secundum vsque lapidem, certo ictu præsignatæ lædebant. Superiori anno Comes Stephanus,& collegæ,tres quatuórve turres ad primum lapidem statuere,vlterius nõ sine magno periculo appropinquarunt: quin patenti æqualique planicie, sub nullo protegere se tumulo poterant. Secundum regis aduentum,instauratur obsidio:ad primum lapidem perpetuo vallo fossaque circumsepta ciuitas, in orbem ferè passuũ milium XVIII. ne quid intrò inuehi posset:& custodię vbique dispositæ. Cùm Stephanus,ac socij ad secundum lapidem castra posuissent,rex intra primum lapidem metatus est: turres & castella citò propius admouit. Secundum eius appulsum,paucis pòst diebus,intempesta nocte, portæ suburbium, quæ ad Viennam pertinet, submissa clàm legione, ne incruenta quidem victoria captum succensumq;. Præsidiarij milites desperata re, intra mœnia pensili se ponte recepere. Id quamuis fossa,limoque alto & aqua, præterea vallo, & plerisque turribus obfirmata esset: hostili tamen audacia & virtute expugnatur. Quo capto, sæuitum in vrbanos, qui cũ vnà præsidiariis sese conglomerarent: à tergo pressi, vt in vrbem se reciperent, partim sese mutuò ex angusto ponte in fossam amplissimam deturbarunt: partim instante hoste,cæsi sunt. Cæteri ab oppidanis adiuti,in vrbem se receperant. Amisso hoc potissimo suburbio,quod tutissimum vrbis videbatur esse propugnaculum:cùm dimisso altero ad portam quæ Pannoniam inspicit,in tutelam arcis, cætera suburbia diruissent, quæ protegere diffidebant: Neapolitani animo nimium consternati sunt,quin si paulò maior hostilis impetus fuisset, vtrinque immixti tunc in vrbem penetrassent. Tota nocte trepidatũ est. Domesticatim ciues, cùm nobilissimas ædes habeant, quibus crassi parietes, crate factæ fenestræ, ferreique postes sunt: ad excipiendum primum hostis impetum, desperata salute, obfirmare sese occœperant. Maximus tota nocte in vrbe clamor ætatis omnis. Et ni præfectus vrbis, vir bello exercitatissimus, admodumque circumspectus,ex arce prodiisset in forum, & omnium animos confirmasset: postero Neapolitani die profectò deditionem vltro fecissent. At ille oratione Germanica sic omnium animos obfirmauit, vt ad extremam vsque inediam in fide permanserint. Multi id vi coactos fecisse præsidiariæ cohortis existimant. Rex ea nocte satis fecisse ratus,in fossa vrbis,quæ suburbium,& mœnia ciuitatis interiacent, insequenti die tormenta insana disponit, quibus mœnia die noctuq; pro sua libidine quaterentur. Sex obiectas turres,& inprimis quæ portæ insidebant,machinis,quas Turcis ademerat,amolitur. Naues longas curribus onerariis Vienna è Danubio aduehit. Pontes etiam vectiles construit, quibus fossam vrbis miles exuperet, ac obtrita inter mœnia penetret. Pari obstinatione Neapolitani obstant,& ad tormenta quotidie Pannonica ministros,emissis glandibus proterũt, quin & talis ferreis sæpe petunt. In tentoriis multos incautos necant. Atrox vtrinque pugna ex insidiis indies feritur. Rogati sæpe ciues, deditionem obaudiunt. Rex exitiũ vltimum interminatur. Præfectus vrbis,qui paulò antè Viennam aduersus regem propugnarat, sepulchrum sibi in arce statuisse respondit. Magnifica vtrinq; verba dabantur, donec & illis commeatus in vrbe victũ suppeterent,& his corrogatæ pecuniæ,bellum alerent: à turribus & propugnaculis non pauci quidẽ quotidie cædebantur. Cùm propius ab omni parte turres mœnibus admouere statuisset: ingentem corbium numerum edicto regis,gregarij milites è palis & vimine contexuere, in cylindri speciem: hos humi iacentes,& terra lapidibusq; semiplenos,noctu obrepentes,ad maxima obuertebant: cũ ad

Thiergarten.

locum peruentū erat, obductas crates erigebant,& in columnarū speciem constitutas,ex egesta terra complebant. His igitur pro muro è diuerso vti,pone has, turres erigere è materia,tabulatis & pluteis obstruere,infestas hîc machinas collocare: obterere inimica propugnacula, & à mœnibus propugnatores amouere: in castris quoque ad sacram pylam,vbi regis erat tabernaculum, fossa vallóque munitum,pontes compactiles lignarij fabri efficere,testudines,vineas,musculosq; parare. Rex demum nihil ex ingenio & arte remittere, vt validissimam vrbem,qua nihil vsquam gentium obfirmatius visum erat, vbi Cæsar nō modo sibi sedem,sed sepulturam asciuerat,præter omnium opinionem expugnaret,& Augustali patria potiretur:quinetiam existimare, hîc de summa gloriæ suæ agi. Regina cum aulicorum oratorumq; magna manu sequuta regem, primò ad Ebenfurtū,|Viennēsi bello Stephano comiti dono datum:deinde Lithinbergum, menses aliquot prope castra subsedit, Neapolitanam captiuitatem expectans. Sexto idus Martias,cùm rex turrim editissimā in murorum angulo stantem,qui ad eminentes Noricorum montes aspicit,à tergo acerrimè tormento quateret, vt proruens fossam ruderib. latè compleret,qua militi pateret aditus : præfectus vrbis intellecta regis arte, mox ab vrbe turrim intus circumsedit, ligneisq; subfulcit tibicinibus, vt subiecto igni intra muros ruinam turris alliciat. Extra turrim, fossamque,altera turris erat, è congesta terra confecta, munitissimum anguli propugnaculum, vnde duo vrbis latera longè lateq; à machinarum ictibus protegebantur. Cùm à tergo turris illa quateretur,in horamq; ruinā minaretur, præfectus ignē supponi præcipit.Suscitatur ingens extemplo intus incendium, quod interiora tabulata nutriebāt:cùm ad tibicines, & sustentacula peruenisset ignis, in vrbem è sententia corruit.rex opinione frustratus,repentè Bohemicas tres cohortes aduocat,dictoq; celerius exteriorem turrim, anguliq; propugnaculum adoriri iubet.Hæ mandata faciunt, cùm se mox in aciem eduxissent,grauis armaturæ milites vallū præfringunt,altiusculam repentè fossam superāt: per aggerem surrepentes,ad suprema tabulata,pluteosq; perueniunt:tres præ audacia è primoribus intrò prosiliere,qui continuò trucidati sunt:reliqui, sine mora reiecti. Ciues, præsidiarijque milites, cùm propugnaculum obstinatissimè oppugnari prospicerent, huc omnes concurrêre, è mœnibus præsto sociis adfuerunt. Boemos ad turrim circumfusos sagittis, igniferisq; glandibus è muro sauciant:Submissa ex vrbe adulterina porta, auxiliari manu hinc hostes amouent, & repellunt:quamuis ne cædem augeret,rex parum succedēte Marte, reuocari iusserat. Id ingruente nocte factum est. Centum ferè milites breui momento cæsi,totidemque sauciati. Quanquam hæc parum prosperè cesserint,nihilo tamen segnius obsidio continuatur.Regis animum neq; imposita firmissima præsidia, neque munitiones innumeræ,neq; obstinati ciuiū animi remisere,quamuis nemo ad primū secundúmve lapidem tutò appropinquare:neq; propter vliginosum & palustre solum, præterquam via facta,propius accedere poterat,neque circumflua flumina diuerti, neq; cuniculis adactis mœnia subiri (vbicunq; effodiebatur,statim latices emergebant)nunquam tamen est ab incepto deterritus.Mox tormenta vndique mœnibus adacta,& ita proximè circumerectæ turres castellorum instar,vti cum oppidanis cominus,nisi interiecta fossa prohibuisset,manus etiam cōserere potuissent. Quare nimium oppidanorum attritę vires, & consternati animi, superba vbique fastigia machinis deturbata. Contrà illi nullū defensionis genus prætermittere,diruta reparare mœnia,quassata nutantiaq; succidere,ne foras deuoluta,fossam amplè complerent:ad traiiciendos præterea, quos diximus, gurgites qui muros circumfluant, varia instrumentorum excogitata genera,quæ nulli bellicæ artis autores prodidêre.Iam ciues desperatis auxiliis de deditione,si licuisset,quādoq; cogitassent:sed impositi præsidij metus prohibebat.Intellexit id Coruina clemētia (qua nihil ea tēpestate fuit circumspectius)ad inediam ergo vrbē redigendā esse cēsuit.potuisset quidem,si voluisset,vi eam capere: verùm id sine magna cęde,ac vrbis exitio fieri nō posse prospexit:vt suis parceret,vrbemq; à militari sęuitia liberaret,ne oleū & impensas amit-

ſas amitteret, obſidionem prorogauit, vt integra ciuitate potiretur. Vtrorumq; igitur ſaluti hoc modo conſultum, ſeptem in caſtris menſes egit: temporariã ibi regiam, cœnaculumq; in amphitheatri ſpeciẽ, cũ proximo ſacello conſtruxit. Iam inſanis vſq; adeò fiſcum exhauſerat impenſis, vt neq; vltra exercitum alere, neq; ſupplementa cogere poſſet, vel eo maximè tempore, quo ventura maxima obſeſſorum auxilia rumor erat. Vrbanum Quæſtorem admonuit, orauitque, vt pro ſolita fide, induſtria & virtute vtcunq; poſſet, pecunias, & ſupplementa mitteret, ne in calce turpiter deſiiſſe videretur. At ille continuò copias coegit: in Agrienſi conuentũ delectũ habuit, quæcunq; potuit, vectigalia exegit: pecunias
10 non modò è pontificatu ſuo, ſed ex omnibus amicis latè corraſit: inſtructum in caſtra exercitũ proprio ſumptu miſit: ſuggeſſit quoq; nummos & ſupplementa. Laudata paſſim Vrbani in ea re celeritas, fides, & diligentia. Quare ita ſibi regis animũ obſtrinxit, vt is hunc vnicè ad mortẽ vſq; dilexerit. Cùm hoſtes, quotidie caſtra amplificari, & immenſas Pannonũ vires augeri cõſpicarentur, de deditione cogitare ſunt adacti. Proſpectare agmina quotidie veniẽtia, quæ animũ nimis attenuabant, ira cõmoti è muris glandes, taloſq; ferreos procul emittere, tres vno ſemel ictu pueros ante regẽ, ſub cœnaculo ſtãtes, obtritis capitibus interfecere. Præ cruento tamẽ, diroq; ſpectaculo rex haudquaquam cõmotus eſt, quin & perſtitit immobilis: nullumq; timoris indiciũ edidit. Mox inſanas machi
20 nas in vrbẽ intendi iubet: quæ multa palatia diruere. Et cùm tegulis maiore ex parte abignenis, quas Xilimbrices vocant, in ædiũ tectis Neapolitani vterentur: de cõcremanda ciuitate ob indignitatẽ rei fortaſſe cogitaſſet. Præfectus etiam paucis antè diebus, nulla vnquam machina ſe regiam caſtrenſem læſurum eſſe, per internunciũ ſanè promiſerat: & ni ab oppidanis rex exoratus eſſet, iam baſilicas penè omnes, vnde ictus emittebantur, amoliturũ, quas marmoreas reficere pollicebatur: deinde vrbẽ incenſurum eſſe minabatur, & feciſſet quidem, niſi propediem ſe vrbe potiturũ eſſe confideret. Interea Mapheus Naſo, & Franciſcus Fontana, à prępotenti Mediolanenſiũ duce miſſi ad regẽ in caſtra venere: qui tranſactam Mediolani à Varadienſi epiſcopo, ex cõpoſito Ioannis Coruini
30 & Blancæ Sforciæ, affinitatem retulere: hi magnificè in caſtra recepti, paucisq; pòſt diebus à rege dimiſſi. Secundum horum aduentum Hippolytus Eſtenſis, reginæ Beatricis è ſorore nepos, cui Ferdinandus auus, proauus verò Alphonſus rex erat, cum honeſtiſſimo Ferrarienſium comitatu in Pãnoniam venit, vt metropolitanæ Strigonienſis baſilicæ, cui Ioannes Aragonius eius auunculus antè præfuerat, poſſeſſionem obiret. Matthias rex vt nepotem pro dignitate ſuſciperet, in primis Zagabriam vſq; ad Perardinum Comitem Modruſienſem cũ nobiliſſimo equitatu obuiam miſit: qui metropolitam Sempronium adduxit. Pòſt vbi propius adueniſſe ſenſit, Stephanus Criſpus à regina in occurſum Orator miſſus eſt, qui nepotem ſuo nomine viſitaret, & fauſtũ gratularetur aduentum,
40 ibique ſubſidere iuberet, quouſque à rege in caſtra vocaretur. Rex interea cum præfecto vrbis, ad extremã rerum omnium inopiam redacto, de deditione egerat. Tetaurus, & nonnulli alij fuerant internuncij, mediiq;. Idibus Auguſtis, ni validiſſima mitterẽtur ab Imperatore auxilia, præfectus vrbem dedere pollicetur: dummodo ſaluis impedimentis & corporibus tutò cũ principalibus rebus abire, trecentoſq; currus onerarios educere liceret. Rex conditionem accepit. Præfectus vrbis, cum decẽ viris ad regem in caſtra venit: ibiq; data vtrinq; fide, declarata deditio: quæ ad tricenũ diem tranſigi debebant. interea ne tempus ibi tereret, dimiſſa obſidiaria manus, nõnulliſq; equitũ præfectis in Styriam caſtra mouet, & ad Scæam Viennam, quæ in Noricorũ faucibus eſt, ducit exercitum.
50 Id oppidum occupare decernit, vt in Styriam pro arbitratu ſuo erumpere poſſit: omnibuſq; opẽ Neapolitanis & Viennenſibus allaturis, hac iter obſtruat. Motis igitur caſtris, velites expeditiſſimiq; equites hoſtilem latè vaſtare agrum iubentur. Incenduntur circùm oppidula, pagique, & in prædam omnia conuertuntur. Scæa Vienna, continuò capta. Ibi Grophnicer reſultantis ictu lapidis machinarij colliſus interiit, ibi Nicolaus Banffij, loco fratris à rege habitus, in car-

Schatvvien.

cerem coniectus, quod non sine magna procerum consternatione factum est, & paulo pòst sua integritate dimissus. Quin & castellū è vertice prominens expugnaturum, & in iugum montis insana ex ære tormenta subtracta, quibus arx ardua protereretur. Patefactis angustiis, in Styriā erupere legiones, & oppidula circiter vicena eo tempore ceperunt. Paulo antè Idus Augusti quo die Neapolitani vrbem ex compacto dedituri erāt, rex cum ouante exercitu in pristina castra rediit, vt ad præstitutum diem ciuitatē acciperet. Pòst vbi Neapolim è Styriensi vastatione reuersus, nihil profectò Matthiæ fuit antiquius, quam Hippolytū ad se vocare, vt Itali eius comites grauissimam obsidionem, vnctumq; ritè spectarent, rem quidē à rege & spectatore dignissimam. Hippolytus nonum tunc na- 10 ctus annum, puer erat fausto aspectu, ore venustissimo, productiore aliquantulū naso, pulchris quidem oculis, & grandiusculis: capite, humeris, cæterisq; membris inter se mira pulchritudine cōsentientibus. Item color illi subfuluus, cristaneus crinis, cogitabunda quoq; facies: & plus regiæ grauitatis quam puerilis lætitiæ referens: veluti noua præter ætatem cōsilia, argutaque responsa in horam excuderet. Ad hæc imperiosa indoles, & angelica, plus magnanimitatis quam humilitatis præseferens. Cùm generosum eius aspectum intueris, grauitatē inspicis sine suspicione tristiciæ, ac ingentem sine menda venustatē. Proceramq; tibiæ corporis staturam pollicētur. Seuera diligensq; principis educatio, immaturam in eo grauitatem effinxit. Eutrapelon nimis est ingenium & versatile: ac tanta versutia & dexteritate præditum, vt nunquam incautum offenderis. Verba pro tempore & loco grauia, & arguta: nihil vnquā ab eius ore profluxit insulsum. In differendo quandoque vsque adeò callidus, solers & versutus, vt doctos sæpe viros præter ætatē obliget argumentis, in procerum colloquio cōstitutus, perbreui & opposita vtitur oratione: si relaxandi animi gratia, verbis à circumstantibus irritetur, cōcinna quenq; responsione validoq; epicheremate cōuincet. Quare ad clarissima quæq; facinora natus esse videtur, quum nihil in puero vulgare, nihilq; reprehensibile deprehēditur. Ab omni vitij suspicione videtur alienus. Mirabilis in eo pudor elucet, itē summa religio, rhythmos quotidie sacros pōtificio more dictitat, rem sacrā facit: vsq; adeò turpitudinem omnē abo- 30 minatur, vt ad diuinū tantùm cultum natus esse videatur. Mores eius vbiq; regij, & à seuera institutione profecti: Si qua Hippolyto remittendæ intempestiuę grauitatis gratia, inter ęquales ludendi copia à magistro dabatur, ita salsus & facetus quandoq; inter familiares apparuit, vt diu salibus Atticis dixeris imbutū. Præcox in eo virtus, & modestia cernebatur: nihil vnquā egit quin ætatē superaret. Quicūq; ipsum intuebatur, multos in eo Aragonios Estēsesq; principes licebat intueri. Quòd si cū exitib. principia planè cōsenserint: nemo qui eū contemplatus est, præstāti clarissimū principem indole futurū nō ariolaretur. Quare Stephanū rex Bathorem, quem è Transyluana prouincia paulo antè euocarat, vt expugnandis ad extremū Neapolitanis adesset, & cum delecto mille hominum 40 equitatu aduenerat, Semproniū mittit: vt magnificē pro archiepiscopi dignitate, Hippolytū in Pannonica castra ducat. At vir ille seuerus, integer, & eximius disciplinæ militaris artifex, qui perpetuā sibi castitatem indixit, vt omnium est opinio, diligentissimē mandata peregit. Semproniū, cum equitatu nobilissimo contendit, & metropolitā secum adducit. cumq; per cursores auditū est ad dena milia passuū appropinquasse: rex continuò quadrata duo agmina obuiam præmisit, qui Strigoniensem archiepiscopum excellentissimū Hungariæ primatem, & legatū pontificium (vt aiunt) natum, vti par erat, præuenerarentur: & nō ætatis, sed præcellentissimi generis & potestatis rationem haberent: belli præludia inter redeundum agerent, varia pugnæ simulachra oblectandi pueri gra- 50 tia referrent. Ad tertium vsque lapidem, ipse demum cum vniuersis optimatum procerumque ordinibus & præfectis occurrit: Hippolytū haud aliter, atq; vnicum gnatū amplexus, totum osculis aspersit: & spectata generosa indole, vsq; adeò oblectatus est, vt ad mortem vsque pro filio dilexerit singulari pōpa plausuq; militari in castra & tabernacula sua perduxit. Honorificentissimē hic Hip-

Hippolytus Esten.

Edinburg.

polytus cum Ferrarienſium nobilitate excipitur, interdiu noctuq; viſitur à rege, ſępe rapitur in amplexum, & quotidiana regis indulgentia confouetur. Ad reginam deinde ducitur, Lutinbergi præ aduerſa valetudine ceſſantem, & vbi fauſtæ maternæ lætitiæ ſatis factũ eſt, ad regem in caſtra ſubinde refertur. Cùm accipiendæ vrbis dies inſtaret, decedentibus Alemãnis, ad præſtitutũ diem hæc regi deditur. Mox cuſtodibus immiſſis, qui per faſtigia paſſim vrbis Coruina Pannonicaq; ſigna diſponerent, inſtructis victrices legiones ordinibus, vrbem vna ingreſſæ, altera porta in caſtra rediêre. Regina deinde cum aulicorũ & oratorum manu arcem adiuit, vt Cæſareæ vrbis imperium obiret, virumq; triumphantem exciperet. Tertio die expectata ſiderum dexteritate, Matthias ouans ſub vmbella, magnifica pompa, & præcedentibus cũctis ſacerdotum magiſtratuumque ordinibus, vrbem ingreſſus eſt. In qua quidem pompa non fercula ſpoliorum, non captiuorum turba, non oppugnationis conficta ſimulachra, ſed victricia tantùm Coruina vexilla præceſſêre. Poſt regem, Hippolytus Pannonicorum princeps primatum: Item Vrbanus Thomas ſecretarius, pontifices, & præfecti caſtrorum, in palmata veſte ſucceſſêre. Inprimis Stephanus Bathor, Stephanus comes, Tetaurus, Garapetrus, & Matthias frater: item Bertoldus, Iacobus Zechel, & Ladiſlaus Caniſaij. ſuccedebant cæteri equitum præfecti, & cohortes militum, quę certatim Io triumpho, Io Triumphe, ingeminabant: Coruinum Cęſarem Auguſtum, & verum denique Imperatorem exclamabant. Variæ tunc nationes, ſuis quæque linguis diuó Matthiæ cuncta fœliciter publicis votis optabant. Matthię tandem Neapolitana ciuitate potito, & de Auguſtali ſede triumphanti, ex omni ferè Vngaria legati congratulatum conuenêre. Quin & cæteri pontifices, proceresque abſentes, ſuum ritè officium præſtiterunt. Verùm illud profectò nec minus quidem admirabile viſum eſt: nullã vim, nullam inſolentiam, nimiámve contumeliam & conuiciũ, neq; publicè neque priuatim victis illatum: imò vbiq; honeſtè ſancteq; verſatum. Ille nempe melior eſſe videbatur qui pallentis longa fame hoſpitis ora citius refocillaret. Quin & ex oppidanis aliqui incõſiderata colluuie diſtenti expirarunt. Sed quis illam acierũ inſtructionẽ tacitè prætermiſerit, quam eo die inſtituit, quo compoſitis Neapolitanis rebus caſtra moturus, ad Sceam Viennã properauit? quæ vno die obſeſſa viſa eſt, & capta. Ante Neapolim, in patentiſſimo campo legiones omnes explicuit, in aciem digeſſit: vbi quæcũq; apud veteres legeram de diſciplina militari, mihi recognoſcere licuit. Nimirum ibi ſe non modò regem ſapientiſſimũ, potentiſſimumq; principem, ſed imperatorem quoque conſummatiſſimum oſtendit. In quatuor tantùm agmina diſtribuerat equitatum, velites ac equites leuis armaturæ in duas tantũ alas redegit, vt breui copiarum diſtributione multitudo facilius regeretur, & confuſio euitaretur omnis. Exercitus qui è caſtris prodierat in campũ, vt inſtituto agmine ad occupandas Noricorum furcas fauceſq; contenderet, ex octo milibus peditum, & viginti milib. equitum (ſine pueris, calonibus & lixis) item ex carris circiter nouem milibus ſanè conſtabat. Rex autem ſuis manibus cuncta agmina inſtruere voluit: & caſtrenſia munia pro meritis ipſe diſtribuit. Cuique agmini vexilla ſua eſſe: vbi in primis Chriſtianæ fidei, mox Coruinæ domus, deinde inuictæ gentis Vngariæ, poſtremò Dalmatici Boemicique regni & Auſtraliũ inſignia ſpectari. Neq; præfectorum equitum, militumq; deeſſe vexillationes: Imò viritim quiſq; equitum præfixa haſtis vela ferre: quod ad militare ornamentum admodum faciebat. Inprimis, vbi inter turmas ille prodiit, ſilentium indictum, non ſolùm viris, verumetiam equis, religioſè ſeruatũ. Allata primi agminis in medium ſigna, è manu ſua præſtantiſſimo veterano, non ſine ſolenni præfatione, diligentique præcepto commiſſa. Calcaribus ille carere, quod non ſine admiratione ſpectare viſus ſum. Id factum idcirco rebar, ne in maximo conflictu, præ timore concitato equo fugeret, ſuaque fuga reliquorum animos conſternaret: mox duodecim enſes, totidem ſecures, & clauæ benemerentibus datæ. Securiferi, enſiferi, claui feriique, vexilliferũ circunſtare. Deinde turmarum ordines ante vexilla conſtituti: quorũ ſinguli ex quinq; & viginti equitibus conſtabãt, vt numerus equitum

Lutenbergum.

Neapolis deditio & triumphus.

cum turmis cõsentiret. Proinde turmæ circiter octoginta equitũ ante signa præcedere, subsequi totidem: reliqua demum agmina eodem modo instituta. Ita quisque ordinem seruauit, vt si digito plus aliò processisset, Imperatoris quàm maximè circumspecti sæuitiam reformidare cogeretur. Tantum vbique vigebat obsequium, tantus timor, & reuerentia, cum Imp. amore coniuncta, vt dicto citius imperata quisque præstaret: vitam dum imperio satisfaceret, pronihilo duceret. Tantum est vbique silentium, vt non modò præter Imperatoriam nulla humana vox, sed ne vllus quidem equorũ hinnitus, vsquã sit auditus, institutum. Deinde quodque agmen, vbi aliquanto præcesserat, dato signo, ante principis ora belli simulachrũ agere, & nunc in cuneum, nunc in orbem, nunc in trigona, tetragonáve, aut in forficem, & serram mutata acie verti. At vbi satis superque, nemine suum locum deserente, summa peritia & dexteritate lusum est: vti suæ Beatrici ostenderet euidentius, quomodo instructa acie pugnaretur, repentè agmina cuncta disposuit. In vtroque eorum duo validissima cataphractorum equitum agmina collocauit: digessit turmatim, duo quoque alia in medio statuit: his etiam militum agmina interiecit. In primo horum ordine grauis armaturæ pedites, deinde hastatos, sagittarios, ferentarios, cæterosque leuis armaturæ milites ritè disposuit. In tertia acie triarij præsidebant, & extrema signa tuebantur. Item ante vtrumque cornu duas velitum alas intendit, qui quidem in ordinem seruabant, tanta pernicitate præpollentes, vt aues cursu adhibere posse viderentur. Ego autem Beatricem sequutus, dum ad spectandum instructum exercitum me conuerto, tanquam manum collatis signis iam iam cum hoste conserturum maxima sum continuò admiratione correptus: nam veri scorpionis imaginem præferebat. Pòst vbi satis fnperq; à Beatrice spectatum, ex ordine quodque agmen iter facere cœpit. Carri pariter à latere agi, quib. pro fossa valloque, ex instituto Coruini, Vngari non solùm munire castra, verumetiam falcatis in prælio vti, hostesque his circumuenire solent. Miranda sunt profectò quæ diximus, quum nunquam hæc in Italia videre licuit. Sed cùm disciplinam militarem moresque sanctissimos quib. Matthias Vngaros educauit, mecum ipse considero: aliquandiu in castris diuersatus, ne minore quidem admiratione conficior. Nusquam gentium milites spectare licuit caloris & frigoris, tem laboris & inediæ tolerantiores, qui studiosius imperata faciant, lubentius dato signo pugnam ineant, se morti promptius exponant, item qui militarem seditionem magis detestentur: in castris quietius honestiusq; viuant, sese religiosius agant, tumultus magis abominentur & rixas, colant auidius temperantiam & castitatem: & ab omni blasphemia, periurio, illegitimaque venere, sint magis alieni. Maxima pars equitum quibus vxores sint, & liberi, triennium quandoq; assiduo militare coacta, nunquam coniugij fidem violasse creditur: Si quis cum scorto deprehensus est, perpetua sugillatur infamia. Fortitudinis & patientiæ sunt plus quàm Lacedęmoniæ. Hyeme iuxtà atque æstate castra frequentantur. Et quod meis hisce oculis sæpe vidi, sub niuibus ac terra ne obsidionẽ deserant institutam toleranter hybernant. Vnde mutum sæpe more prodeunt stationibus totam noctem, tesserariorum iussu, equites adsunt: neque loco mouentur, neque de rigenti algore queruntur. Et quamuis plerisque membra vesaniente frigore, obstupescant, inuicto tamen animo cuncta patiuntur: liberos in castris alunt, ibiq; militaribus studiis informant. Ex quo fit, vt gens Vngarica bello aspera, ita institutis, ductu auspiciisque Coruini accreuerit: vt quę non modò paternam à Pannonia glebam possideret, sed vix intra hostile pomœrium se sine sanguine tueretur, tantum fecerit accessionis, non à Sarmatis ad mare vsque Adriaticum, at à Mysiis atque Macedonibus ad Noricos vsque, ac Germanos sub ditione sua imperium propagarit. In Pãnonicis etiam castris multos Curios, Camillos & Fabricios, multos etiam Fabios, Scipiones & Æmylios perlustrãti recognoscere illa tempestate licuit. Matthias autem Cęsarem Alexãdrúmve, & re & verbo referebat. Hoc etiam anno fœdus cum Anconensibus tex percussit: sigillum, & signa regalia misit, quæ terra mariúque gestaret: & quicunque illa læderent,

Vngarorum disciplina militaris.

Fœdus cum Anconitis.

derent,

derent, pro hostibus à Matthia ducerentur. Initam cum Pannone societatē, Innocentius pontifex maximus ęgerrimè tulit, & ad rescindendum fœdus Anconam vi vrbem adegit. Veneti quibus cum pontifice ictum fœdus erat, ita criminibus Anconenses onerarunt in Pannonis inuidiam, vt nūquam quieuerint, donec signa regis ciues sedandæ iracundiæ gratia, Romam ad Innocentium miserint. Rex igitur Neapolitana vrbe potitus (vt ad historiam redeamus) Ferrarienses, qui Hippolytum Aragonium adduxerant, paucis pòst diebus magnificè donatos, in Italiam remisit. Regina è cœli iniquitate graui febre correpta, Viennam rediit. Quin & ob diutinam obsidionem in castris, & in vrbe pestilētia non
10 mediocris obrepserat, qua multi aulici, militesque non ignobiles absumpti. Rex ad componendas res Stririæ remansit. Neapolitani in manus regis publicè iurarunt, se imperata eius ac posterorum planè facturos, initamque societatem, & promissam fidem nunquam violaturos. Paulo pòst in penitioribus Austriæ partibus haud procul à diui Hippolyti oppido, suscitatum à Cæsareis est bellum. quò cùm regiæ turmæ, nonnullæque cohortes obuiā concessissent, cōmisso temerè prælio, acerrimè pugnatum est, & dubio vtrinque euentu: Alemanni tandem fusi, & multi vtrinque capti, sauciique, & ne pauci quidem in eo certamine desiderati. Cumque semper aliquid noui apportet Austria, & Fridericus Imperator in tanta rerum iactura, neque dolis, neque viribus parceret: nonnullos sibi
20 notos, vt à rege deficerent, excitauit. Quare eodem anno dux Victorinus, Georgij quondam regis filius, & comes Guilhelmus, item nonnulli in Austria reguli, vna ex composito rebellarunt, vt vario regem bello defatigarent. Rex omnia bellantium oppida publicauit. Both Andreas, præfectus equitum impiger, & industrius, callidissimi compos ingenij ac Maiestati regiæ perquam charus ad capienda Victorini oppida in Sclauonia, quæ cum Oppauiæ ducatu quondam cum rege commutarat, missus est: cum paucis cohortibus, & quingentis equitibus: Iacobus Zekel ad Guilhelmi fratrumque oppida, quæ non procul a Zagabria prominent. Is eo anno in Stiria, Carniola, & Carinthia diuersatus, totum agrum latè incursauit, vastauitque: multa imperatoris oppidula cepit. Demum
30 in Venetorum vsque fines licentiùs euagatus est. Qui autem in Austria rebellarunt, in sequenti anno patefacta defectione, oppidis cūctisque bonis à rege sunt exuti. Capta Neapoli proxima hyeme ad oppidum, cui à diuo Hippolyto nomē est, conuentus ex composito indictus: quò rex cum oratoribus Cæsareis, & Bauariæ ducibus conuenēre, induciæ ibi factæ. Verùm superiore anno Idibus Maiis, Ioannes Antonius Mediolanensis nondum Metropolita, cum ornatissimo nobilium comitatu, ad confirmandam Ioannis Coruini & Blancæ affinitatem, ab antistite Varadiensi prius initam, Viennam ad regem venit: quem quibuscunque potuit, honoribus ille recepit: & dispositis è sententia rebus omnes ampliss. donatos in Italiam remisit. circumspectus enim princeps, vt multi per-
40 hibent, cùm se valetudinarium esse intelligeret, & perbreui moriturum (nam ex labore militię cohortem in se contraxerat morborū) filij nuptias festinare occipit, quas ex affinitatis legibus facere non poterat, nisi Ioannem prius regem constitueret. Decreuerat se Boemiæ regno abdicare, sufficere sibi filium: cùm de Vngaria, repugnante Beatrice nouerca, nihil auderet. Quare in Silesia, cum quodam duce bellum suscitauit: vt amplissimum gnato dominatum traderet. Neque Lusatiam intactam prætermisit: in vtraque prouincia nonnullos regulos, ad venundandas vrbes impulit: & recusantibus captata legitima occasione bellum indixit. Cùm igitur in Silesia bellum foret obortum, Trincham Boemorum equitum præfectum, & Franciscum Aristum cum expeditissimo e-
50 quitatu in prouinciam misit, vtrique veluti à rege mandatum erat, cuiusdam illius ducis munitissimam vrbem obsident: quem à fide regia defecisse dicebāt. Ille ad Vladislai regis opem confugit, auxilium implorans, ob veterem cum Matthia societatem: Ladislaus auxilium abnegat, ne sanctum fœdus violare videretur. Recurrit ad proceres passim opem exorans, admonensque: nisi prospiciatur, quæ ipse mala nunc patitur, eadem illos esse mansura. Quare illi per-

Aliud bellum in Austria ortum.

suasi,è collecta stipe auxiliares copias mittunt: ne socium & amicum paterno & auito dominatu spoliari patiantur. Dum vrbs acerrimè obsidetur, soluendæ gratia obsidionis accurrunt, in cōspectu castra locant: mox captato tempore, prælium ineunt. Hi tanto in Pannones impetu irruêre, vt aliquantisper eos inclinarint. Vngari in hac re Boemorum perfidiam causabantur: quippe qui, ne gentilia bella committerēt, eos prælium detrectare dicebant. Aristius Boemica fide parum fretus, cū expeditissimo equitatu se in syluam recepit, vt à tergo, lateréve hostem incautum adoriretur: circumacto non imprudenter agmine, demum in Boemos irruit. Pertinax hîc pugna conseritur: multi vtrinque trucidantur. Trincha tandem cum quadrato Boemorum agmine, quamuis inuitus cum sua gente certaret, Boemicumque sanguinem hauriret: tamen, vt militari officio satisfaceret, acerrimè, deposita suorum charitate, pugnauit, cùm hic à frōte, à tergo lateréve collega certaret, Boemi diffugere demum occœpêre. Fuso fugatoq; hoste, cùm Pānones se in castra non incruenta victoria recepissent: vrbs, interceptis auxiliis consternata, deditionem tandem facere coacta. Hinc inter Matthiam, & Ladislaum regem oborta simultas. Hic queritur, quòd præter iura fœderis, suis hostibus auxilia submisisset: ille crimē inficiatur, & societatem se sanctè seruasse profitetur: id tamen fatetur ingenuè se Boemis, qui è militari stipendio victitant, aliena stipendia legitimè inhibere haudquaquam potuisse. Ioannes Varadiensis antistes, Boemici regni procurator, conquestū de læsa societate à Matthia missus: & super ea re à Vladislao bis excusatum, delecta procerum legatio Viennam venit. Compositis tandem vtrinque rebus, Matthias dissimulata iracundia, ad amplificādum filio apud Slesitas, Lusatianosque imperium, animum reuocat. Varadiensi tantùm in hac re medio vtitur, quem Boemicarum rerum moderatorem dexterrimum esse nouerat. Is è mādato principis, eas sæpe duobus illis annis prouincias repetit: regulos omnes ad venundandas regi ciuitates hortatur: magnam promptamque mercedem pollicetur, imminentium admonet periculorum. Quare optimi proxenetæ astu, varias vrbes cum municipiis, & dominatus in vtraque prouincia regem gnati gratia mercatum fuisse dicunt. Eò vsque in Lusatia propagatum eius imperium, vt duorum dierum itinere Sarmaticum Oceanum attingeret. Quod tam prosperè in his partibus cuncta successerint, & Varadiensis & delectus regis exercitus, ibi diuersatus, qui longis incursibus omnia latè magno terrore perculerant. In causa fuêre ditatus præda exercitus præter duplicata stipendia: & Ioannes Varadiensis amplissimo dominatu, qui septies mille aureûm quotannis reddebat, à rege donatus. Cùm rex Viennæ duobus annis post captam Neapolim, & octo ferè mensibus permansisset, in Silesiam & Lusatiam sub diætæ (vt aiunt) prætextu sæpe se iturum esse prædixit. Quid aliud moliretur, ne satis quidem exploratum habeo. Eo tempore Stirij & Carinthij, ob frequētes Pannonum incursationes, pacem sępe mercati sunt adacti. Quin & præsides prouinciarum reguli, abbates, pontifices, & præpositi, cum Augustali oratore Viennam venere, vt pacem à rege mercarentur. Res omnes hîc Vrbano autore, & Thoma pontifice Iauriensi suffragante, compositæ sunt: & fortasse carius pacem emerunt, quàm si bella gessissent. Ii demum à rege compositis rebus, lautissimo cōuiuio sunt excepti: & nonnulli non indonati abiêre, vt in Pannonicam è largitione fidem pręuenirent, si quid in eos auaro patratum est, id factum, vt vi adacti, ab Imperatore deficerent. Eodem quoque anno Turcorum legati, pro confirmandis sæpius induciis, in Pannoniam venêre. Aduentarunt quoque Polonorum oratores, vt Matthiæ simultatem cum Vladislao dudum initam, & suspicionem omnem, quacūq; possent arte, adimerent, & alia nonnulla disponerent. Vsualdus Zagabriensis episcopus, in Poloniam remissus, è sententia regis mandata peregit. Item in sequenti anno Dominicus præpositus (vt aiunt) Albensis, & Basilicę diuæ Virginis antistes, ad sedandas quę quotidie vtrinque oboriebantur cōtrouersias & suspiciones eodem à rege missus est, qui ad obeundum munus oratorium nimis videbatur idoneus. Postero autem anno Calen. circiter Ianuarias, qui octogesimus nonus supra millesimum

Simultas inter Matthiā & Vladislaum.

num & quadringentesimum erat, cùm rex Viennę foret, cœlum præter morem grauiter intonuit. quo quidem portento perculsi & attoniti omnes, regiæ Maiestati nimium timere cœpimus. Ex inita enim podagra & obrepēte quodam languore laborare cœpit, vt nunquam pedibus vltrà constiterit. Eius protomedicus Iulius Æmilius erat, non minus genere quàm doctrina præstans: qui ne parum quidem hucusque in regia valetudine fortunatus erat: cùm huic alter Italus adiectus esset, remisit diligentiā, cùm in suam inuidiam, corriualem sibi inductum arbitraretur, increbrescente deinde morbo, eius vita vix in duos à medicis annos differri potuit. Hoc anno multi ex vniuerso orbe ad Matthiam oratores

10 confluxêre. Eò vsque nomen eius excreuerat, vt vniuersus eum orbis veneraretur, & timeret: & non solùm Christiani principes, verumetiam prophani, huc missis è remotissimis partibus oratoribus instarent, & amicitiam anhelarent. Superiori anno Petrus Siculus episcopus Lucerius, Historicus & Orator optimus, à Ferdinando rege missus erat. Hoc vere, Angelus Hortanus antistes legatus apostolicus, vti Petrum archiepiscopū liberaret, quatuor iam annos in carcere iacentem, Viennam venit: & magnificè à rege susceptus est. Deinde cùm ingruente vere Budam rex anno secundo descenderet, ab Vngaris diu crebris legationibus repetitus. Paulo pòst legatus Venetorum aduenit: vti obortas in Dalmatia de finibus controuersias planè componeret. Talis prætextus ob-

Ranzanus

Legationū frequentia.

20 tendebatur. Verùm, vti multorum ferebat opinio, cùm iam Pannon præpollens viribus, Venetis formidolosus esse cœpisset, & de breui eius vita rumor differretur, exploratum potius quàm oratū accessit. Paucis pòst diebus, honestissima Turcorum legatio adfuit, qui non modò inducias, sed pacem instantissimè postulabat, vt acceptam, & sanè grauissimam, eo anno à Solodano in Styria cladē, compositis cum Pannone rebus, vlcisceretur. Nondum ista honorificè dimissa, cum patriarcha Hierosolymitanus, Solodani Assyriæ principis orator, diu expectatus aduenit. Superiore namque anno, per Iunium patricium Ragusinum, varia Solodanus ad regem munera vestesq; Tyrias miserat. Is de ineunda cum eo societate in Turcos diligenter egit, multaque pollicebatur, si communi du-

30 ctu & auspiciis expeditio ista susciperetur. Nam cùm paulo antè, terra mariq́ue insigni sanè clade Turcum in Syria afflixisset, vt à tergo Matthias instaret, Assyrius tyrannus nimis appetebat. Perbreui, si hoc fœdus ictum foret, Turcorum vires attenuatum iri confidebat. Mors autem (vti paulo pòst ritè dicetur) omnia intercepit. Eodem etiam die, Roxanorum legati cum Peloponnensi Despota exauditi, ac omnes magnificè & recepti & dimissi sunt. Item, Friderici imperatoris & Maximiliani Romanorum regis legati cum eximio comitatu, in hęc tempora inciderunt, vt cum Vngaro de pace agerent, & longissimo bello finem imponerent. Quod cùm Ferdinandus rex Neapolitanus accepisset, vt ad salutarem concordiam vtramque partem hortaretur. Franciscum Monta-

40 num ciuem Campanum in Pannoniam extemplo transmisit: succurrebat filiæ sollicitudini, vt reginę Beatricis officium curaret, & de saluberrima pace ageret. Imperatoris autem oratores iidem iterum vltrò citroque missi: vt in conditiones pacis vtrique consentirent. Interea prorogantur induciæ, vt commodius de pace ageretur. Ii tandem magnificè donati, abiêre. Item ex tanta Oratorum varietate nemo indonatus à rege dimissus est. Quinetiam tanta fuit diui Matthiæ magnificentia, vt nullus orator, princeps, nobilis, & cuiusuis fortunæ hospes fuerit, qui rectà eum adiret, quin præter amplissima munera quotidianum victum è fisco vel lautissimum haberet. Contrà rex ad Cæsarem, & Maximilianum filium qui Lincii moram traxerat, Ioannem Varadiensem episcopum oratorem

50 misit, vt de pace tractaret: qui magnificè, haud secus atque aliàs, legationem illam peregit: & cùm à Maximiliano sibi verba dari intelligeret, ipse quoque verba dedit. Pax autem confici non poterat. Imperator omnia sibi adempta gratis reddi, imò rerum & personarum damna refici postulabat. Contrà Matthias cùm legitimum bellum gesserit, indemnem se præstari oportere dicebat: atq; septies cētena milia nummûm aureûm sibi pro diutissimi belli sumptu

repetebat. Maximilianus paternam pertinaciam ægrè ferre, neque tantam pro belli sumptibus pecuniarũ summam à rege peti æquè tolerare. inter extremam hæc mediocritatem appetere,& cùm se a rege & amari & obseruari plane sentiret, multa sui gratia oppida vltro à Matthia redditum iri cõfidere: quando principis magnanimitatem haudquaquàm ignorabat: proinde bona verba date. Contra Matthias, artem arte eludendam esse censuit, Maximilianum muneribus primùm captare cœpit:& in Lincio commoranti, quadringẽtos vini cados totidemque boues, & duodena nummûm milia dono misit. Varadiensem antistitem remisit oratorem, si quid de pace confici fortè posset: eò obstinatiorem Cæsar se præstabat: quin & filium, iam ad Matthiæ partes declinantem, suspectum habuit. Quare sæpe petenti aditum, occlusit interdixitque colloquium. Ad postremum, Otto Bauariæ dux cum septem collegis orator ab imperatore missus, vt elegantissima vehemẽtiùs legatione rex ad ineundam pro Cæsaris arbitratu pacem flecteretur. Hos magnificè rex excepit, donauitque multò magnificentius: de pace tamen nihil transigi potuit, iniquæ enim vtrinque conditiones offerebãtur. Insuper ne temere quidem factis cum Galliç rege induciis, Maximilianus in Austriam eo anno tantopere festinauit: nam non solùm à patre Cæsare Mathematicis diuinationib. nimis obnoxio, sed à multis quidem Astronomis fuerat admonitus, regem eo anno moriturum. Neque is etiam ignorabat, quid astra minarentur, quibus inconsultis nihil vnquã agebat. Cùm igitur Maximilianus in superiorem Austriam concessisset, sub concordiæ prætextu, mortem regis præstolabatur: crebros oratores, nunciosque mittebat, vt de nutante valetudine certior esset. Paulò antè rex valetudinarius Vienna Budam profluente amne descendit: & ante Ottonis aduentum, dum festa sanctiss. Eucharistiç celebrarentur, in lõgissima sacræ pompæ transuectione, cùm rex ex alto spectaculo præsideret, in frequentissima concione pax inter Pannonem, & Alemannum, publico edicto promulgata, & ad Septembres (vt aiunt) Idus dicta indicitur: vbi Cæsaris, ac regis concordia præsenti vtroque principe transigenda erat. Sed increbrescente Matthiæ morbo, res in alterum mensem prorogata. Menstruatim deinde conuentus iste differebatur. Rex iniquam valetudinem causabatur: disponuntur in aduẽtus iudicum currus circiter quinquaginta onerarij, quibus thesaurus vniuersus erat impositus, & menses tres in arcis propyleo dispositi asseruantur. Nouembris & Decembris iniquitatem sibi timendam coniectores & Astrologi prædicabant: & ne temerè quidem, quando his mẽsibus tertiana febri laborauit. Exactis igitur diui seruatoris nostri natalibus, & captato deteriore horoscopo, cui nimis erat obnoxius, pręmissis curribus vtpote euitato mortis periculo, Viennam contendit. Superiore anno Stephanus Crispus, nunc Sirmiensis episcopus, humanitatis studiis Vngarorũ sanè omnium eruditissimus, & elegantissima dicendi copia præditus, edicto regis orator adinclytum Mediolanensium ducem profectus, vt Coruini, Blancæque nuptias in proximum annum prorogaret, faustissimamq; affinitatem cõfirmaret: honorificentissimè à Mediolanẽsibus exceptus est, & in senatum admissus. Facta dicẽdi potestate, orationem verborum ornatu, & sentẽtiarum grauitate præstantẽ (quç adhuc extat) habuit, ac ad alia secretiora mãdata peruenit. Hic totius Vngariæ nomine congratulationem instaurat, regis & senatus autoritate initam olim affinitatem confirmat, ratas & firmas cõditiones omnes esse iubet. Demum illustrem ducem, & Ludouicum patruum, eius consiliorũ omnium moderatorem, ea tempestate circumspectissimum apud omnes habitum, ac vniuersum deniq; senatum exorat, vt cùm rex eo anno grauissimis rebus foret implicitus, in posterum differri nuptias filij equo animo paterentur: vti magnificentius, ac tranquillius pro vtriusque partis dignitate fierent. Id non ab re à rege postulatum. Nam cùm ex legibus affinitatis filium regem ante nuptias præstare oporteret, & Vngariæ ipse coronam tutò resignare non posset: veritus Beatricis acerrimè aduersantis, & procerum seditionem, Boemię regnum in Lusatiam & Silesiam propagarum, gnato renunciare destinarat. Etsi quid in hac re noui moliretur, ipse sci-

uit, quam ob rem nuptias in posterum annum prorogari postulabat: vt principibus Mediolanensibus promissa præstaret. Omnia Crispus & suauitate orationis,& regis autoritate, ab illis impetrauit. Cōpositis rebus, ne illius ducis vires ignorent,in ærarium introductus est: vbi thesaurum immensum, & inauditam margaritarum & lapillorum copiam spectauit. Antequam reuersurus in Vngariam iter iniret,multa in Italia mercatus est:reuersus ad regem nec ipsum, nec reginam,imò neminem amicorum prætermisit indonatum. Insequēti hyeme,multa,ac varia Viennæ sunt edita certamina. Inprimis equestre singulareque certamen. Hic Ioannes Coruinus primùm se pugnæ commisit,in Hippodromum armatus,cum delecto regulorum equitatu descendit:& præsidentibus in theatro parentibus, cum equite natu lōgè grandiore, pulcherrimè depugnauit. In primo namque congressu,cùm infestis vtrinque hastis in harena decurrerent, consertatorem læso capite, ex equo deturbat. Rex autem cùm Viennæ quamuis ingrauescente in dies ægritudine, sensim extenuaretur, nunquam tamen à curandis rebus domi forisque cessare visus est. Ingruente mox Februario, & deinde Martio citatis per humana corpora iam primo tempore humoribus,eò magis labefactari cœpit. Curabat nihilominus adhuc omnia, ac nihil de pristino studio & diligentia remittebat. Iam annus nonagesimus supra millesimum & quadringentesimum agebatur,& rumor erat, æstate proxima in Silesia regem conuentū frequentissimum habiturum:atq; idcirco Ioannem Varadiensem episcopum in prouinciam paulò antè præmiserat,vt diætam prouincialibus indiceret: ad hāc principes cogeret,& ad regis obsequium populorum animos benè disponeret. Interea rex, qui Viennæ remanet, secum magna molitur. Vrbanum apochrysiarium cum exactis vectigalibus,Viennam festinare iubet,tum dominicæ paschæ solennia appropinquabant: quibus exactis, se ad diætā propediem in Silesia iturum esse prædixerat, sacra ex arbitratu suo, & varios sacrorum dierum apparatus instituit. In celebratione Palmarum, cum omnibus oratoribus,legato Apostolico, & cunctis procerum ordinibus in theatrum temporarium,quod in arcis subdiualibus pridie erexerat,Hexaphoro deuectus est, compta & pexa coma, hilarique vultu ritè sacrificaturus. Aram ibi preciosissimo instruxerat apparatu, donec Palmarum festa ex more agerentur. Sex circiter horis ibi affuit,incredibili patientia:peractis ex ordine sacris,Venetum oratorem ante solium constitui iubet: mox eum in equestrem ordinem refert,anteaque veste, ac equo phalerato donatum, honestissimè dimittit. se, cùm nihil hactenus ientasset, imminente languore in penetralia recepit. Distulit per horas tres è stomachi debilitate prandium: nec non & reginam expectauit, sacro die vrbana templa lustrantem: dum eam præstolatur, ad languorem declinandum, certandi gratia, picenas ficus Petrum promptuariū exposcit: at ille cariosas attulit, & exoletas: quas cùm pergustasset, ita in primo morsu offensus est stolido illius ministerio, vt in iram excanduerit: ad hæc regina reuersa intercessit,pro ingenij viribus commotum virum sedat,placatq;. Exorto de prandio sermone,& illa pro gustu ientacula varia subministrāte,nihil accepit: caussatur vertiginem capitis,& confusa lumina: in cubiculum se referri iubet. Ecce apoplexia repentè corripitur: dux Coruinus Petrus, & Matthias Gerebi eius cōsobrini,extemplo acciti affuere,item Vrbanus pontifex Agriensis,& Thomas Secretarius,Comes Stephanus præfectus vrbis,& Bathor Vaiuoda,cęteriq; proceres. Ad pontificum procerumque concursum, omnes qui aderant animo consternati sanè defecerant. Regem enim omnes conspicabantur grauissimo corporis cruciatu torqueri: & præ vi morbi nihil loqui posse: Hay hay tantùm & IESV exclamare: nulla alia verba fingere posse. ob ingentem igitur principis reuerentiam, & in tanto vitæ discrimine nemo ipsum tangere, aut aliquo verborum cibive adminiculo subuenire ausus est. Sola regina nunc ore, quod dudum is obstruxerat, vi adhibita patefacto,vitæ fomenta ingerere: nunc, vt resipisceret,aures,digitos,crinesq; distrahere:nunc brachia,manus & tibias obligare,vt in tali periculo fieri solet: item obclamitare ad aures, & inuersos oculos

Ioan. Coruinus.

1490.

aperire: nullum studium & charitatis officium omittere: nunc medicos morbi grauitate confusos, consulere & hortari. Contrà ille ad dolorum tãtùm insultus, adauctusque ingemiscere, rugire Leonis more, & cum ipsa morte acerrimè colluctari. Tacitus fletus, quicunque aderant, amicos incessit. Dolebant proceres legionumque præfecti, qui arcem adire potuerant, & regem e tot bellorum periculis asseruarant, nullam nunc opem contra fati imperium afferre posse. Præterea sibi, regnoque timebant: non ignari, è medio sublato principe, omnia mixtum & perturbatum iri. Ingentes igitur tota nocte mugitus edidit. Ingruente demum aurora, dolor væsanus ille desedit. Horas aliquot ne tranquillus quidem eum somnus obrepsit. Deinde væsaniente iterum morbo experrectus, totum illum diem mutus & resupinus insomnem egit: obfirmato sæpe obtutu, modò hunc, modò illum, nunc filium antè stantem, nunc reginam intuetur, veluti aliquid admoniturus dicturúsve. verba sæpe effingere conatus, nunquam tamen proferre potuit. Instabat regina rogans, quid iuberet, & tanquam eius nutum intelligens, percunctata an hoc, an illud imperaret, nullum vnquam verbum exegit. Cùm in lethiferum recidebat ille soporem, ad superiora hæc remedia recurrebat: iterum artus obstringit, in os aliquid fomenti vitalis infundit, inspirat auribus, & emigrantes spiritus quacunque potest arte remoratur. Sic iste infaustus dies actus. Tertio verò, qui a Marte nomen accepit, inter septimam & octauam horam ante meridiem, cùm raucos semper gemitus emisisset, variaque ingenitæ pœnitentiæ indicia (veluti diuinam veniam imploraret) edidisset, è profluuio demum capitis animam efflauit. Inter moriendum pilula, nucis instar, è stomacho repentè suboritur: & inter agendam animam, sensim ad os subit. cùm ad epiglottim peruenisset, ille continuò expirauit. Matthias igitur, princeps inuictiss. anno Salutis nonagesimo supra millesimum, & quadringẽtesimum, Nonis Aprilis, & die Martis, ætatis autem anno quadragesimoseptimo, cum perpetuo sui desiderio, diem obiit. Et quemadmodũ mense Martio natus erat, ita die & hora Martis vita decessit. Multa eius mortem signa portendêre. Inprimis enim superiore anno, post Calend. Ianuarias, cœlum intonuit: Item Danubius insolenter post obitum eius excreuit, multos pagos & accolas vrbes inundauit: vt extincto regni propugnatore, Pannonias a Turcorum incursu tueretur. Leones quoque qui Budæ detinebantur, omnes eodem quo rex die interiêre. Item, nulli eo tempore corui, qui Coruinæ domus insignia referunt, Budæ suspecti sunt: contrà Albæ, vbi regum monumenta sunt Vngariæ, tanta coruorum mutuò inter se crocitantium multitudo spectata, vt omnes hic regis mortem facilè ariolarentur. Neque coniectores & mathematici eo moriturum anno reticuêre. Insuper paulò antè, cùm Vienna Budam descendimus, & ad Comaram rex ipse substitisset: in turris fastigio, quæ supra portam extollitur, ciconiæ nidum suspeximus: de quo, explosa domina, quatuor inter se ciconiæ acerrimè sanè certabant. iussit cæteros id aulicos mecum vnà suspicere, mox inter socios, veluti diuinitùs afflatus, Pannonicam eo anno concordiam turbatum iri, & mortem hinc principis imminere auspicatus sum: in partes item quatuor Vngarorum studia diuidi, quando reges quatuor de regno dimicaturi erant, atque infirma id regis valetudo auspicium confirmabat. Postero die mortis, corpus regio cultu ac insignibus exornatum, strato ex ostro lecto, in amplo triclinio expositum, vt ab omnibus videri posset: deinde, quamuis exenteratum, cùm subolere cœpisset, in picata capsa reconditum: datoque Primario Aladario, Bodoque Caspari negotio, secundo amne Albam demissum, quousque exequiarum apparatus ritè fierent, vti infra dicetur. Beatrix vero, Ioannesque Coruinus, extincto rege, accita in arce optimatum turba, vnà cum vniuersa aulicorũ manu, principem miserrimè deplorarũt. Certatim hic proceres diuum Matthiam regem optimum, ac principem inuictissimũ, profuso planctu, defleuêre. Illud omnibus lachrymarum profluuium excitauit, cùm Coruinum ducem, adhuc adolescentem, tanto patre orbatum, vltrò se ad reginæ pedes prosternere conspexêre: & amplexis pedibus obsecrantem, ne se pupillum dese-

Obitus Matthiæ regis. 1490.

deſereret, néve ſanctiſſimi parentis memoriam, de illa ſemper optimè meriti, perditum ire pateretur: imò commendatum haberet, duceret pro filio, vti patri antè ſæpe receperat: quando ſe nouercam pro pientiſſima ſemper matre habiturum eſſe pollicebatur: & in tanta amicorum orbitate gnatum ex corde diligeret, & amaret. Eadem flexis genibus patres omnes ac proceres reginam orant, atque certatim in commendando adoleſcente ſuffragantur. Sedato aliquantulum planctu, ne res Pannonicę ſine moderatione perditum irent: in manus reginæ & Coruini ducis cuncti ſpontè iurarunt: ſe, quam Matthiæ regi pręſtiterant, fidem & obſequium vtriq; præſtituros, imperia cuncta facturos, atque
10 nunquã edicta vlla detrectaturos. Nam veluti cùm defectus ſolis accedit, ad lunam oculos planè cõuertimus: ſic defuncto rege, ad Beatricem & Ioannem ducem ſpem & fiduciam omnes intenderunt. Regina ſupplicantem Coruinum oſculata, filij ſemper loco habiturã, & pro virili ſua dignitatem eius curaturã eſſe promiſit. Eum quoq; ſecum pontificibus, & regni primatibus cõmendauit. Oblatum accepit obſequium, & ſe regno nunquã defuturum eſſe recepit. Mox nimio luctu defatigata, laceratis miſerè crinibus, & inſcripto vnguibus ore, in cubiculum relata eſt. Theſaurus regis, vniuerſaque ſupellex, quam quater centenis milibus plerique æſtimarunt, autoritate ſenatus & reginæ nutu Coruino credita: cuius poteſtati munitiſſimas quaſq; arces pater viuens ſanè cõmiſerat,
20 dederat ſymbola, & in manus eius nõ modò præſidiarios præfectos omnes, verumetiã & proceres multos iurare coegerat: vti haud aliter, atq; ſibi, fidele Coruino ſemper obſequiũ præſtarent: & ſecundum eius obitum, filium ſibi regem ſurrogarẽt. Nonnulli iuramentũ declinarunt, diuerticulum aliquod ex ingenij calliditate cauſati. Præterea, ne quid interregni tempore, fraudis maliq; doli, ex literis Maieſtatis regię falsò obſignatis cõmitti poſſet, regalia ſigilla in medio ſenatu, præſidente regina, Coruinoq;, diffracta ſunt. Sigillum tantũ reginæ ſuperfuit: quo diplomata publicęq; literæ, ſubiectis optimatũ ſigillis, obſignarentur. Secundum regis obitum, tertio die, Ioannes Varadienſis epiſcopus, qui in Morauiam & Sileſiam miſſus erat, ex itinere reuocatus affuit, & defunctum ex ani-
30 mo dominum deplorauit. Placuit ſenatui, vt duplex diuo regi funus dicaretur: alterum Viennæ, Albæ verò alterum: vt hîc cenotaphium, ſarcophagum illic pro dignitate principis iure facerent. Quare ſingulari põpa ſuccollantibus centurionibus, & lecti auro ſtrati fimbrias circumtenentibus, ritè proceribus ac regulis, præfectiſque legionum, ad diui Stephani baſilicam funus elatum, ſubſequentibus in pulla veſte pontificibus, & cunctis vrbis ordinibus: vbi nemo fuit, qui pias regis exequias non veris lachrymis honeſtarit: quin & populus, quem ſæua fama adactum in ditionem ſuam redegerat, lachrymas continere nequiuit: qui feretrum circumſtabant, ij regem optimum, inuictiſſ. illi imperatorem, pars principem clementiſſimum, & Chriſtianæ Reipub. aſſertorem: alij regum prin-
40 cipem, & terrorem orbis exclamare; ingeminare plerique, hunc vnum duorum Cæſarũ debellatorem, & præcellentiſſimæ virtutis cuiuſq; exemplar. Nonnulli hunc vnum magnanimitatis & gloriæ ſpecimen appellare. Miles ducem luget liberaliſſimum, indulgentiſſimum: ciuis gubernatorem requirit: & plebs clementem, & popularem dominum cum ruſtica turba, deplorat. Hunc externi propugnaculum Turcorum, domitorem Scythicæ feritatis, Boemorũ refrenatorem & Alemannici faſtus ac ſuperbiæ domitorem, omniumq; bonarum artiũ parentem pientiſſimum, profuſo luctu vociferari. Hunc optimis quoque eundem Vngariam diſciplinis excoluiſſe, bellicã auxiſſe diſciplinam: & varia machinarum & armorũ genera inueniſſe, & regioni dediſſe precium dicere. Qua-
50 re illud in publico luctu admirabile fuit, quòd nemo inter tot gemitus & vociferationes mentiri viſus eſt. Publicum dolorẽ & imminens, ex obitu illius exitium, Viennenſe incendiũ, ſexto pòſt die, dum Paſchales feriæ celebrantur, ſatis teſtari potuit. Oborto namq; incendio è plebeia caſula, ferè vrbs conflagrauit: & ni proceres, ac pręfecti equitũ cum militari præſidio accurriſſent, & inprimis Stephanus comes, prouinciæ præfectus (qui annos triginta ductarat exercitum)

Funus.

Incendium Viennenſe.

iam de vniuersa vrbe eo die proculdubio fuisset actũ. Insequẽti die regina cum Coruino duce, ceterisq; pontificibus ac regulis, ad celebrandas regis exequias, & habenda comitia regalia, Budã secundo amne descendit. Præfecturã prouinciæ Stephano comiti è senatus consulto commendauit: multum quoq; argenti, pro tuenda vrbe & prouincia retinenda, è Regali fisco dimissum. Vniuersa multitudo cum pullis quinquaginta nauibus, & lugubri veste Beatricem sequuta. Cùm Pisonium foret appulsum, omnes matronæ vrbis pullatæ obuiam reginæ occurrêre, publicoq; planctu principem inuictiss. & regem optimũ luxêre. Iustitium tribus Vngaris mensibus indictum. Nullas in itinere præ dolore regina regales arces subire voluit. Ast vbi Budam deuentum est, in arcem admissa, cui Blasius Rascai præerat, arcis procurator, Matthiæ quondam regi vnicè dilectus: hic post Coruini ducis appulsum, mox eum cum thesauro & regali gaza recepit: & quando in eius manus viuẽte adhuc patre iurauerat, nemini se arces omnes, præterquam Coruino resignaturum, perpetuumque obsequium præstiturum: subeunti iusiurandum ritè persoluit, & cuncta quæ in manu sua fuerant, in Coruini potestatem ex promisso redegit. At ille fideliter agenti, munus confirmauit, resignatumq; restituit. Mox de regali funere agi cœptum, nihil enim de futuro rege ac Repub. decerni poterat, ni prius Matthiæ manibus funebria iusta soluisset. Quare nihil hac re Pãnonico senatui fuit antiquius. Paucis igitur pòst diebus, dimissa Budæ regina, ne planctu nimio sese conficeret, ad Albam regalem omnes pontifices, proceres, reguli, nobilesq; Coruinum ducem in lugubri veste, pullatisque curribus, & equis ritè sequuti sunt. Quin & legatus Apostolicus, ac omnes qui aderant oratores, eôdem concessêre: inprimisque Ferdinandi regis orator Petrus, eloquentia, doctrinaque non mediocri: Alter verò, cui Frãcisco Montano cognomen erat, præterea magna grauitas, exacta facundia, & experientia rerum cum summa ingenij acrimonia coniuncta. E proximis etiam ciuitatibus & pagis ad regales exequias, quę diui Marci feriarum die factę sunt, multi properarunt. In funerali festo multitudo vniuersa processit. Corpus regis purpureo strato compositum: & paludamento, ense, sceptro, corona, pomoq; redimitum, nõ sine calcaribus aureis detecto ore in basilica sub diualibus promi-nebat. Circunstabat ingens turba nobilium, & hinc põtifices, hinc proceres adstitére. Mox instructa regali pompa, funus efferri cœpit, & templum antequam inferretur, circumduci diuinæ oblationis tempore, dum solennia celebrantur, cui duodeni præcedebant equites cataphracti, purpuratique: qui regalia signa tot clara triũphis præferebant: item & vnus qui regium prætulerat ensem. Mox filius pone subsequi, lugubri veste, cui legatus põtificius à dextra, à læua Hippolytus Strigoniensis metropolita, latus vtrunque claudebant. Successere pòst sacri & prophani ordines primatum: inprimis è pontificibus Vrbanus pontifex Agriens. Stephanus Bathor, Ioannes Varadiensis episcopus, item Vsualdus Zagrabiensis, Nicolaus Vaciensis, Thomas Iauriensis, & Georgius Czanadiensis, reliquique procerum nobiliúmve ordines. Cùm in Basilicam diuæ virginis peruentum esset, corpusque in medio constituissent: equites gemebundi, qui vniuersa cum ense signa prætulerant, insignia cuncta pro ara magna humi deiectarunt, veluti regis casu omnia sua trophęa, signa, partaque regna vnà corruerent. Ad quod spectaculum omnes collachrymarunt. Dominico deinde Basilicæ huius antistiti ritè sacrificanti, à Coruino duce oblata preciosa munera, inprimis crux solida, gemmataque, ex obryzo affabrè facta, quam quinq; & quadraginta aureorum milibus venisse prædicabant: item gemmatæ phialæ, & peluis aurea, candelabra, calices, Eucharistię tabernaculum, omnia è puro solidoq; auro confecta, lapillorumque multorum varietate discintillantia. Nonnullæ quoq; statuæ argenteæ, & duodecim sacrarum vestium apparatus, vnionibus admodum onerati: quæ quidẽ omnia quinque & septuaginta milibus aureûm venisse referebant. Item inter operandũ sacris, aræ cornibus septingentos optimates aureos imposuêre. Cùm inchoatum multò antè Mausoleum sub prima testudine, propter intempestiuã morte nondum foret absolutũ, corpus in tẽporario sepulchro, in me-

75000. aureorũ munera in funere oblata.

in media basilica recõditum: vbi, è filij instituto, quot horis sacri hymni decantatur, inter sacrificandum Petro episcopo Lucerino, viro doctiss. & oratori Neapolitano datum laudandi regis est negotium. Is de laudibus & gestis eius sat ornatam & copiosam habuit orationem, & multis (annuente senatu, cunctisq; pontificibus) iam rationibus ostendit, Matthiam regem Christianæ Reipub. assertorem, principem inuictiss. & de Romana semper ecclesia optimè meritum, iure inter diuos esse referendum: quod ab vniuersa concione acclamatum est, & grauiss. super ea re Senatusconsultum factum. Secundum eius apotheosin Coruinus cum vniuersa optimatum turba remensus iter Budam rediit, vt de futuro rege decerneretur. Diuo Matthiæ statura corporis fuit aliquanto maiuscula, quàm mediocris, forma eximia, generosus aspectus, & multum referẽs magnanimitatis: rubens facies, & flaua coma: cui venustatem obducta supercilia, vegeti, & subnigricantes oculi, & sine mẽda nasus, ne mediocrem quidem cultum addebant, obtutus eius liber ac rectus, leonis more, oculis nunquam inter videndum ferè conniuentibus. Fauorem semper obstinato indicauit obtutu, quẽ verò limis respexit oculis infensum sibi esse portendit. prominentiore collo & mento fuit, & ore aliquanto latiore. Caput huic addecens: quippe quod nec paruum, nec magnum videri poterat, frons verò parum spacians. Consentiebãt inter se membra spaciosa: brachio terete, & oblonga manu, latis humeris, & patente pectore fuit. Contrà, variusculæ huic fuere tibiæ, ad equitandum haud quaquam inconcinnæ. Proinde formosum erat corpus, cui color albus cum rubore fuerat admixtus: ex qua quidem mixtura mirum quandoque (vt de Alexandro perhibent) fragrauit odorem. Quin etiam lineamentis oculorum, & leuitate, illi nimis fuit assimilis, quem semper vitæ habuit archetypum. Ingẽs à iuuentute celeritas, ac robur pectoris, immensa animi magnitudo, cũ ingenti gloriæ cupiditate coniuncta: item tantum roboris & virtutis, vt neq; animi neque corporis laboribus defatigari posset. Laboriosum huius corpus erat, & frigoris, sudoris & inediæ tolerantissimum: nihil facilius militari labore, nihil domestico difficilius ocio pertulit. Nec humanis quidẽ passus est sibi facilè interdici voluptatibus, muliercularum quandoq; obnoxius fuit amoribus, sed matronis abstinuit. Crapula & vino sæpe cum amicis animũ relaxauit: promptissimus ad promittendum: nõ difficilis ad iram: ingenium perquam liberale ac magnificum, & ad clariss. quæq; facinora intentũ, crudelitatis expers, & barbaricæ inhumanitatis, cui ardentissimũ inerat imitandorum Romanorum studium, quibus cũ perpetuã sibi æmulationem indixit. Quare Coruinæ gentis cognomen sibi inditũ, perquam libenter accepit. Quòd amicos inconstanter amarit, & plerosque depresserit, crimine nõ caruit. Sed nunquam, quẽ nimis extulerit, ab re deposuit: imò nunquam ab amico quem in primo crimine deprehensum habuerit pœnas exegit: sed in iterũ errantem seueriùs animaduertit. Quin & in amicis quãdoq; fuit infelix: quippe qui opibus & honoribus in immẽsum euecti, in eum nõnulla moliri occœpere. Ex humili genere multos extulit, in quibus se fortunatiorẽ inuenit. Cæterũ fortunatiss. semper ferè est habitus. In bello Boemico sibi defuere pecuniæ, verbis ergo, & pollicitationibus crastinis alebat exercitum. Cùm dies distribuendi stipendiũ præstitutus instaret, quẽ promissis differre vltrà non poterat, è præfectis equitũ & legatis legionum ad alearũ ludum inuitatur, tota nocte lusum: ipse tam æquas tesseras sortitus est, vt nihil sibi aliud caderet, quàm quod iactu opus erat. Dena milia aureorũ ea nocte ex ludo sibi comparauit, quæ antequam loco moueretur, militibus dedit, & ex aleæ lucro stipendiũ exsoluit. Rarò quicquam adortus est, quod non prosperè confecerit. Augebat & illud splendorem Maiestatis, & spectantiũ admiratione, quòd regalem celsitudinem non superbia, non elatio animi, non difficultas aditus, non ianitorum improbitas ambibat: sed tanta mansuetudo, benignitas & clementia circumuenerat, vt nemo eum adierit, qui non modò gratia, sed solo aspectu se non beatum profiteretur. Sed Beatricis aduentu facilitas eius, & popularitas multò remissior effecta: nemo est qui eius beneficentiam non admiretur. Cunctas bonas artes affe-

Extat Ranzani oratio.

Matthias inter diuos relatus.

ctatè aluit, viros doctissimos in remotis etiam partib. disquisiuit, virtutes omnes diligenter excoluit: purgauit Vngariam rusticitate, & inuentos politicarum artium artifices introduxit. Scythicos mores mitiores effecit, immanem superbiam repressit, & post Atilam primus ad obsequium diligens duræ ceruicis Vngarum redegit: præpolluit insuper pietate non mediocri, cui mira religio, & tanta diuini sollicitudo cultus inerat, vt domi militiæque non secus atq; Alexander, dextera Deum, sinistra hastam ferret: in deos & homines iuxta liberalis. Consilium huic ad maxima quæq; facinora promptissimum: neq; consilio, audacia & industria defuit, quod & fortuna æquissimo comitatu fouit. Cùm prope Turcos castra metatus esset, sic vires hostium explorauit. Pagano namq; subornatus amictu, cum vno tantùm comite se cum iumento, inter eos qui commeatus in hostilia castra conferrēt, insinuauit, cùm eò peruenisset, toto die pro tabernaculo Turci hordeum vendidit. Ingruēte nocte se incolumen in sua castra recepit. Scripsit ad hostem, se pridie eius castra penitùs explorasse, vendidisse rustici sub persona hordeum, ad tabernaculum eius: & quo maiorem dictis fidē faceret, ferculorum numerum & epularū cuncta genera retulit. Quæ cùm hostis accepisset, timore perculsus, postero die castra soluit: veritus Coruinū regem non modò ad vallū sibi occursurū, sed in medio tabernaculo inuasurum. Ad hæc nō regius ille fastus in eo recognosci poterat, qui multos nostri sæculi reges occupauit. Non purpuræ, non aureæ trabeæ splendor assiduus, non quotidianus tricliniorum & sellarum apparatus: quæ aduenientium lumina deferreant, & contrahant stuporem: non lictorum & ianitorum multitudo, non amanuensiū turba, qui diu multumq; rogati, vix tamen per literas respondere dignētur. Domestico & mediocri delectatus habitu: nisi cùm res postulabat, tunc decorum studiosissimè seruauit. Eius oratio tarda, grauis & concisa, multum ponderis habēs, & acrimoniæ verba numerosē & gradatim expressit, nil insulsum ab eo vnquam auditum. Paucis sibi mox fuit in contentione obligare & conuincere aduersarium. In concione militari concitatus & eloquēs, multarum sibi cognitio linguarum: præter Turcicum & Græcum, omnia Europæ glossemata calluit. Memoria nec Scipioni, nec Mithridati, nec Simonidi denique cessisset. Salibus & facetiis admodum oblectatus est: & quādoque ita popularis, vt inter amicos domesticè cœnaturus, culinæ curam obiret. Non modò suis, verumetiam peregrinis beneficiis erat officiosus. Equestri certamine & aurigatione à iuuentute non sine summa voluptate vsus est. In Hippodromo Budæ ac Viennæ infesta sæpe hasta depugnauit. Matthias etiam in propatulo & oculis omnium assiduè versari, publicè benignissimas accommodare aures, cōuiuari quoque publicè ac loqui, putans obscœnis plurimum actionibu, sconuenire tenebras, honestæ contrà vitæ lucē maiori ornamento fore. Facilè omnes intrò admittere, & admissos continuò voti compotes reddere: non distrahere spes supplicantium, neque per varios aulicorum ordines expedire, sed ipse solus omnia dare, gerere & erogare. Vindicta hostes etiam amicos beneficio superare: in secunda se fortuna non efferre, sed Deo gratias agere: plura confidendo in prosperitate sacrificare quàm reformidando vouere. In metu hilaritatem præferre, in felicitate cum grauitate benignitatem. Non subirasci liberè loquentibus, deridere iactatores: mimos, aretalogosq; plus æquo promereri. Nullam eripere gloriam, nisi propria virtute nauatam, sapientiam re magis quàm verbis exercere. Amicis se indulgentissimum præstitit, inimicis horribilem. In prælio acerrimū pugilem, in victoria facilem, exorabilemq; imperatorem: bene merentibus verò gratissimū, rei autem bellicæ peritissimus fuit. Non destinatò solùm, sed ex itinere occasione & spurcissimis tempestatibus, cùm hostis à primo tutum se fore putaret, prælium sæpe sumpsit, eaque in arte militari commentus est, quæ aliis hactenus ignota fuēre. In obeundis expeditionibus dubium an cautior, an audētior: quamuis nihil inconsulto adoriretur horoscopo. Itinera incredibili celeritate confecit: & centena quot diebus milia passuū actuario curru emensus est. Laborū ac vigiliarum patientissimus: pro tēpore & loco æquè seuerus, & indulgens in milites. A deserto-

ſertoribus & inſidioſis ſeuerius pœnas exegit: conniuebat in cæteris ad iracundiam difficulter irritari: irritatum commotumq́; non citò deſidere. Tot igitur virtutibus præſtantem regem cùm Vngari amiſiſſent, tanto repentè metu perculſi ſunt, vt vnà cum principe, priſtinam virtutem, robur & audaciã, & nomen amiſiſſe viderentur. Quinetiam oſtenderunt, ſe potius à rege vires, animos & conſilia, quàm regẽ hæc ab eis habuiſſe. Vnà cum ipſo decus fortitudo, nomenque Pannonicum cõcidiſſe viſum eſt. Tanta ſubinde proceres trepidatio inceſſit, vti omnes ſine paſtore, inter ferarũ luſtra relicti viderentur. Quamobrẽ quicunque prius regem criminibus petebant, quòd inſolentibus plus æquo vectigalibus populos oneraret, quòd proceres & nobilitatem perpetuo bello conficeret, quòd bellum ex bello ſereret, & nullam pacem & quietem amaret: poſtquam mortem omnes, mutatis verbis, iuxtà timebant, aſſiduoque luctu fortiſſimum indomitumque principem proſequebantur. Populi cũ ruſtica manu, qui quotannis præ bellorum magnitudine multitudineq́; quaterna vectigalia pendere cogebantur, & iniquiſſimam tributorum grauitatem conquerebantur, nũc gemunt: & populationes, vaſtationes agrorum & incendia vndique imminentia reformidant. Si ex inferis regem reuocare fas eſſet, ſexterna ſoluere pollicerentur. Nobiles, qui militari labore ſe abſumptũ iri querebantur, nunc publicũ priuatumq́; exitium expauent. Nonnulli ſanctas diui Matthiæ reliquias è ſepulchro euelli oportere aſſerunt, quibus regni fines luſtrent, & aduerſus hoſtes religioſè gerant. Alioqui eos abigi poſſe negant. Cùm igitur imperante Matthia graui finitimos omnes bello vexarint, domuerintve: nunc coniurata eorum agmina reformidant. Et qui omnibus terrori maximo fuere, nunc omnium vires vel minimas timere coguntur: vndique bella obſtrepunt, grauiſſima pericula imminent: & tot malis Pannones circumuenti, omnia perditum ire conſpicantur, vt quantum regem amiſerint, in poſterum euidentius ſe cognituros eſſe fateri non verentur. Eum itaque publicè cuncta vicatim, oppidatimque deplorarunt: & præteritis futuriſque regibus anteponunt.

DE REDDITA MATTHIÆ CORONA, ET FOEDERE INTER POTENTISS. INVICTISS. FRIDERICVM III.

Imperatorem, & ipſum Sereniſſimum regem Matthiam: nomina locorum, perſonarumque ferè ex Vladiſlai pactis colligi poterunt inferius.

NOs Stephanus Colocenſis, & Bachyenſis archiepiſcopus, lociq́; eiuſdem Colocenſis comes perpetuus: Ioannes epiſcopus Varadienſis, Nicolaus de Vylak Vaiuoda Tranſyluanus, ac Machouienſis, & regni Sclauoniæ Banus: comes Ladiſlaus de Palocz, iudex curiæ, & Emericus de Zapolya, ſummus theſaurarius regni, & capitaneus partium ſuperiorum regni Vngariæ, recognoſcimus, & notum facimus tenore præſentiũ vniuerſis. Cùm aliàs occaſione differentiarum & controuerſiarum inter Sereniſſimum principem, ac dominum, dominum Fridericum Romanorum imperatorem ſemper Auguſtum, Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. regem; & Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ, & Carniolæ, &c. ducem, Dominum noſtrum gratioſiſſimum ex vna: & inclytum regnum Vngariæ, prælatoſque barones, nobiles, incolas, & habitatores eiuſdem regni partibus ex altera parte ſubortarum, ex vertentium, ad nonnullos articulos & capitula pacis & concordiæ deuentum fuerit. Quòd nos ſereniſſimi principis domini, domini Matthiæ prætacti regni Vngariæ, &c. regis, domini veſtri gratioſiſſimi, prælatorumque, baronum,

procerum, nobilium incolarum & inhabitatorum eiusdem regni, quorum plena & omnimoda autoritate, facultate & potestate ad infrascripta vtimur, & fulti sumus, atque nostro ad exhortationẽ sancti domini nostri Papæ pij, medio Reuerendorum patrum domini Dominici episcopi Torcellanens. Apostolicæ sedis legati, missi cum potestate, legati de latere, & domini Rodolphi Redeshain præpositi, Frising. & Vormaciens. ecclesiarum decani, S. nostri papæ referendarij, & apostolici oratoris, & nuncij, in præsenti causa sanctitatis suæ commissarij, cum prefato domino nostro imperatore ad finalem & vltimatam conclusionem eorundem articulorum, sponte, libere, bona & sincera voluntate in hunc, qui sequitur, modum decreuimus. In primis ad optatæ pacis & concordiæ deliberatum & cõclusum est, quòd serenissimus princeps & dominus, dominus Fridericus Romanorum imperator semper Augustus, Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. rex Austriæ, Stiriæ, &c. dux, & hæredes sui, ab eo per rectam lineam descendentes, infrascripta, & oppida, quæ sua imperialis sublimitas in metis & limitibus regni Vngariæ cõstituta possidet, & in suis manibus per se, & alios suos, nomine tenet, videlicet Forchtnstain, & Koblstorff, cum suis pertinentiis omni imperio ac iurisdictione possideat, absque serenissimi principis, & domini, domini Matthiæ, dicti regni Vngariæ regis, domini nostri gratiosissimi, ac hæredum, & successorum suorum, prælatorumque, baronum, procerum, & nobilium eiusdem regni quorumcunque per se aut alios eorum nomine inquietatione, turbatione, exactione, grauamine & molestia, quibuscunque de iure & facto accessione iuris, præsertim eorum qui interesse ad loca prænominata se habere prætendunt in fauorem quorumcunque quouis quæsita colore facta, aut fienda: saluis tamen decimis & causis ecclesiasticis quę in foro suo ventilari & agitari poterunt, prout iuris est, & rationis. In foro verò seculari, in personalibus actionibus, & realibus, contra, & aduersus subditos suæ imperialis maiestatis, & castrorum prætactorum quomodolibet motis, vel mouendis coram iudicibus, per suam imperatoriam maiestatem in huiusmodi pro tempore deputatis actor, iusticiam postulet & requirat, quæ ad requirẽtis instantiam expedite administrari debet, prouiso quod eo adire ad requisitionem subditorum prædictæ maiestatis imperialis, & dictorum castrorum per regem pro tempore, & ipsum regnum Vngariæ, eorumque officiales procedatur, & procedi curetur. Et si passagium generale contra Turcas, pro defensione fidei, & ipsius regni, fieri contigerit: in ea re, requisitione præuia à dicto domino imperatore fienda, iidem subditi maneant inclusi, sic tamen, quòd in eum casum huiusmodi exactionis per suam Imperialem Maiestatem debita fiat dispositio, & aduersus contrauenientes, qui quomodolibet etiam pro suo interesse aliquid attentarent, contra ea, quæ prætacta sunt, ac præfatum dominum imperatorem, & hæredes suos, tanquam contra violatores pacis, rex ipse pro tempore, & regnum potenter assistentiam faciant. Adiectum etiam est, & conclusum, quòd, post obitum dicti domini imperatoris, rex pro tempore, & regnum Hungariæ facultatem habeat, dicta castra & eorum redditus, casu quo idem castrum Koblstorff per dictum dominum imperatorem nostrum demolitum nõ fuerit, attẽto, quòd modicæ extimationis, & ruinosum existit, aliàs ipsius redditus reluendi, ab hæredib. suæ Maiestatis pro summa quadraginta milia florenorum Vngaricalium, & ducatorum boni auri, & iusti ponderis. Item quia præfatus dominus noster imperator, bonis & honestis respectibus hucusque, nomine & titulo regis regni Hungariæ, est vsus, deliberatum est, & conclusum, quòd eadem sua Maiestas Imperialis huiusmodi titulo regis, à prælatis, baronibusque, nobilibus, proceribus, & aliis S. regnicolis regni Vngariæ, ut antea libere, & quiete in eorum literis, & vbilibet honorata, & decorata, quoad vixerit, remaneat. Et rex dicti regni Hungarię, & aliorũ regnorum eidem regno cohærentium, nominari & vocari eo titulo vti, & frui possit, & valeat, impedimento, contradictione, & turbatione regis pro tempore dominorumque, & inhabitatorum ipsius regni prorsus amotis. Item vt respublica, & felix S. Romanę Ecclesię, Christianæq; religionis status, augeri & promoueri eo sa-

eo salubrius, & vtilius possit, præfatus noster gratiosissimus imperator, serenissimum dominum Matthiã regem pro filio suo adoptiuo habebit, & paternè amplectetur: & in præsentiarum in filium recipit, & adoptat, eique, & regno amicitiam, fauores, & promotiones paternas in antea faciet, eundémque dominum nostrum Matthiam regem filium suum nominabit: & in recognitionem tantæ clementiæ, quæ multis respectibus à sua sublimitate Cæsarea eidem domino nostro Matthiæ ad honorem & commoda cedat, vt digna vicissitudine gratitudinis debitæ, se erga suam Imperialem Maiestatem exhibeat: conclusum est, quòd idem dominus noster Matthias rex, adoptiuus filius suæ serenitatis, præfatum dominum imperatorem ex aduerso, quoad vixerit, pro patre honorare, reputare, nominare, scribere, & tenere debeat: annuendo, quòd idem dominus noster rex Matthias præfatum dominum nostrum imperatorem, patrem & regem nominet, honoret, reputet, & eidem patri & regi Hungariæ scribat. Insuper dominum nostrum regem Matthiam, ac prælatos, barones, proceres, nobiles, incolas, & inhabitatores dicti regni Hungariæ, atque nos, ipsumq; regnum, vigore mandati nobis traditi obligamus, & adstringimus per præsentes ad seruandum inconcussè perpetuò, cum eodem domino nostro imperatore, & hęredibus, terrisq; & dominiis suis, pacem inuiolabilem, legibus & inscriptionibus in contrarium facientibus, nõ obstantibus quibuscunque, imò sublatis eisdem, & ad consilia, auxilia, & subsidia suę Imperiali celsitudini. Sed nec serenissimo principi domino Maximiliano, suæ Imperialis Maiestatis filio, cunctis in aduersis, contra quoscunque, toties, quoties fuerit opportunum (S. nostro papa, sede Apostolica, & S. Romana ecclesia duntaxat exceptis) efficaciter pro posse danda, facienda, & prosequenda ad suæ Maiestatis Imperialis, & præfati filij sui requisitionem, præfatorum regni Hungariæ, & regis pro tẽpore deerimus. Dum tamen in expeditione generali contra Turcos in hoc non fuerimus præpediti, & irrationabili mora, & contradictione quibusuis in his omnino cessantibus libertatibus regni in aliis semper saluis. Ob quod Imperatoria Maiestas grata vicissitudine, fauoribus & promotionibus dictum dominum nostrum Matthiam regem, & regni Hungarię bonum statum, signanter contra Turcum, & infideles Christi hostes apud Sanctum dominum nostrum papam, sedem Apostolicam, principes S. Romani imperij, & aliâs, vbi opportunũ fuerit, sincerè promouere: Et si (præmissis tamẽ signanter ad causam castrorũ, vt suprà, ordinatis, semper saluis) aliqua partiũ, siue domini, aut eorum subditi vtrinq; inter se, alter ad alterum querelas aut petitiones quascunq; habere prætenderint, illas, prout de iure, & non aliter, prosequi debebunt, quorũ occasione iusticia ad conquerentium requisitionem expeditè erit administranda. Item ad finem, quòd sincera mens pręfati domini nostri imperatoris, quam ad dictum dominum nostrum Matthiam regẽ, filium suæ imperialis Maiestatis, & prætactum regnum Hungariæ gerat, amplius ab omnibus agnosci queat: sua Imperialis celsitudo, nobis suprà dictis Stephano Wardai Colocensi, & Ioanni Episcopo Varadieñ. sacrã coronam regni ipsius Hungariæ suæ Maiestati, per quondam serenissimam dominam, dominam Elisabeth reginam, vnà cum serenissimo olim, bonæ memoriæ, rege Ladislao, ad fideles manus assignat, hucusque fideliter tentam & custoditam, ne ad alienas manus illam deuenire contingeret, oppidumq; Soproniense gratiosè assignauit, & omnem obligationem super eodem remisit. Item ad maiorem solidationem paterni amoris, & in retributionem clemẽtissimæ affectionis ipsius domini nostri imperatoris ad dominum nostrum Matthiam regem, & ipsum regnum Hungariæ, quodque Imperialis Maiestas eò promptior ad ipsius regni commoda, & boni status incrementa accuratius promouenda alliciatur: deliberatum & conclusum est, quòd vacante regno Hungariæ, filiis, seu nepotibus legitimis, ex præfati domini nostri regis Matthiæ lumbis procreatis, non extantibus, sua Imperialis Maiestas, aut filius suæ Cæsareæ sublimitatis, quem ad hoc deputandum duxerit, & post suæ serenitatis decessum, filius eiusdem suę Maiestatis, quem reliquerit: aut si plures fuerint relicti, alter ex istis, quem re-

gnum ipſum præelegerit in regem, ipſi regno Hungariæ præficiatur, cum plena eiuſdem regni adminiſtratione. Item ſi, vt præfertur, præfatum regnum Hungariæ vacauerit, prouideri debet per prælatos, barones, proceres, nobiles, incolas & inhabitatores eiuſdẽ regni, quòd imperialis Maieſtatis, aut filius eius, vt præmittitur, conſilio, & potenti auxilio eiuſdem regni Hungariæ, vt moris eſt, coronetur: & in adminiſtratione plena regni in pace recognoſcatur, & efficaciter pro rege teneatur. Item concordatum, & concluſum eſt, quòd omnes iniuriæ, differentiæ, diſſenſiones, inpetitiones quæcunque, & actiones inter partes ipſas, etiã occaſione felicis recordationis regis Ladiſlai, aut aliàs quomodo libet ſubortæ, & partibus ipſis ex quacunque cauſa competentes, quoad ſe, & hæredes, ac ſucceſſores eorum, penitus remiſſæ & extinctæ eſſe debent, omniſque indignatio, & diſplicẽtia, quos præfati ſereniſſimi principes, dominus Fridericus imperator, & dominus Matthias, reges contra quoſcunque prælatos, barones, proceres, nobiles, incolas & inhabitatores dicti regni, ac alios eccleſiaſticos, & ſeculares, occaſione adhæſionis ipſis dominis vtcunque hinc inde factæ, conceptæ, in futurum minimè vlciſcantur, neque via facti, neque iuris, ſed ſimiliter remiſſæ & extinctæ eſſe debent: pollicentes promittentes, & obligantes nos, ſub honore noſtro, & fide Chriſtiana acturos, facturos, cooperaturos realiter, & cum effectu: quod idem dominus noſter rex Matthias, ac prælati, barones, proceres & nobiles eiuſdem regni Hũgariæ atque nos, omnia & ſingula promiſſa per ipſos, & nos agenda, & facienda, ante coronationem dicti domini noſtri regis Matthiæ, quantocius, & poſt huiuſmodi coronationem infra duos menſes eandem coronationem immeditatè ſequentes, ſigillis & literis procerum dicti regni Hungariæ atque noſtris authenticis firmabimus, roborabimus, atq; renouabimus, proſequemurq; & implebimus, faciemus, & rata ac firma habebimus: firmabũt potiores, roborabunt, atque renouabũt, proſequenturq;, implebunt, & facient, & rata habebunt & firma: confirmationes quoque opportunas ſuper præmiſſis nuncà præfato S. noſtri papæ in hac cauſa commiſſario, & nihilominus etiam ex poſtà S. ſua, & ſede Apoſtolica, ex certa ſcientia petemus, eiſdem ſtabimus & parebimus, ſtabuntque & parebunt, dolo & fraude in his omnibus ceſſantibus quibuscunque. In cuius rei teſtimonium nos T. T. T. noſtra præſentibus fecimus appendi. Datum in Noua ciuitate, feria tertia ante feſtum Mariæ Magdalenæ, Anno Domini 1463.

Extant plures mutuæ literæ horum duûm principum de pace: ſed non neceſſariæ.

RERVM VNGARICARVM DECADIS QVARTÆ LIBER IX.

POSTEAQVAM diuo Matthiæ iuſta ritè ſoluta, & funus maxima pompa celebratum eſt, iam res ipſa poſtulabat, quando varia iam factionibus mala parit interregnũ, iubet ſoluere iura, & magnam facinoroſis addit audaciam: quare non immeritò patrum animos regia ſolicitabat electio. Vrbanus põtifex Agrienſis, & patrum ea tempeſtate princeps, ne quid Reſpub. detrimenti pateretur variarum partium non ignarus, ex Senatus conſulto regalia comitia mox edidit: quæ in Peſtano campo, prẹter Danubij ripam haberi ſolent. Idibus Maiis his dies præſtituta. Tantũ temporis ſpaciũ regulis & nobilitati datum, quantũ ab remotiſſimis Vngaricæ ditionis oris conuenire poſſent. Res maturanda videbatur, ne maior partium indies foret acceſſio: quia perſuaſi nondum erant animi, ne promiſſis & muneribus electi, quibus in vniuerſum facilior erat conſulendi copia. Pòſt vbi variis diuerſa hominum ſtudia factionibus diſtrahuntur, perquam difficulter in vnũ conſenſum cogi poſſunt. Vrbanus ad Comitia primus ſtato die cum validiſſimo cataphractorum & velitum equitatu conuenit. Hunc honeſtiſſ. amicorum agmina ſequebantur, inprimis

primis Georgij Chanadiensis episcopi, item Petri Bochi, Emerici fratris, & Antistij Francisci vexillationes: equites omnes ad duo millia & quingentos extitere. E Transyluania præfectus prouinciæ Stephanus Bathor expectabatur: qui octauo pòst die, cum ornatissimis procerum nobiliumq; copiis aduenit. Quingenti circiter, & tria equitū milia Bathorea signa sequuta sunt. Eius socij, Drach Bertoldus: Ladislai duo, Mauricius, & Losoncius, & pleriq; principes nobilitatis alarū legionumq; præfecti. Eodem quoq; ductu & auspiciis venere Scythuli, vetustissimum Vngarorum genus: ac nullo peregrino sanguine coinquinatum: item pari Scytharum priscorum seueritate moribus & libertate præditum: quippe qui venabulo pro hasta, item arcu & pharetra, enseque vtuntur. Linteo corpus thorace muniunt, & pastura victū quæritant. Demum bello gens est asperrima, seruitutis impatiēs, & nullo labore domita. Ad Danubij ripam omnes castra locant. Secundum hos Augustales sancti Georgij Comites, paulo inferiore copiarum apparatu mox affuere: quos Kanisai & Seczij, nobilissimo genere nati, consociarunt. Nondum ex inferioris Vngariæ partibus nonnulli proceres, reguliq́ue conuenerant: ex longo itinere, studiisve diuersis, moram trahere coacti. Sed cum sat frequens iam videretur esse conuentus, & imminentia vndique pericula nouum principem postularēt, sub amplissima scena de eligēdo rege agi cœptum est. Nondum quem potiss. optarent, ad populum latum erat: nondum patrum sententiam quisque dicere rogabatur: cùm ex composito quidam, veluti occulta factione subducti, Albertum Casimiri Poloniæ regis filium, in concione regem temerè proclamarunt. At proclamatio, refragantibus continuò patribus, repressa: quod eoq; facilius factum est, cùm his aliorum suffragia nō accederent. inde vlterioris Vngariæ vastatio magna ex parte oborta: quādoquidem Albertus proclamationis huiusce iure se declaratum regem esse dicebat. Quin & audita diui Matthiæ morte, comparato magno exercitu, Vngariæ finibus imminebat: expectabat rei exitum, vt præsto suis partibus adesset: competitorumq́ue præoccuparet ingressum propè aderat. Maximilianus Romanorum rex consultis Mathematicis, qui Matthiam eo anno diem obiturum sanè prædixerant, in regni spem, & amissæ Austriæ recuperationem adductus, compositis in Gallia rebus, in Noricos continuò rediit, & sub specie pacis excessum regis expectauit. Ita enim ea tempestate Vngarorū fata tulerunt, vti quinque legationes regalia comitia sollicitarent, diuersaq; hominū studia traherent: inprimis Cæsarea, quæ quantò plus autoritatis & dignitatis habet, tantò maius in regno ius sibi vendicare videbatur, quod in reddendo sacro diademate Matthiæ regi, ex compacto Cæsar sibi comparat. Deinde Boemica, cui, si electionis fortuna faueret (quia hæreditario iure nitebatur) multo melius quàm cæteris sperare licebat. Item Polonica, qui pro Alberto regnum exposcebat: & Aragonia, qui pro seruanda reginæ Beatricis dignitate vt in regno successori coniugata succederet, tunc agebat. Accedebat & Coruina, qui Ioannem ducem, Matthiæ regis filiū, vti patri succederet, multa moliebatur: cui nisi illegitima genitura obstitisset, certò sine controuersia patri successisset. Fauebant cuncti proceres, sacri æquè atq; prophani: quos omnis Coruina quondā beneficentia promeruerat, & æternis sibi beneficiis obstrinxerat. Recentia quoq; merita istorum studia in Coruinū intenderāt, obfirmarantq;. Augebat tot fauores, & adolescētis ipsa potentia, quippe cui pater futurorum malorum non ignarus, coronam, spes, thesaurum, arces omnes antè legarat: quin & præfectos omnes, & magna ex parte principes in filij iurare manus adegerat: cui quidē, ni coniuratorum fides moderatorumq; prudentia defuisset, parum abfuisset, quin hodie regno potiretur. Comitiorum tempore tot legatorum genera die noctuq; patres ambiunt vniuersos, promissis, largitionibus & precibus ita iudicia hominū innectunt, vti nemo sciret quem potissimum optaret. Inter tot variæ ambitionis artes, nemo Reipub. cōmodum diiudicare poterat. Verùm quis tot factiones inter Vngaros admiretur? nimirum ex antiquis illæ repullularunt, & à locorū vicinitate metuq; fouentur. Qui citeriorem Vngariam Dalmatiamq; incolunt, quando Romano

Scythuli.

Legationes quinque ad Regia comitia pro nouo rege eligendo missæ.

Ioan. Coruinus.

imperatori finitimi sunt, Cæsareis semper partibus adhæsere. qui verò citra Danubium colunt, & Polonis propius accedunt, ex ea regia principem exoptant. Qui denique Boemos finibus attingunt, Boemum regem exposcunt. Priuato pro se quisque cōmodo consulit, Respublica fidos rarò tutores habet: & si quos diuina benignitate sortitur, ij perquam pauci reperiuntur. Intercedunt & aliæ, tam Vngaricæ quàm peregrinæ causæ, quæ factionum numerū adaugent. Cum tot igitur legationes Budæ agerent, ac omnes impensius ambirent: Pesthi conuentus in æde diuæ Virginis, expectatis aliquandiu cæteris qui nondum venerant, tandem indictus est. Et Coruini oratores, quorū alter Ioannes Varadiensis, Thomas Iauriensis episcopus alter erat, primùm admissi: qui humili genere nati, Matthiæ beneficio, & propria virtute nimis excreuerant. Ioannes inprimis, facta dicendi copia, non sine lachrymis, diui Matthiæ gesta commemorat, quantum hoc regnum auxerit, & amplificarit, & quàm de Christiana Repub. bene meritus sit, exponit. Addit his beneficia magna in sacros omnes, prophanosque collata, quorum rationem cui (nisi fortassis ingratitudinis res esse non pudeat) omnino habendam esse censet: subiicit, quanto is olim studio viritim omnibus filium commēdarit; esse in Coruini potestate thesaurum, arma, legiones; item regiam, cunctas arces, & munitissima quæque regni oppida: quæ quidem omnia non solùm suadere, sed cogere ad optādum eum posse viderentur. Nec magnam quidem generosæ indolis spem deesse: assimilem esse patri, nec minimam geniture notam tāti faciendam. Italos huiuscemodi principes nequaquam abominari solitos, dum publicæ vtilitati & saluti cōsulatur, patris ingenij magnanimitatem vsque quaque referre, externos mendicare principes, nequaquam esse tutum: quod superiora cunctos tempora docuerunt. Hoc iustum & æquum, hoc publicam vtilitatem, hoc denique necessitatem planè iubere. Hæc eadem etiam à collega, ne minore quidem oratione confirmata sunt. Et res profectò è sententia successisset, ac citra controuersiam rex ab omnibus declaratus esset, nisi constās læuæ genituræ obstitisset opinio. Nonnulli sunt Coruini fortunā vltro commiserati, quibus magna spes erat, à patre nō degeneraturum. Horum numerum Coruinæ beneficentiæ memoria non parum angebat, & adolescentis formidolosa potentia, animusque imperandi cupidissimus: cui si cum rerum experientia, maturitas ætatis, ac fides, & concordia amicorum accessisset; facilè regnum obire potuisset. Insequenti die, Alemannorum legatis facta dicēdi potestate: ex his vnus, cùm pro cæteris verba faceret, imperiosius Vngariæ regnum pro Friderico imperatore, Maximilianóve filio Romanorum olim rege declarato, exposcere visus est: initi quondam fœderis conditiones cum Matthia rege, in sacræ coronæ redemptione, mentionem offerens, illam inprimis obiecit: quam haud facilè confutari posse arbitrabatur. Si Matthias absque liberis legitimo matrimonio natis, humanis excederet, Vngariæ regnum ex compacto repentè in Cæsaream recidere potestatem, inita vtrinque pacta primates Vngariæ sponsione, ac interiecto iureiurando sanxisse: si quid contrà moliantur, fidei pacisque numen violatum iri, in quod quidem scelus à diis omnibus æquè animaduerti solet. Ad declinanda diri belli pericula, & abolenda vltrò citroq; odia, nullum remedium magis præsentaneū esse dicebat, quàm si patrē Maximilianúmve vltro postularent, quibus ad tutandum regnum, & coercēdas Turcorum incursiones maximè vires non deessent. Maximiliani magnanimitatem, rei bellicæ experiētiam, & summam in quaque virtute præstantiam afferebat. Neminem dicere ad inhibenda, quę omni ex parte pericula imminerent, hoc potiorem ab Vngaris optari posse: hūc Gallis formidolosum, hunc Germanis, ac militibus perquam gratum esse, hunc æquitatis consultissimum, liberalissimum semper habitū: item nobilitate generis, animi excellentia omnibus præferendum. Demum, pro læso fœdere, quod dij prohibeāt, minas interiicere. Secundum Alemānos, legati Polonorum auditi, qui multò modestius rem agere visi sunt. Nam dum pro Alberto regis Casimiri filio, patris nomine, verba faciunt, à bono & æquo suadere conantur: vetustissimam suorū cum Vngarię regibus necessitudinem, variasque affinitates,

Ioannes episcopus Varadiensis.

Cæsaris legati.

Polonorum legati.

tates,& cognationes enarrant:tantum antiquis beneuolentiam quondã & charitatis intercessisse dicentes, vti Poloni regiæ prolis defectu Pannoniarum sæpe regẽ optarint: è diuersoq; optãtibus Pannonibus sæpe dederint. Ludouicũ Vngariæ regem, à Sarmatis vsurpatum, Poloniæ quoque imperasse: contra Ladislaum Casimiri fratrem primigenium, in Vngaria præclare regnasse. Nihil in regali orbitate melius censeri posse, quàm ad finitimos, veteres, ac fidos amicos confugere, quibus Reipub. summa tutò committi potest. Explorata diu vicinorum fide, sat cuique constare posse, quid potissimum in consultando videatur. Adhæc elegantissimam Casimiro esse liberorum copiã, domi & foris æquè præstantem: iuuentutem esse regno, belloque maturam: ipsam quoque vniuersam Vngaris offerre, vt si electus haudquaquam satisfecerit Albertus, cæteros singulatim, pro arbitratu suo Vngarorum senatus ritè periclitatur, demum liberos, arma, regnum, & fortunas omnes pro Vngarica defensione, antiquæ necessitudinis iure deferre. Aragonij postero die introducti: perlectis Ferdinandi regis literis, Beatricem eius nomine pluribus senatui verbis commendarunt: quibuscunque rebus opus fuerit, opes & auxilia obtulerunt, dicentes: A patre dudum filiæ imperatum, vti si paternam vsquequaque gratiam seruare vellet, senatus imperata faceret: nihil eius iniussu de cœlibatu nuptiisve decerneret: eam à senatus autoritate, ac vtilitate Reipublicæ nunquam dissensuram: atque suas vires omnes, & patris, quicquid terra marique potest, vltrò pro salute regni erogaturam. Postremò, duo Boemorum oratores exauditi sunt: quorum alter, qui Castro genere natus erat, quod vetustissimum quidem semper est habitum, inter nutantes hominum animos ita disseruit. Etsi nihil grauius esse potest, fortissimi Pannones, quàm cùm de creando rege agitur (quippe cui Reipublicę summam, & nostram liberorumque salutem, cum fortunis planè omnibus commissuri sumus) diuina tamen benignitate factum est, vt si pristinam sapientiam retinetis, nihil hac re facilius in decernendo videatur. Complures nimirum competitores sumus, qui variis vestros animos artibus irritemus: alij largitionibus, pollicitationibus alij, nonnulli minis, & iure fœderis: pars honesta suasione, & pro se quisque iudicia vestra inuertimus, trahimusque diuersa: sed vtinam in tanta competitorum ambitione suum cuique ius pro dignitate reddatur. A serenissimo Vladislao missi huc venimus, regemque offerimus, non imperiosum, non trucem, non adolescentem: sed humanum, clementem, pacibelloque maturum. Non in comitia vestra descendimus, vt quæ vobis obesse, sed quæ ab imminentibus periculis asserere possent, antiquæ beneuolentiæ iure consuleremus. Hoc vtriusque regni coniunctio, vnius sæpe ductu & auspiciis gubernati: hoc vestra fides mutuaque charitas nos facere iubet. Non iniqua, non iniusta, non incommoda vobis Pannones postulamus: sed quæ æqua sunt, & iusta, & ad cõmunem vtriusque gentis salutem admodum conferentia. Si fas æquũ apud Christianissimos præcipuè viros pensitandum est, nimirum nostro rege nemo vobis vtilior occurret. Si hæreditario iure dari regna solent, & nemo propria hæreditate sine magno scelere defraudari potest: profectò Vladislaus iure suo regnum hoc sibi postulabit. Etenim Vladislai regis primigenius è sorore nepos est: & Alberti Sigismundique pronepos, abneposque: qui quidem omnes Vngariæ, Boemiæq; partibus optimis semper auspiciis imperarunt, inter diuosque relati sunt. Quinetiam patrui sui iure idipsum exposcit. Nonne Ladislaus Polonorum rex, & Casimiri frater, rectè sanctèque Vngaris imperauit? quos, vt à Turcorum immanitate tueretur, ad mortem vsque pugnauit: vitam saluti vestræ non prætulit: quum non secus atque pastor optimus, animam pro suis ouibus inter confertissimos hostes deuouit. Illius profectò nepos est, nepos inquam primogenitus, in quo Sigismundi magnanimitatem, sanctitatem Alberti, Ladislai castitatem: & Ladislai denique patrui, Poloniæ quondam Vngariæque regis fortitudinem intueri licet. Ad hæc, si sacrosanctus regum sanguis in regno vestro restituendus est, aut si præstantia generis in regalibus comitiis nequaquam sperni debet: quis nam isto generosior po-

Aragonij legati.

Boemorum legati.

terit offerri? vtpote qui nobilitate præditus incomparabili: inprimis ipse rex est, rex inquam, à Boemis designatus vixdum annos natus sexdecim, & Casimiri regis filius primigenius, inter Sarmatas præpotentissimus: Vladislai Vngariæ, Poloniq́ue regis nepos, pronepos Vladislai Lithuaniæ ducis, indomitorum denique Sarmatiæ principum abnepos: qui à Gelono Herculis filio, è biformi muliere in Scythia nato (vt aiunt) duxere genus. Paternum hoc genus. Maternum verò si ritè recenseas, Ladislaus dux Austriæ, ac Vngariæ, Boemiæq́ue rex longè lateq́ue præpollens, huic fuit auunculus: Albertus rex, & Roman. Imperator, auus: proauus Sigismundus, princeps ille clariss. de apostolica sede semper optimè meritus: Carolus Imper. abauus. si Ladislaus adolescens ab inferis reuocatus, de suo genere gloriari potest, quatuor profectò Romanos Imperatores è materno genere: è paterno verò Australique familia, maximorumq́ue principum officina, quinque connumeraret. Quis igitur tot suorum stemmata, tantamque prosapiam habere his temporibus visus est, qui cum nostro principe (aliorum pace dixerim) conferri possit? Quare si interceptum sanctorum regum olim sanguinem in Vngaria redintegrare, si assimilis & amicæ gentis societatem instaurare, si paribus nobiscum auspiciis, veluti antehac maiores nostri sæpissimè factitarunt, gubernari percupitis, si vestrum dominum, à vestris regibus editum, agnoscere, & in auitum solium restituere curatis, Vladislaum eligite, hunc regem, hunc moderatorem vestrum optate, appetite, ingeminate: ne tam diu & vos proprio pastore, & ouibus ille suis carere videatur. Præterea, si quid aut patrum aut maiorum gratia apud mortales plerumque conceditur, si beneficiorum quoque ratio est habenda, quæ citra scelus præteriri nequit: si vel maxima è contrario inimicorum scelera progenitorum causa impunitate donantur: quis est vsque adeò rationis expers, & ingratus, qui non det certatim pro Ladislao rege suffragia? quis faustissima tot principum memoria? quid innumerabilia illorum merita & clarissima domi forisque gesta postularent? nunc patres quæso considerate. Quid ij facerent, si Albertus, Ladislaus? quid? si Vladislaus, & Sigismundus (ne de aliis dixerim) loqui possent? nempe nihil à vobis impensius postularent, quàm vti hunc, ad imperandum natum, vobis vltrò præficeretis. Sic Alberti probitas, & Ladislai castitas postulat: qui cùm fati iniquitate suos annos regnare nequiuerit, eos sanctissimo nepoti iam potestatē regendi cuperent. Sic Vladislai manes: qui pro vestra, Christianæq́ue reipublicæ salute aduersus Turcos, ad Varnam fortiter occubuit. Sic denique perpetui quondam Sigismundi labores promerentur & exposcunt. Quorum quidem numinibus si, veluti fas & æquum est, ritè satisfaciendum esse censueritis: ne illorum quidem decori magis, quàm saluti vestræ cōsuletis. Æqui & iniqui animi Deos memores esse ducite, & quàm inde deprauato iudicio sentiant, considerate. Illi quenquam hæreditario iure fraudari, iam perpeti nequeunt. Si præclara Ioannis Vaiuodę merita, & ingens gestorum gloria, tanti apud vos momenti fuit, vt filium regno intempestiuum vltrò regem crearetis: cur eum, qui à tot vestris regibus & imperatoribus ducit originem, vno consensu regem non declaratis? Cuius repulsa (quam Deus prohibeat) infesta vobis cuncta reddet diuorum numina. Post hæc, etiam quid de cęteris finitimis regibus vobis sperare liceat, considerate, quæso, Pannones: quæ fides, quis amor intercedat, nobiscū pari mente repetite, vt & vos quàm facilis sit ista consultatio, quàm electio salutaris, & quàm necessarius omniū consensus, intelligatis: & nos, quid de his comitiis sperare liceat, facilè sentiamus. Perpetua vobis cum Alemannis intercessere bella: innumerabiles vltrò citroq; clades, & incēdia: odia quoq; sempiterna: quæ quidē omnia (si rectè nunc, vti antè, sapitis) hinc proculdubio animos auertent, & de vestra salute cogitare cōpellent. Nec melius quidē rationibus vestris cōsuletur, si Polonos vobis præfeceritis: quibus olim imperastis, cum quibus magna bella gessistis, grauissimis iniuriis lacessiti: qui deniq; magnis comparatis exercitibus, suscitatisq; discordiis, vi regnū à vobis extorquere conantur. Insuper adolescenti regna cōmittere quàm formidolosum sit, pro se quisq; iudicet. Alieno namque mode-

Iagellorum familia.

moderatore gubernanda ætas; pruriens, indocta, intemperantiæ ac vitiis omnibus obnoxia, quàm rectè grauissima regni pondera subire queat, omnes intelligunt. Pro animi libidine cuncta geret: vtetur iuuenum potius consilio, quam seniorum, grauissimorumque cõsilia virorum abominabitur. Sectabitur voluptates, virtutis difficultatem detrectabit: leuem vsquequaque præferet animum: assentatoribus multum tribuet, credetque: ac in concupiscentiarum denique se asseret seruitutem. E contrario, grauissimis, maturisque sese credere regibus, tutum est, & salutare. Experientiæ compos tenera adhuc ætas esse nequit. Præterea non immeritò maiores nostri in cunctis magistratibus & præfecturis planè sanxere, ne grauissima iuuenes munia iam obirent: ne publica cum priuatis ruinam æquè traherent: néve maxima potestate potiti, concupiscentiis & voluptatibus licentiùs inseruirent. Grauem & maturam summis magistratibus ætatem asciuêre, grauissimos quoque viros in regnum euehere soliti sunt. Virtutum tantùm & sapientiæ locum illi sanxêre: Si ciues regni compotes in vrbe non essent, è finitimis & peregrinis eligere non pudebat. Quinetiam si ex ingenuis nemo foret hac potestate dignus, ad seruile genus hominũ confugere licebat: ne quid Respublica detrimenti pateretur. Quid Vladislai grauitas, & sapientia? quid exactissima rerum experientia, & sanctitas? quid religio, & integritas? quid pietas, & mansuetudo? quid iusticia, & taciturnitas? quid temperantia, & matura ætas, à vigesimo iam anno in nostro regno versata nobis consulat, considerate. Nunquam Boemia, intestino & externo bello tam diu vexata, quiescere potuit, donec sanctissimi ac integerrimi huiusce regis auspiciis gubernari cœpit. Non Sigismundus, non Albertus, non Ladislaus, æstuantissimum hoc regnum pacare potuere: nunquam reguli & optimates reconciliati mutuò fuere, donec autorem pacis, & prudentissimum hunc moderatorem optauere. Quis crediderit? nullum vnquam verbum aut insolens, aut obscœnum, iniquúmve ex eius ore potuit extorqueri: commotus & iratus nunquam inuentus. Eandem in vtraque fortuna æquanimitatem exhibuit, eandem cum decoro grauitatem seruauit. Nullo vnquam vitio leuitatis & inconstantiæ Maiestatem regiam, ad quam se natum esse intellexerat, incæstauit. Inter factiones discordiasque procerum, crimina vtrinque patienter audiuit: mox exploratis eorum animis, hos paterna charitate corripere, facinorosam coercere audaciam, consolari læsos, & illorum iniurias iustè vlcisci solitus est. Perque facilis æqua supplicantibus, iniqua petentibus inexorabilis: & taciturnus, vt taciturnitate seueritatis crimen declinaret. Altitudinem, latebrasque animi sui, reconditamque mentem nemo potuit expiscari. Ætas igitur, in omni virtute consummata, vita cuique satis explorata, & mores omni ex parte nobilissimi, sat vos omnes hortari debent, vt hunc potissimum regem eligatis. Proinde, Pannones, si vobis optimè consulere cupitis, si commodum, & salutem publicam amatis, largitionibus, inanibusque promissis haudquaquam credite: ambitiosis violentisque tyrannis date repulsam: eum denique create regem, qui sit vobis & Christianæ reipublicæ salutaris, & quem creasse non pigeat. Habita Boemorum oratione, non solùm qui de republica bene sentiebant, sed qui largitionibus & promissis onerati fuerant, inuersosque animos habebant: haud secus, atque conscientia perciti, tacita Vladislao suffragia reddere cogebantur. Præ veritatis numine resipiscunt, reconditumque consensum in pectoribus habent. Verebantur enim, ne promulgato de nouo rege decreto, competitores repulsa commoti, concitatis vndique copiis, ex composito Vngariæ regnum, nomenque, penitus extinguerent. Is enim rumor sat latè diffusus erat, Alemannis ita cum Polonis conuenisse, citeriorem Vngariæ partem Maximiliano, Alberto vlteriorem, subactis Vngaris (qui grauissimo vtrosque bello diu sollicitarant) esse cessuram, regniique nomen è medio auferendum. Quare, vt tutius sibi cauerent, consultum inter se clàm optimates habuere, clamque Vladislaum creauere. Bona deinde, interpolatis horis, cunctis oratoribus verba data: vt imminentia vtrinque bella declinarent, & quamuis hæsitarent illi, spe

tamen sua nequaquam exciderent. Addebant etiam, comitia nondum esse frequentissima: nec Sigismundum Quinqueclesiensem episcopum, armis & opibus præpollentem, cum Laurentio duce, cæterisque Pannoniæ inferioris & Croaciæ regulis aduenisse. Hos omnes affore propediem, & vno se consensu regem declaraturos. Coruinus adolescens, quamuis ob inustam geniture notam, rem desperare cogeretur: vi tamen sua, & eorum, qui indies affuturi erant, auxiliis fretus, affectatum intempestiuè regnū occupare confidit. Huic ob diui patris memoriam apertè responsum, regem nunquam futurum, sed rege paulò inferiorem: ne æterna Matthiæ beneficia, apud proceres interiisse viderentur. Pacta cum eo inita, vti, si regium diadema, regiasque arces spontè reddiderit, cum proceribusque consenserit, Bossenæ, Croatiæ, & Slauoniæ regnum ineat, omniaque oppida, vicos, thesaurum, & dominatus à diuo patre legatos perpetuò habeat, & pro altero rege habeatur. His tandem conditionibus acquieuisse visus est: sed sollicitatus a suis, sibi ipse constare non potuit. Alemannis initi quondam fœderis conditione regnum postulantibus: creandi regis potestatem, non mortuorum, sed viuorum esse: libera in his comitiis esse suffragia: si qua recuperandæ illi sacræ coronæ gratia, quondam promiserint, iidem promissa præstent. Quinetiam pro corona in captiuitate retentus, veluti conuictorum in vincla hominum more, nihil iure promitti posse. Pronuissionem, quanquam legitimam, liberam esse oportere: ad expectandam demum frequentissimi conuentus autoritatem hortantur. Polonis benignè responsum & acta gratia, hoc interregni tempore filios, opes & copias offerentibus, & spes ne mediocris quidem oblata. Aragoniis multo plus acta gratia: & in tot periculis, quæcunque offerebantur, lubenter accepta. Contra, pro regina Beatrice, spes bona data. Boemi denique, optimè sperare iussi: & clandestinum, quod nuper iniuerant consilium, patefaciunt: & hortantur, vt ad Vladislaum scribant, vti ad accipiendum accitus regnum, se propediem accingat, ne à competitoribus impediri queat. Eo denique tempore rex declaretur, & regnum ineat. Interea cùm regina Beatrix in arce Budensi (quam dux Coruinus cum valido præsidio tenebat) resideret, sibique admodum à primigenio timeret, cui in ducenda vxore Blanca hucusque nimium fuerat aduersata: suasu procerum regiam deseruit: in ædesque Vrbani Quæstoris, ne quam vim ab eo pateretur, non inuita descendit. Augebat suspicionem adolescentis animus, quippe qui tyrannidem quandam præferebat immaturam. Ex Neapolitanis reginæ aulicis paucis antè diebus ad portam arcis plerique pulsati, nonnulli non admissi, aliqui cum ignominia reiecti: quare, vt sibi præcaueret, in priuatam se vitam redigere coacta est. Quin etiam paucis antè diebus, Petrum Colociensem archiepiscopum, consilij compotem & astutum, quem rex Matthias reginæ (vt aiunt) gratia sex annos in arce retinuerat, Coruinus adolescens, instare Apostolico legato, inuitis patribus & Beatrice liberauit, liberatumque amplè donauit, & dignitatem vna cum libertate restituit. Dum comitia tam diu prorogari nobiles conqueruntur, & indies abitum minantur: ecce Sigismundus Quinqueclesiensis episcopus, vir consilio, armisque præpollens, & dux Laurentius, cum non paucis exercitibus appropinquant, quorum Despotus, Banus Iaizæ, Prior Auranæ, ac cæteri inferioris Pannoniæ, Croatiæ & Sclauoniæ reguli, socij & comites erant, sociaque agmina iunxerant: Cum equitibus mille Sigismundus, Laurentius quoque cum totidem aduenit: cæteri pro se quisque copias & fortunas ostentant, ad septem milia equitum habuere. Cùm alij proceres & antistites hos cum validissimo exercitu aduenire sensissent, & pro mentibus nondum exploratis, eorum vires admodum vererentur: ad conciliandos sibi illos, cunctos ingenij neruos intendunt. Id ipsum cæteri competitorum oratores curant, quando his suffragatoribus bene sibi sperare videbātur. Pòst vbi traiecto Danubio, occurrentibus officij gratia antistitibus, proceribusq; cunctis, cum honestissimo nobilium equitatu, sub Pestana vrbe, ad primum lapidem castra locarunt: primus omnium dux Coruinus cū metropolita

tropolita Colocienſi intempeſta nocte profectus, ex arce ad hos venit, & Sigiſmundum, Laurentiumque primus adoritur, quos patri quondam fidiſſimos eſſe nouerat: & eos exorarunt ſupplices, ne Coruini partes deſererent & præſertim patris gratia de vtroque optimè meriti. Deinde Sigiſmundus & Laurentius reginam officij gratiam adiuere: à qua multis precibus, pollicitationibusque ſollicitati, tandem in Budenſem arcem, vbi Coruinus cum fortiſſimo præſidio reſidebat, ea nocte ad cœnam diuerterunt. Vnde oborta repentè ſuſpicio, hos in Coruinas omnino partes conceſſiſſe. Deinde poſtero die, intercedentibus quibuſdam, Vrbani Quæſtoris opera, non in campo Rakos, ex more (vt aiunt) neque in caſtris eorum, qui nouiſſimè conuenere, ſed Peſthi, in diuæ Genitricis baſilica, & æquo vtriſque loco conuentus eſt habitus, non, vti antea, frequens. Nam multitudo nobilium, & iudicum, ſacerdotumque manus ingens, quæ ex omnibus prouinciis oppidatim, vicatimque conuenerant, cùm longiſſimorum comitiorum ſumptus vltrà tolerare non poſſet, impetrata a patribus miſſione receſſerat: ſexaginta nobilibus relicta poteſtas, qui eadē autoritate in ſanciendo quoque decreto pollerent. Ibi de ſanciendis quibuſdam, & reſarciendis legibus primò agi cœptum eſt. Et orator iterum Neapolitanus auditus, qui Ferdinãdi regis nomine, quæcunque regno vſui forêt, libentiſſimè defert, militem, pecunias & arma pollicetur: vbi, Beatricem in priſtina dignitate retineant, futuroque regi coniungant, impenſiùs orat. Hinc, veluti cæteris, bona verba data, ſolutumq; concilium. Inſequenti die, cùm in eadem baſilica conuentus haberetur, & de publica diſcordia agere oporteret: Vrbanus lingua Scythica diu cōcionatus eſt, longa oratione referens, quot, & quanta ex publica diſſenſione Pannoniis mala imminerent: quin & in illa ſententia diutius verſatus eſt, quot Vngaros calamitates & detrimenta manerent: quippe qui finitimis omnibus regnis inuiſi, ob illata diu bella, nihil de inteſtina diſcordia, præter vltimū exitium, ſperare poſſent. Cùm publici parentis ore loqueretur, huius apud omnes vſque adeò valuit oratio, vti iureiurando omnes adigeret, vno ſe conſenſu regem creaturos, nullamque in decernendo forè ſeceſſionem. Mox cùm ij proceres in creando clàm rege perſiſterent, aliosq; in ſententiam eundemque conſenſum trahere niterentur: Sigiſmundus & Laurentius cum ſociis vniuerſis, quàuis magnæ conditiones offerrentur, in eandem ſententiam haudquaquam conceſſere, quin & diſcordiæ cauſam indidit indignatio, quòd regem ipſis abſentibus illi deſignarent, hos pro nihilo habituri. Et Coruini commiſerationem præ pietatis & gratiarum numine pectoribus excutere non poterant. Itaque ſoluto ſenatu, abeuntibus optimatibus Sigiſmundus & Laurentius cum Priore Auranæ, cæteriſque ſociis, facta ſeceſſione, languentes Coruini partes inſtaurarūt. Cum Colocienſi metropolita Budenſem arcem clàm ſubiuere, exercitumque die tertia in citeriorem Danubij ripam traiecere. Quin etiam vrbē Budam occupare curabant, quam regni proceres tuebantur: qui cùm adhuc in Peſthana vrbe comitiorum gratia verſarentur, audita aduerſariorum audacia, qui ex arce metropolitanam Pannoniarum vrbem occupare ſtudebāt, traiecto mox Danubio, Budam ocyſſimè rediere: incenſique furore, ne inimicis cedere viderentur, de oppugnanda arce conſilium iniuere. Negotium id Stephano Bathori, Kiniſioque Paulo, & Bertoldo viro impigro, clariſſ. diſciplinæ militaris imperatoribus datum: hinc expugnandi tormenta munitiſſima, illinc propugnacula pari vtrinque ingenio comparantur. pro Bathore, Drach Bertoldus vicem geſſit. Et cùm inſtructa iam acie manu conſerendum eſſet, ne ciuile bellum committeretur, vltro citroque viri quidam optimi interceſſere, ſalubriumque induciarum fuere autores, donec de pace, concordia & regis electione iterum ageretur: inteſtinum hac arte & conſilio bellum prorogatum eſt, de pace iterum agi cœprū, in diui Sigiſmundi ædem quæ pro arce eſt, primares vtrinque conuenere. Hinc Vrbanus, & Stephanus Bathor: Sigiſmundus illinc & Laurentius: Nunquam ſio æquè pro vtriuſque partis libidine & arbitratu conditiones vtrinque offerri potuere, vt inter eos conueniret. Colloquium ibidem ter, quarterve habitum, nihil tamen de

ſolida pace decerni potuit. In hoc tandem, inſtauratis induciis, conuentum eſt inter eos, vti ad Stephanum Comitem Scepuſiēſem, cui Auſtria præfectura, ſecundum regis obitū, cunctorum principum & regulorum nomine cōmiſſa fuerat, non ſine magna argenti copia, quo prouinciā nutantem faciliùs tueri poſſet, duo vtrinq; oratores mitterentur, eiusq; voluntatem & conſiliū explorarent, vt quemcunq; regem optaret, is ab omnibus aliis approbaretur. Ioānes Varadienſis antiſtes à regni proceribus miſſus eſt, duo quoque à Coruino duce, qui Stephani voluntatem exquirerent. Dum Buda profecti mandata curant, Stephanum inueniunt potius Boemiæ regi, quàm cuiuis alij ſtudentem: quin etiam optioni ſuæ ſubiicientem, quòd ſi quem alium optimates elegerint, ſe regē eum, pro arbitratu ſuo, declaraturum, qui Reipub. optimè conſuleret. Facili quoque argumento cæteros repellebat, nec Alemannum dicens, nec Polonum, nec denique regis Matthiæ filium commodè creari poſſe: veteres primùm inimicitias, & innata odia cum imperioſa tyrannide diſſuadere, alterius mores, & audaciam non placere: nec fas, & æquum eſſe, minorem natu, gubernationis expertem, primigenio fratri à teneris circiter annis Boemica ſceptra gerenti, Vngariæ regnum, & primæ ius præripere geniture. Tertium verò, quem paterna gloria, & immortalia beneficia poſtularent, non ſolùm ab iniquo genij numine, conſuetudineque Pannonica, verumetiam à publici commodi ratione repelli. Nam ſi quis ex tribus externis rex eligatur, tertia ex parte inimicorū numerum nunciabat eſſe futurum: ſin verò Coruinus, præter adoleſcentiæ inexperientięque pericula, ex omni parte finitima futura bella: proinde ſatius eſſe, integriorem, ſanctiorem, & magis expertum principem eligere, numerumque hoſtium diminuere, quàm aut augere bella, aut regni rationibus parum probè cōſulere. Intellecta Stephani mente, Varadienſis mox veteranorum exercitum in Morauia æſtiuantem, cuius viribus Matthias rex maxima quæque geſta peregit, datis centum milibus aureorum nummûm regni nomine, inauctorauit. Quod vbi competitoribus nunciatum eſt, id omnes ægerrimè tulere, & præſertim Maximilianus, & Coruinus, qui multis ſæpe pollicitationibus eum paulò antè vexarant. Reuerſis oratoribus, & nunciata Stephani mente: integerrimi viri ſententia à cunctis patribus admodum approbata, ac multis prædicata laudibus, contrà Coruini amici conſternati: quippe qui, ſi Nigrorum hunc exercitum inauctorare potuiſſet, ſatis exploratum habebant, ſe, inuitis etiam patribus, regnum occupaturos. Exercitus hîc idcirco Niger appellatus, quia Matthiæ iuſſu ſub diuo ſemper hybernare ac æſtiuare ſolebant, æſtu & algore iuxtà obdurati, & aſſiduis militiæ laboribus obfirmati, vt nihil eſſet ita arduum, & difficile, quod expugnare non auderent. Regem omnino futurum, regina quamuis Maximilianum appeteret, vti Auguſta foret: hac ſpe fruſtrata, audita clandeſtina noui regis creatione, coniugale votum huc conuertere coacta eſt. quin etiam proceres, & epiſcopi, vti fœmineæ inconſtantiæ periculum declinarent, futuri regis Beatrici nuptias pollicentur. Euocantur ex arce iterum proceres in colloquium, & induciæ inſtaurantur, nunquam tamen Sigiſmundus & Laurentius adduci potuere, vti ab adoleſcentis commiſeratione, & à grati viri officio deficerent. Et quamuis publica vtilitas ad conſentiendum cum cæteris hortaretur, pietas tamen, & ratio meritorum à conſenſu publico reuocabat. Cùm nihil de communi concordia decerni poſſet, Coruinus amicorum ſuaſu nonnullorum, fortunam & extrema tentare ſtatuit. Proceres omnes ampliſſimè donat: quare ab his mox conſalutatus eſt. De arce cum præſidio validiſſimo relinquenda, & euehendo theſauro mox cogitat: ne hic à regni proceribus obſeſſus, ad extrema redigatur. Inito proficiſcendi conſilio, in ſua & amicorum oppida, ſe cum impedimentis & exercitu recipere ſtatuit, vbi facilè omnes optimatum vires eluderet, & in inferiore Pannonia dominari iam occiperet. Cùm Sigiſmundus & Laurentius cum ſociis (vti diximus) ripam in citeriorem Danubij caſtra mouiſſent: ſuum cum his exercitum admotis propè caſtris planè cōiunxit: mox carris, & nauibus oneratis, aqua terraque Quinqueeccleſias verſus, inſtructis agminibus, circiter Calendas

Nigrorum exercitus.

Coruini fuga.

Calendas Iulias iter facere cœpit. Metropolita Colociẽsis, ne discordiarum autor haberetur, Colociam se recipit. Per vniuersam vrbem ecce rumor effunditur. Matthiæ regis filium exinanito ærario, & spoliata regia, cum omnibus suæ factionis autoribus, instructa acie, in inferiorem Pannoniam iter iniuisse. Eum Sigismundi copiis & Laurentij fretum, tutò iter arripere posse. Regnum non suffragiis prouincialium, senatusque decreto, sed vi esse capturum. Mox cum rumore tumultus oboritur, capiuntur arma, ad sacrosanctos patres proceresque refertur, An ne Coruinum insequi debeant? Datur Stephano Bathori, & Kinisi Paulo negotium, ij dicto celeriùs cum cæteris optimatibus, antistitumque copiis, & cataphractis equitum agminibus, quarto Nonas Iulij iter arripuere. Præ cæteris tres munitissimi erant equitatus, præter vexillationes. Vnus reginæ validissimus, ex omnibus Matthiæ regis equitibus illa delegerat: Hippolyti Strigoniensis metropolitæ alter: tertius Vrbani Agriensis episcopi. Dum omnes inito itinere properant, ecce Sigismundus & Laurentius, cum Priore Auranæ, & Chishoruato acceptis incolumitatis literis, publicæ concordiæ ac diuertendi intestini belli gratia, ab optimatibus in vrbem reuocantur. Quod eò libentius illi concessere, vti abeuntibus copiis & impedimentis tempus prorogaretur: rati, dum de pace ageretur, nullum vtrinque prælium oboriturum. Sed res aliter, ac opinabatur, euênit: quin ij ea mente Coruinos prosequebantur, vti aut impedimenta cuncta reciperent, aut manum vnà consererent. Cùm inter optimates regni, & Sigismundum Laurentiumque nulla concordia super filio regis decerni posset, re infecta iterum abeunt, ad exercitumque festinant, cùm suis appropinquassent, aliquantisperque substitissent, vti inter tentandum aduersariorum copias explorarent: ecce contrariarum partium exploratores occurrunt, qui sua agmina præcedebânt. Prelium inter paucos ex improuiso committitur. Auranæ Prior saucius capitur: Sigismundus præpropera festinatione incitato equo vnà cum Laurentio se recepit ad suos. Insequenti die, Stephanus & Paulus inimicos ad fluuiolum, quem à limosa aqua Schaarum nominant, adhibuere. Coruini in monte consederant, in vlteriore Syarij ripa surgente, quem Vngarici Czionthegh, idest ossium cumulum, interpretantur: cùm aqua facili vado, interceptis ab hoste pontibus, ob limi altitudinẽ transiri non posset, Paulus in traiiciendo audacissimus, primus vadum haudquaquam formidolosum inuenit, cæterisque subsequentibus viam fecit. At Coruini transitum prohibere conati, minimè potuere, inque montem sese collegerant, vti tutiùs pugnare liceret. Traiecto mox exercitu ex instructa vtrinque acie, præmissis hinc impedimentis pugnam ineunt. Hinc Paulus, Bathor illinc instat: miserrima vtrinque cædes oritur. Ladislaus Mauricius, è regni proceribus haudquaquam impiger, primus occubuit, dum inter confertissimos hostes acerrimè pugnaret: è Coruinis Kys Matthias, & Franciscus Dombay, dum pari vtrinque spe pugnatur, occubuere. Sed cùm ij fortissimo reginæ Beatricis equitatu, & cataphractorum agminibus præpollerẽt: Coruini quamuis vexillationes plures haberent, tandẽ cedere coacti sunt. Inclinata demũ acie, vix quadraginta militib. desideratis, & LXX. captis, terga dedere, passimque fusi & fugati sunt. In proxima Sigismundi castella, Quinqueecclesiensem vrbem, Coruinus cum suis omnibus destitutus, ne mediocri quidem ex parte impedimentis tutò se recepit. Victores castris potiti, & prædæ cupiditate pellecti, in carros & impedimenta, relicto hoste, se conuerterant: hi regias vestes, aurea & gemmata vasa: illi cæteri, vti fors obtulerat, pro se quisq; in preciosæ multiplicisq; supellectilis rapinas irruerãt. Diripiũtur per tot annos congesti magna ex parte thesauri, & pro velitũ libidine diuiduntur. Currus autem multi preciosioribus rebus onerati, in proximis Sigismundi oppidis asseruati. Quin & finitima rusticorum manus in prædam æquè cõuersa, quęcũq; impedimenta in pagos & nemora propinqua confugerant, cæsis actorib. passim omnia diripiunt. Et amici quoq; ditandi occasionẽ nacti, vt sibi potius quàm hosti pagançq; multitudini proficerẽt, iuxtà diripuere. Proinde maxima Coruino iactura eo die illata, quin plusquã centies mille nummûm aureûm amisit. Cala-

mitosa eo die parta victoria,quia nullus alius quàm Vngarorum sanguis effusus est: & publici thesauri impedimenta,priuata libidine direpta,in nullos publicos vsus concessere. cũ cæteri Coruinas partes sequuti in Quinqueecclesiensem vrbem se contulissent, Sigismundus in sua omnes ciuitate fugientes excepit: vbi exorta inter Coruini proceres ob susceptã cladem deinde discordia,diuersi diuersa petiere. Quod cum fidei & integritatis inopia, & priuati commodi cupiditate accidit. Quisque apud Coruinum ducem pro libidine præponi, & principatum obtinere nitebatur. Surripere quoque quisque contendebat,& plures surripiendi quàm iuuandi gratia conabantur. Quòd si fides in his fuisset,in quibus esse debuisset,eum fortasse regem vidisset Vngaria: sed haudquaquam duraturum,ob aduersariorum multitudinem, esse sperabat, quod suorum fides & animos consternabat, & discordiæ præbebat argumentum.Iacobus Sekel inita cum Coruino contentione, intercedentibusque conuitiis, ad Ormos in superioris Pannoniæ caput reuersus est. Laurentius in patrium inferioris Pannoniæ dominatum se recepit: cæteri in sua quisque oppida rediere.Dux traiecto Drauo,in Sclauoniæ prouinciam,ditioni suæ prædestinatam concessit. Illud omnes ingenuè fatebantur, sine validissimo reginæ equitatu, eos bello nunquam esse cessuros, & cataphractorum robore fusos, fugatosque fuisse. Quare Sigismundus & Laurentius vulgò dicebant, se vexillationibus & velitibus non amplius confisuros, quando dudum experientia didicissent, leuis armaturæ equites aduersus cataphractorum robora nil posse proficere. Quinto Idus Iulias, Stephanus Bathor,& Paulus Kinisius,regni duces,cum cæteris proceribus & legionibus,recenti aliquantũ victoria elati,Budam rediere: captiui circiter septuaginta ducti,quorum Prior Auranę & Georgius Chanisai principes erant. Cùm infausta intestini belli victoria foret,quamuis eos in reginæ conspectum adduxissent: mox tamen ciuili charitate perciti, accepta fide dimisere: successum belli prosequi noluere,partim quia dictos hostes habebant, partim vti dissidentes illorum animos aliquantulum castigatos,facilius reconciliarent, vnoque cõsensu prædestinatum regem haberent. Nec interea quidem dormiebat Vrbanus: quippe qui clandestinis quotidie nunciis,Sigismundum, & Laurentium, ac inprimis ducem cum suis,ad concordiã reuocare nitebatur. Nec spe sua frustratus est: quum studium, & industria cum probitate coniuncta, magna ex parte fortunata esse solet. Qua quidem iure,autoritate, auxilioq; reginæ vsus est. Itaque rem haud vltrà differendam esse ratus, ne procerum & populorum studia magis magisque nutarent,quarto die post ducũ reditum,pro diui Georgij templo habita frequentissima concione,Vladislaum Boemiæ regem inclytum, Vngariæ principem, ex omnium patrum procerumque consulto declarauit: declaratumque omnes,quicunq; aderant,cum ingenti plausu,approbarunt.Quin & his omnes competitorum Oratores,& legatum inprimis apostolicum,vt pontificia autoritate,vicariiq; præsentia,declaratio iustissima muniretur,adesse voluit.Vbi multa de concordia,& salubri hac creatione,Scythica lingua disseruit, ingenitam & exuberantem referens eloquentiam. Item de patrum procerumque cunctatione,quòd regẽ antea non pronunciarint,haud pauca dixit, & pluribus excusauit. Demum inuocato præpotenti numine, quod regno Vngariæ, vniuersæque Christianæ Reipub.bonum & faustum felixque foret,Vladislaum Casimiri filium,regem cunctis assentientibus pronunciauit. Tanta mox populi acclamatio cum ingenti plausu oborta est, vti eo die tota Buda nil aliud quàm faustissimum Vladislai nomen resonaret: insuper ante priuatas Beatricis ædes, felix tota die facta est acclamatio, magni plausus editi,& in signum publicæ lætitiæ missilia cum pecunia sparsa. Legati principum, qui voti compotes esse nequiuere,turpis repulsæ perturbatione commoti,ac minitabundi, cõtinuò abiere. Et illud indignationem augebat, quòd Nigrorum exercitum, de quo paulo suprà diximus,à Ioanne pontifice Varadiensi, regni nomine senserant inauctoratum,cuius arte potissimum & ingenio Vladislaum declaratum esse reputabãt. Posthęc patrum & optimatum omnes ingenij nerui,quum regni salus & imminentia

Vladislaus rex Vngariæ declaratus.

Legatorum recessio.

10 20 30 40 50

hentia vndique pericula ita exposcebāt, adiuuante summo studio regina, vt paribus declarato regi auspiciis coniugaretur, ad reconciliationem Coruinarum partium,& publicam concordiam intenduntur, Vrbanus,& Thomas Iauriensis episcopus, cum Blasio Budensis aulæ procuratore, in cuius manu sacra corona, cæteræque regales arces erant, & cum Sigismundo die noctuq; ingēti solicitudine rem agit:exoratq;,vti Coruinum ducem ad reddendam coronam, & accipiendas honestissimas concordiæ conditiones hortarentur. Quinetiam Beatrix ad exorandum priuignum,& Quinqueeclesiensem episcopum,cæterosq; principes factionis,Blasij socerum misit,qui autore Sigismundo, & genero fautore, haud difficulter Matthiæ filium ad concordiam reuocauit. Quandoquidem facile intelligebat adolescēs,se ab vtroque destitutum,omnem operam elusurum, siquidem alter opibus præpollebat, coronam & arces in sua potestate habebat alter. Ambo igitur huiusce cōcordiæ ab ea parte potissimi fuere autores,& præcipuè Sigismūdus:quippe qui,postquam diui Matthiæ filium, regem commodè creari non posse intellexit,ad publicam deinde salutem ac dignitatem animū aduertit.Restituēdæ namq; coronæ, ac pacis ineundæ potissimū autorem fuisse vidimus. Item & illud inter varias pacis conditiones decretum intercessit,vt omnia eorum diplomata, qui Coruinorum & villas & bona à regina post partam victoriam dudum impetrarant,qui ciuili bello occubuerāt, aut Reipub. hostes promulgati fuerant,continuò,inita concordia,rescinderentur, & pro irritis haberentur:qui eo tēpore occupata reddere pertinacius recusarent,perduellionis crimen planè subirent. Quare ablata cūcta sunt reddita, & donationes antiquatæ: atq; pertinacib. perduellionis indicta dies,& exactæ pœnæ. Legati,pronunciato in frequentissima cōcione rege, Senatuscōsulto decreti, inprimis Ioannes Varadiensis,Thomas Iauriensis,Ioānes Chanadiensis, & Stephanus Syrmiensis ex episcopis:è proceribus verò ac regulis, Stephanus Bathor,Stephanus comes Scepuēsis,Sigismūdus diui Georgij comes, Drach Bertoldus, Ladislaus Orsag, veteris Palatini filius,Ladislaus Rosgonius,Ladislaus Losontius,multi quoq; alij ornatissimi optimates : quibus adducēdi honorificentissimè regis data prouincia, & adiecta mandata,vt antea,quàm intra fines regē accipiant, in oblatas cōditiones iurare cōpellant.Iussi mandata viri impigrè curant. Cum honesto munitoq; equitatu,Tirnauiam(& ad regni fines)perueniunt decē milibus passuum à Schempte oppido remotā. Vagus Tirnauiam & Schempten amnis interfluit, vt Vngariæ fines à Boemica ditione dirimat. Vladislaus prius literis optimatum admonitus,Vngariæ se regē omnino futurum, cum delecto Boemorū exercitu finibus appropinquarat, vti in tempore præstò semper adesset. Decem milium circiter erat cataphractorum equitatus,gentium vbique spectabilis, peditum ad quinq; milia numerant.Rex cùm finibus appropinquasset, antistites & optimates Vngariæ confestim occurrêre, regem præreuerenter cōtinuò cōsalutarunt: sanctissima vtrinq; facta est acclamatio. Vladislaus clementiæ, grauitatis & benignitatis exēplar,hilari vultu omnes excepit, & primores amplexatus est. Tūc Ioannes Varadiensis antistes,ornatissimę legationis princeps,è medio sic exorsus est:Salue Vladislae rex inclyte,salue moderator,& rector noster vnice.Si cōditiones acceperis,fausta & felix maiestati tuæ, Pannonicæque saluti sit ista salutatio:quandoquidem te regem nobis,non tam hæreditario iure, libera nostra eligendi potestate, prouinciarumq; omnium suffragiis,quàm diuino consilio & iussu datum arbitramur. Ad te maximam pontificum procerumq; manum legatam esse scito,vti ex legationis amplitudine, maximum totius ferè Pannonicæ ditionis cōsensum,in te vnum oculos, spem, fiduciam, & obsequia perpetua conuertisse scias. Nec solùm quidem audiuimus, verumetiam vidimus omnes, & spectauimus,ręcoci ab adolescentia grauitate,ac sapientia tua fluctuantissimum Boemiæ regnū,nunquā à Sigismundo, Alberto & Ladislao auunculo tuo antè pacatum, sub ductu auspiciisq; tuis in perpetuā quietē,insolētissimumq; ocium peruenisse.Nos defuncto diuo Matthia,regē optaturi, quē præter te potissimū eligeremus,neminē habuimus, quē tibi anteponeremus.His igitur legibus

Ioannis Varadiensis episcopi ad Vladislaum regem oratio gratulatoria.

Iuramẽtum regiũ & leges Vngariæ.

iam, repulsis cæteris competitoribus, te Vngariæ regem declarauimus, vestriq; regni nunc habenas potentissimæ dextræ tuæ committimus; & sponte damus: inprimis, vt omnibus optimatibus, regulis, antistitibus & nobilibus, itẽ aliis qui aut sacram aut prophanam, aut nobilem, aut humilem personam gerant, integra regni decreta, priuilegia, & publica denique, ac priuata iura, à Maiestate vestra seruentur, quæ à diuis quõdam regibus promanarũt: nihil noui in cuiusuis personæ detrimentum, vti Matthias rex facere plerunque consueuerat, illa decernat: insolita præsertim vnius nummi aurei vectigalia, quæ is quondam viritim quotannis ter & quater exigebat, antiquet, abrogetq;. Quinetiam omnia illius decreta & donationes, quæ præter morẽ & regni iura iniustè tulit, sanxitve, rescindat, & pro irritis habeat: solita vectigalia, legitimosque prouentus sibi duntaxat accipiat: tributa, præter morem, iniusta ne sanciat, bona quæcunque imperante Matthia & Beatrice, eorum autoritate à legitimis possessoribus iniquè abdicata fuerant, repetenti, ius statuat: corona sacra nemini asseruanda cõmittatur, nisi duobus Vngariæ optimatibus, pontifici & regulo, quos frequentissimus regni conuentus elegerit. Insuper, ne quo modo Morauiam, Silesiã, & Lusatiam, quas Matthias rex olim in prouincias redegerat, ab huiusce regni ditione alienare patiatur: sed ante tempus redemptionis, veluti ex compacto in Olmuciensi conuentu decretum est, sub Vngarica ditione retineat. Quòd si fortè ipsa sine liberis humanis excederet, quod dij prohibeant, ante diem extremũ ita prospiciat, ne quo illæ prætextu abalienentur. Quinetiam det operam, vti sex quæ superfuerant vrbes, veluti pacta iubent, in eodem conuentu edita, publicis literis pari iure Vngarorum imperio sese obligent, & obstringant, diplomataque præstandi obsequij super ea re facta, in regni ærario recondantur. Quòd si tres istæ prouinciæ præstituto tempore ab his redimerentur, quorum ius est: pecunia omnis, vnà cum sacra corona, in Reipub. vsum & vtilitatem pariter asseruetur, nulloque modo, sine patrum procerumque consensu, à rege tractari & erogari queat, sed ad extrema pericula, & regni defensionem recõdatur. Præterea, ne Austria, cum plerisque Styriæ, Carinthiæ, Carniolæq; ciuitatibus à Matthia in prouinciam redacta, publicoque sumptu parta, ab Vngariæ regno, inconsultis patribus & optimatibus, abdicetur: imò pertinacius pro nostra Repub. retineatur, & propugnetur: nullaque cum Cæsarea Maiestate, citra senatus consultum & autoritatem, concordia ineatur, fœdusque percutiatur: quinetiam si qua vltrò citroque cõcordia iniretur, & aliqua hinc oppida, possessiones, pecuniáve regi cederet, id omne Vngaricæ ditioni adscribatur, pecunia cum sacra pariter coronà in Reipub. vsum asseruetur, & sine Senatusconsulto nunquã à rege possit erogari. Præterea vestra Maiestas vt commodius, faciliusque regno semper prospicere queat, maxima ex parte in Vngaria resideat: atque si quãdo res ipsa postularit, vti Boemiam, aliasque prouincias reuisere velit, regnum ita pacatum, munitum & institutum relinquat, vt ad faustum vsque reditum id tranquillum inueniat. Dum in Vngaria manserit, omnia regni munia Vngaris tantum, & non externis distribuat, aulicorumque duntaxat Vngarorum officiis semper vtatur: nec in regni administratione, aut curiæ, regiæque muneribus vllum ex peregrinis consiliarium, quæstorem, prætorémve, aut amanuensem, cubicularium, ministrum, structorem & architriclinum admittat. Cùm de Vngaricis rebus agetur, nullum præter Vngaros externum in concilium venire patiatur. quinetiam Vngaris tantùm, aut Vngarico quondam imperio subiectis, qui haudquaquam videantur indigni, sacra munera, honores, & Ecclesiastica præfectura tribuãtur. Item prouinciarum & vrbium regalium præfecturæ (vtputa, Dalmatiæ, Croatiæ & Sclauoniæ, præterea Themesi, Pisonij, Seuerinij, Albæ Græcæ, Iaiczæ, & Sabatij, & præsertim Transyluaniæ, ac Scythulorum) nullis aliis, nisi Vngaris de Repub. bene meritis, & summa virtute, prudentia & fidelitate præditis, à regia Maiestate conferri queant: imò ne possessiones quidem, & earum iura alienigenis dari possint. In dicendo autẽ iure, cùm celebrantur (vt aiunt) octauæ, omnes designati omnino iudices intersint, nisi aut publicorũ negotiorum impedimento, aut

Vicegradus arx editissima à seruatoribus omnia dicetur.

Octauæ.

to, aut quauis ardua legitimáve causa remorentur: atq; his, cæterisq; collegis & vicariis, libera potestas sit ius rectè, integreq; dicendi: iudiciaq; libera in omnes & iusta seruentur: & nullius publicæ priuatæq; personæ, sed iusticiæ tantùm, & consuetudinis, legumq; Vngaricarum ratio habeatur, & nemo suo iure fraudetur. De numismatis autem & moneta, inconsultis patribus, nihil noui decernatur. Demum quicquid antistites, reguli & optimates, cum cætera nobilitate, pro regni libertate & commodo ante coronandi tempus, ex antiquorum more sancire voluerint: id vestra Maiestas ratum & firmum habeat, suaq; autoritate muniat & cōfirmet, nihilque ex diuorum regum legibus abroget, immutétve. Demū alieno Senatum ære leuet, quod antistites cum proceribus paulo antè conflarant, cùm Nigrorum exercitum inauctorarant, vti regnum tutò potestati tuæ (rex inclyte) traderemus: item quæcunque oppida, regalesq; prouentus pro regni salute his diebus oppignorarint, cùm à tot molestiis respirare licuerit, vestra Maiestas recuperare, iustaque stipendia Nigris equitibus de Repub. benemeritis, à Matthia olim rege debita, persoluere dignetur. Cum his igitur legibus regnum Vngariæ Maiestati tuæ deferimus, & dicamus, serenissime Vladislae, vt te regē iustum & verum, benignissimum principem, & patrem pientissimum, non tyrannum, non crudelem dominum, non immitem & imperiosum gubernatorem esse intelligamus, vt delatum publico consensu hoc regnum & diuino numine, humano consilio, hæreditario iure, liberis quoque suffragiis & autoritate nostra tibi destinatum libenter accipias: quod Maiestati tuę, Vngaricæque Reipub. faustum, felixq; sit, iterum iterumq; supplicamus. Quippe regnum habes natiuo auro, argentoq; refertum: mira quoq; frumenti, metalli, pecoris, ac rerum omnium vbertate præditum: præterea militum robore, ac bellicæ rei experientia validissimum. Accedit religiosum, continens, & ditissimum, tam humile, quàm nobile genus hominum, grauissimorum multitudo pontificum, & sacerdotes domi forisq; præpollentes, item tanta procerum ditissimorum, & nobilitatis copia ornatissima, perpetuo obdurata bello, vt priscam hîc Romanæ militiæ amplitudinem recognoscere liceat. Plures hîc duces, plures quoq; Curios, & Scipiones, quàm in equo Troiano principes, & Romæ imperatores inueneris. Proinde iā regnum habes, regnū dixi, imò regna plura, imò materiam perpetuæ salutis, occasiones laudis & gloriæ, & clarissimarū virtutum omniū exercitationē, siue pace, siue bello, siue publicè, siue priuatim tuū nomen in extremos orbis fines propagare placitum fuerit, aut reconditarū in sacro pectore virtutum regaliū ordines explicare: nihil est, quod desit, sanctúmve propositum remoretur, & præclarissima hæc inprimis de vniuersa Christiana Repub. bene merendi offertur occasio: qua diui Vladislai tui patrui manes vlcisci, & à Turcorum feritate, seruituteq; miserrima Christi populū asserere poteris, si tibi ipsi non defueris: si animi magnitudinem, ingenitāq; virtutē, hoc, vt incepisti, tempore non remiseris, te circumspectum, te iustū, te sanctum, te integerrimū, & pientissimū esse scimus. Vnū te non latere percupimus, quādo bellicosæ, asperæq; gentis habenas capis, Vngarū non indulgentia, sed seueritate molliri: non clementia & impunitate, sed virga ferrea in obsequio retineri. Quare dextris auspiciis delegatū à senatu Vngarorum imperiū accipe, regnūq; tuum tuæ dexteræ potentia defende. Vladislaus ad hæc oblatum regnū libenter accepit: & ob singularem Vngarorū obseruantiam, ingentemq; consensum, quē in Comitiis regalibus ostendere, ac iustissimas in accipiendo rege conditiones, ne qua ex parte ingratus, & à regia dignitate alienus videretur: omnia quæ Legati postularunt, vltrò concessit, conditiones omnes accepit, easq; non solū iureiurādo, sed adiecta Christiana fide, & verbo ac honore regio, se suosq; omnes, nomine suo munera gesturos, integras leges, inuiolatasq; seruaturos esse promisit: quinetiā publica de his diplomata edi voluit. Mox admissis ad amplexū viritim Oratoribus, omnes de se bene sperare iussit: pollicitus, se nullam vnquam tyrannidem, sed pij, clemētis, ac iusti regis officiū vsquequaque seruaturum: ciuitates, pagos & oppida, item diuina & humana æquè curaturum, nullū vnquam bellū graue ac formidolosum esse detrectaturū: & fidi more

Opes Vngariæ

Vngarorum natura.

pastoris, pro charis ouibus mortem, cùm necessitudo tulerit, semper obiturum: nullamque in Christianos expeditionem, nisi res adegerit, sed in Turcos tãtùm, vltrò suscepturum. Se demum Christum optimum maximum, diuinamque genitricem, cæterosque magnos, patriosque deos assiduò oraturum, vti se talem Vngaris regem efficiant, qualem regni necessitas, expectatioque virorum, & sua dignitas exposcit. Edito ibi plausu, ac ingẽti acclamatione, rex cum oratoribus, & Boemiæ, Pannoniæque proceribus in Schempte oppidum venit, à Ladislao Rosgonio loci domino ad cœnam inuitatus: Vngaricam ibi primùm liberalitatem expertus est, quãdo pro dignitate non solùm exceptus, sed præter omnium opinionem amplè donatus, in Vngariam abiit. 10

RERVM VNGARICARVM DECADIS QVARTÆ LIBER X.

ACCEPTO Vngarorum imperio (quando hæc est rerum humanarum planè conditio, vti, quanto maiores sint, tantò plus solicitudinis, & periculi, laborisque contineant) duæ inprimis, nec parui quidem momenti, expeditiones occurrunt. Hinc Albertus frater, pertinacissimus regni cõpetitor, Budam cum ingẽti exercitu, & non parua Vngarorum manu, qui vnà conspirarant, festinare dicebatur: hinc Vicegradum arx editissima, vbi diadema sacrum asseruabatur, erat obsidenda, vti Vladislaus in Alba regali ritè coronari posset. Quare duo milia peditum extemplo præmittit, qui arcem obsideant, vti coronam habeãt, antequam Budam ipse perueniat. Duos ad Albertum fratrem oratores mittit, Stephanũ Syrmiensem episcopum, & P. Swibowsky, regni Boemiæ iudicem: quibus mandata dat, vti fratrem hortentur, & orent, retrò cum copiis pedem ferat, à solitis rapinis & incendiis militem coerceat: quando fratrem primogenitum legitimè creatum regem esse non ignoret: imò faueat, vti par est, & aduersus hostes Vngariæ stipendia faciat: demum fraternæ quibuscunque rebus opus erit, veluti ipse faciet, charitati satisfacere studeat. Oratores inito mox itinere, die noctuque properant, donec in Alberti castra ad pagum Zechen, VI. Idus Augustas peruenere. Cùm in eius conspectũ statim essent admissi, Stephanus prior exorsus, Faustissima, inquit, Vladislai nostri regis Maiestas, te saluere iubet, dux illustriss. & optima quæque nuncupatis tibi votis exoptat, & cupit. Sed in seruando fraternæ charitatis affectu, parum in te animi inuenire miratur, ægreque fert: quandoquidem non ignorat, te non solùm ex paternis literis, sed publico rumore dudũ cognouisse: se iure, ac ritè Vngarorum regem esse declaratum, seque sæpe senatus literis, & nunc magnificentissima, frequentissimaq; patrum, procerumque legatione, in regnum, cum summo populorum omnium plausu, faustisque acclamationibus admitti. Nec te latere arbitratur, quod nuper sibi significatum est, quòd nil sibi iucũdius accidere potuisset, quàm inter se, Coruinumq; ducem ictum esse fœdus, perpetuamq; cõcordiam, intercedente senatu, esse factam, & his primis conditionib. initam, vt dux regi nostro pareat, grataque semper obsequia præstet, & sacram coronam, ac omnes arces, oppidaque regiæ maiestati subiecta spontè reddat. Quare cùm nihil sit, quod rem istam amplius impedire possit, fratrem quem sibi, faustissimæque fortunæ gratulari debere arbitrabatur, prẹter omnium opinionem, & fas, & æquum, magnas in fraterno regno turbas, bellaque moliri demiratur, fraternas acies quas auxiliares esse oporteret, sibi regno suo infestas conspicatur. Et inprimis detestabili angitur insolentia, quæcunque de Etheocle & Polynice, de Romulo & Remo dicuntur, partim à poetis ficta, partim à scriptoribus esse deprauata, ac aliter atque referuntur, sese habuisse affirmant: Te nunc exemplo tuo, ea testari fuisse vera, quæcunque de fraterna impietate, discordiaq; scribuntur. iniquo fert animo, quòd è pio sanctoque nunc genere illi promanarint, qui maiorum gloriam inaudita feritate incestarent. Te cum ingenti cataphractorũ

Stephani Syrmiensis episcopi ad Albertũ ducem oratio.

Alberti in fratrem impietas.

20 30 40 50

ctorum equitatu iam è Polonia in Vngariam erupisse: & nulla fraternæ charitatis habita ratione, multa suis populis detrimenta indies inferre: militi omnem debacchandi licentiam permittere, & maiora quotidie incendia interminari, nisi ad te fortè defecerint, planè nouit. Te fortunã suam interturbare, quæ tanta ipsum dexteritate prosequitur, perquã ægrè tulit: sed tamen ab officio & pietate sua nihil alienũ cogitare potest. Proinde nos ad te festinare iussit, mãdauitque, vti te suo nomine hortemur & oremus, ab rapinis & incendiis militẽ abstineas, exercitũ reuoces, fraternæ necessitudinis memor esse velis, eiusq; officium diligẽter præstes. Item ea te memoria repetere cupit, quæ perfidos vltrò citroq; internuncios acta sunt. Illud demum te sat exploratũ habere iubet, quando omnis à Deo potestas est: hæc impedimenta fortunæ suæ dexteritatẽ aliquantisper remorari, non tamen mutare posse. Quinetiã te obtestatur, vti fas est, vires tuas in fraterni regni ac suæ dignitatis defensionem vltrò conuertas. Pientissimi quoq; patris te rogat habere rationem: quippe qui ingrauescente ætate, inaudita filiorum dissidia, tolerare nõ poterit, & ad nouissimum diem festinare cogetur: cuius felicitas & gloria fraternis odiis intercipi non deberet. Præterea quantum nominis, dux inclyte, hactenus domi militiæq; comparasti, nisi ab incepto destiteris, id omne protinus extingueretur, & pro laude summa impietatis infamia succederet. Quòd si hortationi suæ, precibusq; nostris nec assentire, nec cum exercitu referre pedem, nec à rapinis & incendiis militem coercere volueris: suam scito maiestatẽ, licet inuitam, ne periclitanti regno desit, sibi spontè delato, proculdubio prospecturã, & diuina dignitate fretã, iniuriam esse facilè propulsaturam, è subditorũq; ceruicibus hoc iugũ omnino excussurã. Quod eo certiùs sperare debet, quò bellũ magis necessarium & iustũ inibit: quippe cùm ab eo inferatur iniuria, à quo minimè decuit: & qui non modò arctissima sanguinis coniunctione: sed multis quoq; latentib. causis, quæ vtrinq; intercedunt, indulgentissimo fratri perpetuò obstrictus esse debet, quod ne faciat, suo nomine iterum iterumq; hortamur, & obsecramus. Cùm parũ æquo hæc animo accepisset, Albertus, magna regnãdi libidine percitus, pauca respondit: Legatos ad Vladislaũ Boemiæ regẽ se postero die missurũ, eisq; ad fratrem mandata & responsa daturũ esse dixit: quinetiã se primo comitiorũ regaliũ die Vngariæ regem, ante cæteros cõpetitores, legitimè declaratũ, non facilè quidem verbis magni momenti regnũ deserturũ. Ad hæc legati referunt, declarationẽ illã non fuisse legitimam, sed à subornatis quibusdã hominibus, iisdemq; leuissimis, ac plebeiis editam, eorum exclamationem temerariam, intempestiuamq; fuisse, & à nemine patrum ac procerum approbatam: quinetiã continuò repressam: quum de eligendo rege nihil adhuc latum esset ad populum, sed de instaurãdis tantùm pristinis regni priuilegiis, & sanctionibus à Matthia rege admodum antiquatis, agendum erat. Cum rem ita confutassent, ab Alberto mox dimissi, ad regem reuertere. Insequenti die Alberti oratores successere, qui apertè regi significarunt, eũm Vngariæ regem primò vocatum, nunquam temerè vocationem istam deserturum, neque destinato sibi regno facilè cessurum, imò ad extremum vsque fortunam experiturum. Neque Vngari deerant, qui cœptis desistere haudquaquam permittebant. Duo etiam peditum præfecti, qui ad Vicegradum recuperãdæ coronæ gratia venerãt, arctissima statim obsidione arcem obsedere. Blasius, qui arcem cũ præsidio tenebat, desperata Coruini fortuna, auxiliarisq; copiis, persuasus ab aliis, & ab Vrbano, Sigismundoque pontifice, non inconsulto inuitoque Coruino, coronam arcemque reddidit, ne perpetuus patriæ hostis haberetur. Rex interea cum magnificentissima Vngarorum legatione, validissimoque Boemorum equitatu per Vngariam iter faciens, per spurcissima tẽpora: Budæ tandem vrbi appropinquauit, ac nullum comitatis & popularitatis officium inter antistites, proceresque prętermisit. Cùm faustum principem appropinquare rumor esset: tota ciuitas expectatione confecta, & præsenti gaudio exhilarata, in concursum effunditur. In primis Osualdus Zagabriẽsis antistes, item Vrbanus, Stephanusque Bathor, ac cæteri, qui in vrbe tutelę gratia sanè remãserant, opti-

Alberti responsio.

Alberti oratores ad Vladislaum.

Osualdi oratio. mates ad quartum lapidem occurrunt,& Senatusconsulto hæc Osualdus verba fecit: Salue, inquit, rex noster serenissime, salue spes vnica salutis & tutelæ, sanctus & felix sit aduentus iste ac vniuersæ Pannoniç perpetuò salutaris: cuius gratia mirificè exultamus, insolita lætitia gestientes: & serenitati tuæ ex corde congratulamur, quando omnium ferè antistitum, procerumq; consensu regem nostrum creauimus: non tam nostro, quàm diuino iudicio, & quàm è cœlo datum tuemur, pro debitæ congratulationis officio, senatuscõsulto pars episcoporum & optimatum magna vestræ maiestati, vt pro dignitate eam exciperent, ad fines vsque regni obuiam prodiere. Nos qui Budæ tutelæ gratia remãsimus, nunc demum serenitati tuæ occurrimus, vt & fortunæ tuæ congratulemur, & publicæ gauderemus vtilitati. Te obstinatissimo bonorum omnium cõsensu regem delegimus, delectumq; & declaratum faustis omnium gentium cognominationibus acclamauimus: quandoquidẽ post diui Matthiç obitũ, è tot finitimis principibus nemo magis Vngaricis rebus succurrebat idoneus. Tu solus prudẽtia, grauitate, potentia, item probitate, iusticia, religione, ac nobilitate demum generis, ex hæreditario iure potissimus omnium occurristi. Quare non tam nostra suffragia, & populorum vota, quàm propitia Vngaricæ gentis numina, te nobis regem designarunt. Proinde hilari fortique animo datum fato regnum adi, acceptas dudum habenas, pro sapientia tua dirige, ac moderare: gẽtem bellicosissimam, fidei tuç à Deo commissam, quando omnis potestas à Deo est, ad parandum, protegendumque regnum & Christianam Rempublicam defendandam, dispone. Non modò regnum sed materiam immortalitatis ingentem sortitus es, princeps serenissime. Non deerunt nerui bellorum, optimiq; duces, & bellatores validissimi: quos magna belli fulmina, & Christianæ ditionis clypeos verè possimus appellare, quorum ope maximum quodque genus immortalitatis, & gloriæ, ni tibi defueris, cõsequi poteris. Venis igitur omnibus optatissimus. Proinde faustissimis acceptũ regnum auspiciis forti animo guberna, vt te regem felicissimum, maximum liberatorem, amplificatorem præstantissimum, & orthodoxæ fidei propugnatorem clarissimum perpetuò celebrare queat vniuersa posteritas. *Vrbani verba.* Hic Vrbanus, breuitatis amator, verba facere iussus, pauca subiecit. Posteaquam, inclyte princeps, regni potestatem, & Reipub. summam fidei sapientiæq; tuæ haud imprudenter, illegitimeque cõmisimus, nil magis optamus, & nuncupatissimis à Deo maximo votis petimus, quàm vt tuæ dignitati, expectationi nostræ, Pannonicæq; spei & saluti satisfacias: qua in re ne plus quidem difficultatis, quàm facultatis est: quando (vt paulo antè dictũ) si tute tibi non defueris, si ab ingenitis auitisq; virtutibus non defeceris: omnia quæ tibi, nobisque sunt vsui, abunde adsunt: quinetiam cuncta fortunæ tuæ numina aspiratura confidimus, quia te pientissimum religiosissimumque cognouimus, fidelitatem vsque nostram exploratam habebis. Quare tuam cum salute nostra dignitatem maiestati tuæ commendamus, vt postquam vtrinque bene sperare licet, pariter saluti & gloriæ studeamus. *Vladislaus Budam ingreditur.* Ad hæc rex pauca profatus, omnes de se bene sperare iubet: & quando se non tam suæ, quàm alienæ natum esse vtilitati intelligat, se impensissimè quotidie enixurum, vt expectationi gentium & Vngarorum spei cumulatissimè satisfaciat. Ad hæc iunctis agminibus, suburbia nouæ Budæ subeunt: vbi pertinacium manus Iudæorum occurrit, Mosis tabulas offert, supplexque ex more postulat, vt priuilegia à diuis regibus quõdam impetrata, posthac etiam inuiolata seruentur. Sacrosanctas rex tabulas præueneratur, se vltro seruaturum pollicetur, nec viuum hostili orthodoxæ fidei testimonium deesse. Secundum Iudæos, omnes magistratuum ordines, & collegia sacerdotum antistitesque, patrios deos & numinum simulachra præferentes occurrunt, eumque cum sacris rhythmis & faustis acclamationibus excipiũt. Ad portam vrbis, sub purpurea fimbriataq; vmbella, regalibus circùm ventilantibus armis, à supremo admittitur magistratu. Curiam & publicum carcerem prætervectus, exclamantẽ noxiorũ multitudinẽ impunitate donauit. In arcem demum regiãq; ducitur, à Blasio procuratore redditam: quod pridie eius diei, quo diui Lauren-

tij solennia celebrantur, factum est. Albertus frater, qui cœptis nullo pacto cedere volebat, longum iter cum octo milibus Polonorum emensus, in Pesthano ad Danubium agro superiore die castra locarat. Ecce diuersis rex impiger periculis se circumuentum intelligit, & se non tam regnum amplissimum, quam fluctuantis maris imperium sortiturum esse sentit. Hinc Maximilianus, cognationis immemor, iam finibus imminet: hinc frater præ oculis instat, & peruicaciorem, infestioremque animum præfert: in inferiori Vngaria Turci varia bella moliuntur, nec intestinæ quidem factiones & Vngarorum insidiæ deerant: quæ fidem nusquam tutam esse patiebatur. Et cùm hinc Alemanni, hinc Poloni, cun-
10 cta hominum studia labefactarent, inuerterentque, promissis & minis rem vbique formidolosam esse cogebant. Quare de proximo, & perquam familiari primùm hoste, mox de Maximiliano, & Turcis, intestinisque malis, decernendum esse censet. Ad Albertum Ioannes episcopus Varadiensis mittitur, qui ita rem egit, & ingentes eius spiritus composita oratione repressit, spemque auxit in posterum dignitatis: vt quinto pòst die, quàm venerat, à Danubij ripa castra mouerit. Fratrem cum exercitu pedem retrò ferentem, & indignabundum, cũ minimè cœpta succederent, & viam ad quintum lapidem regressum rex misso subinde nuncio remoratur, vt fraternum sibi conciliaret animum, & omnem à suo regno iniuriam propulsaret. Mox Buda profectus, vocat in colloquium: paret
20 Albertus, & cùm inter vtraque castra, ad præstitutum locum cõuenissent; is minor natu pro dignitate præuenerat. Inito deinde colloquio, & amotis arbitris, rex fratris pertinaciam & impietatem, indulgentissimi more patris, incusat, eum neq; legitimè declaratum, neque ab optimatibus admissum: nec fas, nec æquum esse, aut temeraria paucorum proclamatione, aut vi destinatum primigenio regnum fratri adimere, & violata sanguinis charitate, ius imperij occupare. Proinde hortari, & orare, vt nõ tam fratri, quàm iusticiæ & æquitati cedat: imò quibuscunque rebus possit, aduersus tot hostium impetus faueat, & opituletur. Demum polliceri, se in referenda gratia ingratum non futurum: imò, pacato Vngariç regno se, vti primo ipse potiatur, omnino permissurum. Contra instat Alber-
30 tus, nonnulla confutare nititur: tandem se regno cessurum, vt aiunt, pollicetur, si pro rependenda expeditionis impensa, Transyluaniæ regnum sibi cõcedatur. Ad hæc Vladislaus aliquantisper commotus, alienãdarum regni prouinciarum potestatem non suam, sed procerum esse & nobilitatis. Re tandem infecta, colloquium diremit. Insequenti quoque die, ne qua ex parte fraternæ pietatis violaret officium, Varadiensem, & Stephanum Bathora remisit, vt quacunque arte possent, pacem conficerent. Ii cùm bis térve hoc iter emensi, Albertum reuisissent: datis verbis, & spe aliqua conditionis haudquaquam inutilis, pacem tandẽ cum eo fecere: conditiones eius nusquam editæ. Initam pacem Alemanni ægrè ferebant, quando spem omnẽ in fraterna discordia collocarant. Dum intestina
40 factione dissidioque laborat Vngaria: ecce magna Australibus deficiendi datur occasio. Populi suapte natura Vngarorum inimici, ac annos aliquot eorũ iuga passi, in pristinam libertatem se vindicare studẽt: & Neapolitani, ac Viennenses inprimis, vtriq; inuitis arcis vtriusq; præsidiis, Maximiliani copias admisere: admissisq; auxiliis, ab Vngaris vltrò defecere. Viennenses, ne peierasse viderentur, cùm in diui Matthiæ regis verba iurassent, se Vngariæ regibus perpetuò parituros, fideliaq; semper obsequia præstituros, se à Maximiliano deceptos ingenuè fatebantur. Eum aiebant ad vrbis optimates, decemuiratumq; scripsisse, se Vngariæ regẽ omnino futurum: quando sibi cum Coruino conuenerat, cuius Austria erat, & cum omnibus ferè proceribus Vngarorum: nullum alium, quàm i-
50 psum regem esse passuros. Quare citra periurij ac violati fœderis infamiã, ad se tutò deficere posse, quando non ad alium, quàm legitimum Vngariæ regẽ deficere viderentur. Verba danti senatus temerè credidit: imò sub hoc prætextu patiebatur haud ægrè falli: quinetiam videbat populum Vngaris infestissimum, in obsequio vltrà retineri non posse, primores tantùm aliqui in fide permansissent, quibus imperiosus Maximiliani dominatus formidolosus erat, & ipsi Vngaricæ

Albertus in ripa Danubia castra ponit.

Regis cum fratre colloquium.

Pax cũ Alberto.

Viennensiũ rebellio.

factionis esse putabantur. Stephanus Scepusiensis, comes Augustalis, quem Austriam cum imperio tenere suprà diximus, multis antè diebus, cùm vrbem peregrino sensim milite compleri cerneret, imminentē veritus defectionē, Decemuiratum increpuit, quòd noua moliretur. Cōtrà illi, se interregni tempore, cùm validum vrbi præsidium non foret impositum, fluctuantibus rebus, prospicere oportere, ne quid Respub. detrimenti pateretur, peregrinum inauctorasse militem: hinc plebi adauctus animus, quæ Vngarorum imperium vltra pati non poterat. Quare mox vulgò loqui, reuocandum esse Maximilianum, vnicum Noricorum assertorem: Vngarorum iugum è ceruicibus omnino excutiendum, indies per contumelias in vicis & compitis pugnam inire. Stephanus re desperata, & munita arce, necessarium abitum causatus, ne obcluderetur, excessit. Cum paruo Maximilianus equitatu XI. Calend. Septemb. Viennam cū maximo populorum plausu inuectus est. Et consalutatis diis patriis, in diui Stephani basilica libertatis hymnus publicè decantatus. Insequenti die arx obsidetur: & quo arctius oppugnatur, eo pertinacius illa resistit, validissimo munita præsidio, admotis machinis vndique æneis, nunquam ad deditionem faciendam redigi potuit, donec fractis mœnibus, in mediam hostes aulam insiluere. Maximilianus cùm ante alios acerrimè pugnaret, vnum aduerso corpore vulnus accepit. Præsidiarij verò, vbi rem desperatam vident, deditionem tandem fecere omnes, & ab hoste mitius opinione tractati. Neapolitani quoque idem fecere, obsessam arcem ad mediam redegere, quare cùm nulla à Coruino subsidia mitterentur, in deditionem accepere: tutis corporibus & impedimentis omnes æquè dimissi. Pruk ciuitas non longè remota, sitaque in finibus Austriæ, mox Maximiliani factione deficit. Cùm Terzanus, qui arcem cum præsidio tenebat, in proximam prima luce ædem prodiisset, ex composito impetu a ciuibus capitur: & coniectus in vincula, arcem dedere cogitur. Paucis antè diebus, Calend. circiter Augustis orator Vngarorum, qui a Matthia rege Constantinopolim missus erat, à Turcorum imperatore rediit: se ab eo honorificè exceptum, & bene tractatum, déque regis morte primò commonefactum fuisse retulit. Quinetiam adiecit, Turcam Matthiæ mortem amicè condoluisse, neque accepti ab illo beneficij fore immemorem: quippe qui defuncto patre, cùm multa per interregni occasionem potuisset, nulla tamen bella moliri voluit. Insuper dixisse, neminem ex orbis regibus se, præter Matthiam inuictissimum, reformidasse, & ingenuè polliceri, si opus fuerit, se filio, vt paterno regno potiatur, quadraginta hominum milia spontè missurum. Quarto Calen. Septemb. coronam sacram, à Vicegrado, pōtifex Zagrabiensis Budam in ædem diuæ Genitricis detulit: cui omnes ordines, & sacerdotum collegia occurrere. Mox sacris [illegible]tè peractis, à duobus creatis asseruatoribus, quorum alter Vrbanus, Steph[illegible] Bathor alter erat, triumphali curru elatis manibus inuecta, & subsequente cum frequentissima procerum manu rege, in arcem regiam delata, ibique admotis excubiis, in coronationis vsque diem est recondita. Georgius Chanadiensis episcopus custodiæ præficitur. Nondum Augustus mensis exactus erat, cùm Stephanus Syrmiensis episcopus, & Ioannes Selemberg, Boemiæ cancellarius (vt aiunt) ad Maximilianū à Vladislao missi sunt, quibus ea præ cæteris mandata data, vt competitori ambitiosissimo cognatoque principi significent, se legitimè regem esse declaratū, & nulla in comitiis Maximiliano, patriue Augusto suffragia reddita. Quare pro mutua necessitudine sanguinis, impensius orare, vt in pacando & potiendo regno faueret: quinetiam polliceri, quibuscunque rebus opus fuerit, se præsto Cæsari semper affuturum, nullumque gratissimi principis officium vnquam prætermissurum. Ii eo die Viennam peruenêre, quo Maximilianus expugnato Claustrumburgo, in vrbem cum exercitu se receperat. Oratoribus quàm primùm datus est aditus, qui cùm Vladislai serenissimi Vngariæ Boemiæq; regis nomine, cum decora præfatione salutassent: sic ægrè tulit, vt se continere nequiuerit, quin vultum obduceret. Mandata tamen ex ordine referentes, ne iniquis quidem auribus audiuit: omnibus in rebus benignè satisfecit: nisi

Maximilianus Viennā recepit.

Noua ciuitatis Pruck defectio.

Legati Vngarici à Turco redeunt.

Corona Budā delata.

Vladislai ad Maximilianum legatio.

10

20

30

40

50

publ in his quæ ad ius regni pertinerent, ingenuè respôdit; se nunquam regno si- bi debito facilè cessurum: quinetiam potiorem optimatum numerum clam sua- rum esse partium, & quamuis ab humili multitudine, gêtis vitio, parum optare- tur: facilè tamen & bello, & suarum partium auxiliis, eam in sententiam suam perbreui redacturum. Ne Polonos quidem sibi defuturos, qui paria secum sti- pendia facient: nec initam dudum pacem esse duraturam, sat Vladislao Boemiæ regi, adiecta sibi Morauia, Silesia, Lusatiaq; prouincia, esse terrarum: haudqua- quam æquum & fas esse, vnû omnibus imperare. Paucis pòst diebus, festinan- tibus oratoribus, sat honestè tractatis dimissio data: qui vt ille cederet, nullo pa- 10 cto assequi potuere. Cùm Budam iter intenderent, regem cum omnibus opti- matum antistitumque ordinibus ad Albam regalem coronandi gratia, conce- dere acceperunt. Quare declinato aliquantum itinere, ipsi quoque ad Albam contendere, & Maximiliani retulere responsa. At ille interea omnes ingenij neruos magis intendere, ne ritè coronaretur, néve coronatus regno potiretur. Quare vndique auxilia cogere, maximum habere delectum, & peregrinum inauctorare militem, inuertere studia procerum, eosque variis promissis ac mu- neribus allicere: indies passim serere discordias, & alere, quò facilius oneratis V- ladislai viribus, Vngaria potiretur. Artibus Alemanni haud parum, & consilio pollent: quòd si armis, robore & tolerantia militari iuxtà pollerent, & ipsi quo- 20 que concordes fuissent, verum sibi imperium compararent: sed suis sæpe arti- bus occidunt, & hostili virtute adacti, succumbunt. Atqui de legitima Vladislai coronatione, ac eius ordine, est agendum. Inprimis Albam dudum ingressurus, pro explicatis optimarum ordinibus, tale profectò spectaculum exhibuit, quod vbique gentium dignissimum foret habitum. Vniuersam enim Boemiæ, & po- tiorem Vngariæ nobilitatem ibi cernere erat. Præfecti prouinciarum, tribuni militum & legati legionum, centuriones & chiliarchæ, cum florentissima pro- cerum iuuentute regem anteibant: antistites ex ordine subsequebantur. Ibi varios, & gemmatos habitus toto orbe spectabiles: ibi phaleratos, & supra ho- minum opinionem excultos equos, non solùm auro & argento, sed lapillis onu- 30 stos spectare licebat. Se quisque certatim præter omnem luxuriam exornarat: vt Maiestati regiæ congratulando iactaret. Opeis hîc Scytharum omnes effu- sas reputasses. Augebant admirationem, & arma: quando aureas, argenteas- que galeas, & thoraces gemmatos, insignesque more cristati, gestabant. Va- ria ex aurô, argentô ve animalia, & discintillâtia præ lapillis ephippia ferebant. in extremo agmine Budini ciues erant, modestius ornati, quibus mos est inter co- ronandum templi postes, vnà cum Albinis, & instructa acie tueri. cùm plerique optimates, & in primis metropolita Colociensis, & dux Laurentius abessent, coronatio aliquantulum prorogata, necui excusationis causa præpropera festi- natione daretur: neque ij tandem affuere. Vndecimo Calend. Octobris rex 40 ita ritè coronatur. E proximis Dominici antistitis ædibus, vbi residebat, præ- cedente honestissimo comitatu, & vniuerso pontificum ordine: in pontificio cultu progrediente, detecto capite, demissisque crinibus, paludatus rex in diuæ genitricis basilicam prodit: à dextra Vrbanus Agriensis episcopus, à sinistra Si- gismundus Quinqueecclesiensis erat. Ante hos Ioannes Coruinus, elatis mani- bus sacrum diadema præferens: cuius latera hinc Stephanus Bathor, qui sce- ptrum regale, & Ioannes sancti Georgij comes, pomum aureum ferens, clau- debat. Mox istos Stephanus Syrmiensis episcopus auream pacem, & Prior Au- ranæ crucem gerens anteibat. Quin & Paulus Kinisius, cum stricto gladio, & Matthias Gerebus, cum ense vagina recondito aurea: item Ladislaus veteris 50 Palatini filius, magister agazonum cum equo: & Ladislaus Losontius, cum re- gali vexillo, præcedebant. Cæremoniarum ordinis præfectura Ioanni episco- po Varadiensi tradita, Osualdo Zagrabiensi veluti metropolitano, sacrorum [illegible]erario commendata: cùm Hippolytus Strigoniensis metropolita, cuius hoc sacrum munus erat, ob immaturam adhuc ætatem non adesset: quod haud ab re factum est, ne absentia dignitatis suę derogare videretur. Et quamuis ipse non

Vladislai regis corona- tio. & pôp.

venerit, validissimum tamen equitatum (vt par erat) misit. At vbi in basilicã peruentum est, parato suggestu, procurante cuncta Ioanne Varadiensi, omnes pro dignitate, præsidente in solio rege, in subsellijs consedere. Instructi verò ad mysteria pontifices, in gradibus præ ara magna constructis, supra quam gladium strictum, sceptrum & coronam, cæteraque insignia regis imposuere: item & arcanum exorcismorum oleum, sine quo regalia initia fieri rite nequeũt. Vladislaus omnium religiosissimus ad sumẽda hæc insignia se optimè præparara. Eadem hebdomade alternis diebus ieiunia tria iam habuerat, quotidianaque in Deum resipiscẽtia tanti regni molem obiturus, diuinã opem implorarat: haud inscius, traditam à Deo potestatem, sine diuino præsidio geri non posse. Diebus aliquot ad Deum ingemuerat, vt quẽ regem is elegerat, suis auspiciis comprobaret, & vna cum regno tueretur, in diuinoque semper obsequio retineret.

Regis coronandi cæremonia. Post consensum igitur omnium, cùm Zagabriensis, qui metropolitani loco in coronatione fungebatur, ante magnam aram præsideret: rex paludatus adhuc, cum pontificibus, qui eius latera claudebant, reliquaque manu principum, e solio descendit: & occurrentibus in pontificio habitu duobus episcopis, ad metropolitanum ducitur. Constitutus ante ipsum, ex more praeueneratur. Mox è ductoribus episcopis alter, Sacrosancta, inquit, reuerende pater, ecclesia postulat, vt hunc delectum militem in regalem efferas dignitatem. At percunctatu illi, an eo munere dignus esset: continuò est ab omnibus acclamatum, pro explorata viri sapientia & virtute, iam esse dignissimum & Reipublicæ salutarem.

Admonitio ad regem. Post hæc metropolitanus sacrosancti patris officio fungitur, admonetque, vt cùm præclarum inter mortales locum inuenerit, sed periculis, laboribus, sollicitudineque perpetuò refertum: secum ipse reputet, cùm omnis sit à Deo potestas, de grege sibi commisso Deo quoque rationem reddere oportere: pietatem vsquequaque seruandam, Deum tota mente complectendum, colendum puro corde: orthodoxam fidem, quam ab incunabulis hausit, ad mortem vsq; constantissimè retinẽdam, & pro virili parte defensandam: Christi vicarios & pontifices, omnes pro dignitate obseruandos: Ecclesiasticam vbique gentium libertatem asserendam: diuina & humana æquè curanda: iusticiã, citra personarum discrimen, vbique seruandam: exornandos esse bonos, & malos nulla impunitate donãdos: miserabile quodlibet genus hominum, ab iniquissimo quoq; detrimento vindicandum: faciles adeuntibus aures adhibendas, & mansuetudinem cum affabilitate præstandam: nihil denique patrandum, quod sit à regia dignitate alienum, & regnum suę fidei commissum, ita esse gubernandũ: vt non ad priuatam, sed publicam vtilitatem regnasse videatur: præmium denique rei bene gestæ non in terris, sed in cœlo postulandum.

Regis verba. Contra rex harum rerum admonitus, Cùm diuinis, inquit, auspiciis me ad regendã Vngariam euocatum esse sentiam: in primis testor Deum optimum maximũ, cæterosque cœlestium numinum ordines, deinde vos omnes, qui nunc adestis, me iusticiam, leges, & pietatem, pacemq; omnibus, cùm sacrosanctis, tum prophanis, cæterisq; hominibus, qui qualiscunq; fortunæ personam gerunt, & sub mea ditione versantur, quantũ in me situ est, & fidelissimi Senatusconsulto fieri potest, diligentissime, & integerrimè seruaturũ: Pontificibus maximis legitimũ semper honorem exhibiturum, ac diuina ac humana iuxtà curaturũ: Ecclesiarũ iura tutaturũ: & amicitibus proceribusq; nostris debitũ semper honorẽ impensurũ: illud postremo toto corde, ac summo studio enixurũ, nequid vnquã detrimenti respub. temere patiatur. Mox in admota propius euangelia ritè iurauit, vt dicta iureiurãdo & rata & firma ab omnibus haberẽtur. Genibus deinde flexis, implorandę diuinæ benedictionis gratia, ante metropolitani pedes procidit. Cõtra ille assurgens, ingeniculatis omnibus, elatis in cœlum manibus, & deposita mitra, alta voce precatus,

Oratio benedictionis. Omnipotẽs, inquit, sempiterne Deus, Creator omnium, Imperator angelorum, Rex regum, & Dominus dominantiũ: qui fidelem Abrahã de hostib. triumphare fecisti, tribuisti variam Mosi Iosuæq; populi tui ductorib. victoriam, humilemque Dauid ad regni fastigia euexisti, quin etiam Salomonẽ ineffabilis sapientiæ pacisque

pacisq; munere ditasti: in preces nostras quæsumus respice, & super hunc dilectum tuum famulum quem tuo nomine veneramur, optauimusq; regẽ, tuarum gratiarum dona diffunde, ac dextera potentiæ tuæ domi militiæq; tuere, serua in sanctissimo seruitio tuo ac præsta, vt vbiq; gentium iusticiam cum religione retineat inuiolatam: & tuo numine fretus, exoptatã de orthodoxæ fidei hostibus victoriam & optima spolia referat. Quod vt a clementia tuæ Maiestatis imploremus, te per Christum dominum & Deum nostrum, te per tuum filium vnigenitum, te per sempiterni regni collegam intimum & consubstantialem nuncupatissimis votis comprecamur. Post hæc inclinato ante magnam aram metropolitano, & prostrato ad læuam eius rege, recinente choro, sacræ preces effusæ, & nuncupata vota. Quod vbi factum est, metropolitanus resumpta mitra, in proxima sede desedit. Rex à pontificũ corona circumseptus, ante illum ingeniculatur: & exuto brachio, humeroq;, arcano catechumenorum oleo, priscorum regum more, veluti Dauid a Samuele propheta delinitur. Inter deliniendũ metropolitanus ista precando precatur: Christus (inquit) optimus maximus, filius Dei viui, qui a patre oleo exultationis delibutus est, præ participibus suis: ipse per præsentem sanctæ vnctionis infusionem, paracleti spiritus tibi benedictionem demittat, eandemque ad cordis vsque intima transfundat, vt exacta terrestris regni gubernatione præclara, in æternum cum regum rege, corregnare merearis in cœlis. Intentus deinde in cœlum oculis, ita comprecatur: Omnipotẽs & sempiterne Deus, qui reges populi tui, vt sacro misericordiæ tuæ oleo inungerẽtur, edixisti: manibus nostris vim tuæ benedictionis concede quæsumus, & Vladislao famulo tuo, quẽ sub tuo numine regem inungimus, dignam vnctionis efficaciam & virtutem infunde, vt munita dextera, & corroborato humero, fortiter, iuste ac sapienter delegatũ sibi regnum tuis auspiciis gubernare videatur: tuamq; sacrosanctam fidem longè lateq; tueatur: quod vt à clementia tua impetremus, te per filium tuum vnigenitum exoramus. Postquam rex sacris regalibus initiatus est, à pontificibus turbaque procerum in solium reducitur. Metropolitanus subinde sacris occipit operari: & inita confessione, sacer chorus concinere cœpit. Interea rex in sacrarium relatus, deposito paludamento, regali diui Stephani regis habitu, aureisque cothurnis induitur: pallium è serico factũ vranei coloris erat: cui Dei thronus, & Apostoli omnes, cum diuina Maiestate, ex auro cõtexti, in palmatæ vestis speciem, quod non tam vetustate & censu, quàm religione picturæ spectabile videbatur. Regali ac sacro instructus habitu, solium repetit: vbi postquam Alleluia concinuit chorus, ad magnam aram ex more reducitur, metropolitanumque præueneratur. Tunc ille, sumpto ex ara stricto gladio, quem diximus: Accipe, inquit, gladium diuorum apostolorum autoritate consecratum & diuino numine tibi destinatum, super femur tuum accinge, ac regna: cuius vi æquitatem exerce, protere iniquitatem, sacrosanctam Ecclesiam tuere, protege fideles populos, & hæreticos ac hostes Christiani nominis iuxtà persequere: defende viduas & pupillos, instaura collapsa, instaurata conserua: è facinorosis dignas pœnas exige, & bene merentibus debitum honorem impende. Omnia igitur consultis auspiciis & diuino numine dispone, vt egregius iusticiæ cultor, cum Seruatore humani generis, cuius vicem geris in populis, regnare perpetuò mereare. Cùm ita dixisset, ensem in vagina reconditũ, illi statim accinxit: Super femur, inquit, tuum accingere gladio tuo potentissime: illudque menti altius imprime, sacrosanctos viros non gladio, sed fide regna vicisse. Secundum metropolitani orationem rex protinus ensem accinctus assurgit, educitque ac fortiter vibrat: mox læua manica tersum recondit. Post hæc, repetitum pro dignitate metropolitanum, genu flexo præueneratur. Deinde sub adminiculantibus omnibus in pontificio habitu episcopis, acceptam ex ara coronam, regi metropolitanus imponens: Coronam, inquit, sacram accipe, ab indignorum manibus episcoporum tuo capiti diuinæ Trinitatis nomine inditam. Hanc sanctitatis gloriam & honorem, ac opus fortitudinis esse crede, quinetiam initiis istis te ministerij nostri non expertem intellige: quippe

Regis vnctio.

Regi gladius datur.

Corona datur.

qui, veluti nos spiritualium pasturam gerimus, ita & in externarum rerum præfectura te aduersus omnes Christianæ plebis hostes, tuæ fidei commissæ, intrepidum fortissimumque reddas; clarissimusque propugnator adsistas, ne regno tibi delegato indignus esse videare. Hæc vbi dixit, regale sceptrum porrigens: virtutis, inquit, & veritatis virgã accipe, qua te facinorosos protererе, fouere pios, & errantes dirigere, collabantes data dextera remorari, deprimere superbos, & humanos efferre, tueri probitatem, & iniquitatem insectari scias oportere. Diuinum illud dictum tecum quotidie reputa, Virga æquitatis, virga regni tui. Et ideo dilige iusticiam, & iniquitatẽ odio habe: quin propterea quidem te vnxit Deus exultationis oleo, præ participibus suis, vt suæ vnctionis iura seruando, cum hærede suo filio, te perpetuò regnare posse sentiamus. Surgenti deinde regi reconditus à latere ensis amouetur, ensiferoque Matthiæ datur, qui continuè gestet eum ante regem: & rex in capite sacrum diadema, at dextra sceptrum gestãs, à metropolitano in regale solium reducitur, & collocatur, quem regiam maiestatem omni ex parte referentem, his metropolitanus alloquitur: Sta hîc, rex inclyte, ac regna, locumque nunc tibi à Deo delegatum retine. Te per omnipotentis Dei auctoritatem, & per hanc sanctam coronationem, duodenorum apostolorum, cæterorumque diuorum auspiciis, ministerio meo tibi traditam, vehementer oramus, vt quanto sacrum collegium magnæ aræ propinquius aspicis, tantò potiorem vbique gentium honorem tuis antistitibus impẽdas: & veluti te IESVS, Dei hominisque medius hûc euexit, ita sicut fas & æquum est, cleri & plebis rationem habe, & vtriusque ius pro dignitate tuere. Vix ista dixerat, cùm sacer chorus ingentes Deo laudes, gratiasq; concinere cœpit. Secundum hymni concentum metropolitanus exclamans, ait, Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua, & iudicium præparatio sedis tuæ. Deinde per Christum optimum maximum, cæterosque diuos faustissima quæque comprecatur. Quod vbi factum est, ad aram reuertitur, prosequiturque solennia: & cùm ad communionem peruentum est, se, regemque sanctissima eucharistia reficit, munitque. Et sacris ritè peractis, cum vniuersa rex multitudine ad diui Petri basilicam contendit, ibique in parato solio residet, dum aliquantisper ius dicit: hinc profectus extra vrbem, in suburbium magnum prodit, & in edito loco paratum podium, cum instructo quorundam procerum ordine, conscendit: inter eundũ verò cum numismatis sparsa missilia. In frequentissima concione hîc ab omnibus postulatum, vt cuncta regni iura, priuilegiaque à diuis concessa principibus vel maximè ab Andrea rege cum cæteris conditionibus inuiolata seruẽtur. Stephanus Bathor Reipublicę nomine id in pulpito postulauit, vt à legitimo & coronato rege cuncta magis rata firmaque haberentur. Tunc rex indicto silentio: Nihil, inquit (proceres, populique mei) reges omnes magis addecere videtur, vt in veritate & æquitate gubernent, quàm præ oculis inprimis semper habere Deum: iusticiam integritatemque vbique retinere: promissa præstare: in diuinam sapientiam oculi nobis assiduò intendendi, vt vnde munus humanum habemus & imperium, inde lucem & gratiam cum benemerendi facultate hauriamus: nihilque faciamus quod non regia sit persona dignum: nihil etiam moliamur, quod à publica sit vtilitate & salute alienum. Nostris hoc maximè pectoribus altius insidere debet, quòd sicut nos, & olim progenitores nostros, clementissimus Deus, Reipublicæ vestræ præesse voluit: ita & vos diuinam voluntatem nunc vestris suffragiis, communique consensu comprobastis. Quare eo vehementius enitendum, vt dignitati nostræ, & expectationi vestræ satisfaciamus. Vos omnes de Vladislao bene sperare iubemus, & patria semper numina exorare: vt quem vobis regem iudicio vestro approbatum dederunt, eidem quoque in vestrarum rerum moderatione, cum cœlestis clementiæ dexteritate semper adsint, & cœptis omnibus domi & militiæ iuxtà faueant: adsitque inprimis huiusce patrona regni, diuina Genitrix, sub cuius tutela omnẽ Reipublicæ interitum auertemus. Posthæc, nos omnibus æquos pro dignitate futuros existimate: quandoquidem non latet veros principes, à quo imperium acceperũt, ipsum Deum

Datur sceptrum.

Deum imitari oportere, rerum omnium salutem æquè curantem, redundantiamque suæ bonitatis in res omnes effundentem, cùm bonum quodlibet tantò præstantius esse videatur, quantò profusius impartitur. Nihil principe indignius esse censemus, quam priuatam publicæ vtilitatem anteferre. Is tyrannidis mos est, quæ ad publicum exitium exorta: non regni, quod ad commune cōmodum inuentum est. Qui ad salutem publicam natus est, publicæ studeat vtilitati: & bonum pastorem imitetur, qui pro suis ouibus animam exponere non veretur. Nobis igitur omnino dabitur opera, vt maiorum more progenitorum, qui paribus auspiciis potiti sunt, publicæ impensius quàm priuatæ rei curam geramus: nullos labores, nulla pericula, pro salute nostra detrectemus: nihil quoque ducamus antiquius, quàm de vestra Republica bene mereri: vt, cùm humanis excesserimus, de commissis pasturæ ouibus bonam Deo rationem reddere possimus. Quare cùm iustitiæ sit officium, suum cuique ius reddere, proceres, vltrò pollicemur, æquam Deo mentem, cultum & honorem, quantum humana facultate fieri potest, Vladislaum omnino præstiturum: diuina & humana æquè seruaturum: Reipublicæ vestræ, regiæque maiestati, domi forisque, nisi vobis ipsi defueritis, nunquam defuturum: in dicendo iure legitimam cuique impensurum æquitatem, miserabilium personarum rationem habiturum. Proinde quòd præstanda promissa postulatis, illud scitote omnes, qui adestis: nos non ad soluendam legem, sed ad implendam ad vos venisse: non ad rescindēda, antiquandaque decreta, priuilegiaque vestra, sed instauranda: non ad insolita vectigalia imponenda, sed leuandam Rempub. ære alieno grauatam: non ad propaganda inutilia bella, sed ad pacem quietemque fundandam: non denique ad violanda vel minima quidem ex parte promissa, sed conseruanda peruenimus. Vtinam qualem animum in vos instituimus, talem in vobis erga nos ipsi reperiamus. Itaque, si Deus, diuaque Genitrix patrona nostra principem integrum, bonum regem, parentem pientissimum, indulgentissimumque patrem, moderatorem deniq; auaritiæ, & iniquitatis expertem contulit, vestris suffragiis approbatum: date quæsumus operam, vt edicta seruetis, faciatis imperata, & vbiq; grata nobis præstetis obsequia: vtrinque illud semper enitemur, vt quotidianis sic vtrinq; certemus officiis, vt finitimi omnes difficulter intelligant, ánne vos meliorem principem, an meliores nos populos inuenerimus. Quod autē de præstandis interiecto iureiurādo promissis, exposcitis, sic omnes habete: cùm nihil maiestatem regiā magis lædere videatur, quam rata pro irritis, & promissa pro vanis habere, neq; cōstare verbis, neq; fidei habere rationem: deos omnes hominesq; testamur, & hoc sacrosanctæ crucis numen, in qua Seruator humani generis vltro pependit, supplices inuocamus, iuramusq;, nos inito diuinis auspiciis, & beneficio vestro nuperrimè regno, quæcunq; in Vngariæ finibus pacta iam accepimus: eadē omnia, cum cæteris conditionibus, diplomate nostro confirmatis, integra semper & inuiolata seruaturos, nihilq; molituros, q̃ vt integerrimū, indulgentissimumq; principem decet: de Repub. bene mereri, ac nihil denique ipsa tyrannide magis esse abominaturos. Cùm ista dixisset, iureiurando, deosculata cruce, promissa omnia confirmauit, ingēs vndiq; plausus attollitur. Cùm in habitu regiæ Maiestatis, & coronatus in pallio diui Stephani esset, mirabile de se spectaculum exhibuit. Dum sacris insignibus initiabatur, nunq̃ se lachrymis abstinere potuit: soluta concione, reuersus, haud procul in suburbij tumulū, accepto stricto gladio, quem Paulus præferebat, ad solis exortum & occasum, item ad meridiem & septentrionem, pro defensando regno, ter eo vibrato, bellum ex more interminatur: Romanā quoq; consuetudinē imitatus, cùm à columna cāpi Martij, in partē futuri belli consul hastā iacere consueuisset. Relatus in aulam, cum eodem habitu in medio suorum principum coronatus accubuit, & cum ea Maiestate præsedit, vt verum omni ex parte regem ageret. Respirabant omnes, qui in eum oculos planè conuerterant: & maximā quamq; spem de rege concipiebant, cùm viri grauitatem intuerentur. Quin & multi, qui antè nutarant, confirmari occœpēre. Nec id quidem ausim inficiari, affuisse nonnullos, eosq; per-

paucos,qui potius explorandi gratia, quàm officij, aduenere:inter multos quoque diu simulatum & dissimulatum fuisse. Multi eo die equestris ordinis dignitate donati. Postea quam verum legitimumq; regem Vngari statuere,cùm vndique bella imminerent : de sortiendis prouinciis agi cœptum est. Quare die noctuque senatus habebatur. Legatus Apostolicus,qui celebrationi huic affuerat, & orator Ferdinandi regis, in Italiam subinde dimissi. Ioannes Vesprinienfis episcopus,cùm se hostibus Alemannis finitimum esse diceret, rebusque suis admodum timeret:primus ex episcopis à rege missionem accepit. cæteri dies circiter octo apud eum Albæremansere , donec grauioribus bene rebus prospiceretur. Aulica munera ita partiri placuit:Stephanus Bathor,magistratum Curiæ: Syrmiensis antistes , præturam regiam , & loco regiæ Maiestatis, dicendi iuris potestatem: Petrus Gerebus,regalis aulæ præfecturam: Palatini filius, stabuli curam: Losontius,vexilliferatum : Zagabriensis deinde pontifex cùm se spôtè Vrbanus antiquo munere abdicasset, quæsturam assequutus est. Prouincias,imminentibus vndique bellis,hoc modo sortiti:Rex cum Ioanne Coruino , Laurentioque duce, aduersus Maximilianum & Alemannos imperator designatur.Stephano vlterior Vngaria aduersus Polonos parum ab Alberto pace seruata: Paulo in Turcos expeditio obtigit,qui Dalmatiam quotidie incursabant. Thomas Iauriensis episcopus cùm prudentia & arte polleret, nullisque laboribus & vigiliis defatigari posset, (quare Matthiæ regi tantopere paulo antè placuerat)supremus à Vladislao secretarius declaratus est. Ioannes Varadiensis episcopus, qui vnà cum Vrbano apud Matthiam semper obtinuerat principatum : coronato è sententia sua rege, cùm se patriæ & humanæ gloriæ satisfecisse putasset, præter omnium opinionem, omissa mortalium rerum cura , ad diui Francisci collegia, inuito rege, confugit : facinus de se præclarissimum edidit, per omnia tempora commemorãdum. Quandoquidem de actiua contemplatiuaque vita iuxta triumphare studuit, se omnibus honoribus perfunctum esse senserat, quibus noster animus humanarum rerum cupiditate solet irretiri. Quascunque legationes maximas obierat,tam honorificè gessit, vti cæteros sui temporis oratores,apparatu,prudentia,liberalitate,ac eloquentia superaret. Honestissima semper, & perquam culta familiarium multitudine delectatus est : tantum sibi ex diui Matthiæ beneficentia diuitiarum, oppidorumque compararat, vt ad centum aureorum milia,præter villas & oppida , possideret. Vnus tantùm è sorore nepos supererat, & tantæ quidem indolis, vt nec auunculo, nec pari dominatu videretur indignus. In salutarem igitur incidit resipiscentiam. En stultam mortalium sapientiam,en irritos hominum labores : en perquam vanum , subtilissimumque finem. Quid ex his tandem sperare licebat, præter maximum Pontificatum? altius enim euehi non poteram. Quid demum consequuti sumus præter cathenatos labores, perpetuamque procellam, & æternam spiritus afflictionem? Valeant hæc omnia, quæ me ipsius immemorem effecere : quæ me terrestribus infodere miseriis , quæ me ad diuini numinis vultum nunquam suspicere permisere:humanis ipse rebus vltrò renuncio, me ab omni misera vindico conditione:& diuini numinis dexteritate,iter illud inibo, quo me (ni fallor) ab omni mortalitate iam asseram. Cuncta recensui voluptatũ agmina, ambitionis omnia munera prægustaui, formidolosa diuitiarum fomenta possedi, clientium salutationes, anteambulonum turbas, familiarium multitudinem non ignoraui : neq; popularis aura, nec gratia principum, nec plausus populorum, nec congratulationes amicorum, nec cultus assiduus domi forisque seruatus, mihi defuit. Quid tandẽ solidæ vtilitatis ex his legere licuit? nempe nihil, præter mentis detrimentum, defectum, interitúmve animi , & assiduam spiritus afflictionem. Cedamus igitur terrestri patria , & momentaneis his rebus vltrò renunciemus , ne , dum mortalium amore rapimur, mortem quoq; perpetuam nobis comparemus. Sat lusum & insanitum est, sat in ridiculoso errore versatum , sat corpori denique sit indultum:nunc animæ,nunc immortalitatis habenda ratio, ne animantium more viuere videamur. Postquam in hoc assiduo bello mortalium nemo ferè tutò viuere

Distributio magistratuum.

Ioannes Varadiensis episcopus monachatum amplexus.

viuere poteſt, niſi ad munitiſſimas arces effugiat, editiora loca petamus: & ex humili genere nati, vitam quæramus illuſtriorem: nec ab re quidem nobis factum erit. Si Chriſtum optimum maximum Seruatorem noſtrũ imitati, quantò huic vano ſæculo clariores viximus, tantò deliteſcemus obſcurius, vti cumulatas vanæ hic noſtræ gloriæ pœnas exoluamus:& diſcat exemplo quiſque noſtro, non in rebus momentaneis & fluxis, ſed ſtabilibus,& æternis ſpem ſolidam eſſe collocandam. Ex humilibus exorti parentibus,in priſtinam humilitatem, quod reliquum eſt vitæ,redigamus: ne, cùm hac ætate plus ſapere debeamus, in obſtinata vitæ miſeria & cæcitate perſiſtendo grauius deſipere videamur. Proinde
10 nos a quotidianis naufragiis,& fortunæ poteſtate, tandem aſſeramus, Seruatoris noſtri humilitatem imitemur,& crucem ſubeamus: vt,dum fragilem hãc vitam contempſerimus,perpetuam nobis comparemus. Si quot labores in ſeruitio mortalium principum tolerauimus, tot in diuino officio pertuliſſemus, iam verè beati poſſemus exiſtimari. Quare vanitati omnino cedamus, & ſalubre Dei quæramus obſequium. Hac mente percitus,haud aliter, atque ſi cœleſti numine foret admonitus, inprimis omnibus ſe ſacris exuit præfecturis, ſe pontificatu Varadienſi ſponte abdicauit,ad meliorem vitam emigraturus, ne amicorũ quidem & familiarium orationem omiſit, vt ingenitam vſquequaque charitatem retineret. Cùm regem nactus eſſet indulgentiſſimum, & ob ſuperiora merita ſi-
20 bi deditiſſimum,Valentino Pannonio, cui Lupo cognomen erat, epiſcopatum renunciauit: & vt continuò potiretur, cum autoritate regia facilè impetrauit. Præpoſituram Budenſem in ſuburbano ſitam Oſualdo epiſcopo Zagabrienſi,amicoque vetuſtiſſimo Nicolao propontifici olim ſuo, primariam in Varadino præpoſituram. Alia aliis pro dignitate diſtribuit. Albæ ab amicis dudum digreſſurus,cuncta,quæ apud ipſum erant, his prodegit. Quin & gemmatos annulos, quotquot geſtabat,præter Pontificium, in eos partitus eſt, obſignatorio Dominicum Albenſem antiſtitem vltrò donauit. Ioannes igitur, difficulter à Vladiſlao rege aulicæ militiæ vacatione donatus, Olmucium in Morauiam ſe recepit, vti prius quàm diui Franciſci ſacris initiaretur,ritè cuncta diſponeret. Familia-
30 res partim inter ſeruitia regis,partim inter Valentini ſui ſucceſſoris familiam inſinuauit: quem diutina experientia ita dilexit,vti filij loco ſemper haberet. Antequam religionis illius ſumeret habitum,illic annum exegit. Interea,ędem Olmucij mira celeritate exædificatam, & Pantheon appellatam, cunctis numinibus ex voto dicauit,magnificeque donauit:ſacras veſtes,auro gemmiſque onuſtas,& multa vaſorum genera nõ Varadienſi ſolùm Budenſique baſilicæ,verùm & aliis mira liberalitate diſtribuit. Nepoti adhuc infanti, è ſorore villas & oppida cũcta, ſua virtute parta, legauit. Aureûm circiter quinquagies mille in ſacros vſus erogauit. Mox exacto anno, implorata publicè venia, tanquam ſi humanis excederet, complorante populo, & collachrymantibus amicis, accitis è Sileſia
40 diui Franciſci ſacerdotibus, ſacroſanctum ſumpſit habitũ: & ab illis exceptus, conſcenſo curru, Vratiſlauiam euectus eſt, ibique in ſacro Frãciſci collegio die noctuque in diuino cultu verſatur. Tantum Vngaris Boemiſque ſui deſiderium hac inſigni emigratione reliquit: vt pientiſſimo quiſque parente,ac patrono officioſiſſimo, ſe orbatum reputaret.

QVARTAE DECADIS FINIS.

ANT. BONFINII RERVM VNGARICARVM DECADIS QVINTÆ

LIBER PRIMVS.

VIx dum Vladislaus rex Albæ coronatus, Budam se cum vniuerso pontificum, procerumque comitatu receperat: cùm varij ex omni regni parte tumultus, & graues bellorum metus emergunt. Nam & Iacobus Sekellius, defectione ad Maximilianum inita, ad lacum Balatonem oppidulum occupasse, ac in Vesprinienſi agro res nouas moliri nunciabatur: & crebræ quotidie Turcarum incursiones in prouinciam, ac populationes afferebantur: quin etiam Polonorum Germanorumque exercitus regni finibus imminentes, maiorem indies metum iniiciebant: cum Albertus regis frater pace ea, cuius sibi cōditiones nō essent seruatæ, haud ſtandum existimaret: & Maximilianus à suis impulsus, Vladislaum ad illud regnum ritè euocatum, iniquissimo animo ferret: cuius ipse incredibili cupiditate flagrasset. Accedebat præterea non leuissimi momenti res, quod Beatrix, quæ Matthiæ regis fuerat vxor, Vladislai matrimonium propè impatienti animo appetebat, vt in pristina dignitate maneret: quæ, si mulier despiceretur, haud cuique dubium erat, quin, quorum se partibus adiunxisset, eisdem regnum etiam opibus & copiis suis conciliatura esset. Quinetiam, Ioannis Coruini adolescentia timorem non mediocrem faciebat, quem Maximilianus per Iacobum Sekellium quotidie præmiis & pollicitationibus ad defectionem solicitabat. Cuius rei legati quoq; assiduè missi suspicionem augebāt. Igitur rex his tantis subitò difficultatibus obiectis, omnibus maturè, quoad possit, sibi occurrendum ratus, Sigismundum Quinqueecclesiarum antistitem, qui secum Budam accesserat, quòd eum multum apud Coruinum valere auctoritate intelligebat, Tatam ad retinendum in officio adolescētem e vestigio mittit: reginæ verò nuptias in dies acrius flagitanti, easq; nisi assequatur, exitium propè regno Hungariæ minitanti, quod tandem responsum det, etiam atque etiam consultandum cum patribus putat. Cùm autem de ea re consilium agitaretur, nemo reperiebatur præter paucos, quos pecuniis & præfecturis ipsa sibi deuinxerat, cui cōiugium eiusmodi probaretur. Regem mulieris inprimis ætas, ac nota sterilitas deterrebat: patres, quod timendum putabant, ne peregrinis gentibus regnum communicatum breui ad nominis interitum perueniret: Boemi, præter cætera, decretum etiam publicum proferebant, quo cautum erat, ne cui Boemiæ regi viduam ducere liceret. Quia verò si postulantis reginæ conditio apertè respueretur, nemini dubitandum videbatur, quin statim bellum illa esset maximum tum suis, tum aliorum opibus cōflatura, haudquaquam sponsalium spe deiiciendam eam existimabant, quoad regnum esset abs tot imminētium bellorum feruoribus exolutum. Rex autem instante vehementius indies muliere, atque procerum, quos poterat, animos muneribus & pecuniis corrumpente: veritus, ne si consilium patrum sequutus, falsis reginam promissis tenuisset, parum sincera fide rexisse tandem videretur: IIII. Nonas Octobris, patribus, procerumque principibus secretò accitis, ita omnes est alloquutus: Cùm me regem declaratum Vngarorum nonnulli hortati essent, vt Beatricem Aragoniam mihi desponderem vxorem: eorum haudquaquam, vt verè dicam, ab initio consilium improbaui, sic enim

enim fore videbam, vt ducētis aureorum millibus ab ea nomine dotis acceptis, & trecentis millibus, quæ ex dote, & sortis ei iure debentur, quemadmodū ipsa pollicebatur regno remissis, non Boemico solū exercitui, cui Matthias rex multa stipendia debebat, satisfacere, sed Polonis etiam, & Germanis, qui regnū propè ex composito inuaserūt, facilius possem occurrere. Pòst autem, cùm eadem, nullis talibus promissis expletis, meum tamen adhuc matrimonium affectaret, meque si suam conditionem abnuerem, bello persequuturam, atque ad hostes nostros accessuram, eisque Zolium, Dyosgyurum, ac Strigonium traditurum se ostenderet: neque externos iam solùm principes amicos, ac necessarios suos ad 10 belli societatem alliceret: sed qui mihi studerent, meque ab eo matrimonio deterrent, hostium propè omnes numero duceret: fateor me cùm tanta rei indignitate, tum multo magis, perspecta mulieris sterilitate, commotum, à pristina omnino sententia destitisse: & si quā spem nuptiarum obieci, me id ipsum communis salutis causa, vel auroribus vobis egisse: cùm dimissis omnibus Boemicis copiis, nullo alio modo infesta reginæ arma mihi ac regno meo imminētia propulsare commodius possem. Nunc verò cùm vos in eadem perstare sententia videam, vt quo facilius mulieris potentissimæ insidiæ declinentur, eius sponsalia simulentur, atque ars arte quodammodo deludatur, faciā, quod vobis placere sentio: si illud autem apud vos testatū relinquo, me nō tam iudicio meo, quàm 20 auctoritate vestra ad hanc cōsilij rationem accedere: id quod vobis prædictum volo, ne quis me fortassis contra dignitatem regiam, vt perfidiosum aliquando insimulare: aut huius me consilij, si quid propterea durius accidisset, autorem reprehendere iustò possit. Cùm omnes assensi essent, haud ita multo pòst instante muliere, sponsalia in hæc verba paucis adhibitis testibus paciscitur, vt diceret: spondere se reginam ex antistitum procerumque voluntate ducturum. Pòst autem, cùm ad tutandum regnum propediem egressurus crebris ab ea quotidie nunciis vocaretur, instantium bellorum molem causatus, ægrè tandem ad eam ita accessit, vt nullum tamen ei sponsi signum ediderit: non risum, non iocum, non oscula, non blanditias vllas attulerit: sed quasi alienus cum aliena præ- 30 sentibus semper arbitris loquutus, ab eadem aliquando blandiente, tristi ipse, seueroque vultu discesserit. Sigismundus, cùm confirmato Coruino reuersus, optimates de nouis se absente vectigalibus decreuisse, eosque mirificè inter se diffidere animis comperisset, impendentem calamitatem perspiciēs, domum regressus, prorsus se à publicis negotiis omnibus auocauit. Nondum mensis Octob. erat exactus, cùm nouæ defectiones, direptiones, & incendia ex omnibus regni partibus audiuntur: Sempronium Austriæ finitimū, interpositis conditionibus nonnullis, Cæsari deditionem fecisse: Sabariam à Germanis diligentiùs obsessam, propediem in manus hostium esse venturam: Iauriensibus obsidionis periculum imminere, quos, præter arcem, nec murus, nec fossa vlla pro- 40 tegeret. Albertum cum exercitu Polonorum contra fœdera Cassouiam obsidere: quadringentos Beatricis equites expeditos, Blasij Magijar, qui apertè ad Albertum defecerat, arte partim cæsos, partim captos fuisse. Adhæc Turcas Modrusiam vsque quotidie per Croatiam excursare, & magna populis detrimenta inferre. Nec multo pòst, Sabaria capta: & arx Neapolitana subsidio destituta, cùm vrbs antea rebellasset, Maximiliano se tradidisse nunciatur. Interea Albertus Maximiliano adiunctus, obsidione Cassouiæ nō contentus, quod oppidum munitissimum facilè rei frumentariæ difficultate sperabat se in potestatem posse redigere: cùm vlteriorem Vngariam, fluctuante vbiq; regno, adoriri statuisset, prouinciam longè lateque depopulatur: & ad Varadinum, & Agriam vsque 50 excurrens, vrbem nullis mœnibus, aut fossis vallatam, magna ex parte succendit: inde ab arce repulsus, agros vastat, pecora abigit, vicos incendit, agrestesq;, imperium detrectātes, captiuos abducit. Castrum autem ferreum à septingentis militibus Sueuis, imperante Cæsare, parum prospero conatu est obsessum. Nam præsidium, repentina eruptione facta, qui obsistere conati sunt, alios concidit, alios vulneribus affecit, reliqui sese fugæ mādarunt. Principio inde Nouē-

bris mensis Ioannes Vitesius Vesprinij antistes, regem, senatumq́; misso properè nuncio, certum facit, sese assiduè à Maximiliano ad defectionē solicitari: idq́; ni faciat, bello atque ipsius vrbis excidio perterreri, orare eos, vt celeriter tumultuarium ad se mittant exercitum, cuius auxilio datam semel regi fidem vsque ad extremum tueri possit. Responsum à rege patribusq́; datur, vt ipse oppidum pro tempore omnium necessariarū rerum apparatu communiat, ne prima occupari impressione hostium possit, subsidiū sese idoneū in tempore summissuros. Præterea iubetur bono animo esse, præsentiumq́; temporum rationem habere, quibus tam multis vndique ingruentibus bellis, & ærarium exhaustum, & principū distractos in diuersas partes animos animaduertere possit. Rex inde suadentibus patribus, & re ipsa cogente, prorogatis Beatricis nuptiis (quòd sibi tūnon de sponsalibus celebrandis, sed de propria salute defendenda cogitandum esse, mulieri responderet) paucis pòst diebus cum Vrbano Agriensi, Thoma Secretario Iauriensi, & Stephano Bathoreo, & proceribus, regulisque nonnullis, se Posonium confert, vt inde inauctorato nigrorum veteranorū exercitu, in Austriæ fines incurrat, dumque ipse ei rei eum cæteris optimatibus studet: Vrbanum, (cui, ex paternis amicis vni, ob exploratam fidem, optimaque consilia, Coruinus se, vt alteri parenti dicarat: ac Tatam, Comaromiumque commiserat) Comaromium, ad nutantem adolescentis animum confirmandum, dimittit. Vesprinienſis antistes, vti auxiliū differri, & ærarij angustias iactari audiuit, de sua magis, quàm de publica salute sollicitus, varia secum agitare animo consilia cœpit. Accedebant ad incitandum hominis animum insignes etiam quædam iniuriæ: quòd & rarò in consilium à patribus adhibebatur, & à vicino quodam regulo parū humaniter tractabatur. Eò magis Cæsar indies instare, ac nunc literis, modò nunciis hominem, vt fortunis suis consulat, admonere: Vladislaum non Romanum modò imperium, sed suosmetipsius propè omnes habere infestos, magnum iam optimatum numerum ad suas partes transisse, neque eum primum defectionis initurum consilium, dicere. Pollicetur inde, pontificatū Viennensem, aliaque multa munera se daturum, si defecerit; sin minus, extremum contrà cōminatur exitium. Hæc cùm ei mandata Iacobus Sekellius attulisset, ac diploma incolumitatis, Cæsaris fide interposita, reddidissent, persuadet vt secum in castra concedat. Quo vbi venit, liberalissimè à cunctis est exceptus, pactusq́; vt in quacunque fortuna periculum sibi à duobus pontificatibus præstaretur, Maximiliano Vespriniū tradit. Maximilianus præsidio in oppido imposito, castrisq́; in agris locatis, Ladislaum Canisaium in Simigiensem agrum, cum expeditis equitibus, paucisque peditibus mittit: vt pagos, oppidaque eius omnia ad deditionem impelleret, sub imperiumque redigeret. quò cùm venisset, resistentes, ac mandata facere recusantes spoliauit: obedientes, nullo detrimento affectos, commeatum tantùm deferre in castra iussit. Hinc cùm se ad Maximilianū contulisset, fratrem tamen Vladislao reliquerat, eo cōsilio, vt, cùm Austriæ essent finitimi, in vtram se partem victoria inclinasset, in tuto res suas haberent, atque alter alterius fortuna se tueretur. Vesprinij defectione, & Germanorum aduentu audito, non minimum regis, patrumq́; animi perculsi sunt. Mouebat autem eos inprimis, regalis Albæ propinquitas: quæ si in manus hostium peruenisset, nihil aliud ad expugnandum regnum, quam Buda, oppidum haudquaquam munitum, superesset. Itaque nullam sibi muniendæ Albæ moram interponendam rati, eius rei causa Stephanum Bathoreum, & Paulum Kinisium cum exercitu mittunt. Quò cùm illi accessissent, ægrè à ciuibus intra oppidum sunt admissi: qui magnitudine pecuniarum deterriti, quas in munitione omnis generis comparandis impendi intelligebāt oportere (quippe ob diurnam pacem omnium ibi rerum, quę ad bellum vsui erant, summa esset difficultas) munitionē eam attingendam esse negabant: cùm dicerent, modò vrbem loci natura satis munitam esse, quam ne Scytharum quidem exercitus, cùm totam Vngariā peruasissent, expugnare potuissent: modò populi frequentia abundè defensam, in quam se ex agris, oppidisque vicinis, plerique omnes rebus his timentes contulissent.

Quo

Quo factum est, vt quingentorum quinquaginta quinq; militum præsidium ægrè receperint. Maximilianus interea contractis vndique copiis, Albam versus exercitum ducit, quòd modico eam præsidio teneri audierat, confestim ne hostibus sibi consulendi tempus concedat, oppidum ipsum adoriri constituit. Quibus de rebus rex certior factus, veteranorum exercitum, quem militiæ sacramento deuinxerat, extemplo Danubium transire iubet, vt hostibus ad Albam occurreret, qui ad octo millia esse ferebantur: ipse coacto Vngarorum exercitu, mox subsequi instituit, vt vnico, si fieri posset, de regno prælio dimicaret. Exercitus cùm in Morauia post Matthiæ regis excessum statiua habuisset, ac in 10 flumine traiiciendo multum temporis consumpsisset, ad tempus adesse non potuit. Nam Maximilianus, cùm magnis eò peruenire itineribus maturasset, iam lacunam traiecerat: & in planicie quæ est in conspectu vrbis, castra posuerat. Stephanus & Paulus mœnibus vrbis diffisi, vt se ad meliora Reipub. tempora reseruarent, ea aggressi, primò Tatam, inde Budam se recipiunt. Maximilianus præmissis exploratoribus, qui sibi certa de vrbis munitionibus referant, suburbium incensum esse cognoscit: ne ab ea parte vrbs expugnari posset, (hæc enim intra duas amplissimas paludes collocata, duos tantùm aditus habet: vnum qui ad Budam, alterum qui ad Balatonem lacum spectat: cæterùm aquæ limique impedimento adiri haudquaquam potest,) præterea in muris, nec saxa, nec plu-20 teos, nec insidiosa vlla loco tormentorum loca, neque omnino vllum vrbis propugnatorem conspici: oppidanos ipsos cùm rei militaris ignaros, tum mirum in modum desidiæ deditos, exiguo vrbem præsidio commisisse. Quibus de rebus ad oppidum subitò adoriendum accensus, Sueuis peditibus expugnandam sibi vrbem prædæ pactione suscipientibus, summam eius rei potestatem permittit. Sueui, hastatis & grauis armaturæ præmissis militibus, & machinariis post se subsequi iussis, cùm in suburbium peruenissent, cum parua præsidij manu temerè ex oppido obuiam egressi, prælium commiserunt: quos ex equis infesta hasta se acrius inferentes, cùm præsidium fraxinea lancea (pedes circiter viginti longa) cominus manum conserere aliquandiu prohibuisset, & præcedentem 30 phalangem protexisset: tandem machinariis omnia fumo & strepitu inuoluentibus consternatum, in vrbem se recipere est compulsum, Sueuis adeò cupidè insequentibus, vt nonnulli cum iis misti, intra portam vrbis irruperint. Cuius prælij euentu in spem potiundæ vrbis omnes erecti, validissimo dimisso propugnaculo, quod ante vrbis aditum fuerat excitatum, ad mœnia, quanquam lata fossa, & aqua vsque ad pectora alta, munita, repentè côuolant: & cùm sagittarij, machinariique pro fossa stantes, consistere in muris defendendi causa permitterent: hastati fossa limoso vado traiecta, lanceas pro scalis mœnibus admouent, iisque innixi, celeriter in muros ascendunt. Oppidanos & spectata suorum turpi in vrbem fuga, iam antea auaritiæ ignauiæque suæ cœperat pœnitere: & pòst, 40 conspecto repentè in muro hoste, desperata salute, certaminis ac defensionis omnie consilium abiecerunt, trecenti tantùm ex iis equites, qui in præsidio vrbis erant, forum versus se, cum paucis ciuibus eo animo conferunt: vt si facultas pugnæ detur, ne tantam hosti victoriam concedant. Porta ab iis, qui proxima mœnia occupatant, refracta, cataphracti statim intromissi in via lata, quæ fert in forum, acerrimum cum oppidanis & præsidio prælium inierunt: adeoq; obstinatis animis pugnårunt, vt ex præsidio omnes, sine maximo mulierum, puerorûq; plorantium strepitu, qualis edi in captis vrbibus solet, ceciderint. Inde in forum venientes, in quæcunq; incidunt, ferro sæuiunt, in foro autem sacerdotes quosdam pro templo diuæ Genitricis acriter dimicantes, crudelissimè trucidât. Inde 50 ad diripiendâ conuersi vrbem, vt stipendiorum superiorum detrimēta sarcirēt: ciuibus omnibus vnà cum vxoribus & liberis captiuis factis, nô solùm in bona fortunasq; eorum inuadunt: sed ne matronarum quidem ac virginum pudicitiæ parcunt. Fuerunt etiam, qui in diuæ Genitricis ædem, & in sanctorum sacella regum irruperunt: quorum quidem cùm tres (vt aiunt) supra diui Matthiæ sepulchrum obtruncassent, lanceis tabidum etiam cadauer eius reuellere sunt co-

Alba regia situs & expugnatio.

nati. Alij sacrarij postes perfringendos aggressi, quod gemmatis reliquiis diuorum, sacrisque vestibus refertissimum esse audierant, Cæsaris edicto renunciato, quò grauius in eos se animaduersurum edixerat, qui aut mulieribus vim fecissent, aut sacris ædibus manus attulissent, aut inermem aliquem ferro læsissent, conatu destiterunt: seque inde ad Dominicum vrbis antistitem oppugnandum contulerunt: qui nonnullis ciuibus secum sumptis, in altissimam basilicæ suæ turrim, aduentante hoste confugerat, eoque vniuersam templi supellectilem, quæ preciosissima erat, comportarat. His rebus gestis Maximilianus postridie vrbem ouans ingreditur, innumera principum, nobiliumque Germanorum turba stipatus: ex Vngarorum Iacobo Sekelio, Nicolao Zecchio, Ladislao Kanisio, aliisque nonnullis: qui Vladislaum regem reliquerant. Inter continentes militum plausus, & faustas suorum acclamationes ductus ea via est, in qua cum præsidio & cum ciuibus dimicatum atrocissimè demonstrauimus. Quod eo fuit consilio administratum, vt cadaueribus omnium adhuc, vbi quisque eorum ceciderat, iacentibus: prætereunti se quisque Cæsari commodè posset ostentare: cùm alij trecentos, alij plures sua se manu interfecisse iactarent. Quam stragē iniquissimis oculis Cæsar dicitur aspexisse: siue quòd putaret imperatorem Augustalia propediem ornamenta sumpturum, non crudelitate, sed mansuetudine imperij rudimenta ponere oportere: siue quòd vereretur, ne labantes adhuc Hungarorum animos, prorsus à se huius immanitate victoriæ auertisset: quorum ea esse ingenia sciret, vt lenitate facilius, quàm inclementia flecterentur. Quærentique ei, cur adeò crudeliter in Christianos & cognatos homines se gessissent? responsum datum est: cæsorum se pertinacia fuisse adactos, qui constanter vsque ad extremum arma retinuissent. Inde omnibus cadaueribus sepulturæ mandari iussis, in forum profectus, inque basilicam ingrediens: valde perturbatus est animo, cùm sibi equus repentè corruit: quo facto, eorum expiatum scelus vulgò putarunt, qui sacrilegas deorum fanis manus intulerant. Interea Dominicus Antistes impetrata sibi, suisque, & supellectili sacræ incolumitate, turri egreditur: atque haud ita multo pòst cum ditissimus esse prædicaretur, & qui regales diui Matthiæ thesauros perpetuò custodisset: fortunis omnibus euertitur, atque basilicæ suæ etiam renunciare compellitur. Milites verò prædæ intenti, occultum locum nullum, quem non excusserint, reliquum fecerunt: vsque adeò, vt cùm ædium etiam fundamenta passim effoderent, in vinaria cella, quadam sub fornice nummorum aureorum sex & triginta millia nonnulli repererint. Cùm autem locupletatis nobilissima præda militibus, tribuni militum, equitum inuidia flagrantium, obsequi voluntati, & seruire commodis cuperent; edixerunt, vti vniuersa in forum præda comportaretur, quo æqualis eius inter omnes partitio iniretur. Rebus igitur omnibus, quæ occultari non potuerunt, in publicum delatis, distributio non pro meritis virtutis, sed pro gradibus honoris est instituta: quod ipsum Sueui inprimis, qui vrbis expugnationem huius pactionem prædæ sibi depoposcerant, adeò ægrè tulerunt, vt se posthac neque dicto audientes futuros esse professi sint. Post diem octauum Cæsar, vt pristinum ciuitatis statum, quoquomodo posset, reduceret, edictum proposuit, vt ciuium quisque suas domos repeteret: & vrbem, reuocatis ciuibus, artibus, institutisque frequentaret: daturum se operam, vt in posterum suam in se neque clementiam, neque æquitatem desiderarent, id quod pauperrimus pro se quisque studiosè fecit. Nam qui rem haberent, pecuniæ qua multabatur, magnitudine se in libertatem vindicare nemo potuit.

1440. Hunc in modum Alba XIIII. Cal. Octob. est capta, Salutis anno MCCCCXL. sexagesimo ferè die, postquam in ea donatus corona, incredibili cum omni gratulatione rex fuerat. Quare adeò permoti Vngari sunt, vt huius vnius vrbis iactura omnem suam ex præclaris antè partis victoriis belli gloriam ad nihilum recidisse, existimarent. Quamuis id non tam hostium virtuti, quàm prauis factionum suarum studiis, omnes tribuerent: quòd Germani sine Hungarorum ductu, nunquam regni fines intrare ausuri fuissent: neque præterea deessent,

ſent, qui propterea neglectam eſſe Albam interpretarentur, vt Vladiſlao ſarciendorum damnorum, quæ tam multis ereptis oppidis Maximiliano illata erant, & reddendæ ei Auſtriæ neceſſitas augeretur. Capta Alba, ſtatim Cæſar ad Budam oppugnandam animum, cogitationemque omnem intendit: quam ſi ſubitò aggreſſus eſſet, nullo tum præſidio & munitione firmatam, & vicinæ in primis vrbis calamitate perterritam, haud cuiquam dubitandum videbatur, quin in poteſtatem & imperium nullo negotio redacturus fuiſſet. Verùm, quo minus id faceret, moram militum ſeditio attulit: qui ipſum exercitum eò adducentem, ſequi noluerunt. Itaque dum Albæ ſeditione ſedanda, & rebus componendis tempus terit: Bathoreus & Kiniſius ad eam muniendam à rege miſſi, vniuerſa ex finitimis pagis in vrbem ruſtica turba compulſa, & vino, frumento, armentis, cæteriſque eius generis omnibus comportatis, & mœnibus per ciues dies noctesque egregiè laborantes reparatis, & vallo foſſaque firmati in eum locum rem adduxerant: vt ſe Cæſaris victoris impetum per ſe ſuſtinere poſſe non diffiderent, nedum ſi ſe rex adiunxiſſet, qui indies cum ornatiſſimo exercitu Boemorum à Piſonio affore dicebatur. Hoc tanto militum incommodo obiecto, & præterea difficultate pecuniarum incredibili, cùm ſe circumuentum Cæſar animaduerteret: ad Sigiſmundum Quinqueeccleſienſem episcopum, quem hominem eſſe ditiſſimum ea tempeſtate nouerat, literas mittit, rogatque: vt ſuis ſe partibus adiungere, ac duo & triginta millia nummûm aureûm ſibi commodare velit: quibus ſeditioſo reconciliato milite, clariſſimam perſequi victoriam queat. Pro tanto beneficio Saltzburgenſem epiſcopatum & multas ciuitates pollicetur: & vt promiſſis fides ſit, Germanorum principum obſignatas ea de re ſyngraphas mittit. Sigiſmundus vir ſumma prudentia, atque ingenij dexteritate admirabili præditus, officij ac dignitatis ſuæ non immemor breui reſpondet: datam ſemel Vladiſlao fidem fallere, nefas eſſe exiſtimare: neque id à bono viro aliquo committendum eſſe cenſere. Pecuniam, quam det, copiam nullam ſibi ſuppetere, & ſi qua adſit, eam in tanta rerũ omnium perturbatione pro ſua & ſuorum ſalute tuenda, ſi quid durius contigiſſet, conſeruandam iudicare: ſe, quando inter duos clariſſimos reges tanta exarſerit de poteſtate contentio, daturum operam, vt in priuato ſit, ac neutrius fortunam ſuis aut ſtudiis, aut copiis ſubleuet. Hoc vbi Maximilianus accepit, quanquam ea re præcipuè angebatur, quòd cupidiſſimos prædæ milites ægrè continere à populationibus poſſet: & præterea relicto Albæ præſidio, ex iis locis caſtra mouiſſet: antiſtitis tamen prudens reſponſum, hominiſque propè priſcam integritatem laudauit: haud paruam ſe rem aſſequutum arbitratus, ſi præſulem potentiſſimum à Vladiſlai partibus auertiſſet, qui ſi opes ad eum ſuas contuliſſet, ſatis apparebat maximum ſecum ad victoriam momentum eſſe allaturum. Pòſt autem cùm Vladiſlaum iam Danubium exercitum traduxiſſe, ac Budam aduentare, eamque vrbem omni bellico apparatu inſtructam per ſe ſatis vel grauiſſimi belli ſuſtinere vim poſſe accepit, magna ſpe eiectus, ſe in Veſprinienſem agrum recepit: ibique Pauli caſtellum, quod opulentiſſimum eſſe fama erat, cohorte vna immiſſa, paucis diebus ad deditionem compulit. Inde motis Viennam verſus caſtris, Sueuorum militum, qui imperata facere recuſarant, ſibi caſtigandam contumaciam ratus, ex præfectis alios in itinere ſuſpendit, aliis pòſt Viennæ caput detruncauit, ex militibus verò, nonnullis turpiſſimo mortis genere, vt cæteris documento eſſent, affectis, quibuſdam cum ignominia dimiſſis, reliqui exercitus partem in Illyricum, vltra Drauum: partem in Simigienſem, & Veſprinienſem, Albanumque agrum in hyberna dimiſit. Vladiſlaus ſalute Beatrici dicta, quòd per Strigonienſem agrum iter habebat, Budam peruenit: auditoque Maximiliani diſceſſu, quamuis de recipienda per hyemem Alba cogitaret, Alberto tamen fratri Caſſouiam obſidenti, finitimorumque populorum agros deuaſtanti: prius ſibi occurrendum exiſtimauit. Valentinus antiſtes Varadienſis, qui pontificio antè munere à rege ornatus, vt grati hominis officium præſtaret, Budam ſe cum inſtructo equitatu contulerat: ac

Sigiſmũdus Epiſc.

ſuis copiis ad eam muniendam ſuppeditatis, egregiè perterritos ciuium animos confirmauerat: aduenienti regi obuiam progreſſus, cùm ingentem vim pecuniæ commodauit: tum verò eius lateri ſemper affixus, nullum officij genus, quo aut virtutem, aut fidem ſuam declararet, reliquit. Cùm Rempublicam in ſummum diſcrimen adductam, tam multis vndique hoſtibus ad vniuerſum propè Hungarorum nomen delendum vnà coortis, & in medio iam propè regno verſantibus, videret, delectum maxima cura habendum cenſet. Rex proceres pro virili ſingulos cum ſuis copiis conuenire ad certam diem iubet, ipſe cum exercitu iam ſæuiente hyeme, Caſſouiam verſus profectus, ad Agriam ſubſtitit, vt inde Caſſouienſium animos confirmaret, quò & alij omnes ad diem dictam diligentiſſimè conuenerunt: quos vel præſentis periculi magnitudo, vel amiſſæ modò per ignauiam Albæ infamia commouebat. Poſtremus omnium Coruinus acceſſit, Comaronij aliquantulum commoratus, dum legatos a Maximiliano ad ſe tentandum (ſed fruſtra, Vrbano contra nitente & de officio ſuo eum quotidie admonente) miſſos audit. Vix Kiniſius in inferiorem Hungariam, quam cum imperio obtinebat, vt regni fines castra Turcarum impetum tueretur, venerat: cùm variorum incõmodorum nuncij afferuntur, duo Albæ Græcæ propugnacula à Turcis eſſe capta: parum abfuiſſe, quin vrbs in poteſtatem peruenerit. Bani Illyrici animum titubare: Zagrabiam ſeſe Germanorum fidei permiſiſſe: duo Oſualdi epiſcopi caſtella per vim occupata. Priorem Auraniæ Cruciferorum, & Khishoruatum cum pleriſque aliis, ad Maximilianum defectione facta, prouinciam populari, & varia oppida bello tentare. In tantis malis illud bonum proponebatur, quòd multos ob propriam vtilitatem coactos, fidem haudquaquam præſtituros conſtabat: quam opinionem ipſius quoque rei euentus comprobauit. Siquidem Banus & Comes Carolus, acceptis à Maximiliano pecuniis, tamen cum Berardino Frangepano fidem ſeruarunt. Regi Caſſouiam contendenti, Stephanus Comes Scepuſienſis cũ firmiſſimo equitatu, & peditum quatuor millibus & quingentis præſtò fuit. Quem vbi rex aduentare audiuit, quòd ducem eſſe fortiſſimum, & principem domi, foriſque clariſſimũ, & inprimis regiæ Maieſtatis defenſorem acerrimum ſciret: obuiam ei ad ſecundum lapidem prodiit, ac maximum procul eius exercitum conſpicatus, fidemque ſimul & potentiam principis admiratus, clara voce: Salue, inquit, comes optime, quem verè hodie vnicum Hungariæ præſidium poſſumus appellare: quòd in extremis periculis & Reipublicæ, & regi eam animi alacritatem officiumque præſtiteris: quod ſi omnes, quos æquum erat, adhibuiſſent, haud profectò nunc in tantis anguſtiis verſaremur. Hominem deinde gaudio propè confuſum, & equo, vt regiam de more Maieſtatem veneraretur, deſcendere conantem, retinuit: & data dextera familiariter amplexatus, vt idem deinceps reliqui optimates & præfecti facerent prouocauit, eumque ſecum in caſtra reduxit. Inde propius vrbem promotis caſtris, quòd eam acrius indies premi audiebat, exercitumque ita auctum videbat (erat enim XVI. millium numerus) vt iuſto iam cum hoſtibus certamine confligere poſſet, de committendo prælio cogitare inſtituit. Cui Albertus, vt terrorem incuteret, ſubitò occurrens, caſtra ita vicina, vt facilè inter ſe conſpici poſſent oppoſuit. Hic tum legatis vltrò citroque de concilianda pace mittendis multi dies, obſtinatis vtrinque animis, fruſtra conſumpti ſunt: dum Poloni Albertum regem iure ad regnum euocatum contendentes, iuſti belli impenſas, & regni ciuitates aliquot poſcunt: Hungari verò hæc omnia pernegantes, pro vaſtatis direptiſq; contra ius fasque agris ſuis, ingentem ab eis viciſſim pecuniarum vim repetũt. Per eos dies adeò ſæua hyemis tempeſtas, imbrium, niuis, frigoris, & ventorum continuatione oborta eſt, vt acriorem nulla vnquam illis locis fuiſſe conſtaret. neque enim equi ſolùm, iumenta, & reliqua pecora, ſed homines quoq; multi vi frigoris obriguerunt: cùm vno die coloni ferè centum, qui lignatum, pabulatumque exierant, occubuerint, multi paſſim rigore extincti reperti ſint, multi tepido iumentorum afflatu ægrè ſibi ſalutem quæſierint. quinetiam ſæpe accidit, vt præ niuium

Hyems ſæuiſſ.

niuium altitudine è castris curru equóve nemo prodire potuerit. adde quòd secunda noctis vigilia adeò vehemens spirare ventus cœpit, vt tabernacula multa euulserit, ac diripuerit, & homines equosq; parũ abfuerit quin asportarit: ignem verò, quem non frequentia niuis extinxerat, per aera repentè abstulerit. Bathoreus quidem direpto tabernaculo ægrè à suis est conseruatus. nam regem multitudo sagata valli in modum circumsistens, vix à tanta tempestatis contumelia vindicauit. Neque verò in Hungaria solùm (quod quidam ad crudele fratrum inter se dissidium ominando trahebant) sed in tota etiam Europa, eadem est fœditas hyemis pergrassata. In his angustiis nihil tamen Hungarorum exercitus ardentius perpetuò cupere, quàm vt, quoniam pacem habere honestam nõ poterat, bellum gereret gloriosum: seque, quia iusta arma, & pro regni salute tuenda sumpsisset, iniuriamq; potius defenderet, quàm inferret, sine dubio Deos propitios, & duri certaminis socios habiturum, pro explorato habere. Ita prælio hosti indicto, omnes in posterum diem se ad pugnam comparare à rege iubentur. Vbi illuxit, cùm exercitus ambo ad prælium instructi, in magna planicie aduersis frontibus constitissent: dux vterque suos ad virtutem retinendam hortatus est. Vladislaus quidem cataphracto insidens equo, & aurata galea, & staturæ proceritate, corporisque pulchritudine longè ante alios conspicuus, Hungaros in hunc allocutus est modum. Nunquam nostræ familiæ miserum adeò, tristeque fatum esse credidissem, vt iisdem parentibus orti, ad acerbam armorum inter se contentionem descenderent: nisi meipsum ad hoc certamen, aduersæ fortunæ vis adduxisset. Quanquã in summo dolore, quẽ ego ex hac calamitate capio, ea me res valde consolatur, quòd ab eiusmodi me dimicatione semper refugisse, neque nunc ad faciendam, verùm ad propulsandam iniuriam arma cepisse, nemo vestrum ignorat. Quam meam voluntatẽ quotidianæ quoque ad fratrem legationes, à me de concordia & compositione missæ declarant: quibuscum, quantum potui, vt & vestræ voluntati, & maioris fratris ætati concederet, obtestatus: eundem à tanto furore, vt me regem à vobis ritè declaratum bello persequeretur, auocare conatus sum. quas ille ita respuit, vt quem defendere cum capitis sui periculo fraternæ charitatis admonere sensus debuit, is me in extremum etiam dignitatis, salutisque periculum adducere nõ dubitarit. Atque vtinam res ita tulisset, vt ego vnus hãc tantam subire dimicationem, vrbis, vestrisque rebus in tuto collocatis, possem: nulli profectò me certamini alacrius obtulissem. Sed me angit præter modum, & excruciat eximius quidam amor vestri, quos æquè, ac fratres filiosq; vt diligam, & vestra erga me immortalia beneficia, & ipsum Regiæ dignitatis nomen hortantur: cùm tantum regnũ in tantam contentionem meę tuendæ dignitatis causa adductum esse intelligo. dignitatis meæ dixi? imò verò finium vestrorum, quos ille villis incensis, pecoribus abactis, agris vastatis, agrestibusque vexatis, infestissimos reddidit. quæ quidem omnia vos ea virtute ab extrema prohibere iniuria debetis, qua maioris vestri vobis quondam homines acerrimi, atque omnium sine dubio fortissimi, pepererunt: pro explorato habentes, Deum in tam iusto certamine vobis, vt semper aliàs, affuturum, ac nobiscum tantarum auctores iniuriarum esse vlturum. Equidem quod ad me attinet, præclarè mecum actum iri existimaturus sum, si in hac ipse acie pro vestra, proque regni huius amplitudine defendenda cecidero. Nunc vestrũ est, ne mihi vel amoris, vel virtutis magnitudine concessisse videamini, operam dare: quod ni feceritis, pro certo habetote, Hungarici regni nomẽ extinctum, in Polonorum Germanorumque ditionem subitò concessurũ. quod per Deũm hominumque fidem ne accidat, vos, quæso, auitæ memores gloriæ prohibete. Dum hæc apud Hungaros Vladislaus loquitur, non minore cum animi impetu apud Polonos Albertus agebat: eos obtestans, ne se ducem suum possessione regni amplissimi spoliari, & primo comitiorum die regem ab Hungaris declaratum, inde à fratre per iniuriam paterentur excludi: venisse diem illam, qua, si pristinam virtutem adhibere vellent, simul & sua iura tueri, & ipsorum seruire vtilitatibus possent. neq; enim finem vllũ apparere cupiditatis eius,

Vladislai ad suos oratio.

qui Boemiæ, Morauiæ, Silesięque regno non contentus, adhuc vlteriorem & citeriorem Hungariam inhiaret, vt imperium ab Oceano vsque ad Adriaticum mare perduceret: qui ita proprio principatui studeret, vt nihil de amantissimi fratris rationibus cogitaret: quas quidem se illorum præsertim virtute fideque fretum, aut victorem illo die defensurum, aut ibi cum iis victum, honestissimam mortem oppetiturum. His verbis militum animis vtrinque accensis, cùm acies ad præliũ instructæ, signo pugnæ dato, magno impetu procurrissent, ac promotis ordinibus, æneæ vtrinque machinæ intonare cœpissent, multæ res inciderunt, quæ Alberti aliquãtum præferocem animum retardarint. Nam & Cassouienses, vbi eum castris egressum in acie stare è mœnibus prospexerunt, oppido sese properè eiicientes, præsidio interfecto, duodecim a Polonis extructas aduersus se turres deturbarant: æneorumque tormentorum, cùm subsidio recurrere ipsi in acie impediti non possent, potiti erant: & Tartarum quẽdam, qui antè etiam equo progressus, ad singulare certamen Hungarorum fortissimum quenque iactantius prouocarat: Iakzith, qui ei sese pugnæ obtulerat, hasta equo deiectum gloriosissimè interfecerat: & post regium edictum, quo impunitatem omnibus ad sese tridui spacio redeuntibus proposuerat, ipse relictus à multis fuerat. Quæ omnia secum ipse animo versans, de pacis cogitare demum conditionibus cœpit. Qamobrem epistolam subitò ad regem in iaculo illigatã per puerum misit, quæ ab eo colloquium postulauit. Perlecta Vladislaus epistola, lætus quòd ad sanitatem redire frater videretur, haudquaquam expetitum colloquium abnuit. Ita subitò inter duas acies tabernaculo cõstituto, duces ambo, proceribus latera suis cuiusque tegentibus, processerunt. Alberto ex equo desilienti, vt fratrem pro regni dignitate veneraretur, Vladislaus pari eum honore afficiens, dexteram porrexit, statimque: Cur me hostili odio Alberte persequeris? inquit. Cui ille: Non te Domine persequor, sed hos (Hungaros designans) qui me ad regnum capessendum accersiuerunt, fidemque fefellerunt. Hisquę dictis tabernaculum ambo subierunt: & de compositione agere, solo Varadiensi antistite, qui à regio latere nunquam discedebat, vtrumque propius obseruante, cœperunt. Vladislaus de fratris impietate & audacia queri: sed parentum institutum multo acrius increpare, qui tam graue inter fratres bellum suscitatũ aluissent, & cum Maximiliano aduersus Hungaricum regnum, sibi Dei voluntate & humano iure concessum, conspirassent. Albertus contrà se purgare, ac rerũ omnium culpam in Hungaros detorquere: qui se non modò è Polonia euocassent, sed armis, commeatibus, oppidisque oblatis, se prius etiam suffragiis regem creassent. Ita placatis mutua criminum purgatione amborum animis, pax composita est in has, vt vulgò ferebatur, cõditiones: (neque enim pro certis in vulgus vnquam emanarũt:) vt nequid iuris in Hungariæ regno Alberto esset: vt Vladislaus ciuitates Alberto quasdam in Silesia, & tria quotannis aureorum milia daret, cum eo, vt quoties opus esset, eius sibi vti opera liceret. Qua re animaduersa, Varadiensis antistes, subitò vtrumq; amplexus, ad mutua oscula inuitauit, inquiens: Amate inter vos, & fraternam pietatem colite, si vestram & populorum vestrorum salutis curam habetis. Pacem in perpetuum inite, si vestra regna æterna esse desideratis. Dumque hæc manantibus præ voluptate lachrymis diceret, illi inter se complexi osculum obtulerunt. Albertus autem ad antistitem conuersus, Macte, inquit, Valentine, perge operam fidemq;, quam cœpisti, fratri & Domino meo præstare: teque (si hoc feceris) gratiam à me non leuiorem, quàm ab illo, relaturum existima. Prodeunte deinde à tabernaculo in amborum conspectum exercituum rege: cùm Albertus sinistrum eius latus tegeret, læuamque teneret, incredibilis quidam ab vtraque parte plausus militum pacem cõclamantium, sæpiusque has voces redintegrantium, editus est: Vladislao & Alberto feliciter, Casimiro & Elizabetę feliciter, fratribus posterisque eorũ feliciter: Christus opt. max. & diua genitrix, ipsique patrij dij sanctam fratrum concordiam, sanctumque fœdus eorum in perpetuum tueantur. Eodem inde modo exercituum amborum cohortes ac turmæ per præfectos in gratiam redierunt, atque Hun-

Albertus pacem petit.

Coditiones pacis.

Hungari Boemique cum Polonis se æterno tum fœdere coniunxerunt. Hæc VIII. Kal. Martias acta. Pace facta, atq; vrbis obsidione soluta, rex fratre amplissimis donis affecto, & legatis, qui ex fœdere oppida ei in Silesia traderent missis, quorum principem locum Ioannes Schelemburgus, secretarius Boemorũ (magnatum apud regem, propter summam sapientiæ & fidei opinionem, gratia & autoritate) obtinuit, in vrbem ingressus est. Ibi ciuium fide & virtute, quam tum in toleranda patienter obsidione, tum in munitionibus hostium idoneo tempore disiiciendis adhibuissent, pro concione laudata, eosdem & libertate, & quodam finitimo oppido mœnibus propter perfidiam nudato, & præterea equestri ordine aucto, priuilegiis multis donauit: nullumque officium aut grati hominis, aut liberalissimi in omnes regis reliquum fecit. Albertus cùm se in Hungariæ Poloniæq; fines cum exercitu recepisset, Saros, Eperies & Sibinium, castella viginti millia passuum vltra Cassouiam posita, donec promissa sibi præstarentur, in potestate retinuit. Eodem tempore à Polonis Alberti, & Boemis Vladislai militibus, multa multis locis prouinciæ detriméta illata sunt. Tenebant turrim adhuc quandam aduersus Cassouienses obsidione constructam duo millia Polonorum: hi, cùm per bellum populationibus, ac direptionibus agrorum assueti, ne pacatis quidem rebus se continere possent: Cassouiensium perinde atque hostium agros pecoribus abigendis, frumentis, vinisq; absumẽdis, ac sacris etiã ædibus violandis vexarunt, Alberto interim se idẽtidem, dum hæc ad eum deferrentur, purgante, & militari hæc licẽtia, quæ difficilè coerceri posset, se insciente, & inuito fieri asserente. Boemorum & veteranorũ copiæ, quibus rex pacata vlteriore Hungaria, Budam se recipiens, inter Vaciã & Agriam statiua concesserat, nullis ad tẽpus stipendiis procedẽtibus, pro libidine cuncta rapere, atq; vndecunque sibi victum quærere instituerunt: neque verò frumenta solùm, pecora altiliaque diripere satis habuere: sed colonos etiam è propriis laribus pellere, & lectos, currus, cæteraque vel familiaris vel rusticæ rei instrumenta asportare, templaque, quò agrestes homines res suas, vt essent tutiores, conuexerant, diripere, & tormentis ac cruciatibus eos ad res abscõditas ostendendas adigere ausi sunt. Eoque perniciosa eorum licentia est prouecta, vt cuidam sacerdoti sanctissimum Christi corpus loculo argẽteo inclusum, ad moriturum hominem ferenti, nulla Christi habita ratione, loculum è manib. eripuerint: alij verò virgines quasdã forte sponsam mariti domum deducentes, cùm in eas incidissent, vi allata, stuprarint: ex quo factum est, vt multis inedia diuturna quotidie morientibus, aliis verò vitam duro asperoq; victu sustinentibus, grauis & fœda pestilentia consequuta sit. Eadem hyeme legati ab Hercule Ferrariæ duce gratulandi causa missi, cùm Zagabriam peruenissent: interrupto à Germanis itinere, domum, officio, cuius causa venerant, intermisso, regressi sunt. Despotes autem, & Kyshoruatus, in inferiore Pannonia ob leuitatem ingenij, nouis reb. cum vicinis studuerunt. Arx Hamburgi, cùm oppidum antè à Germanis occupatũ fuisset, facta à præfecto deditione, in Maximiliani potestatem peruenit: frumentariæ ne inopia rei coacto, an pecuniæ magnitudine adducto, parum constat. Præsidium Hungarorum, quod Comaburgi impositum erat, vt commeatu, qui indies Danubio deueheretur, intercepto, Viennæ rerum omnium difficultatẽ afferret: à tribus millibus peditum obsessum: quatuor proximis Boemorum turmis accitis, in hostes eruptionem fecit, eosq; non sine magna clade fudit, fugauitq;, & castris exuit. Maximilianus cùm post captam Albam, Viẽnam se contulisset, ac nulli rei gerendæ, pecuniis tantùm (vt fama erat) conquirendis intentus studuisset: nunquam à patre impetrare potuit, vt ad belli suscepti reliquias reficiendas pecuniarum aliquid sibi daret. Ille enim satis se adeptum arbitratus, quòd maxima ex parte Austriam recepisset, noluit filio ad id bellum subleuando, æternum cum Hungaris bellum serere, quorum sensus moresque satis notos haberet. Itaque cùm Maximilianus ea spe destitutus, ad Imperij sibi auxilium confugiendum putasset: concilio, quòd Romanorum rex erat, frequentissimo in Vindelicis habito, Germanos docuit, ad Imperij amplitudinem per-

tinere, vt longius fines producerentur, & Hungaria à Boemiæ rege occupata, reciperetur: quam si ad se Germani traduxissent, haud profectò dubitandum esse, quin eorum potētia insuperabilis esset futura. Hoc autem se nullo negotio confecturum, si sibi ad eam rem, quam petebat, pecuniam præbuissent. Responsum est à principibus, nemini se ad Christianos, & maximè vicinos suos, bello oppugnandos pecuniam suppeditaturos. Boemiæ regem primarium esse Imperij membrū: quid fingi iniquius posse, quàm si regi optimo septemuiro Electori & amico, vicinoque officiosissimo, arma, nulla accepta iniuria, inferantur? Quo ille responso, & simul tumultibus Gallicis perturbatus, animos ad res cōponendas adiecit. Itaq; prius quàm in Galliā ad filiū Burgundiæ ducem, qui ibi res nouas occultè moliebatur, contenderet, pacem cum Vladislao cōciliare constituit. 10

RERVM VNGARICARVM DECADIS QVINTÆ LIBER II.

PACATA vlteriore, vt omnes opinabātur, Hungaria, restabat alterum de citeriore liberāda certamen. Vesprimium, multaque alia inter Sauum & Drauum oppida occupata, Albaque ipsa inprimis solicitos dies noctesque animos regis & patrum habebat: quam per negligentiam suam captam Germanos tenere, atque inde Budensium portis quotidie insolentius insultare, æquo animo ferre non poterant. Occurrebat autē, quòd firmissimo præsidio custodita, vix sine magnis pecuniarum impensis, & sine ingenti hominum cæde posse recipi videbatur. Obstabat etiam summa discordia principum, quæ mala omnia superabat: simulque incredibilis quædam rei pecuniariæ difficultas, qua fiebat, ne Boemis satisfieri posset, qui sine stipendio se moueri ex hybernis, passuri esse non videbātur. His de rebus Budæ, quò se rex ea de causa contulerat, frequenti Senatu cùm de præsenti statu Reip. referretur, decretum est, vt Paulus Kinisius cum potestate regia in inferiorem Pannoniam proficisceretur, atque omnes imperata facere detrectantes, bello cogeret: & si commodo Reip. posset, exercitū inde primo quoq; tempore ad Albā oppugnādam adduceret. pro imminentibus autem sustinendis bellis, vt vulgò pecuniæ conferrentur: & non modò portoria, vectigaliaque, sed oppida etiam quædam regis oppignerarentur, & suis quisque merere sumptibus cogeretur. Rex Budæ quoad hæc omnia procuraret, morari coactus, inde Vicegradum se confert: ac Boemos milites stipendio septem & quadraginta miliū nummûm aureorum affectos, continuò Danubium traiicere, & rectà Albam contendere iubet. qui cùm transissent per vicos pagosque dispersi, quòd à pristina temperare licentia non poterant, & regē opera sua vix carere posse intelligebant: ingētia agrestibus damna effusis populationibus intulere. Accedebat etiam vetus illud incommodum, quòd Beatrix acrius indies instabat, vt quando rex bello fratris grauissimo iam esset Dei voluntate perfunctus, ad sponsalia tandem celebranda veniret: quod ipsum si neglectum foret, ea omnes cura metusque incesserat, ne mulier desperatis rebus, ad Maximilianum confugiens, grauiora multo bellorum incendia suscitaret. Quare auctoribus patribus, rex Strigonium profectus, bono esse animo mulierem iubet: eamque donec reliqua pacaretur Hungaria, expectare: cùm diceret bellicis se curis impeditum, rei illo tempore vxoriæ commodè inseruire non posse: atque magnificis ab ea muneribus acceptis, post triduum Budam regreditur, vt reliquas res, quæ ad bellum vsui forent, expediret. Batoreus ex regis & Senatus auctoritate dux belli declaratus, ac primo quoque tempore impedimenta, currus, tormentaque bellica præmittere, & Boemorum exercitui, quòd iā ad hostes accesserat, præesse, & Albā obsidione cingere iussus, Nonis Iun. Buda egressus, ad Baanhida exercitum ritè lustrauit: ac postridie, instructis agminibus, Albam peruenit, castraque ab ea parte, quæ ad Budam pertinet, locauit: Kinisium ex inferiore Pannonia expectans, qui cùm copiis suis ab

altera

altera parte vrbem intercluderet, cùm cęteras omnes vastæ ac difficiles paludes obducerent. Interea Ioannes Coruinus, qui superiore mense in Illyricum regia ornatus auctoritate, contenderat, vt quędam occupata ab hoste castella recuperaret: à principe Zagrabiense collegium, vbi basilica sita est, instar arcis editum, & munitum, quod Germani tenebant, recipere conatus est. qui locus quoniam ad rem frumentariam omnem intercipiendam, & magna afferenda detrimenta erat aptissimus: sexcentorum militum præsidio tenebatur: accitoque prouinciæ præfecto Bano, à suburbio collegium primò obsidet: deinde, quãquam vimineo septo, fossaq; accuratè vallatum, atque arduo obiecto colle, munitum esset, & i-
10 pse machinas bellicas nullas haberet: tamen oppugnare non dubitat. vsque adeò eum tum ineuntis ætatis feruor, tum laudis cupiditas, & rerum etiam suarum studium acuebat. Qui intus erant, ea spe nixi resistebant: fore vt breui à Iacobo Zekelio, qui indies expectabatur, subsidio leuarentur. qui cum expeditissimo equitatu haud multis pòst diebus accessit, & prælio à Coruino acerrimè ac fortissimè dimicante fusus, ac fugatus, vsque adeò adolescentis audaciam atque animum extulit: vt postridie, agmine facto, cliuum superauerit, & traiecta fossa, septa partim securibus, partim igne expugnare contenderit. Hostes contrà acriter omni arte obsistere, ac saxa, tigilla, ruderaq; in Coruinianos deuoluere, eosq; sulphureis tormentis propellere diu conati: cùm cõmissa cominus pugna, mul-
20 tis acceptis vulneribus grauius vrgerentur, veriti ne nimia pugnandi audacia aditum sibi veniæ intercluderent, inter dimicandum deditionem fecere, atque omnes, relictis impedimentis, dimissi incolumes abiere. Kinisius autem, qui, vt suprà demõstrauimus, inferioris Hungariæ partibus cum imperio præfectus erat, vt ad obsidionẽ Albæ, quæ maturabatur, adesse in tempore posset, celeriter discordes regulorũ quorundã animos inter se recõciliare conatus est: acceptisq; à Petro metropolita Colociensi equitibus circiter mille, atq; ab aliis, pro cuiusq; facultatibus, secundo fortunæ euentu rem perfecit. Nam dux Laurentius, Despotes, & pleriq; alij voluntate obtemperarunt. Cùm autẽ Kishoruatus detrectato imperio, magno (vt res poscebat) apparatu obsideri esset cœptus, quarto ab
30 inita obsidione die quadringẽti cum Nicolao Hederuario oppido sese eiecerunt: quorum ducenti à Boemis insequentibus capti, in potestatem venerunt: reliqui à Trinka per biduum fugati, se in finitima, quæ defecerant, oppida receperunt. Quibus rebus ex sententia administratis, & nonnullis præterea villis, oppidisq; receptis, ac lustrata, pacataq; prouincia, cum eius proceribus & exercitu haudquaquam cõtemnendo, Kinisius Quinqueecclesias est profectus. Eò veniendi causa fuit, vt Sigismũdi antistitis animum exploraret, quem Maximiliani reb. studere suspicio hominũ magna erat. Hic cùm se, vt suprà diximus, ab omnibus publicis negotiis remouisset, & ad quietã vitam retulisset, tum in oppido D. Georgij erat, qui locus ad citeriorem ripam Draui est, natura & opere
40 munitissimus, de sua, suorumque salute cogitans. Positis autem in subiecta vrbi planicie castris, ipse in vrbem cum paucis quibusdam admissus, facilè cognouit, & ciues & antistitem in fide erga regem, & officio pristino permanere, & vrbem arcemque non modò tormentis, & copiis, sed commeatibus etiam, & bellicis operibus omnibus egregiè munitas, ab iis, contrà quàm opinabantur homines, ad regia commoda custodiri. Itaque antistite & ciuibus eximiè collaudatis, & operibus ac munitionibus approbatis, inde confestim cum quinque milibus equitum Albam se retulit, atq; ex altera vrbis parte consedit. Postridie cùm ad regem venisset, qui & ipse triduo ante VIII. Kal. Iul. accesserat, in magno procerum conuentu, de rebus à se in inferiore prouincia gestis verba faciens,
50 cùm de singulorum principum fide atque officio dicere instituisset: eiusmodi Quinqueecclesiensi antistiti testimonium impertiuit, vt dicere nõ dubitarit, nullum se iudicare in toto regno aut prudẽtiorem, aut integriorem, aut fideliorem, constantioremque illo principem reperiri: errare autem vehementer eos, qui de illius erga regem animo, aut studio dubitarent. Omnes regios duces in his rerum tempestatibus ac fluctibus aliquid sibi commissarũ rerum amisisse: hunc

solum sua prudentia ac diligentia res suas integras omnes ab hostium vi & insidiis defendisse, oppidaque sua, quibus in muniendis custodiendisque studium suum omne posuerit. Quibus verbis, dici vix potest, quanta regem, cæterosque omnes spe, læticiaque perfuderit. Eodem fermè die Stephanus Comes Scepusiensis, vir strenuus, ac dux rei militaris peritissimus, equitibus cataphractis circiter trecentis, expeditis verò ducentis, peditibus grauis armaturæ sexcentis, leuibus autem duobus (vt fama erat) milibus secum adductis, ad Albam in castra regia venit: quem paucis pòst diebus Vrbanus Agriensis antistes, qui propter infirmam valetudinem Budæ remanserat, cum septingentis equitibus, alij etiam proceres (vt quisque maturrimè potuit) consequuti sunt. Ita aucto ad quadraginta hominum milia exercitu, vrbs Bathorei cõsilio, magno apparatu ex omni parte oppugnari est cœpta. Fuit autem apparatus illius huiusmodi. Primùm munitiones multas excitauit, inde vt æneis tormentis muros percuteret, tutus ipse ab hostilibus iniuriis, posset. & ad portas castella duo construxit: ex quibus per insidiosas fenestras missilibus, minoribusque tormentis incautum hostem ferret. ea verò tum tigillis ac centonibus circumduxit, ne catapultis, aut quauis alia machina læderentur: tum vallo etiam, fossaq; muniuit, ne clandestina hostium eruptione aut caperentur, aut incenderentur. deinde crebras, nisi à paludibus impediebatur, circum vrbem turres erexit, easque militib. ita vt castella repleuit, vt neminem in muris consistere defendendi causa permitteret. ex quo efficiebatur, vt vrbem acrius & obsideret simul, & oppugnaret. Qui autem intus erant, summo studio omnibus, quoad poterant, hostium cõsiliis occurrebant: & quam per diem murorum partem deturbassent, eam per noctem instaurabant, ac reficiebant. Et ne domorum tecta, quæ ligneis tegulis erant obducta, illato igne comburerentur: ea omnia detexerant: portasque ipsas graui materia, ac muro validissimo obiecta munierant. Patefactis inde diuturna verberatione aliquot in locis muris, ac militibus auidè pugnandi potestatem poscentibus, eos tamen continuit rex: quòd prælio commisso, acerrimè atque pertinacissimè vtrinque dimicaturos milites videbat: illos, quòd propter adhibitam crudelitatem, salutem se impetrare vllam posse diffiderent: hos, vt acceptam iniuriam pari grauitate supplicij compensarent: & quòd spem omnem rei componendæ, facto prælio, & grauioribus detrimentis illatis, omnino præcidi animaduertebat. cuius rectum consilium haud ita multò pòst rei euentus ipse demonstrauit. Nam cùm hostes se vrbẽ defendere posse diffisi, de ea reddenda cogitare & pace conficienda instituissent, à Bathoreo & Scepusiense ad eam rem colloquium postularunt. Hoc statu cùm res ad Albam essent, præsidium quod erat in Vesprimiensi arce impositum, cùm vicinum formidaret hostem, de deditione per internuncios cum rege agere cœpit. Hi cùm maxima pars Boemi essent, gratuitam mensium aliquot militiæ operam deferebãt: si Boemiæ ascripti militiæ pari præmio cum cæteris afficerentur. Kinisius cum quibusdam suorum equitum turmis profectus, oppidulum, cui Vason nomen erat, à Germanis occupatum, in agro Vesprimiensi recepit, pridie eius diei, qui D. Ioannis Baptistæ natalibus est dicatus. Sabaria per Thomæ Iauriensis antistitis milites recuperata, ex Germanorum qui in arce fuerant, præsidio, octo & septuaginta captiui in castra regia sunt perducti. Eodem etiam tempore, vt Hungarorum res secundę cumularentur, eorùmque animi ad bene de Repub. sperandum incitarentur; Casimirus regis pater, Poloniæ rex, legatos alios ad Fridericum Imperatorem, & Maximilianum filium misit, qui eos orarent, ne Hungariæ bellum inferre, & Vladislaum filium suum regem Hungariæ ritè coronatum, armis persequi vellent, seque, si id facere perrexissent, illorum iniurias non neglecturum ostenderent: alios ad Innocentium sextum pontificem maximum, qui eum obtestarentur, vt ipse pro sua, Apostolicique Senatus auctoritate, Vladislaum Hungariæ regem creatum confirmaret, competitoresque regni ab armis aduersus eum ferendis deterreret. Quæ ne diuturna admodum Hungaris gaudia essent, repentè nuncij de variis Turcarum incursionibus populationibusque allati effecerunt. Hi cùm Kinisium

Alba obsidio & oppugnatio.

Vason opp. receptum.

Item Sabaria.

10

20

30

40

50

nisium ex inferiore Hungaria, cum omnibus ferè copiis ad Albam profectum, regionemque præsidio destitutam esse comperissent: in vlteriorem quamprimum Hungariam inuadentes, incendia, cædes & rapinas intulerant: atque omnis ætatis & sexus hominibus in seruitutem abstractis, diuorumque fanis incensis, cùm viginti milibus passuum ad Varadinū accessissent, coortum in prouincia tumultum veriti, primò in fines suos incolumes se cum præda retulerant: deinde auctis ex prospero rerum successu animis, vltra Themesuarum excursionem fecerant: & oppidum, quod in Stephani Bathorei potestate erat, concremarant: totique prouinciæ, quam milite vacuam esse cognouerant, vulnera
10 grauissima inflixerant. in Croatiam autem cùm irrupissent, magno hominum pecorumque numero abacto, mercatores etiam Florentinos quosdam, qui in Hungaria negociabantur, in seruitutem redegerant. Quæ mala per se grauia, infirma quoque regis ipsius valetudo, grauiora reddebat: qui in locis palustribus, feruente maximè æstate, moratus, in febrim & dysenteriam sæuissimam & valde periculosam inciderat. Quamobrem post quinque induciarum dies, Germanis qui Albæ obsidebantur, quò commodius de deditione deliberare possent, à Bathoreo & Scepusiense datos: res tandem in has conditiones conuenit: vt Germanis, qui vrbem tenebant, cum impedimentis suis incolumes tutò in Austriã redire, currus sex & triginta ex vrbe deducere liceret: cæterùm à tem-
20 plis spoliandis, mulieribus violandis, mancipiisque abducendis temperarent. Quas rex conditiones partim aduersa valetudine perturbatus, partim ne à fratre per morbi sui occasionem iterum armis appeteretur veritus, sibi accipiendas esse arbitratus est. Ita ministris in vrbem, vt Germanos (vti pepigerant) vrbe cum impedimentis solis dimitterent, missis, Alba XIIII. Kalend. Sept. ex manibus hostium est erepta. Quibus rebus ex sententia administratis, rex continuò exercitum in Vesprimiensem agrum, ad deiiciendum ex arce illa Germanorum præsidium duci iubet: ipse in proximam Laurentij ducis villam, à patre magnifico & regali quondam sumptu constructam, recessit, vt ibi mitioris cœli & amœnioris loci beneficio conualesceret. Hac re prosperè gesta, multa inci-
30 derunt, quæ Hungarorum lætitiam, voluptatemq; ex Albensi re bene gesta minuerent. Nam & Boemici milites, nisi promissa stipendia exoluerentur, præfecti Bathorei se imperata facturos negabant: cumque non esset vnde se & equos sustinerent, multo se, quàm militaris disciplina pateretur, intolerantius gerebãt: ac si eorum coercere audaciam præfectus pro imperio voluisset, seditionem ingentem subitò facturi videbantur: & Poloni neglecto fœdere, nouis rebus studere, & iam Sopronium castellum in finibus obsidere, Alberto fratre ea dissimulante, nunciabatur. Constabat etiam, molestè illum ferre, quòd tria milia nummûm nondum sibi ex fœdere essent persoluta: eundemq; partim à coniectoribus, & astrologis, quibus referta Cracouia est, breuem Vladislai vitam fore
40 asserentibus, partim à nonnullis proceribus de vita regis desperantibus, ad renouandum bellum, regnumq; occupandum quotidie incitari. Cùm fama de regis morbo ad Casimiri patris aures grauior accidisset, primò per legatum (quod regis animum vehementer afflixit) eum admonuit, vt cum Alberto mitius se gereret, patereturque post mortem ipsius regnum ad fratrem potius, quàm ad alienum aliquem peruenire: pòst autem, vbi è morbo emersisse eum audiuit, legatos alteros misit, qui Hungaris verbis suis nunciarent, ne quid ab Alberto timerent: qui vel ætatis vitio, vel factiosorum hominum impulsu, vel desperata fratris vita inductus, bellum in finibus commouisset: se non modò ab eo furore eum reuocaturum, sed etiam si auctoritati suæ non paruerit, pro Vladislai filij &
50 regni Hungariæ salute regnum vitamque suam in periculum adducturum. Albertus interea propius indies cum exercitu ad Cassouiam accedebat: non ignarus, se, si vrbis illius esset potitus, facilius Hungariam vlteriorem occupaturũ: & iam Litinburgum, quod ab Hungaris tenebatur, immissa turma equitũ, & parua manu peditum obsidebat. Quæ vbi rex accepit, confestim Litinburgum Hippolytum Strigoniensem archiepiscopum cũ equitatu proficisci iubet: qui hosti-

Alba recepta.

Albertus.

bus primo aduentu in fugam coniectis,& tribus finitimis oppidis occupatis, latius cum magno incolarum detrimento vagatus est. De Cassouiensi autem obsidione solicitus, Dominicum Albensem antistitem, & Panzolzium Palatinum legatos ad patrem fratremque, qui de illatis contra fœderis conditiones, armis quererentur, ire iussit. Legati, vt à rege mandatum fuerat, cùm, antequam Carpatiis montibus superatis in Poloniam traiicerent, Albertum conuenissent, apud eum, Dominico ipso, qui gratior multo erat, verba faciente, in hunc modum locuti sunt: Ecce rursus ad te Alberte dux inclyte, venimus, à rege nostro, fratre tuo, Hungarisque Polonorum sociis missi, vt exquiramus, pro ratisne fœdera inter nos paulo antè percussa sis habiturus: an, quod minimè decet, bellum, vt ostendis, nobis iterum illaturus. Regis quidem nostri ea sententia est, vt quiduis potius perferat, quàm vt iterum cum fratre pernicioso bello decernat. Cuius nos consilium quàm pium, tam nostris rationibus alienum existimamus: quippe cuius indulgentia quantæ regno nostro calamitates acciderint, sentiamus. Tuus verò qui sit in hac re gerenda sensus, valde audire cupimus. Regnum te, illo pulso, nostrum occupare velle, sunt qui dicant. Vnde hoc tibi tandem venit in mentem sperare? quando nos aliàs, vno coronato rege, regnare alterum iussimus? aut quando vnquam aliquem sine suffragiis nostris regnum obtinere passi sumus? Vladislaum fratrem tuum ritè regem creauimus: desine sperare, te, viuente illo, posse ad regni fastigium peruenire: desine credere, nos tibi amicos posse effici, quos inimicorum more crudelissimè diuexasti. Non fratribus oppugnandis, non vexandis sociis, non fœderibus violandis, sed pietate colenda, tuendis amicitiis, pactisque seruandis, regna parantur. Quæ enim grauiora nos à Turcis immanibus hostibus incommoda metuere possumus, quàm à Polonis, cognatis amicisque nostris, te imperatore accepimus? qui haud sibi satis arbitrati esse, pro libidine rapere, auferre, incendere, & seruitute afficere: etiam (quod sine lachrymis dicere, aut meminisse non possumus) virginum, matronarumque pudorem, & sacrarum ædium numen pro nihilo habuerunt. Non his artibus Albertus auus tuus, non Ladislaus patruus, non Sigismundus & alij hoc sibi regnum quæsiuere: quorum facta si tu in consilium, dux inclyte, adhibueris, & si cum iis, quæ per te acta sunt, comparaaris: non dubitamus, quin pro tua sapientia de suscepta subitò sententia decessurus, & te cum tuis copiis in fines tuos recepturus sis. Quod ni feceris, vt te breui istius consilij & audaciæ tuæ pœniteat, euenturum, Deorum freti auxilio, speramus. Hæc ab eo magna cum libertate dicta, Albertus non modò non iniquè tulit, sed antistitem summo etiam honore, ita locutum, sibi habendum putauit: cumque se purgandi sui causa, & propter pacta non seruata, & propter fratris incertam ex graui morbo vitam, ad bellum adductum respondisset: posthac cùm eum iam incolumem esse audiret, ab armis discessurum, & communibus commodis consulturum pollicitus est. Hoc responso accepto, legati profecti, quinto pòst die Cracouiam peruenerunt: & Casimiro regi, Alberti incendia, rapinas, cæteraque, quæ præsentis temporis conditio suggerebat, exposuerunt: eumque, vt filium parere recusantem, pro imperio coerceret, orarunt. Casimirus molestè hæc se de Alberto audire respondit: ac confirmatis legatorum animis, continuò per nuncios Alberto imperat, vt se primo quoque tempore cum exercitu in Poloniam referat: id ni fecerit, se stipendia ad exercitum non missurum, atque arma contra eum pro Vladislao sumpturum, ostendit. Poloni cùm stipendia sibi negari, & reuocari a bello ducem suum viderent: quacunque ope possunt, Albertum paternis iam mandatis segniorem, languidioremque in gerendis rebus effectum, à patris imperiis exequendis auertere conantur. vbi verò in proposita sententia eum vident, cùm aliquandiu se sine stipendio rapinis sustinuissent, in Poloniam regrediuntur: & facta ab Imperatore suo defectione, omnia hostilem in modum diripiunt: vt ea saltem ratione Albertum, si possint, ad bellum persequendum eliciant. Iam legati domum reuersi, legatione renunciata, regem, patresque in Polonicæ pacis spem adduxerant: atque vt omnium in bellum Germanicum, quod vnum relinqui

Legatorum regni ad Albertum oratio.

relinqui videbatur, curæ conuerterentur, effecerant. His de rebus rex circiter Kal. Sept. è villa Laurentij ducis, vbi sui reficiendi causa fuerat, cùm se Budam contulisset, Sabazium à Turcis obsideri certior factus, Laurentium cum equitatu suo ad inferiorem tuendam Hungariam mittit: Vrbanum verò Agriensem antistitem, qui paucis antè diebus Budam erat delatus, socium Stephano Scepusiensi adiungit: atque ambos in vlteriore Hungaria publicis & priuatis commodis seruire, & Alberto, si quid mouisset, resistere iubet. Eodem mense graui à Germanis, & à Maximiliano imminente bello, cùm se ad tam diuersa bella occursantes sufficere non posse rex cum patribus cerneret: pacem omnes, si posset, æquis; sin minus, tolerandis conditionibus petere constituunt. Ea de causa cum literis & mandatis legati Posonium vtrinque missi, hinc Thomas Iauriensis episcopus, qui eo tempore vniuersa fermè regni negotia, qua erat præditus sapientia, administrabat: illinc Stephanus Bathoreus, & Ioannes Paumchircher, Boemus cancellarius, vir grauissimus. Cùm de cōcordia agi cœptum esset, Germani intolerandas propè conditiones ferebant: iura scilicet fœderis cum Matthia rege quondam initi, cùm in ciuitate noua Friderici Imperatoris permissu corona restituta est, repetentes. Maximilianus verò regno Hungariæ se in perpetuum cessurum esse negabat: sed soli Vladislao, propter sanguinis cōiunctionem, in præsens concessurum dicebat, communemque cum eo interea regni titulum deposcebat, & belli gesti sumptus postulabat. Has tam asperas conditiones, quibus se Austriacorum imperio Hungari subiicerent, legatis se accepturos esse negantibus: Germanis autem contra pertinacissimè insistentibus, ac sæpe accensis vtrinq; grauiter animis, & desperata prorsus concordia, è colloquio recedentibus, multum temporis est transactum. Interea præter opinionem omnium, maiorum vndique malorum nuncij deferuntur: Albertum ad obsidionem Cassouiæ reuertisse: Prinianæ familiæ adolescentes eximios, cum expeditissimo equitatu, priusquam castra locarentur, aduersus Polonos temerè progressos, miserandum in modum occubuisse: ad Corneuburgum in Danubij ripa milites, qui in præsidio erant, turri, quam in speciem castelli extruxerant, vt commeatus secundo amne deuectos Viennensibus intercluderent, à Germanis de improuiso irrumpentibus, succensa, ad vnum omnes cæsos fuisse: Kinisium crebris à Turcis acceptis incommodis, diris barbaram illam gentem cruciatibus ab incursandis finibus prohibere conatum, maioribus indies calamitatibus inferendis causam attulisse: Albertum iam non solùm Cassouianum agrum vastare, sed etiam effusè omnia populantem, duo milia cadorum vini in Poloniam remisisse: multa etiam temerè effudisse, non pauca in belli vsum reseruasse: postremò, Sueuos Maximiliani milites, excursionibus in Morauiam factis, ac magno pecoris numero abducto, ad Tyrnauiæ obsidionem Danubium traiecisse. His, aliisque eiusmodi rebus, & simul intestina seditione & discordia, quæ in inferiore vigebat Hungaria, perturbati: cùm pacis cupiditas summa, ac recens superiorum detrimentorum memoria, metusque futurorum omnes vrgeret: legati haud sibi moram interponendam existimarunt, quin primo quoque tempore, quibus conditionibus possent, pacem compararent. Itaque re diu multumque agitata, tandem ex regis auctoritate his legibus est transacta: vti pacta cum Matthia rege de restituenda corona inita, renouarentur: vt regnum Hungariæ ad Maximilianum, aut eo mortuo, ad legitimos eius hæredes recideret, si Vladislaus sine filiis legitimis decessisset: interea, vt regni titulus penes ambos resideret: vt pro belli superioris impensis, Vladislaus Maximiliano centies mille nummûm aureûm penderet: ne summi honores vlli, vt duumuiratus sacri diadematis, Palatinatus, vt munia tam sacra, quàm prophana, & prouinciarum præfecturæ, nisi interposita amborum autoritate, & iureiurando vtriq; dato, capi possent: vt eosdem vterque amicos, rebelles, hostesque haberet, iureque societatis alter alterum bello iuuaret: Hungaros, Germanosque eodem loco atque honore haberet: ne Hungaris vllis fraudi esset, quòd ad Maximilianum se contulissent, neq; vlla aut nota, aut pœna affici propterea possent: sed bonis suis,

Sabazium à Turcis obsessum.

Vide suprà hac pacta 655.

Tyrnauia.

quæ publicata fuerant, restitutis, eodem, quo fideles loco ducerentur, & essent: ad postremum, vt omnes antistites & metropolitæ, proceres, præsides, legatique & ciuitates, cum vniuersa nobilitate legatis Maximiliani præsentibus, se has fœderis leges inuiolatas in perpetuum cum sua posteritate seruaturos iurarent. Pax populo Martinalibus, his tamen suppressis cōditionibus, in magna omnium expectatione renūciata est. Pòst autem cùm legati se Budam recepissent, vt fœdus communi sententia comprobarent: rex cum Senatu, legatisque à ciuitatib. missis, ex arce descendit in concionem, quæ tum ante regiam habebatur: ibiq; Boemica lingua Varadiensi antistite singula populo interpretante, à principio regni sui omnia, quæ intercesserant, incommoda persequutus: ad pacis demum conficiendæ necessitatem peruenit: eamq; vt libentibus ac lætis acciperent animis, tam multis præsertim cōflictati difficultatibus, est hortatus: hisq; dictis, protinus se cum patribus in regiam retulit. Rege è concione profecto, Iauriensis & Bathoreus, duo pacis arbitri atque legati surrexerunt, vt patria lingua, quæ de pace dicenda essent, multitudini exponerent. Ex iis Iauriensis longam ingressus orationem, primùm omnia, quę perpessi erant belli damna, ac detrimenta ostendit: publicis & priuatis pecuniis consumptis, agricolis, quorum laboribus tam sacri quàm prophani ordines se alerent ac tuerentur, in citeriore & inferiore Hungaria spoliatis, regno domesticis discordiis in multas partes distracto, Rempub. diutius resistere non potuisse: se ex communi consilio pacem, & vnicum omnium malorum remedium requisiisse, eamque his conditionibus impetrasse. Inde pacis conditiones, quæ adhuc occultatæ de industria fuerant, recitauit: easq;, quanquam fortasse parum æquas, tamen vt reip. commodissimas, vt iuberent se eis suadere, dixit. Sic enim fore, vt Germanico soluti bello, irrumpentes Polonos nullo negotio propulsarent. Multitudo vbi conditiones audiuit, statim cum stomacho perinde obstrepere & reclamare cœpit, quasi non pacis, sed seruitutis conditiones essent accipiendæ: nihilque propius factum est, quàm vt ingentem seditionem propterea excitarit. Satis certè constat, & patres nonnullos, & ipsos pacis legatos per aliquot dies, nisi armatorum turba stipatos, tutò in curiam non venisse, & ex nobilitate multos de secessione à patribus facienda consilia habuisse. Itaque cùm singulis noctibus tabellæ triuiis, & templorum valuis à populo affigerentur: in quibus denunciarent, se millies morituros prius, quàm tam turpes fœderis conditiones approbarent: rex omnes ad se placatis antè per Palatinum & Bathoreum illorū animis, aduocari iussit: & paucis, vt de sua deque regni dignitate fidei suæ commissa bonum animum haberent, cohortatus: temperatis cum legatis conditionibus, eos ad fœdus iureiurando sanciendum, ne tanta concordia solueretur, adduxit. Eodem quoque mense, ad Hunam amnem in Croatia, ex Turcis mille & quingenti, qui in prouinciam populabundi descenderant, cæsi, totidemque capti: ex quibus centum & viginti ad regem, nonnulli quoque ad reginam à Bano muneris loco sunt missi. In eo bello Bernardini comitis virtus inprimis enituit. Fœdere cum Germanis, quemadmodum demonstrauimus, confirmato, rex comperto Cassouiensem agrum ab Alberti militibus deuastari, Boemos statim, qui ad septem milliaetant, ex Austria reuocatos celeriter, quanquam sæuissima hyeme, ad Pestum traiicere iussit. Cùm Stephanus Scepusiensis Id. Decemb. magno cum equestrium pedestriumque copiarum præsidio in prouinciam missus, nihil adhuc memorabile ibi gessisset, multos in timorē adduxerat: ne sicut antè Austria, sic nunc per negligentiam Cassouia pelleretur. Ob eam rem ille magno prælij committendi studio accensus, illa tamē difficultate afficiebatur, quòd Boemi se, nisi persolutis stipendiis, in aciem descensuros, aut pugnaturos negabant. Cui incommodo vti obuiam iret, præfectos, equitū & cēturiones, inprimisq; Hugietiez, virum fortissimū, & maximo rei militaris vsu præditū, in suam sententiā donis præmiisq; perducit. Deinde militibus regni, Reiq; publ. periculo, nisi prælio cum hostibus decernatur, exposito: pollicitusq; se daturum operam, vt perfuncta his calamitatibus & periculis, rep. cum fœnore omnib. merita & stipendia &

præmia

præmia persoluantur, ac geminata deinceps militia honestentur: omnes ad arma alacri ac prompto animo capienda deducit: ac tumultuariis militibus, agrestibusque hominibus vndique euocatis, maximis exercitum supplementis adauget. Albertus vbi Hungarum prælij causa propius accessisse vidit, etsi se numero militum inferiorem cernebat, tamen haud sibi pugnam detrectandam ratus: & simul exercitus sui viribus & fortunæ, qua sæpius secunda erat vsus, fauore subnixus, audacter occurrit, & castra in conspectu Hungarorum locauit. In posterum diem cùm pugna esset indicta, par vtrinque cura, & solicitudo per totam noctem animos agitauit: sed causa non pari: quippe cùm illi de dignita-
10 te, hi de incolumitate propria cogitarent. Vbi illuxit, Stephanus, antequam exercitum suum è castris educat, milites allocutus, admonet, nō se nunc, vt quondam regnante Matthia, pro augendo imperio, & domestica cumulanda gloria: sed de defendendo regno, & publica salute certare: incommoda, atque iniurias omnes, quas per biennium ab Alberto acceperint, sigillatim exponit. perfidiam eius in eos, & importunam in fratrem regem immanitatem edocet: qui nefaria cupiditate regnandi accensus, regnum illi legitimum eripere, & Hungaris inuitis inuadere studeat. aduersus hæc aut forti esse animo resistendum, aut seruitutis iugum turpissimum subeundum, addit. Victoriam autem sibi cùm Hungarorum Boemorumque sociorum virtutem incredibilem, tum iustā bel-
20 li causam, & diis ipsis immortalibus probatam, facilè polliceri. Contrà Albertus Polonos hortari, vt quem ad fraternum iterum regnum oppugnandum impulissent, eum hoc ipso tempore acerrimè fortissimeque pugnando defenderet: se quidem, quanquam numero copiarum esset inferior, sperare tamen eorum virtute fore superiorem: præsertim verò, cùm res eis cum tumultuario exercitu, & Regis imperio nudato esset futura. Cæteraque eiusmodi adiicit, quibus aut aduersariorum opes imminuere, aut suas augere, aut certam victoriæ spem facere posset. Quibus rebus inflammatis Polonorum omnium animis, statim pugnæ signum dari postulant: ac clamore ingenti eum, etiam inuitum (quòd iam de disciplina & numero Hungarici exercitus, cui se imparem lon-
30 gè cernebat, certior factus, à prælio abhorrere cœperat) in aciem descendere cogunt. Signo pugnæ dato, primùm cum Boemis, qui in sinistro cornu locati erant, certamen initur, equitibus vtrinque egregiè pugnantibus: quorum multi equis deiecti, pugnam pedestrem non intermiserunt. ex altera parte Stephanus, qui dextrum cornu cum Hungaris tenebat, & eum sequuti, quos Beatrix regina miserat, pugnare incipiunt: & pari impetu congressi, clamore & strepitu omnia complent. multis vtrinque cadentibus, pugna vsque ad serum diei est perducta. Tandem Albertus, quòd, quos defessis suis integros, recentesque summittere non habebat, & qui diu pugnassent, vix consistere iam præ labore & vulneribus possent, valde laborare cœpit. Qua re animaduersa, Hun-
40 garorum manus, quæ castris præsidio relicta fuerat, eruptione facta, Polonos inuadit: ac diuturno prælij labore defatigatos, nullo negotio pellit. Solus cum equitatu in vltima acie resistit Albertus: qui multis amissis, postremò se in fugam dare coactus, accepta eius noctis è captiuo quodam milite tessera per medias hostium custodias, cum paucis tanquam amicus, imprudentibus illis elapsus, ad Eperies peruenit. Ex proceribus pauci euasere: plerique aut desiderati, aut capti: reliquus exercitus profligatus, castra direpta, impedimenta omnia, & totus bellicus apparatus, inprimisque ænea tormenta inusitatæ magnitudinis Cracouia deuecta, in potestatem peruenerunt: captiui, qui paulo antè à Polonis capti fuerant, recuperati. Stephanus centum & quinquaginta equites
50 secunda noctis vigilia ad hostes insequendos immittit: quorum alij palati ab agrestibus, alij ab equitibus cæsi, ac spoliati sunt. Albertus in oppido Eperies, quò cum equitibus viginti confugerat, postero die à Stephano & Obice obsessus: cùm inde euadere nō posset, nec subsidium in tempore speraret, ad pacem accipiendam demum compellitur, his legibus: vt tutò ex Hungaria abiret: tormēta, captiuosq; omnes reciperet: Saros, Cibinium, Eperies, & reliqua quæ in vlterio-

Alberti victi fuga.

re Hungaria oppida occuparat, restitueret: Hungaris nunquam posthac bellum faceret: fœdus & amicitia in perpetuum integra permaneret. Quæ vbi Budam nunciata sunt, maiorem ex pace, quam ex victoria læticiam omnibus attulerũt; regi verò in primis, quòd fratre ipso incolumi, bello maximo, ac periculosissimo liberatus esset. Finito iam Germanico & Polonico bello, & regno grauissimis periculis exoluto, vnum restabat Turcarum bellum, quod superioribus impliciti curis, intermittere coacti fuerant. cuius causa rex ad Kalend. Feb. concilium Budæ frequentissimum indicit: quò, dum regni proceres coeunt, nuncius allatus, Turcam ad obsidionem Albæ Græcæ, quæ Belgradũ vulgò dicitur, properare: quod non Hungariæ solùm, sed Christianæ quoque Reip. primum putabatur propugnaculum esse, aliquantulum concilium perturbauit. Paucis pòst diebus, cùm iidem ad Sinderouiam conuenissent, vt Danubio (quẽ frigoris magnitudine & vi conglaciasse existimabant) transmisso, vlteriorem Hungariam incursarent: opinione decepti, ne frustra se mouisse viderentur, clàm ad Sabazium diuerterunt: ac dimissis in ripa Saui cunctis equis, cùm occultè suburbia adorti, die nocteque oppidum oppugnassent, præsidij virtute & robore inde depulsi, incensis tamen suburbiis, recesserunt. In eo prælio ex Turcis quingenti, ex præsidio quinquaginta ceciderunt: non tormentis, sed manibus hostes deturbati, quòd æneæ machinæ omnes loco dimotæ fuerant, quæ res proditionis suspicionem non leuissimam attulit. Per eosdem dies alia Turcarum manus, quæ in vlteriorem Hungariam irruperat, cùm in Kinisij turmas incidisset, in potestatem ferè tota concessit, multis cæsis, aliis captis: ex quibus purpurati quoque nõnulli ad regem missi. Quibus de rebus publicè diis gratulationes & supplicationes habitæ sunt. Neq; ita multo pòst sexcenti fermè alij, ad Albam Græcam profligati nunciantur: qui cùm præfectos duos Budam ad concilium abituros sentientes, expeditos in insidiis equites, vt eos incautos opprimerent, collocassent: ab iisdem eadem, qua in eos vsi erant, arte, nec opinantes circumuenti, & præter paucos deleti sunt. Ita melioribus auspiciis, re bene cum Germanis, Polonis & Turcis administrata, annus M. CCCC. XCII. est initus. In cõcilio autem cùm Petrus metropolita, qui eò cum ducẽtis equitibus cataphractis, & expeditis trecentis venerat: de Beatricis sponsalibus celebrandis retulisset, ab vniuersa concione reclamatum est: cùm regem omnes fœcundam virginem ducere oportere, & regno Hungarico nihil sterilitate reginæ incommodius accidere posse assererent. More Seuerini castelli præfectus, cùm victoriæ de Turcis partæ, defensæq; strenuæ arcis, ac propriæ virtutis testandæ gratia, currus duos cæsorum hostium capitibus onustos, ad concilium veheret: in medio itinere graui morbo correptus interiit. quos cùm Georgius frater Budam, atque in ipsum quoque conuentum iussu regis detulisset, eo spectaculo proceres incredibili omnes læticia æquè ac stupore repleuit: cùm truculenta adhuc, & crudelitatem minantia mortuorum ora despicerent. denique summo omnium consensu propterea laudatus, ac magnificè donatus: fratrique mortuo, qui fortissimus vir, & Turcis formidolosissimus fuerat, regis & patrum auctoritate est subrogatus. Dimisso concilio regina, vbi neque per legatos, neque per nuncios, quid de sponsalibus suis patres decreuissent, accipere potuit, ludificari se rata: è Strigonio Budam veterem eo animo venit, vt, quod posset, sibi & causæ suæ ne deesset: & in regiam profecta, inde, nisi re perfecta, non discederet. Neque tamen ad nouam Budam sine autoritate regis & senatusconsulto ascendere est ausa: verita, ne occlusis fortasse portis, parum honestè retrocedere cogeretur. Ad eam multi principes, maximè ij, quos ipsa sibi muneribus & promissis obstrinxerat, officij gratia venerunt: rex vix adduci potuit, vt eam semel interuiseret. Quamobrem delusam se existimans, dolensq; quòd eò venisset, die septimo se Strigonium recipit: & à patre Ferdinando rege Neapolitano, vt per legatum Vladislai animum exploraret, petiit. Igitur circiter Kalen. Iunij, Andreas Carafa, vir summo loco natus, missus, hoc à rege responsum tulit: Se per legatum Ferdinando regi, quid sui de reginæ coniugio consilij sit, expositurum. cuius rei causa postea Antonium episco-

Turcarum clades.

1492.

10 20 30 40 50

epiſcopum Nitrienſem, ad Alexandrum pont. max. qui Innocentio mortuo ſubrogatus, Hungaros in clientelam acceperat, & regem Ferdinandũ Idibus Octobris, cum mandatis ire in Italiam iuſſit.

RERVM VNGARICARVM DECADIS QVINTÆ LIBER III.

IN magna omnium trepidatione, ſummaque ex incommodis diſſipatis de bello Turcarum rumoribus multis, regis patrumque ſolicitudine, Martinus Zobor, qui à rege multo antè ad Baiazetem imperatorem legatus de ſummis rebus miſſus: ab eo de induſtria, ne bellica cauſa ſua conſilia enunciaret, diu nullo reſponſo reddito, dicebatur fuiſſe retentus: tandem VI. Idus Iunias reuertit: atque omnia, quæ de recenti Turcarum motu compererat, ex ordine recitauit. Baiazetem ingentē terra marique belli apparatum confeciſſe: quippe ducentis triremibus ad Propontidem coactis, & multis in Ponto nauigiis conſtructis, actuariiſque ratibus non paucis, quibus Iſtrum ſubiret, lembiſq; leuioribus in Boſna pluribus, quos in Sauum deduceret, comparatis, ex Aſia atque Europa incredibilem copiarum multitudinem euocaſſe, & ducentorum milium hominum numerum effeciſſe. quorſum ea pertinerent, haud ſe afferre pro comperto poſſe. hominum enim varias in vulgus opiniones iactatas, aliis in Cyprum, nonnullis in Dalmatiam, multis in Getas & Valachos eam belli molem conuerſum iri dicentibus. De Alba Græca haudquaquam ſibi videri, cur hoc tempore maximè laborandum ſit: quòd Baiazetes cum exercitu Sophiam vſque, inferioris Myſiæ vrbem, Baſſæ cuiuſdam auctoritate progreſſus, vt inde ad Albam, Hungaris externis interea bellis & inteſtinis diſcordiis occupatis, eripiendam contenderet: poſtquam recentem Hungarorum cum Germanis Poloniſque compoſitionem, cuius domo egrediens ignarus omnino fuerat, perceperit: vehementer accuſata Baſſæ temeritate, totam belli rationem, & ſentētiam commutarit: quinetiam pacem eum cum Hungaris illa ſe conditione facturum oſtendiſſe: ſi ſibi per eos in Valachos & Epidaurios, & per Dalmatiam in Carnos & Noricos impunè excurrere licuiſſet. Quibus à ſe conditionibus repudiatis, eum adeò vehementer animo fuiſſe commotum, vt iracundia elatus, pilos è barba ſemel iterumque euelleret; poſteroque die infecta re, ſe ſine cunctatione dimiſerit. præſentem porrò eius exercitum ad peditum equitumque viginti tantùm milium numerum peruenire: reliquos omnes collectitiam manum, inermem, & bello parum idoneam eſſe: agreſtium verò turbam propè infinitam ſecum illum trahere, nullo alio telo quàm ſcipione præfixo ferro armatam: omneſque tunc, vt qui aqua duntaxat & viliſſimo cibo alerentur, peſtilentia ac dyſenteria correptos grauiſſimè laborare. His auditis rex, quanquam multis de rebus animo efferebatur: tamē haud ſibi tanti hoſtis tantos motus contemnendos exiſtimans, extēplo finitimas Turcis arces omnes milite, tormentis, commeatu & armis munit. Seuerinum, Sabatium & Iayzam duplicato præſidij numero confirmat: arcemque Albæ Boemis militibus mille, & rebus quæ bello vſui eſſent, omnibus inſtruit: reliquos Boemos ad Paulum Kiniſium ire in inferiorem Hungariam iubet. Inde toto regno delectum magna cura ac diligentia habet, & pro iure ſocietatis auxilia à Germanis etiam poſtulat. nam remotiora in tempore, ſi Baiazetes vltrà procederet, adeſſe non videbantur poſſe. Tanto verò ſtudio, tantaque animi propenſione, ab omni ordine, ætate, ſexuq; impetrata, omnia pro ſalute & dignitate regni adminiſtrata ſunt, vt in magna militum nomina ad bellum vltrò profitētium turba, ſacerdotes etiam cum monachis ſponte ſe militiæ offerrent: ſacræ autem virgines, pueri ac ſenes, quos aut ſexus & ordinis pudor, aut ætatis & virium imbecillitas à grauioribus operibus amoueret, quotidianis ſupplicationibus vota pro incolumitate regni Deo facere non deſiſterent. præfecti verò ad ſuam

quisque prouinciam firmo cum præsidio tutandam repentè magna animi alacritate discurrerent. Quibus de rebus rex in eam spem venerat, se si arma inferre Turcæ perrexisset, dum primis regni arcibus expugnandis tempus tererent, exercitum sexaginta milium hominum facilè duorum mensium spacio contracturum. Nam Batoreus, & Stephanus Valachorum regulus cum Transalpino, viginti milia pollicebantur: totidemque inferioris & superioris Hungariæ regiones. Germanos verò Boemosque, & iis attributas regiones, viginti item milia præbituros planè non diffidebat. Baiazetes autem, qui Sophiam vsque, Albæ ex improuiso occupandæ consilio, processerat: tanto hominum consensu rerumque apparatu cognito, spe concepta deiectus, neque vltrà progrediendum ratus, exercitum dimisit: & Bassis duobus cum triginta milibus hominum Sophiæ relictis, atque Oratore ad Vladislaum de induciis misso, Byzantium se recepit. Dum autem de induciis agitatur, Bassarum alter perfidia plus quàm barbara, Valachiam populatus, non paucis suorum desideratis, turpiter retrocedere coactus est: alter montanos Albanenses adortus, qui loci editissimi, & sua natura insuperabilis munitione freti, à Turcarum ditione defecerant, ipse cum validissimo equitatu concisus est: quamuis redintegrato postea exercitu, eius Turcæ loci potiti sint. Octo autem milia ad obsidendum Seuerinum missa, Kanisiano maturè subueniente subsidio, subitò recesserunt. Eodē tempore Casimiro patri, Poloniæ regi, in Lithuania mortuo, amplissimas exequias, magna procerum totius regni assistente ac funus decorante frequētia, rex ipse solicitudine, ac mœrore prope confectus, parauit. Antonius Bonfinius qui has scripsit historias, totius regij generis serie altius ad laudem familiæ repetita, eius vitam quàm ornatissima potuit oratione laudauit. Pòst autem cùm comitia regi in Casimiri locum creādo apud Polonos essent indicta, duos eò legatos, Ladislaum Cassinerum, & Ioannem Boemiæ cancellarium rex misit: qui suo nomine Polonici regni iura, quæ ad se, vt ad maiorem natu fratrem, meritò pertinerēt, Alberto fratri syncera fide remitterent. ad quod officium satis constabat, regem assiduis & patris quondā, & tum matris viuentis precibus, & inprimis singulari ipsius quōdam erga fratrem pietate, per se satis excitatū fuisse. Augusto verò, qui insequutus est, mense, Boemorum cohortes, quæ veteranorum & nigrorum appellabātur, cùm essent ad tutandos inferioris Hungariæ fines, & Turcarum incursiones reprimendas missę: Paulo Kinisio præfecto, ob intolerandam eorum libidinis auaritiæque licentiam, meritas pœnas dederunt. Cùm enim quàm fœdè, miserèque superioris iidem Hungarię partes omni latrociniorum, sacrilegiorum, & libidinum genere turpiter exercendo antè tractassent, ille in memoriam reuocaret: centuriones eorum primo ad se aduentu liberalissimè acceptos, munificentissimeque donatos, impensius est hortatus, vt ab iniuria, maleficioque se, suosq; prohiberent: ne fortè quæ in superiore Hungaria sceleris & intemperantiæ suæ exempla, cum maxima ignominiæ nota, prodidissent, eadem in inferiore quoq; relinquerent: quibus nihil vel ad famam ipsorum turpius, vel ad retinendos in fide populos alienius, vel certè à pietate Christiana remotius esse posset. Nam quod ad eorum commoda pertineret, se grauissima pœna edicturum, vt præter pabula, quæ gratuitò haberentur, reliqua ad victum necessaria certo, eoque etiam modico precio præberentur. Cuius orationem cùm cēturiones omnes ita approbassent, vt se, quoad possent, ne quid tale committeretur, posthac annisuros esse contenderent: Segidinum, amplum sanè, atque opulentum oppidum, in æstiua dimissi sunt. Vbi per aliquot dies morati, & quasi ad semet reuersi: adeò se intemperanter & auarè gerere cœperunt, vt nec fortunis, nec pudori, nec sæpe etiam vitæ prouincialium parcerent, quò insatiabilē & immensam cupiditatis & libidinis suæ sitim explerent. Fama est, matronam quandam honesto & bono genere natam, nudato corpore, sed pudendis manipulo herbæ contectis, fletus & lachrymarum plenam ad Paulum venisse: atq; ad pedes eius prouolutam, insignem in se Boemorum militum iniuriam exposuisse: per quos omnibus fortunis euersa, etiam propriis vestibus ad velandum corporis pudenda di-

Ant. Bonfinius. *Boemi.*

da dispoliata fuisset: ab eoque, vt omnium iniuriarum & contumeliarum æquissimo vindice, durissimæ fortunæ suæ auxilium implorasse. neque ita multo pòst pagi cuiusdam sacerdotem mœstum accessisse, de audacia petulantiaque cuiusdam militis acerrimè conquerentē: qui loculum argenteum, in quo Christi Domini nostri corpus esset inclusum, è templo abripuisset, & ipsum sanctissimum corpus in terram, nefario quodam, & inaudito scelere abiecisset. Paulus autem, qui militares eiusmodi mores semper damnasset, iustis primùm lachrymantis mulieris querelis auditis, vehementer animo est commotus, libenterque meritum de cohortium nefanda petulantia supplicium sumpsisset: ni eorum animos 10 parum idoneo tempore alienatum offensumq; iri dubitasset: cùm infestæ quotidie Turcarum excursiones in prouinciam timerentur, quibus se fideli veteranorum, & probata inprimis opera occursurum esse sperabat. Pòst autem cùm literas, quas assiduis perditorum agricolarū querelis fatigatus, ad eos super ea re miserat, manibus ab iis discerptas, & pedibus in sui contumeliā conculcatas audisset: eosq; eò demum intemperantiæ ac vecordiæ processisse, vt nullam neq; disciplinæ militaris, neque Christianæ pietatis, ipsiusq; adeò Christi curam aut rationem haberent: tacita quadam religione ad contemptum Christi nomē seuerius vindicandum accensus, haud vltrà tantam eorum sibi temeritatem, atq; intolerantiam perferendam putauit. Itaque protinus ab inferioris Hungariæ re- 20 gulis, & vicinis ciuitatibus, auxiliis occultè per certos nūcios euocatis, & agrestium turba alterius simulatione belli coacta, & ex omnibus pagis militibus accersitis, iustum aduersus eos exercitum ducit. Præmissæ expeditissimorum equitum turmæ, cùm fortè in septingentos Boemorum equites incidissent, cōmisso prælio, strenuè dimicarunt. par ab initio vtrinque pugnæ conditio fuit: tandem Boemi, qui ad explorandum potius, quàm pugnandum instructi venerant: retrò se ad suos referre coacti, eos, quo res versetur in periculo docent: &, vt se castris subitò communiant, admonent, si erumpentis in se Pauli sustinere impetum velint. Hoc illi audito, vt in re trepida potuerūt, protinus ad villā, quam Piscinam vocant, impigrè castra locant, eaque vallo, fossaque circumdant, scilicet, vt & a- 30 quæ copiam habeant, & saltem à piscinæ parte defensi sint. Præuenit eorum iter & consilium Paulus, neque longè ab eo loco castra & ipse ponit, & satis egregiè se pro tempore ad omnem belli rationem expediendam parat. Cùm autem hostium castris ita appropinquasset, vt eos eminus percutere se facilè posse confideret: frequentibus eos glandibus æneis incessere per tormenta minora emissis instituit, atque in campum aciemq; prodire cogit: cùm duas vexillationum, & expeditorum equitum alas in cornibus, in medio verò cataphractorum turmam collocasset. Boemi quadrato agmine castris egressi, tanto se in cataphractos impetu intulerunt, vt Pauli agmen longius summouerent. Qua ille re animaduersa, decurionib. statim & præfectis equitum signum dat, vt sensim se recipiant, & hostes effusius insequentes longius à castris abducant. Id erat hominis 40 consiliū, vt remotos à castris hostes facilius circumueniret, ac pro arbitratu concideret: quod non secus euenit, atque animo destinarat. Dum enim cedentibus Hungaris, Boemi vehemētius instarent, neq; se lōgius à castris præ insequendi studio progressos sentiunt: Paulus eos vtrinq; agrestiū multitudine, qui falcibus poplites equorū succidunt, quasi quadam indagine claudit: & alas equitum, qui à tergo instent, vrgeantq;, immittit: tum fugientes suos subsistere, rusticos equitesq;, quod imperauerat, exequi iubet. Ita cùm mandata ab omnibus diligenter atq; industriè fierent, Boemi vehementer laborare cœperunt, cū nec terga dare, nec per circumfusam falcatorum agrestiū turbam euadere, & à tergo & à lateri- 50 bus pressi, nec à frōte quidem, obiicientibus se validissimè Hungaris, erumpere possent. Quamobrem ad extrema redacti, multis desideratis, deditionem facere coacti sunt. Profligato exercitu, castra inde, quæ pro vallo carros obductos habuerant, nō sine aliqua cæde capta & direpta sunt. Quadringētos cecidisse (nam fuerunt qui septingentos dicerent) cōstans opinio fuit. Deditio his conditionibus facta est: vt Boemi se paulo posthac audientes dicto futuros, & in Hungaros

Nigrorum clades.

nihil in posterum molituros, neque præteritorum temporum posthac stipendia flagitaturos iurarent. Quo se illi iureiurando flentes obstrinxerunt. Pòst autem, cùm Paulus apoplexia repetè correptus, de vita pertimescens, eosdem nouo adigere iureiurando vellet, fore vt regi inprimis, deinde Bathoreo perpetuò obsequerentur: id vsque adeò recusarunt, vt ad regis opem confugientes, non modò posteriore sacramẽto non sint astricti, sed priore exoluti: optimus eorum quisque à rege, multi quoq; à Bathoreo & Palatino conscripti sint: reliqui, cùm se à pristinis quibus assueti erant maleficiis temperare nequirẽt, in fines Austriæ & Morauiæ secesserunt. qui quotidianis furtis & rapinis intolerabiles facti, ab Austriæ præside comprehẽsi, ac variis suppliciis affecti, propè omnes deleti sunt. Paucis pòst diebus, cùm palãtes Turcæ in fines Hungariæ introrupissent, & multos captos, ac barbara crudelitate excruciatos, ad Gemonias Constantinopolitanas necassent, meritis pœnis affecti sunt. Paulus enim fera illorum immanitate accensus, positis aduersus eos insidiis, cùm facilè imprudentes, nec opinantesque multos in potestatem redegisset, ac Themesuarum transtulisset: inauditis antè apud Christianos generibus tormentorum affectos interemit: cùm alios pistrini in aqua se versantibus rotis alligasset, alios igni sensim admotos lento incendio confecisset, non paucos cute vt belluas exuisset, nonnullos etiam in hara reuinctis post terga manibus, esurientibus suibus obiecisset; nimirum vt pari suppliciorum metu intra fines suos barbarum hostem deterritũ contineret. Insequenti anno, qui fuit supra millesimum, & quadringentesimum, nonagesimus tertius, Matthias Gerebus, Matthiæ quondam regis consobrinus, ea belli scientia & vsu prçditus, vt vulgò Matthiæ alumnus diceretur: itemque Stephanus Bathoreus, vir summæ in bello paceque auctoritatis atque prudentiæ, magno cum omnium dolore diem suum obierunt. In Bathorei locum, qui se sponte paulo antè Transsyluaniæ præfectura abdicarat, Vladislaus Lassontius, & Bartholomæus Dragfii, à rege suffecti sunt. Ioannes Chanadiensis episcopus, desperata regni quiete, & contempta humanæ vitæ conditione, sacerdotum D. Pauli primi eremitæ professione disciplinæ se obligauit. Circiter Kal. Feb. Alibechũ, Baiazetæ imperatoris Sinderouiæ præfectum, cum valido exercitu in Transsyluaniæ fines ingressum, & cum ingenti prçda per quinque dies coacta redeũtem, Syculorum tumultuaria manus, adempta præda exuit, & plerosque Turcas occidit. Kal. autem Augustis Friderico Imp. Cæsare mortuo, Maximilianus filius, quem pater viuens regem Romanorum declarandum curauerat, imperium excepit. Per quos eosdem dies insignem, atque adeò memorabilem in Croatia cladem nostri à Turcis acceperũt. Croatiæ, Dalmatiæque reguli iam pridem Coruini ducis imperium detrectantes, & se regi duntaxat obsequuturos affirmantes: nouarum rerum cupidi, partim finitimis vim inferre, partim oppida maiorũ ignauia amissa, armis recuperare, vel ipso duce inuito, instituerant: initio à Ioanne Frangepano, qui principatum quõdam in prouincia obtinuerat, introducto. Quibus Coruinus conflictatus incommodis, prouinciæ imperium regi renunciarat, Iaiczæ maximè periculo conturbatus: quam se aduersus quotidianũ imminentium Turcarum impetum posse defendere desperauerat. Ita prouincia Emerico Drenceno, summæ industriæ, singularisque consilij viro à rege commissa, bellum vehementer vtrinque geri erat cœptum. Cùm autem Emericus Berardinum in lapidea maritima regione castellis quatuor occupatis, adiuncto fratre, ad obsidionem Segniæ profectum, magna vi ad sua inde se oppida recipere coegisset: vniuersam inde in Frangepanum belli molem, apparatumq; conuerterat, qui Breuiam, vt auitam possessionẽ, per dolum occupatam, se repetenti regi redditurum esse negarat: motisque aduersus eum castris, Breuiam obsidione premere, rebus in eum annum cum proximo Turcarum præfecto compositis, instituerat. Dum autem arcem, quæ natura magis, quàm arte munita oppido imminebat, diligentius ipse cum collega suo Bothlano oppugnat: factum est, vt Bothlanus pila ænei tormenti pèrcussus, miserè occubuerit, cuius morte ipse, aliique omnes grauissimè perturbati, maioribus opibus animisque oppidum oppugnan-

1493.

Friderico III. Imp. mortuo Maximilianus F. succedit.

10 20 30 40 50

pugnan-

pugnandum aggressi, eò Frangepanum adduxerũt, vt postquam se resistere diu non posse vidit, cum proximo Turcarum Bassa secretò pepigerit, vt si ad auertendos à Breuiæ obsidione Hungaros, cùm delectis equitum turmis, Carniolæ & Carinthiæ fines populabundus inisset: ipse pro tanto beneficio in perpetuum Baiazetis ditioni imperioq; subiectus esset. Tum Bassa haud sibi, tanta spe obiecta, cessandum ratus, confestim cum octo milibus expeditissimorum equitum per Croatiam regnicolas Germanorum infestus incursat, & ad Iuliam & Petouiam vsq; prædas facit, ac Cilianum agrum continenti propè populatione deformat. Quibus incommodis occurrere cupiens Drencenus, Frangepanum sibi recõciliat: & soluta obsidione, magnum ex tota prouincia delectum habet: cùm ad eum non reguli solùm frequentes, sed etiam ex Illyrico plurimi conuenissent: & ex pagis magna contracta manus, quanquam inermis, & ad ferenda arma parum idonea, accessisset. Ita Bassæ cum ingenti præda citius quàm statuerat, metu copiarũ Maximiliani, quę imminere populantibus dicebãtur, redeunti, Hungari se Drenceno duce ad prouinciæ fines obiiciunt, atque à fronte exitum intercludunt. nam à tergo Iacobus Zechel cum quingentis equitibus, magnis auxiliis succedentibus Germanorum, instabat. Quæ vbi Bassa in Modrusiensium progressus agrum, cognouit, per nuncios Drencenum inprimis admonet, vt pactis stare velit. neq; enim se Hungariæ prouinciæ detrimẽti aliquid attulisse: neque si quo ipse alienum agrum incommodo affecerit, eius ad illum vindictã iniuriæ pertinere: quam si, quemadmodum ostẽdit, armis persequi pergat, se deos violatæ fidei acerbos semper vindices inuocantem, ac sibi affuturos sperantem, alacriter quamcunq; pugnæ aleam subiturum. Non desunt, qui addant, Bassam à Drenceno etiam incolumem inde exitum precio redimere volẽtem, æqui nihil ab eo impetrare potuisse: cùm diceret, se à Rege mandatum habere, vt Christianos captiuos, quacunq; ratione posset, è seruitute eriperet. Itaque si captiuos ille dimitteret, nullo ei se impedimento futurũ: sin minus, se regis iussa exequentem, prælio pro illorum libertate decertaturum. His Bassa conditionibus superbè repudiatis, haud sibi diutius in syluis, per quas iter faciebat, morãdum existimauit: simulq; veritus, ne dum cunctantius ageret, adauctis magis Christianorum copiis, à fronte & à tergo interclusus, fœdissimè cæderetur: succisis arboribus iter per syluam aperit. Egressuris iam ex sylua Turcis, & se in apertum campum cum vniuersis copiis effusuris: variis inter nostros duces de re gerẽda disputari sententiis cœptũ est. Drencenus, qui eos, quoad se campo cõmitterent, inuadẽdi causa extra saltum expectauerat: cùm se ab iis equitũ numero & robore superari videret, prorsus iam à conserendo prælio abhorrebat: esse enim nouẽ Turcarum milia, omnes belli militiæq; peritos, & longo tempore laboribus militaribus induratos compererat. sibi verò vix septem milium summã adesse conscius erat, ex quibus quingenti tãtùm equites: reliqui aut collecticij milites, aut euocati, aut rustici essent, qui rarò gladio, nulla lorica, galeaq;, sed pedali tantùm scipione ferro præfixo, ligneaque claua, aut rudi arcu armati, operam haud pręclarã, vt aduersus tantum hostem, nauaturi essent: quos ipsos expeditissimo Turcarum equitatui obiicere, loco præsertim sibi ad pugnam iniquissimo, inconsulti ducis esse, aut parum de suorum salute cogitantis, arbitrabatur. Ab hoc diuersam Berardinus Frangepanus sequutus sententiam, pugnãdum omnino, atque audaci conatu tãtam prædam, & tam multos Christianos de manibus hostium extorquẽdos dicebat: atq; eius officij curam maximè ad Drencenum Croatiæ præsidem pertinere contendebat. quod si ille lenius atq; remissius ageret, se suo consilio vsurum, & in quẽcunq; fortunæ casum hostes metu (vt satis apparebat) exanimatos, aggressurum, & Christianos captiuos, vel sui capitis periculo è barbarorum fœdissima seruitute pugnando exempturum. quo in prælio si quid fortè acceptum detrimenti fuisset, eius omnem culpam penes ipsum, qui pugnam detrectasset, futuram: deque ea re & regem, & patres, se maximè (si inde viuus euaderet) accusante, in iudicio cogni turos. Quibus rebus victus Drencenus, tandem respondit, se, quod salutare in præsens cõsilium duceret, idipsum

in medium attulisse: verùm quando illi omnino certum, fixumque pugnæ consilium sit: se eundem, ne ignauia certamen refugere videatur, & caput suum, & filij vnici, & fratris amantissimi, quos secum habeat, in apertissimum periculum pro salute & libertate Christiani nominis adducturū. vnum illud à Deo omnibus precibus petere, vt cœpta sua, præcipiti potius audacia, quàm maturo subnixa consilio, secundaret. Dum hæc inter nostros consilia agitantur, iam Turcæ ex syluis egressi, explicatis in campo ordinibus ad prælium se instruxerant. Contra quos nostri confestim, quadratis tribus agminibus ductis, & immissa prima acie, fortiter manum conserunt. Cùm vtrinque cōstanter, & non timidè pugnaretur: Bassa suos iam inclinatos animaduertens, ex geminato subsidio submisit agmen: hinc Berardini aciem Drancenus opponit, ipse subsidium sibi deposcit, & ab vtroque latere peditatum disponit. Vrgētium hostium impetum cùm Berardinus sustinere non posset, fuga salutem petere contendit, ac suos in prima acie laborare pugnando defatigatos deserit, suaque fuga secum perturbatos ordines trahit. Fugientibus instant Turcæ, profligatisque primis in laborantem aciem irruunt, atq; inclinatas turmas nullo negotio pellunt. Qua re cognita Drācenus, ab vltimo agmine clamitans, fugientes retinere, & in hostem conuertere nititur: & Berardinum prælij huius auctorem, & mortis periculum gloriosè & iactanter verbis paulo antè contemnentem, identidem increpat, & incusat: qui pristini decoris & antiquæ laudis oblitus, effusissimè fugiebat. In summa verò rerum omniū iniquitate, ac propè desperatione, melius esse pulchrè mori, quàm incruentam hosti victoriam relinquere arbitratus: extremum agmen in hostes promouet: & in confertissimam inuectus aciem, multos interficit, à multis ipse petitur: donec suffosso, quo vehebatur, equo, pedes manum conserere cogitur. quod cùm strenuè aliquāto temporis spacio, multis circum se vulneratis ac stratis fecisset: tādem gladij capulo fracto, ab hoste circumuenitur. cui cùm filius vnà cum fratre, paucisque aliquot militibus, subuenire periclitanti properaret, ipse vnà cum sociis obtruncatur. Drancenus viuus ab hostibus comprehenditur. Ita fugato demum ac profligato exercitu, Ioanes Frangepanus vir strenuus, & ingenio corporeque præstāti cæsus, & ex eadem familia Nicolaus captus, & Carolus dux equitatu magna ex parte exutus est. alij turmatim strati, fugatique, quocunque se conferebant, ibi cum insequente hoste certamen instaurare coacti, pari fortunæ euentu aut necati, aut in seruitutē omnes abstracti sunt. Ex nostris quinque milia, & septuaginta septem: ex hostib. mille circiter cecidere. Hungaris omnibus nasi amputati, vt in certum victoriæ argumentum, ex nasorum numero non dubius cæsorum hominum numerus colligeretur. Clades v. Id. Septembris accepta. Captiuorum inde turba in vnum coacta, nobiles multi notati: inter cæteros autem dux ipse Drancenus, vinctis post tergum manibus, in Bassæ conspectum adductus, omnium in se ora oculosq; conuertit. Qui cùm inter cœnandum filij, fratrisque capita, sibi iussu Bassæ in mensam apposita cognouisset, altissimo dolore perculsus: Cur non me potius, inquit, vita spoliasti, quàm hoc diro fœdoque spectaculo affecisti? Cui ille: Iure, inquit, hæc pateris Emerice, qui prior fidem fefelleris, ac tot strenuos milites, fortissimosque duces in discrimen adduxeris. quid enim in prouinciam ego tuam incommodi importaram, cur tu tam infesto armorum conatu meum reditū impedires? Quamobrem noli sperare, te ęrumnis his morte finem impositurum. ego enim ad tuas augendas cumulādasque miserias dabo operam, vt tua in longinquum vita mea maxima diligentia protrahatur. Itaque cùm paulo pòst cum cæteris captiuis Constantinopolim, subligatis equo pedibus, & custode adhibito veheretur, idemque prouocandi in suum exitium ferocis & iracundi hostis gratia, custodem extracto è proximi militis latere gladio, necauisset: cum tamen Bassa interimi vetuit, quòd diceret, diuturnam ei vitam quacunque morte duriorem atq; acerbiorem futuram. Pòst autem ad Baiazetem adductus, cùm pristinam in vultu suo ferociam retineret, iussu eius in satis mitem carcerem est coniectus. deinde cum duobus familiaribus in paruam insulam relegatus, ibi tribus pòst mensi-

Conflictus miserabilis.

10

20

30

40

50

mensibus ex pestilentia aeris, vel (vt fama quoque fuit) veneno extinctus est. Socij partim in Gemonias conditi, partim centurionibus & præfectis benè meritis distributi. Rex tanta audita clade, æquè & ducis & exercitus fortissimi tristem casum ac miserum deplorauit: & iustitio indicto, de vlciscendo tanto incommodo cogitare instituit. In Croatia plena omnia luctus & lamentationum fuerunt, cùm alij patrem, alij filium, alij fratrem, alij alium lugerent, vt sibi quisque sanguine & amore coniunctus erat. & cùm nemo extaret, qui aut populantibus hostibus resisteret, aut aliis publicis necessitatibus consuleret: magna iam rerum omniū inopia afflictabantur: quæ mala vt quoquo modo possent, curarent, sese in prouinciā, quæ inter Sauum & Drauum sita est, retulerunt, atque ita vim & impetū incursantium hostium euitarunt. Alexander pont. max. in cuius manu Baiazetis frater erat, Hungarica accepta clade permotus, Baiazetem, vt Drenceni vitæ parceret, obsecrauit. Eodem anno legati Venetorum, cùm ad regem venissent, ab eo liberalissimè atq; honorificētissimè habiti sunt. Hi prosperos fortunæ accessus humanissimè gratulati, cùm vires ac facultates Reipub. suæ omnes pro rege, regniq; salute detulissent: regia iura in parte Dalmatiæ, quam ipsi antè armis occupatam possidebant, cumulatè sibi remitti postulant. quā rem etsi non impetrarunt, renouato tamen antiquo fœdere, amici discessere. atq; inde Poloniam transgressi, ac regi Alberto nouam dignitatis accessionem, vetere ciuitatis exemplo, gratulati, antiquam cum Poloniæ regibus societatem instaurarunt. Post hos Epidauriorum legati accessere, qui pro vetusto societatis & clientelæ iure debitum Hungaris, vt patronis legitimis, obsequij officium præstiterunt: & aurea, argenteaq; magni precij pocula dono, cum annuis tributis attulerunt. nec minore animi propensione à rege accepti, sed magnificis contrà donis exculti, & equestri præterea dignitate ornati, pristina societate redintegrata, dimissi sunt. Eadem hyeme in concilio à nobilitate corona regia repetita est, quā ad eam diem Stephanus Syrmiensis episcopus, & Andreas Bathoreus asseruarant. Videbatur quippe multis indignum, perpetuam eos sibi tantæ rei custodiā asciuisse, magistratusque perpetuos parum libertati publicæ vtiles aut commodos esse, propter tyrannidis suspicionem, dicebant. Eodem in cōcilio rex omnium propè pontificum, & ex proceribus inprimis Stephani Palatini paulo antè creati, & Laurentij ducis, qui se cum Palatino fraterno propè fœdere, affinitateque coniunxerat, multorumq; aliorum nobilium grauibus vocibus & acerbioribus querelis exagitatus, atque concerptus est: quòd belli iam pridem, reique militaris memoriam, & curam omnem deposuisset, & in Budensi arce ociosus & iners se contineret: neque ad bellum vllum vel regni, vel dignitatis suæ tuendæ causa procederet. nimirum aut ipsum in aciem esse cogendum, aut si id facere non posset, summam belli administrandam esse alteri permittendam. Hos autem sermones multi ob eam rem à principibus illatos interpretabātur, vt regem ab insita animi magnitudine deturbatum, ac simultatum significatione perterritum, libidini magis suæ obstrictum haberent, ac propè sibi seruire cogerent. Itaque non deerant, qui regis causam tuentes, dicebant, culpam esse non in regis ignauiam, sed in Hungarorum auaritiam & petulantiam transferendam: regem per biennium sæuos hostium impetus fortiter excepisse: seq; ex iis, quantum per iniquitatem temporum licuit, summo consilio explicuisse: quid in tantis eum ærarij difficultatibus, reique nummariæ angustiis proficere posse, cùm nec tributa, nec vectigalia imposita persoluerentur, sed in priuatum vsum verterentur: nec legitimus copiarum numerus in bellum suppeditaretur, sed contra omnia vetustatis exempla, semiplena omnia præberentur? Neque verò obscurum esse, quorsum hæc vniuersa pertineant: scilicet vt regia Maiestate depressa, multi regiam potestatem inuadant, & suam quisque imperij partem ad priuatas rationes, commodaq; traducat. Proinde regis auctoritatem contemnere, & eius imperiū ludificare desineret, ne, dum vnum regem ritè creatum, atq; calumniatum opprimere, aut imminuere priuatis incitati simultatibus, aut propriis adducti cōmodis velint, impotentes tyrannos multos inducerent, libidinē inprimis,

Epidaurij.

& auaritiam, quæ omni bene constitutæ reipub. nocuissent. Sic enim fore, vt odiis alendis, fouendisque discordiis, & animis inter se prouincialium distrahendis, & ab ipso capite auertendis, breui regnum vel intestino seditionum morbo corruptum, vel externis hostium armis labefactatū, rueret prorsus, & interiret. Hac autem disputatione rex, cùm ad eum delata esset, grauissimo animo perturbatus, subitò senatum habuit: ibiq; acerbis inimicorum conuiciis in hunc modum respondit: se per annum tantùm, & quidem inuitum, domi ocium agitasse: quia pacato regno, & veteribus hostibus sibi recōciliatis, nulla res alia gerenda, quàm Turcica, superesset: quam ipsam se, deficiente re pecuniaria (qua vna bellorum rationes expediuntur, & sustinentur) attingere ausum non esse. Ex Hungaria enim vix se ad eam diē quadraginta milia nummûm aureûm percepisse: Boemicis autē vectigalibus non modò regiam, sed magna ex parte regnum sustinuisse. Quare si copiæ, stipendiaque debita expediantur, nullum se vel fortunarum vel capitis periculum pro Reipub. salute & dignitate recusaturum. Eò nimirum prudentis regis sententia & ratio pertinebat, vt omnibus (si ita opus esset) contumeliis perferendis, importuna antè Hungarorum ingenia, & distracta voluntatum studia nosset, quàm vllum eorum libidini, ac petulantię remedium adhiberet. cui malo vt maturius, & consideratius subueniret, cum Alberto rege, reliquisque fratribus communicare consilium constituit, diemq; per clandestinos nuncios ad colloquium certò condixit. Interea in concilio Budæ multa decreta facit, ac multa multis petentibus indulget. Coronam verò ex arce Vicegradensi à custodibus repetitam, Stephano Palatino, Thomæq; Agriensi pontifici, interposito iureiurando, asseruādam committit: idq; cùm summæ illorum auctoritati, tum exploratæ vtriusq; erga remp. fidei tribuit. Per eosdem dies legati à Maximiliano de rebus magnis, sed secretis, ad regem venerunt. Quibus celeriter expeditis, statim Agriēsis episcopus, princeps Senatus, & Nicolaus Banffij, vir grauissimus, ad Maximilianum Viennam missi sunt: partim vt priuati officij causa Augustalibus Friderici mortui exequiis interessent, partim vt regia mandata secretiora peragerent. Neque ita multo pòst, eadē hyeme, illustres Maximiliani & Blancæ Mediolanensis nuptiæ celebratæ sunt. Vix dum dimissum cōcilium erat, cùm Stephanus Palatinus, qui ius loco prætoris vniuerso regno dicebat, & iudiciis omnibus præerat, corona regia cum Agriensi collega potitus, præter omnium opinionem, & cōtra suam dignitatem, animum rebus nouis intendit. Inter Palatini oppida, Coruini ducis castellum erat, quod Sombor appellabant, in excelso admodū colle situm, non tam arte quàm natura ipsa munitum: cuius potiundi mira Palatinus iam pridē cupiditate flagrabat, vel vectigalium & portoriorū magnitudine, & pagorum suorum præsidio adductus: vel certè, ne oborto aliquando bello, magnis inde afficeretur incōmodis, metu maximè perturbatus. Itaque cùm castellum aut vi, aut fraude occupare cōstituisset, primùm cum præfecto eius, homine, vt res ipsa docuit, leuissimo agit, magnaq; cum pecunia & ingentibus promissis onerat: si sibi castellum, quacunq; ratione possit, tradat. Quibus ille præmiis excitatus, cùm successorem sibi propediē venturum cognouisset, consilium capit: arcem sine munitione, commeatu, armisq; relinquere, vt se inde profecto, oppidani rerum ad defensionis vsum idonearum difficultate atq; inopia pressi, cōtinuò sese imperio Palatini dedere cogerentur. Itaque tormenta ęnea alia humi infodit, alia ferreis clauis configit: puteos pecorum ingestis cadaueribus inficit, resq; omnes quæ ad victū opus sint, diligenter aut dissipat, aut corrumpit. Quibus rebus effectis, ac Palatino, quo res loco esset, & quid opus facto esset, edocto, traditoq; successori castello: Palatinus repentè, vt conuenerat, iusto cum exercitu se ostendit, atq; castellum acriter obsidere instituit. Durissima verò hyeme obseruata, qua Coruinus absens in Illyrico subsidio suis maturè venire non poterat: turres ex materia & terra egesta circūagit: & ne quid efferri inferrive possit, vallo fossaq; perpetua castellum obducit. vicinis verò, nisi pro hostibus haberi velint, ne quod obsessis auxilium ferāt, apertè denunciat. Qua re cognita, rex mirabūdus Palatinū quàm primùm ab obsessione castelli

Decreta multa.

ne castelli recedere iubet: eumque, vt, si quid fortasse cum Coruino controuersiæ habeat, de ea iudicio potius, quàm armis experiri velit, hortatur. neq; enim decere, cum qui ius aliis dicat, vim aut iniuriam cuiquam inferre, aut vllum hominibus maledicendi sibi locum, facultatemq; relinquere. Palatinus autē cùm regiæ se obsequuturum auctoritati dixisset, haudquaquā tamen à cœpto opere destitit: sed in suscepto obsessionis consilio, omni regis imperio spreto, perseuerauit. Quæ res mirabiliter regis, patrumq; animos perculit, veritos, ne Palatini exemplo, optimatū haudquaquam reip. vtilis audacia ad similia edēda facinora incitaretur: quæ plus iusto indies iam præualente licentia, inferendis iniuriis
10 adaugebatur. Itaq; cùm obsessos iam acrius premi, atq; omnium rerum difficultate conflictari rex audiret, Palatinum iterum, vt famæ suæ, & honori, multis rebus præclarè antè gestis, parto consuleret, admonuit: eumq;, vt ab eiusmodi armis recederet, obsecrauit. Ad quæ ille non antè responsum reddidit, quam cum oppidanis de oppidi deditione trāsegit. Itaq; legatis regiis cum superbo & contumaci responso dimissis, ac protinus castello in deditionem accepto, iustū regis atq; omnium bonorū in se odium, atq; inuidiam concitauit. Eodē tempore Luca Chanadiensi episcopo, quòd Quæstoris (quem Thesaurarium vocant) munus parum integra fide per biennium obiisset, magistratu abire iusso, Sigismundus Quinqueccclesiensis antistes, regis & senatus precibus impulsus, vir ea tem-
20 pestate diuitiis clarissimus, munus illud reipub. causa suscepit. Ladislaus autem Gerebus Matthiæ regis consobrinus, pontifex Transsyluanus, rege cum senatu, ac vniuerso procerum comitatu, conuiuio inprimis splendido excepto, atque argenteo poculo insanæ magnitudinis, & equis pernicibus, ac delubris, nonnullisque aliis muneribus, quæ nummorum aureūm quatuor milibus cēsebantur, rege donato: non tam noua muneris magnitudine, quàm grato officij genere mirificè omnium sibi studia voluntatesque deuinxit. Hippolytus autem Estensis, metropolita Strigoniēsis, & Fridericus Casimiri regis filius, & regis Vladislai frater, vir non generis solùm splendore, sed morum etiam sanctitate memorandus, in numerum cardinalium ab Alexandro VI. pont. max. summa o-
30 mnium gratulatione relati sunt. Ferdinandoque Neapolitano rege vita functo, Alfonsus filius eius natu maximus omnium, regnum excepit. Sequitur inde annus nobili inter omnes fermè Christianos principes fœdere percusso insignis, quo Carolus VIII. rex Gallorum cum Maximiliano in gratiā rediit: & cum Hispaniæ rege Ferdinando, reddito Perpenniano, finitimaque Roncilioni prouincia, pacem iniuit: qua eadem se Britanniæ insulæ rex, cæterique Occidētis principes obstrinxere: bello verò omnium maximo pòst in Italia repentè excitato clarissimus, quod Galli aduersus Alphonsum Neapolitanum regem intulerunt, magna in Oceano, Ligusticoque mari classe constructa, & numerosis equitum peditumque copiis contractis, & Mediolani, Ferrariæque regulis in societatem
40 adscitis, & Carolo ipso rege adolescente in eam spem excitato, fore vt auito recuperato regno, Turcarum Imperatorē, cuius infestis sæpe armis & excursionibus Italia, finitimæq; prouinciæ diuexatæ fuissent, bello persequutus, suis ipsum finibus continere compelleret. Iam Nitriensis antistes, quem rex ad Ferdinandum Neapolitanum regem, Alexandrumque pontificem, legatum de Beatricis nuptiis miserat, (conuento vtroque, & regis nomine exposito, regem sororis amantissimæ loco Beatricem habiturum, eamq; oppidis bonisque suis frui ab omni intacta iniuria concessurum: at contra leges Boemorum, & volūtates Hungarorum, nequaquam eam in matrimonio habiturum) ex legatione reuerterat. Eius rei causa nonis Martiis Vrsus Vrsinus legatus à pontifice ad regem mis-
50 sus est, vt postquam propositis solennibus peccatorum expiationibus Christianos ad arma aduersus Turcas capienda concitasset, regias etiam cum Beatrice nuptias pro virili parte conciliaret. Qui rem aggressus, ex omni parte difficilem, vbi reluctantem regis animum, procerumq; auersas ab ea re voluntates, & veram mulieris, quę iactabatur, sterilitatem perspexit: non vltrà sibi conandum, sed regem admonitionibus potius quàm nuptiis flectendum ratus (sic enim à

Vrsini mors pontifice mandatum habebat) inde recessit: & in itinere moriēs, apud Villacum in Noricis sepelitur. Eadem hyeme, supremo, frequentiq; conuentu, quas octauas appellant, rege & cuncto senatu pro tribunali sedente, & cõtrouersias cognoscente, multa ab adolescente Coruino oppida, quib. à patre donatus fuerat, antiqui possessores, non sine magno multorum dolore, ac propè misericordia postularunt. Vere autem appetēte, finitimæ Turcarum regiones magno à nostris incommodo, Pauli maximè Kinisij consilio, atq; industria conflictatæ sunt. is enim in eam cogitationem dies noctesq; intentus, vt superiorem à Turcis cladem vltus, afflictosq; nimium, ac debilitatos nostrorum animos excitaret, & tristem præteritorum damnorum memoriam recentis alicuius insignis victoriæ gloria prorsus obrueret, in fines Turcarum, abeūte iam hyeme cum decem milibus equitum, rege turmas submittente, populabundus inuasit: ductoque præter Danubii ripam exercitu, infra Sinderouiam per astrictum adhuc præ alta glacie flumen, tria milia expeditorum equitum ad vastādam Mysiam ire iussit: ipse in riparum commoditate reliquo exercitu subsistens, quòd sæuitia frigoris vere iam imminēte languesceret, currusq; onerati haud satis tutò iam trahi per glaciem fluminis possent, castris locum muniuit: equites autem per prouinciam effusi, subitò sese ad duo proxima Alibechi præfecti castella, vbi ingentes Turcarum prædas asseruari audierant, contulerunt: quodq; opulētius erat, & in quo Alibechi filij, vxorq; cum concubinis esse dicebantur: id prius adorti, adeò hostem latuerunt, vt prius fossam vallumque superarint, quàm oppidani spacium ad arma aduersus subeuntem Hungarum capienda nancisci potuerunt. Dum autem trepidatione intus exorta, præsidium per mœnia diffusum, succedentes iam vndique nostros summa ope è muro deuoluere, præcipitesque turbare conatur: quidam Croatus, eximiæ fortitudinis virtutisque per omnia secula memorabilis vir, murum aduersus infesto omnium conatu ascendit: & quanquam vigintiquinque vulneribus affectus, præsidium de munitionibus deiicit: & succedentibus impigrè sociis, muri partem defensoribus vacuam tradit. Quo tumultu omnibus in oppido perturbatis, Alibechi filij sibi, rebusque suis diffisi, per posteriorem oppidi partē elapsi, in propinquum castellum alterum se recipiunt. Ita nostri præsidiariis omnibus trucidatis, castellum auidè occupant: ac spoliorum prædarumque promptuaria, quæ dicebantur, diripiunt: oppidanos Christianæ ritum pietatis, quanquam Græca superstitione colentes, mitius, humaniusque tractant. Castelloque illo accenso, ad alterum, vix refectis corporibus, & coacta præda, incitato cursu contendunt, atque eius paucorum in iactura equitum, haud ægrè potiti comburunt. Quibus rebus cognitis, Paulus duo milia equitum auxilio summisit, vt victores latius vagarentur, & longius prædando vastandoque progrederentur. Itaque finitimis omnibus duorum incendio castellorum, etiam proprio imminente periculo exanimatis, facilè ad quinquaginta milia passuum prohibente venire, incendio, rapinisque omnia miscuerunt. Præda ingens coacta: Roxianæ terræ incolæ omnes cum coniugibus & liberis & armentis abducti, pecuniarum, quas quotidianis diuturnæ militiæ stipendiis coaceruarant, vis ingens egesta, argentea aureaq; vasa permulta, vestes Persicæ, gemmati calices, preciosa supellex asportata: inter quæ Ladislai regis candelabra ex argento fabrefacta, quæ succenso Varadino, regnāte Matthia, Alibechus per incursionem abstulerat: quod ad memoriam posteritatis insigne fuit, eodem, quo ablata fuerant die recuperata, omnes cis Danubium incolumes Pauli in castra se retulerunt. Postero autem die Alibechus ad horum detrimentorum nunciū perculsus, cum octo milium exercitu in Danubij vlteriore ripa, diligenter nostrorū insistens vestigiis, se ostendit: sed flumē ipsum vapore solis iam resoluta glacie, traiicere nequiuit. Itaq; magna tum prædæ recuperandæ, tum vlciscendi, quod optabat, hostis spe repentè depulsus, in eum dolorem furoremq; prouectus est: vt inspectantib. omnibus barbam sępe dilacerarit, & manus momorderit, & dentib. infrendens, deos deasq; omnes superba quadam omniū numinum despicientia, execratus sit. Quę cùm nostri ex altera ripa iam

Alibechi infamia.

10 20 30 40 50

iam in tuto collocati conspicerent, incredibili ex prospero arridentis aliquando fortunæ successu lætitia, acrioribus in barbaros vocibus insultabant: & se grauiora multò, ni quiescerent, illaturos eis detrimenta significabant. Inde reducto Themesuarum exercitu, Paulus opimæ militibus prædæ partē diuisit: partem aliis, quorum beneficio parta erat, qua erat pietate præditus, consecrauit. His rebus Budam nunciatis, rex lætus, supplicationibus indictis, primùm gratias diis agendas putauit, deinde Croatum, qui insigne in muris fortitudinis exemplum ediderat, murali corona, ducētisq; aureis nummis, purpureaq; veste donauit: & vt regnum ad perpetuam pacem tranquillitatemq; redigeret, & superioris ignominiæ labe deleta, maiorum gloriæ gestarum rerum magnitudine responderet,
10 maiores inde res animo agitare, ac spe bona tacitus concipere instituit. Paulus autem, cùm præsidiarios milites de Alba Græca Turcis prodenda, consilia habuisse audisset: manibus continuò eius principibus coniurationis iniectis, nefarium per cruciatū scelus confessos acerbissimo, atq; haud scio an aliàs vnquam audito supplicij genere omnes affecit. quippe in carcerem fœdissimum cōditos, singulis diebus eorū singulos, hœdorum in modum veru præfixos, & ad ignem diligenter assatos, sociis vescendos apposuit: idētidem, ad indignum cruciatum asperitate conuicij cumulandum, vt proditorum caro ad palatum responderet, interrogans. nouissimum autem eorum, nemine omnium extante, cui ipse cibus
20 apponeretur, lenta inedia, cibiq; necessarij subtractione confecit. Exinde VI. Id. Mart. rex consilio regulis omnibus, & fratribus colloquio Leuchouiam indicto, cum episcopis & proceribus Cassouiam versus proficiscitur: Budæ, Sigismundo Quinqueecclesiensi, & Stephano Syrmiensi episcopis, cum Blasio arcis præfecto, relictis, vt se absente ciuitatem regni caput administrarent. Stephanus, qui pro lege ius dicebat, præturamq; iustè ac sanctè gerebat, paucis pòst diebus IX. Aprilis exitiali morbo oppressus interiit, cùm omnes fortunas suas pauperib. Christianis, ecclesiisque legasset: vsq; adeò, vt vix sibi, quantum ad funus parandum, familiamque dimittendam satis esset, reliquisset. In eius locum regis auctoritate, & senatusconsulto, paucis pòst diebus Dominicus præpositus Albēsis est sub-
30 rogatus: vir integritate vitæ, singulari iusticia, & magno rerum gerendarum vsu insignis: atq; is Budæ iurisdictioni, vnà cum Blasio, per regis absentiam præfuit. Absente autem rege, grauiora & memoratu digna aliquot incommoda accidere. Nam Laurentium, cognomento Magnum, virum pugnacem ac fortem, ob controuersiam inter ipsum, & socerum suum natam, in villa eius, quæ in Pestano agro sita erat, soceri frater, ope familiarium adeò immaniter & miserè obtruncauit: vt vxor eius tenella, se è tumultu proripiens, cum interiore tantùm tunica Budam, timore exanimata, confugeret: bona eius seuerissimè in publicum redacta, & fisco adiudicata sunt. Osualdus autem Zagrabiensis episcopus, qui post regis discessum in Illyricū se receperat, castella episcopatus à Coruino du-
40 ce occupata (quippe quæ à Germanis paulo antè receperat) bello recuperare contendit: nimirum opportuna Coruini, qui apud Kinisium erat, absentia inuitatus. Quare Rochonico obsesso & capto, arma inde ad alia oppida, militibus, quos è Germania euocarat, crudelissimè se gerentibus, transtulit. Coruinus tantæ rei nuncio consternatus, nulla interposita mora, omnes ferè inferioris Hungariæ copias permittente Kinisio cogit: & Laurentio duce, Priore Auranæ, & Kishorwatho, & aliis nonnullis ad se cum equitatu suo traductis, in Zagrabiensem profectus agrum, omnia quęcunque ademta fuerant, interpositis conditionibus, recipit. Et Osualdi exercitu, qui trium milium numerum explebat, profligato, omnes episcopatus villas incendit: neque agris, neque incolis vllis, quan-
50 quam innocentibus, parcit. Ladislaus autem Canisai, qui prouinciæ cum imperio præerat, vt tanti belli incendium extingueret, quo multas regiones facilè cōflagraturas, nō inani ductus coniectura, prospiciebat: Coruino castellum ab Osualdo receptum, ipso non repugnante Osualdo, restituit: & iis inter se reconciliatis, qui prior à pactis & à fœdere recessisset, is vt Maiestatis reus esset, edicto sanxit.

RERVM VNGARICARVM DECADIS QVINTÆ LIBER IIII.

DVM rex Leuchouiam, quò proceribus, regulisque conuentum indixerat, & Albertum Poloniæ regem, fratresque alios inuitarat, ire pergit: per Agriensem agrum iter faciens, à pontifice Thoma honorifice, pro vtriusque dignitate, suscipitur. Inde Cassouiam cùm venisset, atque eòdem mox vniuersi principes accessissent, vno Laurentio duce excepto, qui superbè regis imperium inani quadam inflatus arrogantia, detrectauit: ibi fratres, quos satis maturè (quippe longa ac difficilia emensuros itinera) aduenire non posse prospiciebat, sibi expectandos putauit. Legatis autem Hippolyti Strigoniensis archiepiscopi, qui paulo antè Cardinalis designatus erat, petentibus, vt Hippolyto in Italiam ire, atq; pontificem maximum Apostolicumque senatum de more conuenire liceret: ad id muneris octo mensium spacium ægrè permisit. Inde audito, fratres iám finibus Hungariæ appropinquare, Leuchouiam per Eperyes, Cibinum, & Scepusium iter ingressus, apud Saros castellum, quod inter Cibinum, & Eperyes, in edito monte situm interiacet, magnifico inprimis apparatu, cum toto pontificum ac procerum comitatu à Palatino suscipitur: parique ab eodem liberalitate in Scepusiensi arce, quinque milibus passuum à Leuchouia distante, tractatur. Vbi verò Leuchouiam venit, omni in eam curam animo incumbere cœpit, vt fratres & sororis virum ducem Brãdeburgensem, quos multos antè annos nõ viderat, quàm honorificentissimè posset acciperet: quam ad rem insignis quoque Palatini liberalitas, non leuissimo auxilio fuit, qui ad eos honores, quos regi per oppida sua iter capessenti habuerat, Leuchouiæ quoque nouos adiunxit: cùm regi ducentos vini cados, pontificibus & optimatibus centum dono misisset, ac piscium cuiusque generis summam copiam, ac boum, vitulorum, hordei & annonæ magnum omnibus numerum (eodem Boemos, quo Hungaros prosequutus amore, vel officio) ministrasset. ex quo cùm paulo pòst ad conuentum veniret, mirifico ab omnibus honore exceptus est. Regis inde iussu, Ioanne Ernesto curante hospitia Polonis, eximio apparatu instructa, vestes, lecti, abaci magni precij, & operis mirifici sunt expositi, culinæ in foro dispositæ, & singulis dispensatores singuli attributi, nullumque omnino à rege officium, quod ad cohonestandum illustrissimum Germanorum aduentum pertineret, est prætermissum. Palatinus, cùm Albertum propediem accessurum sentiret, acerbum ei us odium superiore Polonico bello in se conceptum, simulque offensum regis ab occupatis Coruini castellis animum extimescens, impetrato à rege commeatu, è conuentu recessit. Polonis longa propter intumescentes ex assiduis imbribus amnes in itinere tracta mora, desidentibus tandem fluuiis, tridui abesse itinere nunciatis: rex ad patres de illorum aduentu excipiendo retulit. Eam verò difficultatem res offerebat, vtrum Polonis hospitibus, cum validissimo atque ornatissimo equitatu venientibus, armatos, an inermes occurrere Hungaros æquum esset. Erant, qui armatis armatos obuiam ire oportere censerent, ne se temerè firmissimo Polonorum equitatui, acerrimo paulo antè hosti, obiicerent. libidinem enim dominandi, perpetuam omnium parentem scelerum, meritò debere semper esse suspectam: neque nimiam in rege cautionem ac diligentiam aliquando fuisse vituperatam: contrà aliqui ad clementiorem sententiam traducti, praui nihil atque atrocis à tam coniunctis inter se fratribus esse timendum: imò ne malignæ quidem suspicionis signum vllum eis afferendum censebant: hominibus exteris, qui tam longum, ac periculosum iter ingressi, ad se venirent, licere arma ferre: sibi verò, ex propriis penatibus honoris causa obuiam ad exiguum vix spacium exeuntibus, sine armis omnia comitatis, humanitatis, fideique officia diligenter esse præstanda. Atque hæc quidem sententia obtinuit, vt ornato quidem, sed tamen inermi cum agmine Polonis obuiam prodiretur. Itaq; condicto

condicto à rege die, episcopi ferè omnes, & Petrus Colociensis archiepiscopus, & regni proceres certatim, egregio omnes in speciem cultu instructi, affuerunt: ex pontificum autem ordine, Thomas Agriensis maximè conspicuus erat, quòd cum præstantissimo cataphractorum equitatu, & cum magno puerorum comitatu accesserat: quos vnionibus, gemmatisque torquibus, & palleis aureis mirabilem in modũ excultos, equis eximiè frenatis, ac phaleratis imposuerat. Itaque longo cum rege ordine aduentanti Alberto vrbe obuiam egressi, cùm lento gradu ad quintum vsque lapidem processissent: rex ex opposito monte descendentem conspicatus Albertum, proceribus ibi subsistere iussis, ipse cũ duo-
10 decim equitibus citatiore præ nimia lætitia gradu profectus est: & quoniam quadrato Polonis agmine præcedentibus, Albertũ cum fratribus in medio, ante nouissimum agmen, incedere vidit: ipse per transuersum tramitem properans, à latere se in eorum ex improuiso cõspectum dedit, ibi comiter salute vltrò citroque dicta, omnes ex equis subitò descendentes, mutuis se amplexibus implicantes, osculis aliquantisper hæserunt. Reges autem verba facere cupiẽtes, suaui quodam fletu ex nimia gratulatione, interioribus scilicet inusitato gaudio sensibus occupatis, impediente, magno interim plausu milites cum regibus animorum gratulatione certantes, has sæpe voces ingeminarunt: Faustæ Poloniæ domini feliciter, Vladislao & Alberto regibus feliciter, Sacrosancto Cardinali
20 Friderico, Alexandro, & Sigismundo feliciter: Hungaris, Poloniæ, Boemiæque feliciter: æterna pax, & concordia hæc tria regna tueatur, & societas inuiolata permaneat. Resipiscentibus inde aliquantulum ex cõcepta animi voluptate sensibus, ac sæpe redintegratis amplexibus, & initio colloquendi facto: reges equos ascenderũt, & ad eum locum, vbi Vladislaus Hungarorum principes subsidere iusserat, processerunt. Illis ex equis subitò, vt Albertum fratresque venerarentur, digredientibus, Vladislaus ad Albertum cõuersus, Ecce, inquit, fratres, nostri, vestrique Vngari. nec mora, Albertus fratresque de equis se deiicientes, manus venerãtibus Hungaris pontificibus, & proceribus porrigunt, & maxima omnes comitate excipiũt, inde in equos resilientes, duo reges, duoq; exercitus,
30 qui durissimo inter se paulo antè bello armati conflixerant, iunctis mixtisq; mirè concordes agminibus, togatus vnus, sagatus alter, gratulãtibus cunctis, omnibusque locis vocũm, tubarum, æneorumque tintinnabulorum sonitu ad publicam significandam lætitiam perstrepentibus: Leuchouiam peruenerunt. ibi Vladislaus, Alberto fratribusq; in hospitium, quod eis erat in foro paratũ, perductis, ipse in alterum è regione recessit, ac deinde sua cuique principi assignauit. Alberti fratrumque hospitia continuatis ædibus ita disposita fuerunt, vt perforatis parietibus facilè inter se cõuenire, & ignaris omnibus ad arbitrium colloqui possent. Conuentu inito, quinq; viri ab vtraque parte ad componendas discordias inter Hungaros, & Polonos, ex superiore bello natas, creati sunt. Huic rei
40 expediẽdę magna obiiciebatur difficultas, quòd absente Palatino, cuius vniuersa erat iurisdictio, nihil omnino decerni, aut transigi poterat, ille verò adesse sine diplomate fidei ab Alberto fratribusq; datæ nolebat. Albertus autem de diplomate rogatus, cùm respondisset: maiores suos nunquam, nisi verbo incolumitatem alteri præstitisse, neq; se ab eorum exemplo tradito velle discedere: tandem Vladislai & optimatum precibus exoratus, dixit: Quidquid ab Vladislao fratre vltrò Palatino de vitę incolumitate promissum esset, id se fratresq; suos, cum Polonis omnibus, fide integerrima seruaturos. Ita Palatinus primùm à rege, de præstita securitatis fide literis acceptis: & deinde ab Agriensi episcopo, homine sibi cõiunctissimo, & viro summa autoritate prædito, & tunc moderatore rerum
50 omnium, symbolo incolumitatis accepto, cum maximo grauis & leuis armaturæ equitatus comitatu, Leuchouiam, occursu omniũ principum Hungarorum exceptus, accessit, ac maximam commeatus omnis generis copiam post se aduexit. Quæ in foro longo ordine exposita, cùm omniũ aliquantulum ora aspectantium defixisset, subitò ad arbitrium regis hospitibus Polonis est distributa, & postero die ab Vladislao ad Albertũ deductus, mirificam eius erga se facilitatem,

incredibilemque humanitatem expertus est. Inde cognoscendis iudicandisque controuersiis opera dari cœpta, regibus alia ad Quinqueuirum iudicium reiicientibus, alia suo arbitrio reseruantibus. Quinqueuiris autem sæpe sententiarum inter se contentione certantibus, placitum est, vt res omnes ad regum, cardinalis Agriensis episcopi, Palatinique iudicium deferrētur. Reges interea sæpe horas quinque integras soli, remotis arbitris omnibus, adeò secretò inter se collocuti sunt, vt nemo, quid tacita eorum colloquia coquerent, perspicere, nisi coniectura posset. De concordia tamen, & mutuis auxiliis, quibus ambo regna sua, deletis inimicorum opibus, confirmarent, sermones contulisse, vulgò creditum est. Brandenburgensem certè ducem, qui sororem eorum in matrimonio habebat, non eos solùm ad pacem & concordiam hortatum esse: sed palam se ei inimicum futurum denunciasse constat, per quem stetisset, ne inita concordia æterna esset. Hinc publicæ hilaritatis causa, magnifica multa conuiuia apparata, insignesque ludi editi: in quibus etiam fuit, vt Hungari & Boemi cum Polonis, infestis contra se hastilibus, in veræ pugnæ speciem concurrerent, ex quibus nobilissimi Hungari aliquot, qui se strenuè gesserant (vt Georgius Bathoreus, & Gabriel Perenij filius) magnifica à rege præmia retulerunt. Memorabile illud, cùm per se Polonorum & Vngarorum principum quisque gemmis certatim & margaritis, ad inanem diuitiarum ostentationem ornaret, ac Polonus quidam se totum preciosissimis aliquādo vnionibus onerasset: Palatinus, qui per eos dies nullum gestamen vnquam tulit, quod non minimum tribus nummûm aureûm millibus censeretur, quasi à Polono prouocatus, euestigiò lapidem adeò preciosum exposuit, vt ad primum eius aspectum Polonus se victum confessus, gemmatam illam vestem, qua se oculos Hungarorū perstricturum esse putarat, exuerit. His rebus cōfectis, Fridericus cardinalis regum fratrum rogatu, sacris magna pompa cæremoniaque patratis: Deum pro vtriusque regni, & regum populorumque amborum incolumitate orauit. Quo spectaculo nullum aliud nobilius, augustiusque esse potuit, vel si sacerdotem operantem intuereris, regium iuuenem omnibus & corporis, & animi muneribus, quæ à natura conferri possunt, longè cæteros excellentem: vel si sacri ipsius rationem spectares, in quo duobus maximis assistentibus regibus, duobusq; præstantissimis audientib populis, vota publicè pro vtrorumque concordia sanctissima nūcupata sunt. Cùm autem per mensem fermè ibi fuissent, multæque res causam cōuentui dirimendo afferrent: tum Vladislaus fratres omnes in secretum adductos, in hunc modum est alloquutus: Si meo mihi arbitrio, charissimi fratres, vitam hanc ducere liceret, nihil equidem iucundius statuerem, quàm vobiscum in eadem domo, atque apud eosdem penates diu familiarissimè viuere: sed quoniam res ita tulit, vt ad regendos, gubernandosque populos terrarum longè spaciis vocati, distraheremur, prouinciæ suæ quisque præesse, non ex nostra, sed ex Dei iudicio & voluntate debemus. Equidem paucorum horum dierum, quos vnà fuimus, voluptatem verè possum cum diuina illa beatorum conditione conferre: quippe qui adolescens ad Boemiæ regnum euocatus, & magnis difficultatibus iactatus, à vestro parentumque dulcissimo conspectu semper abfuerim: quorum dierum breuem fructum quoniam sæpius vobis præsentibus vsurpare non licet, reliquum est vt incommodam absentiæ nostræ iacturā quotidiana fraternæ charitatis memoria sarciamus: & quoad opes nostræ ferent, mutuis imperia ac regna nostra auxiliis tueamur, quibus diuino munere à septentrionali Oceano vsque ad mare Adriaticum imperamus. Hinc cùm alia pręcipuè ad Albertum conuersus, de matre fratribusque piè fouendis addidisset, finem dicendi fecit. Ad hæc Albertus, cùm alacri animo se nullo vnquam erga illum officio defuturū, & maiestatem eius omnibus viribus defensurum, cæteraque quæ præsentis suppeditabat sermonis occasio, respondisset: amicè & liberaliter ab Vladislao donis exculcus dimissus est. Dona verò fuere gemmata pocula decem, inusitatæ magnitudinis & mirifici operis: & præter purpureas, aureasque vestes, equi decem eximiæ pulchritudinis ac celeritate, frenis, phalerisq; aureis, & gemmatis ephippiis ex-

piis exornati: octoq; alij, quos cardinali: & sex, quos Sigismundo: totidem, quos Brandẽburgensi, vnà cum magnificis multis vestibus impertiuit. Quibus rebus ex ordine administratis, rex abeuntes omnes eodem, quo exceperat, comitatus cultu (ad quatuordecim equitũ millia fuisse dicuntur) ad tertium vsque lapidem prosequutus dimisit: Nicolao Banffij, qui eos officij gratia ad vespertinũ hospitium deduceret, cum sexcentis equitibus misso. Inde frequentissimo conuentu soluto, Leuchouia Cassouiam reuersus, cùm prouinciam vniuersam perlustrare in animo haberet, Sigismundus Quinqueecclesiensem antistitem, quem quæstorem Budæ iuri dicundo proficiscens præfecerat, ad se accersit, vt eius potissimum consilio ad grauissima, quibus affectam esse prouinciam nouerat, sananda vulnera vteretur. Quo factum est, vt Cassouia Varadinum, atq; inde in Transsyluaniam, quam prauis vsque ad exitium lacerari partim studiis audierat, se contulerit. His diebus fama diuulgatur, Gallos Alpes in Italiam traiicere incipientes, quadringentos iam ad Astam equites præmisisse, & ad Genuam & Rhodani ostia ingentem classem comparatam habere: Alexandrum pontificem Ostiæ oppidum occupasse: & Iulianum cardinalẽ, qui relicto pontifice ad Caroli partes accesserat, clàm Ostia Genuam profugisse: pontificem, qui à principio non modò Caroli rebus fauere, sed eum quoque ad hanc contentionem adduxisse putabatur, iam mutata voluntate, cum Alphonso rege, Florentinisque se cõiunxisse: & coronato Alphonso, filiam eius ex concubina natam vxorem filio suo despondisse. Neque verò hi rumores inanes, irritique fuerunt. Nam paulo pòst Carolus, Lodouico Sfortia Mediolanẽsium præside, & Hercule Ferrariensi duce fauente, superatis Alpibus cum sexaginta millibus hominum Italiam penetrauit: Alphonsus autem, qui ingentem terra marique belli apparatum confecisse dicebatur, triremes octo cum aliquo peditatus numero in litore Ligustico amisit. Carolus cùm per Italiam iter capesseret, ne à tergo Italorum insidiis premeretur, Ticini, Florentiæ, & Lucæ arcibus, quas obsidum loco sibi dari cõtendit, præsidia Gallorum imposuit, & mutui nomine à liberis ciuitatibus, pecuniæ numerum magnum exegit. Florentiæ verò susceptus, Mediceos (qui paucorum potentia subnixi, in ea ciuitate tyrannidem occuparant) vrbe exegit. Alcamius Cardinalis Lodouici Sfortiæ frater, cùm ad Gallũ à pontifice desciuisset per dolum Ostiam occupauit. Abeunte autem Augusto, regij Quæstoris procuratores aliquot, cùm imposita tributa exigere vellent, haud procul Albam, in Laurentij ducis pago, iussu eius occisi sunt. Quanquam maiestatem suam imminutam rex videbat: tamen quoniam in Transsyluaniam properabat, eius cognitionem & animaduersionem in aliud tempus sibi differendam existimauit. Turcæ autem, cùm castellum, edito in loco situm, quòd defensoribus vacuum esse audierant, occupassent: variis excursionibus totam prouinciam infestare, maiore iam subnixi audacia, instituerant. Itaque Albam Græcam, quam ducẽtorum tantùm militum præsidio custodiri perceperant, ex improuiso adorti: septem signis iam in montibus collocatis, facilè in potestatem redegissent: ni Pauli Kinisij præfectus, a Themesuaro properè cum instructa legione profectus, eos è mœnibus acerrimè detraxisset: atque à Syrmiensi agro, cui iam iam imminebant, abstinere coegisset. Illi verò cùm præter Sauum iter instituissent, vt locum inuenirent, quo flumen commodè vadarent, ad D. Demetrium, Laurentij ducis castellum, nullo prohibente, transgressi sunt: cùm incendiis rapinisque eam omnem oram vastassent, atq; homines, iumenta, supellectilem omnis generis abduxissent, idq; insigni Laurentij ducis potissimum erga regem regnumq; perfidia, cuius illi villis etiã omnibus pepercisse dicuntur: quas ex notatis quibusdã signis, vt cucurbitis, lacerisque mappis appositis, cognouerint. Quinetiam tempus maximè idoneum nacti, quòd & rex in Transsyluaniæ finibus aberat, & perpetua sex mensiũ siccitas omnes propè amnes, qui Hũgariæ propugnacula sunt, ita exhauserat, vt multis in locis facilè traiici vado possent: per totũ Octobrem mensem populationes atq; incendia vsq; ad Petouiã perduxerunt. Inde Drauo ad Petouiam traiecto, & magnis detrimẽtis illatis, hominũ ad septem millia ab-

duxerunt. Pòst autem metu, ne intumescentibus sub imminentem hyemem omnibus aquis, intercluderentur: ad Sauum regressi, quicunque aut ætatis, aut corporis imbecillitate languoreque sequi non potuerunt, eis capita in ripa fluminis detruncarunt: atque in Croatiam, crebris incursionibus iam propè desertam illapsi, complures redeundo pueros fame laboreq; enectos, in sepes immaniter abiecere. Paulò verò antè, cùm traiecto inferiore loco Sauo, in Posegam, regionem vini feracissimam, & amœnissimam, & multis pagis, & castellis, oppidisque plurimis frequentissimam, penetrassent, magnam inde prædam abegerant. Iisdem mensibus, Tyrnauiæ Iudæi quidā cùm se diro atque immani quodam scelere obstrinxissent, meritum sanè supplicium inuenerūt. Duodecim viri, cum duabus mulieribus, ingenuum adolescentem Christianum occultè captum, atque in proximas ædes abductum, obstructis repentè faucibus miserè strangularāt, & adapertis venis sanguinem eius, dum animam sensim & singultim efflaret, partim absorbuerunt, partim aliis asseruarunt: corpus autem in partes dissectum, membratim humi desoderant. Cùm adolescens diu à parentibus quæsitus, nusquam appareret: satisque constaret eum, pridie in vico Iudæorum versatum, haud postea fuisse conspectum: legitima in Iudæos quæstio constituitur. Lictores in eorum ædes immissi, deprehensis recentibus cruoris notis, dominum cum tota familia comprehendūt. in quæstionem abreptæ mulieres, metu tormentorum adactæ, totam facinoris indignissimi seriem confitentur: quarum testimonio conuicti reliqui, Palatini iussu, qui præfectus vrbis erat, omnes, magno ad id excitato in foro incendio, conflagrarunt: alij, qui minus videbantur obnoxij, magno pecuniæ numero sunt multati. Cùm autem è senibus causas tanti patrandi facinoris, per tormentorum cruciatum eruerent, quatuor eas esse reperiebant, quibus Tyrnauiæ tum, & aliàs sæpe in aliis regionibus, eo se Iudæi flagitio astrinxissent. Vnam, quòd ita maiorum auctoritate persuasum haberent, Christiani hominis sanguinem præputiis in circumcisione appositum, sistendo sanguini opportunum esse remedium. Alteram, quòd eundem ad conciliandum inter se amorem plurimum valere, in cibo datum, existimarent. Tertiam, quòd cùm viri ac mulieres æquè apud eos fluxu menstrui laborarent: sanguinem hominis Christiani epotum, idoneam ad id morbi esse medicinam experti erant. Quartam, vt vetus apud se, sed reconditum decretum exequerentur, quo quotidianis sacrificiis in aliqua regione Christianum Deo sanguinem libare coguntur: quo factum esse dictitabant, vt in eum annū ea sors Iudæis Tyrnauiensibus obtigisset. Hæc omnia Salutis anno quadringentesimo nonagesimo quarto supra millesimum incommoda contigerunt. Dum rex aut Leuhouiç conuentum peregit, aut eo dimisso, in Transsyluania fuit, quibus ille malis obsistere non potuit, partim remotis locorum interuallis exclusus: cùm in extrema iam Daciæ parte versaretur, ac Turcæ regnum à superioris Mysiæ, Bosnæque finibus infestarent, partim regulorum quorundam intemperātia præpeditus, qui regia autoritate contempta, quacunque ratione vires, opesque regis frangi, ac debilitari, quo ipsi licentius dominarentur, optabant: non minimum etiam momentum in pecuniarum penuria fuit positum, quare exercitus maturè comparari, & aduersus hostes in tempore adduci non potuerunt. Transsyluaniam autem, cùm prouincia opulentissima esset, ac intestinis seditionibus agitata, debita sibi vectigalia pendere recusaret: rex idoneo sibi maximè tempore, compositis publicis priuatisque Hungariæ rebus, inuisendam putarat: vt ea pacata, præsentem inde rei nummariæ difficultatem, veteribus pensionibus exigendis, aliqua ex parte leuaret. Duo ibi ius dixerant præfecti, Bartholomæus Dragffij, & Ladislaus Lossontius. Qui vt diuerso inter se erant ingenio, sic diuersam in iure dicundo rationem sequuti: atque propterea apud omnes contempti, non veteres solùm factiones aluerant, sed nouas etiam alias excitarant. Vnde fœda quædam in potentioribus latrocinandi rapiendique libido, quòd id impunè omnibus liceret, erat exorta. Quibus detrimentis vt mederetur rex, Ladislao ad Magistri curiæ honorem euecto, Bartholomæum solum in præfectura retinuit: ratus, si

Tyrnauiæ Iudæorū facinus.

Iudæorum facinoris cō missi causæ quatuor.

1494.

10 20 30 40 50

tus, si penes vnum iurisdictio esset, eum commodius animaduertendi seueritate prauam ipsam peccandi licentiam repressurum. Idque Bartholomæus mox latronibus & sicariis omnibus aut palis ligneis infigendis, aut in crucem agendis, aut igne comburendis, aut capite multandis, facilè ex regis sententia consequutus est. Inde sexaginta milibus nummûm à Transsyluanis exactis, iustoq; apud eos exercitu comparato, rex in inferioris Hungariæ fines, Themesuarum, compositis iam (vt quidem in præsens potuit) Transsyluaniæ rebus, cõcessit: eo cõsilio, vt iustis cõtractis copiis, Turcicas incursiones vlcisceretur: & Syrmiensi agro, & Illyricis, Croatiæque rebus afflictis, iam propè ac perditis, opem ferret: 10 quam regionem intestinis odiis, & perfidia exitiabili iamiam præcipitẽ, ad exitium ruituram videbat. Paulus enim ex pristina seueritate multum remiserat: siue quòd noua societate, qua se cum multis procerib. occultè deuinxerat, apertè eorum cupiditatibus obuiam ire non auderet: siue, quòd apoplexiæ vi, qua superiore anno correptus fuerat, vnà cum corporis viribus, animo ferociã amisisset: cùm sermonis & linguæ vsu præpedito, nutibus & gestib. animi sui sensa tantùm exprimeret, & vix familiaribus summam sententiæ suæ notam facere posset: Regem cum Agriensi, Quinqueecclesiensi, & Varadiẽsi episcopis, & Bartholomæo Transsyluaniæ præfecto, qui lateribus eius hærebant, vbi ad se veniẽtem Paulus audiuit: cõfestim incredibili quodam elatus studio, cum instructis copiis 20 ad Themesiens. fines occurrit, & in eius conspectum delatus, atque ad eius pedes proiectus, quoquo modo potest, Turcarum, quibus resistere non potuerit, vastationes & incendia lamentatur. Et quoniam præpedita lingua exprimere verba non potuerat, voce & dextra in Turcarum fines intenta, regem ad tantas persequendas iniurias obtestatur: tactoque gutture suo, se ibi iugulum suum cupidè pro regni salute obiecturum, & sanguinem animumque profusurum pollicetur. Hominem incredibili laude & fortitudinis & pietatis insignem, rex sublcuatum amplexus, bono esse animo lachrymabundus iubet: seque tantæ causæ nullo modo defuturum, sed caput etiam suum, si opus fuerit, in dubium deuocaturum affirmat, vt regnum contra effrenatam barbarorum licentiam tu-30 eatur. Inde subsequentes eum inspectare copias iubet, quo aspectu (erãt enim inprimis ornatæ illæ) vsque adeò exhilaratus est, vt se cõtinere nequiuerit, quin cæsim, punctimque gladium eductum, vt in acerrima quondam solebat iuuentute, vibrarit. Vladislaum inde cum omni comitatu, magnifico adeò apparatu, excepit, vt à summo rege, cuius opes ille ex diuturna prouinciæ præfectura adeptus erat, amplius splendidiusque desiderari ad lautitias, sumptusq; laudem nihil potuerit. Cumque ei dies noctesq; assisteret, nullũ alium sermonẽ, quàm de bello Turcis inferendo intulit: vt & antiqua bellicæ virtutis apud Hungaros fama conseruaretur: & vt animis regno ab externis defendendo incursionibus occupatis, domesticæ interea, ciuilesq; discordiæ obruerẽtur. Quibus rex voci-40 bus excitatus, inde ad Petri Varadinum ascendit: quod est oppidum in excelso monte situm, supra Belgradũ quadraginta millibus passuũ, Danubio imminẽs: vt inde, tanquam ex altissima specula, omnia despectaret, & vlciscendæ quoquo modo iniuriæ, salutare aliquod consiliũ caperet. Cùm autẽ certis nunciis comperisset, Turcarũ equites per Petouiam in Illyricũ & Croatiam irrupisse, ibiq; Mysia sine præsidiis propè direptioni incendiisq; relicta, prædis agendis agrisq; vastandis intentos esse: tempus idoneũ sibi dari inuadẽdę Mysię ratus, ex grauis & leuis armaturæ equitibus ad quatuordecim millia legit, eosq; Paulo & Bartholomæo ducibus ad depopulandã hostiũ prouinciã tradit. Budæ verò, & in aliis regni ciuitatibus, rei bene gerendæ causa supplicationes indicit rex. Alibec-50 chus ꝓuinciæ ꝑfectus, re ꝑ exploratores cognita, Roxianos † prouinciæ incolas, ne Christianæ pietatis, quam Græco licet ritu colebant, studio incitati, ad Hungaros deficerent, vltra montem quem Nigrum appellant, traiicere iubet. Nostri verò alacri animo Synderouiam versus profecti, traiecto Sauo, prouinciam hoc ordine Turcicam inuadũt. Maximum cataphractorum agmen, tanquam totius belli præsidium, lento gradu præcedere iubent: in medio, quòd in hostili so-

Petri Varadinum.

Razones.

lo foret, militum impedimenta locant. Vexillationū interea turmæ longè lateq; discurrētes, pagos incendere, domos diripere, agros vastare, vtriusq; sexus, & omnis ætatis homines, cum pecoribus abducere, & in munitissimū cataphractorum agmen omnia referre contendunt. Inde ad prædādum reuersi, Synderouiæ suburbiis ignem iniiciūt: & castris vltrà promotis, hostē nullū inueniunt: omnibus, quòd se nostris pares esse non viderent, metu se intra mœnia continentibus. Cùm ad dies quindecim, rebus omnibus ex sententia succedētibus, vagati cuncta per centum milia passuū ferro igniq; vastassent: tantū prædæ coaceruarunt, vt nec iumenta, nec currus ad eam reuehendam vlli sufficerēt. In castris quinq; boues aureo numo veniebant: eodemq; precio hordei & auenę tantū, quantum quatuor equis per annum alendis satis fuisset. Mater cum quatuor puellis duodeuiginti nummis vēdita est. Qui sine stipendio militabant, prædam in cōmune conferre non erant coacti. Quo factū erat, vt nullo aliqua ex parte detrimento accepto, mirificè omnes essent locupletati. Paulo ex secundo rerū gestarū successu elato, & vltrà progredi, & latius populationis circumferre terrorē cupiēti, pleriq; turmarū præfecti restiterunt: cùm dicerent, exercitum graui & opulenta præda onustum, vltrà progredi nō posse: insidiosum, fallacemq; præterea hostē inprimis timendum: neq; tantopere arridenti fortunæ credendū, eiúsq; temeritati exercitū eum cōmittendum, in quo tota salus Reipublicæ, & regni tutela esset reposita: neq; enim eādem, quæ adhuc fuit, copulationis rationem futuram, cùm montes inaccessi, & amnes rapidissimi, magno labore traiiciendi, superessent. Contrà Paulus, continuandā victoriam, & fortunæ parū sæpe faventi constantibus occurrendum animis esse: Omnes bellorū casus ex temporū momentis vnis pēdere, hanc si de manibus vlciscendorum hostiū occasionē dimisissent, eam frustra aliàs quæsituros. Ita reclamantibus illis, & se dicto ei audientes fore negantibus, Paulus lætissimā de acerbissimo hoste victoriam dimittere coactus est. Vt enim Petrum More, qui tū Constantinopoli Orator erat, postea narrantem audiui: Turcæ audito infesto Pauli & Hungarorum incursu, adeò perculsi metu erant, vt prætorianæ cohortes, quæ Constantinopoli præsidebāt, in Asiam repentè traiecerint, imperatore præsertim tum in Ægypto absente, & bello cum Sulthano grauissimo cōtendente: quinetiā, si milites Paulum audissent, potuisse facilè Constantinopolim vsque populationem, direptionemq; perduci. Quare motis castris, & Nigro monte prætermisso (quē si superassent, facilè quadraginta milia hominum voluntate sequentium, secum ex superiori Mysia deduxissent) Calendis Nouembris ad Albam Græcam incolumes omnes, cum opulētissima omniū præda, se receperunt: & castris in proximo monte factis, de p̄da traiicienda, & de Synderouia obsidenda cogitate cœperunt. Paulus interea lethali febre correptus, ad D. Clementis oppidum, quod est in citeriori Saui ripa situm, cum multis equitū turmis se deferri iussit. neq; ita multo pòst, testamento nullo (quod iam pridem mutus erat) confecto, nullaq; prole relicta, Christianè, pientissimiq; hominis ritu ex hac vita decessit, & regi, ac vniuerso regno incredibile virtutis ac prudentiæ suæ desideriū reliquit. In præfectura Temesiensi Iosephus, qui ab eo fuerat educatus, & per quem ille omnia domi forisq; in senectute gerere consueuerat, audacia, robore & disciplina militari, eius non dissimilis, a rege suffectus est: Budæ ob populatam prosperè Mysiā supplicationes ad omnia deorū puluinaria habitæ. His rebus peractis, rex inde ad Baciam cum patribus Bartholomæo, Petro Gerebo, cæterisq; optimatib. ascendit, vti armis, prouinciā intestino bello fluctuantem, pacaret: occasione maximè recēti Pauli morte quæsita, qui nimia indulgētia nonnullorū factiones aluerat: & quòd hyems suberat, exercitum, dum tormenta & munitiones è Buda Danubio deueherēt, in hyberna dimittit. Huic bello causam Petrus Bachiensis, idemq; Colociensis archiepiscopus, Kishoruatus, Prior Auraneæ, & præcipuè dux Laurentius attulerunt. Nam viginti antè diebus Pettus, vt basilicæ suæ iura tueretur, Ioānis Kishoruati arcem occuparat, & vxorem ac liberos cum fortunis primùm abduxerat, deinde incolumes restituerat. Kishoruatus autem cum lectissimo equitatu adueniens,

Petrus More.

Mors Kinisis.

castello

castello per vim recepto, ex suis aliquot, qui illud Petro prodiderant, grauissimo supplicio, aliis palis infixis, aliis pelle spoliatis, affecerat. Baciæ vero rex cùm esset, Vngariæ principes omnes, quorum infirmam fidem ex detrectato sæpe imperio suspectam habebat, ad se venire iubet: ex quibus alij inconstantiæ vitio nutantes, non venerunt: alij, ex conscientia rerum gestarum, variis interpositis moræ causis, omnino venire recusarunt. Inter cæteros autem Laurentium ducem accersit. huic enim præcipuè succēsebat, quòd facinorosum & seditiosum, & contumacem principem nouerat, & Turcicæ paulò antè incursionis auctorem. Erat enim fama, eum Turcas, aureo nummo a singulis accepto, per agrum 10 suum in Illyricum induxisse: & quibusdam signis appositis, villas ex pacto suas à Turcarum direptionibus & incendiis cōseruasse: & villicos suos fortè ab iis captos gratuito redemisse. Constabat etiam, eundē in Colociensem archiepiscopum arrogantem intemperantemque fuisse: & Stephano Syrmiense vixdum vita functo, episcopatus castella tria diripuisse: regis autem Maiestatem semper adeò despexisse, vt neque edictis eius paruisset vnquā, & ipsum ad contumeliam bouis nomine appellare in sermone solitus esset. Quibus rebus mansuetum alioquin & remissum regis animum vsque adeò ira incenderat, atque aduersus se concitarat, vt in nouissima cōtra Turcas incursione trecentos ab eo missos equites, indignabundus remiserit, & pocula, aliaque ab eodem missa munera, asper- 20 natus sit. Hic ergo edicto, vt dixi, regio accersitus, flagitiorum, scelerumque sibi suorum conscius, non venit: matrem suam iam natu grandem, & lectissimam in primis fœminam misit, quæ speciosis excusationibus incitatum regis animum demulceret, inflammatumq; odium ad iustas de se capiendas pœnas extingueret. Interim ipse Vylaki arcem, cæteraque ditionis suæ castella munit, nouisque præsidiis firmat. Vxorem verò & familiam cum opibus in Nemetuiuarum, castellum loco & opere munitissimum, Austriæque finitimum, transfert, delectuq; sociorum habito, facinorosorum hominum vndecunq; potest, in arcem, tanquā in asylum, multitudinem cogit, & quo regis erga se animum duriorem acerbioremq; à matre accepit, eo maioribus viribus, & conatu intentiore in bellum in- 30 cumbit: vt etiam vini cados, quos pro regis aula coemerat, Vylaki in arcē subitò transferret. Vylakum oppidum est in vertice montis situm non muro, sed vimineo vallo, & exigua fossa circumdatum, haud aliter atq; Buda Danubio imminens: ad medium ædes est D. Stephano consecrata: in arce beati Ioannis Capistrani sepulchrum visitur. hinc decem millibus passuum abest Bacia, vbi rex tum cū patribus erat, ac de bello aduersus Laurentium inferendo consilia conferebat. Reperiebat autem, vt ferè fit, diuersas patrum, neque satis explicatas de tota rei suscipiendæ ratione sententias. Agriensis enim episcopus, quem fidum regis comitem, & prudentem in primis consiliorū eius moderatorem fuisse, sæpe suprà ostendimus, bellum quidem iustū esse, sed multis difficultatibus impe- 40 ditum dicebat: quippe cum hoste non opibus solùm, sed etiam fratrum, propinquorum & potentum multorum cognatione, & societate florente: proinde cautè suscipiendum, videndumq; diligenter, ne ad turpem rei exitum, locus etiam sermonibus hominum daretur: qui dicerent regem, vt maiore licentia tyrannidis dominatum inuaderet, regulorum, procerumq; suorum opes oppugnare, & conterere instituisse: se tamen, quodcunq; ille consilium suscepisset, & sententia probaturū semper, & capitis etiam periculo defensurum. Huic contrà rex belli æquitatem opponebat, quod pro regiæ Maiestatis incolumitate, pro violatis sacris, pro salute Reip. iniretur: seq; opibus, cognatione, fratribus & propinquis regibus superiorem: & duobus pręterea regnis potentissimis subnixū ad iustissi- 50 mam armorū contentionem descendentem sperare, Deos etiā sibi secundos & propitios affuturos. Quinqueeclesiensis autē, quid sui iudicij esset rogatus, cùm eadem, qua rex ratione, consilij sui summā explicaret, iisdemq; adductus rationibus, in bellū totus incumberet, nutantem iam pridem, atq; inclinatū regis animum facilè secū in belli sententiā traxit: ita tamen, vt Agriensis consiliū rex haud quaquam contemneret: qui cautè prudenterq; arma ista tractanda esse cēsebat.

Itaq; eorum vtrunque perpetuò adesse sibi voluit, illum, vt clypeum, hûc vt gladium, cautum illum, pugnacem hunc: ambos tamen copiis, fidelitate, & rerum experientia pares iudicaret. Suscepto autem belli consilio, extemplo Bartholomæo, Petro Gerebo, Nicolao Banffij, cæterisq; proceribus ad se vocatis, quid sui decreti sit aperit: & ex hybernis omnes copias euocari iubet. Præfectis ergo equitum regis iussa cupidè facientibus, paucis diebus magnus conuenit exercitus. Quod vbi Laurentius per exploratores cognouit, Futacho, quod Quinqueecclesiensi antistiti antè per arma ademerat, communito, præsidioq; firmato, in Illyricum cum paucis ad Raholczam citato cursu contendit, vti propius, si posset, suis præstò adesset. Interea Bartholomæus exercitui præesse, & totius rei militaris summam administrare iussus, copias ad Villakum ante lucem adducit: & quòd erat vallo fossaque firmatum oppidum, adortus arcem, ad portas & ad muros pugnam committit. Cùm regij alij fossas ingesta materia replere, alij vado transire contenderent: oppidani verò, quorum numerus suburbanis omnibus cum vxoribus & commeatibus intra oppidum receptis, valde excreuerat, contrà resisterent, missilibusque & tormentorum pilis regios propellere conarentur, æquo inde marte discessum est. Postridie autem adaucto exercitu, iterum ad arma congressumque descenditur, ac paribus vtrinque animis decertatur: quippe indignitate hi moueri, quòd pridie perrumpere viminea septa non potuissent: illi capitis & fortunarum manifesto periculo permoueri. Instantes tandem regij, & vt deditionem facerent, oppidani clamantes, rescisso ac subruto ab vna parte vallo, in oppidum omnes irrumpunt. Quo cognito oppidani abiectis armis, sese dediderût: rati facilius se veniam, positis subitò armis, quam diu retentis impetraturos, quos omnino non fefellit opinio. Sic enim dux ipse mandauit, vt impetu in commeatum & in pabula facto, manus ab oppidanis omnibus abstinerent. cùm præsidiarij, quos pugna non sustulisset, omnes in arcem se recepissent, edictum statim à rege promulgatur: Ne quis Laurẽtio fauisse, aut ab eo stipendia accepisse vellet: qui id fecisset, ei reditum ad regis gratiam intra mensem patere, qui non redisset, capitis ei & fortunarum multam, & perpetuam perfidiæ notam intentum iri. Quo audito, nonnulli statim Laurentium reliquerunt: alij in proposito manentes, se & suas res in extremum periculum adduxerunt. Arx interea diligentius obsideri cœpta est, quòd nullam conditionem acciperet, & demissa oppidi tecta vehementius infestaret. Itaque tormenta inusitatæ magnitudinis Buda, secundo amne deuecta, per Iacobum Fabrum magistrum, ad ædem in medio diuo sitam subducuntur, vti inde propius arcis mœnia quaterentur: turres ad portas per alios excitantur, ne quis foras egrederetur, & cùm in iugum montis oblongum, quod partim ab arce, partim ab vrbe erat occupatum, trepidis in rebus sese ditiores homines contulissent, inde exire prohibentur: vt quò citius frumentum consumpsissent, eò celerius se regis imperio, potestatique permitterent. Concussa tandem multis in locis maioribus ex æde tormentis, & turribus machinis minoribus valde labefactata arce, multisque sæuo impetu tormentorũ fœdissimè interfectis, præsidium metu exterritum, cum Bartholomæo clàm de deditione colloquitur: orat, vt bellum lenius gerat: non enim cum externis & alienis, sed cum ciuib. & cognatis, & familiaribus geri: arcem omnino in regis potestatem esse vẽturam. Itaq; muros eius lacerari, perforarique grauioribus tormentorum muralium pilis, neque vtile neque pium videri. petit inde in paucos dies inducias, quibus de deditionis conditionibus quieto vtrinque ab armis animo transigatur. Verbis approbatis, facilè paucorum dierum Bartholomæus concedit inducias, sed ea tamen conditione: vt, si intra eos dies nulla Laurentij auxilia apparuissent, sine vlla exceptione deditio fieret. Interim quiescente vtrinque bello, præsidiarij milites quassatũ arcis murum occultè reficiût, & munitiones instaurant: & tẽpore induciarum exacto, allatis certis inspeciẽ causis se pacta seruare nõ posse dicût. Tùm Bartholomæus flagranti ira feruidus, vt qui præsidio non obscurè esset delusus, prælium redintegrat, & oppugnationem instaurat. Laurentius interea sibi ac suis

ac suis rebus planè diffisus, ad Palatinum, quo cum affinitate & fœdere se deuinxerat, citato gradu contendit: & vetere cōmemorata amicitia, auxilium aliquod dubiis rebus ab eo suis implorat. Palatinus prudenter iniquæ causæ turpitudinem auersatus, se hominem morbo senioque languētem, ac periculis vndique circumuentum, copiis suis auxilio ei futurū esse negat: auctoritate autem, & gratia apud regem, ei omnino in causa eius quoad possit subleuanda, non defuturum, & diligenter pro eius incolumitate supplicaturum pollicetur. Hoc contentus Laurētius, & Palatini monitu celeriter inde, ne fortè regis iussu capiatur, profectus: proceres, cognatos, amicosque cæteros adit, & ab eis quamplurimos 10 potest milites cogit. Palatini autem oratores continuatis itineribus, Baciam ad regem cùm peruenissent, conuocatis patribus admissi, ita verba fecerunt. Palatinus, cuius nomine nos ad te, rex clementissime, venimus, miratur inprimis te, cui iura huius regni omnia debent esse notissima, Laurentium ducem leuibus criminibus insimulatum, indicta causâ hostē iudicasse, bello oppugnasse, & Vylakum denique illius imperij caput, arctissima obsidione cinxisse: se Palatinum, se prætorem, se regni iudicem ait: eumque demum, ad quem non solùm à rege prouocatio sit, sed cuius etiam cognitioni, atque iudicio Maiestas ipsa regia sæpè subiiciatur. Si de Laurentio iudicium erat constituēdum, eum non modò in forum, sed in campum Rakos, indictis comitiis, reum trahi, & capitali per le-20 ges supplicio affici potuisse. Bellum neque more neq; indicta causa inferri: & planè hominis non regnantis, sed ad tyrannidem non obscurè aspirantis, factum videri. His de rebus te ob vetera sua erga tuam Maiestatē beneficia orat, vt obsidione Vylaki soluta, & conuentu Budæ indicto, causam eius agi, centumuirali iudicio patiare: vbi, si aduersus Maiestatem tuam ille deliquisse coarguetur, non modò se pro eo non supplicaturum, sed immissis extemplo lictoribus, ad mortem duci iussurum. Eiusmodi Palatini legationem vt superbam, arrogantemq; nimis rex iniquissimo animo audiuit: quippe, quòd se ille facinoris eius aut iudicem, aut defensorem profiteri non dubitasset: de quo nemo ex optimatibus verbum aduersus se facere ausus esset. Quamobrem respondit legatis, Palatino vt 30 renunciarent, multò iniquius esse prætorem, quem iniurias omnes prohibere oporteret, iniustam aliquando vim alteri attulisse, neq; regis ipsius auctoritate deduci ab incepto potuisse: quàm regem indicta causa publicum hominum deorumque hostem armis vlcisci, eumq; demum Palatini non rogantis, sed propè minantis, non voluntati, sed imperio denegare. Laurentium grauissimorū criminum reum, sæpius à se citatum, ob rerum patratarum conscientiā imperium detrectasse: & Maiestatem regiam, quantum in ipso fuit, in ordinem coegisse. Se autem cuius pro regiæ dignitatis amplitudine tanta sit auctoritas, vt eius merito voluntas vim iustissimæ legis obtineat: in ea causa, in qua regni salus, & publica quies contineatur, neq; iniqua iudicia sequuturum, neque recusaturū se-40 uera iudicia, neq; bella & pericula vlla reformidaturū. Proinde Palatino semper fore integrū, an mansuetum & facilem, an prædurū & inexorabilem velit habere dominum. Si cum Republica bene senserit, neque magnificos adeò aduersus regem spiritus gesserit, se ipso æquissimo & clemētissimo semper vsurū. atq; ita dimissis oratoribus, adaucto exercitu, arcis obsidionē, oppugnationēq; acriori intendi studio iubet, edictumq; iterum promulgari: vt qui Laurentiū obstinata peruicacia defendissent, nisi primo quoq; tempore ad officium rediissent, seq; ad regē contulissent: parem cum eo capitis ac fortunarū pœnā exspectarent. Quo metu Laurentij mater exterrita, ad Bartholomæum magno pecuniarū numero redimendi periculi causa cùm venisset, nihil ab integerrimo hominis im-50 petrauit. Rex autem, vbi satis attrita arcis mœnia, perpetua maiorum tormentorum verberatione, cognouit: intempesta nocte, qua certi per tenebras ab hostibus ictus destinari non possent, & ad pericula subeunda audaciores homines esse consuessent, vrbem, arcemq; ex omni parte adoriendā imperat. Hora constituta, regij clàm oppidi mœnia subeūt: magnaq; vsi audacia, prius in muris cōsistūt, quàm cęcis inde hostiū ictib. deiici possent. Cùm in pugna, paucis amissis,

ſed multis ſauciis editi iugum oppidi occupaſſent: nulla in oppidanos, ducis iuſſu, crudelitate patrata: extemplo maturatur ad arcem, vbi multo acrius superesſe prælium apparebat. Capti oppidi periculo, qui in arce erant, exanimati, quanquam in paucos etiam dies ſuſtinere ſe virtute ac diligentia potuiſſent: tamen, ne deluſi prius à ſe imperatoris conceptum aduerſus ſe odium vehementius inflammarent, corporis incolumitatem pacti, eadem ſe illi nocte tradiderunt. Ita Vyllakum, nulla facta cuiquam iniuria, ante lucem XII. Kalend. Ian. captũ eſt. Rex validiſſima nobiliſſimi oppidi, & munitiſſimæ arcis expugnatione, debilitatis fractiſque prorſus inimicorum ſuorum animis, eodem die hora duodecima, eo ordine vrbem eſt ingreſſus, vt Agrienſis antiſtes cum longa equitatu grauis armaturæ phalange præcederet: hunc Varadienſis, cum pari peditum numero ſequeretur: ipſe cũ Boemis, quæ prætoria manus erat, medius incederet: Quinqueccleſienſis autem extremum agmen ornatiſſimum clauderet. Ei ad arcem iam proximè accedenti, ecce Laurentij mater atrata veſte, paſſis crinibus, & manibus in cœlum ſublatis, ſupplex, lachrymanſque occurrit: & protinus miſerere iam (inquit) noſtri, rex clementiſſime, miſerere, neque enim iuſticiæ laus magis in regem conuenit, quàm clementiæ: ſatis adhuc iuſticiæ feciſti: nunc memento miſericordiæ, teipſum vince, qui nos viciſti: & victos demum benignitate, ac moderatione conſerua: da hoc petenti matri, mulierculæ, viduæ, & lachrymis iam propè ſenioque confectæ, ne ira in filium meum tua longius exardeſcat. En capta vrbs, expugnata arx: nunc à fortunis eius & capite temperato, neq; eum turpiſſimo inimicorum ſuorum ludibrio eſſe ſinito. Da hoc filio eius paruulo, in certam ſpem tuæ aliquando fouendæ Maieſtatis educato: da coniugi miſeræ, non iam de imperio, ſed de ſalute viri ſolicitæ, & à regis faſtigio ad extremam miſeriam calamitatemque redactæ. Rex non vltrà loqui aniculam paſſus, per Agrienſem interpretem bono eam animo eſſe iuſſit: fore enim, vt libertas & dignitas filij ſtaret, ſi innocens iudicatus fuiſſet. Nã ſe ea expeditione perfecta, Budam reuerſurum: ac frequentiſſimo conuentu indicto, nomen eius ad centumuirale iudicium delaturum: à quo ſi abſolutus fuiſſet, ſe damna eius vniuerſa ſincera fide reſarciturum: ſi damnatus, omnibus ei ciuitatibus fortuniſq; remiſſis, capite tantùm inſolentis hominis fore contentum: vt exemplum cæteris proderetur, qui aliquando de negligenda, & conculcanda Maieſtate regia cogitaſſet. Hiſque dictis, mulierem cum ancillis, & cum honeſto comitatu Budam traduci iuſſit, integra ſupellectili reddita, & paulo pòſt, tribus etiam oppidis reſtitutis, & ſi quid ad vitam ex dignitate ducendam deeſſet, opportuno ex regio ærario ſupplemento decreto. Ingreſſus autem arcem, haud modicas opes, commeatuſque inuenit: veſtes nimirum trecentas vario precioſarum pellium genere ſuffultas, vaſa ex auro argentoque cælata plurima, cadorum vini ad tria millia, ex quibus alia fortibus viris, alia proceribus, pro cuiuſque virtute & meritis, diſtributa ſunt. Quibus rebus cõfectis, relicto firmo in oppido præſidio, flagranti atque intento in Kishoruatum impetu fertur: caſtriſq; motis, quatriduí ſpacio, repentina obſidione, quatuor eius oppida circumuenit. Ex quibus vno per nobilium iuuentutem primo congreſſu in poteſtatem adducto, reliqua vi capta, & incenſa ſunt, milites pariter debitum virtutis amorem acceperunt. Quin & Petrus Bathiani duobus propè Tatham oppidulis, altero vi, altero deditione potitus eſt. Deinde oppidum diui Demetrij, ad Sauum amnem ſitum, non minimi momenti locus, quòd per eum Turcæ infeſta in Illyricum arma ferre conſueuiſſent, miſſo Deſpote obſeſſum, cùm reſiſtere nõ poſſet, deditionem fecit. Ita omnibus, quæcunq; Laurentij fuerant in inferiore Vngaria, duob. menſibus in ditionem adductis, & Futacho quoq; recuperato, & Quinqueccleſienſi antiſtiti, cuius fuerat, reſtituto, & regia vbique aduerſus contumaces & rebelles principes dignitate cumulatè à rege defenſa, hic annus abiit. Eodẽ anno Ladiſlaus Egheruari, vir probitatis & prudentiæ ſingularis, non ſine magno Reip. detrimẽto mortuus eſt. Hic Matthię regi bello Auſtriaco egregiè operã fidemq; ſuã probarat, cũ exercitũ eius ſemper duxiſſet, & Sileſiæ ac Luſatiæ pręfecturam magna

Diui Demetrij oppidũ.

magna cum laude gessisset: & Dalmatiæ, Illyrico & Croatiæ ea virtute præfuisset: vt Turcarum copias memorabili clade, quinque eorum millibus occidione occisis, afficeret: & Germanis ex Illyrico pulsis, prouinciam ad fidei pristinæ officium redegisset. Demum præfectura deposita, magister Tauernicorum creatus, in eo vsque ad mortem munere perseuerauit. Kal. Ian. Franciscus Budensis antistes, Agriensis frater, vir vtraque lingua eximiè eruditus, ad Iauriensis episcopatus honorem euectus est.

10

RERVM VNGARICARVM DECADIS QVINTÆ LIBER V.

INEVNTE anno, qui fuit à partu Virginis supra mille & quadringentos nonagesimus quintus, Vladislaus magni interesse ad regni trăquillitatem, & nominis sui dignitatem existimās: peruicaci superborum regulorum contumacia fracta, neminem sibi dicto non audientem in prouincia reliquisse: pacata inferiore Vngaria, rebusque omnibus ibi prosperè administratis, traiecto Drauo, bellum in Illyricum transferre, cæterasque Laurentij arces expugnare contendit. Itaque ad Verrucem, quod erat oppidum in potestate Nicolai Banffij positum, conuentu & iudiciis octauarum indictis, Raholczam, & Neemetuiuarum, duas inuictissimas Laurentij arces, in excelsis montibus magna vi expugnare constituit: quem quidem fama erat, exercitu valido in finibus Austriæ comparato, Palatinum ad suas partes & belli societatem facilè traducturum: quanquam vix credibile multis videbatur, Palatinum, summæ sagacitatis atque prudĕtiæ virum, eò vesaniæ progressurum, vt res suas integras cum Laurentij perditis afflictisq; miscere, & inclinato, profligatoque bello se fortunasque suas omnes in apertũ periculum deuocare velle, cùm à fronte, atque à tergo, regiis omnia teneri copiis atque præsidiis cerneret. Qua de causa rex Iosam nuperè Themesuato euocatũ, cum quibusdam cohortibus peditum, & sex millibus equitum, quæ obsidĕdo Neemetuiuaro destinarat, aduersus Laurentium mittit: Bartholomæum verò Waiuodam in Simigiensem agrum, cum Hippolyti cardinalis copiis, & Bornamissę vexillationibus, ad Caposuiuarum, castellum in plano situm, idemque triplici fossa, aquáque munitum, oppugnandum ire iubet: ipse cum cæteris Verrucæ conuentum habet, & seuerè iudicia exercet, quæ plerique Croatiæ principes, maximorum sine dubio periculi cōscientia scelerum, deuitabant. Ibi cùm Priori Auranæ, quem à Laurentio defecisse constabat, amicis multis pro eo supplicātibus, veniam cōdonasset: Palatinus celeri, & secũda Villacki expugnatione parumper præferuidam illam regis aduersus Laurentium iracundiam deferbuisse, ac facilius iam omnia se, quæcunque vellet, pro eo impetraturum existimans: Oratores duos, viros lōgè grauissimos, ad eum mittit, qui obsecrent, ne Laurentium vltrà armis oppugnet: sed sumptis pœnis contentus, ad conuentum Budensem causam eius omnem, ex vetere regni instituto, reiiciat: & tum demum conuictum, damnatumq;, magno omnium consensu, vltimo supplicio afficiat: absolutum verò, in antiquam patriorum bonorum possessionem omni præstito detrimento restituat. Hi cùm mandata exposuissent, vetus & constans responsum à rege tulerunt: se contumaces, ac Reipub. inimicos homines oppugnandi finem nunquam facturum, donec egregiè castigati, supplices ad implorandam misericordiam accessissent, & legitima sibi obsequia præstitissent: supplicij de tanto scelere nondum satis exactum esse, atque eius rei modum nō à priuato, sed à principe iudicandũ. Quin etiam paulò pòst familiarem quendam à Laurentio, pro petenda venia missum admonuit, vt domino suo renunciaret, bouem illum, quem per iocum appellare solebat, iam vnum magnum cornu habere: alterumq; modò enatum, valde in-

1495.

20 30 40 50

Rex bos.

dies crescere: proinde sperare se breui suos hostes gemino cornu petiturum, eosque fœdè laniaturum. Inde Illyricorum Croatorumq; interse controuersiæ auditæ, multæ inter multos lites compositæ sunt. Osualdus Zagrabiensis episcopus, cùm ad conuentum cum ducentis equitibus venisset, facilè castella, decimasque basilicæ suæ, à quibusdam regulis interceptas, recuperauit. Decretum etiam vtrique prouinciæ salutare factum est, vt ad Turcicos euertendos incursus, stipendia quadraginta milia nummûm aureûm, decem milibus equitum prouincialium, belli tempore, penderentur: qui regni fines ab eo tempore tuerentur. Ioannes Coruinus vtriq; prouinciæ, cum duobus equitum milibus, summa optimatum omniū voluntate præfectus est. His diebus mirificū in cœlo ostentum apparuit, quod nos ab iis qui viderunt auditū, nullo modo prætermittendum esse duximus. Nicolaus Sigismundi quæstoris familiaris, Buda ad regem, dominumq; suum properans: in villa, cui Solita nomen est, magna in aere luce, cum ingenti fragore oculis auribusq; suis obiecta, repētè rei nouitate exterritus, in terram procubuit, suspiciensq; inde in cœlum, beatæ Virginis speciem cum filio, nimbo fulgentissimo circumfusam, per aera descendentē, & Budam versus cursum intendentem vidit, idq; ipsum statim Boemo cuidam, & vxori eius hospiti, & aurigæ suo venerabundus ostendit. Quod vbi regi & Sigismundo retulit, magna vtrunq; admiratione affecit. is dies erat qui Deiparæ virginis cōceptioni dicatus est: quem postea semper Vngari religiosius coluerunt. Interea cùm Bartholomæus, qui in Simigiensi Caposuuiarum obsidebat, nuptiarum celebrandarum causa parumper a castris in castellum proximum secessisset: Dauidus Dombaij, Laurentij præfectus, vir impiger & audax, eius absentia cognita, clàm elucescente luna, cum expeditissimo equitatu castra intempesta nocte adortus, semisomnes, atque improuisos omnes aggreditur, & cōuersis tormentis, non paruam ad portam prætoriam stragem edit. Ex regiis alij acriter obstitere, alij in proximā syluā se incolumes recepere: ex Hippolyti copiis multi trucidati. Bornamissa vbi impetum ferre non potuit, quindecim amissis equitibus, salutem sibi fuga quærere maturauit: reliqui pariter, multis vulneribus acceptis, castra demum deseruere. Laurentiani castris captis direptisq;, cōmeatus æneaq; tormenta in castellū omnia conuehunt, arcisq; munitionibus instaurāt: inde ducentis curribus eductis, ad quandā Bornamissæ villam, vbi mercatus agebatur, se conferunt: & mercatoribus omnibus spoliatis, lateq; villis illis depopulatis, præda onusti, in castra sua refugiunt. Ea re incitatus Bartholomæus, tertio die collectis auxiliis, & reparato exercitu, castellū repetit, idq; a Budensibus Pestanisq; valida peditū cohorte accepta, acrius oppugnare constituit: cùm milites fossa triplici, aquaq; traiecta, prælium eminus acerrimū cōseruissent: atq; ad extremum prouecti vallum, pugnam iam endituri cruentam essent, casu tormentarius apud hostes puluis ignem corripuit, atque subito incendio munitiones, commeatus, septa, aciemq; ipsam comprehendit: cuius rei terrore periculoque Laurentiani compulsi, dato signo deditionem se facturos, si sibi venia concedatur, ostendunt: ac statim accepta, dataq; fide, clementis præfecti iussu dimissa pugna, & patefacta porta, cuncti ad arcem incendio liberandam, & ignem extinguendum cōtendunt. Raholza inde languidius obsessa est: quia præfectus arcis, posteaquam cætera Laurētij oppida in potestatem regis peruenisse audiuit, deditionem se facturū esse, sine dimicatione ostendit, adhortationibus maximè obsidentium, ne diu in loco inexpugnabili tempus tererent. excitatus autem est mons hîc in Illyrico altissimus, sylua magna, atq; glandifera cōuestitus, sub vertice paulò demissus: in prominenti præruptoq; saxo castellum est, quod ab vna tantum, eaque angusta via ex transuerso aditum habet. Sub iugo montis fons est perennis, ex quo amnis aquæ calidæ manat, qui per castellū deuolutus in arce, oppido & suburbio fontes, piscinas & viuaria efficit. Ad radicem mōtis sparsim villæ subsunt, cultiq; ac feraces agri, amœnitas vbiq; summa ex mirifica cœli clementia nitet. Laurentius autem ad Nemetuiuarū cùm ab Iosę se vrgeri exercitu ani-

animaduerteret, de imploranda venia, & quæcunque ferretur, conditione accipienda cogitans, inducias in aliquot dies postulauit. Quinqueecclesiensi maximè vt darentur hortante, dissuadentibus verò iis, qui ex rerũ confusione, & Reipub. perturbatione spes suas alunt. Sunt qui dicant, Turcæ per legatos auxilium, si vnum modò sibi castellũ in Illyrico cõcessisset, per quod in Illyricũ irrumpere, & latè populari fines posset, pollicenti eum respondisse: Malle se fortunæ acerbitates perferre, quàm à suo rege tam scelerate deficere. quibus reb. gestis, rex se ad Quinqueecclesias circiter Cal. Martias, cum vniuersis optimatibus retulit: & quòd iam satis pœnarum peruicaciæ, temeritatisq; suæ dedisse Laurentium duceret, faciliorem inde se iis, qui pro eo se interponerent, præbere cœpit. Quo factum est, vt per Andream Bot, qui sæpius vltrò citroque commeauit, in gratiam eum tandem suam receperit: ita vt veniendi ad se facultatem, & res suas componẽdi concesserit. Ita Iosæ mãdatum vt exercitum reduceret, atque omni maleficio abstineret, secumque Laurentium duceret: qui si venire recusaret, bellum maiore conatu redintegraret. Quibus mandatis acceptis, confestim Iosa, data fide, Laurentium Quinqueecclesias duxit, atque ad decem millia passuum, longè à Nemetiuaro exercitum reliquit: ne infecta pace, grauius bellum gerere cogeretur. Laurentius Kishorwato, & Nicolao Zechy comitantibus, ab omnibus pontificibus proceribusque honestissimè exceptus, & ab iisdem ad regem perductus: orationem habuit humilem, & verè fracto, supplicique homini congruentem, in qua erratum insaniamq; suam apertè cõfessus est: ita tamen, vt rerum à se actarum in socios suos culpam omnem trãstulerit, quorũ prauis consiliis abstractus ipse perierit, eos fuisse, qui latrocinia fecerint, qui stupra exercuerint, qui Turcis aditum patefecerint, qui regiam demum maiestatẽ pro nihilo habendam docuerint, homines rapaces, & prædæ auidos, quibus turbæ cordi, & bella, vnde se & libidines suas alerent, iucũdissima sint. se id vnum maximè deliquisse, quòd secundis rebus, & nimis arridente fortuna, cæcatus, quid sui officij fuerit, planè non viderit, & se à pessimis hominum perditorum consiliis, quasi quodam fluctu, longè à vero, æquóque abripi passus sit. Nunc, quoniam virtute fortunaque regis effectũ est, vt quàm tenues suæ sint opes, quas temerariis assentatorum vocibus impulsus plus nimio magnifaciebat, agnoscat: se eximia vnius eiusdem regis clementiæ opinione subnixum petere, vt qua fortitudine, atque constantia se fato potius, quàm voluntate contumacem rebellemque cõtuderit: pari mansuetudine ac misericordia vltrò supplicem, atque eius veniam humiliter implorantem, subleuet, & in spem fortunæ melioris adducat: quidquid enim posthac sibi ad dignitatem, vel ad vitam accesserit, id totum, vt singulare eius vnius beneuolentiæ clementiæq; beneficiũ posthac & prędicaturũ semper & habiturũ. Ad ea rex valde adhuc animo cõmotus, respõdit, se inuitum, atq; necessitate suæ tuendæ maiestatis adductum, hoc bellum & suscepisse, & gessisse: gaudere tamen sibi locum datum, quo non tam seueritatis in contumaces, quàm clementiæ in supplices edere exemplum possit: suæ illum insaniæ, peruicaciæq; meritas dedisse pœnas: quarum si iam illum pœniteat, & ad officium sincera fide reuertat, se dignitatis commodorumq; eius rationẽ pro mansuetudine sua non neglecturum. Atque his dictis illum in secretum seduxit: multaq; ab eo, quæ ab illo dicente significata potius quàm expressa fuerunt, exquisiuit. Eodẽq; die Priorem Auranę à Iosa comprehendi, & custodiæ tradi, familiares spoliari, currus, equos, argenteamque supellectilem totam diripi iussit: qua inopinata re, reliqui regis inimici adeò sunt perculsi, vt nisi portæ cõsultò antè clausæ fuissent, multi protinus se in fugam coniecturi fuerint. Neque verò Laurentius timore caruit, quãuis fide à duobus pontificibus accepta venisset. Cùm Prior vitæ timẽs regem orari iussisset, vt sibi ad religiosam vitæ professionem transire, & bonis omnibus atq; adeò prophanæ huius vitæ conditione se abdicare liceret: rex indignatione accensus, Qui nam (inquit) tam perditum sceleratumq; hominem religiosus hominum cœtus excipiet, aut vitæ socium patietur? eiusq; statim membris omni-

Auranensis scelus.

bus arcto catenarum vinclo astringi iussis, ne sibi necem consciscere fortè posset, ad populum rei nouitate tumultuantem, per Agriensem edixit, ne quis animo conturbaretur: se Prioris nefanda & inaudita post hominum memoriam flagitia amplius ferre non potuisse. Per eosdem dies Turcarum oratores cum Petro More, qui superiore anno Constantinopolim missus fuerat, Budam inducias in decennium exposcentes, venere, ac barbarica dona, & cælata nonnulla ex argento pocula ad regem tulere. Hi liberaliter accepti, magnificisque contrà donis exculti, induciis tantùm in triennium datis, dimissi sunt, his conditionibus: Ne vlla vtrinque vis & incursio per triennium fieret: vt sine fraude, doloque captiui ex clade Croatica redderentur: Vladislao verò integrum esset inducias aut producere, si vellet: aut intercipere, si commodum esset, modò tribus id antè mensibus indicaret. Ita, quod aliàs raro antea Vngaris acciderat, hoc anno omnia domi forisq; quieta, seditionibus compositis, & induciis cum Turcis triennalibus partis, egregia Vladislai inprimis prudentia atque fortuna fuerunt. Nec multo pòst, in inferiore Vngaria magno oborto in quibusdam villis, vbi mercatus Christianis & Turcis communis frequentissimus habebatur, incendio merces omnes, cum sexaginta circiter millium nummûm aureûm detrimento, combustæ sunt. In Italia verò postquam Carolus rex Florētia profectus est, rectà iter capessens, ad vrbem Romanam primùm Senas, deinde Viterbium venit: ibique aliquandiu substitit. Alexander pontifex in diuersa tractus, relictis Gallorum partibus, Alphonsi iam, quem paulo antè corona donarat, rebus fauebat: populus Romanus omnium rerum inopia conflictatus, & obsidionis timore percitus, se, si Carolo regi à pontificis factione iter impediretur, ad eum defecturum minabatur: cui omnia à Galliis Romam vsque oppida, omnesque portæ patuissent, & obsidum loco multa tradita essent. Pontifex cardinales tres, quos violata fide comprehendi iusserat, obsidionis periculo perm otus, restituit. Alphonsi exercitum, quem in vrbe tenebat, dimisit. Postero die Gallorum in vrbem exercitum recepit. Carolo ex vrbe Campanum agrū versus castra mouente, Alphonsus desperatis rebus, Neapolim cum filio, populis interea deditionem Carolo facientibus, se recepit, idemque Ferdinando filio regno tradito, & tribus triremibus, cum duabus onerariis nauibus paratus, in Siciliam abiit. Carolus motis castris, ac nemine vspiam occurrēte, nono die Neapoli in deditionem accepta potitur. Ferdinandus cognita populi voluntate, primò in castellum nouum, deinde in proximam, ad triginta millia passuum, insulam se recepit. His rebus prosperè gestis, nimia iam omnibus principibus Christianis Caroli potentia terrori esse atque inuidiæ cœperat. Quare fœdus inter pontificem, Venetos, & Lodouicum Sfortiam Mediolanensium ducem, Maximiliano quoque Cæsare & Ferdinando Hispaniæ rege assumptis, communis salutis causa initur: de quo Veneti Vladislaum, adhuc Quinqueecclesiis morantem, certiorem fecerant. In Polonia verò Albertus rex in Prutenos profectus, regulum quendam perfidiæ insimulatum, præter amnem Vistulam imperantem, in itinere regno spoliat: & ab omnibus Prussiæ principibus magistratibusque, perpetua fide atque obsequio, interiecto iureiurando acceptis, prouinciam vniuersam pacat. Alexander autem dux Lituaniæ, filiam ducis Mazouiæ in matrimonium ducit, magna dote, & prouinciis ciuitatibusque ad vnam omnibus, quæ ad Lituaniensem principatum pertinebant, recepta, nuptiæ absentè rege, præsente tantùm Cardinale fratre, peractæ sunt. Sponsa cùm Græco ritu Christum coleret, à Cardinale ad sacra Romana traducta est. Casimirus, Vladislai & Alberti regum frater, diem suum in Lituania obiit: cuius aliquot miraculis editis, spectata sanctitas effecit, vt hodie apud Polonos, tanquam Deus, à piis hominibus in vota vocetur, & religiosissimè vulgò colatur. Vladislaus interea rebus omnibus ex sententia administratis, antequam se Quinqueecclesiis moueret, frequentissimum Budæ conuentum, ac iudicia octauarum edixerat, vt pacato regno ius diceret, & meritas à facinorosis hominibus, ex instituto vetere, pœ-

Induciæ. *Vladisl. Fortuna.* *Casimirus sanctus.*

te, pœnas exigeret, ac bellorum eo anno gestorum rationem omnibus redderet. Ita cum magna gloria per Batam, Sexardiam, Albamque regalem, v. Nonas Aprilis, ea de causa Budam se contulit, conuentus paucis diebus frequētissimus fuit. Summa quippe pontificum, regulorumque & procerum omnium, & maxima nobilium, quorum ex singulis comitatibus decem conuenerant, celebritate nobilitatus rex: de rebus omnibus ab initio regno à se gestis, & maximè de Laurentiano eius anni bello verba facturus, & rationem redditurus, patrumque iudicium erat subiturus, vt vnà & maleuolis obtrectatorum sermonibus occurreret, & iustè à se, sapienterque gesta omnia demonstraret. Quò factum erat, 10 vt multi, cùm quęstionem aduersus regem parari, ab eoque rerum gestarum rationem reposci viderent, quanquam eo facto maximè lætaretur, sibi tamen valde timerent, ne ipsi pari quoque ratione iudicium pati, & res per vim ablatas restituere cogerentur. Agriensis autē, & Quinqueecclesiensis, patrumq; cęterorum sapientissimus quisque ad Reip. otium, regiamque dignitatem tuendam magni interesse arbitrantes, ne regis acta, quæ satis iusta fuisse constaret, populi iudicio subderentur, nihil de bello cum Laurentio sociisque gesto, quòd id populus sine dubio confirmaturus esset, deque eorum vita, ne maius eis odium conflaretur, cùm reconciliati Reip. mirifico aliquando vsui esse possent, referri ad populum voluerunt: ac summa prudentia vtriusque partis dignitati, honoriq; con-20 suluerunt: Laurentio tamē, ac sociis eius potestas supplicādi permissa est. quinetiam ex S. C. & nobilitatis consensu duo viri creati, qui pro iis ad regem supplices accederēt. Ille mutata veste, demisso capite, mœsto vultu, supplicią; aspectu cum paucis comitibus per cōuentum incedens, facilè apud omnes sui misericordiam concitauit. Rex tamen duumuiris supplicantibus, nihil, nisi spem bonorum restituendorum exiguam dedit. Plerique interpretabantur, regem ad id propterea difficiliorem esse, quòd è re sua non videretur, quæ in inferiore Vngaria adempta Laurētio fuerant, restituere: ne ille viciniorū Turcarū aliquando auxiliis fultus, timori sibi ac formidini esset. Deinde inter nobilitatē (quæ vniuersum regnum refert) & patres, proceresq;, sæua, ac inprimis memorabilis se-30 ditio excitata est, cùm de tributis pendendis ageretur. Rex vt sæpe fecerat, singulos nūmos aureos, per singulas domos annui tributi nomine repetebat. Nobilitas autem ad veterem tributorum consuetudinem reuocabat, in quam rex, dum coronaretur, iureiurādo adactus erat: nimirum vt à quinque domibus aureus nummus exigeretur, pacisque præsentis qua omnia propè bella in perpetuum extincta essent, rationem habendam esse contendebat: aut si singularū domorum tributum vellet, non cum patribus, sed cum nobilitate sentiret, ac vetera regni de vi, de decimis, ac vectigalibus exigēdis instituta, vetustate nimia obruta, renouaret: patres esse, qui debita regi vectigalia interciperent, cùm ipsi nihil penderent, & pro rege à suis quisque populis tributum exigerent: patres esse, 40 qui libertatem nobilium imminuerent, & plebem seruitute opprimerent, & regis opes exhaurirent: decimis non rerum, vt lex iubet, sed pecuniarum tantummodo exigendis, & rebus omnibus ad vtilitatem propriam traducendis. Sin autem nobilitatis tutelā aspernaretur, & patrum fouere potētiam vellet: se haudquaquam hæc inusitata vectigalia soluturos. hoc modo clamātibus, & ante curiam exposcentibus, rex & patricij veriti ne plebs (vt est nouarum rerum natura sua cupida & multorum capitum belua) longius, si quid negaretur, vecordia & temeritate proueheretur: repentinum fluctuantis ac tumultuantis multitudinis motum quacunque ratione sedare conantur. non ignari autem quàm sæpe secundis, quæ nunquam soluerentur, promissis magnæ etiam flagitantis 50 populi seditiones essent restinctæ, planè se nobilitatis voluntati obsequuturos ostendunt. Dominicumque Albensem, & Ioannem Vesprinienſem antistites decretis renouandis præficiunt: eisque protonotarios, qui ius dicenti semper adsunt, adiiciunt, rati nobilitatem haudquaquam moræ, sumptusque tædium vsque ad rei, quæ consulto prorogaretur, exitum perlaturum. Neque

Tributum.

Protonotarij.

verò eorum vana irritáve fuit cogitatio. nam dum decretis scribendis, ad populum ferendis, & ad Senatum referendis, tempus teritur: multi è nobilibus moræ & sumptus impatientes, abeundi potestatem poposcerant. Alij, ne commeatu quidem petito discesserunt: reliqui qui remanserunt, partim ab optimatibus corrupti, partim rei perficiendæ desperatione adducti: totos se senatui permiserunt. Ita nobilium cœptis astutè delusis, decreta intercepta, & tributum annuum in singulas domos impositum. Interea Valentino Varadiensi antistite, qui regi semper mirificè charus, ac perpetuus constansque eius Reip. defensor fuerat, ex aqua inter cutem extincto, multisque sese in eius locum petitores professis, ac pecunia etiam contendentibus, rex in senatu Dominicum præsulem Albensem singularibus virtutibus eius, ac rebus sub Matthiæ primùm, deinde sub suo imperio pro Repub. benegestis expositis, magna senatus & populi voluntate XIII. Calend. Iunias episcopum Varadiensem pronunciauit, cùm sua erga illum voluntate adductus tum maximè studio Agriensis, & Quinqueecclesiensis antistitis & Ioannis Boemiæ cancellarij, qui principem tum locum apud se autoritate & gratia obtinebant. in Albensis autem locum Georgium Frangepanum declarauit, cùm generis splendore, tum literarum, virtutumque omnium nomine apud omnes maximè commendatum. Die autem altero Pentecostes, pontifices regulosque solennibus epulis omnes excepit, vbi præter exquisitissimas epulas, preciosum inprimis abacum, gradibus septendecim instructum, exposuit: qui gemmato elabotatoque auro, atque argento onusti, omnium ad se oculos traducebant. Supremum ordinem duo cygni naturalis formæ & magnitudinis tenebant, inter quos laterna crystallina, variaque pocula erant interiecta, reliquos ordines gemmatæ phialæ, lagenæ, cuppæque aureæ, canthari, scyphi, chyothæ tineæ, hydriæque quatuor eximiæ magnitudinis cœnæ Domini destinatæ. Chrysendeta verò, & anaglypha multa ad nouissimum gradum suberant, cui ea tantùm commissa erant, quæ vsui cõuiuarum essent, cùm superiora omnia pompæ atque spectaculo inseruirent. Triclinium autem aulæis erat nobilissimis conuestitum: in quibus Troiani belli series nimio artificio, summoque opere erat intexta, hæc omnia Matthiæ regis quondam fuerant: sed interregni tempore, Ioanne Coruino profligato, per Palatinum, & Iosam ad Vladislaum colligendæ eius beneuolentiæ causa, vt fama hominum erat, fuerant delata. Deinde cùm priuatis rebus opera daretur, & de vi, deque dolomalo causæ cognoscerentur, Petrus Pokius inter cæteros, regis omniumque suffragio capitali supplicio condemnatus est: cùm multorum testimonio, Coruini familiaris sui castellum Palatino prodidisse, eidemque Coruino sæpe interficiendi causa insidias tetendisse, fratrem germanum fraterna hæreditate cedere recusantem, in profluentem abiecisse, & cùm euadere niteretur, lancea transuerberasse constaret. Prouocãte eo ad Cæsarem, tum rex, Ne Cæsarẽ, inquit, spectato: sed tibi repentè moriendum esse statuito. Sunt qui dicant, eum postea latrocinia tredecim vltrò confessum fuisse, quo factum est, vt postridie in foro D. Georgij, inspectante populo, viuus in quatuor partes discerptus, fœdè perierit: quã mortem constanti tamen ille inprimis animo, & Christiano homine digno, assiduè Dei misericordiam implorando, sustinuit. Prior autem Auranæ, qui non modò à rege sæpe defecerat, & iudiciis decretisque eius parere recusarat, sed vim etiam multis intulerat, & alienis castellis occupatis, nomen regium in illis partibus vsurparat, & falsa nota nummos adulterinos signarat, virginibusque stupratis nihil omnino pij sanctive inuiolatum reliquerat: quo supplicio affectus sit, parum constat. Alij, Budam adductum; & quòd quibusdam sacris initiatus esset, in Danubium demersum, alij, quæ constantior fama est, apud Themesuarum perpetuæ custodiæ traditum opinantur. Quibus rebus cum magna seueritatis & sapientiæ laude confectis: rex, vt sumptibus nobilium, quos diuturna Budæ commoratione propè exhauserat, aliqua ratione consuleret, concilium dimisit: & octauas in Octobrem mensem prorogauit. In Italia verò (mortuo Barbaro, Miran-

Abacus.

Petri Pokij supplicium.

Prioris Auranae interitus.

Mirandulano, Politianoque, & aliis) rex Galliæ, cùm se Neapoli commouisset, 1495.
ne à tergo à fœderatorum exercitu premeretur, & vt castra cum Aurelicii duce suo cõiungeret, qui in Italiã cum magno exercitu ex vlteriore Gallia paulo antè traiecerat: magnis itineribus ad pontem tremulum venit, vt in agrum Parmensem, per angustias montium, atque inde in Galliam penetraret. reditu verò a fœderatorum copiis sese auidè obiicientibus, intercluso, summo & memorabili ad Tarrim fluuium prælio, maximum eorum exercitum, octo milibus stratis, profligauit: & patefacto aditu, in Galliam ad renouandas belli copias, explicandaq; noui belli consilia properauit. Vladislaus interea fœda affliciente Vngariã pestilentia, totum Augustũ mensem venando, vt se longè à periculosa sæuientis morbi contagione subduceret, in syluis obeundis, perlustrandisq; consumpsit. Demum habito in Schaguar cum pontificibus quibusdã colloquio, ad Segedinum cõcilium habuit. Pestilentiæ verò magnitudine adactus, Chianadium, Baciam, sanctum Michaelem, Verrucemq; peragrauit: & traiecto Drauo, Babotiam, atq; inde per Simigium & Sabariam, Semproniumque, Posonium cõtendit, vbi Boemorum, Morauorumque cõuentum egit, & Anthonium Nitriensem legatum ad regem Poloniæ Cracouiam misit: quibus rebus ritè constitutis, inde Budam se, quò concilium octauis indixerat, retulit. ibi in Senatu regio Sigismundus Quinqueeclesiensis spontè quæstura se abdicauit, quam parum secundè hominum admurmuratione gesserat: cùm in soluendis debitis pensionibus difficillimus, nec minus in publicis pecuniis erogandis, quàm in priuatis condonandis lentus ac tenax fuisset. Sigismundus præpositus, homo & literarum, & rationum ærarii non ignarus, proquæstorẽ esse iussit; ei Nicolaus episcopi Nitriẽsis frater, qui apud Boemos prouisoris munere functus fuerat, collega additus est. Institutis Octauis, quęrẽtibus plebeiis, quòd lites immortales à iudicibus redderentur: & quæ eductæ dicerentur, nunquam decernerentur: rex edicto proposito cauit, vt expedito de eductis causis iudicio statueretur, grauem quæ imminebat opportuno consilio seditionem coercuit. Inde in frequentissimum nobilium conuentum, qui in æde D. Ioannis habebatur, ex arce vltrò progressus, pauca quæ tempus poscebat, de Beatricis nuptiis, & de dicarum exactionibus per interpretem Varadiensem differenda sibi putauit: ac de Beatrice quidem eadem, quæ antea semper, se ab ea ducenda auersum animum habuisse, ætatis eius grauitate & naturæ sterilitate deterritum, atque in hoc non suo magis, quàm eorum commodo inseruisse, ne nulla ex se superstite prole, regnum ad aliorum imperium necessariò traductum, graui seditione aliqua tandem excitata corrueret: eam verò, quò voti sui compos fieret, nihil prætermisisse, vsque adeò, vt se perfidiæ etiam apud pontificem regesque omnes Christianos insimularit, & multa in regno suo sæpe mala molita sit: quæ, ne cum muliere bellum gerere videretur, ipse dissimularit. Verba ei se dedisse, non posse inficiari, at id se cùm patrum autoritate, & aperta rei in senatu contestatione, tum eo iure facilè tueri posse, quòd ne illa quidem promissa ingentia sua præstiterit: quibus si stetisset, Austria nunquam amissa esset: se tamen eorum consilio, si secus videatur, vsurum, inque eorum potestate semper futurum. De dica verò ita locutus est, vt eam necessariò pendendam esse cõtenderit: quia per certos exploratores compertum haberet, Turcas inter Synderouiam & Taururum castellum ligneũ machinantes, multam eò materiam aduexisse, qua repentinum opus educerent, & inde Albę Græcæ portis quotidie contumeliosius insultarent. Regi hæc dicenti, alacriter ab vniuersa nobilitate responsum est: placere omnino vt virginem duceret, cuius matura fœcunditate faustissima regia proles longè propagetur: atque vt ex singulis ordinibus bini oratores deligerentur, qui Beatricem disertè, aliam vt sibi conditionem quæreret, admonerent. De dica verò, vetera regni decreta seruari sibi placere, quibus ille se, dum coronaretur, iureiurãdo interposito, obstrinxisset: nam cùm diui quondã reges sanxissent, ne, nisi in quinas domos quotãnis nummus imponeretur: ipsum regiis institutis neglectis, in sin-

Dica sen cõtributio.

gulos indixisse, & bis in anno exegisse. Quinetiam populos eius omnes grauissimè expostulare dixerunt, quòd intra sex annos bis decies octies centena millia nummûm aureûm regi pependissent: neque in quos Reipub. vsus ea collata essent, pateret. Cumque ad hoc rex subitò, sexaginta tantùm millia nummûm se accepisse dixisset, tum vniuersa nobilitas exclamauit: Enimuerò ferendum non est, vt dica imponatur, nisi in manus regias tota perueniat: imò verò in eos etiam, qui peculatum fecerint, constituenda quæstio est: nec dicas in priuatas necessitates conuerti, cum tanto regni detrimento, permittere oportere. Demum quod ad præsens tempus attineret, se non modò vnam in anno, sed duas etiam, aut tres, si rex iussisset, soluturos: & gratuitò etiam, si rex poposcisset, stipendia pro republica merituros dixerunt. Quòd si ille, ne optimatum a se voluntates verteret, triste hoc quæstionis officiū recusaret: se apud tribunos plebis eorum, qui peculatum fecerint, nomina delaturos, & eorum iudicio mulctaturos. Esse autem è quæstoribus, ad quosnam illa vectigalia peruenerint, eruendum. His in ea concione ita peractis, paucis diebus intermissis, cùm imposita dica obtineri non posset: nobiles, qui bini ex singulis comitatibus acciti venerāt, longæ tædio moræ occultè domum, cæteris Budæ remanentibus, abierunt. Nec ita multo pòst, atroci inter patres plebemque vereribus simultatibus accensæ seditioni, nouam res propè minima causam attulit. Tumultus à Christianis pueris in vico Iudæorum casu est excitatus, indecora nimis petulantia in eorum ianuas insultantibus, ac vitrea fenestrarum specilla temerè lacerantibus: quos cùm summouere pro viribus Iudæi instituissent, ingentem aduersus se humilium hominum multitudinem concitarunt, & eorum maximè, qui rebus domesticis impediti, facilè spe prædæ & rapinarum ad quodcunq; flagitium adducantur. Quem tumultum cùm quoquo modo possent sedare Agriensis familiares domo egressi vellent, maiorem multò fecerunt, & grauius plebis etiam animos irritarunt: quòd Agriensis imponendæ dicæ vulgo auctor existimaretur, & superiore item anno familiares eius ad defendendas Iudæorum iniurias missi, mortem tribus Christianis adolescentibus intulissent. Rixa vsque ad noctem perducta, aliquorum regulorum intercursu demum sedata, repressæque rapinæ sunt. Illucescente autem die multi partim superioris diei parum secunda pugna incensi, partim spe prædæ certiore illecti, Iudaicarum ædium oppugnationem renouant, crescenteque in horas multitudine, in eorum tecta valuis ianuisque refractis illapsi, supellectilem diripiūt, pignora asportant, vasis aureis argenteisque, vestibus sericis auroque intextis manus iniiciunt: al.j longè ab ædibus, quasi in statione locati, abeuntes cum præda homines opportuniore consilio aggressi, nouum diuersis vrbis in partibus tumultum spoliandorum illorum causa miscent, & quod tumultum magis augebat, familiares procerum, qui regis, dominorumque suorum iussu ad reprimendum tumulrum occurrerant, pariter ad ædium populationem conuersi, iniurias, quas defendere simulabant, vehementius inferebant. Quare in tanta totius ciuitatis trepidatione, & vniuerso omnium prope periculo, rex ad summum remedium deueniendum ratus, præfectum aulæ, cum prætorianorum cohorte immittit: qui cùm vnum, alterumve abreptum subitò inspectantibus cæteris obtruncasset: reliquos omnes facilè instantis supplicij terrore continuit. longius autem in plebem inuehi rex non est ausus, ne eius animos in pontifices vehementius irritaret, atque ex seditione seditionem multò actiorem fereret. Iisdem diebus cùm Pragenses oratores ad regem venissent, decem ei equitum millia, atq; adeò, si necessitas posceret, quindecim millia polliciti sunt: petentique regi, vt viritim vnius grossi vectigal penderent, responderunt, se summo studio bis, quatérve in anno ad eius arbitrium soluturos. Egerunt ei etiam quàm amplissimis verbis gratias, quòd causam hæreticorū pontifici Romano maximo studio commendasset, ostenderuntque se ad officium, ritusque Romanos libenter redituros, si iisdem conditionibus, quas Sigismundo imperatore obtinuissent, in gratiam redire pontificis, & senatus Apostolici posset.

Iudæorum turba.

Boem. legati.

10 20 30 40 50

possct. Demum supplicarunt, vt regnum suum inuiseret: seque suis sumptibus vniuersam aulam alituros, & omnia ecclesiarum bona à se antè adempta, vltrò restituturos, & in sacros vsus collaturos receperunt. Dica verò, quam rex maiores iam res in animo agitans imposuerat, in proximum reiecta concilium est, eius rei omnis penes Sigismundum & Agriensem, quorum ex autoritate imposita putabatur, inuidia fuit. Qua de causa Sigismūdum peculatus reum quidam fecere. Iudices extemplo dati, è pontificibus Varadiensis & Nitriensis, è proceribus Lossoncius, ex plebe Franciscus Bornemissa, qui in secūda seditione magnam adepti laudem fuerant. Iudicio agitato, ex confusis eius rationibus apertè
10 peculatum eum commisisse statuerunt. Itaque iussu regis repentè comprehensus, & in carcerem magna plebis gratulatione conditus est. Captus quoq; cum eo Dombaij proquæstor eius, qui propter eximium auariciæ artificium, omnis peculatus author habebatur: cùm soluendo non esset, ad Themesuarum perpetuo carceri traditus est. Sigismundus autem in Rempublicam se deliquisse vltrò confessus, cùm carceris fœditatem ferre non posset, dignissimum se, qui fortunis, episcopatu, vitaque ipsa spoliaretur, tacita religione, & conscientia compellente professus, quamcunque pecuniæ summam, vt inde eximeretur, soluturum esse pollicitus est. At verò vbi de pœna iudices decreuerunt, quadringentorum millium multa contenti fuerunt, moderante quidem & censente omnia
20 rege: cuius tanta in omni actione grauitas, & in castigandis flagitiis seueritas erat, vt vulgo omnes acerbum iam nimis & acrem putarēt, quem paulo antè plus iustò patientem & lentum iudicassent: metuque perculsi, omnes dicam, quam antea recusarant, ad minimū se regis etiā nutum soluturos, & omnia ex eius voluntate mandata enixè facturos esse profiterentur: plebesq; semper mobilis & titubans, vnum se tandem nunc regem habere, voce constantissima prædicaret.

ANT. BONFINII RERVM VNGARICARVM DECADIS QVINTÆ LIBRI V. FINIS.

BREVIS APPENDIX DE EODEM LADISLAO, ET RELIQVIS, PER IOANNEM SAMBVCVM TIRNAVIENSEM.

MATTHIAS cùm ætatis quadragesimo & nono, imperij verò tam variè feliciterq; acti, septimo ac trigesimo, post Viennam captam anno quinto, ad præmia diuina, hæcque labentia prorsus negligēda, humanis excessisset: regni proceres mœstissimi, iustis 10 parentatis, de alio, si fieri posset, non deteriore illo sublegendo, deliberationem suscipiunt: conuētum de more maiorum edicunt. Non ita longè pòst, qui apud Matthiam internuncij fuerant, ad suos principes, attentatis, conductisque nōnullorum suffragiis, vt, quanta possint diligentia, celebritateque, alios sibi subsidio ad solicitandum, verbaq; pro rei magnitudine facienda allegēt, scribunt. Multò maxima parte baronū coacta, ecce vndiq; legati accurrunt, prehensant, captant, conciliare animos student. Cōmunicatis rebus igitur, vel cum aliquot nimis tardis, ambitioneq; inflatis absentibus, quibus cū haud conuentum 20 iri sibi saniores rebantur: Ioannē Coruinum toties à Matthia cōmendatum, nec degenerem tamen, sed illegitimo thoro susceptum, proponunt, quòd in eo auitæ paternæq; virtutis indolem ac seminaria deprehenderent: ac memoria hoc beneficio Matthiæ, meritisq; redderetur gratia: opibus & ditionibus hunc pollere: nec aliam fuisse cum Friderico, Ladislaoque rationem repetiti fœderis, quàm vt magis essent deinceps sui filij rationes ad regnum expeditæ. Maximiliani quoque, ac Poloni, patrisq; Beatricis interpretes veniunt: multis argumentis ad impetrandam coronam quisq; vtitur. Sed cæteris, Ladislaus Boemiæ rex, qui cum Matthia erat cōiunctissimus, adeoque in altero Olomucij conuentu ab ipso regiis ornatus dimissusque muneribus, & Vngaris collaudatus, interuentu, mille- 30 que precibus, & artibus Beatricis, quæ occultè cōiugium Ladislai pridem conceperat, anteponitur: licet, qui Ioannem Albertum eius fratrem, quo cum bella getere pòst coactus est, præferrent, non defuerint. Perfecit igitur inprimis regina, sua eloquentia, totque promissis, ac immunitatibus profusis, vt Bohemiæ rex, Sigismundi Poloni frater, non tamen ilicò publicato decreto, nec aliis omnino oratoribus spe deiectis (quòd præsules quidam, & Banus Croatiæ nondum affuerint) pulcherrimo, Augustoque regno potiretur. Tandem vulgò non paucis obsistentibus, legatorum etiam indignatione expostulationibus mixta, rex deposcitur, acclamatur, pronunciatur: quique hoc illi denuncient, atque, vti fieri solet, in fines regni adducatur, in verba præscripta, priuilegiaq; Andreæ re- 40 gis iuret, iustis copiis expediuntur. Rex nuncio tam læto accepto, voluntateq;

Beatri-

Beatricis, ac studio (cuius tamen nuptias, cùm valde à vetula, sterilique abhorruerit, tantùm simularat) intellecto: de Bohemis & aliis, quas potest, manus facit: quorum comitatu, quia diuersas adhuc de se opiniones, propensum de spurio Matthiæ studium, sententiamque audierat: ad Sempthe arcem, vago fluuio circumfusam, quòd de fratris Alberti quoque furore, patrisque cõsilio, ad ciuiles tumultus excitatum quiddam subolfecerat, cõsedit: donec, quid omnino futurum, sperandumque esset, certò sciret. Auxerat idem exercitum; quia Maximilianus de recuperanda Vienna aliisque occasionem non neglecturus, ingentem edixisse militem ferebatur. Adducitur Ladislaus voto, applausuque omnium. Maximilianus interea, Vienna sine difficultate, fideque Austriacorum ciuium mutata, præter arcem, in qua Stephanus Scepusius præsidium, clàm elapsus, reliquerat, potitur. Sed ea quoque, mox subuersis muris, & ad irruptionem apertis, se dedidit. Quo successu Clasternaburgum, vicinaque oppida recuperantur. Sunt, qui sponte Ladislaum Vienna cessisse, ob ius quod Austria domus de Vngaria cum Matthia confirmarat, dicant. Verùm non contentus Maximilianus iis, quæ citra laborem, & annuente rege, fiebant: eodem anno Albam regalem, quam Paulus Kinisius apto præsidio, commeatuque copioso tenebat, subsidio Germanici imperij circumsedit: eamque vigesimoquarto, ab expugnatione inchoata die, haud sine suorum cæde, capit: itemque Vesprinium, non ita pertinaciter defensum, vnà cum aliis bene munitis locis, & ad quasuis inimicitias infestis. Marte satis prospero Maximilianus vsus, persequi victoriam, militum importunitate, prædaque onustorum, nequiuit. Etenim, quòd stipendij solutionem differri sibi causabantur, scalas non admouebant, subire cuniculis, aut vlterius progredi recusabant: vt passim relicto præsidio, Viennam suorum inobedientia reuersus sit, idq; etiam fecit, quòd Ladislaum oppositurum se ad Budam valida manu, & omnia experturum, perceperat. His ita gestis, Ladislaus anno altero, magna pompa, numeroque baronũ stipatus ingenti, Budæ conuentum promulgat: quo de præsidiis Germanorum eiiciendis, regnoq; asserendo, prorsus concludatur. Eo per aliquot dies expedito, quæ ad salutem regni, finesq; purgandos attinebant, decreta certò fuere: pauloq; pòst Cęsarianis passim præmonitis, si se cuperent incolumes, finibus liberè excederẽt, eandem Albam grauissimè oppugnat, breuiq; iniuriam & damna ea recepta vlciscitur, cunctaq; restituit: ibidem diademate Stephani, nullo vexillo vsitato regibus istic reliquo à Germanis facto, eque Matthiæ sepulchro quodam detracto, confirmatur. Quem Ladislai successum permolestè quidem Maximilianus tulit: sed ob imperij negocia tum absens, rebus, vti voluisset, succurrere non potuit. Dum Ladislaus vbertatem soli Pannonici degustat, totque à Baronibus cumulatur donis, præsertim reliquiis Matthiæ gratiam eius adiungentibus, & animum: fertur in hæc verba locutus ad Bohemos: Domini, vnctuosior est culina Vngarica: bone Deus, quàm hîc omnia sunt expedita, quàm vili veneunt. Perque fabricas & triclinia Matthiæ commeans, conspectoq; pro foribus Matthiæ ad viuum efficto ore, inquit: Verè bonus hic fuit pastor: multas oues & pingues nobis reliquit miles fortissimus. Ibi Laurentium Ducem subiecisse aliquot verba Vngarica, quibus eius rideret admirationem, aiunt: fuisse Marcũ, non Lucam, Matthiam. Quibus significabat, non eum ignauum, aut ociosum, sed leone fuisse promptiorem, animosioremque. His rex verbis non intellectis, rogat à proximo, quid Baro dixerit. interpres, vt periculum à Barone auerteret, laudat vestram Maiestatem, meliorem eam vel certè non fore deteriorem. Multa hunc regem bella simul excepere: vt nemini debeat mirum videri, ad affectiorẽ ætatem non nihil lentum fuisse, de quibus cùm edita quarta Decas Bonfinij, cum Quintæ dimidia, amplissimè narret, à repetitione supersedeo. Illud certè non tacebo, Iayzam 1502 anno à barbaris iterum vexari cœptam, prælio cruentissimo ipsum liberasse, tutioremq; Dalmatiæ oram ab exteris præstitisse. Ter Turcam à Persis; eius tempore, cæsum. Sub eo, cùm Veneti à Matthia & Pannoniis toties exorati, & ad sui defensionem exciti, denegato annuo promisso auro se-

cessionem fecissent, cum Turcis centum annorum ac vnius diei fœdus, 100000 vt audio, addita corona, Methona, aliisque in Peloponeso traditis, redemisse: idque anno quingentesimo supra millesimum, qua adhuc societate illigati tenentur. Inter Maximilianum & regem crebra legatione vtrinque de pace perpetua tractari cœptum est, legibus, transactioneque veteri, qua domus Austria nitebatur, iam inde ab Alberto cum Vngaris, postea Matthia quoque facta: ambo vt dimitterent exercitus, præsidia iniquis locis tollerent: ac si Ladislao vita functo, hæredes masculi superessent, exigua pensione ius illud ab Austriis quotannis redimeretur; sin aptum, propriumque regno ex se successorem nō relinqueret, pacta Austriis valere debere: oppida ditionis Cæsaris, sine mora, restituerentur: quæ fines Pannoniæ loca contingerent, vt Prukh, Gunsium, Ferrea ciuitas, Hamburgum, excepta lege piorum redituum ad ecclesias Vngaricas pertinentium, Austriorum esse: nec secus, quæ Germani prope Stiriam in Sclauonia & alibi occupassent, reddi debere. Beatrix spem diu matrimonij fouens, per legatos parentis nuptias vrsit: bella fuisse in causa, quo minus celebritas, vereque nuptiæ à Ladislao fuissent completæ, rata. Sed aduocato rex primorum consilio, animoque, & voluntate de coniugio mutando patefacta, illam pontificis venia apertè recusat: atque filiam Annam, principis cuiusdam de Gandala, diligentissimam (si ita licet appellare) matremfamilias, quæ nixu Lodouici extincta est, in matrimonio habuit. Sub annum deinde XIIII. supra M D. Selymus, erepto Baiazethi imperio, cùm in alias Vngariæ partes, post terręmotū, arma resumpsit: tum verò in Croaciam, maximo cū impetu, viq; apparatus nō æstimabili transit, isticq; segniores nostros à morte Matthiæ, nec ita fortunatos, obseruans, Sabazium expugnat: atq; simul fortissimū oppidum, vnde pacis, & bellorū spes eius regni pendebat, Thinninium inuadit: de vniuerso maritimo trāctu se triumphaturum sperans: quia Christianos externis bellis laborare, Ladislaum, & Polonum occupatissimos non ignoraret: contemni etiam regem ab Vngaris, & offensum aliquoties ab iis, & muneribus exhaustum, ad sibi resistendum non facilè descensurum. Claruit tum consilio, dignitate, opibusq; Thomas Cardinalis, qui vt periculū regno, nisi aliter prouisum ei sit, impendere extremum sensit: milites se absque pecunia, pontificis liberalitate, mox in hostem corrogaturum promittit. Vt igitur olim per Iulianum Cardinalem contra Amuratem factū: sic præsul à Leone decimo, qui Selymum Italiæ insidiari, priusquā Vngariam infestare cōstituisset (ob pacem ab eo vltrò Ladislao oblatam, ideoq; corruptis quibusdam Pannoniis, ne cum Selymo pacem facerent, impedierat:) totius Christianitatis auxilia est pollicitus. Diploma perfertur, quo remissio delictorum, vitaque sempiterna, qui pro Christi nomine propriis sumptibus arma capesserent, vulgò enunciatur. Ex qua demum indulgentia, quoniam eo nuncio Selymi feruor imminutus erat, & quia nuper adeptum imperium, tribus affectum à Sophi cladibus, debilitatumque, nec in diuersa bella suffecturum se norat: ideoque, vt paulò antea dictum, à Ladislao pacem impetrarat: imperita multitudo, paganorumq; coitio à nobilibus diu malè iniquéve habita, eos spiritus ac licentiā sumpsit, vt quas cū Turcis manus conserere volebant, suorū nobilium cæde & sanguine imbuendas clamitarint: aliter se vel Turca reconciliato, aut repulso, quā sperarent, nunquam habituros quietem. Peruicit opinio confusæ incertæq; plebis: ilicò incendio, rapinis omnia conflictantur; nec illius mentē quicquā sanare, aut reducere in piam memoriā, cuius amore signo crucibus notato ad militiam, societatēq; concurrissent, Christi potuit. Hinc illud incendiū horrendū, ciuileq; malū exortū, quod nobilitatem oppugnauit: seruis libertatē, si insanire liberet, promitteret. Variè, turbulenterq; ab eis re cœpta, optimis quibusque è medio sublatis, spe nihil minus veniæ scelerū perpetuæ retenta, suæ libidini pænè satis indulsere, ac sanè victoriā in manu gessissent, iugumq; debitum excussissent, nisi à Ioanne Vayuoda, non paruæ iam tunc virtutis opinione iuuene, Georgio Zekel, & aliis eius æstus furorisque antesignanis, trans Tibiscum fugatis, multoque maxima rusticorum cæsa parte, paucis dispalatis, multis comprehensis, sedi-

fis, seditio agrestium qua cuncta cruore miscuerant, fuisset extincta. Quo facto, rex animo & viribus cum nobilitate receptis, omnem cogitationem ad pacem optatam, salutisque tutelam cōtulit: rebusq; sedulò ad quietem deductis, autore Deo, rectaq; Baronum conscientia, vniuersa Christianorum pacificatio est cōsecuta. siquidem Maximilianus, cum Ladislao iam ætate graui, podagra debilitato, & Sigismundo fratre, quem de liberis suis per legatos certiorem fecerat, ipsoque approbante adsciuerat, Polonisque eum insinuarat, licet falsis rumoribus de incursationibus Turcæ, à Vayuoda Ioanne (vt quidam volunt) spatsis, regnum vt turbatum aliqua arte, adipisceretur: ad oppidum Prukh, propè Lay-
10 tam fluuiolum, conuenerat. Vbi dextris peramanter iunctis, offensa omni aduersum Sigismundum a Maximiliano deposita, Viennam liberalissimè inuitantur: hospitalitatem & amicitiam vt exemplo ibidem experiantur, à Cæsare rogantur: fœdusque perpetuum nuptiis mutuis vt confirmare velint, admonētur: esse eius necessitudinis occasionem liberos Ladislai, suosque nepotes, ac neptem: id si admiserint, omnia fore certissima & integra. Quapropter Viēnam læti, sed imbri copiosissimo excepti, & madidi, via spurcissima ingrediuntur: Ladislao cum liberis in ipsa arce hospitio designato: Sigismundo verò in ædes lepo ribus insignes pictis deducto. Quid hic splendorem, apparatusq; conuiuiorum: quid oscula, compositos & beneuolos sermones, hilaritatis omne genus, ludosq;
20 commemorem? Facilè igitur, cuius gratia Cæsar istud omne cupiebat, vt ex nepotibus alteri filiam Ladislai nuptiis illigaret, perfecit: quod vigesimasecunda Iulij mensis, concordia principum vulgò recitata, supplicationibusque in diui Stephani iustè cōfirmata, nuptiæ binæ, & illæ vicissim iunctæ sint anno Christiano 1514. Etenim, licet de Anna Cæsari optio, sibi eam velit, an alteri nepotum, data fuerit: quam etiam Ioan. Scepusiēsis, ab obitu senis patris se impetraturum aliquando sperabat, Ferdinando ea despondetur, Maria verò neptis Lodouico, iam tum regi Vngariæ copulatur. Etsi certis literis doceor, Lodouicum, retentam Viennæ, linguæ Germanicæ addiscendæ causa, sororem per Georgiū marchionem laborasse, fratri vti sponso, Carolo electo Romanorum regi, non ob-
30 stante filia regis Galli, locaretur: posse id Romanum pontificem præstare: vtque hac de causa vel in Hispaniam Carolū marchio sequeretur, per Georgiū Thurzo cameræ præfectum, sumptus 2000 aureorum, & amplius, si opus fuerit, imperatos. His ita faustè peractis, Ladislaus Budam cum filio reuersus, Anna Viennæ relicta, cùm procerum odia contumeliasque dissimulasset, podagricus, & multa carne annisque grauis Budæ vitam cum morte commutat. Visus est multis hic rex ad ocium & pacem, quàm militiam & gubernationis molem aptior: suarum enim rerum nimis pertæsus, ac profusus, eas duxerat suos reditus in angustias, tenuitatemque (licet id coactus à Baronibus, semper exigentibus aliquid & obiectantibus, præter iusiurandum illum, ipsisque inuitis, fœdus cum Cæsa-
40 sare malè percussisse, facere visus sit) vt interdum, quod mensæ apponeretur, vix habuerit. Cætera vitæ sanctæ, precibus indefessis, multum ignorantia linguæ Vngaricæ illi obfuit, dum omnia per interpretes agebat, opinionemque maiestatis non parum exterarum nationum clientela apud Barones suo modo & genio imperitare assuetos, ac viuere, detraxit. Albæ vbi cæteri reges conduntur depositus est, M D X V I I. regni vigesimo quarto.

CONTRACTVS MATRIMONIORVM REGALIVM INTER SERENISSIMVM QVONDAM LVDOVICVM VNGARIÆ Regem, & Mariam Regis Hispaniarum filiam; necnon Serenissimum Ferdinandum, tunc Archiducem Austriæ, & Annam Ladislai, Regis Vngariæ filiam, medio Maximiliani Imperatoris factus.

NOs Maximilianus diuina fauente clementia, Romanorũ Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croaciæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lothoringiæ, Brabantię, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Lucemburgæ, & Geldriæ; Landgrauius Alsatiæ, Princeps & Comes Burgũdiæ, Ilindiæ, Tyrolis, Goriciæ, Arthesiæ, Holandiæ, Selandiæ, Fereti in Kyburg, Namurci, & Zutphanciæ, Marchio sacri Romani Imperij, supra Anasum Burgoniæ, Dominus Phrisiæ, Marchiæ, Sclauoniæ, Meclunę, Portus Naonis, & Salinarum, &c. Nos Ladislaus Dei gratia, Rex Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croaciæ, Ramæ, Seruiæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæ, Marchio Morauiæ, Dux Slesiæ, & Lucemburgensis, ac Marchio Lusatiæ, &c. Nos Sigismundus, eadẽ gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lythwaniæ, Russiæ, Prussiæ, &c. Dominus & hæres. Tenore præsentium recognoscimus, & ad perpetuam rei memoriam notum facimus vniuersis, Quòd cùm suopte naturæ nostræ instituto, ea, quæ ad ornamentum, dignitatem, amplificationem, & conseruationem regnorum ac subditorum nostrorum, quibus diuina dispositione sumus præfecti, spectare nobis videtur, pace, concordia, atque amicitia potius, quàm vllo alio studio, siue officio, quærenda putauerimus, ac præsertim amicitiam, atque fraternam inter nos vnionem, quamuis aliàs auita necessitudo, sanguinisque stricta cõiunctio inter nos intercedat, nouis & arctioribus vinculis stringere, atque consolidare cogitauerimus, quò cęteri Christiani Principes exemplum nostrum imitati, facilius etiam inter se ad sancta pacis fœdera coirent, & religio Christiana propriis atque concordibus viribus & armis aliquando subnixa, sibiipsi decori, conseruationi & incremento, suis verò hostibus immanissimis formidini, ac demum exitio esset futura. Cumque eius rei causa ex multis nunc annis tam super sponsalibus, quàm vinculis matrimonialibus inter nostros Maximiliani Imperatoris, & Wladislai Regis nepotes & liberos formandis esset tractatum aliàs, tandem diuino annuente fauore, his negotiis extremam manum apponere voluimus, & in hoc celeberrimo, atque sanctissimo conuentu nostro, quem Deus propitius sua benignitate clementer indulsit, ac fieri ordinauit, vltra ea, quæ ad publicam vniuersalis Christianæ religionis vtilitatẽ inter nos acta & cõsulata sunt, memoratos Sponsaliorum & Matrimoniorum tractatus felici fine atque conclusione duximus firmandos, atque sanciendos. itaque ad laudem & gloriam inprimis Dei opt. maximi, & ad vtile religionis incrementum, necnon ad perpetuam tranquillitatem, quietem, stabilitatem, atque conseruationem, nõ tam nostram, quàm nepotum, liberorum, regnorum, dominiorum, & subditorum nostrorum: ad hos infrascriptos contractus & tractatus deuenimus. In primis contracta, celebrata, & firmata sunt sponsalia, per verba matrimonialia, & de præsenti cum solennitatibus, & ceremoniis in huiusmodi actibus interuenire solitis & cõsuetis, inter Serenissimam Dominam Mariam, nostri Maximiliani Imperatoris neptem charissimam, & Serenissimi quondam filij nostri Philippi Regis Castellæ filiam, ex vna, & Serenissimum Dominum Ludowicum Hungariæ, Bohemiæque Regem, nostri Ladislai Regis filium charissimum, parte ex altera, accedente ad hoc mutuo,

mutuo,& expresso,quantū per ætatem licuit,eorum consensu,& volūtate, proferente præfato Rege Ludouico hæc verba formalia: Ego Ludouicus accipio te Mariam in meam legitimam vxorem: contrà autem ipsa Domina Maria pronunciante: Ego Maria accipio te Ludouicū in meum legitimum maritum: coram Reuerendissimo in Christo patre domino, Domino Thoma tituli Sancti Martini in Montibus Presbytero: Cardinale,& Archiepiscopo Strigoniensi, & Patriarcha Constantinopolitano,& sedis Apostolicę de latere legato,huiusmodi contractum per annulorum subarationem, & aliis necessariis firmante & solennisante,hac potissimum lege & fine,vt succedente per tempus legitima atque
10 idonea ætate, præfati Dominus Ludouicus rex, & Domina Maria,huiusmodi matrimonium per copulam carnalem, vt conuenit, inter se consumere debeāt. Quod indubitanter ita futurum, nos Maximilianus, & nos Wladislaus Rex in verbo nostro Cæsareo & regio promittimus. Secundo,Nos Maximilianus hodie contractum matrimonialem cum serenissima Domina Anna nostri Wladislai Regis filia charissima per verba de præsenti, & ad talem actum necessaria, & proferri vtrinq; solita,celebrauimus,& solenniter in facie Ecclesię firmauimus, nobis Imperatoribus hæc verba formalia pronunciantibus: Ego Maximilianus accipio te Annam in meam legitimam vxorem: & econtra ipsa Domina Anna referente, Ego Anna accipio te Maximilianum in meum legitimum maritum:
20 coram suprà dicto Reuerendissimo Domino Cardinale legato, huiusmodi contractum nostrum matrimonialem per annulorum subarationem, & alia ad hæc requisita, & adhiberi solita,firmante & solennisante. Priusquam tamē nos Maximilianus cum Domina Anna præfata cōtraheremus,coram Notariis,ac testibus specialiter ad hoc requisitis, & vocatis, nos Maximilianus, & ipsa Domina Anna solennem protestationem fecimus,& declarauimus, Quòd si alter ex nepotibus nostris Maximiliani,videlicet, aut Illustrissimus Dominus Ferdinādus, Archidux Austriæ: siue Serenissimus Dominus Carolus, Dux Burgundiæ,& Hispaniarum Princeps,dummodo is à cōtractu cum Domina Renata,olim Ludouici,Regis Franciæ filia,aliàs facto,liber & immunis fieret,& opportuna san-
30 ctissimi Domini nostri & sedis Apostolicæ dispensatio interueniret, cum præfata Domina Anna infra spacium vnius anni a data præsentis contractus proximè futuri contrahere vellet: Quòd istud de expresso consensu & voluntate amborum nostrorum fieri posset,& præsens contractus inter nos Maximilianū Imperatorem,& ipsam Dominā Annam,in isto casu annihilatus,annullatus,& cassatus esse debeat,prout in Instrumēto protestationis desuper confecto latius continetur & exprimitur, debemusq; ac volumus nos Imperator Maximilianus huiusmodi contractum matrimonialem cum Domina Anna, nisi alter nepotū nostrorum in tēpore præfixo, vnius videlicet anni, eam per verba de præsenti ducet, per copulam carnalem infra trimestre post & supra annum,à die præsentis
40 contractus computando,consummare & cōplere, & in hunc finem pręfata Domina Anna ad manus nostras fuit tradita, & liberè consignata. Nos verò Wladislaus Rex,cùm vtraq; ista matrimonia non solùm de cōsensu & voluntate nostra,imò ex ardētissimo nostro desiderio facta sunt, vt præfatam filiam nostram charissimam, dote decenti & conuenienti honestaremus, eidē filiæ nostræ Annæ,ducenta millia florenorum Hungaricorum,dotis nomine, tenore præsentiū inscribimus,& assignamus: ita tamen quòd huiusmodi pecuniæ solutio,neq; ad præsens,neque tempore consummationis matrimonij fieri, sed ad illud tempus differri debet, quo charissimus filius noster Ludouicus cū Domina Maria matrimonium per copulā consummabit,cui Dominæ Mariæ similiter, vt infra pa-
50 tebit,ducenta millia florenorum Hungaricalium dotis loco sunt inscripta. Hoc namque matrimonio filij nostri, cum Domina Maria per copulā consummato, huiusmodi dos vtrinque compensata,& neutra partium ad illius solutionem alteri obligata sit,vel esse debeat. Vt autem vicissim nos Maximilianus Imperator, Dominam Annam,vt par esset,debitè & ingenuè remuneremus: loco donationis propter nuptias, seu contra dotes, eidem Dominæ Annæ reditus annuos vi-

ginti quinq; millium Ducatorum Hungaricalium super certis castris, locis, seu territoriis nostris in tenore pręsentium assignamus, videlicet, medietatem illorum redituum in prouinciis nostris Australibus inferioribus, videlicet super oppidis & castris Iudenburg, Leolen, Styra, Lembach ad Sanctum Hippolytum, & Gars, vnà cum omnibus ac singulis ipsorũ territoriis, districtibus, & emolumentis. Alteram autem medietatem in Comitatu nostro Tyrolis, videlicet, super oppidis, & Castro Ymbst, Caltharn, vnà cum officio in Altemburg, & super oppido & castro in Ratenberg, vnà cũ eorum omnibus pertinentiis, vt suprà ascribimus, vnà cum omnibus aliis, quæ vel ex priuilegio, consuetudine, aut de iure prouinciæ nostræ Australis Archiducissæ debentur, pro contradote. Si autem 10 istorum locorum, per nos assignatorum, reditus ad præscriptam summam non ascenderet, ex aliis reditibus nostris huiusmodi defectum, vt par est, suppleri vsque ad integrum valorem summæ viginti quinque millium Ducatorum Hungaricalium curabimus, & pari firmitate promittimus, ipsamque Dominam Annam statim post consummationem matrimonij inter nos per copulam in possessionem supra dictorum locorum ponemus, & introducemus, curabimusque vt omnes officiales, ac subditi supra dictorum locorum Dominæ Annę per nos assignatorum homagia, & alia fidelitatis iuramenta, eidem Dominæ Annæ præstare debeant. Ipsaque Domina Anna de omnibus istorum locorum officiis ac personis instituendis ad arbitrium suum disponere possit & valeat: ita videlicet, 20 vt præfata Domina Anna huiusmodi reditibus, vita sua durante, vti, frui, ac gaudere, & ex illis statum suum sustinere, & intertenere possit & valeat. In causa autem quo alter ex nepotibus nostris Ferdinandus, aut Carolus, cum præfata Domina contraheret, nos vnà cum Serenissimo Principe, Domino Ferdinando Aragonum, vtriusque Siciliæ, & Hierusalem rege Catholico, communium nepotum nostrorum auo, concordabimus & prouidebimus, vt Domina Anna pro supra dicta summa contradotis viginti quinque millium ducatorum Hungaricalium conuenienter ac sufficienter assignetur & assecuretur. Circa verò contractum Domini Ludouici Regis cum Domina Maria: Nos Imperator eidẽ Dominæ Mariæ dotis nomine similiter summam ducẽtorum millium florenorum 30 Hungaricalium tenore præsentium adscribimus, & assignamus recompensandam tum suo tempore, cum alia dote, sicut superius est expressum clarè. Vicissim verò nos Wladislaus Rex, nomine charissimi filij nostri Ludouici, loco donationis propter nuptias, siue contradotis præfatæ Dominæ Mariæ reditus annuos valoris viginti quinque millium florenorum Hungaricalium super bonis, ac locis in regnis nostris Hungariæ & Bohemiæ Reginis assignari solitis, inscribimus, & per tenorem præsentium assignamus, videlicet, in regno nostro Hungariæ, Maromarusium, cum Camera salium, & Castrum Hwzth, cum quinque oppidis, & aliis possessionibus: in regno autem nostro Bohemiæ, Hrades, super Albini fluuium, Chrwdini, Dwnor, & Iaroneiir, cum attinentibus vnà cum aliis 40 omnibus, quæ vel ex priuilegio, consuetudine, aut de iure præfatorum regnorũ nostrorum Reginis debentur, pro contradotę. Quibus omnibus ipsa Domina Maria temporibus vitę suæ liberè gaudere, vti, ac frui possit, & valeat, hoc pacto, vt si supra dicta summa in eorum reditibus summam præfixam, videlicet, viginti quinque millium florenorum Hungaricalium, non attingeret, quòd de aliis reditibus nostris hunc defectum supplere debeamus. Si autem hanc summam viginti quinque millium Ducatorum excederent, nihilominus id totum Dominę Mariæ cedere debet. Ipsamque Dominam Mariam statim post consummationem matrimonij cum filio nostro, Domino Ludouico, per copulam in possessionem supra dictorum locorum ponemus, & introducemus, curabimusque vt omnes officiales, ac subditi præfatorum locorũ Dominæ Mariæ per nos assigna- 50 torum homagia, & alia fidelitatis iuramenta, eidẽ Dominæ Mariæ præstare debeant. Ipsa quoque Domina Maria de prædictorum locorum officiis, & personis instituendis, & destituendis, ad arbitrium suum disponere possit, & debeat. Hæc duo matrimonia tametsi ad laudem in primis Dei gloriosi, & ad propagationem

tionem regalis ſanguinis,qualis eſſe debet finis & intentio Sacramẽti matrimo-
nij,à nobis inſtituta & formata ſunt:tamen,ſi Deo æterno placeret, ſicut omnes
mortalitati obnoxij ſumus,reuocare ad ſe (quod tamen longius abeſſe velit) v-
num ex ſponſis,& ſponſabus,ante vel poſt matrimonium per copulę cõſumma-
tionem : ita inter nos eſt conuentum, & concluſum eſt,& in primis in caſu,quo
ſponſum ſiue maritũ Dominæ Annæ, ſiue nos, ſiue alterũ nepotum noſtrorũ ex
humanis ante copulã diſcedere cõtingeret, quòd tunc præfatæ Dominæ Annæ,
ſumma centũ millium Ducatorũ in ſpacio vnius anni tũc proximè futuri perſol-
uatur,aut iocalia tanti valoris, ſecundũ verã æſtimationem ad numerum cẽtum
millium florenorũ Hungaricaliũ,quæ apud prouinciales noſtros inferioris Au-
ſtriæ deponere debemus,in euentũ nõ ſolutionis ſupra dictæ ſummæ centũ mil-
lium florenorũ Hungaricalium tradantur, cũ conditione tamẽ,nos aut hæredes
noſtros de Domina Anna,aut hæredibus ſuis,huiuſmodi iocalia,cũ ſumma me-
morata centũ millium Ducatorũ Hungaricaliũ redimere poſſe. Pro qua re Præ-
fati, Comites, Barones, Nobiles, Comitatus, omnesq; ſtatus & ordines prouin-
ciæ Auſtriæ ſufficiẽter ſub fide atq; honore ſuo,& ſub hypotheca omniũ bonorũ
ſuorum,mobiliũ & immobiliũ,ſe obligabũt: quòd in ſupra ſcripto caſu ſumma
ccccoo. Ducatorum Hungaricaliũ, abſq; omni diminutione,aut iocalia ipſa à
nobis apud eos deponẽda,manibus præfatæ Dominæ Annæ,aut Sereniſſimorũ
Regum Vngariæ,& Boemiæ, ſiue aliorũ,quos Serenitates ſuæ,aut regna ipſa ad
hoc deputabũt, in arce Poſonienſi tradent, & aſſignabunt,omni dolo & fraude,
& quauis machinatione ſiniſtra procul remotis.Quod vt faciãt illis tenore præ-
ſentiũ præcipimus,iniungimus & mandamus, ipſosq; ab omni obligatione ſub-
iectionis,fidelitatis, & obedientiæ, quibus nobis & hæredibus noſtris ſunt aſtri-
cti,ad hunc duntaxat effectũ abſoluimus , & liberos fore circa executionẽ præ-
dictorum expreſsè pronunciamus,& ex nunc declaramus. Hi autem,qui huiuſ-
modi pecuniã ſiue iocalia in ſupra dicto caſu ad arcem Poſonienſem perferrẽt,
numerum ducentorũ, ſiue equites, ſiue pedites fuerint,excedere nõ debebunt.
Similiter moriente ante conſummationẽ matrimonij per copulã ſponſæ præfatę
dominæ Annæ,quicunq; is fuerit,idem Prouinciales noſtri,ipſam Dominã An-
nam cum omni honeſtate, ſaluis perſonis,& omnibus rebus ſuis, & omniũ ſuo-
rum , ad omnem eius atq; Sereniſſimorum Regum Hungaricorum volũtatem,
& arbitrium,ad regna paterna,Poſonium videlicet,aut Znaymam reducere de-
bebunt,& tenentur.In caſu verò quòd vnã ex ſponſabus ante matrimonij con-
ſummationem per copulam mortem obire contingeret; nihilominus alteri ſpõ-
ſæ,quæ ſuperſtes erit,dos expreſſa,videlicet,ducentorum millium Ducatorum,
perſoluatur. Similiter ſi vnus ex maritis poſt matrimonij conſummationem fa-
tis concederet,& vxor relicta ad ſecunda vota tranſire vellet;eidem relictæ ſum-
ma illa ducentorum millium Ducatorum perſolui, & ipſa relicta ſtatim, è redi-
tibus pro contradote ſibi aſſignatis, ſibi cedere debet. Interim verò , & quam-
diu ſolutio dotis ducentorum millium Ducatorum non fit, reditus annuos, &
ſtatum ſuum tenere, & percipere poterit,ac debet. Quæ omnia ſupra dicta in-
ter nos Maximilianum, noſtroſque nepotes , ac noſtros Wladiſlai filium, & fi-
liam contracta, firmata & concluſa , poſtquam matura deliberatione præhabi-
ta,à nobis ſancita ſunt,procerum vtriuſque imperij ac regnorum noſtrorum ac-
cedente conſilio,grata, rata, firma habemus , eaque omnia in fide ac verbis no-
ſtris Regiis obſeruare,exequi,ac adimplere pro vobis nepotibus,liberis, & hæ-
redibus atq; ſucceſſoribus veſtris , neq; ex illis quoquo modo cõtrauenire dire-
ctè,vel indirectè,ex quacunq; cauſa,occaſione, ſiue colore, dolo & fraude peni-
tus excluſis,tenore præſentium promittimus,& nos obligamus. Nos verò Sigiſ-
mundus Poloniæ Rex, poſtquã hæc omnia ſupra dicta,nedum in præſentia no-
ſtra , ſed & cum ſcitu & voluntate, atque conſenſu noſtro ſancita atque firmata
ſunt; noſq; vt ſic fierent,omni opera & ſtudio laborauimus , rati non tã præfatis
Maieſtatib. ſacratiſſimi Cæſaris,& fratris noſtri Hungariæ, Boemiæq; Regibus,
Regnis & eorũ liberũm,ſed & vniuerſæ Reipub.Chriſtianæ rem tam ſanctam &

saluberrimam profuturam eadem fide nostra regia, atq; in verbo ingenui Principis præsentium tenore promittimus, nos omni fide, studio, ac opera nostra, quantum fieri per nos poterit, vt supra dicta omnia obseruētur, exequantur, integra atque illęsa conseruentur, & manu teneantur, & compleantur, sincerè atq; ingenuè curaturos atque elaboraturos.

Ad hæc nos Maximilianus Imperator, Wladislaus, & Sigismundus Reges, pro præmissorum omnium confirmatione, sanctissimum Dominum nostrū requirimus, si contractus supra scripti debitis solennitatibus, vel personarum ætate, aut alia quauis causa, siue defectu non satis essent fulciti, vt beatitudo sua ad incrementum pacis & vniuersorum salutem huiusmodi defectus suppleat, & omnia, vt acta sunt, confirmet, & approbet, omnibus in contrarium facientib. derogari. In quorum omnium fidem indubitatam, atque testimonium, nos tres præfati Principes ternas conformes literas manibus & chirographis nostris proprijs subscripsimus, ac sigillis nostris imperialibus, atque regalibus, communiri fecimus. Cumq; res istæ etiā consilio & industria atq; opera Reuerendissimorū Dominorum Cardinalium, supra dicti videlicet Strigoniensis, & sedis Apostolicæ legati, Matthæi sancti Angeli Diaconi Cardinalis Gurczeñ. Coadiutoris Saltzpurgensis, & nostri Imperatoris in Italia locumtenentis generalis, actæ, tractatæ, & conclusæ sint: manibus suis præsentes literas ad maius robur & efficaciam etiam duxerunt subscribendas. Datum in ciuitate Vieñ. Dominica die festi Sanctæ Mariæ Magdalenæ, 22. Iulij, Anno 1515. Regnorum nostrorum, nostri Maximiliani, regni Romanorum 30. Hungarici verò vigesimo sexto; nostri autem Wladislai Hungariæ 25. Bohemiæ verò 45. nostri autem Sigismundi regni Poloniæ 9.

Nos itaque præfatus Wladislaus, Rex Hungariæ, & Bohemiæ, &c. vt hoc supra scriptum exemplum ex literis originalibus fœdus affinitatum nobiscū cum Cæsarea Maiestate continentibus, ad verbum transsumi, & transscribi fecimus: & vt oratoribus nostris ea in re sanctissimus Dominus noster plenam & indubitatam fidem faciat, sigillo quoque nostro corroborari iussimus.

CONCORDIA VNGARICA, INTER SERENISSIMOS ET GLORIOSISSIMOS PRINCIPES, ET DOMINOS, DIVVM Fridericum III. Roman. Imperatorem, &c. & inuictissimum Principem & Dominum, Dominum Maximilianum Rom. & Vngariæ Regem, &c. Augustos, ex vna: & serenissimum Vladislaum, Vngariæ & Boemiæ Regem, inclytumq; regnum Vngariæ, ex altera: Posonij conclusa, Anno MCCCCXCI.

Nos Vladislaus Dei gratia, Vngarię, Bohemię, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Seruiæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque rex: nec non Slesiæ & Lucemburgēsis dux, Marchioque Morauiæ & Lusatiæ, &c. Recognoscimus, & tenore præsentium notum facimus vniuersis. Cùm nos, qui pacis & concordiæ cupidi semper sumus, & illam cum omnibus principibus Christianis, quātum in nobis est, habere, & tenere, viresq; & facultates nostras pro bono cōmuni, & salute Reipublicæ Christianæ, in hostes potius fidei, sanguinem Christianum & perniciem religionis Catholicę sine fine sitientes, quam in Christianos ipsos conuertere & expendere semper optamus: in causa guerrarum, & dissensionum earum, quæ inter serenissimos principes

cipes D. Fridericum imperatorem & Maximilianum regem Rom. ſemper Auguſtos, Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. ſimiliter reges, nec non ſereniſſimum principem quondã D. Matthiam, ſimiliter Vngarię & Bohemiæ regem, &c. prædeceſſorem noſtrum, claræ memoriæ, & tandem inter nos ſuſcitatarum, infra nominatos oratores, & nuncios noſtros ſpeciales, cum plena & omnimoda noſtra & eiuſdẽ regni noſtri Vngariæ facultate, ad conueniendum & tractandũ ſimiliter cum infraſcriptis oratoribus, & nunciis ſpecialibus, præfatarum imperialis & regiæ Rom. maieſtatum, his diebus ſuperioribus deputaſſemus, & ij ex vtraq; parte in ciuitate noſtra Poſonienſi fraternè & amicabiliter conueniſſent,
10 pluribus prius, ac notabilibus inter ſe habitis tractatibus: poſtremò, bono (vt nõ dubitamus) aſſiſtente ſpiritu, in infraſcriptos articulos pacis & concordiæ, cum bona ac matura deliberatione, deuenerunt: illosq; pari, & vnanimi volũtate, & cõſenſu, in virtute mandatorũ, quæ vtrinq; habebãt, pro vtriuſq; partis cõmodo & quiete, proq; totius Reip. Chriſtianæ conſolatione, & tranquillitate ac bono cõmuni, concluſerunt, literiſq; ac ſigillis eorum in hunc, qui ſequitur modũ, firmauerunt. Nos Thomas epiſcopus eccleſiæ Iaurienſis &c. regius cancellarius in Vngaria, comes Stephanus de Bathor, iudex curiæ regiæ & Vayuoda Trãſyluanus, Ioannes Schellenberg, regni Bohemiæ cancellarius, Ladiſlaus Orzag de Guth agazonũ, alter Ladiſlaus de Rozgon cubiculariorũ regiorũ magiſtri, Ge-
20 neſius Weitmulner burggrauius in Karlſtein, & magiſter monetarum in montibus Cuthniz, Wilhelmus Paumkircher de Zalanok, & Ioãnes de Ruppou, magiſter curiæ regni Bohemiæ: pro ſereniſſimo principe, & D. domino Vladiſlao Vngariæ, Bohemię, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. rege, marchione Morauię, ac Sleſię, & Lucemburgenſi duce, &c. D. noſtro gratioſiſſimo, & præfato regno Vngariæ, nuncij, & oratores ſpecialiter deputati: recognoſcimus, & notum facimus, tenore præſentium, vniuerſis. Quòd ad tollendas, & prorſus extinguendas hoſtilitates, guerras & diſſenſiones inter ſereniſſimos & inuictiſſimos principes, & D. dominos Fridericum imperatorem, & Maximilianum regem Roman. ſemper Auguſtos, &c. ac Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. reges, eorumque terras,
30 principatus, dominia, ſubditos & incolas ex vna; & ſereniſſimũ quondã D. Matthiam Vngariæ & Bohemiæ regem, & conſequenter ſereniſſimum principem & D. dominum Vladiſlaum, regem Vngariæ & Bohemiæ, & inclytum regnum Vngariæ, regna, principatus & dominia illi pertinentia, eorundemque ſubditos, & incolas, partibus ex altera; dudum tempore ſereniſſimi principis quondam D. Matthiæ ſimiliter Vngariæ & Bohemiæ regis, &c. claræ memoriæ exortas: & occaſione iuris, quod idem D. Maximilianus rex ad ipſum regnum Vngariæ, vigore cuiuſdam inſcriptionis habere dinoſcitur, poſt eius mortem vſque in hęc tempora noſtra cõtinuatas, ſuffulti plenaria & omnimoda autoritate, & poteſtate præfati ſereniſſimi, & gratioſiſſimi D. noſtri Vladiſlai regis, prout in lite-
40 ris mandati noſtri nobis deſuper dati, clarè contineri dinoſcitur: Cum ſpectabilibus, magnificis & generoſis D. Thobia de Goskouitz & de Cſchernahora, præfatę maieſtatis imperialis capitaneo generali, Matthæo de Spaur, ſuæ maieſtatis camerario, ac pincerna hęreditario comitatus Tyrolonẽſis, Bernardo Perger, iuris pontificij licentiato, imperiali protonotario, & Ioanne Fuchſmagen doctore, imperiali conſiliario, pro eodem ſereniſſimo principe, & D. domino Friderico Rom. imperatore ſemper Auguſto, &c. oratoribus, & nunciis ſpecialiter deputatis: item Yttel Friderico comite de Zolarn, regiæ Ro. maieſtatis capitaneo in Hohenburg, Bernardo D. de Polhaim, Decretorum doctore, regio cõſiliario, Heinrico Pruſchinkh, libero D. in Stettenberg, regio camerario, Ioanne Kiiſchoruath de Halapſich, & Georgio Rottaler, regiis cõſiliariis, pro eodẽ ſere-
50 niſſimo principe & D. domino Maximiliano Rom. rege ſemper Auguſto, &c. Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. ſimiliter rege, archiduce Auſtriæ, duce Burgũdiæ, Britãniæ, Brabãtiæ, Stiriæ, Carinthię, Carniolę, Gelrię, &c. comite Flandrię & Tirolis, &c. ſimiliter oratoribus, & nũciis ſpecialiter deputatis: in vnum cõuenientes, & inter p̃fatos principes, nec nõ regna, & dominia, atq; ſubditos eo-

rum pacis materiam diu longeque tractantes: tandem post diuturnos & inexhaustos labores, diuina aspirante clementia, de communi & vnanimi consensu, & concordia cum præfatis oratoribus, pro quiete & tranquillitate dictorum principatuum, & dominiorum, tum & vniuersæ Christianæ religionis cōsolatione, huiusmodi bella, guerras, dissensiones & differētias præsentium tenore sopiuimus, & prorsus extinximus, sub modo & forma articulorū infrascriptorum, ad quos deuenimus, eosdemque in virtute præfati mandati nostri conclusimus, in hunc, qui sequitur, modum. Primò conuenimus, quòd sereniſsimus D. Vladislaus rex, deinceps pro vero & indubitato Vngariæ rege maneat: regnumque ipsum etiam in hæredes suos masculos legitimos, ex lumbis suis procreatos, sub conditionibus infrascriptis transmittatur, & deuoluatur. quodque inter præfatos Rom. imperatorem, & vtrosque reges, eorum regna, principatus, terras, dominia, subditos, incolas & habitatores eorundem, hinc in antea firma atque perpetua sit & maneat pax, venia & concordia: ac quicquid hactenus ab initio belli huius, à tempore præfati quondam regis Matthiæ vsque in hanc horam, præda, captiuitate, homicidio, exustione, aut quacūque alia vi bellica inter hæc dominia subditos, habitatores, stipendiarios & ministros commissum est, id vniuersaliter abolitum sit, & perpetuò extinctum. Et principes ipsi amicitia, beneuolentia & fauore se mutuò complectantur: præcipuè verò Cæsarea, & regia Rom. maiestates, ipsum D. regem Vladislaum, vti suarum maiestatum cōsanguineum regnique sui Vngariæ statum apud sanctiſsimum D. nostrum summum pontificem, sedem Apostolicam principes sacri Ro. imperij, & aliàs, vbi opus fuerit, præsertim in facto defensionis præfati regni ab incursione & vastatione nephariæ gentis Turcorum sincerè promoueāt, & faueant eisdem. Viciſsim quòd ipse D. Vladislaus rex & regnum, prænominatis Ro. imperatori & regi, omni studio & cōsilio & fauore adesse debeant, statū & dignitatem eorum pro posse suo adiuuando & ampliando. Item conclusum est, quòd omnia ablata in hoc bello, præter bona mobilia (quæ, vt fit, illico distrahuntur, ad quorumq; restitutionem nemo præsentis tenore cogatur) principibus, & ipsorum subditis, moderationibus & conditionibus sequentibus restituantur. Inprimis, D. Vladislaus rex, vniuersa castra, ciuitates, munitiones, & alia loca cum suis pertinentiis, in Austria, Stiria, Carinthia, Carniola, & aliis dominiis hæreditariis Cæsareæ maiestatis, quæ in suæ serenitatis & suorum subditorum manibus sunt, & per quōdam dominum Matthiam regem vi armorum, & in bello, quod cōtra imperialem & regiam Rom. maiestates gessit, obtenta fuerunt, aut aliàs quoquo modo in manus suas venerūt, cum omni iure (si quod in illis habere potuit Rom. imperatorum) infra tempus, modos, & conditiones hic proximè descriptas, præsentis tenore reddere teneatur. Similiter & eidem Cæsareæ maiestati omnia iura, quæ idem D. Matthias rex in castris, quæ sua maiestas Cæsarea vsque hodie in terris suis hæreditariis recuperauit, forma & modo melioribus, vt fieri potuit, cessisse intelligatur. Item conuentum est, quòd ipse D. Vladislaus rex, loca subscripta infra hinc, & festum sanctæ Luciæ proximè venturum, Rom. Imperatori, aut eius officialibus, quos ad hoc maiestas sua deputabit, reddere teneatur: & prouidere, quòd in reddendo huiusmodi loca, ipse rex hominibus suis præcipiat, & disponat, vt pacificè, sine spoliis oppidanorum, aut asportatione bombardarum, & aliarum machinarum bellicarum, quæ in præsentiarum in ipsis locis sunt constitutæ, & ad ea præcisè pertinent, recedant, huiusmodi machinis illic relictis, & sunt hæc loca, quæ infra hinc, & festum sanctæ Luciæ cedere debent: Stuchsenstein, Starhenberg, Gutēstein, Liechtenuerd, Potēdorff, Korneunburg, Schmida, Laa, Egenburg, Cisterstorff, Schonberg, Hohenprugk: & alia castra, loca, & munitiones, quæ fortè sunt in manibus D. regis Vladislai, aliis non obligata, hoc tempore cedet. At oppidum Retz, & castrum Wolkerstorff, D. Vladislaus rex assignare tenebitur Rom. imperatori, infra hinc & festum S. Blasij proximè venturum: infrascripta verò castra, oppida & munitiones cùm sint alijs obligata & inscripta, & hoc tempore egeat ipse D. rex Vladislaus, vt ea ex illorum manibus

redi-

redimat, conuentum est, vt ea infra medium annum, aut ad summum, infra annum, initium eius à festo S. Martini nunc instante computãdo, vel citius, vt fieri poterit, ad manus Cæsareas vel Rom. regias, si (quod absit) Cęsar interea excederet ex humanis, consignare debebit: videlicet Kirchslach, Ebenfurt, Walterstorff, Horn, Alentsteig, Gmund, Meilperg, Grœbern, Katenbrun, Potenberg, Kreutzen, Stettẽ, Kadau, Schaunstein, Obern Ruospach, Krainberg: similiter & alia omnia, & si quæ castra, & loca cum suis pertinentiis, in præfatis Cæsareæ maiestatis dominiis hæreditariis sita, quæ aliis obligata esse possint, & hîc nominata non sunt, infra præfatũ annũ Cæsareæ maiestati ipse D. Vladislaus rex assignare debebit. Ex parte autem castri Schœnkirchen, quoniã istud non vi armorum, sed emptionis titulo ad manus Sigismundi Schnaitpekh, à quodã nomine Reutter deuenisse constat, conclusum est, quòd idem castrũ in manibus ipsius Snaitpekh maneat: saluo tamen, quòd hæredibus, & aliis ius ad dictũ castrũ habere prætendẽtibus, ad eorũ impetitionem corã principe patriæ, vti alius patriæ incola, stet iuri: quodq; sententia mediante decretũ fuerit, exequi patiatur absq; aliquo impedimẽto: castrum verò Iohenstein Ioanni Sokolskij, ad quem iure hæreditario pertinet, restituatur. Item conuentum est, si aliqui, quibus dicta castra, & munitiones obligatæ sunt, pro honesta & cõuenienti satisfactione, quam D. Vladislaus rex ipsis offeret, infra nominatum annum, aut quencunq; ab ipso D. Vladislao rege, in tali tempore anni requisiti fuerint, cedere nollent: quòd tunc Cæsar & Rom. rex armis, auxiliis, & consiliis, aut aliis viis & modis, prout principes ipsi inter se conuenerint, D. Vladislao regi adesse tenebuntur, quo tãto cõmodius huiusmodi rebelles ad traditionem ipsorũ castrorũ, quæ tenẽt, Cæsareæ maiestati cõstringere possit: quodq; ipse rex Vladislaus tenentib. huiusmodi castra, talem ponat modum, quòd in hoc tempore, quousque Cæsareæ maiestati consignari debent, redditibus ad ipsa castra pertinentibus sint contenti, & vicinos non molestent, neque perturbent, neque pacis huius violatores aut turbatores in ea castra intromittant, neque cum eis fœdus vllum (sub quocunque colore aut forma id fieri possit) ineant: contrauenientes, vt pacis violatores, puniendo. Item conuentum est, quòd infrascripta loca ecclesiis, aut ecclesiarũ pręlatis ꝑtinentia, per ipsum D. Vladislaũ regem ad manus Cæsareas, sub eadẽ inscriptione, & obligatione, sub qua ea tenuit Matthias rex pręfatus, aut ad manus regias, casu, si interea Cæsar vita fungeretur, cõsignari debent: ita tamen, vt cùm ipsi prælati, ad quos huiusmodi loca pertinent, Cæsareæ maiestati, aut post suam maiestatẽ, Rom. regi satisfecerint; quòd tũc suæ maiestates ea loca ipsis prælatis reddere, & nullo modo ab ecclesiis alienare valeant. Sunt autẽ hæc, & nonnulla alia loca, ferè omnia apud man⁹ Iacobi Zekelij: videlicet, Petouia, Prischatz, vel alio nomine Kaim, Liechtemuald, Reichẽstein, & si qua sint alia hîc non nominata, eadem lege tradi debebũt. Item conuentũ est, quòd Cæsarea & regia Rom. maiestas, ipsum Iacobũ Zekelij seriosè, & omni via meliori requirere debebũt, quòd omnia, & singula castra, oppida & munitiones, quæ in terris hęreditariis Cæsareæ maiestatis quondã D. regis Matthię nomine tenuit, & hodie quocũq; nomine tenet, siue sit ecclesiarũ, siue Cęsareæ maiestatis, siue aliorũ, suæ maiestati absq; vlla dilatione restituat. Et ne eis sese rex ꝑ fidem pręstitã, vel alio modo, ab ea traditione faciẽda excusare possit: cõuentũ est, quòd ipse D. Vladislaus rex, similiter & illustris D. dux Coruinus (quãdoquidem regnũ cum eodẽ duce concordauit, quòd huiusmodi castra regno reddere debeat) eidẽ seriosè scribãt, & admoneant, vt huiusmodi loca præfata Cęsareæ maiestati, ad eius requisitionem, absq; vlteriori mora cedat in effectu. Qui si post huiusmodi requisitionem adhuc cedere nollet, pretendens occasionẽ alicuius obligationis, qua vel D. rex Vladislaus, regnũ, vel dux Coruinus, sibi videatur esse obligatus, ad huiusmodi cessionem, donec sibi satisfiat, artari nõ debere: conclusum est, quòd in tali casu Rom. imperator, vel rex, tres viros eligere, similiter & D. Vladislaus rex tres nominare, qui sex in oppido Haimburg, in termino duodecim hebdomadarũ, initium earũ a tempore requisitionis dictorũ castrorũ computãdo, constitui: vbi &

ipse Iacobus,& aliquis cum sufficiente mādato,nomine D.regis Vladislai & ducis Coruini,corā illis comparere,qui more arbitrorū hinc inde quilibet,& querelas,differentias,& actiones,& responsionem vtriusq; partis sufficienter audire debebunt. Quibus auditis,studebunt partes amicabili cōpositione vnire. Quam si reperire non possint,ex hinc inde deductis,quid iuris sit,cognoscent. Qui si sic sententiando omnes,vel maior pars concordabunt,quod decretū est,illico exequutioni demādent. Si verò sic sententiando sint pares quoq; pro parte sua sententiam dicentes, ex tunc acta iudicij vnà cum arbitrorum sentētiis clausa,& signata, ad illustrē principem & D. Ottonē ducē Bauariæ:tanquā superarbitrum, qui ab ambabus partib. vt se huic negotio intromittat, interpellari debebit, trāsmittent. Qui visis actis,vnā ex illis sententiis probare teneatur: & quamcūq; suo laudo probandam duxerit,ea absq; mora in executionē mitti debebit: vbi si dominus Vladislaus rex,aut Dux Coruinus, in aliqua pecunia soluenda sententiati fuerint: neq; in prompta pecunia ij subitò soluere habeant: debet ipse Iacobus Zekelij, positis pignoribus sufficientibus, pro æquitate & qualitate debiti contentari. Totus autē ille iudicij seu arbitrij actus, in termino duorū mensium, postquam partes in Hamburgo cōparuerint, finiri debebit: nisi ius ipsum longius tempus expostularet. At nihilominus teneatur Iacobus Zekel prænominata castra, absq; mora, ad manus Cæsareas consignare: qui si super hæc omnia rebellare,& hanc conditionē neq; suscipere, neq; loca præfata Cæsari cedere vellet:ex tunc ambo reges & Cæsar se mutuo iuuare debebunt,eundē ad obedientiam cōpellendo. Si tamen idem Iacobus castra & loca præfata Cæsari sine difficultate,& dilatione,postq̄ requisitus fuerit,restituet: conuentum est, quòd ex tunc D. Vladislaus rex de eo sit contentus,& ei quietantiā absolutoriā de omnibus præstet,si & in quantū nihil obligationis à sua serenitate, vel duce requiret. Item quantū pertinet ad castra & oppida intra fines regni Vngariæ cōstituta, videlicet Ferream ciuitatē, Forchtenstein, Kobelstorff, Hornstein, Rohonz seu Rechniz,Gunz,Perstain,& alia loca,quæ ante bellum quondā regis Matthię fuerunt in manibus sacræ imperialis maiestatis:conuentū est,quòd ea loca omnia præter Rechnitz,cum suis pertinētiis antiquis (quod imperialis celsitudo de gratia speciali D.Wilhelmo Paumkircher,iuxta suæ maiestatis literas donauit) debeāt apud suam maiestatē remanere,secundū vim & tenorem prioris inscriptionis & concordiæ,tempore pręfati regis Matthiæ cum imperiali maiestate factæ. Sed quoniā Ferrea ciuitas,& Forchtenstein,& Kobelstorff, vsq; hodie in manibus D. regis Vladislai,aut suorū subditorū habentur,conclusum est,quòd ea loca cum suis pertinentiis idem D. rex Vladislaus ad manus Cæsareas, infra hinc,& inde sanctæ Gerdrudis proximè venturam,quæ est decimaseptima Martij, anni nonagesimi secundi,consignare debebit: retentis tamen omnibus conditionibus,circa ea loca in priori tractatu notatis,in suo vigore:pręsertim in facto impositionis super homines illorum locorum,ob generale passagium, pro defensione regni,& iurium,& exercitij iurisdictionis pertinentis ad ecclesiam Lauriensem,aut alias ecclesi is regni. Et quidem non solùm in locis præfatis, sed quibuscunq; aliis locis regni, in quibus decimæ de iure ipsi ecclesiæ Lauriensi, vel alijs ecclesiis in regno cōsistentibus percipi solent. Vbi si quisq̄ locorum illorū capitaneus, vel officialis, aut alius subditus imperialis maiestatis in solutione decimarum,aut aliorū iurium,ecclesię rebellis,vel ea iura (vti ius postulat) nō soluisse compertus fuerit: cōpelli debet per Cæsaream maiestatē, ad satisfactionē integram,vnà cum expēsarum solutione. Quocirca vt huiusmodi turbationes, quæ pro tempore fieri possent, vitentur, dignabitur sacra imperialis maiestas, tales illic ponere castellanos, qui cū vicinis amicabiliter viuant, via facti nihil cōtra eos attentent,& ecclesiis sua iura (vt ab antiquo est introductū,relinquant. Itē,quòd ipse D. Vladislaus rex & regnū, literas illas obligatorias pro centū millibus florenorum, datas quondam Matthiæ regi in prima cōcordia, Cæsareæ maiestati reddere debeant: quam si habere non possent, obligabūtur dare suæ maiestati quietantiā sufficientē,qua sua maiestas, subditi, & omnes status ducatuū & dominiorum

miniorum suæ Maiestatis sint assecurati. Et nihilominus literæ huiusmodi, præsentis tractatus vigore, ipso facto intelligantur cassæ & extinctæ. Itē ipse D. Vladislaus rex, & vniuersum regnum, veteres illas inscriptiones super successione factas ratificare, confirmare, & renouare teneātur: ita videlicet, quòd si ipsum D. Vladislaum regē hęredem masculum non cōtingat suscipere, aut susceptum vita fungi, nullo hærede masculo per lineā rectam descendente, post eum relicto; regnum ipsum, cum vniuersis aliis regnis, prouinciis & dominiis, ad coronam regni Vngariæ spectantibus, in ipsam regiam Rom. maiestatem, aut eius hæredes per lineam rectā ex lumbis suis descendentes, deuolutū intelligatur ipso facto.
10 Item quo regia Rom. maiestas de huiusmodi successione magis assecuretur, cōclusum est: quòd D. Vladislaus rex huius rei ac aliorum negotiorū regni gratia citius (vt fieri potest) diætam indicat, de cuius tempore D. consiliarios Cæsareæ aut Regiæ Maiestatū Viennę existentes auisabit tempestiuè, ad quam conuocet prȩlatos, barones, ciuitates, & alios regni status potiores, in maiori (vt pro temporis breuitate fieri potest) numero: vbi & Rom. regis oratores adesse debebūt. Qui prælati, barones, ciuitates, & alij status regni, illic comparēdo hunc præsentem tractatū solenniter acceptabunt. At omnes & singuli sese, pro se, hæredibus & successoribus suis, literis patentibus inscribent, in hanc sententiā: Si D. Vladislaū regem liberis masculis, ex lumbis suis legitimè procreatis, non relictis, aut
20 eisdem relictis & sine hæredibus descendentibus mortuis decedere contingat, quòd in tali casu, ipsum Maximilianū Rom. regem, aut eo non existente, aliquē ex filiis suis, aut iis non existētibus, eorum hæredibus masculis, per lineā rectam ex lumbis eorum descendentibus, quem eligendum duxerint, pro suo legitimo & indubitato rege acceptabunt, ad possessionem regni absque omni difficultate venire permittent, in possessionem regni inducent, & illi vti regi & domino suo debita obsequia præstabunt: hancq; sententiam publicè & solenniter in eadem congregatione Rom. regi in præfatorū regis Rom. oratorū prȩsentia iurabunt. Item, quoniā multi fortassis, quorū interest, aut interesse debebit, in hac congregatione nō comparebūt: & ipsius negotij magnitudo expostulat, vt hæc prȩsens
30 concordia omniū auribus immittatur: conclusum est, vt hac & aliarū regni necessitatū gratia, D. rex Vladislaus alteram diætam generalem ad festa Pentecostes proximè ventura, vel circa, in aliquo insigni loco, seu ciuitate regni, indicat: vbi similiter oratores Rom. regis adesse debebunt: in qua conuocatis omnibus incolis totius regni, & dominiorū illi pertinentium, hunc tractatum & vnionem vniuersaliter publicari, & ab vniuerso populo Rom. regem aut suos hæredes, casu, quo ipse Vladislaus rex sine legitima prole masculina superstite mortem obiret, in futurū Vngariæ regem acceptari faciat. Et si qui illic comparentes, in priori congregatione visi nō fuerint: illi prænominatū iuramentū publicè, modo, quo suprà dictū est, prȩstare, & literas confitentes, itidem, quod generales
40 illæ literę in prima congregatione recognouerunt, roborare debebūt. Item conclusum est, quòd huiusmodi literarū roboratio, & iuramētum, deinceps de persona in personam descendat tam diu, quousque talis casus de succedēdo Rom. rege, aut sua prole verificetur: ita, quòd quotiescunq; aliquem regni prælatum ad prælaturā suam de nouo assumi cōtingat, quòd is in assumptione sua, prȩsentem tractatum de successione Rom. regis aut suorum hęredū, iuret velle obseruare, & eum prosequi, vt de iuramento in prima cōgregatione superius dictum est, insuper & literis patentibus, quibus & iuramentū huiusmodi se prȩstitisse, & tractatum præsentem seruare velle, se se obligare tenebitur. Alioquin nisi hęc fecerit, ad huiusmodi prælaturam admitti non debet. Pari modo palatinus regni,
50 banus Croatiæ, Vayuoda Transyluanus, comes Themesiensis, Bani de Iaytza, Zeucrinensis, & Nandor Albensis, Castelli, castri Budensis, comes Posoniensis, & alij officiales maiores, & castellani potiorum castrorum regni, quę in finibus regni sunt constituta, quotiescunque tales de nouo ad sua officia assumi contingat, iurare Rom. regi & literas dare, modo, quo suprà de prælatis dictū est, tenebuntur: neque aliàs homini eorū officiis præficiantur. Item conseruatores sacræ

coronæ regni præsentes & futuri, in ingressu officij sui iurabunt Rom. regi, eam coronã, si accidat D. Vladislaum regem sine legitima prole decedere, nulla post eum masculina relicta, modo quo suprà dictũ est, ad nullius manus dare, sed pro coronatione ipsius Rom. regis, aut sui sanguinis, ex se per lineã rectã descendentis, fideliter conseruare. Similiter & cum ipso castro Vissegrad, soli Roman. regi, aut hæredibus suis, in tali præfato casu obedire velle: & de his literas suas patentes roborabunt. Item, si D. Vladislaus rex excederet ex humanis, hærede masculo annis minore relicto: conuentum est, quòd hi qui hæredem talem iuxta regni ordinationes & cõsuetudines sub tutela sua tenebunt, pari modo & de nouo iurabunt, cùm tutelam huiusmodi suscipient, præsentem tractatũ, quàtum ad successionem, manu tenere, & secundũ illius tenorem viuere. Hæres insuper ipse, cùm ad legitimã ætatem peruenerit, tenebitur omnia hîc in præsenti tractatu cõclusa, literis & sigillis pro se & hæredibus suis, eo modo, quo D. Vladislaus rex fecit, antequã regni gubernacula assumet, roborare & confirmare. Et is modus seruandus erit de hærede in hæredẽ, & tutoribus eorundẽ, continuãdo quousque successio ipsa in sanguinẽ Rom. regis, si superextat, deuoluatur. Item conuentum est, quòd literæ roborandæ in prælatorum, officialiũ, aut tutorũ assumptione, nouæ, & aliæ literæ omnes, de quibus suprà fit mentio, mox vt fuerint roboratæ, præsentari debeant in Hamburgã, reponendo eas ad iudicẽ, & consulatum, aut castellanum ibidẽ, vti placitum siue ordinatum fuerit per Rom. regem, quorũ opera vlterius ad manus Rom. regis transmittentur. Item cõclusum est, si D. Vladislaus rex, sic, vti præmittitur, sine hæredibus masculis decedẽs, filiam vnam, vel plures reliquerit, tenebitur rex Rom. vel hæredes eius, qui tunc regno præficientur, easdem pro consuetudine regni honestè dotare, & maritare. Item si D. Ladislaus rex, sic, vt præmittitur, sine hæredibus masculis decederet, vxore sua vidua relicta, tenebitur Rom. rex dotem ipsi viduæ iuxta regni consuetudinẽ debitam, soluere. Ex integro idem conclusum intelligatur de hæredibus succedentibus, hæredibus Rom. regis, quotiescunque viduas vxores post se superstites reliquerint. Item conclusum est, quòd Rom. rex aut hęredes sui, regnum suscepturi, pro eiusdem regni & incolarum suorum consolatione, & commodiori contra hostes defensione, in ipso regno, saltẽ pro maiori parte temporis, habitare dignentur. Item conuentũ est, si regni Vngariæ hæreditas modo prædicto in sanguinem Cæsareum deuoluetur, quòd is, qui iuxta capitula præfata à regnicolis rex acceptabitur, vel eligetur: pro regni defensione, & consolatione, quàm primùm venire, & accelerare debeat. Qui similiter non armis, vt hostis, regnũ intret, sed se in limitibus regni iuxta morem expectet, quousque per prælatos, barones, & alios regnicolas honorificè susceptus, sine dilatione introducatur: qui & tunc iura, & cõsuetudines regni antiquas, & approbatas seruare, & regnicolas omnes in suis iuribus, & libertatibus, & approbatis consuetudinibus cõseruare, & cõfirmare promittet: quemadmodũ & alij reges prædecessores sui promittere, & cõfirmare cõsueuerunt. Item, Rom. rex titulo regni Vngariæ vti poterit, & ita à domino rege Vladislao & regnicolis appellabitur, quemadmodũ Cæsarea Maiestas eodem hactenus vsa fuit, & deinceps vtetur. Vicissim, quòd Cæsar, & Rom. rex, & ipsorũ subditi, D. Vladislaum regem Vngariæ cũ titulo solito regni Vngariæ appellare, & intitulare tenebuntur. Insuper pro solidiori perpetuæ huius vnionis fundamento conuentum est, quòd idem D. Vladislaus rex, circa regnicolas regni Bohemiæ laborare, & omnem sibi possibilem dare debebit operam, & studium impendere, quò eosdẽ inclinet, & in hanc sententiã trahat, vt eo sine liberis masculis decedente, hunc D. Maximilianũ regem, aut hæredes suos legitimos ex lumbis suis descendentes, regẽ sibi præficiant. idq; quantocius fieri potest incipere, & omnes fauores, & studia sibi possibilia adhibere debebit: vt ipse rex Rom. & nemo alius, in hoc Bohemiæ regno sibi in tali casu succedat. Itẽ conuentum est, quòd in recompensam aliqualẽ expensarum, factarũ per Rom. regẽ in hoc bello, & requisitione iuris sui, ipse D. Vladislaus rex soluere debebit Rom. regi centũ millia florenorũ Vngaricaliũ, in auro iusti ponderis, vel argẽto,

aut

aut moneta currẽte in Austria, cōputando semper quatuor Renenses, aut tãtum monetæ sic currentis, pro tribus florenis Vngaricalibus, in spacio duorum annorum: quorum initium computando sit à festo S. Martini nunc instanti. Ita tamen, quòd triginta millia teneatur soluere in termino primi dimidij anni, & alia triginta millia in fine primi anni: reliquę verò summæ medietatẽ in fine secundi anni dimidij, & alteram medietatem in fine secundi anni. Et pro huiusmodi pecunia ipse D. Vladislaus rex & regnum, Romanorum regem assecurabunt literis, & sigillis, in ea forma & obligatione. Quòd si aliquam ex illis summis soluere neglexerit, quòd ex tunc eius loco duplum, hoc est, pro triginta sexaginta, & 10 pro viginti quadraginta millia soluere sit obligatus. Liceat insuper Rom. regi, negociatores regni, & eorum bona, vbicunq; ea inuenire poterit, arrestare tamdiu, quousque huiusmodi duplum solutum fuerit: & occasione arrestationis huius, non intelligatur præsens vnio & pax esse violata. Item cōuentum est, quòd omnes iniuriæ, dissensiones, discordiæ & differentiæ, quoquo modo occasione præsentis belli, adhæsionis Rom. regi infra scriptarum personarum, videlicet reuerendissimi Ioannis episcopi Vesprinienfis, & magnificorum, & nobilium virorum D. Ioannis comitis Czetin, Iacobi & Nicolai Zekelij, Ioannis Kiishoruath, Stephani & Georgij fratrum eius, Laurentij Banffij, Ioannis Berizlo, & Francisci filij eiusdem, ac Ioannis filij quondam Martini Berizlo, Ladislai Ioan- 20 nis & Stephani fratrum de Kanisa, Nicolai Zechij de Alsolijndua, Iacobi Banffij de Lijndua, Ioãnis & Stephani fratrũ de Elderbach, Nicolai comitis de Frangepan, Michaelis comitis filij Dvvian, Nicolai Hagmas de Zenthgroth, Ioãnis Bornemiisza, Georgij de Streseule, Georgij de Welike, Petri Ampolith Elezuaijda, Nicolai Kalmaniitz Petritz, Matthiæ Clasitz, Petri Eletz, Nicolai & Ladislai filiorum Franconis quondam Bani de Tallotz, Ioannis Banffij filij quondã Perconis, Bani Bernardi & Georgij filiorum quondam Francisci Banffij, & Ioannis filij Nicolai de Tallotz, Ladislai Oschsi, inter prælatos, barones, nobiles, oppidanos, & alios regni Vngariæ & pertinentiarum incolas, & eorum subditos exortæ, prorsus sint sublatæ & extinctæ. Quodque præfati, & alij quicunque adhæ- 30 rentes & confœderati Romanorum regi, hic suis nominibus nō designati, apud D. Vladislaũ regem eadem gratia & beneuolentia, vti cæteri incolæ regni, tractentur, cum abolitione omnium præteritorum, quouis modo in hoc bello contra suam serenitatem & regnum attentatorum, & sublatione omnis indignationis omnino. Quibus & cuique eorum seorsum, sua serenitas huiusmodi reconciliationis in forma honesta: insuper & libertatem, & facultatem vbicunque, aut cuicunque principum, qui non sit hostis suæ maiestatis, aut regni, aut hostibus adhærens, & præsertim ad honorem Rom. regis præstita: tamen prius obedientiæ & fidelitatis iuramento, instar aliorum ipsi D. regi Vladislao extra regnum standi, & seruiendi, prout ipsis libitum, aut cōueniens fuerit, libertatibus regni, 40 & oneribus, circa eorum bona, & redditibus supportandis, semper saluis, ad eorum instantiam & petitionem clementer concedere & admittere debebit. Conclusum est insuper, quòd in spacio quatuor mensium, initium eorum à prædicti S. Martini festo sumendo, præfati adhærentes in omnia eorum bona immobilia & iura, quæ post mortem regis Matthiæ Rom. regi adhęrentes perdiderunt, restituantur. Si autem huiusmodi bona in quorundam baronum aut incolarum regni manibus teneantur, quæ D. rex Vladislaus non nisi armis, ob eorum temeritatem, ab eis eripere valeat: conclusum est, quòd hoc casu sua serenitate contra tales ipso facto armis procedendo, quicquid temporis vltra dictum spacium quadrimestre pro recuperatione eorundem locorum curret: neque imputari, 50 neque huic tractui obesse debebit. Ipsi insuper adhærentes, quibus castra sua in hoc bello non sunt adempta, tenebũtur in spacio octo hebdomadarum, initium earum à festo S. Martini iam dicto computando, nisi à regno abessent ipsi, D. Vladislao regi præstare iuramentum fidelitatis, quemadmodum moris & consuetudinis est in regno hactenus obseruatæ. At absentium loco sufficiet, quòd huiusmodi iuramentum fratres eorum præsentes vsque ad eorum reditum in-

terea præstare teneantur, & præstent: ipsis autem superuenientibus huiusmodi iuramentum per se præstare tenebuntur. Quicunque autem hæc vti præscripta sunt, siue præsentes, siue absentes, facere neglexerint: præsens tractat* ipsis minimè suffragari debebit. Quibus verò castra, vel alia bona sua hoc tẽpore belli sunt ablata, illi tunc tandem iuramentũ huiusmodi præstare tenebuntur, cùm eorum bona ipsis modo iam præscripto restituta fuerint. Præterea si qua telonia, vel alia bona, siue hæreditaria, siue pignoraticia, nominati adhęrentes aliis occasione præsentis belli abstulissent, vel occupassent, teneantur & isti post notificationem pręsentis concordiæ, ad restituendũ ea illis quibus pertinent, aut è quorum manibus abstulerunt: si tamen aliqua ex huiusmodi bonis receptis vel occupatis per adhærẽtes rursus ex manibus eorum erepta essent, apud illos, quibus pertinent, maneant: qui quidem adhærentes, si aliàs aliquid iuris ad huiusmodi bona habere prætendant, id iure mediante requirere debebunt, quibus ad eorum instãtiam ius expeditum administrari debebitur. Simili modo & via, vti iam de adhærentibus regiæ Rom. maiestati scriptum est, agatur in reddendo castra & alia bona circa subditos Cęsareæ maiestatis. Si qui fortassis in hoc bello D. Vladislao, aut quondam Matthiæ regi adhærere, & ea gratia castra sua perdere potuissent: superioribus articulis saluis, in suo robore permanentibus, circa castra tamen reddenda D. de Liechtenstein de Murau ita cõuentum est, vt ea tandem Cæsarea maiestas teneatur eidem reddere, cùm fiet vltima restitutio castrorum prædictorum ad manus Cæsareas, ita quòd simul & semel hinc Cæsar, D. de Liechtenstein, illinc D. rex Vladislaus castra restantia Cæsari reddat: quãdoquidem D. de Liechtenstein, cùm hoc tempore captiuus teneatur, communi articulo captiuos concernente gaudere debebit. Item cùm comites Croatiæ in hoc bello Rom. regi adhærentes cõquerantur de bonis ipsis ablatis, conclusum est, quòd omnia & singula eorum bona & iura, quæ, postquam Romanorũ regi adhæserunt, perdiderunt, eis restitui debent in tempore, quo suprà de adhærẽtibus dictum est. De his aũt bonis quæ ante adhæsionem, aut tempore regis Matthiæ ipsis ablata sunt, ad eorum instantiam D. rex Vladislaus expeditam iusticiam, remotis superfluis dilationibus, & exceptionibus, magis ad differendum negotium, quàm ius promouendum proponi solitis: iuxta morem & regni consuetudinem administrare, & in propria persona, pro huiusmodi iure reddendo, sedere debebit. Item de castris comitum de Zagoria ita conuentum est, quòd Iacobus Zekelij ea castra ad fideles manus domini Vladislai regis, tanquam tertiam personam, resignet: & postea vocatis comitibus, & D. duce Coruino, cui ea castra per Matthiam regem perhibent esse donata, ipse D. rex Vladislaus iuxta regni consuetudinem, seruatis seruandis, expeditam iusticiam ministret, & cui parti prædictarum per huiusmodi sententiam ipsa castra obuenient, illius manibus rex ipse ea tradere teneatur inuiolatè. Item, in facto debiti & querelarum, quas nobilis vir D. Thobias de Tschernahora proposuit; in hũc modum est conuentum: inprimis D. rex Vladislaus tenebitur ipsi infra mẽsem, initium eius à festo S. Martini computando, villas illas in Morauia, sibi pro certa pecuniarum summa obligatas, & per quondam Matthiam regem vi ablatas, restituere: & illis iuxta vim, & tenorem literarum obligationis liberè vti possit: duo insuper millia florenorum quondam Matthiæ regi præfato per ipsum D. Thobiam mutuata, si ipse D. Thobias per has, vel alia euidentia documenta, huiusmodi debitum probauerit, ipse rex Vladislaus infra annum, eius initium à sæpe dicto S. Martini festo computando, ipsi D. Thobiæ, aut eo non existente, hæredibus suis restituere teneatur. De quinque millibus florenorum inscriptis ipsi D. Thobiæ per ipsum Matthiam regem super castro Schonberg, quandoquidem ex illis ipse D. Thobias D. Vladislao regi, tria millia de bona voluntate remisit: conuentum est, vt reliqua duo millia D. rex Vladislaus eidem in spacio duorum annorum (initium eorum iterum à festo S. Martini iam instanti computando) soluat. Quantum verò ad impensas factas in ædificia in Spilberg pertinet: conuentum est, quòd de huiusmodi impensis D. Thobias

bias capitaneum Morauiæ edoceat: quibus edoctis, & ad regiam Maiestatem per capitaneum deductis, & constito ex ipsius capitanei relatione, quòd sua serenitas pro huiusmodi impensa soluere debeat: infra annum à tempore declarationis ipsius capitanei, ipsi D. Thobiæ soluere tenebitur. Item in facto crediti nobilis viri domini Wilhelmi Paumkircher, quod contra prouinciales Stiriæ proponit, conuentum est, quòd Maiestas imperialis demandabit præfatis prouincialibus, vt ei dictum creditum soluant. Qui si se in eo mandato grauari queantur, tanquam iamdudum ab eo sint absoluti, constituere debebit Cæsarea Maiestas præfatis prouincialibus diem ad Gretz, in festo purificationis celebrandam: vbi & ipse dominus Wilhelmus factores suos, vna cum aliquo D. regis Vladislai seruitore, habere debebit: & facta ratione & computo de perceptis ex dicto credito, & constito, quantum post huiusmodi computum soluendum eidem restet, istius summæ dimidium in termino primi anni (eius initium à conclusione computi faciendum) & alterum dimidium in termino secũdi anni immediatè sequentis, præfati prouinciales ipsi D. Wilhelmo soluere debebunt. Quod verò ad castrum Kecz, siue eius redditus & prouentus spectat: conuentum est, quòd idem dominus Wilhelmus Cæsaream Maiestatem de huiusmodi literis, & sigillis (vt prætendit) munitis informet: quibus iuribus si Cæsarea Maiestas excipiendo contradicat, ex tunc illi sex in Hamburgum in facto Iacobi Zekelij, vt præfatum est, venturi, an hanc D. Wilhelmi an Cæsaris Maiestatis contra easdem exceptio præualeat, decernant. Qui si cognoscendo sint pares, ex tunc dominus Thobias de Schernahora, à nobis Cæsareis & regis oratoribus vt hoc omnis in se assumat interpellatus, in præsentiarum, vti super arbiter, vnà dictarum sententiarum accedere debebit. Ex cuius cognitione, si castrum præfatum, aut eius redditus, ipsi D. Wilhelmo accedere debebunt: ex tũc in spacio dimidij anni (eius initium à tempore huius decisionis computando) Cæsarea Maiestas D. Wilhelmo castrum ipsum, vel eius reditus restituere, aut eius loco octo millia florenorum Vngaricalium auri soluere debebit. At si præfati sex, occasione dicti Iacobi (vt puta, quia eius causa absque eorum conuentu terminari poterit) in Hamburgum non essent accessuri: nihilominus præsentis cognitionis gratia illac venire debebunt. Item conuentum est insuper, quòd D. rex Vladislaus, & regnicolæ, hos, qui se neutrales in hoc bello constituerunt, vt Sopronienses, & alij, æquè, vt alios regni subditos, gratia & beneuolentia cõplectantur: & occasione illius neutralitatis, aut cuiusuis alterius cum Rom. rege intelligentiæ, nulla indignatione, aut statuum suorum detrimento persequãtur. Item, quantum spectat ad castra ipsius Gijleis, ita conuentum est: si coram præfatis sex in Hamburgum, in facto Iacobi Zekelij venturis, documentis apertis docebitur pro parte Cæsareæ Maiestatis, Cæsaream Maiestatem eius castra, vt hominis rebellantis suæ Maiestati, obsedisse, prius quàm suæ Maiestati de nouo (quandoquidem post mortem Matthiæ regis se in subiectionẽ Cæsaris dederit) nomine D. regis Vladislai diffidauerit, exclusus sit à beneficio præsentis tractatus: si autem ostendetur, quia ante huiusmodi obsessionem, & post reconciliationem, & agnitam naturalis domini sui superioritatem, Cæsari nomine regis Vladislai bellum indixerit; gaudeat beneficio præsentis tractatus: ita quòd castra sua sic ablata, eidem restituantur. Item, ex quo castra & dominia omnia ipsius domini de Potendorff, ad manus Cæsareas venire debebunt, iuxta prius conclusa, ipse autem filiam vnicam reliquerit superstitem; conuentum est, quòd sua maiestas eidem bona sua hæreditaria, aut iure ei debita, restituat: & donec sit minor annis, ei de tutore prouideat. Item conuentum est, quòd ex aduerso Rom. rex vniuersa castra & munitiones hoc tempore belli per suam Maiestatem in Vngaria, Croatia, Sclauonia & cæteris prouinciis qualitercunque ad Vngariam pertinentibus, per se, aut alios expugnata, vel aliàs qualitercunq; in deditionẽ recepta, infra hinc, & festum Luciæ præscriptũ, ita vt castrorum huiusmodi traditio hinc inde eodem tempore fiat, his quorum fuerint, & de quorũ manibus recepta sunt, reddere vel restitui facere teneatur,

& præsertim Sabariam, vulgariter Stainamanger, Zenthgroth, Kemend, Maruankew, Kostel, & alia omnia, quæ in suis, aut suorum subditorum manibus habet, & hîc non sunt expressa suis nominibus. At castrum Tersat, quod (vt fertur) est in manibus Cæsareis, conuentum est, vt in suæ Maiestatis manibus cum suis pertinentiis, quoad vitam suæ Maiestatis duntaxat, maneat: & sua Maiestate ex humanis sublata, absque vlteriori cunctatione, ad regnum redire debeat. quod vt certius fiat, tenebitur se D. Maximilianus rex de tradendo huiusmodi castro post Cæsaris mortem, ipsi regno, vel regi (si interea modo superius expresso regno nõ præficietur) pro se, & hæredibus suis inscribere, & obligare. Item quantum ad castrum Zdeucz attinet, conuentum est, vt ex quo ad illud D. Vayuoda Transsyluanus plenum ius habere se asserit, manibus suis per regiam Rom. Maiestatem assignetur. castrum verò Schorffenegk, tunc tandem manibus regiis, aut illius, cui pertinet, assignetur, quando D. Vladislaus rex vltimam faciet Cæsari castrorum prædictorum restitutionem: ita quòd huiusmodi restitutio hinc inde eodem tempore fiat. Item conuentum est, quòd D. Vladislaus rex filiis quondam Vdalrici Graffenegker prouideat de aliquo honesto tutore, qui castrũ Scharffanegk è manibus Rom. regis, aut suorum subditorũ, suo tempore recipiat, & ad manus dictorum filiorum, vnà cum aliis eorum bonis, fideliter custodiat: & ipsis ad legitimam ætatem peruenientibus, castrum ipsum, cum suis pertinentiis, & aliis bonis reddat, & rationem perceptorum & expositorum faciat. Item ex quo tres Maiestates in hanc sententiam conuenerunt, quòd hinc inde adhærentium castra & dominia, quibus ablata sunt, restituantur: & fortassis aliqui ex his in regno Vngariæ, qui huiusmodi castra tenent, in eisdem reddendis siue restituendis sese difficiles exhibere, aut prorsus inobedientes ostẽdere possent: conuentum est, quòd tam Cæsar & Rom. rex, quàm D. Vladislaus rex, regnum Vngariæ vnanimi consilio & auxilio contra tales insurgere, & eos ad restitutionem huiusmodi castrorum, his quibus ablata sunt, non solùm compellere: verumetiam contumacia eorum crescente, & exigente, omnia eorum bona confiscare, & personas ipsas exterminare debebunt. Ita similiter de subditis Cęsar. Maiestatis obseruari debere in hoc casu, conuentum est. Si tamen aliqui se ad huiusmodi castra sic obtenta ius habere prætendant: illud iuxta consuetudinem patriæ, iure, non violentia, requirere teneantur. Item conuentũ est, quod neque Cæsarea Maiestas, neq; Rom. rex subditos coronæ regni Vngariæ rebelles, inobedientes, aut aliàs quocunque pacto cum D. rege Vladislao non bene sentientes, in sui protectionem & defensionem, aut castra & munitiones eorũ, quos tali casu auferre possent, recipiãt, aut quoquo quæsito fuco auxilia & consilia occulta, aut manifesta, præstent: sed ad eos confugientes repellant, & se neque de personis, neque de bonis & castris eorum intromittant: idque cum subditis & baronibus eorum fieri disponant, contrauenientes seriosè puniendo. Itidem vicissim fiat de subditis Cæsareæ, aut Regiæ Rom. Maiestatum rebellantibus, dolo & fraude remotis. Item, omnes in bello isto captiui ab vtraque parte, quàm primùm post festum sancti Martini, absque vlteriori detrimento, liberi pronuncientur: & holdæ, & aliæ exactiones iure belli promissæ, insuper & captiuorum taxationes, vsque in hanc diem S. Martini non solutæ, deinceps non soluantur, neque petantur: tum & earum solutionum gratia fideiussores, à sua fideiussione liberi pronuncientur: non obstante quacunque pactione, sub quacunque conditione inter partes hinc inde conclusa, etiamsi expressis verbis beneficio præsentis relaxationis renunciassent: omnibus nempe huiusmodi & aliis obligationibus non obstantibus, quicquid vsque ad præfatum festum sancti Martini solutum non fuerit, deinceps non soluatur. Item mercatoribus liber sit omnino accessus, & negotiatio, tam in aquis, quàm in terris: solutis tamen teloniis, & aliis pro eorum mercibus solui consuetis. Sed quoniam quidam mercatores tẽpore restitutionis Albæ regalis, ad manus D. Vladislai regis, sese in mercibus, & seruitoribus eorum illic, contra articulos in sessione loci præfati conclusos, & quidam ex illis etiam contra saluum conductum regium, vim & damnum

rinum passos conqueruntur: conuentũ est, vt eius querelæ discussio ad illos sex in Hamburgo cõuenire debentes, remittatur, & in hac re eorum iudicio stetur. Item generaliter omnes confœderati, omnes adhærentes principes sacri Romani Imperij, & alij quacunq; dignitate, titulo vel officio sint insigniti, cum eorum seruitoribus; in hac pace & vnione intelligantur esse inclusi. Omnes insuper vasalli, occasione præsentis adhæsionis & belli, feuda sua petere negligentes: illud deinceps à Domino cuius est feudum, petant. Quod quidem feudum ob tempus neglectum, aut adhæsionem, ad Dominũ feudi nõ intelligatur deuolutum. Item si quisquam subditus coronæ regni Vngariæ, actionem siue querelam habuerit, vel habiturus sit, contra subditum Cæsareæ aut regiæ Rom. Maiestatum, conueniat eum coram officialibus Cæsaris, vel regis Rom. pro vtiuris est, & patriæ consuetudinis. Similiter fiat ex aduerso: si subditus Cæsareæ Maiestatis, aut Rom. regis, actionem vel querelam habeat, vel habiturus sit, contra subditum coronæ. Et vt pro vtraque parte vitentur ambages, & expensæ, capitanei à parte Cæsareæ Maiestatis, aut à parte D. regis Vladislai & regni, in loco rei vel conuenti querulãtibus, simpliciter & de plano iusticiam summariè, quoties opportunum fuerit, ministrare debebunt. Qui si causam huiusmodi diffinire non possent, eam remittent ad principem rei, vel conuenti: qui post remissionẽ, in spacio vnius mensis, in quantum ius admittit, causam huiusmodi, iusticia mediante, finire teneatur. Item, si quisquam subditorum Cæsareæ Maiestatis, aut Rom. regis, contra subditum coronæ actionem habens, nõ quęsita, aut expectata iusticia, propria autoritate, aut vi armorum, illi, contra quem huiusmodi actionẽ habet, aut alteri regnicolæ, quocunque quæsito colore, damnum inferre præsumpserit: ex tunc hinc Cæsar, vel rex, illinc Vngariæ rex per Cæsarem vel Rom. regem requisitus, contra huiusmodi subditum insurgere, & eundẽ pro modo excessuum suorum, etiam vsque ad exterminium, & eiectionem è patria, & bonorum confiscationẽ, castigare tenebuntur. Simili modo per omnia procedant circa subditum regni, simili temeritate contra subditum Cæsareæ, aut regiæ Rom. Maiestatum, quicquam contra ius attentare conantem. Item conuentum est, quòd Cæsar & Rom. rex, hãc pacem & vnionem sub generalibus scripturis sanctissimo domino nostro & collegio cardinalium intimẽt, Sanctitatem suam certiores reddendo, quòd hunc D. Vladislaum regẽ deinceps pro vero & indubitato Vngariæ rege habeant, & recognoscant. Obedientiam, quã præstiterit, accipient: Et suã serenitatem, vt in principio huius Tractatus scriptũ est, promouendo. Item conuentum est, si stipendiarij vtriusq; partis pro conuenienti & honesta laborum satisfactione nõ contenti, fraternitates & vniones inter se facere, & regna, principatus, & dominia illius, aut alterius principis, vi aut armis inuadere constituerent: ex tunc ambo reges, & Cæsar, vnà cum suis subditis, pari consensu contra tales insurgere, & eos, vti pacis violatores, punire & eiicere teneantur. Item conclusum est, quòd sacra Imperialis Maiestas, Rom. rex, & D. Vladislaus rex, hunc pręsentem tractatum, cum insertione articulorum de verbo ad verbũ, de nouo roborent, & confirment: & huiusmodi roborationis & confirmationis literæ, Cæsareæ & regiæ Rom. Maiestatum, vnà cum literis concernentibus castrum Tersat, similiter & D. Vladislai regis, in Hamburgum, ad diem sancti Fabiani & Sebastiani proximè futurum, portentur, & illic hinc inde consignentur: ita quòd huiusmodi literarum assignatio hinc inde eodem die fiat. Item certis respectibus necessariis, præsertim pro solidiori præsentium articulorum firmatione, & integritate amicitiæ eorum, manutentione regnorum, terrarum & dominiorum suorum, tum & noua inter reges ambos & Cæsarem cõfœderatione, & pro mutuis auxiliis contra quoscunque præstandis, & aliis rebus ingruentibus: conuentum est, quòd post festa Pentecostes, cùm D. Vladislaus rex ab illa generali diæta, de qua in articulis præscriptis absolutus fuerit, Rom. Imperator & rex, & sua Serenitas in aliquo loco, de quo postea concordabunt, personaliter conuenient, & illic de omnibus, quæ opus sunt, concordabunt. Item cõuentum est finaliter, quòd deinceps nullius differentiæ, aut dissensionis causa, etiam

inter principes ipsos, aut eorum subditos, quantumcunque potentes, aut inferiores, siue occasione iurisdictionis aut contractus cuiuscunque, siue cōfinium aut metarum dominiorum, siue dilecti subditi, & siue alia quacunq; causa, nulla excepta, exortæ, principes ipsi ad arma aut hostilitatem deueniant: sed quotiescunque talis casus accidet, si quidem is per capitaneos & officiales locorum determinari non possit, principes ipsi consiliarios suos vtrinque in aliquo loco competenti conuenire faciant, & illis plenam autoritatem huiusmodi differentias sopiendi & prorsus tollendi concedant. Et quicquid per huiusmodi consiliarios decretum fuerit, id ab vtraq; parte obseruari debebit. Postremò, quantum ad castrum Kostel pertinet, quod tanquam in præsenti bello hostiliter captum esset, inter alia, vt D. regi Vladislao assignaretur, in articulis præcedentibus connumeratur: conuentum est, quòd idem castrum in illius manibus qui hoc hodie tenet, remaneat: seruitiis omnibus & impositionibus generalibus ad colonos, vt aliis regni colonis fieri est consuetum; similiter & præstatione fidelitatis de eodem castro regni Vngariæ, vti ab antiquo introductum est, ac aliis iuribus, si quod quisquam ad idem castrum habere prætendit, semper saluis. In quarum rerum robur, fidem & testimonium, has pręsentes literas scribi, & sigillis nostris solitis communiri fecimus. Et pro maiori securitate omnium supradictorum, manus nostras proprias hîc infrà subiunximus. Datum, & actum Posonij, die Lunæ post festum S. Leonardi, Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo primo.

Nos itaque Vladislaus rex præfatus, qui, vt præmissum est, pacis semper zelatores & amatores sumus, communeq; bonum, & Catholicæ religionis incrementum cordi semper habemus, semperque pro nostra virili promouere cupimus, visis & examinatis prædictis articulis, capitulis & conclusionibus, pensantes illos non solùm honori, quieti & commodo vtriusque partis, ac regnorum, statuumque, & principatuum earundem, sed etiam rebus fidei, & vniuersæ Reipub. Christianæ plurimum cōducere: eosdem igitur in omnibus suis partibus, capitulis & pūctis, laudauimus, approbauimus, acceptauimus, & ratificauimus, ex certaque nostra scientia, & animo deliberato, laudamus, approbamus, acceptamus, ratificamus, & roboramus per præsentes, promittendo pro nobis, & hæredibus nostris, in verbo nostro regio, & bona fide mediantibus, quòd illos firmiter & inconcussè obseruabimus, eisdemque in præmissis omnibus clausulis, punctis & sententiis, realiter, & cum effectu satisfaciemus, dolo & fraude in his omnibus cessantibus quibuscunq;. In cuius rei fidem, & testimonium, secretum sigillum nostrum, quo vt rex Vngariæ vtimur, præsentibus fecimus appendi. Datum Budæ in festo beati Nicolai episcopi, & confessoris. Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo primo: regnorum nostrorum, Vngariæ anno secundo, Bohemiæ verò vigesimo primo.

DE LVDOVICO REGE.

LODOVICVS anno MDVI. natus, quod ei Galla mater nomen, Iulium pater volēs appellari, dederat: pænè bimulus, viuo patre, Vngariæ sceptrum nactus, insignisque corona fuit, ætatis autem quarto, Pragæ, Marchione sororio Brandenburgense, Stanislao præsule Agriensi testibus, Boemorum etiā rex vocatur, diademateque confirmatur. Vbi Anna sex annorum soror, tantis apparatibus augeri fratrem, coronaq; cōspicuum videret, fertur conquesta illachrymasse, se Ladislai quoque esse prolem, eosdem mereri honores, atque ornamenta, peractisque solennibus, patrem ioco coronam capiti imposuisse, itáque placasse eam. vbi paulo pòst ob nefarium quędam & conuiciosum ibidē turbæ in Vngaros datæ, vt vix Stephanus Bathoreus euaserit. Fuit Lodouicus corpore valido, colore sano, & subfusco, ad quæuis natus solatia, largus, nemini molestus: sed sine extrema cute, quam ἐπιδερμίδα vocant, editus:

editus: arteque, & inunctionibus ea producta, vt vel adolescens canos aliquot alebat capillos: ingenio satis excitato, sed à formatoribus minus educatus, præterq; Maiestatē, nullis exercitus priuatis curis, nec laboribus corroboratus: imperitare initio non admodum norat: nec dicto audiētes habebat Vngaros, cùm vellet. Ioannes Scepusiensis maturiorē ad hanc Maiestatem requirebat ætatē, & fortasse suam magis idoneam putabat: sed Maximiliano, Sigismundoq; Polono autoribus, ad publicam omnium regni ordinum eam pertinere consultationem respondentes, comitia indicunt. Quibus habitis, Vayuoda sexcentis equitibus, qui accurrerant, Pestho ob suspicionem cupidinis regni, Budam euoca-
10 tur: resque componitur omnis. Puero Georgius Brandenburgicus moderator additur. Palatinatus, quia tunc vacabat, Stephano Bathoreo committitur: itaq; de ambitione Vayuoda, speque deiicitur. Excusare quosdam non possumus, etiam religionis cura & titulis principes, quòd quorum puer consiliis informari debebat, instructiorq; ad regendum effici, quod ipsi sui omnino iuris esse volentes, sine solicitudine principē viuere permiserant diutius neglectū. Ea etiam re postea nō parū factum, quòd cùm Turca iampridem in Vngariam oblata occasione, dissensionibusq; Baronum & antistitū penetrare cupiisset (quod ipsum, septem annis retento Barnaba Belaij Seuerini Bano, iam à Ladislao de pace misso, satis declararat) nostrorum ocio, quòd voluit, obtinuerit. Etenim commotus à
20 Parthis, accepta tanta per patrem clade, & quòd ipse quoq; contra eos profectus exercitu 100000. vix cū octuaginta saluus cædem effugisset, vt suos tyrones ad grauiora confirmaret, reliquos veteranos in officio pollicitis retineret: Mysiam, & Pannoniam se scilicet occupaturum, eisq; diuisurum dixit, imperiumq; paulo pòst stabiliturum: nec obfuturum consilio suo vllum de Vngaria impedimentū: Primates diuisos esse, theatrisq; deditos, negligi regem, multos sceptri æmulos, paucos duces militiæ peritos: Christianos principes intestinis ardere bellis, ac odiis, ciuilibus armis longius à finibus Pannonicis distineri: nullū, aut serum nimis externum Vngaris affore subsidium docebat. Hunc iampridem Lodouicus eius animū exploratum habebat, nec semel à præfectis Albēsi & aliis de pe-
30 riculis erat, nisi caueret, tempore admonitus: nec sanè officio idē ab aliquot annis defuit. Bis anno M D X X I, Iunij X X I X. ad pontificē Adrianum, vt Carolum Gallo reconciliaret, & labantibus Vngariæ rebus succurreret, supplex miserat. Nunciauit, Solymanū ficta pace, cōtra Polonū Tartaros concitasse: Mechmetū Valachiam infestare, cum 20000. bellatorum, prꝫter naues instructas ad Albam Græcam occupandam cogitare: nouisse eundem tyrannum, Romæ, Budæ, Hierosolymisq; aras Machumeto consecraturum, si de Pannonibus triumpharit: quare, orare se, vt Hadrianus in medium cōsulat. Postea ad Gallum quoq; mittit, idem exponit, grauem imminere defensionem: scutum adhuc contra inimicos nominis Christi per multos annos obiectum ab Vngaris, nisiq; de sanguine
40 ciuili abstineāt, infractum iri, vnde periculum in totam Europam effunderetur. Ad sororis quoque maritum archiducem Ferdinandum suos ablegat, Turcam, ponte iam per Danubium structo, vicinumq; Belgrado, exitium apportantem, docet. nec secus apud Polonum agit suam causam: oratoresque Posonio mittit, qui ad opem eum, licet cōfœderatum, flectant: sed nihil effecere. Polonus enim res Christianas impares tāto hosti ratus, fœdus cum eo pepigerat: aliis, vt pacem acceptarēt, quomodocunq; expeterēt, colerent, dum possent, semper autor fuit: ideoq; à pactis vt recederet, nunquam potuit persuaderi. Miserat antea etiam ad Emanuelem Portugalum, de aucto nauigationibus imperio qui gratularentur, simulque aperirent, Solymannum tribus validissimis exercitibus, pace cū Persis
50 facta, dissidentibus Carolo cum Gallo, in Pannonias irrupturum. Ducentis millibus Taurino appropinquare, centum millibus Mechmetbegum Transyluaniæ insidiari, cum totidē Verbosouiæ Bassam, in Croatiam & Dalmatiam furere, deuicta Ægypto, Syriaq;, valdè elatū: orare igitur vehemēter, vt pecunia sese adiuuet, Carolum cum Gallo componat. Sed, dum Spiræ nostri conuentus agitant, nihil impetrat. Quocirca magno impetu in Vngariam Turca concepto, per loca

quæ ante annos ſeptem prohibere acceſſu potuiſſent, Valentino Torok præfecto, Belgradum receptum, & alia tranſit, Salankemeno quoq;, & Varadino Petri occupatis, arteque, & terrore ſibi via communita, Valpone & Sokloſchio vix tentatis, tranſmiſſo, noſtrorum ſocordia, Drauo, Tolnam verſus, nemine obſeruante, Zegedinique conuentum Lodouico de occurrendo habente, opinione celerius feſtinat: vndique quantæ noſtræ eſſent vires, quid ſperarent, aliunde cognoſcit. Quo nuncio, regis, Baronumque ceſſantium, & nõ credulorum animis perculſis, ad arma ſubitò concurrendum, qualemcunque defenſionem arripiendam, regi perſuadere incipiunt. Cumque multi Lodouicum, vt Budæ, vel Poſonij, exitum rerum potius, quàm præſens expectaret, hortarentur: minusq; ignominiæ, ac periculi, reliquis omnibus interfectis, modò rex ſaluus ſuperſit, putarent: per Thomoreum tamen è cœnobio vi ad militiam retractum, in aliam ſententiam impellitur. Confirmat, Turcorum non eſſe numerum ſelectum: in tanto numero, 30000 eſſe, qui aliquid audeant, inermes reliquos: adeſſet igitur, aliosque ſuo exemplo animaret: non defuturum Deum ſuæ cauſæ. Qui ſaniores erant, Ioannem Vayuodam, cogentem ingentes copias, fineſque & præceptos dolos à Tranſalpinis obſeruantem, accerſitumque, expectandum ſuaſere. Sed Solymanno nullam moram intermittente, noſtriſque iam ad duo millia imminente, collecto rex miſerandus ad viginti quinq; millium exercitu, quamuis exteriorum vicinorumq; ſperata ope fruſtratus, tandem ſe opponit: aduentumq; Vayuodæ tardiorem fore, quàm neceſſitas poſtularet, veritus, ſuaſu monachi ſe ſuoſq; in conflictũ animoſè, pioq; zelo, præcipitauit. Nam promotis Segedino ad Mohacz oppidum caſtris, quòd hoſtis æquo in loco numerum Chriſtianorum exiguũ valde conſediſſe, ſine machinis, cautiſq; ductoribus, ſenſerat: ilicò laceſſere, carpere, cædere, vt vires ſepararet, velitãdo diſtrahere cœpit, tormenta ſua innumera in quadã valle, ne appareant, cum præcipuis militibus, floreq; iuuentutis collocat, noſtros incautius progreſſos excipit parte meliori confecta, reſiduum ſine ſuorum detrimento comprehenſos, victoſq; tenuit. Nempe cunctis à rege per Paulum Tomoreum ad certamen vtcunq; diſpoſitis, & in aciẽ ordinatis, regi, cuſtodibus, & certo faciliq; è periculo ad elabendũ loco definito, iniquiſſimè cũ tanto hoſte confligunt, effuſo terrore, machinarumq; & globorum iniuria, fugati ſine fine cæduntur. Rex vitæ conſulturus, cum paucis, quo alios illapſos viderat, in lacũ ex Danubij inundatione, aliàs quidẽ vadoſum, ſed tum tranſmiſſo exercitu Turcico, imo vngulis equorum altius cauato, defertur: Zetrizium iuuenẽ nobilem, & miniſtrum ante ipſum tranãtem inſecutus, equo in tergum freno inuerſo, palude hauritur. cuius tandem cadauer, indicio eiuſdẽ cubiculo miniſtri repertum, Albæ inuita Regina à Ioan. Zapolya luctuoſiſſimè ſepultũ fuit. Occiderunt ibi omnes, vnico excepto, Epiſcopi, cum Georgio Scepuſienſi, & alijs proceribus, quorũ caſum paulo pòſt incredibilis vaſtitas, prędæ, cædes paſſim conſecutæ: cæſa & abducta eo anno ex Vngaria ad trecenta pænè hominũ millia. Hic fuit miſerabilis, ac deplorandus boni regis atq; innocentis exitus. Vtinam, vtinã Chriſtiani principes hîc nomen, autoritatemq; vulgò pręceptam in occaſionẽ præſtitiſſent, tantum periculum conſenſu & armis auertiſſent: longè felicius vel cũ remotiſſimis gentibus ageretur. Sed, proh dolor, ea eſt humanitatis impotẽtia, vt acrius in domeſticã feratur vindictam, quàm longiſſimam; intusq; alat omniũ cruentiſſimam, & maximè horribilem. Solymannus victoria celeriùs, quàm putarat, regnoq; ampliſſimo facillimè potitus: rectà Budam, præmiſſis calonibus tantũ, & impedimẽtorum ſectatoribus, progreſſus, Peſthum occupat, ignique, nemine prohibente, (cùm tamen id fieri potuiſſet) exurit, inq; Thraciam ad ſeditiones exortas reuocatus, Vngariam præſidio vacuam deſerit. Regina onerariis aliquot nauibus, cum Alexio Turzo, comitatu ciuium promiſcuo, Poſonium, Strigonio, haud ſine moleſtia & ſuarum rerũ iniuria, euaſit. Huius cladis recens eſt memoria: & quando eam copioſius veriusq; Stephanus Broderith, ſocius eius periculi, conſcripſerit, integram hîc commodamq; ſubiiciam.

BRODE-

BRODERITHI DESCRIPTIO RECOGNITA A SAMB.

REGNABAT eo tempore, quo Solymanus Hungariam validissimo exercitu est aggressus, anno 1526, Ludouicus, eius nominis secundus, Hungariæ, Boemiæq; rex, Vladislai Cazimiri ex Anna de Candale Galla filius: qui patre in ætate pupillari amisso, agebat eo tempore, quo bellum est ei per Turcam motum, primum & vigesimum annum. Fuerat ei paucis mensibus ante mortuum patrem, desponsata Caroli Imperatoris, ac Ferdinãdi archiducis Austriæ soror, Maria: quam statim, vt ad annos pubertatis peruenit, duxit in vxorem: sorore sua natu maiore Anna, eodem tempore Ferdinando in matrimonium tradita. Erat Ludouicus iuuenis procerus, forma corporis supra alios æquales egregia, naturæ singulari bonitate, & præclara indole: virtutis ita insignis, vt si eum ad maturiorem ætatem peruenire contigisset, habuissemus in eo proculdubio, longè optimum, ac præstantissimũ principem. Ingenio erat miti admodum, ac minime feroci, ad omne rectum & honestum mirè flexibili, & sua etiam sponte procliui. Præterea armorum tractandorum, equitandi, venandi, & alia huiusmodi iuuenilia, & militaria opera exercendi studiosus, verax, constans, & secreti, si quod ei credidisses, tenacissimus. Erat eodem tempore regni Comes Palatinus, quem vocant, quæ prima est à rege inter seculares dignitas, Stephanus Bathori superstes, Stephani Bathori, qui sub Matthia rege impigrè, & magna cum laude rem Transyluanam administrauerat, ex fratre Andrea nepos: & Transyluaniæ præerat Ioannes Zapoli, comes Scepusiensis, is qui paulo pòst regnum est adeptus. A patre Stephano in amplissimis opibus cum fratre Georgio est relictus: tanta apud nobilitatem gratia, & fauore, vt iam inde à puero omnes eum, veluti regni successorem, si illud hærede legitimo vacuum remansisset, obseruarent, & in eum vnum omnium oculi essent coniecti. Maiori Walachiæ, quam Moldauiam appellant, Stephanus, minori, quam Transalpinam vocant, Radul imperabant, vterque regi Hungariæ subiectus. Banus Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclauoniæ (nam hæ tres prouinciæ ab vno magistratu regebantur, quem nos maritimum etiam præfectum dicimus) erat Franciscus Batthiani, obsequiis familiaribus iuuenis olim regi adhuc puero conciliatus. Arcem Themesiensem, & eas regni partes, quas inferiores vocamus, Petrus Pereni tuebatur: & is coronam etiam regni, post mortem patris Emerici Pereni, apud eum relictam, cum eo, quem diximus, Ioanne Zapoli comite Scepusiensi, seruabat. Sirmio, & ei regni parti, quæ inter Sauum & Drauum per ripam Danubij iacet, Paulus Tomorij, archiepiscopus Colocensis præerat, ex ordine eorum, quos fratres minores de obseruantia vocamus: vir strenuus, & qui, antequam eam religionem intrasset, plurima exhibuerat, nec modica suæ virtutis argumenta, cum hoste sæpius cõgressus. Vacante postea archiepiscopatu Colocensi, cùm ea bona, amisso paulo antè Belagrado, non minus defensore, quàm sacrorum ministro indigere viderentur: postulatum fuit in publico regni conuentu ab omnibus, vt Paulus è religione, si exire abnueret, etiam vi, & authoritate summi Pontificis Romani extractus, illi ecclesiæ, illisq; locis ab hoste defendendis præficeretur. Diu, multumque, ac verè, non simulatè reluctatum, tandem voluntati regiæ ac regni parere coegerunt. In qua præfectura, confessione omnium, perperam etiam de eo iudicantium, (vt nulla excellens virtus sine inuidia est) ita se gessit, vt nihil penitus prætermiserit, non solùm quod ad strenuum militem, & Imperatorem, sed etiam, quod ad virum religiosum, & bonum archiepiscopum pertineret: nihil de priore vitæ austeritate, neque in cultu corporis, neque in vlla alia re remittens, aut immutans. Comes Christophorus de Frangepanibus, ante menses aliquot, ab obsequiis Ferdinan-

Palatinus.

Ioan Vayuoda.

di Archiducis, magnis promissis ad regni obsequia accersitus: cùm postea loco beneficiorum, quæ expectabat, iniuria non mediocri affectus fuisset, illuc, vnde venerat, ad Ferdinandum redierat. Cancellarij munere fungebatur Stephanus Brodericus, in ea parte Pannoniæ superioris natus, quæ nunc peculiariter Sclauonia nominatur: ad eum magistratum, ex legatione Romana, quam tunc obibat, paucis antè mensibus accersitus, maiore ad bene agẽdum animo, quàm facultate: qui hæc prodit. Thesaurarij magistratus erat penes Alexiũ Thurzonem, hominem (vt opinio multorum de eo erat) prædiuitem, & eo magistratu aliquoties antea diligenter functum. Ioannes Bornemizza Posoniensis & Budensis arcis præfectum agebat, non paruæ apud regem, quem ab incunabulis educauerat, eodem in hanc, vel in aliam voluntatem mouendo, autoritatis: apud alios ferè omnes magnæ venerationis, cùm ob senium, tum propter immotæ cuiusdam seueritatis, & bonitatis, ac illibatæ in regẽ fidei opinionem. Hi ferè, quos diximus, erant tunc publici magistratus. cæteri prælati & barones suis quisque priuatis rebus operam dabant: præter Ladislaum Salcanum, archiepiscopum Strigoniensem, regni primatem, & supremum Cancellarium: qui, licet paucis antè mensibus, vel quia aliter facere nõ poterat, vel quietioris vitæ studio, sigillum regium, quod secretum vocant, in manus regias tradiderat, quod Stephano Broderico fuit datum: penes hunc tamen magna pars authoritatis residebat, resq; huius etiam nutu, pro magna parte, regebantur, cui ob dignitatem, ętatem, prudentiam, & rerum quas longo tempore administrauerat, agendarum peritiam, rex adhuc inter omnes plurimum tribuere videbatur: præsertim vbi de summa rerum agebatur. Et iş ferè erat status rerum in Hungaria: quando regi Ludouico nunciatum est, Solymanum, pace cũ omnibus finitimis in annos plures firmata, arma infesta contra se terra aquisq; mouere. Cui ad id faciundum magnam præbebat opportunitatem, Belgradum, & Sabacz, paucis antè annis in potestatem redacta: Zalankemen, & omnibus aliis oppidis citra Sauum, eodem tempore dirutis, vsq; ad Varadinum Petri: quem totum tractum nos, durãte adhuc antiquo vocabulo, Sirmium appellamus. Quæ res talem hosti aditum in Hungariam patefecerat, vt quoties Sauum transire, & in Hungariam irrumpere vellet, ęgrè posset ab eo prohiberi. Præerat tunc ei Pannoniæ inferioris parti, quod superius dictum est, Paulus Thomorij: qui, vbi exploratum habuit Turcæ in Hungariam aduentum, non contentus id per literas & nuncios sæpe antea regi significasse: cõscensis raptim leuibus curribus, quos nos à loco Kotcze appellamus, vigesima Martij, ad regẽ tunc Vissegradi agentem, repentè aduolat: aduentum, & apparatum hostis, ac pericula, quæ regno imminerent, edocet: suarum ad hostem reprimendum virium imbecillitatem narrat, celeritate esse opus, arcendum hostem Saui apud Belgradum transitu: & rem, si in tempore prouideatur, tametsi difficilem, non tamen esse prorsus factu impossibilem. Ad id, si necessaria sibi præstentur, suam operam pollicetur. Rex his rebus motus, & quòd aduentus Turcæ ex pluribus etiam aliis locis vehementer cõfirmabatur, ex eorum, qui tunc secum erant, consilio, conuentum publicum indicit, ad diem diui Georgij martyris, quæ proxima erat sacra. ad quam cùm frequentes omnes omnium prouinciarum ordines conuenissent, decernuntur ibi ea, quæ ad regni defensionem pertinere videbantur: illudque inprimis, vt ad diem Virgini matri ab Elisabeth visitatæ dicatam, quæ in secundam mensis Iulij diem cadere solet, omnes regni proceres, tam ecclesiastici, quàm seculares, & tota nobilitas, viritim cum certa rusticorũ parte, Tholnam armati cõueniant, hosti inde cum rege obuiam ituri. Rex interim ad bellum necessaria parat. Principes Christianos, maximè vicinos, per oratores, communis periculi admonet: Boemos item, & Morauos, ac Slesitas tã nunciis, quàm literis vrget, ad auxilia debita, & aliàs sibi ad hanc rem promissa præstanda. Neq; omittit pontificem Romanum vrgere, quantum maximè possit, ad eam pecũniam, quam in Hungaria ad militem conducendum pontifex habebat, adaugendam. Nam de rege Poloniæ Sigismundo, patruo regis, alia prorsus ratio videbatur: quòd is fœdus cum Turca pau-

Sirmium.

10 20 30 40 50

ca paulo antè pepigerat, extremum excidium à suo regno (quando aliter inter tot Christianorum principum dissidia non posset) vel hoc pacto auertere conatus. neque videbatur princeps integerrimus, & fidei obseruantissimus, contra confœderatum principem auxilia vlla præstiturus. Eadem de Venetis ratio erat. Permittitur præterea in eodem conuentu regi, vt, si ob ærarij publici penuriam (quod mala administratione eorum, qui Reipub. præfuerant, penitus exhaustum erat) videretur ei thesauri ecclesiastici pars aliqua attingenda, id ei facere liceret: quod ne fieri sine aliqua noxa posset, Romanus etiam pontifex suo iam diplomate indulserat. Designantur postremò inter illos, quos domi habebamus, duo huic bello gerendo duces: Christophorus comes, quem ad Ferdinandum redisse, superius diximus: & Nicolaus comes de Salm. Cùm hæc, & plura alia in hunc modum essent in conuentu illo generali constituta: rex rebus omnibus ritè consultatis, conuentum dimittit: ipse, quæ statuta in conuentu fuerant, quanta maximè potest diligentia, exequitur. Primùm omnium scribit de his periculis ad omnes principes Christianos, omnium auxilia implorat, maximè Cæsaris Caroli, & regis Gallorum Francisci, paulo antè ex captiuo in libertatem restituti: vtrunque summis precibus obtestatur, ne se in tanto discrimine deserant. Regi Gallorum & illud in memoriam reducit, quid sibi in oppido Piczigytone prope Mediolanum captiuus, per oratorem suum de defendenda Hungaria, & de ferendis, si Deus eum pristinæ libertati restituisset, suppetiis promiserit: nunc esse tempus, vt promissa huiusmodi persoluantur, quando ei facta esset diuino munere eorum adimplendorum potestas, & sibi extrema immineret eorundem exposcendorum necessitas. Mittit præterea oratorem expeditum ad alium sororium suum principem Ferdinandum, & ad alios Imperij principes, qui tunc Spyræ conuentum Imperialem habebāt. Mittit in Boemiam, Morauiam, Slesiam. Agit cum Ioanne Antonio barone Burgij, qui tunc Pontificis nomine apud regem oratorem agebat, vt instet apud Pontificem pro maiori pecunia, ad tantum onus belli sustinendum, suppeditanda. Præficit dimidij argenti ex ecclesiis accipiendi summæ, Ladislaum Macedonium, paulo antè ex episcopo Sirmiensi Quinqueecclesiēsem, in gratiam Cancellarij factum, cum pluribus aliis: Nicolaum verò Gerendi Transyluaniæ præsulem, argento huic vel in monetam cudendo, vel ex assensu oratoris Pontificij ad hos tantùm solos belli vsus militibus distribuendo. Exigitur præterea per thesaurarium pecunia ab abbatibus, præpositis, capitulis, à ciuitatibus, quas appellamus liberas, a Saxonibus, Transyluanis, à Iudæis: conquiritur vndique neruus belli, ita, vt intra paucissimos dies, collecta sit in hunc modum non parua vis pecuniarum, in eosdem, quos diximus, neruos belli distributa. Veniunt interim assiduè modò literæ, modò nuncij ab archiepiscopo Colocensi, à Waiuoda Transyluano, Turcam iam Belgrado appropinquare: & aliquam copiarum partem, quę præmissa erat, iam Sauum transire. Quæ res acriores addidit & regi, & his qui apud regem erant, stimulos, rerum omnium approperandarum; & ante omnia hostis, quando iam Saui transitu arceri non posset, à Draui transitu prohibendi. Verùm hic locus postulare videtur, cùm sit sæpe tam Saui, quàm aliorū fluminum, & locorum, mentio facienda: vt situm vniuersæ Hungariæ, & maximè eorum locorum, per quæ hostis contra nos venit, per quæ nos illi obuiam processimus, vbi prælium commissum sit, breuiter explicemus.

Salm.

HVNGARIÆ DESCRIPTIO.

Hungariam totam (quam nunc vel ab Hunnis, vel ab Hungaris, populis ex Scythia certè profectis, qui eam incolunt, ita appellari constat) Danubius, omnium, quos Europa habet, fluuiorum maximus, in Martiana sylua ad Vlmam ortus, ex Germania defluens, mediam interfluit, atqi in partes scindit, in citeriorem, & vlteriorem. (nam nunc ita loquimur, ac si Budæ, quæ regni sedes est, essemus.) Citerior est ea, vbi olim Pannoniæ fuerunt: hæc ab vlteriore Hungaria

Danubio,& Austria,& Norico,radicibus ad Viennã Cæcij,sic olim dicti,montis: a Slauonia Drawo, a Bozna & Rascia Sauo fluminibus terminatur. Nam in locis Danubio propinquis,& ad Belgradum spectantibus,ad Saui vsq; fluminis ostia,cum Danubio excurrit, Walko, Posegam, Sirmiũ, tres insignes prouincias,quas nos comitatus vocamus, à Slauonia diuellens. Huius citerioris Hungariæ caput est ea,quam paulo antè nominauimus,Buda,regni sedes. Nobiliora in ea oppida, Alba Regalis, coronatione & sepultura regum insignis, Strigonium metropolitana,Quinquecclesiensis,episcopalis sedes,præterea Soproniũ, Iaurinum,& Sabaria,diui Martini,& Stridon,diui Hieron.patria. Flumina multa in ea nobilia,præter Danubium & Drauum,quos superius diximus. Lacus habet duos nobilissimos, Balaton, & Ferto, alterum tredecim circiter milliarium in longitudinem protensum,alterum non ita longum,sed Balatone longè latiorem. Huic citeriori Hungariæ,vbi Drauũ transieris, annexa Sclauonia est, pars olim Pannoniæ superioris, inter Sauum & Drauum posita: sed Sauum etiã longè transgressa,& vsque ad flumen Hunam (hoc enim illi nunc est nomen) protensa,vbi Croaua incipit. Post quam Dalmatia sequitur,per oram Adriatici maris,quæ partim Veneto,partim Turcæ paret: minima eius particula est regi Hũgariæ subiecta:loca mediterranea Boznenses tenent,& Rasciani, qui olim Mesi superiores fuerunt. Sclauoniæ caput Zagrabia est: sedes Episcopalis Croatiæ nunc Bigihon est, antea Fumium erat. Dalmatiæ, in ea parte, vbi Hungaro paret,Segnia,Bozna,Iaycza,Rasciæ siue Seruiæ Belgradum: & in hunc modum se Hungaria citerior, & ea quæ inter Danubium & sinum Adriæ sunt,habent. Vltra Danubiana Hungaria montibus Carpathiis, supra Posonium incipientibus, & longissimo flexu ad littus Euxini maris porrectis,à Morauia,Slesia,Polonia,& à Russia distinguitur, vsque ad eum locum,vbi regio est,quam Maromarusiam vocamus. Ibi iam alij montes, & syluæ ab eo loco Seuerinum versus tendentes, à Transsyluania & Valachia Transalpina separant. hanc vlteriorem Hungariam Tibiscus fluuius,omnium,quos Septentrio habet,fluuiorum (quantũ adhuc intelligere licuit) piscosissimus,in montib. Maromarusiis & salinariis ortus,mediã interfluit: præter alia minora duo nauigabilia flumina, in se recipiens Zamosſiam,& Marysium,vtrumque ex Transsyluania defluentem. Hæc Hungaria vlterior habet oppida nobiliora, ad Septentrionem Posonium, Tirnauiam, Trincinium,& ibidem fluuium Vagum,prope Comarom in Danubium influentem, Nitriam, & inibi Bistriciam, cum aliquot montanis oppidis, auri & argenti,cuprięq; fodinis nobilibus: item Vaciam, Pestum, Budæ oppositum, Agriam, Cassouiam,& aliquot Scepusij oppida non ignobilia: ad Meridiem verò Colociam, Bachiam, Zegedinum: vltrà Tibiscum, Varadinum, Debrecinium, Riuulos dominarum,cum fodinis auri & argenti, Chanadinum Episcopale, & nobilissimam arcem Themesiensem: præfecturam, quæ tertium inter regni præfecturas locum obtinet: Seuerinum,vbi pontis olim à Traiano Imper extructi vestigia etiam nunc apparent, & alia, quæ breuitas historica nunc prolixius vetat enumerare. Tibiscus ipse circa Titulium præpositura insigne, non procul à Varadino Petri,in citeriore eius fluminis ripa sita,Danubiũ influit. Vltra eos montes, quos à Carpathiis ad Seuerinum protendi diximus, Transsyluania est, Daciæ olim pars. Eius caput Alba Iulia,vel à Iulio Cæsare,vel ab Hijula potius quodam Hunnorum principe, ita dicta. Oppida complura nobilissima, in quibus Cibinium,Brassouia,Colosium,Bistricia,& plura alia à Germanis,quos nos Saxones appellamus,condita,& habitata. In ea sunt Siculi,vulgò Zekel dicti, genus hominum ferox,& bellicosum: inter quos nullus neq; nobilis,neque rusticus,omnes eodem iure censentur, Heluetiorum instar. Transsyluania ipsarerum omnium est feracissima,præcipuè auri, argenti & aliorum metallorum: ad hæc salis montani.equos generat nobilissimos, vino abundat, sed non æquè excellenti, vt Hungaria, & Sclauonia. Transsyluaniam duæ cingunt Valachiæ, Transalpina,& Moldauia: illa Danubio,hæc mari Euxino admota: vtraq; cum Transsyluania eam Europæ nunc occupat partem, quæ olim Dacia erat. Sic totus iste

Hun fl.

10 20 30 40 50

tus iste tractus Transdanubialis, qui nō solùm Hungăriam vlteriorē, ſed Tranſſyluaniam quoque, cum vtraque Valachia, continet: Danubio, montibus Carpathiis, mari Euxino, & rurſus eodem Danubio ex omni parte includitur. Et hæc de generali Hungariæ ſitu: nunc reſtat de his locis dicere paulò aliquanto particularius, in quę tota huius belli vis incubuit. Infra Budam, per ripam Danubij deſcendentibus, pręter quoſdam ignobiliores pagos, & vicos, Rakos, poſt Tholna eſt, ſedecim milliariis noſtris Hūgaricis à Buda remota. Inde Batha, ſub Batha Mohacz, ad ripam Danubij ſitum. Mohacz ad dextram, in locis mediterraneis, Quinquecclesias habet, ciuitatem ante hāc cladem in Hungaria ſatis in-
10 ſignem, quatuor milliariis, vel paulò amplius à Danubio, tribus à Drauo remotam. Drauum verſus Socloſium, vltra Drauum, Valpo arces nobiles habentem: à Mohacz porrò, vſq; ad Drauum flu. quatuor, vel paulò amplius, milliaria ſunt. Supra eum autem locum, vbi Drauus Danubio miſcetur, in vlteriori ripa eſt oppidum Ezeck, & ibidem veſtigia magnæ alicuius, tempore quo Romani Pānonias obtinebant, vrbis: coloniæ fortaſſe Romanorum, ab oſtio Draui non niſi duobus milliariis remotæ. In eo loco, vbi Ezeck eſt, Drauus in anguſtum coarctatus, ponti faciendo eſt aptiſſimus: quod ſequuti noſtri, tempore, quo Belgradum amiſſum eſt, pontem ibi, per quem exercitus traduceretur, extruxerāt. Poſt Ezeck, Erdewd eſt, arx præpoſituræ Thituliensis, locus vndique ſyluis cinctus,
20 & qui paruo labore, natura adiuuante, munitiſſimus effici poſſet. Poſt Baroh, Walko, Zatha, & è regione Bachia, quam diximus: altera Hungariæ metropolis, in loco campeſtri ſita, vt ſunt omnia alia vlteriota, quæ inter Tibiſcū & Danubium iacent, campeſtria & plana, atque ob id pecori & armentis alendis inprimis vtilia. A Zatha per eandem ripam, eſt Wilak, oppidum cum nobiliſſima arce, atque ibi primùm aperitur beata illa, & fertiliſſima regio Sirmienſis, non vini ſolùm tota Septentrione laudatiſſimi, ſed etiam rerum omnium, quæ ad vſum humanum pertinent, ferax: tot olim Imperatoribus, atque etiam (vt annales Romani habēt) vnius ad pontificatum Romanum euecti, mater, & alumna, oppido olim eiuſdem nominis inſignis, cuius etiam nunc veſtigia extare di-
30 cuntur. Mira ibi eſt locorum amœnitas, mira ſoli fœcunditas, incredibilis aeris tempeties: quod propterea iam eſſe conſtat, quòd ea regio non eſt à littore Adriatico niſi tridui, aut, ad ſummum, quatridui itinere remota. Prima in Sirmia ab Wilak recedentibus, occurrit Bakmonoſtra, ſedes epiſcopatus Sirmienſis: ac, antequam ad Varadinum Petri perueneris, Kamanceh nobile oppidum: intra illud eſt Varadinum Petri, oppidum cum arce eccleſiæ Colocienſi ſubiectum: quem locum, amiſſo Belgrado, pro Belgrado numeramus. poſtea eſt Zalankemen, & alia nōn magni nominis oppida, ſuperiori Belgradenſi clade per Turcas diruta. Inde in eo angulo, vbi Sauus Danubio influit, arx Zemlen: inter hanc arcem, & Belgradum, oſtia Saui, & in altero confluentis angulo Belgra-
40 dum illud, tot nobiliſſimis cum hoſte Turca commiſſis prælijs inſigne: à cuius iam penè captæ oppugnatione, Ioannes Huniad, Matthiæ regis pater, Hungariæ gubernator, cum fratre Ioanne Capiſtrano, Amurathen olim Turcarum imperatorem, ſumma cum nominis noſtri gloria, repulit. Hanc arcem nos Nandor Albam vocamus, aliqui Albam Græcam dicunt, antiqui Thaurinum appellarūt. Sita eſt, qua Hungariam ſpectat, in rupe præcipiti, oppidum habens ſub ſe eiuſdem nominis: hinc Sauum, vbi Danubio miſcetur, illinc Danubium præterfluentem deſpiciens. Et in hunc modum ſe habet Hungaria, & eorum locorum, vbi tantam cladem accepimus, ſitus. Nam ad dotes Hungariæ, quibus ſupra omnes Europæ prouincias (ſi verum dicere licet) abundat, referendas, peculiari
50 volumine eſſet opus. nos ſitum eius, vt magis eſſet conſpicuus, oculis legentium ſubiicere ita voluimus.

Rex, igitur, vt ad inſtitutum redeamus, vbi accepit, Turcorum copias iam Sauum tranſire, veritus ne illo ſuperato, eueſtigio ad ripas Draui, & ad oppidum quod diximus Ezeck, ante ſe occupandum feſtinaret: ad eum locum præſidio retinendum, animum adiecit: quæ res demandata eſt comiti Palatino, qui tunc

non procul à Drauo, in arce fraterna erat. Qui licet malè pedibus affectus, id tamen curandum impigrè suscepit. Cæterùm illis, quibus mandatum erat, vt eòdem vel irent, vel copias suas mitterent, mandata segnius, quàm par erat, obeuntibus, Palatinus frustra id, quod aggressus fuerat, facere conatus, Budam ad regem venit: vbi accusata eorum, qui sibi adesse noluerunt, negligentia, postea apud regem mansit, regiæ exhinc contra hostem profectionis comes. Sub idem ferè tempus, rex factus est certior per secretum nuncium à quodam, cui hostis consilia, ac rerum eius status erat exploratissimus, nihil esse consultius, quàm si Vayuoda Transyluanus, cum Transalpino, (nam & huius fides regi in hac parte explorata esse videbatur) vel à tergo aggrederentur hostem, nihil tale cogitantem: vel illo rectà contra regem tendente, ipsi iunctis viribus Thraciam, omni præsidio nudatam, inuaderent. ita enim fore, vt hostis vel opprimeretur in medio, vel certè ab incepto desistere, atque ad sua defendenda redire cogeretur. Fuit id consilium primò suspectum, ob nonnullas causas, quas longum esset commemorare. Deinde cum Strigoniensi archiepiscopo res fuit communicata: illo consilium approbante, præceptum est Vayuodæ Transyluano, per Vrbanum Batthiani, qui tunc fortè in Moldauiam mittebatur, vt re plenius cognita, id faceret, quod magis è Repub. esse arbitraretur. Et, si id putaret vtilius, vires suas, & Transyluanorum, cum Vayuoda Transalpino, ad illa loca conuerteret. Quæ res pro magna parte in causa esse potuit, quòd Vayuoda ad tẽpus prælij adesse non potuerit. Iam dum hæc agebantur, non aderat solùm, sed & præterierat tempus conuentui Tholnensi designatum, & nemo adhuc ad eum locum venisse audiebatur: videbanturque omnes solum regem inspicere, neque prius Tholnam venturi, nisi regem ibi intellexissent esse. Inualescebant interim in dies magis ac magis rumores de Turcæ vlteriori progressu: donec auditum est, eum Sauo transito, aliquot castellis obuiis dirutis, Varadinum Petri obsidere: & iam arcem (nam oppidum parum munimentum habebat) acerrimè terra & aquis oppugnari. Tum denique rex, licet neque ex Boemia, neque aliunde quisquam adhuc aduenerat, & paucas admodum copias apud se haberet, ne quid tamẽ in tanto regni periculo omisisse videretur, quod à se fieri posset, XXIIII. Iulij Buda exiguo comitatu egreditur, penes Danubij ripã, Tholnam versus paulatim iturus: sperans interim, alios quoque ad se venturos. Paulo ante hunc regis ex Buda egressum, missus fuerat Stephanus Bathori de Somlio, ad Vayuodam Transyluanum, qui eum iuberet, reiectis omnibus aliis consiliis, hostis aduentu ita iam exigente, cum omnibus copiis Transyluanis ad regem properare. Habuit tunc rex, cùm ex Buda egrederetur, cum his, qui Mariæ reginæ & archiepiscopi Strigoniẽsis erant, equitum ac peditum ad tria millia. Eo die quo Buda egressi sumus, ad suburbanum Ambrosij Sarkani peruenimus, duobus milliariis à Buda distans, Erd loco est nomen, ibi rex equum amisit, quem habebat omnium charissimum, ac præstantissimum, repẽtino morbo absumptum: ex quo incredibili dolore est affectus. multi id pro infausto omine habuere. Vbi cùm aliquot diebus rex fuisset commoratus, neque quisquam ad eum venisset, cum iisdem copiolis, cum quibus illuc venerat, vlterius ad vicinum pagum, Erchij vocatum, procedit: ibi etiam multis diebus inutiliter consumptis, & solo Andrea Bathori ex primoribus tum, non contemnendis copiis ad eum veniente, per ripam Danubij ad Penteleum est itum, locum & ipsum (sicut & de Ezeek diximus) vetustate alicuius etiam Romanorum coloniæ vestigia seruantem, vbi nobis à Vayuoda Transyluano Georgius Basij cum mandatis præstò fuit. Summa mandatorum hæc erat: Vayuodam valde ancipitem esse, quid agere debeat, ob tantam, qui ad eum missi illis diebus fuerant, nunciorum varietatem. venisse ad se primùm aliquot literas regias, deinde frequentes nuncios (in quibus Gasparum etiam Horwath de Wimgard, regiæ dapis in mensam apponendæ præfectum) quibus ad regem venire iuberetur. venisse postea Vrbanum Batthiani, qui consilia quædam de hoste à tergo cum Vayuoda Transalpino aggrediendo, ad se detulerit: venisse postremò Stephanum

Erd suburbanum.

phanum Bathori de Somlio, qui rurſus priora illa mandata repetiuerit, non reuocatis apertè iis, quæ per Vrbanum Batthiani fuerant nũciata. Atque ita prorſus ſe incertum eſſe, quid inter tot conſiliorum mutationes agere, vel quidnam horum mandatorum exequi debeat: ad omnia ſe, quæcũque regia Maieſt. iubeat, eſſe paratum. Sibi tamen videri illud conſilium longè eſſe ſalutarius, quo ad regem venire iuberetur. Serum eſſe iam illud de Turca à tergo aggrediendo: & vt valde periculoſum, ita iam factu longè, quàm antea, difficilius, etiamſi maximè conducat. Iam enim Tranſalpinum, cum quo id facere iuberetur, coactum eſſe mittere in caſtra Cæſaris Turcarum, pro obſide filium, quem vnicum haberet. His à Georgio Baſij cognitis, rex inde ad Felduar (ita oppidum in eadem ripa Danubij ſitum appellamus) eodem, quo Baſij mandata domini ſui expoſuerat, manè profectus, Georgio ibi in ſenatum vocato mandat, vt dies, & noctes, quantum maximè poſſit, ad Vayuodam feſtinet: placere regi, Vayuodæ conſilium: & ita nunc, hoſte limites regni ingreſſo, & contra ſe properante, ex vſu eſſe. Itaque rebus omnibus & conſiliis aliis poſtpoſitis, Vayuoda cum omnibus tam Tranſſyluanorum copiis, quàm aliis, quos per viam ad regis caſtra veniens vbique offenderit, ad regem feſtinet, omnes, quoſcunque poſſit, in caſtra regia trahat, non nobiles ſolùm, & militares, ſed etiam agricolas. Dantur literæ ad Tranſſyluanos, dantur & ad epiſcopũ illius prouinciæ Ioãnem Gozthoni, reginæ cancellarium: dantur ad Vayuodam ipſum, Georgio id ex voluntate (vt dicebat) domini ſui ſuadente. hæ, quas ille aliis ad eos facilius mouendos oſtendere poſſet, ſolito arctius ſcriptæ: & in quibus ſub pœna infidelitatis ei mandabatur, vt ad regem dies & noctes feſtinaret. Mittitur cum Georgio Baſij, vt res facilius & celerius confici poſſet, Ioannes Statilius, acris & prompti ingenij vir, ac non mediocris literaturæ, Petri Berizlai epiſcopi Veſprimienſis & Bani Martini, viri pacis & belli artibus clari, ex ſorore nepos. alij nondum à rege diſceſſerant: & ecce infauſtus nuncius, Varadinum Petri per plures dies à noſtris viriliter defenſum, omnibus ferè defenſoribus interemtis, muro (quo peruetuſto, & ideo non ſatis valido, arx erat circumdata) crebris tormentorum ictibus in terram deiecto, in hoſtium poteſtatem veniſſe: atque eos inde terra & aquis ad alias propinquas arces, maximè ad Vylak oppugnandum, properare. Rex hoc nuncio conſternatus, tanto magis properare iubet eos, quos ad Vayuodam mittebat. ſcribuntur præterea literæ ad omnes partes. mittuntur nuncij ad Georgium comitem Scepuſienſem, qui non longè ab Alba regali, cum quinque hominũ millibus eſſe dicebatur; ad Frãciſcum Batthyanij, Banum Croatiæ ad comitẽ Chriſtophorũ, quem iam fama erat à Ferdinando digreſſum, in Croatiam ad patrem perueniſſe, vt acceptis inde armis, equis & domeſtico milite, ad regẽ inſtructior veniret. Ad hæc Ladiſlaus Macedo Budam ad reginam celeri curſu ire iubetur. Petitur à regina, vt fratrem Ferdinandum, & in eius abſentia præſides Auſtriæ, pro ſubſidiis antea petitis, regi quamprimùm ſubmittendis vrgeat: & maximè pro tormentis bellicis, quibus hoſtem inſtructiſſimum audiebamus, nos non valde abũdabamus. Deinde, vt regina vrgeat Boemos quoq;, & illas copias Boemicas, pro quibus nomine & ære ſuo priuato conducendis Mezericio Morauo regulo pecuniam dederat. Vrgetur per literas Thomas Nadasdinus, qui ad Ferdinandum miſſus fuerat, vt inſtet apud eum, narratis & regni ac regis periculis, & præcipuè Varadini Petri amiſſione, ne princeps, regi duplici cognatione, & periculorum etiam ſocietate cõiunctus, regem in tãta neceſſitate deſerat. Idem agere iubetur Nadaſdinus apud alios Imperij principes, qui tunc (vt ſuperius dictum eſt) Spiræ conuentum Imperialem habebant. Inter hæc Paulus Thomorij, qui adhuc ante Varadinum Petri expugnatum, dum duo equitum millia haberet, quæ ſola tunc cum eo erant, ſummæ temeritatis eſſe iudicat, tantæ hoſtium multitudini ſe opponere: relictis in præſidio arcis mille circiter peditibus, & paucis equitibus, quos in arce ab hoſtibus defendenda periiſſe diximus, in alteram Danubij ripam tranſgreſſus fuerat. vbi quantum poterat, hoſtis celeritatem retardabat, tam terra quàm aquis. Habebat enim & ſuper

Danubio copias nauales,eorum,quos nos Nazadiſtas appellamus, non paruas, hoſti tamen longè impares. Rex verò oppugnatione Varadini Petri audita, per ripam Danubij,ex eo loco, quem ſuprà diximus ad Pakos, ibi biduum commoratus,& erat dies transfigurato ſaluatori ſacra,Tholnam peruenit,aucto iam aliquantulum exercitu:& cùm Tholnam intraret, habuit ad quatuor, vel paulò amplius equitum millia.Tholnam intranti regi,prodiit obuiã,cum his qui pauci iam Tholnam conuenerant,comes Palatinus: qui adhuc ex ſecundis caſtris, quæ cum in Erchij diximus habuiſſe,Tholnam fuerat præmiſſus.Rege Tholnæ exiſtente, conuenerunt ex omnibus ferè tam citerioris, quam vlterioris Vngariæ prouinciis, quæ nos comitatus appellamus, frequens numerus. ſuperuenit 10 & comes Georgius Scepuſienſis cum trecẽtis,vel paulò amplius equitibus grauis & leuis armaturæ, ac mille circiter ducentis peditibus. Affuit & Hannibal Carthaginenſis Cyprius cum mille trecentis peditibus, pontificiis pecuniis cõductis. Venerunt & aliæ pedeſtres pontificis copiæ, quæ omnes in vnam ſummam collectę,efficiebant quatuor peditum millia,armis & robore militum eleganter inſtructę. Atque ex hoc numero,duce Leonardo Gnoienskij Polono,egregio caſtrorum metatore,& ad hoc ipſum præcipuè conducto,Poloni mille & quingenti:qui rebus omnibus,quibus hoc militum genus commendari ſolet,alios peditatus longè anteibant. Venerunt per hoc ipſum tempus & nonnulli ex epiſcopis: Paulus Vardaij Agrienſis, Franciſcus Perenni Varadienſis, & plures 20 tam epiſcopi,quàm ſeculares. Dum Tholnæ eſſemus, conſultatum eſt diligenter frequẽtiſſimo ſenatu, quotidie ferè, diebus regni,de vlteriori regis progreſſu,ac rurſus de retinendo tranſitu Draui:quando iam & de Sauo, & de Varadino Petri actum eſſet: & Turca, expugnatis iam omnibus penes Danubium caſtellis,& arce etiam Vilak in poteſtatem recepta,ad Ezeek aduentare diceretur. Deſignatur itaque rurſus, qui properet ad Draui tranſitum ante hoſtem occupandum,idem comes Palatinus,qui prius. Adduntur plures ex optimatibus,qui eum ſequantur cum copiis:quorum aliqui, dum mandatum regium exequi recuſant,dum priuilegia ſua,& morem baronum ſub regiis tantùm ſignis militandi iactant,ea quoque res,Draui ſcilicet defenſio, fuit prætermiſſa: Palatino,ta- 30 metſi eadem qua prius corporis valetudine impedito, nullum tamen laborem recuſante: quem cùm ad Mohachium progreſſum, cæteri qui mittebantur, ſequi recuſarent,priuilegia ſua (vt diximus) allegantes;rex in frequenti ſenatu, vbi de hoc agebatur,ſubitò in iram verſus: Video,inquit, ego vnumquenque capite meo (verba enim regis, ſicuti fuerũt,ita ponemus) excuſationem & ſalutem capiti ſuo quærere. Ego perſonam & caput meum ideo in hęc pericula adduxi, vt illud pro huius regni & veſtra ſalute omni fortunæ diſcrimini obiicerem. Ne quis igitur ſit,qui poſſit excuſationem aliquam ſuæ ignauiæ capite meo prætendere,nève poſſit aliquid mihi imputari:ibo ego,Deo optimo bene iuuante, cras vobiſcum in perſona,eò,quò alij ſine me ire nolunt. His dictis applauſu multo- 40 rum,admiratione verò omnium,qui aderant,ſubſequuto,ſignum in ſequentem diem proficiſcendi canere iubet: quibuſdam,qui non ignorabant,quid inde periculi ſequi poſſet, fruſtra profectionem huiuſmodi diſſuadentibus. Ex Tholna igitur ſequenti die profecti,pridie eius diei, qui erat aſſumptæ Virgini matri dicatus,Zeckzardum, inde binis caſtris Batham peruenimus. Fuerũt prius miſſi, inualeſcente in horas hoſtis appropinquatione, qui exercitum per pagos & vicos huc illuc diſperſum in vnum cogerent, & Batham compellerent. Fuit miſſus epiſcopus Boznenſis,Georgius de Palina, vir iuris ſcientia & vitæ integritate clarus,qui Paulum Tomori eòdem venire iuberet.Cùm itaq; Batham omnes conueniſſent, & tempus exigere videretur (id quod & ad eam diem videbatur non ſine graui detrimento & incommodo dilatum) imperatorem aliquem ex- 50 ercitui præficere:rex animis ac ſuffragiis omnium à ſingulis ſecretò exploratis, cùm multo maioris partis vota in Monachum inclinare videret: eum cum comite Georgio Scepuſienſi, fratre Vayuodæ, totius exercitus imperatorem declarat:non omnibus eam ducum,præſertim Monachi, declarationẽ approbantibus,

tibus, quibusdam etiam satis grauiter id ferentibus: quos tamen postea omnes vidimus dicto ducum obsequentissimos fuisse. Verùm Tomorij, cùm regis volūtatem eam circa se esse videret, vt curam ducendi exercitus omnino susciperet, diu est, multumq́ue reluctatus, nunc regularem professionem, nūc imperitiam, ac virium suarum tanto oneri ferendo imparitatem causatus: habere dicebat regiam Maiest. multos claros viros, ex ordine patritio, seculares, quibus hoc muneris longè magis conueniret. nominabat comitem Palatinum præsentem, & Vayuodam absentem: vtrumq; in magnis expeditionibus versatum, & ducendi exercitus aliis omnibus quos Hungaria haberet, peritiorem: ad hæc, Zondij 10 iuuenes, non carentes tamen & ingenio, & ministris longè se bello gerendo aptioribus. se tanto oneri omnino imparem, vt qui tale bellum, quale tunc suæ Maiest. instaret, ne oculis quidem vnquam vidisset: neque id onus vllo pacto subiturum, etiam si rex caput ei amputare iuberet. His & aliis eiusmodi tam publicè, quàm in secretis regis colloquiis frustra sæpe commemoratis, rex nihilo secius eum ducem belli declarat. Addit ei, quod diximus, Georgium comitem, Vayuodæ fratrem, qui & ipse diu est eam prouinciam pertinacissimè deprecatus. Tandem ea lege cōsensit, quòd ei nemo alius, nisi frater Paulus (ita enim dicebat) collega daretur: vtq;, vbi frater aduenisset, liberum esset ei statim hoc munere sese abdicare, quod facilè fuit cōcessum: quòd longè iam antea fuerat de-20 cretū, vt cum Paulo Tomorij, & comite Christophoro Vayuoda, dux huic bello gerendo præficeretur. nam comes Nicolaus de Salm valetudinē aduersam excusauerat. His itaq; peractis, duces ad locum castris prope oppidū Mohacz capiendū proficiscuntur. Erat id oppidum episcopatus Quinqueecclesiēsis, inter Batham & ostia Draui fluminis, in ripa Danubij sitū. Danubius paulò supra Bathā scinditur in duos alueos: quorum maior vlteriorem, quæ campestris est, Hungariam secat: minor Batham & Mohaczium alluit: ambo infra Mohaczium in vnum coeuntes, insulam ibi efficiunt. Mohaczi vicus siue oppidum est satis celebre, habet circa se quaque versum ingentem planiciem, nullis collibus, vel syluis impeditam. Habet ad solis occasum Quinqueecclesias, ciuitatem (vt diximus) 30 ante hanc cladem satis insignem. A Septentrione est ei, quam diximus, Batha: ab Oriente habet illum minorem Danubij alueum, à Meridie quatuor & amplius milliariis remotū Drauum fluuium, inter quem & Mohaczium sunt partim colles vitiferi, partim palustria quædam loca. & in hoc ipso spacio erat, non procul à Mohacz, aqua potius quædam palustris, quàm quòd ea vel palus, vel amnis vocari possit, Krasso eum incolæ appellant. vltra quem habebat Tomorij quinq;, aut sex equitum millia in castris, partim ex his qui ab initio cū eo fuerāt, partim qui postea cū Petro Perenni, & cum aliis ad eum aduenerant, quos iussu regis ex vlteriori ripa Danubij in citeriorem traduxerat, cum exercitu regio cōiungendas. Loco igitur castrorum cum collega prope Mohaczium capto, ac di-40 ligenter ex præscripto etiam Leonardi Gnoienskij metato, & sua cuique statione assignata: ipse rursus ad suos, qui vltra illam aquam in castris erant, cum Petro Perenni proficiscitur, illos quoque, si id ei persuaderi possit, in castra regia secum adducturus. Quò vbi peruenit, & vbi militibus & copiarum ductoribus in vnum conuocatis, voluntatem regiam, & pariter suam de castris retroducendis exposuit: tum verò milites ad vnum omnes fremere, indignari, sese ab hoste, cui obuiam iri oportebat, cum quo manus, si viri essent, strenuè forent conserendæ, abduci: fugam meditari, non pugnam, Principes, qui talia regi suaderent ocio & inertiæ assuetos. Veniat modò rex & secum in hostē arma ferat: victoriam fore in manibus suis. Exploratum sibi esse, habere quidem hostem ingētem 50 vim hominum & tormentorū: exercitum tamē eius imbellem esse, & inermem: vix decimum, aut vigesimum quemq; telum aliquod habere, quo nocere possit. Illud etiam esse sibi compertū dicebant, omnem illā strenuam olim, & inuictam Turcarum manum primùm sub Belgrado, pòst in expugnatione Rhodi cecidisse: agat modò magnanimus dux cum collega, quæ sint strenui ducis: omnia prosperè casura. Auellat regem, & strenuum quemque militem ab illa inerti

Mohacz. Krasso palus

sacerdotum, & aliorum pugnam detrectantium turba, qui regem etiam ipsum de animo & corpore præstantem, suis ignauis moribus, & consiliis corrumpere, & effœminare, & ex præstantissimo iuuene, sui simillimum reddere conetur. Dum hæc in illis castris aguntur, iam apud Mohaczium omnes loca in castris sibi designata occupauerant, & sub tentoriis agebant. Rex adhuc se in Noua villa Macedoniorum, quæ inter Batham, & Mohaczium est, cum paucis continebat: non paruo expositus periculo, si hostis non multum inde remotus, paucitatem, quæ apud regem erat, animaduertere potuisset. Sed regis fatum in aliud tempus, vbi longè gloriosius pro patria occumberet, fortuna reseruabat. Aduolat interim repentè ex castris, nocte intempesta, ad regem somnum carpentem, Michael Podnamiczkij, ab optimatibus missus, afferens pro re certa, Cæsarem Turcarum Drauum iam trãsiuisse, cum magna copiarum parte: reliquam cum omni celeritate traduci: certamen nullo iam modo differri vlterius posse. Orare optimates regiã Maiest. vt, omni mora postposita, ad eos in castra veniret, de prælio cum hoste conferendo consultaturus. Rex his quæ Podnamiczkij attulerat cognitis, & aduocatis his paucis consultatoribus, quos secum habebat, consultat quid in re tam trepida & ardua agendum esset. Occurrebat regi consilium Vayuodæ Transsyluani, & comitis Christophori, quorum vterque per nuncios, qui ab illis paulo antè redierant, damnarat cõsilium eorum, qui regem ante tempus ad locum hostis adeò propinquum adduxerãt. Fuisse regi vel Budæ expectandum, vel in alio quopiam remotiore ab hoste loco subsistendum, dum omnes regni vires & auxilia conuenissent. Hortati fuerant regem, ne ante suum saltem aduentum, manus cum hoste consereret. Nunciabat & illud Vayuoda, per Ioãnem Statilium, venire secum ex Transsyluania copias cùm numero, tum robore militum ita præstantes, vt in eis posset rex vel præcipuam ponere spem victoriæ. Et hæc igitur veniebant regi in mentem, & ante oculos ei versabantur quæ Senatus nunciabat. Cui si non paruisset, si quid aduersi contigisset, hoste præsertim adeò propinquo, & militibus tanto ardore pugnæ flagrantibus, videbat omnem rei malè gestæ, aut occasionis prætermissæ culpam in se vnum coniectum iri. His curis anxius, statuit tentare optimatum animos, si quo pacto ad Vayuodam saltem & comitem Christophorum expectandum, & ad castra interim, si hostis vrgeret, in tutiorem locum transferenda induci possent. Mittitur ergo in castra, eadem fermè illa noctis hora, qua Podnamiczkij venerat, cancellarius, qui apud regem erat, suasurus primoribus, maximè ducibus belli, & Strigoniẽsi archiepiscopo, ac comiti Palatino (nam reliquam procerum simul & vulgi multitudinem à nutu istorum pendêre non ignorabat) prælij dilationẽ. Iubetur cancellarius commemorare omnia ex ordine, quæcunque à Vayuoda, & à Christophoro fuerant regi nunciata: ponere eis ante oculos, quàm manifestũ excidium regno immineat, si rex cum tot primoribus, tanto totius regni Hungariæ nobilitatis & militiæ flore, sese tam aperto periculo exponeret. Nam si contingat (id quod hostium multitudine & apparatu cum paucitate suorum collata, magnopere esset extimescendum) regem succumbere, quid postea esse, quod possit hostem remorari, aut impedire, quò minus tota Hungaria paruo negocio potiatur? Dicebat insuper, esse longè fortasse vtilius, dum alij veniẽt, dum Vayuoda cum Transsyluanis, Banus Sclauis, Christophorus ex Croatia, Boemi cum Morauis, & Slesitis, & si quæ alia auxilia essent ventura, adesse possent, exercitum abducere in aliquem tutiorem locum: vel retro etiam, si hostis eam necessitatem imponat, aliquantulum cedere: minus calamitatis accepturã esse Hungariam, si hostis eam totam à Mohaczio vsque ad Posoniũ peruagetur, ac ferro & igni deuastet: quàm si tanti exercitus, in quo rex, & tanta sit procerũ nobilium & militum turba, vno prælio deleantur. His enim deletis, quid postea spei regno reliquum esse? Rege autem, & tot proceribus, ac tali milite saluo, faciliora fore omnia: eo præsertim rege, qui generis propinquitate ac necessitudine sit longè lateque vniuersum Christianum orbem circumplexus. Hæc cùm cancellarius, quemadmodũ iussus erat, eadem illa nocte ad proceres, primùm primoribus

ribus

ribus ſingulis ſeorſim nocte aditis, deinde ad Senatum vniuerſum detuliſſet, nihilo magis profecit, quàm ſi nihil eis fuiſſet nunciatum: adeò omnium animi erant partim vana victoriæ ſpe certaminis auidi, partim metu diſſuadendæ pugnæ, cuius deſiderio videbant militum animos accenſos, occupati. Rex igitur ſub primam lucem in caſtra venit: & quia nondum ex Buda naues venerãt, quæ tentoria, & alia in caſtris regi neceſſaria deferebant, in domum epiſcopi, oppido adiacentem, diuertit, tentaturus ibi quoque, quod per Cancellarium paulo antè fruſtra tentauerat. Conuocantur igitur ad regem omnes omnium ordinum & nationum conſiliarij, diu Senatui ex ordine etiam militari interfuere frequẽtes: 10 & ex Boemis quoque, & Morauis, illi qui ad eos præuenerant. Agitur diligenter cum ſenatu, & militari ordine, quid facto ſit opus: cùm nemo adhuc eorum qui ex Tranſſyluania, Sclauonia, Croatia, Boemia, Germania expectarentur, adeſſet: quorum pleroſque certa ſpes eſſet breui affuturos. hoſtis autẽ in propinquo eſſet, non niſi duobus ad ſummùm milliariis à caſtris regiis remotus, pugnã fortaſſe nullo pacto dilaturus: quid faciundum regi cenſerent: transferendáne aliunde caſtra, pugnæ, interim dum hi qui expectabantur aduenirent, differendæ gratia; an belli fortunam cũ hoſte experiundam? Aderat his conſultationibus Paulus etiã Thomorij, proxima nocte ex aliis caſtris hac ipſa de cauſa accerſitus: qui cũ à prælio cum hoſte conſerendo videretur non alienus, rex miratus, 20 qua ſpe animũ haberet, & eius etiam à tali propoſito auertẽdi gratia coram vniuerſo ſenatu iubet eum interrogari, primùm de ſuorum, deinde hoſtiũ numero. Nam & id ſciebat ille, magis ipſi, quàm vlli alij conſtare, ob frequentes exploratores & transfugas, qui ad eum aſſiduè veniebant. Ad primum reſpondit, tam in caſtris regiis, quàm in ſuis (erant enim, quod ſuprà diximus, diuiſa) non eſſe ſuo iudicio ſupra viginti millia armatorum. In caſtris verò hoſtium, dixit ſe certò intelligere ad 300000. hominum. quæ res, & tanta noſtrorum cum hoſtibus imparitas, cùm animos omnium vehementer perculiſſet: ſubdidit repentè ille, non eſſe hoſtes propterea magnopere formidandos. eſſe enim illam multitudinem & inermem magna ex parte, & imbellem. Inſtanti regi rurſus percunctan- 30 do, quótnam crederet hoſtium millia eſſe bello aptiora & ſelectiora? reſpondit, 70000. Is quoque numerus viſus eſt exercitum noſtrum quàm longiſſimè exuperare: præſertim cùm idem tormẽta etiam bellica grandiora dixiſſet eſſe ſupra 300. His tamen diu multúmque conſultatis, & tam Monachi conſilio, quàm animis ferè omnium (præter paucos, qui neſcio quo vano metu ducti, non audebãt palàm quod ſentirent proferre) iam per ſe ad pugnam decernendam ſpectantibus: ſuperuenere repentè inter medias has conſultationes, miſſi ex aliis caſtris: qui cùm in ſenatum intromiſſi fuiſſent, dixerunt, ſe nomine eorum, qui in aliis caſtris erant, tam ad regem, quàm ad ſenatum mandata habere. Ita prius cũ ſolo rege in ſecreto conclaui collocuti, poſtea inde cum eodem rege egreſſi, monent 40 ſenatum accuratè, nomine ſuorum, ne regem à pugna cum hoſte conſerenda dehortentur, habere ſe vires hoſtium, licet hi numeroſi ſint, planè exploratas: victoriam eſſe in manibus, modò fortuna, quam Deus eis obtuliſſet, vti velint. Venirent igitur cum rege, & caſtra, Deo bene iuuante, cum ſuis caſtris hoſti vicinioribus, & illi inuadendo opportunioribus, iungerent. Quòd ſi quid aliud regi perſuadere niterentur, illis paratum eſſe exitium: ſeque ab hoſte contra nos, ſi caſtra noſtra caſtris illorum quamprimum non admoueremus, venturos affirmabant. His inter ipſas belli conſultationes coram rege & ſenatu expoſitis, illis etiam qui ſaniora conſilia ſequebantur, tam atroci denunciatione deterritis, pugna decernitur: nulla ſpe, neq; Vayuodam, neq; Chriſtophorum, neq; Boe- 50 mos ad tempus prælij affuturos. Banus tãtùm Croatiæ, Fran. Bathianij, qui iam non procul à Quinqueecleſiis cum copiis Sclauonicis erat, ſpem faciebat, ſeſe intra biduum, aut triduum affuturum. Id quod poſtea euenit ita. Fuerunt qui dimiſſo etiam ſenatu, multum improbarent conſilia pugnæ, ita præcipitanter ineundæ. Fuit inter alios Franciſcus Perenni epiſcopus Varadienſis, feſtiui ingenij iuuenis, & ita certo ſcribendi charactere præditus, vt ei neminem noſtrorum

Epiſcopus Varadiẽſis.

(nisi fortasse Thomam Zalahazij episcopũ Vesprinien sem) in hoc genere præferri velim, præsertim si tantum ingenio excolendo, quãtum ocio, & his rebus, in quibus iuuenes nobiliores, magno suo & patriæ damno tempus plerunq; cõterere solent, indulsisset. Is igitur, quasi eorum, quæ paulo pòst sequuta sunt, præscius, regi, non sine omnium, qui aderant, admiratione dixit, eum diem, quo pugnandum esset, postquam ita placeret, 2000 Hungarorum martyrium (nondum enim hunc numerum exercitus excedebat) duce fratre Paulo Thomorij, pro Christi religione occisorum fore consecrandum: ac pro eorum canonisatione, quod vocant, cancellarium, si is huic bello supersit, in vrbem fore mittendum, vt qui pontifici, & supremis patribus sit ad legationes Romæ defunctas bene notus. in quo vtinam ille falsus fuisset vates. Sed erũt fortasse, qui accusaturi sint audaciam nostrorum, qui ita cupidè pugnam hanc exposcebant: & hanc vel temeritatem, vel improuidẽtiam sint vocaturi: quod neque nunc deesse video. Sed ignorant multa illi fuisse in causa, quæ prudentissimos etiam, & summos Imperatores, ad idem facilè impellere potuissent: & ante omnia, mirus & incredibilis, ac fatalis penè quidam militum ardor, ac certa & indubitata in omnium ferè animis victoriæ spes. Ad hæc, occulta quædam Pauli Thomorij, cum magna hostilis exercitus parte, consilia, cum his scilicet, qui vel Christiani ipsi, vel Christianis parentibus nati erant, & qui tormẽtorum bellicorum apud hostem curam habebant, partim Germani, partim Italici generis. quin & illud accedebat, quòd nõ videbatur satis tutus ab hoste adeò propinquo recessus: hoste præsertim ob equorum velocitatem ad nullam rem magis apto, & prompto, quam ad persequendum cedentes. Pugna igitur in hunc modum decreta, ea, quæ ad pugnã pertinebant, curantur. Ante omnia Thomorij in castra sua, quæ in proximo fuisse diximus, proficiscitur: ibi ægrè à suis impetrat, vt retro aliquantulum concedant, & se cum exercitu regio coniungi patiantur. Ita sequenti die castra nostra cum castris illorum, medio ferè milliari, infra Mohaczium coniuncta fuerunt: sic tamen, vt & ibi nostri illis non miscerentur, sed esset paruum interuallum inter nostra & illorum castra relictum. Eodem tempore venerunt ex Buda naues tormentis bellicis maioribus, & minoribus, puluere item bombardico, & quibusdam aliis ad pugnam necessariis plenæ: nouem etiam machinas à Viennensibus missas aduehentes. Venerũt & Alexij Turzonis 200 ferè pedites, cum aliquot machinis. nam ipse cum episcopo Vespriniensi Budæ relictus erat apud reginam. Hi duo ad eius custodiam & obsequia deputati fuerunt: fugę etiam eius postea comites, qui in hunc vsque diem in reginæ obsequiis permanserunt. Affuit Banus etiam Croatiæ, die dominico, qui pugnam præcessit, cum elegantissimis copiis: fuere ad tria millia equitum, ac non ita multi pedites. Venerant cum eo Ioannes Tahij, Ioannes Banffij, & nonnulli alij ex regni Sclauoniæ proceribus. Venit postridie eius diei manè, rege etiam instruente (nam eo etiam die creditus est hostis in prælium descensurus) Simon de Erdewd, episcopus Zagrabiensis, cum fratre Petro Erdewdij, cum septingentis amplius equitibus, viris, equis, armis decenter instructis. Aduenit eodem ferè temporis momento Stephanus Azel, cum 300 equitibus ferme, quos Ioannes Bornemijssa regi in subsidium miserat, cum aliquot millibus aureorum, supremum à patre filio alumno munus. Venit circa serum eiusdem diei, Ioannes Zerechen, supra 2000 peditum, eorum qui circa Drauum colunt, & insignes sagittarij habentur, ducẽs, partim in suis, partim in capituli Quinqueecclesiensis possessionibus collectorum. Venerunt & alij plures intra illud triduum: illi præcipuè, qui propinqui erant, & in his Philippus More episcopus Quinqueecclesiensis, & frater eius Vladislaus More. Quibus omnibus simul congregatis (fuere autem ad viginti quatuor vel viginti quinque hominum millia: nam naualium copiarum, quæ & ipsæ eodem in loco erant, nullus in eo bello fuit vsus, Cæsare cum illo suo tam numeroso & potenti 300000 hominum exercitu, non nisi per duo milliaria distante) consumpti sunt illic tres dies, qui pugnam antecesserant, partim in pugnæ pręludiis, quæ assiduæ fiebant, maiori semper hostium quàm nostrorum damno: partim in consul-

Laslo More.

ſultando, quo pacto, & in quo loco cum hoſte congrediendum, quem in modum acies eſſet ſtruenda, vbi rex in acie ſtare, vbi eques, vbi pedes, vbi bombardæ poni deberent, quas ad octuaginta habebamus, cum hoſtilibus minimè conferendas. Diſputatum fuerat ante illud tempus diligenter de regis perſona: fuerant, qui cenſebant eum cum aliquot hominum millibus ſelectis, procul ab acie ſtare debere. quod cùm nullo pacto exercitus laturus eſſe videretur, qui regem de more volebant prælio intereſſe: agitatum eſt & illud, vt regis loco, armis regiis alius indueretur. Sed id quoque viſum eſt, ſine ingenti exercitus reclamatione, ac conſternatione fieri non poſſe. Decretum igitur poſtremò eſt,
10 cùm ſatis anceps pugna imminere videretur, vt eſſent qui regis ſeruandi curam haberent, ſi quid grauius accidiſſet: & regem ſimul, ac aciem, ita vt reſtitui poſſe amplius non ſperaretur, inclinare viderent, ex media acie ereptum abducerent. Demandata fuit hæc cura Gaſparo Raskaij, Valentino Torok, & Ioanni Kalnaij, tribus præſtantiſſimis viris, & regi ſine vlla controuerſia, fidiſſimis: diſpoſitis etiam ad id equis velocioribus, quibus rex, ſi ita neceſſitas poſtulaſſet, in euadendo vteretur. Sed vt ad rationem diſponendæ aciei redeamus, erant non pauci, & in his Lampert Gnoinskij, qui conſultiſſimum nimium cenſerent, ſi curribus quibus rex maximè abundat, acies vndique cingeretur: ac ſi intra ſepta & munimenta certamen fieret: hoc enim pacto futurum dice-
20 bant, vt hoſtis non ita facilè nos poſſet (quod magnopere timendum erat) circumuenire. Approbant hanc ſtruendæ aciei formam Radiſch, Boſich, & Paulus Bakith: ex quibus poſterior tribus legitimis præliis à Solymano cum hoſte commiſſis, interfuiſſe ſe dicebat. Itum eſt igitur pedibus in hanc ſentẽtiam. Demandataque ea cura Gnoinskij, & quibuſdam aliis: ſerius tamen, quam oportebat, & eo demum veſperi, quo in ſequentem diem eſt cum hoſte pugnatum. Itaque hæc quoque res, ſicut alia multa, fuit neglecta. Aciem eo die, quo eſt pugnatum (qui fuit XXIX. Auguſti menſis, diui Ioanni Baptiſtæ decollato ſacer) ex ſententia eorum, quos paulo antè nominauimus, ita extruere placuit: vt quãto latius extendi poſſet, extenderetur: in quo illud eſt potiſſimum ſpectatum, ne ab
30 hoſte circumueniremur. Deinde diuiſus eſt vniuerſus exercitus in duo agmina. In primo agmine, duces belli erant nullo certo loco: ſed vbi res poſtulaſſet, dextrum eius cornu Banus Croatiæ, cum Ioanne Thahij: ſiniſtrum, quod Vayuodæ Tranſſyluaniæ, ſi adeſſe potuiſſet, deſignatum fuerat, Petrus Perennij curabat. Erant in hoc priori agmine plures ex primoribus, in quibus Antonius Paloczij, Franciſcus Hommonaij, Gabriel Perennij, Thomas Zechij, Andreas Bathorij, Emericus Czibak, & plures alij. Tormenta bellica ſtatim poſt principia poſita erant. Secundum agmen, ſiue illa acies, quam nos ſtatariam appellamus, in qua rex erat, ex equitatu magis conſtabat, paucos admodum pedites à lateribus habebat: inter hanc aciem, & primam, non intercedebat, niſi ſpacium
40 lapidis iactus. In eo agmine ante eum ordinem, in quo rex erat, triplex erat ordo, magna ex parte ex cubiculariis regiis & baronibus conflatus: quorum dux erat Nicolaus Tharczay, vir & manu promptus, & ſingulari in regem fide. Ibidem erat vterq; aulæ regiæ præfectus Petrus Corlatkei, & Andreas Trepka Polonus. Erat & Stephanus Slijk Boemus, cum aliis Boemis, & Morauis: & hi ante regem, regi proximi erant. Tres illos ordines ſubſequebatur ordo regius, & in eius ordinis medio rex ipſe, nempe

Aciērum ratio.

Ingenio, ſpecie, virtuteq́, numinis inſtar,
Spes patriæ, regumq́, decus, ſi fata tuliſſent.

Ad regis dextram erant, antiſtes Strigonienſis, & Zagrabienſis: nam Agrien-
50 ſis adhuc ex Batha Budam fuerat miſſus, poſt Zagrabienſem, Varadienſem, Quinqueeccleſienſem, Sirmienſem: duo enim ex prælatis, Iaurienſis & Vacienſis, ad læuam poſiti erant. Poſt Cancellarium, Nitrienſis, Boſnenſis, præpoſitus Albenſis, & poſt hunc ſecretarij ac cubicularij. regis in parte ſiniſtra, penes regẽ, locus erat relictus Comiti Palatino: qui licet æger pedibus, & vix equo inſidens, tamen modò in primo, modò in ſecundo agmine diligentiſſimè verſabatur. In

lçua igitur parte, cùm Palatinus à loco suo abesset, erant penes regem aliquot barones: & illi duo, quos diximus, antistites. Regi à tergo adhærebant Czetricz, Mailath, & Caspar Horwath, stabuli regij magister. Post proceres simili modo erant hi, quos quisque sibi magis fidos, & strenuos pro tutela corporis sui delegerat: his erat coniunctus post regem & proceres, equitum cataphractorum pulcherrimus globus, 1000, vel paulò amplius cataphractos continens. nam alij huius generis equites per primum agmen sparsi erant. In medio huius globi erat vexillum regis, quod Ioannes Dragffij iudex curiæ, quæ tertia est inter secularès à rege dignitas, sustinebat. Hanc statariam aciem cingebant vndique equites leuis armaturæ, & pedites quoque à lateribus, quod superius diximus. In latere eius dextro, post antistites & secretarios, erant illi tres, quibus tutelam regij corporis commissam fuisse diximus. Locus, vbi acies fuit instructa, recesserat à Mohaczio milliari vno, à Danubio præterfluente milliario medio. Erat, quod & superius dictum est, in eo loco ingens & lata planicies, nullis, neque syluis, neque virgultis, neque aquis, neque collibus impedita, nisi quòd ad læuam, inter eum locum & Danubium, erat aqua palustris, & limosa, crebra arundine caricibusque plena, vbi postea multi mortales perierunt. Contra nos collis erat in longum protensus, in theatri quodammodo formā, vltra quem Cæsar Turcatum castra habebat. in collis imo descensu, pagus modicus cum templo, Feuldwar ei pago est nomen. Ibi fuerunt positæ machinæ hostiles. cum locum oculis nos postea, circa extremum certaminis tempus, conspeximus, hostibus fuisse oppletum, maximè Ianiczaris, quos vocant, qui quicquid erat vltra illius pagi casulas, omnia longo ordine occupabant: inter quos fuisse Cæsarem, postea fuit cognitum. Tormenta ita erant ibi posita, quasi in quadam valle: propter quod nostris longè minus, quàm si in plano fuissent, nocere potuerunt, & plus terroris, quàm damni intulerunt. Acie in hoc quem diximus loco, eo quem diximus modo & die, paulo post solis exortum instructa, (erat autem dies clara, & multum serena) Palatinus regem ex eo loco, quem ei designatum fuisse diximus, eductum, quod & triduo antè fecerat, per vniuersum exercitum circumducit: ibi cum præsentem, de quo aliqui dubitauerant, omnibus manu ostentans, paratum dicebat omnia extrema & mortē etiam subire pro patria, pro sacra Christi Dei opt. max. religione, pro coniugibus & liberis eorum. Agerent itaque ipsi quoque viri fortissimi, Hungaros se esse meminissent: & eos qui & ipsi sæpe, & eorum olim maiores inclyti illi heroes, & fortissimi Christianæ Reipub. propugnatores, tot clara trophæa, ex eodem illo, cum quo pugnaturi essent hoste, retulissent. Nec esse quòd hostium multitudine deterrerentur: non enim in multitudine, sed in robore militum, sitam esse victoriam. Deum etiam ipsum ex alto, pro sua sancta religione pugnaturis affuturum: in manu ipsorum positam esse dicebat, non patriæ solùm, quam hostis occupare venisset, sed totius Christianæ Reipub. salutem. Hæc & alia talia cùm Palatinus, & simul etiam rex, omnibus ordinibus obequitatis, commemorassent: rex locum & ordinem suum repetiuit. Consumpsimus postea maiorem diei partem in expectando hoste: qui se ita haud multis, qui leuia cum nostris certamina ac belli præludia exercebant, præmissis, adhuc post colles illis continebat, dubium nostrósne, vt ad illas locorum angustias pertraherent, an vt pugnam sequentem diem dilata, nos ea nocte in castris ex improuiso aggressos opprimeret. quod pro ea militum & tormentorūcopia, qua abundat, non erat ei difficile factu: vel vt potius nos longa prælij expectatione fatigaret. Quicquid in hoc hostis fuerat secutus, non mihi de hoc est compertum. Tenuit certè nos tota ferè illa dies suspensos. Sic suspensis, & expectantibus apparuit, iam sole in vesperam inclinante, agmen hostium, per vallem, quæ nobis ad dextram subiecta collibus erat, tacitè incedens, sola hastarum summitate illud prodente. Monachus igitur, ratus id quod erat, illos vel ad castra nostra diripienda, vel vt nos circumuenirent, tendere, de prima acie ad regem aduolans, iubet Casparum Rasskay cum duobus aliis, quos ad custodiam regij corporis deputatos fuisse diximus, ire exploratum, quidnam illi moli-

Palatini exhortatio.

molirentur, & vt eos si possent, ab incepto itinere auertant. Ille non immemor, quid ei antea fuerat de regis custodia mandatum, recusata, quantū honestè potuit, prouincia, demum cùm & Monachum instare videret, & regem Monachi imperio non contradicere: ne, quod non sine magna causa faciebat, id in ignauiam vel timiditatem ei verteretur: subdit equo calcaria, & illuc, quo mittebatur, cum sociis, & tota equitum, qui eis parebant, cohorte festinabat, ea etiam spe (quod non videbatur vllo modo dubitandum) illum ad tempus, quo regi eius opera esset necessaria, inde facilè reuerti posse. At his eò, quò diximus, profectis, adhuc incertum erat, vtrum hostis facturus esset eo die pugnādi potesta-
10 tem: & erat post meridiem hora ferè tertia. Nec deerāt ex primoribus, qui tam longam expectationem pertæsi, signa receptui canenda, & in castra redeundum censerent. Quod cùm Monachus sensisset, repentè ad regem cum collega aduolat, pugnam nullo modo differendam esse monet: minus esse periculi nunc, cum parte copiarum hostilium, quàm in posterum diem, cum toto exercitu cōgredi: non esse de victoria dubitandum. Ad quam vocem rex statim signa canere iubet: & simul cum tubarum clangore, & tympanorū sonitu exoritur clamor, vel cantus potius nostrorum, Iesu Saluatoris nomen inuocantium de more. & eodem tempore, vidimus ingentem copiarum hostilium vim de colle illo, qui nobis oppositus erat, sese sensim demittentium, vbi Cæsar Turcarum eti-
20 am erat. Tum demum regis capiti galea est imposita, quo tempore magnus in eius ore pallor apparuit, quasi futuri mali præscius. Signo belli dato, viriliter cū hoste concurrere hi, qui in prima acie erant: bombardæ quoque nostræ omnes emissæ fuerunt: paruo tamen hostium damno fit certamen, multo acrius quàm pro numero militum nostrorum: plures ex hostibus, quàm ex nostris cadūt: donec nostris fortissimè pugnantibus, hostis cedere, siue nostrorū impressione coactus, seu vt nos ad tormentorum loca pertraheret, cœpit. Et repentè aduolat ad regem Andreas Batorij, hostes terga dare, victoriam esse nostram, promouendum esse gradum, & nostros hostem fugientem persequentes adiuuandos. Propetamus igitur per æqua & iniqua: verùm, vbi ad eum locum vētum est, in quo
30 paulo antè fuerat certatum: ibi verò multa nostrorum, plura hostium cadauera per campos iacentia vidisses, & quosdam semiuiuos, & adhuc spirantes: interim nostris hosti instantibus, & fortiter cum eo pugnantibus, agmine regio eodem, quantum à cataphracto milite properari poterat, properatū: inclinari cornu dextrum cœpit, & plerique ex eo cornu fugam capessere, tormentis (credo) quæ hostis tunc primùm iaculari cœperat, exterriti: quæ res, & globorum iam nostris etiam, qui penes regem eramus, capitibus superuolantium, crebri iactus, non parum terroris omnibus incusserunt: & eo ipso tempore rex in ordine nostro non comparuit, siue priores illos ordines, quos ante ipsum diximus fuisse, progressus, (quod antea ita erat statutum, ne rex in eodem loco staret)
40 siue sublatus ex acie ab his, quos ei post tergum fuisse diximus. nam vtrunque fieri potuit. Nec desunt, qui dicunt, eum priores sui agminis ordines transgressum, vsque ad principia processisse, atque illic viriliter cum hoste pugnasse. quod ego neque affirmare ausim, neque apertè inficiari. Illud mihi certò constat, eum tunc à nostro ordine, & à suo loco abfuisse, quando tormenta hostilia tonare cœperunt, & quādo ex cornu dextro fuga fieri cœpit. Secundum ex eodem ordine, penè eodem tempore, quo regem, sensimus abfuisse archiepiscopum Strigoniensem, & nonnullos alios regi propinquos. Ego regis amissi culpam neque in eos ausim conferre, qui ei custodes fuerūt adhibiti: neque in eos, qui eum fortasse intempestiuè ex acie subduxerunt, sed infelici cuidam nostro
50 fato: vt rege etiam amisso, non solùm pateremur ea, quæ ab externo hoste passi sumus, sed domesticis etiam dissidiis, & factionibus ob alium regem in locum demortui substituendum agitaremur: nostris flagitiis, his etiam grauiora merentibus. Illos enim vtrosque scimus regi fidissimos fuisse, & regię salutis studiosissimos. Nam quod ad tres illos attinet, ad custodiam regij corporis deputatos, constat eos ab hoste, ad quem reprimendum missi fuerant, non prius redire po-

tuisse, quàm fuerit tota acies nostra in fugam conuersa, capto etiam vno ex eis, & eodem in loco liberato. Quò molestiore animo ferendum censeo, quòd ausus sit quidam, oratione de hoc publicata, (si oratio illa vocari debet) nostros sui regis desertores falsò vocare. An deseruisse regem sint censendi, qui omnia illi officia bonorum ac fidelissimorum subditorum præbuerunt, qui omnes ferè in eodem, in quo rex iacuit, campo iacuerunt, testati morte etiam, quàm fidi suo regi, quàm amantes patriæ fuerint. Sed idem ille egregius historiarum scriptor, qui hæc scribit, & qui tot conuitia in gentem nostram ingerit, huius etiā cladis historiam ita scripsit, vt me pudeat eum ita impudēter rem sibi ignotam in vulgus prodere fuisse ausum. Sed nos ad institutum redeamus. Regis exercitu per ea, quæ diximus, vehementer turbato, & ad fugam spectante: diu tamen etiam postea est pugnatum, iam non in latiore illa planicie, sed ante ipsa tormenta: quæ nobis adeò erant propinqua, vt non fuerint à nobis decem passibus remota: donec non solùm terrore, sed & fumo tormentorum omnia replente, ac visum etiam prohibente, coacta fuit magna exercitus pars in vallem, quæ aquis illis palustribus iuncta erat, descendere, reliquis adhuc ante tormenta viriliter pugnantibus. Cæterùm cùm hi quoque, qui se in vallem receperant, rursus in pugnam instaurandam rediissent, neque iam vlterius vis tormentorum & fumi sustineri posse vllo modo videretur: magna exercitus parte in fugam dilapsa ipsi etiam sunt fugere coacti. Fugam igitur ad vnum omnes, qua cuique proximum erat capessunt, ac per ea potissimùm loca, per quæ paulo antè ouantes, & spe victoriæ pleni veneramus, & per castrorum loca, quæ fuerant antea ita per hostes direpta & disiecta, vt vestigia tantùm eorum superessent, & plena essent omnia eorum qui in castris remanserant cadaueribus. Hostes visa nostrorum fuga, vel fraudem subesse rati, vel pugna fatigati, diu se intra aciem suam continuerunt: & nisi tenebris noctis insequentis sese intendentibus, nequaquam nostros sunt insequuti. Quæ res, & quòd nox paulo pòst cum imbribus effusissimis est subsequuta, multis mortalibus saluti fuit. Durauit certamen iustum per vnam ferè, & mediam horam, suntque non pauci & illa palustri voragine absumpti. Nam regis corpus, quem & ipsum ibi periisse nonnulli dicebāt, fuit postea repertum in hiatu quodam terræ prærupto, supra Mohaczium, milliario medio sub pago, quem Czelie vocamus: qui locus tunc Danubij inundatione aquam solito maiorem habebat: ibi simul cum equo ita, vt erat armatus, ab aquis fuit suffocatus: quo in loco plures etiam alij perierunt, atq; ab eo loco non procul repertum est corpus Andreæ Trepka, & Stephani Azel. Monachus in prima acie fertur cecidisse, fortiter pugnās. eius caput à trunco abscissum, postero die per castra hostium loco triumphi fuit circumlatum, longæ hastæ affixum: quod postea ante tabernaculum Cæsaris stetisse aiunt. Eo die, qui pugnam est insequutus, mille & quingenti ex his capti fuerant, & inter hos magna primorum nobilium pars in coronam positi, coram exercitu victoriæ capite sunt truncati, Cæsare sanguinem illorum libante diis suis. pauci ex captiuis seruati: vt essent, à quibus Cæsar, & Hibrahim Bassa ea, quæ opus erant, possent sciscitari. Inter hos Nicolaus cognomine Hertzek, quod lingua nostra ducem significat, dux reuera, & thesaurarius regius existimatus: item Ioannes Pileczkij, & Ioannes Maczieiiowskij, Poloni, omnes cubiculi regij ministri, à quibus postea ad reginam reuersis multa cognouimus, quæ breuitas historica commemorare nunc non permittit. Seruatus fuit & Michael Fekethe, & Bartholomæus Maytinij, qui postea magno ære fuerunt inde redempti. Perierunt in eo prælio, & in fuga, præter regem, ex antistitibus Ladislaus Zalkanus archiepiscopus Strigoniensis, Paulus Thomori Colocensis dux belli, Franciscus de Peren Varadiensis, Philippus More Quinqueecclesiensis, Blasius Paxij Iauriensis, Franciscus Chaholij Chanadiensis, Georgius de Paliina Boznensis episcopus. Ex baronibus, Georgius de Zapolia, comes Scepusiensis, alter belli dux: Ioannes Dragffij, iudex curiæ: Franciscus Orzag cubiculariorum, Petrus Corlathkwij, & Andreas Trepka ianitorum, Simon Horwath pincernarum

rum regalium magistri: Thomas Zechij, Gabriel Perinni, Ambrosius Zarkan, Antonius Paloczij, Matthias Czethini, comes de Frangepanibus, Sigismundus Banffij, Franciscus Hampo, Ioannes de Batian, Stephanus Slyk Bohemus, & nõnulli alij Bohemi, & Moraui. Ex nobilioribus & potioribus regni, Frãciscus Balaszy, Nicolaus Tharzay, Ioannes Paxy, Ioannes Istwanffij, Emericus Warday, Michael Podmaniczkij, Georgius Orlowchicz capitaneus Segniensis, Stephanus Azel castellanus Posoniensis, Sigismundus Pogan, Ioannes Tornaly, Ioannes & Stephanus Kalnay, Nicolaus Forgach. Præter hos, nobiles potiores vsque ad quingentos. Quin tum præter tria, vel quatuor millia peditum, paucissimi e-
16 uaserunt. fuerunt autem vsque ad duodecim, vel tredecim millia peditum: ex quorum ducibus vix euasit quisquam alius, præter Hãnibalem Cyprium. Tormenta bellica omnia, & illa, quæ in acie fuerunt, & ea quæ partim in castris, partim in nauibus remanserunt, habuit hostis. Horum cura demandata fuerat, sed serò, & non, nisi eadem illa nocte, quæ pugnam præcessit, comiti Ioãni Hardek, viro strenuo, & industrio, & qui circa regem ab initio fuerat diligentissimè versatus, regi inter paucos charus. Nocte & die quæ pugnam insequuta est, hostes in omnes partes propinquas cursu effusi, obuia quæque vastauerũt, & combusserunt, nulli mortalium parcentes, non sexui, non ætati, nõ religioni, omnia fœda & crudelia in miseram gentem exercentes. Neque est mearum virium, cla-
20 dem illius noctis, & sequentium dierum deplorare: quæ tanta fuit per omnem illam Hungariæ citerioris partem, vt non possim mihi persuadere, ab vllo vnquam hoste crudelius esse sæuitum. Illud inter alia contigit, nunquam fortasse antea auditum, quòd infantuli viui, ne vagitu proderentur, fuerunt ab infelicissimis matribus in terram defossi, ibidem aere terra intercluso, matribus inde aufugientibus, miserè suffocati. Processit hostis vsque ad Balatonem lacum, Quinqueeclesiensi ciuitate insigni combusta: cuius tamen arx, & nobilissimum templum, quod in arce est, remansit intactum. Dum hæc agerentur, iam Vayuoda circa Zegedinum erat, cum copiis Transsyluanis: quæ cũ ita citò subsequi non possent, ipse conscensis leuibus rhedis, cum paucis ad regem properabat: vt vel
30 solus prælio, quod intellexerat minimè dilatum iri, interesset. Comes Christophorus Zagrabiam peruenerat: Boemorum aliqua pars, eorum qui in auxilium regi veniebant, partim non longè ab Alba Regali, partim circa Iaurinum erat, & circa eadem loca Georgius Marchio Brandenburgensis, & Cancellarius Boemiæ Adam de Noua domo. Regina hac clade audita, cum episcopo Vesprimiense, & Alexio Thurzone, & oratore pontificio, incerta adhuc de regis interitu, trepidè Posonium confugit, rerum suarum magna parte per Danubium subuecta: in quibus, & in his, quæ ciuium Budensium erãt, licet Andreas Orbancz, qui arci Strigoniensi præerat, nonnulla damna fecerit, tamen in huius rei commemoratione longè à veritate recessit ille, qui militibus nostris leuis armaturę,
40 quos vero nomine Hussariones appellant, eam impingit culpam, quòd puellas reginales inhonestius habuerint, & in earum soleis per ludibrium saltauerint. Cæsar paucis diebus circa ea loca, vbi prælium fuit, commoratus, omnibus deinde, quos prædatum dimiserat, ad se reuocatis, inde Budam versus mouit: ad quam sextis aut septimis castris ripam Danubij legens cùm peruenisset, oppidis & villis obuiis omnibus exustis, eam sine omni præsidio relictã reperit, & combussit, arce sola cum stabulo regio ac viuario ferarum relicta. Inde dimissis in omnes Hungariæ citerioris partes prædatoribus, quicquid inter Danubium & lacum Balatonem iacet, vsq; ad Iaurinum, omnia ferro & flamma vastauit. Strigonij tamen arx, per eum, quem superius nominauimus, Andream Orbancz de-
50 serta, per hominem humillimæ sortis, & qui paulo antè peditum illius capituli ductor erat, Matthæum cognomento Nagh, qui illuc cum paucis confugerat: & arx Wissegradij, coronæ regiæ conseruatorium, per rusticos & monachos fuerunt seruatæ. Tãtus terror inuaserat animos nostrorum, audito Cæsaris Budam aduentu: quæ quidem arces, & cum his Thata, & Comarum, atque etiam Alba Regalis, propterea etiã ab hoste non fuerunt captæ, quòd is, nescimus quo con-

Com Hardek.

Nekhami.

filio, regnum vastare tantùm contentus, de arcium & locorum munitiorum expugnatione nihil habuit pensi. Nusquam est hosti sic in Hungariam sæuienti magis repugnatum, quàm in loco, cui Marotho est nomen, non procul a Strigonio. Secessus est archiepiscopi Strigoniẽsis, non inamœnus, inter eas syluas, quas nos Wiertesias appellamus, syluis & nemore vndique cinctus. Huc se aliquot millia nostrorum receperant, cum coniugibus & liberis, angustiis freti. Cum his hosti fuit non semel acerrimum certamen, magna hostium strage. Postremò, cùm nullo modo castra nostrorum, quæ curribus circumduxerãt, expugnari ab hoste possent, coactus est hostis tormenta quoque bellica illac adducere, & ita demum & castra disiecta, & omnes ferè ad vnum cæsi fuerunt: ingentes cadauerum cumuli, qui nunc quoque eo in loco visuntur, facilè magnitudinem cædis declarant: fuere autem, vt hi, qui pauci inde effugerunt, referũt, vsq; ad 25000. nostrorum. Omnium verò vbique tam cæsorum, quàm captorum numerum in vnam summam colligẽdo, affirmare ausim, ex his quę cognoscere potui, periisse hac clade, propè 200000. hominum. Citeriore Hungaria in hunc, quem diximus, modum, à Draui ostio ad Iaurinum vsque vexata, terrore non modico etiam his qui procul erant, & Viennensibus quoque iniecto, ponte super Danubio ad Pesthum facto, decimoquarto quum Budam venerat die, Cæsar in Hungariam vlteriorem transiit: dimissis inde quoque ad omnes partes, quæ inter Danubium & Tibiscum sunt, qui omnia similiter vastarẽt, & comburerent, sicut in citeriore Hungaria fecerat: multitudinem omnem, quæ Tibiscum non transierat, partim gladio interimit, partim in seruitutem rapit. Ipse satis iam in miseram Hungariam debacchatus, domesticis, quę interim in Asia minore (quã Natholiam vocant) exorta fuerunt, dissidiis eum reuocantibus, omnibus, quæ intra Drauum & Danubium occupauerat, locis atque ipsa etiam arce, & ciuitate Budensi sine vllo præsidio relictis, domum est reuersus.

DE FERDINANDO REGE, SAMB.

EXCIPIT regnum Ferdinandus, diuinitus omnium voto nunc Imperator & Rex, idque suo iure non modò connubiali, sed maiorum cũ Matthia, postea Ladislao quoque conuentionibus & pactis, quæ vel ab Ibraimo Bassa per Lascium aliquando Byzantij recitata, & audita comprobata fuisse lego. Nõ tamen sine labore, diuersisque Baronum studiis, illud est consecutus, coronamque Albæ in festo Emerici accepit, 1527 anno: ac Budæ in regia collocatus est, cùm Ioan. Vayda iam ad Tokay militem colligeret, & à Nicolao Salmẽsi ferrea manu dicto fusus, turpiterque profligatus erat. Ille enim flagrans cupiditate regni, quod illi à Ladislao ferè, & proceribus, excito ad rusticanum bellum sopiẽdum, quidam etiam promissum fuisse dicere non verentur, quid animi haberet, quàm Lodouico & Ferdinando studeret, in interregno ipso testatus est. Iam enim à conuentu illo Pesthiensi, vbi omnia loca armis obsederat, vim minatus, cùm de Lodouici confirmando imperio tractaretur, quid ambitio, prehensationes, & id genus artes valeant, experiri est ausus: exercitu quoque ad Mohaczium tardius moto (licet id accidisse contrariis Lodouici legationibus & mandatis multi asserant) spem concepisse de Solymani erga se, adque regnum tradendum propensa liberalitate, non imperiti rerum fateri audent. nec omnino spe falsus est, siquidem Ferdinando ritè electo, præripere coronam aggressus, promissis innumeris, vt à quibusdam rex crearetur, obtinuit. Sed infaustus illi dominatus, & semper inconstans fuit, adeoque cladibus sæpe cumulatus. Ferdinandus enim conscripto exercitu paratissimo, illius molitionibus, ac subitariis, tumultuariisq; turmis obuiat: rectà Budam obsessurum vt Vayda intellexit, conscius viriũ profugit. Bis ad Tokay fusis eius per Velsium & Nicolaum à Salmis copiis, satis Vngarorum societate firmatis, nusquam tutus esse potuit: & diu in Polonia hospes latuit, donec se, suosque & regnum ad extrema redactus, in turpissimã tutelam, seu potius seruitutem acerbissimam Solymani abiecerit. Quo variè precibus ad restituen-

restituendum sibi regnum, & securum præstandum excito, imperium cùm ipse suum amiserat, tum verò negociū Europæ, solicitudinemq; attulit maximā. Postremo tamen Caroli V. aliorumque principū opera, Varadini anno 38. reconciliatus opera Burgij & Salmensis interpretū pactis laudabilibus ad mortem stetit. Non obscurum est, Vayuodam apud Turcam non parum commendationis opera Venetorum inuenisse, quòd Syrmiensis præfectura Grittio, Transsyluaniæque concessa fuerit: nec desunt literæ, quibus docetur, Francorum regem annua tricena millia aureûm nummûm Venetiis subsidio Ioanni aliquādiu dependisse. Verùm quod ad hunc optimum, clementissimum, fidissimumque regem Ferdinādum attinet, non deerunt qui memoria, & stylo, quid amore Christi molitus sit, per 38. annos susceperit, ausus que sit, copiosè, vereque narraturi sint: quando recentes historiæ post obitum commodius diuulgentur, liberiusq; cognosci, iudicariq; soleant. Materiam & argumentum tamen omnis illius vitæ integerrimæ oratione mea sequenti ad funus conscripta, subiiciam, quod ipsum & alios nuper suarum scriptores rerum fecisse video.

IN OBITVM IMP. FERDINANDI PRIMI, ORATIO IOAN. SAMBVCI.

QVEM vniuersus orbis nunquam comprehendebat, cuius ad Imperium, & societatem, omnes Reges ac Principes confluebant, qui tot bella fortiter intulit, propulsauit, cōfecit, prudentia, consilioq; omnē memoriam superauit: eum, auditores nobilissimi, thecula summi diei celebritate subitò efferri, vel eripi potius, Opt. Principem, P.P. nónne per omnē vitam lugere, lachrymisque eius vestigia colluere debemus? Quod ipsum certè funestissimè à vobis, & piissimè fieri video: quos ad hanc concionem communi mœrore & querelis contestatam, gemitibusq; assiduis plenam concurrisse intueor. Miserum est, Christiani auditores, consuetudine familiarem amittere: miserius, orbatum parentibus, in negociis propriis inopem ac dubium versari: miserrimum, destitui iusto patrocinio: sed calamitosum etiam, huiusmodi Principem, quem Deus in publicum vsum contulerat, ista scilicet erga omnes lenitate, clementia, fortitudine, victoriisque clarissimum Cæsarem, non semper videre præsentem posse, qui suorum casus, proprios ducebat: quemadmodum sibi concreditos, sartos, tectos, florentesque conseruaret, dies noctesque cogitauit: qui semper in periculis cum laude versatus est, Christi spe, posteritatisque, & fructu ductus. Sed dum ista attingo, mirabitur quispiam, quî ipse hæc pronuncians, non spiritu præcludar: præ lachrymis vos intueri, præ dolore animi & singultibus vel hiscere queam: cùm vos, quotquot adestis, contractis & depositis animis, angore, multorumq; iam dierum squalore obsitos, ac penè confectos sentiam. Sanè, pij auditores, nisi hac oratione quiddam aliud, quàm luctū augendum putarem: nisiq; breuiter tanti herois vitam, & quas meretur laudes, quasi præteriens percurrere, iustaq; cohonestare, vt eorum memoria leuationem vobis quandam afferret, constituissem: haud ego hunc locum siccis oculis, minus consistentibus pedibus conscendissem. Sed ita est, cuius res præclarè & immortaliter gestæ in omnium recenti memoria & sermone versantur, qui ad sempiternum est domicilium abreptus, qui tot beneficiis in rem Christianam positis, hoc ocium expetiuit, aliis honores, triumphos, imperia concedit, adeoq; hāc rerum gestarum vacatio, honoris amplitudo, ætatis excusatio vendicat quietem: eius ego aliquot verbis mentionem faciam: vtq; diuturnitatem temporis, quo dolor minui solet, factorum recordatione, vestraque in mortuum pietate pru-

denti repræsentetis, cohortabor, ne ingrati, aut nullam æternitatis spem alere, sed his beneficia caducis temporibus emetiri velle videamur. Sum quidem ego, quos copiosa illius clementia & voluntas clientes fouit, omnium minimus: nec diffiteor esse lõgè disertiores, ad quorum numerum me aggregare numerum, nisi insolenter, nunquam possem: & in funere tanto non modò egregia eius facinora, sed omnes omnino virtutes ipsæ laudandæ essent: (quæ ea sunt dignitate, vt cuiusuis eloquentiam fatigarint) quia tamen ob patriæ afflictissimæ statũ, præcipuum mihi hũc luctum, & acerbissimum proposui: officiosè me facturũ putaui, si vngues tantùm, de quo molem leonis vestris animis conciperetis, proponerem, indicarem tantùm, morem Palladis in hoc secutus, quæ cùm Tiresiæ luminib. priuato, restituere vsum cernendi non posset: vt tamen sonos, & auium quarũuis strepitus agnosceret, auribus expurgatis effecit. Ardua res, atque difficilis est diuinos & bonos viros laudare, aq; aberrare in aliquo, graue peccatum: siquidem qui cœlestibus similes vituperat, aut dissimiles probat, in Deum illum peccare Socrates verissimè dixit: quippe sancti sunt boni Principes, atq; ad Deorum naturam accedunt, & quasi illorum congressu & consiliis quotidie erudiuntur, vt Homerus de Minoe alicubi prodidit. Sed volũtatem & conatus, etiamsi vires non vsquequaque tanto oneri sufficiant, omnes æquo animo accepturos, non dubium habeo. Assensum itaque me, non reprehensionem, gratiam, non irrisionem, initurum isto consilio, mihi persuasi: benignis igitur, & constitutis ad audiendum, & paratis auribus, quæso, adsitis, & à grauioribus curis animos subleuatote. FERDINANDVS Cæsar Habenspurgia, nunc Austria, familia oriundus fuit: quæ quàm sit incolumis, quàm celebris, quàm omnes alias splẽdore & vetustate, successioneque Imperatorum antecat, nemini est inauditum, qui de Carolo Magno aliquid vnquam, vel saltem Rodolpho Imperatore didicere. nam vulgare non est, istius familiæ sobolem ac propagationem, omnium regnorũ Christi, præter Cyprum & Scotiam, fuisse dominos: octauum hunc Maximilianum esse Imperatorem. Historię id narrant integræ: pleni sunt omnium Commentarij & in lucem editi, & instituti. Et quanquam fatendum est, nullos ferè Comites ætate Caroli Magni cum dominij aut locorum appellatione fuisse notos, aut insignes: tamen horum non malè à Gothis etiam, & Carolo Magno, deducimus agnationem. Sed quid opus tot verbis? Nónne se satis illustres posteris, tot annorum singulari, summoque Imperio Christiani orbis, effecere? Ex hac igitur familia omnium opt. Princeps, orbis deliciæ, atque exemplum antiquæ virtutis & maiestatis, prodiit, faustissimo die, lętis auspiciis, in Hispaniis, regno Castellæ, oppido amœnissimo Complutensi, fluuio Henares vulgò dicto nobili, ad octauum lapidem à Madridio, anno à rediuiua salute omniũ M.D.III. sub ingressum solis in arietem, decima Maij, patre Philippo, auo illo Maximiliano primo, proauo Friderico III. Huius frater germanus fuit, Carolus ille V: cuius non fama solùm, sed gloria, nullis orbis regionibus terminatur. Noster itaque Cæsar admodum adolescens, cùm in Belgiis summæ rerum esset præfectus, quòd frater audita regis Catholici morte, in Hispanias rediisset: paulo pòst, conditione Pannonicarum nuptiarum, rebus ibidem bene compositeq; administratis, in Hungariam Vormacia Rex designatus, proficiscitur. Exin 27 anno rex eligitur Boemiæ, coronamque 24 Febr. accipit: vxor verò Anna, die pòst tertio. 29. quo Carolus à Clemente Imperij diadema solenne accipit, Solymanus grauissimè Viennam circumsedit: quem obsessi fortiter spe, & authoritate Ferdinandi repulserunt, vimque & minas 200000. vanas eluserunt. Anno verò 30. Coloniæ, solicitãte, & præsente fratre Carolo Romanorũ rex designatus, Aquis eius dignitatis ferreum insigne 31. tulit. Cumque se pacem amplexurum, suisque ocium daturum putasset, 32 anno iugum, interitum vniuerso orbi Christiano, non tantùm Viennæ, Turca denuò minitãte, cum fratre paratissimo, & validissimo exercitu occurrit, terrore suos exemit: &, ne posthac longè potentioribus periculum moliretur, præcauit. Hìc ego vos obtestor, auditores, quorum memoria fidelis, & grata est: quot ille ex eo tempore coactus vel suscepit, vel depulit bella?

quo-

quoties ob salutem Hungariæ attentatus fuit? quot millia hominum contra æmulos in aciem expediuit? quos sumptus fecit? Etsi enim regnum hoc Hungaricum lõgè amplissimum, omnium rerum feracissimum semper (vt Galliæ quoque præpositum sit) amœnitate, cœli temperie commodissimũ: populum verò alit animis & armis potentem, infractum, alienis regnis olim quoque locupletissimum, & infestissimum: si tamen rationes putentur neruorum etiam bellicorum, si exterorum tot millia recenseantur, qui amore communis libertatis & pacis nil refugiebant, inueniet semper armis defensum, ac propagatum id regnum fuisse: vt qui duriora non sunt experti, etiam macellum hominum ausi sint vocare, atque numorum voraginem. Conditionibus huic sancto regi veteribus & vsitatis matrimonij oblatum à iustis regibus, consensu multò maximæ partis Baronum, Regnumque firmatum fuit. Sed quàm illud tranquillum, quàm integrum acceperit, omnes meminerunt. Viribus enim regni à Turca, & partim intus diuortiis labefactatis, fractis, perpetuas optimo Principi solicitudines (etiamsi quædam recuperauerit, & à fidis receperit) exiguum fructum attulit, ab infestis, quibus quisque malo animo opportunissimus veniebat, nullam pro meritis gratiam sensit. Nolo hic commemorare Catzianum in Turcas apparatum, & stragem ad Ezekium: minus Rogendorffij infelicem reditũ: longè omnium minimè Marchionis Electoris validissimum, & in hostem promptissimum quidem animum, sed re, aliorum (vt aiunt) negligentia, infecta, communes elamores, querelas consecutas: taceo Ferdinandi Archiducis ad Baboczam consilium, & egregiè fortiterq; inchoatum negocium: quod iniuria temporis, & cessione hostium intermissum fuerat. Hæc, inquam, & alia huius generis expeditiones prætereo: quòd ab historiographis omnia contexantur, & multos, qui supersunt, recens lædat historia. Illud apud vos cogitate, quoties separatos, beneque instructos milites inter illa, & postea quantis impensis, apparatu passim in Hungariæ fines dimiserit, quàm miserabilis illa ruina nostrorum edita ducibus Sfortia & Teiffelio ad Palastum, vbi non minus religione, quàm dextera paratus antistes Vaciensis Sbardellatus, fortissimè occubuit. Hæc obiter adduco, non quidem, vt exitus infaustos, & ærumnas, exiguum fructum exaggerem, aut labem aliquam consiliis Imperatoris & Principum aliorum turpem allatura ista putem: absit hoc, nec quisquam me tam inconsideratum, & à gratia relictum æstimet, qui nesciat quantum nos Hungari beneficentissimo huic P. Patriæ, totique Germaniæ, & aliis debeamus: sed vt clementem, & amicam voluntatem erga Regnum intelligeretis, eò verò mea oratio spectat, vt pro libertate nec Q. Fab. nec Ful. Flaccus, nec Marcellus, nec P. Æmylius, neque Cl. Nero, non Scipio sudarint. Tumultus quoque incertos ille rusticorum pacauit: & vt suis parerent heris, nec se infirmis & fraudulenter comparatis sententiis circumscribi paterentur, per suos, & publicè impetrauit. Commune bellum in Saxonia, & arduum, subitoque natum, & velut incendium vento distractum, sustinuit: Albi, vt Iulio Rubicone, traiecto, extinxit: atque Imperij & Cæsarum virtus, dignitasque, ea victoria, belloque intra tres ferè menses (quod Carolus Magnus in 30 annis vix potuit) confecto, aucta stabilitaque fuit. Vix eo finito, Boemos quosdam, rerum nouarum studiosos, suique (vt ferunt) oblitos, & à vetere fortitudine, & fide discedentes, compescuit, grauiterque puniuit: libertatis amplitudinem, vt memor posteritas esset, castigauit, inque angustum adduxit: prædia communia ciuitatum ad nobilitatem, suo etiam redituum detrimento, transtulit, tantùm iusta se exuscitans ira. Non paucos de Hungariæ primatibus ob fidem suspectam cepit, vt Pekrium, Bodonem, Prinium, Catzianum; in custodia, & arbitrio vitæ necisque habuit. Quòd in Virtembergensi regione ius sibi reliquum esse, certasque conditiones potestatis comprobabat. Ducem eius expulerat: & ne tam citò restitueretur, obfuit, cùm præsertim bellum à Lantgrauio in Carolum ineptè decretum videret: dum Hispani, belli Parmensis causa euocati, prouinciam eam liberarint, Aspergi præsidio Germano relicto. In Marchionem quoq; Albertum inimico postremò fuit, & hostili animo,

communeque bellum in eum cum Mauritio parabat. Sed hæc dixi alterius esse loci, ac temporis: nunc ad virtutes eius oratiúculam côuertamus. Nec morem hîc sequar multorum, qui cum elogiis aliorum vetustatis exempla, & comparatè quiduis recitant: proprias ego huius Monarchæ sanctissimi laudes, non similes aliorum rebus gestis, percurram: atque in his quoque rerum ab eo gestarum non ero immemor. Fit enim, vt facilius res heroum de natura & moribus cognitis, coniectura trahi, & elici queant. A metu igitur diuino, quem pietatem appellamus, cultuque in suos, & amore, si molestum non est, exordium ducamus. Quis in omni vita sanctius eo cogitauit, quis priuatim & publicè constantius Deo preces, cultumque adhibuit? vt nihil vnquam in animum induxerit, propo fuerit, absque diuinorum memoria, authorisque fœlicis professione. Nec quisquam inficias ierit, ipsum iam à suscepto imperio studiosissimum, atque cupidissimum corrigendæ atque constituendæ religionis, hominum dissensione & ambitione controuersæ, fuisse: id in omnibus colloquiis, vniuersis & separatis, monuisse, vrsisse, adhibitis moderatis iudicibus, negotium fidei denique amore omnium componeretur: vtrinque de iure humano, vitioq; per odium collecto, quiddam in optatam concordiam remitteretur: potissimam gloriæ Christi causam esse, deponendas singulorum offensas: rectis animis, deliberatis iudiciis, sana voluntate, studio cœlesti, beneficio in quemque proximum parato, tractari hæc debere: nec omnino quosdam numero annorum, legumque non scriptarum, sed vsitatarum vetustate niti, cùm labes sint non obscuræ, debere: & qui se literarum elegantia, multaque lectione, primęque Ecclesiæ authoritate munitos arbitrarentur, de rigore ad æquitatem, dum per salutem, & in Principem Creatorem offensionem iustis, & ad tempus factis causis fieri posset, tractabiles & mites offerre debere. Hæ voces ex illius ore & pectore non semel exiuere: sanitatemque Ecclesiæ, qua sine politiæ nullæ sunt moderatæ, omnes infirmæ & morbosæ, omnium odiis omnibus præponebat. In hunc finem multi conuentus publici conuocati, res tentata non leuiter, sed frustra, & dolenter, fuit. Quod autê quibusdam durior in accipiêdis excusationibus, & acerbior in pœnis expetendis religionis visus sit, veteremque Ecclesiarum morem obiecerit: facilè, si criminosè id dicatur, & in vitio ponatur, respondebimus. Initio quidem renascêtis per Saxones libertatis, reprehendendi abusus tempore, vt in re insolenti & admirabili, attonitum illum, iudicioque turbatum fuisse, persuasum quoq; à nonnullis, fortasse non sitientibus sanguinem, sed in medium gratiosè cõsulentibus, & suarum rerum curiosis, ad quandam seueritatem, & ad sustinendum eos difficultatem impulisse. Quid enim vehemêtius Principem, quàm religionis emendatio, intermissarumq; disputationum, & longissimo relictarum interuallo, subitoque repetitarum consuetudo commoueat? Deinde authoritatem renouatæ religionis apud ipsum minuebat, ingens diuortium professorum & sectarum: quæ concordiam dissuebant, ab amore & fide dominorum abstrahebant, seditiones, bella, domestica etiam dissidia sanguine tincta creare à non paucis dicebantur. Hæc alioqui popularem & mitem illius animum immutabant, & ambitione rem geri, priuatisque simultatibus disceptari persuadebatur. nam quod Bion fertur dixisse, Grammaticos, de Vlyssis erroribus disceptando suos non videre: idem ille in Theologis quibusdam obseruabat, aliena qui insectarêtur, sua non attingere. Hanc ille tantis conatibus, tot reprehêsionibus, pœnis, temeritatem liberè, variecq; sentiendi, adimere, & ad vnum sensum reducere adnisus est: licet addiderit, non in hominum eam pacificationem studiis constitutam, negotium esse cœleste, quod nisi iussu & subsidio cœlestium coalescere nequiret: cupere se tamen, & expetere, vt domicilium habitatioque Ecclesiæ in certa firmaque tranquillitate rerum superiorum vigeret: hanc omnis Imperij, vt in homine animam, in Repub. leges, vitam qua viueret, esse. Quid? nônne testes nominare primos à consiliis, & Ecclesiarum præfectos possem, qui multoties ipsum mœrore contritum viderunt, atque dicentem audiuere: Si Saxonici à tot variis sententiis inferendis, inter seq; alienis cessarêt, animo recto, temperateque coirent,

irent,non alios statim damnarent, fore se non postremũ, qui ab illis non abhorreret. Qua ex voce quid quæso inclemẽtius aut corde acerbo profectũ in quenquam, quid crudelius statutum fuisse obieceris? qui eo fuit sensu, potentique animo, vt etiamsi vsitatam minus, & tritam suis religionem, ac ceremonias viderit: Christianorum tamen conciliandorum ergò, à se recessurum, omniumque complexurum quietem professus sit. Hæc illius fuit seueritas, hæc videlicet diuulgata & exaggerata illa crudelitas, hi foci & ignes, quibus intemperantius grassatum aliquando in miseros fuisse clamatur: & si aliqua exempla visa sunt inusitata, non malo animo, sed meliorum spe, atque cõsilio acta, mihi facilè
10 rectèque persuadeo: vt cùm ignitum plumbum argẽto mixtum est, illud quamuis grauius, tamen supernatat, argentum vt in imo colligatur: ita non quid factum sit, & quod modò in oculos incurrit spectandum; sed cuius ergò laborarit, illud potius recenseamus. Et quidem meum non est de Dei voluntate firma, ac decretis pronunciare: sed quid si à Deo ad has repetendas pœnas adhibitus fuerit, vt castigata luxuria, infinitos, libertateque prolixos Theologiæ professores commonefaceret, atque offensionibus voluntariis nihil profici, caritatem posse in omnibus plurimum ostenderet? Nunquam ille probauit, qui se solutos nimium religione iactabant, qui superstitiosè minus roboratorum animis eam vtcunque iniicerent, modum præscribebat. Atque vt manifestius doceam, non
20 accensas priuato odio eius fuisse sententias, non cupidum vltionum, extremis quoque præclarissimis, & optatis exemplis testatus est. Nónne quarum in rerum, alieno vsu obscurarum, desiderio ac votis à tot annis eius ditiones fuere: ante annum per Synodum, postea pontificem obtinuit, non sine graui suspicione mutati consilij, vt integra, & primis vsitata seculis, Christi institutio vltimæ cœnæ, seu memoris communicationis, à pontificibus, ob quasdam suas causas sublatæ, vulgò redderetur? vt etiam sacrorum ministri, qui idonei forent, non coacti, sed liberè, ætate & moribus exigentibus, in matrimonio esse legitimo, non adulterato, possent? Hæc certè illius voluntas publica, repetita apud sacros Electores, fuit, nec quorum causa tantopere volebat, id effectum malè, aut in-
30 gratè accepissent: sed nec omnino hæc postulationis pars reiecta est, inque maturam deliberationem collata. Quantum tribuerit omnium concordiæ, Patauienses conatus & compositiones docent: non minus in Saxonicis metallorum secturis libera tot annorum, & tranquilla Augustanæ cõfessionis doctrina, nullius offensionibus excitata aut introducta mutatio. Nemo hunc acutissimum & oculatissimum Cæsarem, fuisse inertem adeò, & rerum expertẽ cogitet, qui abusus ceremoniarum non notarit, vitam cleri non sit detestatus: summum in illis ardere odium, incredibilem auaritiam, ignorantiam, luxum non deprehenderit, emendationem exoptarit. Sed aduersariorum quoque vitam non omnino puram ab his vitiis, dissensiones verò iudiciorum longè plures, nec omnes
40 felices & sanas intelligebat: ideoque ad frugem & mentem vt meliorem vtrique redirent, auebat, Deumque solicitè precabatur. Id etiam tempore patrum in religionis doctoribus multi querebantur, φιλονεικίαν & sordes in mora fuisse, quò minus tot Synodis aliquid præstiterint: vt ad Procopium quadam ipse Nazanzenus apud Basilium epistola confitetur. Iam sub horam discessionis à nobis, & per omnem morbum, quam conscientiam prætulerit, ore & animo testatus constanter sit, qui affuerunt, ipsumque fortitudinis & regionum Dei admonuerunt, testes ad omnem posteritatem erunt: nihil à pietate, rectoq; alienum commisit: nihil dissimulauit, nihil tecti odij secum, aut vindictæ asportauit: omnem offensam remisit, ac deposuit omnibus: sibi idem vltimum & maximum con-
50 cedi atque reddi Christianè officium petiuit: compositè solum filij Dei meritum, & gratiam ad omnem æternitatem suffecturam asseuerauit: quæ ex hominum voluntatibus prodirent, citra summi Dei permissionem & auxilium, nunquam niti cœlestium gaudio posse: vt à Deo vniuersa proficiscantur, in ipsum omnia reditura, eius amori nihil humanum respondere, beneficentiæ eius nihil simile, &, nisi ipsummet per nos, neminem quicquam potuisse. Titulos

quoque in appellando se, & confirmando, prohibuit: nihil se præstare cæteris apud Deum asseruit: mortem æquare omnes, atque indicium esse conditionis mortalis, secuturæque lætitiæ hanc interquietem. O diuinum Imperatorem! ò exitum de his calamitatibus, quas nos etiam opes miseri putamus, felicem! ò exemplum non filiis, & præsentibus, sed reliquo omni tempori salutare, & in aduersis vsurpādum! Vltimæ voces (auditores) & finis, vitam antegressam, cuiusmodi fuerit, abunde arguunt. Si enim honesta mors vitiosam commēdat vitam, quem hunc Cæsarem fuisse dicemus, qui se diuinum semper ostenderit, aliosq; similes esse optarit? A tali Principe nūquid alienam esse iustitiam & æquitatem, qua omnia temperari potuisse vos credideritis? non, si mille obducantur testes, totidemque manes excitentur, assentiar. Neque hîc Socratis ementitam definitionem Iustitiæ accipi volo: vt malū pro malo si & priuatim reponas, suum quoque aduersario ius nos tribuisse mentiamur. Nunquid non cum omnibus suis hostibus mitissimè egit? noxiam facilè condonauit? in victoria tantum vsum, & disciplinam militarem retinuit, priuatorum nunquam acerbius meminit: atq; semper faciliorem rationem duxit beneficiorum remunerandorum, quàm vlciscendæ iniuriæ? Hoc ille pactum è disciplina Christiana valere putauit, non semper summum ius vrgere, moderatis fauorem obtineri: & pacem, communes contractus, & emptiones alia ratione, magistratus & dignitates distribui alia debere: nihil confusè, nihil turbatè committi, & tolerari in publicis debere. Quot ille principū lites atque controuersias de iure soluit? bella auertit? inhibuit, summa lenitate & æquitate ad pacem vocauit? Iactent alij Salomonem, iactent Minoa nescio quem, iactent in seruandis promissis Regulum, & alios: ab huius exemplis obscuritatem illi accipient. Quapropter iustus fuit, quia imperare norat: legum rationes tenuit, nec vtilitate, sed natura & pietate illas proponebat, valere quodque suo loco & tempore iussit. Etenim fundamētum iuris est, ipsa propensio ad diligendum genus mortale, misericordiamque declarandam. hinc omnia, quæ vidistis vos, vel audistis, exempla manarunt: hinc vt iustitia, amore & coniunctione, quæ nobis cum Deo est, non metu, conseruaretur, operam dedit: nec se vllis cuiusquam meritis, προσωποληψίᾳ, pactis à tramite recto inflecti passus est, nec vllo priuato odio, aut commodo æquitatem cōuulsit: latrocinia, adulteria, proditiones, luxum omnem conuiuiorum, & lauticias vestium, tanquā escam malorum sustulit: nimiam auaritiā, & regulorum tyrannidem compescuit. Qui sibi impotentiores fieri iniuriam à iudicibus querebantur, ipse pro tribunali causam cognouit, & quæsiuit: pauperibus, & ad ius suum prosequendū non instructis, patronos, pecuniam è publico imperauit. nescio quid amplius in hoc ordine Principum dici, aut poni laudabilius queat. Cuius non vulgare fuit quoque exemplum, restitutio illa studiosa, & custode imperij, locupletatoreque digna, Alphonsi secundi Finariorum marchionis, quem in communitatem Imperij, & priuilegia, ex agnatione non obscura (vt fertur) ducum Saxoniæ oriūdum, pro maiestate asseruit, tituloque imperialis Principis auxit. Consiliis autem, & prudentia (quam primam in virtutibus iure Plato collocat, vt secundam continentiam) quantum hic Monarcha potuerit, næ sus Mineruam, si exponere vellem, docerē. qui interfuistis eius dictis & cogitationibus, auditores multi. Quod enim imperium ita munitum, tot nationum præsidiis firmatum, tam solerter ornatum, atque huius ipsius, vnquam fuit? Infans is est, qui ante pedes tātùm quæ sunt, futuris & præteritis neglectis, de rebus iudicat, subitò in omnem euentum sua coniicere velit, neque recordatione antegressorum, quæ consequentur notare, & comparare. Memoria in eo supra fidem singularis erat, grauissimarum & variarum rerum multiplex & suauis commemoratio. Ea re, nemo miretur si omnium rerum, quarum vsus est necessarius, atque etiam honorificus, ille scientiam tenuerit. Nam præter legum à natura & doctrina haustam cognitionē, tanta erat in rebus obscuris promptitudine explicandi, tanta facilitate argumētandi, docendi, conferendi, vt vel summis Philosophis, Historicis, Medicis, quærendo, & aliter sentiēdo, negocium præbuerit: interdum nimis ociosos vetres Latinis re-

nis rerum appellationibus eluserit: vt nihil adeò longinquum fuerit, nihil inuisum & insolens, cuius non ille exempla, causas, naturam scire, si ignorasset, quæsierit, & docilis statim hauserit, memoriáque sepiuerit: vt aliquando fratri Carolo V. ob nimium studium, & velut tanto insolens loco, admirationi fuerit. Nam si vera repeto, Augustæ cùm simul pransi essent, atq; bubulæ magnum pondus mollitæ aceto, & sale conditæ appositum esset, auidiusque edentem Carolum rogare causam cœpisset, quare tam sensui, qui genera quibus vescimur, maximè & voluptariè percipit, grata, & aliàs dura, & ad conficiendum & diuidẽdum caro inepta illi saperet: atque Carolus alia animo versans, responsum distulisset,
10 hicque amanter idem requisiisset, tandem responsum ab illo fuisse: Sibi nondum à curis suis perpetuis tantum suppetiuisse ocij, quo hęc, & similia cõdiscere, aut quærere potuisset. Illud quoque acutè dictum ab eo, esculenta & potulenta vt probæ linguæ atque gustatui probarentur, eadem conditione ad stomachum ventura, atq; corporum nutritionem adiutura: ideoq; modicè vino vtebatur, sed commodo, & optimo. Cumq; aliquando à regulo Pannonico interpellaretur, tot negociorum molem requirere pleniorem victum; quòd multi essent mediocris & ciuilis status, qui ferè lauticias ęquarent suis conuiuiis, & cùm vellent, sumere liceret: respondit, vulgarium id esse, atque heluonum, qui cruditates alerent: atq; ideo se sustinere tot molestias posse, quia minus de ventre solici-
20 tus esset. Scire se multos esse infimæ conditionis, qui liberius viuerent. Sed cùm ita summo Deo visum sit, vt orbis Christiani negocia sustineat: id onus beneficium singulare ducere, malle se vtiliter interdum, licet incõmodè, pati, quam vulgi more, abuti tempore: legem se aliis sumptuariam posse ponere. Solida igitur, & extra ordinẽ ille doctrina, consiliis valuit: cuius cum omnes illius familiares testes sunt, tum verò inspicite qui dubitatis, vestigia huius commendationis in tribus eius filiis, principib. nostris clemẽtissimis, quid illi sapiant, quantũ præsentes in cõsiliis didicerint, viderint: vt quod pater multorũ annorũ diligẽtia collegerat, id isti patatum à primis annis & promptũ haberẽt. Cur igitur quis miretur, iamdiu hos fratres imperiis, & regnis, ditionibusq; hæreditatis præpositos,
30 iam pridem diœceses definitas habuisse, iubendi volendique eis potestatẽ concessam? cuius institutionis nunc demum nos fructus, & omnes mortales capiemus quàm vberrimos. Non quidem disputo, ipsum demortuum in omni genere literarũ summum fuisse, more priuatorum scholas sectantium philosophum: sed quod à curis & occupationibus iam puero infanti secessionis fuit atque vacui temporis, idipsum in honorifica literatura consuetũ ponere: nec sibi Socratis aut Platonis sapientiam contingere posse, tot rebus distracto sciebat: φιλήκοος & sciens tamen, non tantùm φιλοσκάμων fuit. Qui enim iudiciis & armis distinentur, sufficere ad solidam cognitionem omnium nequeũt: sed quantum necessitas exigit, ne deterior inferioribus esset, tantum operæ se insumpsisse liberalibus ar-
40 tibus libenter confitebatur, atque ita lectione bonorum scriptorum sese muniebat: quoniam ex illis eorum admonebatur, quæ multi non fuissent ausi dicere: & plus se literis debere confirmabat, quàm armis tantùm. Neq; ars militaris & fortitudinis exempla cum literis pugnant, quòd etiam in Arcadia templũ commune Herculi & Mineruæ conspectum sit, vt vult Pausanias. Norat nimirum, quibus summa rerum sese tueatur, prudentię atque vsus potiorem in gubernando, quàm sapientiæ esse locum: & nimia illa studiorum cura, nescio an nõ principibus interim plus mali, quàm commodi apportet. Hispanam linguam a matre cum lacte hauserat, Latinam frequentabat, Gallica delectabatur, Italicè & Germanicè non indisertè loquebatur, omnis generis vocibus ac fidibus sum-
50 mè fruebatur: venationis quoque perstudiosus, vt vel in ocio, disciplinæ & similitudinis armorum recordaretur. neque has tamen animi, molestiarumque remissiones fecit tanti, vt dignitatem humanam cum bestiis cõmutaret, quodque voluptatis & rei ludicræ partẽ aliquis præripuisset, perdere illico vellet: sed grauibus minis, atq; edictis plebem ab interceptione ferarũ deterrebat, metuq; iniecto, intra ipsos suum continebat opus. Cumq; aliquando è ruricolis quidam

aliquoties nocuisse feris esset deptehensus, atque ad ipsum Cæsarem adductus pœnam edictã, vt oculis priuaretur, repetiuit. sed paulò pòst reuocato, cui negocium exequendum dederat, dimitti reum iussit, nolle se animal ratione destitutum cum homine adæquare: & cui ne pilum adiungere posset, maximè necessario organo illum beluę causa perpetuò carere. Istud exemplum afferre obiter volui, de quo reliqua iudicari possint: repeto superiora. Mira de Nestore Homerus, cuius sapientem & suauem orationem in gratia omnium posuit. Xenophontem quidam in cœlum, is Cyrum suum quoque extollit: sed etiam ex huius consuetudine & eloquentia, mira efflorescebat prudentia, copia & promptitudo subitò dicendi enituit. quod ipsum Imperij Germanici Principes, exteræque nationes plurimùm sunt admiratæ: qui ipse proponere, respondere in comitiis quæ vtilia fore putauit, maluit, quàm per interpretes agere: eaque dicendi facilitate cum singulari humanitate copulata, perpetuam sibi beneuolentiam omnium ordinum adiunxit atque retinuit, suisque posteris firmam transmisit. Erant excellentes & multæ diuinæ in aliis dotes, fortuna amicissima, cõsilij acumen, in occultandis conatibus prudentia, in præproperis mora, in negociis suscipiendis patientia & constantia: sed venia omnium liceat dicere, quod sentio, & non offensurum me cuiusquam piissimos manes spero, fuisse nostrum hunc Cæsarem verè apertum, largum, in consultando expositum, in exequendo aliquoties celeriorem, in congressibus familiariorem, munificentia certè & pietate plurimis superiorem. Vitiosa quidem est in principibus abiecta familiaritas, vulgarisq; salutatio, & contemptum non semel demissio maiestatis peperit. ideoque Vlysses laudatur, cùm in præliis à Minerua in tutum subducitur: quòd consilia, & armorum apparatus, allocutioque non frequens, sed rara, tectæ & reconditæ cogitationes esse debeant: sed quem intimè nouimus, & naturæ bonitate pari obseruamus in seriis non iocosum, in ludicris non austerum, cur improbarim? os in regibus, & vultus paternus requiritur, comitas affabilitasque sermonis erga domesticos, abditus animus erga hostes, truces gestus, & horrendæ notæ. Ex huius ore veræ illæ apes euolabant, linguam omnium amore & studio imbuebant: propterea in amicitia omnes fouit atque aluit, & tanto in illo præclarior fuit sermo, quò maior erat conditio: & (vt ita dicam) cœlestium agnatione, quàm nos, & gente maiori tenebatur. Quamobrem nulla est optabilior, auditores, nulla gratior virtus, imperiúq;, quàm sine armis, lingua & prudenti amabilique studio hostium animos inflectere, sine sanguine ad concordiam persuadere: neque tam immansuetum in hominum genere vitium, quam confisum potentia & armis, quod securè & obsequio rehabere possis, crudelitate requirere. ex quo efficitur, vt Principes à Deo dati credantur, qui proximè authoris vestigia persequantur. Ita naturam conseruantem ratio imitata, hanc partem vitæ & compositionibus necessariam solerter est consecuta, & oratione, vt reconditi mores patefierent, perfecit. Sed iam de fortitudine quoque adiiciamus, ne minus dextera & viribus, quàm verbis præstitisse quispiam suspicetur. Iracundum nemo fuisse, & facili ad commouendum animo dicet, neminem ἐρεθίζειν voluisse. & didicerat illud Philosophi: δεῖ διαιτητὰς, ἀλλ' οὐ δικαστὰς εἶν, τοὺς μέλλοντας τὸ ἀληθὲς κρίνειν ἱκανῶς. Ac licet legibus fuerit solutus, tamen iisdem quas proponebat, iustissimè vixit: & quomodo medicus bonus is sit, qui non præcipit modò, sed agit idem: ita ab optimo viro melius putabat regi omnia quàm à lege tantùm. Nec volebat Christianos subditos vt barbaros esse, vt in quibus literarum atque rationis maior vis eluceret. Nam barbari semper libentius quàm cultæ nationes seruiunt, quod etiam olim in Asiaticis & Europæis animaduersum est: ideoque illa semper tyrannica fuerunt, & ab humanitate regna relicta, vt adhuc Moscouia, Turcia, &c. modò enim sint securi ab aliis, omnia perferunt à suis. Secus est inter nos, auditores, qui Principes nostros non metu, sed amore, mandatoque summi Dei colimus. Est profectò ira in Imperatoribus necessaria, & calcari stimuloque ad fortitudinem opus cuiuis gregario militi: nec hominem sine ira quenquam sapere, aut intelligere quid honestum, quid turpe sit, crediderim. Sed noster hic Princeps ea, vt aliis,

vt aliis, cùm vsus exigebat, vti poterat, ſeſeque ad egregia facinora ſuſcitare. Non ille temerarius fuit, non, niſi in loco, vehemens: & ſi diſciplina armorum poſcebat, etiam aſper, in puniendis vitiis inexorabilis, quod in multis ſuis docuit. Nec rarò in armis vigilauit, ſpeculator hoſtilium conatuum, paucis ſibi aſſumptis, fuit: ad nuncios ſubitos, & periculum importantibus intrepidus, nihil à conſtantia diſcedens, alios in prælia exciens, ceſſantes cogens. Vtinam per fidem nonnullorum, auditores, illi præſenti expeditionibus quibuſdam adeſſe licuiſſet: nemo quid iuuenili ætate, quid affecta poterat, dubitaſſet. Sed nemo magni & excelſi animi, nemo victoris meretur laudem, qui dubiis eorum, quos in hoſtem ducas, animis nimium confidenter, vel temere ſeſe inferat: cùm cauere ſatis ſuorum ſaluti, & prouidere nequeat. Non minus ſtrenua facta conſiliis ſolertiaque eduntur, quàm dextera in pugnam parata: ſæpe cautio vnica totum exercitum à fuga & cæde liberauit, eadem in peſtem ſummi periculi coniecit: exempla non adduco. Quocirca qui hunc beatum nunc Imperatorem magnitudine in ſuſcipiendis arduis, & tractando prudentia, in perpetuando conſtantia, in aduerſis perturbationeque ſuſtinenda ſuperarit, lego neminem: qui inferiores ſint, noui multos. Non eſt negandum quidem, illum non ſemper proſperam habuiſſe fortunam, non tam felices rerum exitus vidiſſe, non tot captiuis & triumphis lætatum, quot nonnullos: ſed quorum id culpa fortaſſis interdum acciderit, malo vos ſuſpicari, quàm à me recitari. Nam cùm in Imperatore aliæ virtutes plurimum poſſint: fortitudo, conſilium, modus, diſciplina ſint neceſſaria: ſi tamen fortunam habeat nouercam, ſine optato exitu omnia fiunt. Veruntamen pius hic heros fortunam & ſortem, ipſum Deum putabat, cuius ad nutum omnia molitus eſt: non aliquod numen ſenſu carens, cæcum, ocioſum, volubile, rarò quieſcens: non in amphoris Dianæ, vt Hannibal, rerum diſceptationem ponebat: minus in ſerpentibus lagenis fictilibus cõtra Eumenem portata nauali victoria, eque terreſtri in mare tranſlata. ſuo iſte duce ſummo Deo nitebatur, hunc rebus ſuis quomodocunque geſtis & confectis ſcopum præfigebat, cuius rem agi per ſe inter homines rebatur. Se non Imperatorem, ſed miniſtrum; non hominum dextris, ſed cœleſtium cuſtodia & præſidio tutum cuncta gerere: cui Deo ſi videretur, ſeſe victoriam reportaturum: ſin aliter, æquo animo & patienter laturum: licet non ita cæcus fuerit, quin ſæpe ſibi maleuolentia & odio ſuffuſum animum impedimento fuiſſe, moramque & perniciem iniectam ſenſerit. Sæpe ſuorum quoque intemperatam & ſceleribus coopertam vitam, impunitatemque, Dei prouocaſſe iram, iuſtè cogitabat, in pœnamque propriam illorum militem conſcriptum: præſertim cùm Turcarum vexationes à Deo permitti, vt denique nos à vitioſis & noxiis abducamus, ſancteque veniam erratorum deprecemur, piè ſciamus: ſubſidium tamen Dei precibus & conatibus excitare non prohibemur. Atque ſanè nihil minus, quàm fortunæ cum ſapientia conuenit: ſed euentus tamen ſimiles efficere ſolent, vt vix diſcernas. Nam & opibus augent, & honoribus ambæ, imperatores creant. Sed laudabilius eſt, ex virtute ſapienter mediocrem poteſtatem, quàm fortunæ arbitrio ſummam adipiſci. ac rectè Plutarchus iudicauit, Romanos non tam fortitudine, quàm fortunæ aſſentatione, quam primigeniam colebant, tantos euaſiſſe. Sæpe tamen Ferdinandus quoque noſter vicit. Nónne bis vniuerſam à Chriſtianis ille ſeruitutem auertit? ſæpiſſime ab Hungaria & vicinis incendia, populationes, cædem, repulit? prohibuit? & adhuc velut in cathenis & metu habuit Turcas? Etenim, auditores, niſi tam potenti ac dextro exercitu primos illorum inſultus, minas à ceruicibus noſtris, niſi ea diligentia & celeritate cruorem reieciſſet Ferdinandus, furorem fregiſſet, miſerrimi eſſemus: noſque qui annis conſequentur, perpetuam ſeruirent ſeruitutem. Verùm iſtius præcipuè ſolicitudine, pietate in cogenda manu, promptitudine in occurrendo, & exigendo prouidentia, & maturitate factum: quò minus ille ſitiens, omnem ſanguinem hauſerit, atq; repreſſus, crudeles impetus remiſerit, vlterius non ſit progreſſus: quodque ademit, non tam illi periculis & Marte, quàm Chriſtianorum negligentia & diſſidiis conſtiterit,

Et quæ pars est Christiani orbis, quam ille non anticipatam animo, & ad cędem notatam non teneret, miserrimeq; vastasset? Non igitur noster Imperator neq; valetudini, liberisve, neque thesauris, & ad alios precibus, vt succurrerent, vnquam pepercit: omnia sua in has reliquias Hungariæ, vt aliis remotioribus cōsuleret, deprompsit, exhausit, nec vnquā facti pœnituit, profuit bonitate omnibus: vt Menandri illud verum sit, χρηστὸν οὐδὲν τῶν καιρῶν σωτήριον. Multos legimus & vidimus eximia rerum cognitione instructos, consiliis promptos, & deliberationibus admirabiles, qui vbi ad rem ventum est, nihil pollebant, euenta subitò consiliorum contraria senserunt: alios item non pauciores, qui in consiliis rerūgerendarum capiundis prorsus pueri, & inepti visi sunt: sed cùm hostis est præsens, occasioni & manibus consilium subitò ac feliciter occurrebat. At hic & separatim admirabilis, & rebus gerēdis singularis. Quid hoc animo altius, quæso, quid admirabilius, qui maxima reliquorum regnorum suorum cura, acceptos Pannoniæ fines, attritos toties, pessimè vexatos, tam alacriter & constanter, tam impauidè, & sumptuosè, vel suorum profusus, inque eos medium dans hostem, tutatus sit? tyrannidem inhibuerit? Quid, si ille integrum partibus, florens legibus & concordia, pacatum ciuibus regnum à Lodouico excepisset, illaque miserabili ad Mohaczium clade non omnia infesta consumptaque forent, amore nunc libertatis non fecisset? Quo in statu res futuras nunc putaretis, si diminutæ & laceratæ etiam reliquiæ fuissent? si multi suis contenti, non regnum apperiuissent, huncque dimouere diuinitus & ritè datum regem non essent conati? nullum mehercle hodie regnum tam copiosum, amœnum, tam fertile, frequentia cultius vspiam conspiceretur. Nemo igitur laudabit sensum eorum, qui ipsi sibi, excitis deniq; barbaris, malum & dedecus accersiuere, aliis perpetuam curam temere multoque innocentum sanguine imbutam, modò non diffluentem, metumq; incussere. Sed neq; Turca vnquam hos fines attentare, minus ponere pedem ausus fuisset, ni errore dicam, an summorum in Ecclesia virorum cōsilio & persuasu id effectum fuisset. Italiam ille (patriæ enim dolor fateri iubet) & circumiacentes locos ad triumphum descripserat. non esset nunc Roma, nō Neapolis fortassis (quibus à periculis tamen illas & omnes nos Deus præseruet) non, inquam, in hoc luxu & maiestate multæ essent Italiæ vrbes, nisi Turcæ cōsilium per nos ipsos mutassent pontifices, periculumque (non secus atque Stilico apud Theodosium exauthoratis Gothis, qui Italiæ minabantur, eos in Pannoniam & Illyricum creato Alarico transtulit: vel vt Philippus Achæos συνάβας διαχωρίζων videns, πρὸς τὸν κατὰ Ῥωμαίων πόλεμον ἐσπούδαζε, καὶ πάντα πρὸ τοῦ ἐμβαλεῖν αὐτοὺς εἰς ἀντίχθονα) in Pannoniæ fines effudissent. Nam cùm conscelleratissimus hic tyrannus Italiam cum maleficio inuadere cōstituisset, omniaq; iam ad perniciem comparasset, instituit pontifex apud Vladislaum per Iulianum Cardinalem: quomodo etiā Sixtus a Venetis impulsus, tempore Lodouici per Thomam Cardinalem, tertiò, qui omnibus diris se deuoturos, & cruciatibus Hungaros, tradituros infernis aiebant, si Turcæ fœdus tum expetenti amicitiam pollicerentur: indignum fore nomine Pannonico, qui pro fide tam fortiter sæpe depugnassent, tot ab pontificibus ornati essent præmiis, si cum immani belua pacem facerent: quin potius vel non lacessiti, sese armarent, eos sibi deposcerent hostes: accepturos tam qui desiderarentur quàm qui superforent, æterna longeque his leuibus & fugacibus nobiliora præmia. His illi monitis, minis admixtis, metuque conscientiis & religione allatis, nostros à pace & conditionibus Turcæ abstraxere, deterruerunt: itaque factum, vt cùm ille in Italiam irrupturus, non satis à vicinis se Pannonibus (quorum ille vim & fortitudinem periculosè erat expertus) securum animaduerteret, priores nos aggressus adeò atterat. Etsi hæc à vobis accipi nolim, quasi Italis, aut cuiquam alij citius malum optarim: &, si possim, non in me libentius partem deriuarim. id enim officium pietatis requirit, vt in proximi bonis æquè ac nostris cupiamus, si quid mali vicino accidit, quantum possis, tuo etiā damno casum subleuare: sed vnde occasionē Thracicus iste hostis, in Pannoniam vt tamdiu grassaretur (qui ab an. 1415. nobis adeò se infestum præbuit) sumpserit,

ſumpſerit, aliquot perſtringere verbis volui: hæcque de Hungaria, quæ ſe pro Chriſtianis iam tot annos, velut ſcutum obiicit, ſufficiant. Bellum verò Saxonicum vndecunque ortum habuerit, qua virtute & fortitudine cum fratre adminiſtrauit? quibus ille ſe caſibus, & hunc Imperatorem Maximilianum cariſſimum filium non obtulit? ſæpe inermem, imparatum obiecit? quas ille non tempeſtates, quas minas nō facilè tolerauit? quotuſquiſque audiebatur, qui aliquod indicium victoriæ in horum caſtris reſtare putaret? Sed præter aliorum expectationem, mille offenſis animo non inflexo, vim vi, virtutem virtute reiecit. Victoriam tamen optimi Principes ita perſecuti ſunt, vt ipſi victi, & in triumpho du-
10 cti quibuſdam dicerentur: ea moderatione & obliuione iniurias fouêre, vt ſe captiuorum cauſa dolore apertè teſtarentur: arma tamen feciſſe, quò minus eos non illico ad ſuos remiſerint, non retentum odium, non vindictæ cupiditatem. Si quid præter opinionem accidebat, & vexari ſe aduerſis ſentiebat, eum ſe oſtendebat, vt dubitares inimicáne fortuna plus in eo premendo, doloribusq́; accumulandis eſſet occupata, an ille negligendo & reſiſtendo. De bello Tranſyluanienſi multiplici, obituque non ſperato fratris Georgij, variæ ſunt voces: de quibus ſingulis aliorum eſto iudicium. Veruntamē, pace omnium dictum velim, non iuſſu Ferdinandi, qui cum iureiurando mutuò ſe obſtrinxerat, ea cædes facta eſt. Etenim quædam vſitatæ, vt ferunt, illius ad Turcas literæ, quibus
20 eius morari vim, & eludere apparatum ſolebat: à minus conſciis cùm eſſent deprehenſæ: metu præſentium periculorum exercitu vtrinque ad confligendum per Varkocz ſolicito, ne qua mora etiam noſtris fortè aliquibus eius literis aliquando fieret, ſuo quidam conſilio, non regis mandato, vitam illi, nihil tale metuēti, (ob veniam & incolumitatem Vlmanbecko è Lippa impetratam, ſuſpicione collecta) eripuere. Hæc non à me dico, audita narro: abſit in quenquam mortuum intemperantior ſim. De filio Ioannis regis (cuius pater per conuentiones vti fruiq́; titulo regio potuiſſet, filio in res ſolo poſſeſſionesq́; auitas ſucceſſuro, niſi vana ſpe omnia deuoraſſet, & imperandi ſiti etiam ſanguinem bibiſſet) omnium eſt votum & ſpes, breui à conſilio iniquè ſuggeſto diſceſſurum,
30 & malum (ita volente Deo) in autores turbulentos, quod etiam antè vſuuenit, conuerſurum: vt communibus armis, animiſque coniunctis, in beluam Orientis conruamus, illumque cum nomine extinguamus: Græcis amiſſam libertatē, & aliis, nobis diminutam mox florentem reddamus. Quod ſi vnquam, auditores, hoc Duce & imperatore Maximiliano ſperandum eſt, qui mentem & animum cogitatione geſtorum parentis conformauit, nec (quod Demoſthenes in ſuis grauiter notat) τῶν περιλελοιπότων καιρῶν, ὥσπερ οὐ καλῶς κειμένων πραγμάτων γεγονότων putat, ſed memoriam veterum repetens, ſua inſtruit: modò initia Imperij conſtituat, inq́; vſus neceſſarios domi & apud exteros, quorum intereſt, paret, expeditaq́; habeat. Fruſtra enim & leuiter Imperator Ferdinandus tantis ſe moleſtiis occupaſ-
40 ſet, tot ſumptibus obruiſſet, tot præliis & victoriis eius libertatis auſpicia edidiſſet, ſpemque oſtendiſſet: niſi, quod ipſe per vitam ad finem perducere nequiit, id ſuos cumulatiſſimè, & penitus confecturos & præſtituros præſenſiſſet. Reliquit nobis tres optimos, fortiſſimos, plenos ſpei ac libertatis heroes, ſingulari prudentia, & præter ætatem conſiliis abundantes, quemque dignum maieſtate Chriſtiani Imperij & Orbis: qui in hoc iam incumbunt, id procurant, quemadmodum religionis diſſidiis finitis, animis reconciliatis, eadem fide & cœleſtium perſuaſione, ſpe prælucente optima, contra Turcam proficiſcantur, illumq́; euertāt, priſtinumque decus Chriſtianæ maieſtatis & ſalutis recuperent, inſtaurent, perpetuumque faciāt. Quod omnes qui pio ſunt animo, velle non dubito,
50 Deumque comprecari, his Principibus felices ſucceſſus largiatur, debilitata & fracta ſtabiliant, aureaque reuocent ſecula. Porrò tanti huius Imperatoris actionum, ſermonum, conſiliorum, quod potuit eſſe condimentum maius illa omnis vitæ temperie, modoque in geſtibus, vultu? Profectò, ſi virtutum natura dimenſione quadam mediocrium, & non in alterutram partem declinante nimium ratione, cenſetur: hæc ſola virtus, quam temperantiam, & modum appellamus,

cunctas reliquas complectitur, & absoluit. Nam quid prudentia, iusticia, quid in aduersis contemptus, nisi luxu reposito, ad temperiemque accommodatis actionibus vti omnia ritè fiant, possunt? Rectè igitur ille:

Est virtus placitis abstinuisse bonis.

Id qui sponte, à se munitus, & paratus, minimè coactus, facit, temperantem eum vocamus, non aberrantem à recta via: continentē quoq; dicimus. etsi aliqua est differentia in his duobus nominibus, vt non omnino idem sit continens, qui temperans: sed hæc ociosis relinquamus. Quare cum fortitudine & constantia, nihil æquè ac temperantia, societatem habet: quòd qui impetus regere iudicio, & moderari voluptates norint, affectibusq́;, ne sese nimium effundant, nec omnino lateant, imperant: vanis illecebris obstant, in quibus alij felicitatem ineptè statuunt, & finem suum, illa negligunt, nec vlla se deliniri dulcedine patiuntur, hoc est, se ipsi vincere didicerūt: hos ego magnanimos & fortes dico: nō qui se seruos, & ministros deliciis abiecerunt, vnde, tanquam è cœno, nunquam ad frugem, ad constantiā, & honestas cogitationes, producendamq́; salutariter & tuendam vitam, emergunt. Qui suis viribus hostē vincunt, nónne maiorem, quàm qui alienis, laudem merentur? qui se à moderata vita nullis blanditiis, nulla mollitie dimoueri sinunt, nónne hos aptos communibus vsibus fore, & exoptandos putes? Talis hic Cæsar noster fuit, qui non sordibus, ocio, non vnquam gulæ, aut abdomini seruiuit: sed sobrius, vigil, vt publicè sufficeret, vitam, dum cœlo licuit, bene, castissimeque duxit: tantum edens, ac bibens, quantum quotidianæ curæ, & exercitationes virium absumebant. insolentior nunquam visus est: hominem quippe se sciebat; nec, vt humanitatis memor esset, opus monitore (vt Alexander, vel Pausanias) habuit: ac quod de Antonio fertur, ὅμοιος δὲ διὰ παντων ἐγένετο, ἐν οὐδενὶ ἠλλοιώθη, ἀληθῶς ἀγαθὸς ἀνὴρ ἦν, καὶ οὐδὲν προσποιητὸν εἶχε. atque illud Seueri Imp. est secutus, ἐπιμελὴς ἦν πρακτέων, ἀμελὴς τῶν περὶ αὐτοῦ λογοποιημάτων. nam de se voculas per assentatores illatas, aut aliorum interdum iniquius de suis rebus sentientium nomina, audire noluit. Sanè vbi voluntas temperatè, iusteque agendi cum summa potestate iungitur, & ipse beatus est, & qui ipsum audiunt. In hoc profectò Cæsare, quia prudentia & temperantia cum potentia viguit vniuersa: optimarum author legum, naturaque bonus conditor extitit. Non facilè consuetudines mutabat: quippe quem non fugiebat, nihil esse molestius, atque ad alienandum suorum voluntatem promptius, antiquatione, mutationeq́; vulgi morum: nisi publica offensione, ac turpitudine laborarēt: tantum probitas, & oratio possunt. Etsi enim Menander ad persuadendum orationem excludit, tamen vtrunque copulandum est. Non vnquam huic Cæsari quisquam, vt Cimoni vinum, vt somnolentiam Scipioni, obiecerit: non fraudulentos sermones. cuius animus, cogitationesque, non secus bonis (atque Iulius Drusus Publicola suas ædes perspicuas, vt vitæ rationes domesticæ omnibus patere possent, cupiebat) apertæ, testatęq; fuere. Quod exemplo liberorum quoque, honestissimaq; educatione orbi constat: quos sui similes voluit, ac effecit: ne rempublicam gubernasse, qui familiarem ignorasset, posteris videretur. Consuetudine scilicet heroica, iustaque indolem diuinarum virtutum excoluit, confirmauitque, Lycurgi ad Lacedæmonas exemplum haud ignorans. A morte charissimæ suæ reginæ, ea fuit continentia, vt illi Medici eam constantiam, & pudicissimæ coniugi custoditam memoriam, valetudini obfuturam dicerent. In societate verè cum illa suauissima & rarissima ita vixit, vt nulla vnquam suspicio temeratæ fidei extiterit, nō leuitatis. Neq; .n. minus casti esse possunt, qui in matrimonio sunt, quā in omnino illa negata, & seclusa à consortione fœminarum vita, homines inueniuntur. Quis vnquam audiuit, more aliorum Principum, qui numerum liberorum fugiunt, atque imperio suo, ne multitudine hæredum distrahatur, cauēt, hunc in coniugio extra ordinem & fidem, aut postea, vel suspicione vllam reliquisse prolem? Non igitur continens ille, sed temperatus fuit. quis enim prudens est, qui simul continere se nequeat: quòd nō in rerum tantùm intelligentia, sed δεινότης ad agendū, prudentiā definiamus. Nihil ab inuito, nihil per iniuriā accepit: in com-

in commune consulebat, non vt Caligula, sed vt Adrianus & Antoninus: vt quæ etiam fisco debebantur, liberis reorum relinqueret, ne filij insontes paternum scelus luerent: nec quinquennium tantùm clemens, quod Traianus de Nerone dicebat, sed perpetuò mitis fuit, καὶ ποιμὴν λαῶν. nec fiducia Imperij, vt Caligulam, Neronem, Caracallam, Heliogabalum, in vitia deiecit, sed vires & dominatus stabilierunt. Largus in omnes, effusus in benemeritos fuit, humanitate & comitate inaudita, vt multi eius bonitate abusi sint: reuerentiamque detrahere, & in societatem conuertere ineptè voluerint. Sed illud in ipso verè fuit heroicum humanitatis indicium maximum, quòd quos aliquando conspexerat, aut allocutus est, si post viginti annos rediissent, illico agnouerit, extensa manu veterem gratiam obtulerit: diligenterque circumspiciendo cauerit, ne quem in comitatu suo insolentiorem, appellatione, aut nutu clementi præteriret. Quorum sibi operam vtilem & diuturnam, fidelemque expertus erat, prosequi omni liberalitate, & exornare eos studebat: nec passus est beneficium, atque remunerationem expectatione fieri maiorem: ocium fessis, non negocium imperabat: præsens & viuus præsentibus & viuis gratiam referebat, non ad vltimam ætatem differebat: satis eos fidos & promptos fore semper sibi ratus, quos beneficiis cumulasset. Vbi enim expectatio gratiarum extrahitur, minus illæ caræ sunt: & onus baiulo, si tempore subleuetur, ad perferendum fit leuius, quàm si, vbi metam contigit, exoneretur. neque ego meritorum meorum fruitionem vllius in morte heri constitui velim: sed accepto beneficio, exemplo alios ad officia & labores vocari, inque fructuum possessione meos locari. Testata dico: non more auari patrisfamiliâs, à suis rationes exigebat, nec vnquam ille magistratus opibus quorundam metiebatur, minus iis vendendis aut locandis mercaturam faciebat. Etenim vbi fortunæ virtus postponitur, venalesque sunt dignitates, vt res optimorum non consistit, ita Cæsari & Regibus sua imperia infirma concidunt. Lucri certè spes optimos quosque à petitione rerum gerendarum & honorum auertit, qui sumptus facere nolunt. Itaque quos idoneos duxit noster Imperator, oneribus honorabat etiam nolentes: quos auaros, aureoque piscari hamo suspicabatur, nunquam administrationi negociorum vel cupidos præponebat, licet nominum, seu titulorum interdum ambitionem, importunis inanem, non difficilè impertitus sit. quoniam iustitiam ad alterius præmium referimus, ideo non pecunia proximè virtuti satisfacit, sed iusticia. Atqui sunt qui non omnino laudent, variis locis & curis singulos præfuisse curatores, seu officiales, eamque multitudinem inutilem, onerosamque eidem fuisse. Sed hos ego velim audire, vtrum melius sit pluribus magistratibus vnum præficere, qui ad voluntatem omnia gerat; & cùm ipse non in omnes partes sufficiat, per seruos cupidos multa agat, an multos? nónne si singuli partitas curationes obtineant, diligentius cuncta molientur, quàm vnus, & quidem per seruos pecunia conductos? Non igitur spe magni lucri tantæ moli ac sceptro præerat, nec alienorum admodum cupidus fuit: quòd tãtum Principem sciebat à Deo constitutum, eiusque esse muneris, non solùm vt multorum gentium sit dominus: quomodo nec diuitem, vt possideat, prematque multa: sed vt bene agatur, & viuatur. Liberaliter Ferdinandus Cæsar, & citò suos fouebat: simul rem, spem & memoriam comprehendebat, bonumque, iustum & iucundum rectè coniungebat: secus quàm Delphis in vestibulo notatum erat. Nam dare, iusticiæ est: accipere laborum fructus, bonum: iucundissimum verò, cuius causa sudaris, aliquando consecutum esse. Alia fuit quorundam ratio, alia nostri Imp. sed fortasse genera negociorum, populorum, regionumque quibus illi præfuere, hanc diuersitatem peperere, vt in officio, nisi spe, cõtineri multi nequiuerint. Adulatores, pestẽ & domesticos sicarios vocabat, & libertate sua plurimos perire. omnium animalium perniciosissima hæc duo esse: de agrestibus, tyrannus: de domesticis, quos alimus, nobiscum circumducimus, gratiæ & ventri, auribusque homines inseruientes. quorum conditio tam est iniqua, quàm si quis vomicam, aut vulnus in ventre habens, curatum si velit, adhibito medi-

co,barbæ,aut vnguibus forficem is adiungat,malum nō attingi videat: loco ſcilicet alieno medicinam, non exigenti, fieri quereretur. Eò enim res dementiæ apud quoſdam venit, vt non voluptatis,ſed iam ambitionis ergò ſcurras & paraſitos alendos cenſeant: quod vitium ſummè Plato reprehendit. Heluij Pertinacis cōſuetudinem ſecutus,cauebat, ne ex vanis alicuius ſermonibus communiter periculum crearetur: atque alteram in Creta Iouem auriculam habuiſſe, vt putam aliis quoque,& integram ſeruaret,meminerat.Procul ergo hoc genus hominum à ſe eſſe voluit,ſubitò tales notauit,ſibi à conſuetudine cauit, confeſſores nunquam colluſores fieri eſt paſſus: quid enim ea re pernicioſius? Neque hîc repetam,quo animo & ope erga literatos,ipſaſque literas ſemper fuerit, ipſe honeſtæ & iuſtæ literaturæ Princeps. Exempla conſiliariorum id declarāt,quos non vetuſtate titulorum munitos,nō alienis claros virtutibus, ſed ſubſidio proprio inſtructos, rerū experientia claros eſſe voluit. Maluit ille exemplo aui Maximiliani primi,eruditos & ſanos iudicio, linguarumque vſu, vel è tenui familia in conſilium,quàm generis longiſſima ſerie nobiles,aptos tamen minus,& ocioſos, euocari. Norat ſapientiſſimus Imperator, armis & legibus imperia conſeruari: quorum iſtud abſque mediocri rerum & literarum ſubſidio, nunquam feliciter inſtitui poſſet: illud verò,niſi munitum eſſet conſiliis,fruſtra ſuſcipi. Ac quod Sozomenus Theodoſio, amorique literarum eius tribuit, huius prorſus exemplis congruunt. Nec tamen nobilitatem neglexit, ſuum illis locum dedit, complexus amanter eſt: ſed hos vt neceſſarios, illos vt ornamentum habuit, & comitatum: & in bellis nobilitati præcipuus fuit locus: καλὸς γὰρ θησαυρὸς τοῖς παρρησίαν εὐγένεια, vt ait Plutarchus. Et quod in rebus publ. videmus fieri, vt magiſtratus alij ſint neceſſarij, vtiles alij: ita hic diuinus Cæſar, omniū habuit aptam rationem. Collegia multa inſtituit, collapſa penè Gymnaſia inſtaurauit, inque lucem & dignitatem vocauit, libertate & priuilegiis extulit, eoque modo iuuentutem ad ſtudia inuitauit. Fabricandi magiſter non ignarus,& copioſus: quod ex his perpetuis & ſumptuoſiſſimis ſubſtructionibus,& pomœrij Viennenſis, ex continuū locis munitis,& tutis, ex fani illius OEnipōtani celebritate, & artificio domicilioque pauperum hîc admirando patet, multiſq; aliis paſſim in oculos omnium incurrentibus,& eos oblectantibus operibus. Sed quid opus tot verbis? Omnes ille modos, rationes conſeruandæ dignitatis,& imperādi, vt à ſuis amaretur, tenebat. Ciues enim in Repub. amore ſunt & pace retinendi. Non facilè præſentem ſtatum immutauit: ſuis mandatis exemplo ipſe, quantum dignitas patitur, præiuit. Qui noxia nulla tenentur, à ſontibus & latronibus diſcernebat: iudicioque in puniendo vſus eſt: à damnis & aduerſariis ſartos tectos conſeruauit. habuit quoque, vnde iſta ſuppeditata ſint, neruos & ſumptus: præcipua verò Dei religionisque puræ cogitatio fuit: qua ſine, nulli fructus, aut progreſſus, nullum honorificum nomen neque in hominibus, neque apud cœleſtes inuenitur. Has ille omnes artes callebat: nihil quod ad hanc dignitatem, opemque requiritur tutandam, illi defuit: omnibus ad ſummam virtutibus affluebat: quodque ab alio nullo, fortaſſe tanto Heroe, religioſius præſtitum, vel hoſtibus abiectiſſimis, inimiciſſimis fidem ſeruare voluit, nec vllam benegerendæ rei occaſionem extra fidem arripere. Non ſcilicet pollicum confœderatorum nexu huic, expreſſoque ſanguine, communiterque hauſto, opus fuit: nihil illo Numæ templo, nō externis cæremoniis, quod in animo habuit, ſed reconditè quoque teſtabatur: in ore illud ſæpe habens Platonis, προέμενον ἀληθοῦς λόγου, σοφὸν οὐκ ἄν ποτε γίνεσθαι. Itaque non famam ſolùm, vt Lyſander, vel Alcibiades, ſed gloriam veram, vt Cymon, vt Ariſtides ſibi conſtituit. In cunctis rebus κατόρθωσιν ſpectauit, vt propemodum ipſi Stoæ, verbum illud non mollienti, ſatisfecerit. Sed longius, quàm putabam, veſtras aures demoror. His, igitur, præclaris, & inauditis virtutibus & factis Heroa hunc fuiſſe, omnium ſeculorum memoria mihi teſtimonium perhibebit: natura & fortunis ſaluti noſtræ potiſſimum fuiſſe coniunctū, non tacebit. Qui XXV. Quinctilis, acerbo rerum ſtatu nos reliquit. Nam vt hoc addamus, ex infinitis laboribus ac moleſtiis ante ſeptennium grauiſſimè ac deſperatè decumbenti,

non

non parum, & nutriendi, & vis animalis damni contraxerunt, inq; reliquũ tempus fomitem symptomatibus quibusdam præbuere: vt 22. Aprilis, anni, quo est mortuus, proximo ante Palmarum festum die, manè ablucurus pedes, in vertiginem, ac animi turbationem inciderit, vix Zithardo à concionibus & solis confessionibus eius Theologo, ipsum sustinente: cumq; se collegisset, ait, Vos putabatis me prorsus non rediturum? non tam citò id fiet. certum habeo, me ante Pentecosten è vita non migraturum. cumque eum diem, & octauum pòst attigisset, repetiit: Spiritus sanctus noluit vt morerer ante festũ Iacobi: vt, quo modo is peregrinus apud nos, ita ego infans Hispaniarum extra solum natale cum
10 ipso peregriner. Ex eo tempore grauiùs habere cœpit, medicosque sibi aliquid exhibere ferè coegit: non facturos ipsos officium, si naturæ cuncta permittantur. Sæpe repetebat, se ad vitam & mortem paratum, nihil abhorrere, cuius malum ac periculum sanguine Christi exhaustum esset, ac sublatum. Imò iucundissimè animi promptitudinem ac voluntatem declarauit, cùm adiecit: Se morti illigatum, eamque non recusare. quòd si maiores ipsius mortui non essent, per numerum tot superstitum successorum, se ruricolam, aut pastorem fortè, cùm Imperator sit, futurum fuisse: idcirco se suis quoque ad Maiestatem cessurum, vt dignitatem obtineant æquam, dum per Deum Austriæ domui liceat. Sæpe Deum precatus est, vt, si quos offendisset, se proderent: vitamque sibi, dum er-
20 rorem deprecetur, ac illis detrimentum compenset, produci orabat. Ministrorum indicẽ, & nomina, quibus debebat, quos dignè locupletarit, quibus immerentibus spe liberorum quid largius indulserit, repetebat. Per 38. annos Turcæ se opposuit: nulli tamen eius causa se inopes factos queri possunt. ac si ocium fuisset ditandi, quis eo vspiam potentior, amplior fuisset? cuius causa Solymannus sextùm redire sit coactus, ad 130. milliaria continua ditiones possederit. Defectis paulatim viribus, die a se definito Iacobi, facillimè, vi morbi, nullo graui mortisque præsentis indicio cessit, hora post prandiolum, etiam ouo iusculo soluto, cumulatum, inspectãtibus suis, vix digresso filio Maximiliano, nec tum eiusmodi quicquam cogitante, & ad subitum nuncium etiam addubitante. Cuius vl-
30 tima vox detenti somno, ac de hora quærenti (cuius machinationis semper fuit amantissimus) ad Cratonem medicum fuit, aliis absentibus: Quomodo habeo? Aperto corpore, visceribusque vacuo, in sinistro rene plurimi lapilli, atque etiam in vesica (de quibus tamen nunquam fuerat conquestus) reperti fuere. Conducamus igitur hunc opt. parentem patriæ ad sepulchrum, animis demissis, ac dolentissimis cohonestemus: quod maximũ post Deum pietatis est exemplum: eiusque memoriam, dum vita suppetet, reuerenter colamus. in hac enim parte sita est gratiæ vis, non quod Atheniensis de Legibus apud Platonem ait, vt conditorium neque maius, neq; minus mortuo, nec ignobilius dignitate sit, ornamentorumque annuorum instauratio: sed, quod subiicit, quotidie repetita
40 memoria. Quis igitur nostrum casum non lugeat? qui tanto præsidio literarum, consiliorum, potestate munitissimum, ornatissimumque amiserimus: his præsertim locis, & temporibus, vndique periculum & bella significantibus: qui ferrum Scythicum præcauendo reiecit, debilitauit, compressit, in eius etiam fines erumpens. Ac sanè, qui tantas dotes æstimare norunt, in perpetuo squalore, lachrymisque forent: tabesceremus in hac calamitate, nec salutis subesse spem putarem: nisi nos tres isti Principes ad iniurias & vim pellendam promptissimi solarentur, & iam cœptis conatibus in optima spe ponerent. Hi sui officij rationem omnibus sine dubitatione persoluent: & ne vlla in eis sit mora, nullaque hæreat culpa, prouidebunt: non mediocribus consiliis, non vsitata via Vnga-
50 riam florentem, & coniunctam exhibebunt: hostem Turcam non repellent & eiicient modò alienis, sed propriis quoque possessionibus, ac sedibus vicinos suis collocabunt: non Euphrate fines, sed ipsa iusticia (quomodo Pomp. fertur dixisse) atque fortitudine inaudita terminabunt. Quamobrem, auditores, moderemur lachrymis, & hanc mortuo quietem, à tot laboribus emensisque occupationibus, concedamus: ad reficiendas enim vires, animumq; colli-

gendum,& cœlestium conspectu reficiendum,abiuit. Neque ille opinione humana non satis vixit: in corpore quippe isto inerti, & exangui, diuinus spiritus LXI. annos,cum aliquot mensibus,copulatus fuit,tot virtutibus & molestiis sese orbi fruendum dedit. His diligentia vestra mihi adiungenda fuit. nam certa est fides, nec authoritate dictum quicquam,sed factis vos æquissimos exhibuistis: nec opinione,sed ratione,sed veritate omnia libentius animis comprehendistis. Si igitur quemuis pro patriæ periculis & iniuriis se obiectantẽ,omni præconio maiorem, & relaxione virium longissima dignum censemus: qua hunc conditione esse debere, quem locum meritum dicemus? quo ære, auro, argentóve expressam eius imaginem circumferamus, & in penetralibus & atriis locemus? Alexandri imaginem auro argentoque formatam qui habere olim, & gestitare potuit, felicitatem ea re sibi vulgò pollicebatur: hunc verò heroa certum,beatum,pacificum,si à collo,vel in sinu geramus, quãto maior opinio consequetur? Iam quid ad fructum vitæ atque gloriam huic acquiri luce producta, quis cumulus potuisset? Itaque liberior factus,suprema illa præsens,luce non aliena,sed purissima,videt,miratur,varlosq; nostros casus,errores,futura,vt præterita,intuetur: hanc vitã non ille cupit amplius,in qua Maximiliano trium potentissimorum regnorum insignia,paucos intra menses,imposita (quod tantùm Alberto contigit) ille vidit,cæteris imperia iustè partitus est, elocauit filias regibus & ducibus: illam mauult,vbi Rodolphum illustratum perpetuitate,vbi Albertos,Fridericum,Maximilianum,Philippum patrem, Carolum fratrem, & alios videt,amplectitur,diuumq; choro mixtos,ipse socius,miratur: ibiq; Deum ipsum,quẽ tribus personis confitemur,iucundissimè aspicit,colit, societate fruitur beata: donec tandem recepta, quæ iam corrumpitur & vanescit, carne longè puriore,beatissimus floreat,indissolubilique compage cum Deo æternũ hæreat. Quod vt certò, communeque nobiscum aliquando fiat, desideriis piis & precibus congruis flagitemus: simul vna voce, & ardentibus votis à Deo contendamus, Maximiliano Cæsari, (ad cuius Imperij auspiciũ,quot ad nullius vnquam alius,legationes ex vniuerso orbe tot confluunt, gratulantur, cõtra hostes progressus sunt felicissimi) eiusque fratribus,mentem det bonã: reget, instruat, tueatur salutariter: vt omnibus satisfaciant,de iusta via & regione nunquam deflectant: omnibus omnia,se sibi rectè,atque Deo reddant. Amen.

III. NON. SEXTIL. M. D. LXIIII.

FINIS.

LOCO TVMVLI EIDEM. POSTERITATI SACRVM.

IMPERATORI Cæs. Diuo Ferdinando, Philippi Castellæ, fratri Caroli V. nepoti Maximil. I. pronepoti Friderici III. &c. Germanico,Pannonico,Boiemico,Dalmatico, Croatico, &c. Cæsari pientiss. Augustiss. feliciss. vigilantiss. liberalitate,lenitate,iusticia,prudentia singulari, & optimo Principi,tyrannorum maximo & infestiss. hosti, Pacis amantiss. Vita modestiss. Consiliis sano, Armis inuictiss. Cõsuetudine facili,Religione vsitata & vniuersa, Omnibus desideratiss. Qui quum se molestiss. ac perpetuis occupationibus non modò non exoluere,sed ne relaxare quidẽ vnquam vellet,obscura primùm febri,ac variè arreptus, mox per VI. menses eapalam vehementius ac intestinè adurente, vt partes aliquandiu solidas attentarit: pituita quoque tenui socia per fauces acriter & tabidè pectus iam replente, sanguinis etiam probitate, habitudineque vniuersa, extremo tumore indice, in aquam penè conuersa: tribus filiis Maximiliano II. Imp. Ferdinan. & Carolo Archiducibus,

chiducibus, nouemque filiabus relictis, composite & facillimè ab hominum societate ad cœlestem regionem, quò eius perpetuò conatus, mens, precésve respectabant, ipso Iacobi die, omnium mœrore incredibili excessit. vt quomodo is Apostolus Hispanos primus ad Christi amorem atque professionem vocauit: ita hic infans Hispan. eidem Apostolo die sacro, cæteris, vt vitã Christianè exuant, præiret. Cuius ex voluntate ad coniugis dulciss. ossa cineribus apparatiss. funestissimeque depositis, corporis cum anima hic rediuiuam coniunctionem, spe certa, interquie incerta exspectat. Cuius manibus, hospes, læta precator: pòst abi, hancque conditionem beatam scito.

VIXIT ANN. LXI. M. VI. D. XIIII. H. XX.

RERVM AD AGRIAM M. D. LII. ANNO GESTARVM NARRATIO IO. SAMBVCI.

FERDINANDVS Rex, Anno M. D. XLVIII, Agriam in suam fidem ac tutelam à Perenij obitu receptam, quam post Nicolaus Salmensiũ Comes (Czabragio, Lewa, Zythna, Murano à malæ fidei possessoribus assertis) à nouis studiis purgarat, ibidemq; peste obierat 50. anno: cùm non satis munitam præsidio, necessariisq; doctus esset, procuratorem arcis constituit, & (si vsus posceret) eundem omnis defensionis artificẽ, & adminiculum, Stephanum Dobo de Rusca, vi animi, & promtitudine admirandum, probatissimisque facinoribus nobilem. Collega huic adiungitur Franciscus Zay, & ipse longa experientia, & consiliis vir clarus. Anno sequenti, nomine sacerdotij, dignitatisque religionis, eum ipsum locum Nicolaus Olahus, paulo antea Zagrabiæ episcopus, ritè consecutus est. Itaque vt omnia expeditiora essent, salutariusque præfectorum vigeret accuratio: anno quinquagesimo supra M. D. à constitutis custodiæ ducibus fide iureiurandoque accepto, pollicentur Regi, Præsuli, vniuersoque orbi Christiano, si imminere hostis quando ipsorum tutelæ, insidiarique velle videretur, inuictam se virtutem prosperè, cõstantissimeq; daturos. Haud multo pòst, Agrienses de regis mandato ad Zolnok profecti, eam eripiunt: quo loco hostibus ademto, beneque armato, Franciscum Zay cum autoritate imposuerunt. Qui vir, quem se præbuerit, omnes libenter agnoscunt: Ferdinandus etiam legatione illi cum Antonio Veraucio ad Solymãnum tutissimè commissa, non diffitetur. Eo ipso ex Agria transportato, Olahus antistes ipsi Doboni Stephanũ Meczkey addidit, animo inexpugnabili, & multis prœliis hominem clarum (erga quem se fortuna tamen postea iniquius gessit) quò isti duo mutuã & vicariã sibi administrandi operã traderent: idcircoq; iusiurandum ab eisdem exactũ: quo religiosè deposito, vicissim illi omni se ope atque subsidio sine exceptione affore, multis promiserunt. Et quando ipso loco, & circumstantiis cognitis, melius res gestæ annotari queant: operæprecium fecero, si omnem Agrię situm quàm breuissimè recitaro, vt quid quoque in loco sit factũ, sine mora intelligatur. Mons quidam est, in cuius latere accliui, sed eo suspecto & insidioso, inque profundam vallem vergente à Diuo Stephano, vt fertur, velut applicata cernitur Agria. A Septentrione sedes regia obiicitur: ab Ortu montem habet alium editissimum, cuius de summo liber in arcem patet prospectus. Exitus & ingressus Occasum versus, ad meridiẽ amœnissimus campus visitur. Ab eadem plaga oppidum in valle constitutum, præseptum illud, ac munitum tectorio ex argilla facto: vbi fluuiolus Agria dictus, haud lento cursu per medium fertur. Templum verò primatu episcopatus nobile, Occasum spectat,

Agriæ situs.

Cæterùm arx ipſa cùm aliàs ſemper, tum verò reie&ta fortiter obſidione, nunc magis innotuit, atque à paucis annis munitiones, atque ornamenta inſignia recepit. Etenim à meridie ingens propugnaculum, vicinaque illi Thomæ Varcocz porta ſe oſtentat: adeoque infeſtiorem hoſtibus, propinqua ſibi Occidentem verſus turri, comminatur. Nec parum præſidij obſeſſis in propugnaculo, quod ibidem Dobo exædificarat, conſtitutum fuiſſe videtur. Intra hoc operæ craticeæ, ad vſq; inſignem iam dictam molem perductæ. Interiecta his foſſa humilis, atque etiam prope ſepta portæ congeſtus tumulus, irruptioni hoſtium oppoſitus. In cuius vertice rates terra completæ, ac tormentis ad diſturbandum hoſtem quoquò verſus diſpoſitæ apparent. Poſt hęc alius quidam agger olim excitatus, inter ſeptentrionem & meridiem prominet. Videas etiam gerras in tectis, ac pluteos ipſius arcis, eiusque angulo erectos: hæcque ſepibus artificioſè obducta. Haud procul ab his, paulò tamen interius ad angulum, de ſilice præmunitio conſtructa, quæ in ſeptentrionem porrigitur, vbi carcer eſt: ſtatim magnifica quæque ędificia Auſtrum intuentia, ſeſe offerunt. Sub quibus remotior ille murus qui proximè ſepibus magnis excipitur: item alius in exitu palatiorũ ſubeſt, qui ipſe Alexandri propugnaculo terminatur. Porrò autem, recens memoria tenet, Petrum Perenij hanc arcem in duas diuiſiſſe partes: interiorem, & exteriorem. In illa cœnobium incluſiſſe, atque cuſtodiam facinoroſorum in propugnaculum redegiſſe: ab exteriore arce ad dictum modò locum, aggeres eundem eieciſſe, qui bombardis in tres plagas directis repleti, plurimum ad arcendum hoſtem profuere. In ſanctuario ibidem, ſtatiua multorum erãt. Siquidem aliquot tabulatorum turres conſtructæ ſuperius, ac mole completæ, conſpiciebantur: inſuper vt omni incurſu irruentes prohiberentur, gerræ, ac viminea cõpleta tormentis extabant. Adiacet his pendula porta, quæ in arcem exteriorem defert. Ab hac rectus murus, de quo paulo antè, ad angulum vſque pertinens, terra ingeſta ad proiecturas plenus & coronas vſque oſtenditur. Ibidem tumulus murum exæquans adiectus, qui & ipſe textis, & corbibus emunitus eſt: cuius faſtigium obſeptum, ne ex monte conſpectus in arcem daretur, multum depugnationem adiuuit. Deinde à mole Alexandrina aduſque angulum, extra muros foſſa eſt altiſſima, pari cum muro longitudine. Iſtinc rurſum alius ſine ambagibus intermiſſus, ad magnam extenditur portam: in cuius extremo turricula quædã velut latens conquieſcit. Hic eſt ſitus arcis interioris: nunc alterius quoque formam paucis indicemus. Hæc Alexandrinum, adeoque murum interpoſitum ab Auſtro aſpicit. foſſa etiam, quæ communis intercedebat, exteriore ipſa arce concluditur: vbi propugnaculum à Stephano Cyabij factum eſt, qui diuiſionem arcis hanc à Perenio perfectam inſtituerat. Apud Cyabianum, paulùm ad occaſum, angulus alter procedit, qui palatio muri exterioris loco venit. Ab eodem Cyabiano tenuis murus, ad latus montis, excurrit, in cuius angulo turris rotũda exiſtit, inædificata illa, & graui materia ſolida. Cæterùm Emericus Bebek, penes alterum murum peculiare propugnaculum fieri curauerat, quod ipſum tandem nomen etiam ab autore ſumpſit. Atque ita in excedentes duos angulos huius arcis finis definit. Mox refer pedem à Bebekiano, ad ingentem veteris portæ molem, vbi inualidus cernitur murus. Supra quem lapidea turris locata: ſub qua olim ianiculum fuit: hodie quoque fœno & ſimilibus importandis commodum. Paulò inferius, penes angulum, alius ruinoſus quidam murus in meridiem tendit: qui vbi ad interiorem ſeceſſit arcem, foſſam impedit, quòd tenuis murus ſecretæ arcis habet foſſam peranguſtam, intus a Cyabiano ad præfatum angulum vſque productam. Hìc duplicato vimine ſepes ſunt iunctæ: quibus terra ſummo conatu & vi completis, minutas turres ad arcendos hoſtium globos, ſi pręminens murus deturbatus fuiſſet, adiecere. Eandem rationem communitionis in propugnaculo portæ cogitãdum: inter murum ſcilicet ac ſepes foſſam currere ampliſſimam, eamq; crebrò interceptam, ac turriculis ad tormentorum opus extructis firmatam. Ad ſummam nihil defuiſſe, quod ad munimenta attinet, credendum: quòd præſertim ſepibus denſis, & variè decuſſatimq;

cussatimque effictis, bene tuta loca fuerint. Atque hæc de omni situ arcis, & communitione sufficiant. Subinde dicendum de præfectorum cura & solicitudine, qua se ad excipiendam obsidionem, suosque comparabant. Etenim haud parum sæpe, non tantùm tumusculis, sed certo sermone ferebatur, excursiones luctuosas fieri, infestari passim agros, & munitissima quæq; loca expugnari: consternatos multorum animos, atque seriò ad occupandam vniuersam Vngariam tyrannum incumbere. Augebat famam fortissimi herois Stephani Losoncij interitus: non minus Lippæ, Solymos, Chynadinæ arcis subita, & insueta quoque amissione perculsi: vt cuncta minari obsidionem videres præsentem. Id enim temporis, quo solicitius Agrienses afficiebantur, Amhatbassa cum Beglerbeko, & ipso Casson, intra fluuium Themes quietus se continebat. Cis Tibiscum autem, & vltra Danubium, Alybassa Budensis consederat: vt meditatum aliquid facilè animaduerterent. nam Budensis Vesprimio capto, & mox traiecto Danubio, similiter locis sibi suspectis, aliisque ademptis, quasi victoriam prosecuturus, Budam reuisit. Ferdinandus tot detrimentis passim acceptis, metuque maiorum, rebus communiter occurrere volens, haud exiguis ex tempore copiis, Matthiam Theifl præponit. Verùm hunc non satis cautum Alybassa, ad Palastum cum Sforzia, præsuleque Sbardellato, vnà cum exercitu paratissimo, circumuenit, & miserè cecidit. Quo successu non sperato, ille de Agria consilium captat: quòd nusquam vlla manus aduersaria esset relicta, cuius auxilio niti ad resistendum Christiani possent. De quo Agrienses per certos homines statim admoniti, armare se, & ad obsidionem omnia prouidere, vtque auerti iugum possit, vel si caput deuocandum in periculū foret, cogitare: sed amplitudine loci, & præsidij tenuitate considerata, nuncios ad regem maturè expediunt, non secus ad præsulem suum, & alios regni proceres, qui celeri auxilio esse opus, se vix ad tutandam Agriam suffecturos, edoceant. Per eosdem dies conuentus de more in Sixo ex diœcesibus vicinis cogitur: vt si se, agrosque suos, totam adeò patriam saluos cupiant, consultationem de rebus imminentibus sanam, & maturam suscipiant. Id enim sedulò eos Stephanus Meczkey hortabatur. sed valdè ineptè tanto viro, & quod exacerbare quemuis facilè possit, responsum fuit: Non debuisse quenquam in summo ocio custodiam arcis in se recipere, dubiis qui temporibus ingenio & viribus suis diffideret: atque se nihil aliud consulere, quàm vt iuxta prouerbium, deuoratis carnibus, ius etiam absorbeatur. Quo audito, Meczkey vehementer commotus, satis contumeliosa sententia sibi responsum ratus, domum reuertitur: ac sociis vanam legationem, quemque vicini animum induerint, cum dolore breuiter exponit: eóque esse rem loco, vt soli Deo sit fidendum: serum nimis fore auxilium, quod expetiuerint. quamuis postea mediocriter à conuentibus illarū partium, de mandato regis, fuerint adiuti. In hoc rerum statu, & non paruo metu, & negligentia amicorum, dum à rege nuncij dimittantur, quos iterum, ac tertiò iam obsessi remiserant: ipsi ex iis, quæ ditionis ac iuris erant Agriæ, quod possunt, sese comparant. Namque ex prouentibus annuis certos habebant equites, CC. totidemque pedites: quibus tum necessariò LXXX. conscriptos addidere. Dimittunt quoquo versus aliquot ex præcipuis, cum mandatis, vt qui ditionis sunt Agriæ, comportata supellectili, se in arcem conferant: instare periculum, quod illi facilè persuaserunt: vtque XL. equites Agriam venirent, pagani officiales, vt vocant, perfecerūt: insuper de colonis C. cum bombardis. Interea rex amanter & benignè literis scriptis, præsides consolatur, omniq; celeritate, ac viribus propediem illis se affore pollicetur. Cuius animi vt significationē præberet, Casparo Peteu, Stephano Zoltay equitum ductori, & Gregorio Bornemissa planè imperat, vt extemplo se Agriam conferant, fidem istic & fortitudinē rebus arduis declarent: quod illi manipulis quibusdam secū adductis, non molestè fecerunt. Etenim Bornemissa CCL. pedites conquisiuit, Peteu XV. equites, totidemque promptus Zoltay. Neque secus rex ad omnes illarum regionū conuentus cum mandatis scribit, vt ratione capitis ac fortunarum habita, quodcunque possent,

ad Agriæ defensionem conuerterent. Hoc modo breui contractis vndique militibus, præsidio firmata non paruo Agria fuit. Constat enim, ex comitatibus circumiectis, & nobilitate attributos fuisse equitum, ac peditum, ad M D: vt in vniuersum M D C C C C & L X fuerint, de quibus tamē quidā se postea clàm subduxerant. Sed principes, & cum auctoritate qui aliis anteibant, & quorum industria & ingenio militari potissimum res administrabantur, fuere: Stephanus Dobo, vir inexpugnabili fortitudine: Stephanus Meczkey, in bello manu potens: postea Caspar Peteu, vir laudatus: quartus, Stephanus Zoltay, arte ac belli casibus eruditus: quintus, Gregorius Deak, arduis in pugnis sæpe iam perspectus: deinde Ioannes Figedy, experientia & consilio præclarus. Fuerunt & alij innumeri, licet dignitate inferiores, tamen virtute & ausis pariter celebres: qui partim ducum illorum vices gerebant: partim sua sorte contenti, rem non minus strenuè gessere. quorum hìc nomina referre non necessarium duco. Ac quoniam ad obsidionem sustinēdam multa requiruntur: prudenter ipse Dobo chirurgos XIII accersit, materiarios V, fabros ferrarios IIII, carpentarios totidem, molitores IX, laniones V I I I. Iudices pagani quoque LXXV selectos de plebe secum adduxerant. Eòdem in tutum mulieres XL cum liberis confugerant, quæ panes cum aliis conficerent. Dum hæc à nostris ita procurantur, Alybassa literas mittit ad Amhatbassam, & Beglerbecum: quibus indicat, multum impedire Zolnok & Agriam, ad potiendum tota Vngaria: se igitur, vt posthac nihil victoriam moretur, eas circumuenturum: &, si paulùm adnitatur, expugnaturum: quòd exploratum haberet, fuso nuper exercitu regio, nullius affore subsidium, quo res Christiana subleuetur. Igitur obsidet Zolnok, arcem non ita pridem ad vim sustinendam constructam: quò etiam Amhat accurrit. horum multitudini facilè nostri cessere, vacuamque arcem IIII Septembris deserunt: satius fore omnes rati, si in Agria, vnde totius regni salus penderet, occumberent, quàm vt vires diuidantur. Paulo pòst mittuntur Agriam literæ à Turcis, per villicum quendam: quas, nuncio in vincula detruso, coram omnibus recitari voluerunt, deinde ad Regem mittere. Quarum habita sententia, inter se leges sanciunt firmissimas, & perscribi eas sanguine iubent, vt quibusdam omnem spem defectionis adimerent, & ad mortem vsque pugnandum cogitarent. Legum hæc fuit summa. I. Si quis posthac cum literis ad se mitteretur, is vnà cum illis Vulcano dicaretur. II. Ne quisquam in obsidione vocem ad Turcas emitteret, aut quoquo modo hiscere auderet. III. Ne vspiam conuenticula fierent, & in aurem sibi loquerentur, sed palàm omnia fierent. IIII. Quicunque deditionis moueret aliquam mentionem, morte is multaretur. Aduersus has nemo dixit: sed precibus ad Deum, cuius ope nitebantur, piè fusis, hostem expectabant. Literarum autem hæc erat sententia: Ego ille Natulay Bassa, summus & dux & consiliarius Cæsaris, vobis Agriæ præfectis salute præmissa, significo, per me vtramque oram fluuiorum Themes & Maros, itemque Zolnok, in ditionem Imperatoris concessisse: atq; amicè hortor, vt de fide ac pertinacia remittatis vestra, ne vos in periculum extremū præcipitetis. quod quidem fiet omnino, nisi subiectissimè arcem cum oppido Bassę à me istuc misso, tradatis. Quòd si vos dedideritis, per autoritatem, qua multum ego possum, ac fidem vobis affirmo, ac denuncio, Imperatori vos gratos fore: meq; perfecturum, vt donis ampliter dimissi, agris & possessionibus liberi in amicitiam Cæsaris veniatis, & legibus vsitatis suauiter perfruamini: vtque rata hæc promissa videatis, eadem sigillo proprio communienda censui. Sin verò ad perniciem in fide steteritis, ac pertinaciter Cæsaris iram depoposceritis, omnia vos extrema subituros. Verùm nihil Turcarum minis, Heroū animi flectuntur: sed quo maiora ostendebantur, hoc magis creuere, adeoque spe meliorum erigebantur. Explorata igitur penitus hostium voluntate, vniuersa disponunt, armant, peditibus equites permixtos aptis locis, cum obseruatoribus, distribuunt. Cuius rationem lubens quoq; hìc prætereo. Custodiarum negocio cautè & temporè confecto, quatuor ordines certos deligunt. in medio interioris arcis foro, ad omnia paratos constituunt

CCLXCX. equites,ac pedites longè exercitatissimos. Horum omnium in genere Capitaneus fuit Ioannes Wayda. Equitibus Dobo præerat, peditũ dux Ambrosius Zadornik. In altero foro CCX.non minus fortes collocati,quibus præfecti erant Georgius Iuany,& Antonius Blaskò, Ianisco. sed tamen potissima omnium cura in Meczkey consistebat. Tertius exercitus CI.militum,ante portam arcis exterioris excubabat, quorum rectores Casparus Peteu, atque Petrus Antonius Kys Gomerensis Capitaneus fuere. Quartus in exteriori arce stataritus erat,qui continebat ducentos quinquaginta tres: quibus dux additus Gregorius Bornemissa: in his quoque selecti eum imperio Albertus Nagh de So-
10 klios, Antonius Nagh,Stephanus Zoltay, & Ioan.Figedy,omnes virtute & prudentia insignes viri. Cæterùm bombardarum ex ære potissima in Dobonem cura reiecta: cuius postea industria, & nunquam satis laudata vigilantia, ruinæ ac subuersiones murorum restituebantur. Sed neque excubiarum ordinem, & custodias, eodem modo perpetuas fuisse existimandum: pro loco & tempore omnia prouisa, aucta, diminuta: præsertim quando insignis illa ruina patuit, quæ tot hiatus edidit, de qua infrà dicetur. Nunc ad ipsam veniamus obsidionem.

Nona Septembris, præcursores & velites hostium in Maklar veniunt, atque duos de speculatoribus Agriensium intercipiunt. quem casum vix alij duo ela-
20 psi, vt Agriam euasere, de consilio præfectorum Cassouiensis Capitaneus exit cum aliquot equitibus & peditibus, vt palantes ac vagos excipiat. Sequenti luce summis copiis Bassa Eunuchus eòdem subsequitur, in cuius comitatu erant multi duces: Albæ Græcæ,ac Zenderouiæ Beky,Memhetan Arczlanbekus, & Hasonbekus,Velibekus,& (qui Segedino præest) Mustaffanbekus,Kamberbekus, & Deruisbekus. Ex Amhati quoque castris multi submissi, vt circiter triginta quinque millia ad obsidionem festinarint. Sed quò propius accedebant, hoc minus metus nostri ostendunt: quòd Zoltay, Peteu, Figedy, & Stephanus Fekete,90.promiscuè de equitibus & peditibus assumptis,agmen hostium non contemnenda præda, quibusdam ad internecionem quoque cæsis, turbauere.
30 Interea hostis per patentes locos,valles & montes, ad Nemtij vsque castra faciunt,sub regiam sedem,& ibi profluentem.vbi confestim Agrienses tecta,& cõtignationes palatiorũ,ne facibus iniectis corripiantur,deripiunt,nudantq́;.idem de quibusdam ciuium ædibus,ac molendinis factum: vt hinc nihil opus tormentorum impediret. Die Dominica, proximè natalem diuæ virginis sequenti, Alybassa montem procul ab arce conscendit,ac tribus machinis muralibus,curulibusq́; eò subuectis,nondum aggere & loriculis factis,ter singularum vim in arcem experitur. Die pòst tertio, munimento sibi de aggestibus & turribus constructo,ex regia fulminare in monasterij vallum frequentissimè incipit:quòd ex eo loco magnam à nostris machinis exhiberi sibi molestiã cognouerat. Etenim
40 illinc vsq; eò fatigabatur, vt rotis & statuminibus tormẽtorum deletis, optimos quoq; eorum magistros, velut turbine, sustulerint. Plurimum ei loco molestus fuit hostis,ira percitus: sed quas pilæ grandes triginta pondo ruinas interdiu secum trahebant, easdem nostri per quietem (vt erant prompti) celeriter restituere: atque iste insolitus globorum commeatus & vibrationes quinque dierum fuerunt. Sed quando id perpetuari sine maxima pulueris iactura non posse Dobo aduertit,& quandiu obsidione concluderentur,soli tantùm Deo constare nouisset: grauiores machinas vrgere desistit. Triduo pòst, multi ex arce aquarum in oppidum concedunt, & incolumes ad suos redeunt. Eodem tempore Arczlanbekus ad diuæ Virginis sua castra ponit: & altero die, non minus
50 ac cæteri, in omnes partes furibundus tormenta procul mœnibus admouet. Ipso hoc die multi de nostris excurrunt, ac passim hostes leuibus præliis carpunt: inprimis autem Zoltay, Peteu, Figedy, Franciscus Bay, & Ioannes Ormandi: qui dum morantur hostem, eliciunt. Ianiczeri ex insidiis, Stephanum Budahazy sclopetis equo deiiciunt.cui sublectus est Gabriel Orozy.vbi ex improuiso nostros circumplexuri sine numero existunt: quorum multitudini longè im-

pares hi cedunt,& in arcem se recipiunt. inter hæc augetur exercitus indies hostium, & adglomerati omnibus in locis, ne quisquam ex arce egrediatur, insidias locant: sed tamen audacter nostri aliquoties aquatum profecti, de Turcis aliquot interficiebant. Per hos dies plurimi Ianiczeri apud Al Maghyari, prope montis latus considunt: qui equis merebant, per conualles & colles sua explicantes tentoria, & papiliones varios. Beklerbekus ad Tihemer constitit. Vltra fluuiolum Amhatbassa in theriotrophium, seu ferarium se contulit, vt nihil præter castra passim, & tabernacula conspexisses. atque vt omnia cautè disponebāt, minis pleni, ac furientes: tamen spretis illis, ne tertio quidem ab obsessa iam arce die portas clauserant. tanta vis animi, & contemptus barbarorum fuit. Septima luce hostis aggeres iacit, turriculas circumagit, cuncta præmunit, atque ex prædiolo Heczey biduum suo tonitru arcis culinam infestat: nec parum nocuit, quòd bene instructus à tormentis venerat. Etenim tria insignis magnitudinis adduxerat muralia, quodlibet 55. lib. pilas sustinens: colubrinas vndecim, quæ intra aggeres in arcem directa latebant, & confestim ita puluere onera explodebant, vt plerisque vulneratis, etiam aliquot bestias delerint. Quamobrē defensores quò tutius versarentur, visum est in exteriorem arcem, egestis aliquot fossis, exercitum producere, & constituere illinc excubitores. Tum verò primùm hostis omnis generis tela per machinatores contorquere, & globis funditus delere vniuersa conatur, sulphure & bitumine compactis agere: sed egregius custos Dobo, vt irrita omnia euaderent, commodum adinuenit remedium. Iussit stabulorum tecta, fœnum, stramina, frumentum, & quæ materia ad exardescendum facilis erat, partim exuri, partim pecori copiosius, & temere proiici, vnico fœni aceruo, & modico tritici reseruato: mox ciliciis & coriis crudis passim loca obtegi sine mora, multa præterea madida & humida, quibus faces restinguantur, vt suppetant, apparari. Ante omnia in parietes palatiorum collimat ictus. sed murus ibidem tenuis prolatus, impediebat ruinas illius, in quo demoliendo vehementer sudat. Inde alteram partem aggressus, non minori conatu murum simul non ita validum, ad portam veterem pertinentem, aperit. In interiori parte Dobo, & Meczkey senatu habito aduigilant, textis & terra fossa pertusa obstruunt. eadem quoque sedulitate in exteriore cuncta fiunt, palos & trabes in foramina ingerunt, materiam septis obducunt: ac neglecta salute, quiduis contrà fortiter audent, vt hosti de se nō paruam admirationem suis occursibus præbuerint. Pauca interiecta mora, portam regiarum adoritur, cuius potiundæ sibi spem finxerat. verùm nostri hypogæis & concameratis terra impletis, tormenta imponunt, & more solito, acriter omnia deturbant, vbi tum ex vnius curulis bombardæ dissultu, Blasius Nagh sociis ereptus est. Redit hostis intentius ad exteriorem arcem, propugnaculum veteris portæ corruit: sed confestim obsessi ruinas restituunt. Ibi videres iam perforatis instare, diligenter, ne quis prodeat, collibrare missilia, minutisque machinis detergi obuia: proiecturas, coronas & pinnas decutere, atque cuncta ostendi extrema, nisi per noctem indefesso labore, quoquo modo hiatus reparassent. tantusque furot conceptus hostibus fuit, vt opus hoc tormentorum tredecim dies insuetè continuarint. Videns autem nostrorum pertinaciam, & haudquaquam rem ex voto successuram, attentare animos, & ad deditionem inuitare, pollicitationibusq; implere instituit, idque literis ad primores diligenter & amicè perscriptis agit: quibus nostri, ex lege non resignatis, sed in ignem abiectis, earumque fumo tabellario excruciato, mox vincto, inque fossam deturbato, constantiam non contrahunt. Ea re vehementer commotus hostium animus: non tormentis rem gerendam, sed acerrimis insultibus, incumbendum decernūt: ita fore, vt quid defensores valeant, cōfertis cominus armis, & manibus, facilè cognoscatur. Addebant illis animum, & non parum inuitabant ruinæ aliquot ab ipsis iam factæ, si confertim ac tumultuariè inuolarent. Quatuor enim non satis tutæ extabant: destructio palatiorum in arce interiori, altera prope angularem turrim, tertia sub Bebekiano, quarta penes propugnaculum veteris portæ: cuius turrim cum exteriore

exteriore portula mirè euastarant.sed quanto ampliores illę patebant,tãto magis Bornemissa,renouatis custodiis,milites diuinè solatus,excitabat:secuturam proculdubio iam iam sæuam oppugnationem;sed Deum affore in omnes casus, quòd pro salute patriæ atque religione certarent. In festo igitur, qui diuo Michaeli tribuitur,hoc est vndeuigesima die obsidionis, intra munitiones & suos aggeres noctu XXVIII cohortibus conductis, tantum hostis clamorem & tumultum edit, à palatinis præsertim partibus,vt vel sola horrenda voce, qui eos nunquam nosset,incutere metum possint:exinde arreptis ad gerendum leuibus scalis,certatim instant ruinis:sed re infecta proturbati nõ sine cæde, latebras re-
10 ceptant. Tum Georgius Gwlay similiter sclopeto de vita migrauit, quomodo etiam pridie eius oppugnationis, Thomas Polyki per Ianiczeros extinctus erat. capitaneus is Borsedensis fuit, longiore dignus vita:cuius vigilantia, ad angularem turrim,de terra illa insignis moles cõgesta, & defensata mirabiliter fuit.huius virtute socij adducti,ad quam concidit turrim, ex eius casu & nomine Polykanam semper vocarunt, quam præcipuè hostis impetebat. ac vt Turcæ maximam vastitatem mœniorum habuerint propositam;nunquam tamen ad propugnaculum ipsius portæ furor illorum peruasit, veteris tãtùm molem inuadebãt. continuò XXV cohortibus soli cupidius insidiati sunt: donec ibidem supra portam euaderent,atque ex occupata turri, de nostris aliquot tollerẽt. Quorum eo
20 loci numero conspecto,prudenter Dobo cedit, & intra aggeres se cõiicit; supra quos iam antea bombardas eduxerat, muros conscensuris lethales.Mox in hostem omnia cõuertit,qui in turri superbiebat: muros disiicit,& ita vniuersa turbat,vt complurimis illorum interfectis,non paucioribus læsis, retrò acti, in castra confugerint. Id temporis Emericus Nagh, secundus peditum ductor, ex geminato vulnere cadit: ipseque Peteu in pede læsus, aliquandiu decubuit: cuius locum integer Franciscus Vitez tuebatur. Ioannes quoque Posgay tum occidit.Dum hæc vtrinq; tam ardenter fiunt,Meczkey metuens subsecuturã longè maiorem impressionem,ex tempore subitum militem in arce interiore dispo nit: nec ipsum metus fefellit. Summo quipe manè,hostis redit,oppugnationem
30 grauius vrget:qua in meridiem extracta, vtrinq; multi occubuerunt: saucij verò de nostris,non sine gemitu,peritia chirurgorum curati fuêre.Finita ita propitio Deo ardua prima oppugnatione, confert se Meczkey ad exteriorem regionem, quòd Peteu nondum omnino conualuerat. De deditione hîc rursum ex improuiso Bassæ literis,& per Andream Saray tractant,amicitiam potius,quàm vim suam defensores experiri velint.Sed nec lectis literis,atque iis conuulsis,earum dimidium nuncius in vinculis deuorare cogitur,igni reliquũ dicatur.Exactis aliquot diebus, de nuncio custodia liberato exquirunt, quæ sententia fuerit literarum.Tum ille, scripsisse Arczlanbekum, si se dediderint, habituros Imperatorem benignum,& qui omnium iniuriarũ memoriam deposuerit:de hac i-
40 psius fide neminem dubitare debere,quòd obsidem idoneum esset daturus:& si quid ipsos Losonetij casus moueret,non alterius, quàm sua ipsiusmet culpa,qui ad mortem infestus esse sic a voluerit, mortẽ accersiuisse credant:quodque amplius est, omnemque abiiciant metum, suum exercitũ Bassam retrò ad tria milliaria abducturum,ac si vacuam omni præsidio arcem relinquant, in planum eam deducturum:ne aliquando ex ea se nocere vllis partibus voluisse suspicentur:cunctos Agrienses,militare si Cæsari nollẽt,sarcinis,vita,& fama incolumes, insuper dignis muneribus auctos dimissurum: abscedant modò pertinacia, potentia,& futuris ex victoria malis leniri animos patiantur,implacabilem esse aliter in expugnatos Cæsaris iram. Bona in speciem verba,& fallacia,mitigare for-
50 tissimum quemque potuissent, nisi longo vsu & perpetuis docti exemplis,à constantia demoueri nequiuissent. Vbi Turca,internuncio retento,moram trahi, & nullum reddi sibi responsum videt, acrius tormenta palatio inhibet: prætorem quoque oppidanum, multis aliis læsis, conficit. Vbi in locum Kendy suffectus est quidam Stephanus Hegeduus: quem perfidum deinde & comprehensum,digno suplicio puniuerunt.Is enim per quoddam foramen,aliquot coniu-

ratis sibi assumptis, crebras omnis generis voces ac promissiones ab hostibus profectas cùm hausisset: res nouas mouendas, & profugiendū censuit: eiusq; rei bellam occasionem, facinus qua excusari possit, præmeditatur: quò præmium rei fortiter in hostem à se gestæ postularet, & repulsam sceleri prætenderet. Atqui diuinitùs re ilico patefacta, Dobo & Meczkey aduocata concione, crimen quæri iubent, & coniuratione elicita, ipsum autorem pro medio foro suspendi: reliquis, affines tam horrendi sceleris quos compererunt, aures præciduntur. Quantam, per Deum, vnius profligati hominis conscelerata mens vniuersæ Vngariæ solicitudinem ac metum importasset, nisi diuina tum quoque ope perniciem diuortisset? In illius nequam locum, ne statio vacua esset, Emericus Pribek substituitur, homo bellis assuetus: cuius fides hoc maior in omnibus cluxit, quantò alter minus in defensionem animatus erat. Quarta Octobris, horrendus ex puluere casus nostris accidit, quo haud parum hostis exultabat, & suam fore Agriam planè affirmabat. Puluis enim fortè flamma concepta, magnam sacrarij partem, in quo asseruabatur, vnà & ruinarū farcta excindit, multosq; in eandem calamitatem traxit: quòd Paulus Nagh, Georgij Bathori capitaneus, cum aliis octo disiectis periit: Georgius Horwath ob manum auulsam, non diu superfuit: molæ etiam, cum iumentis seclusis & rebus in sacrario preciosis, absumptæ. Quis enim tantam ignis vim compesceret, nisi cumulare periculum velit? Haud exiguus nostros tum pauor incessit, quòd rem ex composito fieri non obscura suspicione colligebant. Igitur seriò ad certamen se accingunt, si proditio subsit, vltimo se prælio casuros, aut dolum prohibituros. Eiicit se Dobo ad custodiarum loca: vtque tot fortium miserabile fatum conspicit, cunctos eôdem euocat, pauidos claua cogit; similiter alij, qui cum dignitate præerant, ad excubias discurrunt, milites exigunt: atque ipsi consolationis egentes, intrepidè suis metum excutiunt. Addunt, parum, aut nihil pulueri decessisse, cùm tamen 24. vascula correpta fuerint: etsi antea de materia pulueris ita prospectum fuerit, vt eo casu nihil diminutum iri constaret. Ex reliquiis pistrini duarum molarum, vt farinæ copia sit, vnam instaurant: ad ruinas autem eo infortunio editas, qui omnia restitueret, Benedictus Sigismundus est datus, in eoque celeritate sua multum profuit. Hostis quia videt, per quoddam foramen nostris exitum & regressum dari: sine interuallo in mediam portam globos promittit, eaque commoditate arcet: sed nostri ima muri cuniculis adactis subeuntes, non minus commodè, quà se eiectent, receptentque, spacium aperuere. Vbi Turca insignem ruinam, quasi desertam, & nostros, quòd non ita apparebant, cessisse putans, contentius vndique tormentis agere, prope ædes Maioris, vt vocant, Præpositi, vallum proiicere, eò tria maxima tormenta educere, paulo infrà propugnaculū, ex terra comportatum, ab Occasu turrim cum ædificiis, & palatij lateribus destruere, ex Regia molem carceris verberare tanta vi, & successu, iam vt prospicere in forum potuerint, fornicumque tabernas exurere. Verùm incendio per nostros extincto, foraminibus propugnaculi ouinis pellibus madidis obturatis, farctisq;, & vnde periculum metuebatur, cōtra sedem, vulgò regiam nominatam, aggere cōstructo: labores illorum vanos, & spem falsam reddiderunt. Iam hostis in vallum excesserat, structisque ante se scutis, progressurum opinabatur: cùm subitò repulsus per foramen, ad fundamentum à nostris, vt dixi, effractum, neque in castris tutò illi esse licuit. In hac disturbatione scutorum præcipui extiterunt, Colomanus Porkolab cum Philippo Demetrij: quorum ille saucius, Michaelē Gasparith submisit, sed is quoq; postea sclopeto euanuit. Ne solus igitur Philippus periclitaretur, additus est illi Ioannes Zukany. Turcæ interim ab ædibus Heczey fossam nil segnius sub vallo cæcam ducunt, eamque vasis repletis, præmuniunt: vt igni muros disiicere, nostris nihil suspicantibus, valeant. Manè tamen quodam, dolum suum exustis sæpibus & fumo vanè suscitato produnt: ad quos nostris quia non statim bombardis penetrare dabatur, factis operosè ad eiiciendos globos foraminibus, iisque pariter latentibus, hostem igni obruto expulerunt. Nihilominus tamen impe-

impetu in terreum & vastum illud opus facto, cōtinuò id infestarunt: septorum stipites, & palos excindebant, quibus euulsis, vasa etiam subuersa, inaniaq; sternerentur. At nostri locis submotis, cathenas prætendunt, hostemque cœptis inhibent, eodemque tempore, vt omnia securiora sint, supra portam arcis interioris & oppidi aggeres tormenta conuehunt, adeoque prope ipsam portam de muro parum abducunt. Turca nihil minus se exercet, feruet, insanè de fossis aliquo modo complendis consilium init: ideoque vallum contra propugnaculum, quò nostrorum tela impediat, constituit primum: mox audacissimè in turrim, prætensis maiotibus scutis, cochleisque egreditur, atque dum sub tabula-
10 tis protusis latitat, & minaci sclopeto, si quis prodeat, expectat, incommodè defensoribus inhiat. Vt adniti hostem nostri extremè vident, machinis aduncis, & lupis, corium proiecturarum & tabulatorum auellunt: ac suspensis ab hastilibus hamis, & cathenis, operas hostium promptè excipiunt, perturbant, saccos tumentes & distentos eruunt, denique tabulatis illorum pice & seuo illitis, ignem addunt, comburuntq;. Ibi Turca dolo suo frustratus, cautius aliquid moliendum arbitratur. Magno pecorum sudore, struem materiæ sectæ comportat, colles frequentes contra arcem, turrium modo, accumulat, ex quibus in Bebekianum se effundat. Hinc per foramina scalis ad murum protrusis, & lignorum frustis eiectis, eadem foramina saccis turgentibus obstruunt. Sed illis cu-
20 leis ex arce remotis, & patefacto illorum perfugio, molitiones liberius cernebantur. Prope eadem loca bombardis apta, cæsæ materiæ in fossam multum proiiciunt, vt per struem facilius murum subeant: sed hîc quoq; dolus incendio mirè dato, elusus est. Siquidem Bornemissa minutim dissecta cremiola, & ligneas tegulas, sarmentosaq; in vascula cum sclopetulis inclusit, deinde paleā pice, sulphure, & seuo imbutam in materiem deiicit, aliud stramen axungia & lardo cōpositum, superaddit, acceditque. Ibi Turcæ ignem dum conantur prohibere, ab conclusis intra vascula sclopetulis diuexati, intra colles regrediūtur. Exacerbatus inimici furor isto inuento fuit, omniaq; extrema tentare constituit. Eidem itaque propugnaculo grauius minatur, ac non parū ex altera muri parte demo-
30 litur: deniq; suffossione curule tormentum quoddam ad marginem vsq; fossarum adducit, sed propugnaculo terra solido, nihil obsuere. Hic aliud idem Bornemissa, homo pariter ad omnia instructus, cōminiscitur, vt de fossa hostem abigat. Rotas vehicularum rapit, harū marginem asseribus obtectam, clauibus, velut sclopetulis minutis, ludicrisq; quibusdam obducit. Vas deinde amplum lignorum præsegminibus, addito sulphure, ac pice, similiter explet: quæ in propugnaculum sublata, & accensa, in fossam detruduntur: vt, dum vas igni volitare hostis miratur, crepitu inditarum clauium, obiecto periculo, excedere clamosus sit coactus. Qua ex re aduersum sibi Deum, & non ociosam Maumethæ iram colligebat: dolum hunc non ab hominibus, sed aliunde profectū vanus suspica-
40 batur. Nihilo remissius ad portæ propugnaculum reuertitur, & cuniculorū subsidio ad muros subrepit: vbi foraminibus aptè factis, Ianiczeri neq; globis, neque pulueri pepercerunt: hastulas quoque & pilas amentatas impellebant, potaque succensa, discessere. Sed, quæ fecerant illa foramina, nostris postea in opportunos vsus cessere. Etenim bolides ignitas per ea exeuntes, multorum extrema cuti ablata, dum illas prehensant, ac eripere cupiūt, manus amburunt. Id hostis admodum ægrè ferens, magna indignatione omnibus nostros diris deuouebat: sed hi risu & cachinnis eius execrationem auerterunt. Meczkey nunquam ociosus, eôdem venit: atq; arcis dolosam igni subuersionem veritus, quòd quiddam olfecerat, contra illorum cuniculos ex disciplina fossores adhibet: qui vbi
50 ad hostium dolos penetrant, non ilico eos adoriuntur: sed modico interuallo, & contiguo relicto, per medium ventrem Turcicum magistrū glande feriunt, quo illi viso, Medet Medet, clamabundi aufugerunt. Hac quoque iniuria molestissimè accepta, in propugnaculum omnes neruos intendunt: vbi quid patere viderunt, ignem in septa & arundinacea coniiciunt, quibus compescendis Meczkey subitò affuit, nec serpere flammā est passus: nostri ex aduerso pariter

omni genere missilium, laminæ, & globi forma effictorum non cedunt, sed fugant potius, ac insequuntur: & præsertim Andreas Balog, cum Paulo Syrmai, & aliquot ad muros, vnico de suis amisso, trucidant. Omnibus ita desperatis, denuò Turca cum Agriensibus de induciis, aut traditione per literas agit, orat, minatur, promittit, sed frustra: siquidem literis illorum ex more discerptis, nulla vnquam eos responsione fuere dignati. Aliter igitur persuadendū censuit, Græcè, Latinè, Hungaricè, Boemicè munera & libertatē pollicetur, schedulas quoque diuersis linguis exaratas sagittis immittit, quib. fortitudine & custodia nostrorum collaudata, satis iam lusum fuisse significat: quid ipsorum valeant animi, & vires, declaratum: igitur iam se dedant, quòd sibi constet, pulueris & cōmeatus inesse magnam difficultatem: rogare se iterū ac tertiò, ne se perditum eant, à cæde abstineant. cæteróqui, si in manus victi perueniant, crudeliter ad vnum interfectū iri. Huiusmodi voculis ne aliqui de suis caperentur, præfecti arcis tympanis, tubis, ac tormētorum intonationibus, ab auribus eas auertunt. nec toties expetitum responsum hostis vnquam abstulit: eoque nostrorum animi collecti magis nisi sunt, etsi non parum à tot ruinis periculi suberat, ne scilicet summa vi copiarum, nostris penè fessis, ille in arcem inuolaret. quippe hiatus præcipui, vt hoc quoque dicam, isti fuerunt: vnus ingens, apud portam arcis interioris: alter non minor, inter nouum, & ex terra illud factum propugnaculum: tertius penes carcerem, cum septorum exustione ad nouam vsque molem, cum aliis ibidem: quartus, murus eodem in loco stratus, quo propugnaculum arci iungebatur: quintus propugnaculi è carcere facti, & palatiorum deuastatio: sextus, vbi murus exterioris arcis ad Alexandrinum vsque, vnà cum corona Bolykianæ turris, procubuerat: septimus, quando Bebekianū, & antiqua porta, cum intercedente muro ciderat. Hæ omnes inuitare hostem ruinæ, nisi Deus noluisset, ad producendam obsidionem potuissent: sed qui Deo fidunt, & nihilo minus quiduis amore suorum audent, eos deseri nunquam videmus. Duodecima Octobris, post intermissam requiem, iterum se de operibus commouet hostis: ac renouandam oppugnationem extrema contentione ac viribus, ex vtilitate fore ducit. Ante omnia, vigintiocto cohortibus in propugnaculum veteris portæ se cupidius inferunt, quòd antea igni subiecto eandem portam conflagrasse viderant: sed Meczkey iamdudum lapidibus ac mediis colubrinis ea communita, ingenti alacritate expectabat. Hostibus igitur cæcè ingruentibus, Meczkey, suis ad memoriam pristinæ virtutis reuocatis, fessis integros subdit: ad occursum timidos fuste compellit, omniq́ue genere telorum, vt vim pellant, cohortatur. Qua in oppugnatione, prout imperarat, se inuictè, ipsemet lapide ictus, gesserūt: quem suppeditarit aliis animū, vulnere testatus est. Ex altera parte hostis in terrenum propugnaculum denuò signa infert: centum equites ad munitionem illam de carcere factam, ablegat, vtq́ue in ruinas excedant Ianiczeri & Sagittarij, diligenter collaudatione accendit. Hic eius impetus extremum Agriensibus malū attulisset, nisi Dei beneficio secus rem cadere oportuisset. Nam intus qui locum tueretur, nemo fuit: quoniam tunc Dobo alibi milites ad virtutem solicitabat. Ne igitur locus periculo maximo ab hostibus caperetur, Ioannes Zukany cum Ioanne Pribek tempore accurrunt, supra ruinam hastilibus auidè insiliunt, remq́ue feliciter sustinuere. Consequitur plurimus hostiū clamor quasi triumphantium, vexillis patētibus ruunt denuò, furiunt in muros, omnia conantur obsidionis pertæsi. Sed si vnquam antea, hîc certè aduersum certamen experiuntur. nam Peteu propugnantium ibidem numerum auxerat, & summam vim adhibuerat: ac tegulis hamatis, & lateribus, & malleolis, & plumbeis ad obiiciendum globis, absque interquiete, donec reprimerentur, cędē cumulabat. Dum ista fiunt, Dobo sese in lucem profert, oculisq́ue in munimētum ex carcere factum cōiectis, signum fortè videt deiectum. Alio igitur arrepto, Stephano Nagh illud commendat: qui non multò pòst ibidem sclopeto expirauit: quo casu etiam à Dobone deprehenso, signum lapsurum corripit, ac pediti cuidam non ignauo tradens, Stephanum Nagh humari ex pietate curauit. Eo ipso tempore

octo

octo signa hostium in Bolikianam incurrunt: quam Bornemissa, Zoltay (tum aliquantum læsus) & Figedy, magna inimicorum strage, tutabantur. Quos contra illi dolo, vt astus nostrorum simili arte vlciscantur, huiusmodi vtuntur. Hastilium oblongorum ac teretum extremitates orbibus ferreis præmuniunt, quibus extantibus, vacuum intra circulos locum minutissimis clauibus replent: hisque instructi, ad oppugnationem procursant: neque tamen eo inuento profecere. paucissimis enim læsis, astus nostri cauere didicerant. Istud certamen in quàm maximum ferum diei continenter durauit, quo etiam ad pristinum decus, & spem victoriæ obsessis multum accesserat. Die proximè sequenti, omnis
10 generis ordines vndique hostis conuocat, hortatur, imperat, vt se ad vltimam oppugnationem accingant, atque hac vice digna se stipendia facere ostendant. Nostri haud segnius tota nocte in statione perseuerando, aduentum illorum parati, ac seruitutis iugum auersuri, prçstolantur. Tum subito strepitu, & clamoribus, quò magis terribiles videantur, suo more sublatis, aduolant, & æream tympana ingeminant. In quos nostri constanter tormentis agendo, plerosque interficiunt, atque agmina eorum diuidunt. Concessit Dobo ad ruinam carceri proximam: simul capit arma, cædem facit: ipse in manibus ac pedibus vulneratus, ensiferum suum amittit. Remisso clamore, totis viribus in propugnaculum terreum contenditur: quo animo eius statim deprehenso, milites Dobo confirmat:
20 & ad comportandos lapides, quibus postremò noceatur, dimittit. Tum vidisses fœminarum etiam præsentem animum, qui lapidibus hostem reiiciebant. Adiuuit tunc fessos integris Peteu, qui signo Budensis præfecti aureo ibidem potitus est. In hoc æquo certamine Valentinus Papa concidit: alij etiam à cæde non abstinuerunt, donec ipsi quoque confecti sint. Ibidem plurimis Ianiczeris, Besliacisque interfectis, Velibekus vulnus abstulit cruentum. Aliunde non minus in Bolikianam aduolant: tantus ibi furor eos tenuit, vt pilis dolosè instructis, præter alios, ipsius quoque Bornemissæ dexteram percusserint. Sed hac etiam insusitata vi retruduntur: & ipsorum animi pugna infelici cadebant, quòd plures de illis, quàm nostris desiderabantur. Vltimò coactis omnibus signis, & vi-
30 ribus, quicquid aderat, coniunctis, perfundere animos vano timore nostrorum integra vi conati, eidem propugnaculo aduertunt. Sed promptè à nostris, vel iam fessis, occurritur. causa enim vires in milite iusta attollebat. Quid enim ibi virtus Meczkey, & præsentia nõ fregit? qui telis ignitis, & mille artibus congressus, hostium ingentem numerum prostrauit, reliquos in castra exturbauit. Non obscurè circumferebatur, tot cladibus acceptis, Amhatum lachrymantem, in Alybassam grauissimè inuectum, quòd se in hanc infamiam socium adduxisset: longè aliter habuisse rem, quàm ille iactabundus affirmarit: Neminem fore, qui aduersus tantam vim & apparatum Cæsaris vel hiscere ausit. Se, Agriacuiusmodi caula, vt ille nominarit, eleuaritque, & ouile sit, expertum: nusquam se in ta-
40 les infantes incidisse, qui arma tam scienter tractare, omnibusque casibus obuiare didicissent: plurimum ea obsidione de armis & virtute Cæsaris demptum, discedendum castris adeò ignominiosè nunquam ratum. Finita hac postrema incursatione quidam de hostibus in hæc verba, vt nostri exaudirent, profatur: Laudo vos Agrienses, ac strenuos semper fatebor. Non est quòd iam vobis metuatis: abscedite armis, & requiescite: relinquere castra volumus, quòd satis nũc dimicatum nostro malo fuerit. Sed tamen anno insequenti ex hybernis huc referemus castra, longè ampliora, vt labem hanc & ignominiam vlti regeramus. hæc quodam prolocuto, nihilo minus tormentis omnia quatiebant, & varè insidiabantur. Sollicitus Dobo de iis, qui in Bolikiana manserant, vt illi habe-
50 rent, puerum suum Christophorum Tariauinum istuc mittit: sed is inter eundum globo interceptus perit. Finita hac, vt dictum, ardentissima pugna, qua in discrimen perductum iri nostros sperabant, detrimentum ac dedecus submoti acceperunt: nec renouandum impetum deinceps putarunt, sed in hyberna concedendum. Id quidem non obscurè præ se ferebant. nostri tamen non increduli semper, dum præter spem insolenti clamore atque fremitu se com-

mouerunt, atque in Fel Nemeth cuncta hostiliter fumare viderunt, mox de operibus abduci tormenta & machinas viderunt. Quos euestigiò apta occasione quidam insecuti ad diripienda castra, omnis generis præda onusti, magnam etiam vim pulueris nostri ademerunt. Eadem nocte, succensis castris, & multis ibi nostrorum metu impedimentis relictis, exercitum comminutum Bassæ tremebundi Pestum versus dirigunt. Quorum discessu nostri nihil elati, quòd subesse dolum metuêre, dum rapinis & incêdio cuncta miscent; quisque in suo loco, & statione, explicatis Turcarum signis, iisque lacessentibus, operiebatur. Sed omni apparatu longius progressi deformatis agris, reliqua cura nostros penitus liberarunt. Beneficium hoc, & finem laborum, quia diuinitùs accidisse nostri agnouerunt, precibus ad Deum vulgò indictis, etiam ad vulneratorum lectos, quorũ amplius ducenti strati iacebant, linguis & animis Dei gratiam professi sunt. Tandem congestis hostium 12000 globis, eos cum suis tormentis apto in loco condiderunt. Ilico de præcipuis quatuor, Ioannem Wayda, Georgium Vitezi, Andream Somoghy, & Albertum Kuusegy, aliis duobus additis, ad regem aureo vexillo, qui gaudium nuncient, præmittunt. Quos Ferdinãdus clementer exceptos, & in singulos centenis aureis donatis, sericeisque superadditis collaudat. Eam læticiam rex cum Nicolao Olaho, nunc archiepiscopo Strigoniense, atque Mauricio Saxonum duce, cõmunicauit. Legatos Agrienses idem præsul sine muneribus non dimissurus, præter alia eisdem quotcunque venerãt, inaurata pocula hilariter contulit. Eosdem Mauricius 400 taleris liberaliter auxit. Dum hi absunt, constantia & rerum gestarum gloria Dobo celebris, Stephanum Fekete cum aliquot non minus impigris exploratum mittit, vt hostem consectando, hyberna obseruet. Quod ille tam celeriter & audacter confecit, vt preciosissimis quibusque spoliis, quæ in commune diuisa sunt, relatis, multos sub hasta, auctionatuque vendiderit, plures ceciderit, in potestate viuos habuerit, nomenque sibi perpetuum cõstituerit. Finis hic fuit obsidionis Agriæ, quam profectò à solo Deo conseruatam nemo negauerit: quòd tanta vi reiecta, tot prę-liis infestissimis, de nostris 300 tantùm desiderati sint: hostis verò nusquam, tot locis expugnatis, maiorem sensisse cladem sit questus. Mox Diis supplicationes, & grates ad omnia habitæ puluinaria. Sed vt paucis, quæ consecuta fuere, adiiciam: soluta obsidione, à rege ac præsule suo Dobo exorat, vt exhaustis tot laboribus onere custodiæ se liberent, & reditum ad suos domum itionemque concedant. Quod rex eius virtuti largitus, Agriam qui excipiat, aliosque præficiat idoneos, Sfortiam Pallauicinum, cum mandatis ablegat. Cui Dobo claues tradit, ac pro arbitrio cuncta disponere facilè est passus. Sfortia neminem tunc ad rem tantam idoneum istic offendens, Stephanum Meczkey per amorem regis & patriæ obtestatur, velit duos tantùm menses pristinum onus in se recipere: fore vt illius virtus hoc magis exornetur. quod ille admisit. Elapso igitur altero mẽse, Gregorius Bornemissa in illius locũ sufficitur: & banatu Agriensi decoratus, claues accipit: huicque socium curarũ Paulum Sarkandi adiungunt, nõ minoribus ausis hominem: quorum industria nunc res Agriæ cum laude administrantur. Cæterùm Ferdinandus memor inauditæ fortitudinis, & constantiæ Agriensium, Stephanum Dobo Vayuodam Transyluanorum declarauit, aureum prouinciæ signum illi porrexit, clementiam denique, & non dubiam beneuolentiam obtulit, admonens vt spectatæ virtutis memor, cùm vsus posceret, similiter operam saluti patriæ nauaret. Cui Dobo: Ita sibi vitam optare, si pro rege atque patria omnia fideliter & promptè ageret. A rege aliis quoque partim nobilitate, ac pagis, villisque, partim auro cumulatis, vulgoque ab omnibus, qui discrimen euaserãt, liberalissimè habitis, soli Stephano Meczkey sors in fructu glorię inimica extitit. qui Agria domum ad suauissimam coniugem, liberos & amicos profecturus, ad Warkonq; pagum veniens, rusticis, vt se in tutũ prosequantur, humaniter compellatis, furenter, non satis cognitus, interimitur: nam cedere temeritati multitudinis ignominiosum ducẽte, inter ipsam altercationem, & conuitia, quidam nefarius securim secundum frontem fortissimo viro infligit: alij duo

alij duo cuſpidata bolide in vtrunque latus tranſuerberant, atque ita confecerunt. Multos tãti viri caſus in plebẽ exacerbauit, & ſine diſcrimine cæſi, pœnam communiter luebant. Eius cadauer Scepuſium, publico funere deportatum, in diui Martini ſepelitur, cognatorumque & amicorum luctu in ipſum amor exprimitur. Sed finem hîc narrationi tandem imponamus: & ſi quid præteritum fuit, aut pro dignitate minus politè ob res & nomina dictum, venia detur.

OBSIDIONIS ZIGETH BREVISSIMA, VERAQVE EXPOSITIO, ANNO 1553. Samb.

POST grauiſſimam & omni poſteritatis memoria dignam Agriæ defenſionem, de regis, & communi ordinum regni, totiusque adeò Chriſtianitatis voto ac ſententia, internuncij, & pacificatores ad Turcam deliguntur, Antonius Verancius, & Frãciſcus Zay: qui obſeruantia, & muneribus placata tyranni voluntate, rebus patriæ feſſis requiem tandem impetrarent. Dum hi amplius biennium abſunt, Thuigon Baſſa, qui Budæ id temporis præerat, iniuriarum à ſuis illatarum immemor, de damnis, quæ ipſi à Zigethienſibus, Babocza, aliiſque vicinis Quinqueeccleſiis locis accepiſſent, queritur: ea re non pacem oſtendi, aut peti, ſed violari ius gentium, ac debitam induciis fidem, teſtatus. Qui quidem non omnino cauſam iniquam fouebat, quòd vulgò Haydones à ſtipendio liberi, ex rapto viuerent, multas hoſtium nauiculas interciperent: ſed rex eiuſmodi latrones vagos ac prædones à vi prohibere cõmodè vix potuit. Tandem noua quadam permotus iniuria, decem millium exercitu coacto, Capos Vyuarum, defectione ſociorum, capitur: Babocza nihil grauius experta, proditione ſe dedit. Idem fore de Zigeth ſperans, egregiè fallitur. Etenim illam, præfecto adhuc Ladiſlao Kereczeny, obſeſſurus, ad colubrinæ iactum caſtra facit: acceptoque per medium tentorium magni ponderis globo, retroceſſit. quò noſtris omnis metus demitur, ac inanis admiratio Turcarum efficitur. Bis enim leuiter congreſſi, trecentos Turcas animosè necarant. Atque conſtituerat Thuigon, Zigethienſes tormentis quoque aggredi: niſi hortatu ſuorum, & periculis, conſtantiaque noſtrorum, ne Cæſaris in ſe iram, infecta re, deuocaret, perterritus, conſilium mutaſſet. Hæc autumno acta. Conſequens hyems, pace dubia, nihil hoſtiliter edidit: donec Cæſar ex Perſia reuerſus, qui & ipſe antea regem non ſemel de crebris iniuriis monuerat, ineunte vere, Alybaſſam in Vngariam expediit, ac iniunxit, Budam, niſi Zigetho prius capto, minimè ingredi auſit. Qui Baſſa in Sirmia aliquandiu moratus, regi obſidionem ſuperbiſſimè prænunciarat: reſponſumque tulit, non de iure id ipſum facturum, cùm ſuos interpretes apud Cæſarem habeat: veruntamen, ſi aliter nolit, ad defenſionem ſe coactum deſcenſurum. Baſſa ſubitò accitis ad obſidionis ſocietatem aliis, vigeſima Maij, cuſtodiæ arcis & oppidi Marco Horuath Kereczinio ſublecto, præfecti Deruisbek Quinqueeccleſiarum, Amhatbek Baboczienſis, Nazufbek Coppanienſis, veteranorum ingenti numero, contra Zigeth, ad interuallum vnius milliaris, conſidunt: ac de ratione obſidendi, reque bene gerenda, inter ſe ſolicitè conferunt. Neque enim eos latebat fortitudo, & præſens propugnatorum, quorum vim toties experti fuerant, animus: & decreuerat Marcus, ſociis iureiurando in omnes euentus ſibi obſtrictis, integra fide iſtic aut mori, aut impetum velle ſuſtinere. Mouebant hoſtes non parum, loci quoque ſitus, & munitiones. Etenim Zigeth ab Antemo quodam, genere ac opibus illuſtri, poſita, in loco plano eſt, eoq; paludoſo: quæ à Septentrione lacum adiunctum habet, vnde triplici foſſæ,

ac vallo arcis,itemque oppido,aqua opportunè circumfunditur. Ad Occasum satis amplum,ac freques oppidum, & illud subterraneis cuniculis importunum cernitur: propugnaculis præsertim duob. arx non parum tuta:aggeribus etiam subitariis, de virgultis terra coactis,ad speciem plus, quā necessitatem extructis, firmata. Præsidium non quidem firmum admodum, sed tamen vsu cognitum & exercitatum, duorum millium inerat. Equites 180. horum dux Sebastianus Vylaky,reliqui pedites,& sclopetarij expediti:quibus præibant Benedictus Topordij, & Iacobus Radouanuayda. Haud igitur ad oppugnandum temere festinans,colonos primùm omni inuectione commeatus,& accessu ad nostros,vt fieri solet,arcet. Non illi tamen semper conatus successere: sed, nostris omnibus saluis, repressi,& plerique interfecti sunt. Mox præsentia Alybassæ confirmati, qui decima Iunij ad lustrandum Zigeth, non exiguis secum adductis copiis,aduolarat:sed nostri, vt animati essent, declaraturi,literas deditionem suadentes conuellunt:ac emissis vndique militibus, prælium à meridie in noctem extraxerunt. Haud parum ea pertinacia commotus Bassa,de plaga meridionali tertio pòst die,arcem cum oppido circumuentam,nouem maioribus tormentis aggreditur:sed eo quoque die,ac sequenti, nullo de nostris desiderato, quid animus & dextræ fortium istic heroum valeant, inimici obseruarūt. Nocte obsidionis quarta,multa cura & labore sua castra textis,cespitibus, & terra inęquata hostis permunit: ac luce proxima, propugnaculum minimè contemnendum, quod Kesas Bastiam vocant,colubrinis suis machinisque vehementer infestat: dumque se cupidius extra castra eiicit,Rodouanus,cuius pręcipuè virtus in defensione constitit,50 sclopetariis expeditis, quamplurimis vitam eripuit. In oppidanis vt magnum esse præsidium ac spem obsessis aduertit, eodem die pilis flammam inferentibus multas ædes,sepium luto inductarum ab Ortu magnam partem exussit:arcis portam, & murum exteriorem prope templum, sine mora quatit. Sed labor omnis eius elusus ac irritus fuit: nisi quòd duo pedites tunc,& biduo pòst quatuor occiderint. Expugnato, & solo æquato, iam dicto propugnaculo, ac porta ipsius oppidi orientali: Gregorius, & Michael Byksith pilulis conficiuntur. Vigesima prima Iunij, nocte, beneficio lunæ,ab Occasu, iuxta molas frumentarias,de limosis glebis,terra & similibus,ex vsu tormentorum opera extruit.In quæ nostri manè,omnibus machinis & globis non minutis,ea vt ipsum commoditate arcerent,sine aliquo euentu,conati sunt. Eodem die,ad eripiendum oppidum, se omni vi & artibus comparat. Et quia iam antea illud multò maxima parte ruinis vastarat,viamque igni patefecerat: completis paulo antè ingenti strue lignorum fossis, quæ vix decem millia plaustrorum sustinuissent,quater in oppidum penetrat:totiesque reiectus,materiem nostri statim incenderunt. Quintò demum,cùm pertinacissimè fureret, nostri in arcem secedunt. Aduersarij oppido vtcunque potiti,ibidem sua vexilla contra arcem passim erigunt,vallari opere, ac fossis cuncta circunducunt. Et quoniam istic hærere diutius, sine maximo nostrorum periculo, nequiuissent: supplicatione ab insessis publicè decreta,sacrisque ritè peractis,occulta quadam & hostib. ignota via erumpunt,ac hostem oppido iterum feliciter, octingētis sublatis,exigunt. Vbi Nasufbek Zanczyakus terribilis Coppaniensis,cum aliis aliquot Bekis, interiit. Quinetiam Amhatbek sclopeti vulnere discessit. Viuus etiam captus Agha:viginti nouem insuper capita præcisa, inque arcem illata. Non tamen hoc ipsum sine nostrorum clade & molestia contigit. Etenim genere ac virtute nobilissimi quidam equites, non sine luctu, & communi omnium dolore amissi: quos inter præcipui,Georgius Macedonay,Georgius Paladij,Ioannes Hagmasij,Ioannes Hozthotij,Georgius Zekel,vnà cum Vayuodis,& peditum non paucis ductoribus, occubuere. Vulneratus etiam tum Rodouanus, cum aliis quibusdam,fuit:sed opinione celerius curatus, strenuè rem gessit. De Coppaniensi Zanczyako illud obiter addendum,fuisse hominem vasto corpore,& Herculis prorsus audacia:qui cùm auidius cædi cum aliquo successu esset intentus, & ne quidem alios decem metueret; quidam ex Haydonibus, velut Dauid contra

Goliad,

Goliad, minimus, saltu in eum ex improuiso facto, gladium incuruum per medium abdomen, & totum ventrē eius inflixit, vt exanimatus, intestina simul ederet.
Vigesimasecūda Iunij, turrim hostis interioris arcis, quæ Occasum spectabat, atque adeò cunctas munitiones inusitatæ magnitudinis tormentis quatuor, aliisque minoribus, haud sine morte quorundam è nostris, grauissimè concutit: ac sub noctem, prope defensaculum Henyeij, extra tamen oppidū, aggeres eiicit: noctéque obscura, machinis æneis inductis, eandem turrim, cum porta lapidea, &, qui intercedebant, parietes prosternere, ac in planum deducere contendit. Inde aliquo successu rem contentius vrsurus ex aduerso arcis, pro porta oppidi, longè 10 latéque vallare, & mirabiliter se firmare incipit. Duo solùm aperta loca, quibus se emittat, & recuperet, reliquerat: alterum ab Occasu, molendinum versus, sub aggere, quo aqua ex palude, velut alueo, in oppidi & arcis fossas dimittenda coercebatur: ad molem Henyeij alterum: intra quæ loca fossas intus lignis expleturus, & margini æquaturus, materiem operosè congerebat. Hac occasione tutius vigesima quarta Iunij totum diem sulphureo puluere ac globis, in defensores, quibusdam peditibus occisis, sæuiit. Die sequenti, eodem ipso modo, aliquot peditibus ereptis, fossam aquaticam, in qua non exigua nostris spes relinquebatur, turbant: vtque locus in sicco destitueretur, omneis sategerunt. Triduo pòst, alio aggere, & vallo è regione arcis excitato, vniuersas cōmunitiones labefactare, ac diruere 20 suo vulnere decreuit: vbi proxima luce quinque sclopetarios è nostris sustulit. Quinque interpositis diebus, cùm aliter se profecturum diffideret, interfectis Georgio Kisdezij, Demetrio Thessenij, & Petro Petrudij: ingentem vndique materiem è duobus angulis laboriosè cogit, qua fossam arcis expleat. Sed quod ille ab Ortu comportarat, hoc est, viginti millibus plaustris, Deo propitio, & sacris perpetratis, obsessi, larido, pice, ac puluere compactis variè pilis totū exurunt. Quam ille flammam prohibiturus, septingentos, non sine Christianorum etiam sanguine, amittit. De nostris, quorum gloria & virtus inprimis constabat, moriuntur, Nicolaus Czernel eques, Stephanus Balogh decurio, pedites non obscuri sex: paulo pòst Franciscus etiam Kesas vita fungitur. Vbi igitur cuncta ex ea parte ho-30 stis fore vana præuidet, consilium idem nocte proxima repetit, & ab Occasu viginti millibus plaustris, vt aiunt, ligna conuecta, in fossam, contra angularem molem, deturbat: sed ibi quoque, Deo immortali volente, conatus subdita flamma consumpti, ac hostium quadringentis extinctis: è nostris cadunt Lazarus Nagh, cum aliis duobus, Martino Radouanij adolescente, ac Valentino Thot. Die sequenti, multis eius promissis, ac illecebris denuò à nostris refutatis, quòd arcem humilem, ac plano in loco vluoque sitam videbat, iterum in fossas ligna cum terra, vt facilius in muros euadat, obnixè deiicit: & ex aduersò duorum angulorum terra plenos corbes, aliaque texta, ordine triplicato, erigit: quæ super saccos pariter completos imponit, ibique spaciis ex commoditate sclopetorum relictis, Ia-40 niczeri ex alto in nostros crudeliter agebant: & qui faces arci subiicerent, passim latebant. Non secus ab Occidente contra alterum angulum, eodem modo loculis aptitudine ad eiaculandum sibi constitutis, decima Iulij Ianiczeri fuere mo lestissimi: & quicquid spacij fossa intra eos angulos tenebat, terra induxerant, ibidemque Casparum Bathaseghij grauiter vulnerant. Duodecima Iulij, per noctem ex opposito arcis, lignis ac terra colles proponit, vnde omnis generis vi tormentorum ad expugnandum incumbat. Manè interiorem arcem cum eiusdem operibus, & exteriorem vnà cum propugnaculis euastat, non paucos virtutis spectatæ equites, ac pedites fortissimè obnitentes, eripit: ac si vnquam antea, tum certè fuerunt totos quinque dies, haud sine damno suorum, telis noxij: vt à rege, 50 simul & comite palatino Thoma Nadasdij, subsidiū rebus afflictis implorare fuerint coacti. Verùm nostri quoque postea ingens Turcarum illud ex terra & eculeis tumentibus opus, ad portam, quò illi refugiebant, editum, muralibus tormentis, vbi septem nostri pedites ceciderunt, seriò sternunt, dum penitus molem deiecerint, adeoque ligna, quæ non cepissent decies mille currus, fossis ingesta, duobus in tanta viè nostris ibi relictis, concremarunt. Die vigesima, continuus

tormentorum vsus, pilarumque coniectus vtrinque durauit. Dumque ita strenuè sese nostri obiectant, vigesima prima die, nocte tormenta & machinæ hostiũ Quinqueecclesias versus commouentur: & Bassa, occasione Babocziensis obsidionis oblata, de qua alibi dicetur, eò recurrit. Cæterùm vigesimasexta eiusdem mensis, cùm nostri liberatos iam se, refectis subitò maximis ruinis, putassent: ecce ad obsidendum, accepta memorabili ad Baboczam clade, animum hostis reiicit: & à Septentrione, prope syluam Hazerduu dictam, considit. Cuius castra tormento omnium maximo Zigethienses tecto metu pertentant, ac eruptionibus crebris numerum hostium prosperè minuebant. Quo ipso die, militari audacia, & singulari certamine Martinus Horuath, quendam Turcum gloriosè superauit: eiusque capite à ceruice liberato, incolumis ad suos rediit. Dum hæc fiunt, nihilominus ab Ortu hostis ex insidiis & latebris furenter agit, sed omnis victoria nostris incruēta euasit. Postremò quasi nostros animis deiecturus, vniuersa castra & furorem Alybassa vigesimaseptima Iulij sub castrum admouet: sed hi audacissimè rem defensuri, penes Bassal se effundunt, ac feliciter pugnam edidere. Neque tamen cœptis inimicus abstitit: sed velut obsidionē continuaturus, aggeres subitarios erigit, pilæ magnum arcis spacium pertundunt, nũc extrema minatur, nunc aureos montes, libertatem amicitiamque Cæsaris memorant: sed citra moram nostri congressi, ac fugientes insecuti, cædē, auspice Deo, luctuosam illis faciunt. Sequenti die iterum cominus cum illo nostri agendum rati, octo horatum certamen contrahunt: nec vnquam ex combusto, & iam deuastato oppido intra arcem compelli potuerunt. & si quãdo in deserta opera hostis cum signis incurrebat, ilico reiectus, in castra sua & latebras, complurimis amissis, repellebatur. Quamobrem idem nocte proximè sequenti, non desertam, ac indefensam fore Zigeth arbitratus, quòd per eos quinque dies vnicum tantùm è Christianis cæsum audierat: obsidionem soluit, tormenta & omnis generis machinas bello idoneas de locis aufert, ac vniuersus exercitus, fugæ modo Quinqueecclesias properat: nostri verò plus quàm decem millia in se globorum excussa, diligenterque collecta, seponunt. Atque hic fuit exitus & finis, quę initiò longè maiorem vim ac periculum minabatur, obsidionis: ideóque metu, quo magno tenebantur, liberi, & obsidione graui à Deo exempti Zigethienses, summo suo patrono & defensori cœlesti gratiis ritè peractis, non parum laudis meritò sibi compararunt. Iam verò qui ex nostris passim & promiscuè ceciderint, singulorum nomina vt referantur, non duco necessarium: illud cõstat, hostium ad duo millia & amplius cæsa, de nostris vix centum & sedecim extinctos. Hęc breuiter, quid singulis ferè diebus gestum fuerit, notasse sufficiat: cuius omnis victoriæ ac laudis, secundum Deum, ac pientissimum regem Ferdinandum, maximam partem industriæ Marci Horuath iure tribuendam censeo. Qui, etsi globo ictus, quem testem adhuc voluntatis præclaræ in crure defert, aliquantũ valetudinarius fuerit: quod tamen sua virtute ac necessitate dignum existimabat, nihil vnquam prætermisit, aut neglexit. Quem non iniuria sibi quidam, locis qui periculosis cum autoritate & custodia præsunt, ad imitandum proponere queunt, & gloriam regiis auctam præmiis, comparare.

EXPVGNA-

EXPVGNATIO ARCIS TEMESVARI, DESCRIPTA PER IOANNEM SAMBVCVM, 1552.

VITA rege Ioanne in Zazebes functo, vix hæredem infantulum à se infeliciter conspectum, curæ Monachi, Petrouithij, matrisque solicitè commēdat: amicitiam, & fœdus cum Ferdinando Varadini ante duos annos renouatum, simul vt retineant, hortatur: & vt multi affirmant, si quæ vis inimica, externaq; ingrueret illorum saluti ac tutelæ, Solymanum quoque non defuturũ addidit, quod ab illo contra officium ex fœdere per internuncium Caroli v. (vt ei conditionibus à Ferdinando præscriptis amicitiam pristinam omnino renunciaret) factum videtur. Ferdinandus cùm iniquè tradita Buda Turcæ, & aliis munitissimis locis, impieq; secum agi sentiret: cum ipsa Buda Iazygum quoque regionem populosam, vbertate soli, metallorumq; feracissimam, Dacum veterũ coloniam, vnde Græcis recentioribus Pānodacia est dicta, recuperare constituit. Dum enim ea gens vicinia periculis, & Cōstantinopolitanis insidiis Transalpinorumq; esset obnoxia, atque per Palatinos seu Vayuodas, sceptro Pannonico semper paruisset: ne astu hostium, aut odio, perfidiaque tutorum infantuli in Turcorum manus aliquando deueniret: omnibus modis de ea sibi concilianda, in subsidiumque defensionis Christianæ adiungenda, cogitat: omnes amicitiæ rationes, fœderisq; cum præfectis init. Sed quia nonnullos ex illis suis inde opibus, ac dominādi libidini potius inseruire, quàm Reipub. omniumque libertati cupere obseruabat, dum fidem Ioanni datam se per quæuis pericula nunquam relicturos iactabāt, qui à Turca excito iam egregiè tamen fuerant illusi, Lippamque ablegati: rex disiungit illorum societatem: & ad Monachum, qui thesaurum, coronamque, & præcipuam ciuitatum nobiliumque clientelam possidebat, mittit Nicolaum Salmensem, & Sigismundum Herberstainium, tot legationibus spectabiles, in conuentum ad Bathor: vt cum eo quibusuis promissis in communem salutem, amicitiam, & diuortium à cæteris paciscantur: reginā cum puero in tutelam suam, quibus pro dignitate omnia ampla & expedita esset largiturus, conferat. Id tractari admonita regina, insidias & iugum sibi pueroque parari suspicata, metu Lippam commigrare incipit: ac se Monachi rebus nouis, studioque mutato non magis, quàm Turcicæ fidei posse assentiri, existimat: dedecus se nunquam tantum in familia susceptu- ram, vel laturam, vt ad peregrinos mendicatum abeat, filiolumque abiiciat, constanter ait. Abitionem parari Monachus docetur: qui eam facilè retrahit, dum exclusurum se ipsam cum hærede, si redire aliquando velit, prorsus è Transylua- nia minatus erat. Redit igitur illa non sine suspicione de mutata fide Monachi, necessitudinisq; Germanicæ: cum Petrouithio, Pathoczio, Antonioq; Losonczio rebus communicatis, sine mora illi exercitum 5000 cogunt, Albam Iuliam occupatam præsidio insident. Qua re accensus, offensusque frater Georgius, vrbem cum 10000 obsidet. per octo dies, ni sese dedant, & ad sanitatem redeant, grauibus interminatur: donec quorundam procerũ interuentu re composita, ab armis vtrinq; discessum est. Hęc autumno acta. Sequens bruma cùm sese fregisset, conatus pristinos vrget Georgius: nec iam obscurè, (submissis à Ferdinando mediocribus copiis, reginam oppugnat, coronamque custoditam indicio amicæ suæ clientelæ Viennam mittit. Vehementius hac molitione Petrouithius & cæteri perculsi, cauere sibi vndecunq;, & puero nituntur: clanculum igitur, non inscio Solymano, qui Satrapę Budensi, vt opem illis ex tempore consilioq; ferret petentibus, iam mandarat: Rascianorum, Bulgarorumque non paruam contrahunt manum, occurrendumque insidiis quamprimùm arbitrantur.

Sed Monachus facilè illorum vim, Turcicamque, obductis viginti millibus nostrorum, qui duce Thoma Varkocz confligere cum illis debebant, inhibuit. Verùm, quare vtrinque prælium non sit commissum, culpam multi in Monachum contulere: atque etiam ob dimissionem incolumem e Lippa Vlmanbeko impetratam, consilij non firmi suspicione præbita, quibusdam authoribus, aliquot vulneribus confossus, nihil tale vnquam opinatus, vitam amisit: ex eoque tempore Transsyluania pactis internuncio Castaldo Bathoreóque nouis cum regina, in manus Ferdinandi iustè rediit. Sed hæc alterius sunt loci, ad Temesuarum nos conferamus. Quò tutiora ab iniuria, vindictáque Turcarum, quando ab eius patrocinio abducta regina esset, cuncta forent: ingenti numero bellatorum Castaldus summæ rerum præpositus, sedulò prospicit, præsidia mutat, passim restituit, confirmatque: cumque Stephanum Losonczium nobilitate, virtutumque exemplis principem virum, fide nunquam mota intellexisset: custode, seu Vayuoda Andrea Bathoreo in biennium constituto, Temesuarum, qui locus cognomine fluuio tripartitò discedens, tertiam è dignitatibus comitum, præsidiisque Vngariæ obtinet, Losonczij vigiliis attribuit. Qui qua erat modestia, imparem licet tantis se curis, viribusque propediem aduolaturo hosti non diffiteretur: amore tamen patriæ, cui se tutandæ post Deum, in primis in lucem editum, totque exemplis ac periculis probatum intelligeret: assumptis fide sibi Gabriele Perenio, Nicolao Bathoreo, Simoneque Forgacz, duobus item fratribus Hispanis ductoribus Campo vocatis strenuis, & militiæ assuetis hominibus, nulla se quouis casu pericula pro rege, patriáve, cum his recusaturum pollicetur. Vtque hostem imminentem à vicinis locis anteuerteret, multis vexationibus eorum stationibus, ac prædis molestissimus, propter Tibiscum illorum custodias exigit, crebris prædis fatigat, longè lateque circum sibi creditam sedem insidias dimouet: quoque sint ad obsidionem instituendam eius virtute cognita hostes difficiliores, miris artibus, sæpe commissis velitationibus, eliberatis quibusdam à nexu Christianis, perficit: piratis, & myoparonibus, plagiariisque ripas perpurgat, mira fallacia in tectam rapinam elicitos intercipit.

Tot eius facinoribus infestis Turca in rabiem actus, & quòd Germanorum imperio, quæ ille dudum spe deuorarat, concessa vidit, aditus in Vngariam præcipuos alieno iure teneri, occludi facultatem aduerteret imperitandi, quæuis tentanda sibi, & persequenda extrema, vel cum maiestatis & opinionis diminutione, duxit: non ferendum diutius ratus, cuius regni iam quinquies ipse potiundi ergò se in pericula dedisset, vnius Monachi, aut fœminæ dolis vt eripi cum ignominia videret.

Mittit igitur Solymanus ad decus obtinendum, fines propagandos Beglerbekum, cum sexaginta millibus exercitatorum, serióque (vt assolet) iniungit, Transsyluaniam iuri suo adhibeat, ignominiam factam aliis quoque locis expugnandis deleat: Losonczium temerarium, inauditáque audacia coerceat, custodia nudet, viuum aut mortuum ad se mittat: quod ni efficiat, offensionem sibi propositam, & aduersariam grauem dignitatis certò sciat, muniisque suis priuatum iri. Beglerbekus ingens sibi onus, ac periculosum impositum non ignorans, ferro, igni, cruciatibus in vtrumque sexum sibi viam ad consilium & scopum patefaciendam existimat, infirma loca in itinere facilè capit, ad Temesuari limites properat: quod, vt quiddam metuat, Lippam quoque recipit, seseque ad expugnandum Losonczium curiosè accingit, commeatuum rationes & annonæ præripit, castra industriè definit: duodecim totos dies, sed frustra, nostris aduersissimis, premit. Itaque desperatis rebus, ad Fellak castra remouet, ad Losonczij se laudes cumulandas infelicem queritur, paratam sibi esse Cæsaris iram nil dubitat. Nam obsidione liberati, illius terga acrius persequentes, & animosè vndique carpentes, dolorem Beko non parum auxerant. Dum hæc fiunt, conuentus Posoniũ edicitur solennis, quò de Transsyluaniæ labantibus adhuc rebus, præsidióque finibus augẽdo, sentẽtiis exquisitis definiatur: absq; dubitatione

bitatione Temesuarum cum maiore furore impetitum iri, locanda esse noua præsidia, præfecturas vel commutandas, vel cōstituendas. Eôdem accurrit Losonczius, admirandus heros, nouo exemplo omnium in se animos cōuertit. variè ibi consultatum, multa necessariò prouisa: sed præcipuè, vt Losonczius prouinciam adeò fortiter tutatam continuet, Temesuarum gloriosè defenset, recepturum illum à Deo præmia, & posteritatis memoria laudem: quoad res vsui aptas futuras, nihil ei denegatum iri: in discrimine, si aliter fieri nequeat, ipsummet regem, vel libetos illi præstò affore, periculum depulsuros. Esse in Daciæ limitibus non spernendum, qui succurrat laboranti, exercitum: fidat modò regis procerumque verbis, nunquam fiduciæ illum periculum sensurū. Salutatis igitur coniuge, ac liberis, vnde venerit, eôdem se apto comitatu recipiat: loca infirma bene communiat, pecuniam victuiq; necessaria importet, defensoribus arcem compleat. Animus solicitus, ac dubius, quippe qui antea nullam obsidionem subsidio admisso cōmemorabat leuatam, quòd Beglerbekum honore deiectum, non tam facilè quemuis ad inchoatos reuersurū conatus, Losoncziumque irritandum opinari deberet: in metu alios fore maiori, si quid inimicè attentarint. His Stephanus demum persuasus, omnibus sibi carissimis posthabitis, rebus nonnihil familiariter compositis, in omnem euentum locum pristinū repetit, delibatum laudis & integræ famæ sensum nemini leuiter concessurus.

Vbi ad suos expectatus reuisit, qui vices absentis obierant, tanta omnes lætitia effusi plausum dederunt, vt se eius ductu fortunatos, auspiciisque nihil aduersi timere acclamarint: cumque eo non modò arcem sartam, tectamque præstituros, sed exigua manu quasuis copias intrepidè fusuros. Idcirco animis, & sententiis liberè collatis, à consilio veteranis quoque gregariis haud exclusis, quorum in manu iuxtà vim & consilium esse agnoscebat; infractos, debilitatosque impressionibus & glandibus locos arcis & oppidi reficit, tutiora à scalarum appensione, & irruptionibus cuncta efficit, quòd per captiuos ac exploratores alteram parari oppugnationem cognorat: præcipueq; Amhat Bassæ callidissimo, & vsu expeditionum commendato, omne negocium cōficiundum datum.

Expedito igitur Amhat (qui Beglerbekum per prætorianos in gratia Cæsaris reposuerat, sociū adsciuerat) duplicato fermè exercitu, æneis machinis non globos paruos euomentibus centum, muris concutiendis paratis duodecim, omni genere crudelitatis recta Temesuarum anhelat, cæde, ac libidine furenter, vt nostros percellat, sæuit. Pollicitus erat Solymanus, si necessitas exigat, submissurum promptè auxilium, nulli periculo parceret, nec instrumentis bellicis: non deesse sibi aliam manum, quæ Transsyluanas aliquid copias minitantes reprimant, per Valachiam se expeditè illas tardaturum, intraq; limites contenturum.

Die igitur Ioannis Baptistæ, Amhat Losonczium cupiditate malefaciendi euagatum intelligens, aduolat, obsidet omnes vias, exclusurum eius opem præsentem ab arce sperans, ad expugnandum se expedit: sed antè quàm castra ritè describit, vallos aggeresq; parat, eôdem Losonczius vesperi cum aliquot suis, fiducia causæ Christianę, mirabiliter in arcem subiit, allocutione nondum roboratos munit, singulisq; ad operas certas dispositis, impauidè tātis periculis se opponit: recenset diligenter socios: equites mille cum oppidanis numerati, pedites cum Hispanis & Boemis, aliisq;, mille & quingenti.

Castra Turcus ad meridiem sua locat, ad insidias opportunitates emetitur, moxque circumfudit exercitum. difficultatem haud contemnendam obiici situ, & insessis concipit: quòd Temesuarum, fluuio Temes è Poloniæ iugis ad extremum Daciæ percurrente, tripartitoque insulas veluttres efficiente, arcē cum oppido, aquaticóque præsidio, ne aqua cuniculis, aliáve auertatur arte, discludebat: fossis commodis, tribus extantibus porris, propugnaculis duobus immensis è terra excitatis, asylumque tutum præbentibus, negocium exhibiturum videretur. Hausto itaque furore, cupiditateque ambitionis obuersante, in mœnia

tormentis,perpetuisque ictibus insanit,omnem adeò reficiendi pertusa moram imbri gládium adimit,per quatriduum, vt ab ea regione magnum spacium aperuerit, mœniaque ad ruinam facilem concitarit. Qua eius vi continua, nostri insulam deserunt: casulas ex arce incendunt: hærendi, subeundique, ac tegendi se copiam eripiunt: quòd ex eo loco importuni esse poterant, ac facilè mœniis insultare,quomodo prohibere id paulo pòst nostri non potuere. Inde enim alteram arcis molem puluere ita quassarunt, tam pertinaciter & impunè vi omni institere, vt penè eam partem deiecerint, vltimumque discrimen importarint: Don Casparum eo loco exegerint:patefactoque spacio,scalis appositis, quiduis egerint, nec periculo temeritas vacabat, turbatique defensores nonnihil videbantur. Verùm pristino Casparus animo, cuius egregia facta nemo dignè breuiterque commemorarit:suos ad custodiam reducit,strenuè periculis obuiat,increpat,orat, nisi perseuerent salutem sociorũ tueri, ensem in ceruices se inhibiturum. Huius exhortatione milites, præter hostium opinionem, ita animati ad officium rediere,vt Nicopolis Satrapem, nõ sine dolore indignationeque Basiç, de medio sustulerint:mutuoque illi ictu,dum foramina Casparus sarcit, egregium propugnatorem conficiunt. Vtrinque ob amissos socios oboritur dolor, augetur Amhato, quòd destitutus nitro & globis esset: nostris, quòd fessis nec vires,nec pecunia,victusque suppeteret,diminutisq; tanto numero,difficillimam fore depugnandi rationem. Sed paulo pòst vtrosque spes subsidij collegit. Amhatus enim per Nattoliensem præfectum 1000.integros equites, materiam tormentis fatigandis acceperat: Losonczius,quia in tãtis curis fidum suum Stephanũ Deack emissum, oppidatim etiã Thomæ Varkocz opera aliquot milites, pecuniam imperatam,corrogatamque mira felicitate viderat importatam. Turca denuò operi instat, nullis parcit adminiculis,omnes vires in affectum conuertit locum,vt Losonczius in magnæ portæ eminentem,firmamque illam turrim se recipere sit coactus, iamque per multam intercapedinem nudatos milites ad constantiam diuina immortalitatisque spe suo exemplo, oratiunculaque animarit, inque labore demoratus sit. Inter alia confirmat, fessos ac pertæsos molestiarum hostes secessuros: non esse, quàm vnicam adhuc rabiem expectãdam: puluere mox destitutum,aut ad tempus certè ab insania dimotum iri. Superesse autem suo negocio Deum, cuius nomen indefessè tutarentur: qui in illo spem locarint, nunquã falsos: vnico cœlesti duce, multa millia data neci:nec deserere facilè suam causam solitum, ne gentes & inimici contumeliosè eis insultent, dicantque: Vbi est Deus eorum? peccare,qui plus Turcis adesse numina,quàm Christianis, putarent: vanam sequi opinionem, qui contra voluntatem Dei, quicquam tyrannos posse dictitent: admonitos esse vel vulgatis per conuiuia carminibus, fideles omni periculo mirandum in modum exemptos: si quando frustrati sint precibus, vitio id nostro accidisse, impatientisque moræ animo. Durarent ergo,nec cederent malis, sed contrà audentius irent. Quòd si aliqui imbecilliores,non corporis libertatem, vitamque sperarent, patriæ suisque saltem fortiter nauarent operam, nec remitterent: reposita esse his mundi illecebris apud Deum potiora longè præmia, nomen, reliquam memoriam facinoraq; pia iugiq; suffragatione culturam. Hisce illos, & similibus dictis erigit,solicitè omnia denuò procurat, in omnes partes curã partitur,stationes peruolitat:occisis viuos,fessis refectos substituit,omnes difficultates ad tricesimum & secundũ vsq; diem inuicti perferunt. Quo die obsidionis vniuersam molem, atq; minas in se cõcitatas dum negligunt, prompteq; impetus euibrãt, ludũtq;, turrim intermediam cõmeatui oppidanorũ in arcẽ inseruientẽ insessi amittunt, inque arcem profugiunt: hi penetrare insectando contentissimè operam dant: & parum superesse discriminis rati,vnica se adhuc impressione effecturũ, quod tantopere optarent, sibi persuadebant: nisi suorum, de quibus optimi quique perditũ ierant,nullam ducere vellent rationẽ,actaq; silentio conterere. Quamobrem subsistunt parũper:nimis magno arcem emptũ iri,si milites obiiciant: cogitantes,atque non ignari, Cæsari molestam accessuram, ingratamq; victoriam, quæ

quæ tanti constiterit: ad preces se, deditionemq; impetrandam conuertunt: copiosis omnis generis promissis aures cõplent: ad colloquium familiare, salutisq; plenum nostros inuitant, iusiurandum, diplomata, si dubitẽt, interposituros, cedant modò esse obstinati, præsentem occasum vita libertateq; permutent: clementiam oblatam ne spernant, effecturos tuta fide, vt eos cessionis nunquã pœniteat. Tot pollicitationibus oppidani dites facti, quòd satis factũ suo officio putarent, ad Losonczium intercedunt, orant, obsecrant, ducat sui, coniugumq; rationem: cùm præsertim omnium sit oculis testatum, hosti minimum ad potiendum rerum summa deesse, propositam sibi contrà liberaliter opinionem incolumitatis vitæ, bonorumq; , ac neminem iure industriam fortitudinemq; posthac illorum requisiturum, qui tot adhuc exantlassent labores: Turcam pactis, conuentisque in tutum se, suaque prosecuturum. Victus tot miserandorum ciuium improbis deniq; precibus heros, cùm præcipuè 700. globos non vanè in se immissos conspexisset: atque vnica se opprimi posse irruptione planè vidit. Nunquam ille Turcis obediisset, quos semper fuisse periuros sciebat: ni, vt dixi, oppidanorum misertus fuisset. Deditur arx, excessionis leges præscribuntur, vt rebus & sarcinis in currus elatis, inter eos medij oppidani, cæteri Turcis septi abirent. Progrediuntur ex ordine, vbi Losonczium adhuc recẽtem animo, nec vlla metus significatione aduentãtem offendunt, Amhat cum Beglerbeko eum ambit, complexum, stipatumq; obseruant, occasiones conditionum rumpendarum captant: eius fidum & carissimum Achatem Tomoreum, qui ensem prægrandem ad manus illi suggerere solitus erat, à tergo surripiunt. Quod Heros ægerrimè ferens, Punicéque secum ac dolo agi percipiens, excandescit, ad arma suos clamore obtestationéque reuocat: vim, plagiatumque admissum queritur, ac protinus erepta cuidam Turcæ sica incurua, Sanczacum principem cõiicit, vlterius cædem cumulaturus, ni armis caruisset: & ne quid amplius moliatur, aliquot vulneribus lethaliter accipitur. Iubetur ad Bassam reduci, vinciri: exprobratur illi violata fides, itidem non ita pridem à Christianis in Vlmanbeko factum, cuius abitionem præter promissa, cæde rapinisque morati sint. Contrà Heros, canes eos, fœdifragos, impios appellat: sibi constitisse quidem semper ipsorum fallacem leuitatem, sed parcere aliis deditione voluisse: atque si possit, declaraturum morte constantiam, & in eos summum odium, se nomen semper vitæ anteculisse: quidquid igitur in se statuerint, æquè subiturum. Non parũ eius minacibus verbis Amhatus commotus, & quia per tot vulnera eius vitæ spes exigua ostendebatur: abscindi è ceruice caput imperat: idque ab ossibus liberum, & palea repletum, pilóque affixum circumferri, moxque Constantinopolim triumphi in modum præmittit. Oppidani sese excusantes, futurisque operibus, agrorumque culturæ idonei, legitimè cum priuilegiis suis domum remittuntur: reliqui ab obsidione milites ad vnum miserè trucidati. Hic fuit magnanimi Losonczij, sociorumque, calamitosus quidem, at gloria perpetuitateque memorabilis exitus. Præcipui horum, Alphonsus Peresius Kys campo, qui erepto è cuiusdam Turcæ manibus Christiano, dum eundem perimit, in Chrysium amnem temere delapsus, aquis suffocatus erat. Adfuit & insignis Bathiani Farcas, Stanislaus Shiulok, Simon Forgach, iuuenis in excurrendo dexter, conuellendisque hostibus mirus artifex, qui adhuc superstes, fines custodia integra patriæ tuetur: & alij non minus fortes, familia, maiorumque agnatione clari, qui Losonczium extremè sunt secuti, pulchramque petiere per vulnera mortem. Ferdinandus tantæ cladis nuncio valde cum Castaldo, Bathoreoque territus, ingemuit, aperteque condoluit: nec tanti exempli oblitus, filias eiusdem Herois permissione omnium bonorum auget: nomen vetustissimæ familiæ masculæ vsurpandum, velut maribus, concedit: eámque conditionem in posteros eorundem producit, vt Losonczij posteri vel quouis alio genitore ex filiabus eius prognati appellentur, ne cum occidione optimi, & eius cognominis solius reliqui præclarissimi & inauditi Losonczij, propugnationis exemplum aboleri queat. Consecuta est hunc acerbum casum, Lippæ quoque

receptio, Quinqueecclesiarum ac Solimosij amissio: eodemq; anno infanda illa ad Palastum Erasmi Teufelij strages, de quibus aliàs verba faciemus.

EXPVGNATIO ARCIS TOKAY, M. D. LXV. ANNO, PER LAZARVM A SCHVENDE, &c. Sambuco authore.

10

QVVM Ioannis regis proles Turcica cum Ferdinãdo pace cõprehensus, in officio, nonnulla etiam affinitatis specula, persisteret: vix eiusdem pientissimi Cæsaris morte audita, suo ne, an maleuolorum consilio, data (vt quidam aiunt) non minima per præfectum Zathmariẽsem Melchiorem Balassam, infestandis Vaydæ pagis, decimisque vinearum præter morem & conuenta exigendis causa: dũ idem à custodia fuit absens, pacem violat: rebellesque Zathmarienses, accito Stephano Bathore de Somlyo, eius se ditioni asserunt. Vayda Bathoreum, quem ad hoc non impigrum est 20 ratus, quòd antea id oppidum eius fuisset, cum paucis opportunè submittit: atque ingentem Balassi thesaurum, quem ex Riuulis confecerat, vnà cum coniuge eius quatuor liberis concipit: non leui ad futuram obsidionem præsidio firmat, præsertim repertis istic munitionibus, ac tormentis nostrorum aptissimis. Causam Vayuodiani etiam non veriti obtendere, factumque excusare, nihil eos periurij admisisse, perfugam Balassi consiliorum suorum & arcanorũ præsidem, à Ferdinando iniquè, contráque decorum pacis ác leges receptum, indeque illum temerarium esse, odium è vicinia effundere in suos solitum, ad frequentes querelas, nihil remedij factum. Hinc non speratum ciuile incendiũ, hoc diuortio inter optimum & constantiss. Imperatorem Maximilianum, & Transsylua- 30 num extitit: iusteque ille motus, iam triennium ferè vindictã tanto sceptro congruam, non absque magnis, & aliò conuertendis potius (ni causa & maiestas cogerent) sumptibus, duce Lazaro à Schuende, persequitur. Valde insolens fuit Maximiliano, de capto Zathmar, nuncius: nec id à Vayda potuisset vnquã sperare, vt tot beneficiis affectus, patrocinio nõ leui apud Ferdinandum parentem semper à se commendatus, & sæpe excusatus, hanc patrono gratiã referret. Luctus publicus erat, nondum cadauer bene refrixerat, curarum moles intolerabilis: de pecunia pacta, mittendaque Constantinopolim varia grauisque deliberatio: de componendis imperij negotiis, comitiisq; ex more edicendis, cogitatio: fratrum quoque ex testamento (quæ lenissimè & facillimè inter sanctè edu- 40 catos & dicto semper audientissimos fuit) compositio: sororum nondum matrimonia conclusa, & alia incumbebant: cùm ille iniuria publicè prouocare incepit, ac omnibus conatibus tãto Cæsari, per occupationes aliquam notam labem aspergere. Sed non inermem, nec imparatum inuenit: nec senatus eius, quem iniquè, nulloque suo merito irritarunt, bene expendit. Itaq; cùm præfectus huic vlciscendæ iniuriæ, belloque ducendo idoneus, præ cæteris, Schuendius duceretur: hunc Cæsar, consensu regis Philippi, euocat, negotij reiq; prosperè citóq; gerendæ omnem molem imponit: & quò minus is de nondum visis regionibus, nec de insuetis sibi Vngaris dubitaret, addit Andream Bathoreum, cuius laudes cuiusuis veterum præconia superant: itemque Melchiorem Balassam, gnarũ, & 50 in aduersariorum rebus diu versatum; tertium Gabrielem Perennium, qui fidus in omnibus, & copiosus fuit comes. Exercitum sine mora Lazarus Germanum, non mediocrem, in Scepusiensem agrum deducit, augetur is Vngarorum fortissimorum numero, è præsidiis quoque euocato. Et quia Tokay arx natura, arte, & in Transsyluaniam aditu commodo, firmissima potissimum obiiciebatur, brumæque

mæque vis vrgebat celeritatem; neglectis aliis leuioribus in itinere castellis, hâc vt Schuende aggrediatur, à Balassa & aliis persuadetur: cuius hîc breuissimè subiicio auspicatam, & subitam expugnationem. Pridie igitur Cal. Feb. M V L X V. nomine Maximiliani secundi, præfectus rei summæ Schuendius, mentis consiliorumque Cæsaris bellicorum intimè conscius, adeoque summus in Vaydam iniuriæ vlciscendæ, damnique dati imperator, Franciscum Popendorfium cum tormentis, aliisque militiæ adminiculis necessariis, quibus is præerat, addito illi in tutum peditum signo, Cassouia in oppidum Guncz præmittit: vbi ipsum cùm vniuerso exercitu commodè opperiatur. Itaque Calend. Febr. Schuendius
10 cum turmis equitum, peditibusq; diuina sese spe cōmouet: eodemq; die Guntzium peruenit: postero, vt expeditiores, & coniuncti omnes ad obsidionē proficiscerentur, ibidem substitit. Tertio die vniuersæ copiæ Tokay versus promouent: proximeq; sequenti, ad agrum, & arcem, vt fit, præmissis velitibus Vngaris, & Germanis ad explorandum, ac malè habendum dimittit: ac vt pro arce oppidulum Kerestur, ad commoditatem rei gerendæ, & acerrimum frigus a militibus ferè nudis arcendum, præriperent, in mandatis omnia peruestigantibus, & peruolitantibus Lazarus dedit. Quod nostrorum consilium etsi Tokayenses impedire suo præsidio aliquoties, & oppidulū pro arce flamma corrumpere fuerint adnisi: re tamen vix tentata, fortiter à nostris, & non sine illorum cęde, ad portas
20 nostris vsq; insequentibus, fuere repulsi: eoq; oppidulo obtento, facilius se ad expugnandi rationes instruxerunt. Nocte, propter fluuium Bodrog, aggere eiecto, tribus ad infestādas luto obductas sepes, æneis aptè inductis, die quinto defensacula, & turres, vbi præcipua propugnandi supellex hostium extabat; decutere nostri vehementer ceperunt: atq; oppositis propius nostris propugnaculis, eosdem diuexare. Ea ipsa luce in colliculo ad Bodrog, duobus extructis è terra molibus, inuectisq; machinis quatuor ingentibus, in nudatorum stationes glandibus iteratis, tutiore hostem loco deturbant. Postero die, ad eundem fluuiū omni opera vallisq; se nostri præmunire pergunt: verùm ob vim hyemis terra ad opus importuna, fossorumq; penuria minimum proficiebatur: infracto tamen,
30 & labore pertinaci ampliatis aggeribus, machinæ imponuntur, cæcumq;, ac insidiis promptum contra arcem fit munimentū. Sexta eiusdem mensis, nocte intempesta, inter Tibiscū, & Bodrog, alius excitatur vallus, cui maximis tormentis cauetur: hocq; opere prior agger dilatatus ea ratione fuit, vt quinque muralibus mane sequenti arcem fatigare potuerint, illamq; substructionem, & ad Bodrog molem productam minacemq;, qua præcipuè spem impunitatis alebant hostes, nostri duobus è locis totum diem, cuniculisq; subiectis, deiecerunt: eadem via scalis & incursioni aditus communitus ita est, vt eadem fortassis, vel insequente die, modò niuium perpetua iniuria, ventoq; inimico non fuissent prohibiti, in ipsam arcem euasissent. Vltra Tibiscū seorsim Balassa egesto tumulo, sibi prospe-
40 xerat: aditusq; omnes, & vias, equitibus Vngaricis, Vaydonibusq; insederat: sed duabus tantū mediocribus serpentariis obsidionē premere, iuuareq; potuit: nec verò Gabriel Perenius, cōmoditate riuuli, è Bodrog circum Tokay à Nemethio circūfusi, cessauit, variisq; inuentis fidelē, expeditamq; operam cōtulit. Nona & decima Febr. cùm obsessi vndiq; grauiter solicitarētur, insignis illa & vasta, proruptaq; moles procūbit, hianteq; magno loco, ad inuolandū, qui nō putarant alterā esse in recessu arcem, nostris animus datus: remq; non sine cæde sua, paruo emolumēto, vrserunt: dū, cuius auspicio antè omnia debebant moliri, Schuēdius arcanò militē in fossas tutumq; reuocauit, inq; stationes pristinas redegit: quòd præpropera festinatione peditū ea irruptio infausta, cruentaque acciderit; dum
50 aliter, quàm dux præmeditatus cum mora erat, iusseratq;, mœnia inuaserant. Decimo die, à meridie hora secūda, quia vniuersam fortassis oppugnationem, vimque extremam adactum iri Nemethius gener Emerici Balassa veritus est, qui arcem alieno iure, tutelæq; à Scherediis nomine, propriā vsurparat, cumq; pręsidio tenebat, ad Schuendium supplex mittit, orat, à tanta deniq; vi, furoreq; desinat, spaciū de deditione, compositioneq; cogitandi permittat: sed conditionibus

id nullis, nec temporis mentione, quamdiu consultare velit, additis expressisve. Sed Schuendius Christiani sanguinis & commiserationis memor, ad solis vsq; obitum spacium concludendi concedit: sed cùm dilato responso, fraudulenter, non animo pacificãdi, secum agi videret, nostri repetito auxilio cælesti, summis conatibus impressionem fecerunt: maximéque munitam, insanamque struem illam, terráque ingesta molem, vnde acerbissimè resistebatur, vnà cum tormentario apparatu eripuit, inque abditam arcem, quæ fossis, aqua, parietibusq; cingebatur æquatis, superstites à strage depulerunt. Quem in receptum etsi propugnator eo cõsilio cum reliquiis se corripuerat, vt nostris, quomodo cœperat, negotium lethale facesseret: eiusq; animi omnibus è fastigiis, & foraminibus, palàm, serioque, haud sine nostrorum sanguine, ediderat indicium: cõsiderata tamen victoria, successuque nostrorum recenti, qui exteriorem arcem cum machinis occupatam tenebant: eademque subsidia contra se obiecta, compositaq; videret, præsertim eadẽ nocte muris, sine interuallo verberatis, cunctis in se adminiculis conuersis, turrique demoliendæ comparatis: denique hostes, vocem precibus mixtam (quòd propositum tenere nequirent) extulere, cœpto supersederent, colloquium nostri admitterent obsecrant, esse quod scilicet illis aperire velint, nec ingratum nuncium afferre. Quo illis à Schuendio dato, aliquot egressi, præfecti sui Nemethij mortem significant: sclopeti vulnere secundum tempora accepto, pridie nunciant confectum, idcirco se diutius neq; posse, nec velle esse pertinaces, & si pactis mediocribus possint, ab armis & defensione desisterent, deditionique locum relinquerent. Ibi Lazarus, ad summam, cum illis transigit: licere hostibus solo gladio accinctis, aliáque omni supellectili bonisq; relictis, excedere. Quam victi accepere legem: insuper eorum additum precibus, licere illis herum suum, quò vellent, ad sepeliendum deportare. Excedunt igitur ad CCCL. sed magna parte vulnerati, sacramento, religionéque non violanda obstricti: ne per id bellum, aduersum Cæsarem vllo modo & prætextu stipendia facere ausint. Atque ita Tokay à Ferdinando antea bis, nunc Maximiliano tertiò receptum, præsidio frequenti, necessariisq; impositis, ingenti omnium ad vsum parandorum ibidem copia reperta, tenetur, nec vllas trans Tibiscũ minas horret: quòd firmissimum sit propugnaculum, expeditumq; in Transsyluaniæ fines cõmeatum præbens: eáque loci natura, vt aquarum inundatione, hoc est, Tibisci Bodrogiiq; confluente circumplexa, facilè vim, insidiasq; externas auertere omnes possit. Nec sanè vnquam antea ita instructa ad resistendum, nec tam valida oppugnatione (singulari Dei beneficio, primisq; Cæsaris huius belli auspiciis secundissimis) atque nunc fuit recuperata. Siquidem Zathmarum hostis sibi metuens, deseruit: paulò pòst Erdod quoque, per Georgium Bathoreum vix hostiliter tentatum, viis, & aditu impedito, receptum est: & progressus, nisi vana spe de pace à Vayda per Stephanum Bathoreum legatione allata (dum ad maiores sese apparatus in nostros fortassis confirmarent) facillimi in Transsyluaniam patuissent. Huius omnis victoriæ, aliorumq; honor, gratesq; Deo Opt. Max. debentur perpetuæ: quo sine, euentus omnes sunt infelices.

CHRISTIA-

CHRISTIANO LECTORI SAMBVCVS.

Maximillianus secundus omnium curarum orbe absoluto, stadio meta sudante inoffensè decurso: sed fatali septimana vix detrita, exsertaq́; cœlesti nitori, atq; integritati est restitutus. Exiguam hanc humum, & conditionis præstantiam, quisquis est, vndecunq; veniat, nemo inuideat, aut ritè æmuletur: vti indeptus, eodem domicilio genialiter habeatur. Quod ipsum, nisi priuilegio, ac præiudicio Christi, nemini adhuc quidē contigit. Abi, vale, & hoc diuorticulo nil tibi periisse scito: Manibusq́; hisce piè animo, linguáve faueto.

IN MOERORE FVNERIS D. MAXIMILIANI II. LAVDATIVNCVLA, SAMBVCO AVTORE.

QVA vos expectatione, acerbo in munere diligentia, lachrumis, squalore, pullis ipso territo sole, concurrisse video, Auditores: non illo Atheniensium miniato funiculo ad concionem agente, opus animaduerto: quo item ipse languore animi, luctu, singultibus, ac orationis tenuitate ad hûc me locum comparatum sentio: Equidem dubito, qui præcipuarum virtutum, rerumque gestarum in primis conscij adestis, num vos consoler, an ex studio, vestráque in demortuum obseruãtia, ipse leuationem petam, qui extra compedes vniuersi casus, vos vt ad fortitudinem & constantiam reuocarem, haud cum Prometheo sim constitutus. Sed vtrumque, præsenti ope cælesti, efficiam, vt & immortali Principi extremum officium, qui ex oculis, non mente, aut memoria effugit, præstemus, & verò nos homines, quibus nihil insolens acciderit, esse meminerimus. Cùm præsertim, quem reposcimus, non amiserimus, cum filio regnum permutarit, quo superstite, res omnium sint saluæ futuræ. Equidem scio fore innumeros, copia, ornatu, gratia rebus idoneis narratione instructa paratos, qui ad exhauriendum præconiis nunquam, facilem Heroa, sint ad posteros conseruaturi: Veruntamen nostri quoque munusculi esse duxi, oloribus, ac luscinijs quiddam miscere, quod vobis gratum potius, quàm graue futurum confido. Si quos igitur non audiuimus modò, aut ipsi vidimus, sed perspecta sensuum testatione, aliquando sumus complexi: si fortè iidem loci aut temporis interuallo discedant, suiq; desiderium afferant; vitam acerbam, nisi consuetudini se, nobisque fruendos quamprimum reddant, efficiunt: quid doloris ac perturbationis non crearint, si non ad paucos dies, horasq; semigrarint, sed quasi perpetuò erepti videantur? Catellas, simias, passerculos in deliciis habitos adfectè requirimus; parentes, cognatos ista diremptos societate, ad horulæ adspectum totis thesauris depaciscimur: quid Maximil. obitu, illi optato, nobis calamitoso facias? vt planctibus modereris? profectò, nullum penè lachrimis modum descripseris, qui filium, patrem, generum, pronepotẽ Cæsarum, ipsum Cæsarem, secundum Deum, custodem pietatis, autorem pacis, virtutũ speciem, exemplum antiquæ constantiæ, moderationis, clementiæ, hac præsertim orbis tristi facie, spectaculo regionum horrendo, amiseris: vt non abs re Fridericus Elector Palatinus, accepto fatali ad mensam eius nuncio, dixerit, Magnum, prudentem nos Dominum amisisse, multa rem Christianorum passuram; ipseq; aliquot pòst diebus, hydrope sit consecutus. Est quidem humana potestas incerta, καὶ θρόνος ὀφρὺς ὀνείρων: Sed quæ ista pietate, consiliis, temperatione nititur, omnium salute distenta, aliis, non sibi vixerit, non quenquam offenderit, beneficiis obstrictos indies cumularit, exteros, ac immerentes clementia prouocarit, iniuria neminem lacessiuerit, datam fidem vel hostibus seruarit, immites placandi, leniendi duros, insontes fouendi, latrocinia, fraudes, turpes quęstus castigandi, ad modum quędam exigendi, artem tenuerit, de animis anticipatam opinionem leuare non facilè tentarit: talem, inquam, tantumque orbis decus à communione vsitata excitum, quis, nisi stipes, vel cœlo deripere, si possit, non tentarit? Nõ ego debitum fati accuso, si certum petatur, quis recuset? Sed nostra Cæsarem causa superesse velim: quo vix melior est successurus, potẽtior forsan potest. Qui morti aliquid incommodi subesse docuerunt, hactenus, nõ futurorum conscientia, id illi autumabant, exteriorum, ac præsentium amore dolorem testabantur, vim fati, quod etiam difficultatibus expediret, haud metuendum censuere. Rectè illi quidem, cum hoc: ad felicitatem meliora, & gloriam ista compage, hospitióve carnis relicto, bonis reseruari, hominumque satus cum fœnore redditum iri,

istaque

istaque piaculatione terræ occasus etiam oriri. Hæc ad mitigandos dolores antiquitas nisi piis restaret, non luctus feralia, insanæ procurationes iusta conficerent; Sed vita passim temerè profusa tanti Monarchæ desiderium vix repræsentaret, minus compensaret. Quippe, si caducorum spe, gloriolæ tenuiculo sensu vetustas suis monumēta picta, sculpta, fusa, pilas, sepulchra, obeliscos, pyramides, colossos erexit: cur nos minus pientissimi Cæsaris obitu cōmoueamur, non ad aurea secula expostulemus? qui, nimirum, fidem coluit, omnium ocio consuluit, nullius offensione quicquam instituit, præter decorum & vires, nihil vrsit, nulli hominum imperio Dei statuta posthabenda voluerit, qui scierit, vim diuinam nulla ætate, aut præiudicio posse confici: cur tanto subsidio orbati, non quiddam grauius præcipiamus? Quare importunam mortem nostra voluntate iudicioque malum accersitum, dolere cogimur: sed tamen diuinis oraculis aduersatia est moderanda, ne hominum ergò in Deum simus contumeliosi: sic omnis generis cultus in eum congeramus, vt rediturum speremus, & à diuinis abstineamus. Lux hæc plena est acerbitatum, sæpe à cursu honorum opúmve excutit, vt vires colligamus, ista interquiete opus est, ideo nox εὐφρόνη dicta fuit, leuatio quædam molestiarum. Sed nec omnes casus, etiamsi acerbè conuulnerent, ad iram Dei extremam sunt accipiendi, non ad singula fulgura ictus consequuntur: quando adsit RODOLPHVS, quem suo loco parens, sedeque locarit, qui, quod nobis expedierit, suppeditabit: vt, si commodi nostri tantum gratia Maximilianum humi statuendum putemus, ipsam gratiam deseramus, consilio futura non emetiente insistamus, si pristina conditione sanctè meritum efflagitemus, quòd ille æs reliquum exoluerit, ergastulo, in quo optimis etiam rebus solicitudo adiiciatur, tempestiuè euaserit, contagem copulatorum, cognationemq́ purgatiorem sit recepturus, familiaritatibus beatorum triumphet, auos, & proauos longa serie complexus, recenseat, ima secretus horreat, vobis meliora comprecetur. Quid enim vel Epicurei cum Empedocleis è Schola sua prodidere? Quid illi Gymnosophistæ, qui plures superstites in vita, quàm mortuos, rogati, responderunt, quia mortui quoque viuerent? &, hominum genere nihil robustius dixerunt, quòd algere tantum, ferreque cogerentur, ac possint? Tædet hîc barbara & Romana exempla in serundis accidentibus fortia recitare; piget Siculi poetæ, similiumque narrare factum, qui saniora, & ad diuinitatem propriora nouimus. Nemo quidem tam præsenti, fateor, ad pericula animo, aut inexpugnato fuit, quin intactus horruerit, vtcunque Sophorum clamores suam constantiam iactarint: sed vbi compedibus expediti, in summum illud Capitolium euadimus: cur nos doloribus abiiciamus? cur ad sanctorum integrum senatum non euoles? quod ipsum sanctissimo nostro Imperatori nunc vsu venisse quis in contentionem vocarit? Cum verò istud Maiestatis nomen auditis, quantum Heroa intelligitis vsurpari, auditores? quibus dotibus eximium caput? quantum honorum domicilium? spem indigorum, moderatæ pietatis asylum, historiarum pectus, amplam scribendi segetem, materiamque oblatam? in quo fortitudinis, clementiæ, magnificentiæ, sapientiæ, eloquentiæ sedes, literarum ornamentum eluxerit? qui morbos spreuerit, his naturæ angustiis non contentus, immortalitatis amore flagrarit, insultantes sibi colluctantesque anhelitus strenuè tractarit, mortem, vt somnum acceperit? De quo me pauca narraturum, obsecro, audiatis.

Quis Imperatorum, maximis vulgò dissidiis rempub. conuellentibus, si modò ætatum factis, non tantùm annis summam facias, domi & foris inimicè accensis, cunctam extremo furore labem minitantibus, ne in perniciem excederent, promptius cauit, dubia firmius constituit? Quis tot molestiis, atque artibus, senatu in omnes partes scitè versato, à subditis iugum & cædem, ab agris vastitatem, flammas à tectis auertit, omnibus salutarius consuluit? pacata contractaque religionis libertate, ne quid posteritas detrimenti caperet, ecquis accuratius præstitit? Rodolpho filio, breui tot regnorum potestate muni-

to, prouidit? Seriò, & castè educatus, literisque non modò istis humaniotibus, sed etiam acroamaticis, & epopticis mediocriter tinctus (qui doctos non minus, quàm Aristonem Iulius, Pomp. Cratippum, Mæcenatem Augustus, vt bene imperaret, nec regeret modò, sed fines augeret, in pretio duxit) ad alta se totum contulit, omnium oculos, & suffragia in se nutusque regios corripuit, vel inuidos comitate vicit, vndique beneuolentiam contraxit, humanitate in amore, suique reuerentia aluit, frequenti congressu, & sermonibus quiduis impetrauit, cum remotissimis amicitiam Borealibus, societatemque, proaui & patris exemplo, pepigit, vnius vel ordine, Senatuque Principis importunitatem, plurium mediocrium modestiæ posthabuit. Ianum Cobentzelium Equitem 10 ordinis Teutonici, ad Moscum allegauit, itáque subitò cōcepit, vt ille Ransponam vsque suos remiserit, omni genere munusculorum honorarit, in frattum numero deposuerit. Anglicum connubium pro fratre Carolo ea magnificentia, conditionumque temperie inchoarat, vt vani euentus Elizabetham valde pœnituerit, ad Bauaricas nuptias discessum non obscure questa doluerit. Sororis Reginæ Poloniam linquentis, vices quàm fortiter, iniurias cum prioris sororis morte coniunctas tulerit, sitque interpretatus, presso alto dolore vicerit, omnes norunt. Antiquitatis porrò memoriam, ac literatos ita habuit, vt quid vellet, posset, eisque deferret, Bibliotheca nobili, marmoribus, signis, picturis, docuerit: quantum substructionum artificio & iudicio valeret, raris inuentis, 20 magnificè ostenderit: passim ædificauit, hortos variè, adque normam veterum consitos, parauit, vt nec Marcum Philosophum, nec Ptolemæos, Hadrianum, non Valesios adoptaris. Adultior, bello Saxonico (quod ab hostibus nescio an fugacius, an abs Carolo v. audacius iniquo numero gestum est. certè maiori periculo, quàm exercitus damno, per vada transitu opportuno, euasit) cum patruo, & parente, quę ille pericula subterfugit? quis infestius sese hostibus obiectauit? quis interim suis nocte dilapsis, somnoque stratis, equi lapsu eidem iniectus, recurrit, vt pyrobolis ictibus ad Inglstadium penè conceptus, fortissimi Ductoris palàm documenta extulerit, ad patrem in Saxoniam? Cur autem equis ad celeritatem concitatis, à patruo se subduxerit, & quasi retractus, cunctа 30 exhilararit, varia est memoria. In Hispanias accitus pro Rege quos ille animos & autoritatem biennio omisit? Regno, fisciq; Senatui præfectus an quid neglexit? quibus venatib. periculosis nō se robotauit? vt discessum cū Maria cōiuge, Caroli filia, multis externis Regibus expetita, negataq; moderatus sit, piratarū insidias, Gallicas in Insubribus allatrationes virtutis recta via grassaturus, comitatu equitum Pannonicorū eluserit, vt eodem tempore semisomnes flamma haustos, vinoq; sepultos, riserit, recens est narratio. In Austria quoque olim aulico imperij Senatui præfectus, quid non sapienter discreuit? mansuetè quæsiuit, vtiliter non definiuit? absque vllo gratiæ morbo, non impetrauit, admiratione patris statuit?

Quis, per Deum, suplex iuuentutis adhuc Principem, mox Bohemis Regem 40 datū, adiit, quin lætior abierit? quis prolixius omniū accessibus patuit? quem illa frontis serenitas, adlocutio, dextra porrecta, sermonis vbertas, in consilijs promptitudo extra se non locauit? Quis Pontificum, Ducum congressus, aut interpretum, allegatorúmve salutauit, negotiatus cū eo est: quin eximiam linguarum copiam benignè quærendi, explorandi, respondendiq; modum, rationum conclusiones non stupuerit? leporem, oris alacritatem, intelligendi vim præstantem, inuestigandi acumen, rerum consequentium intelligentiam, artiumque illud vinculum (encyclion) historias, iudicium antiquitatis, de Dei excellentia pios sensus non affectârit? ad amandum subacti dominio suo excluserunt? Ecquis, inquam, Austriæ domui ampliores amicitias, affinitatesq; adquisiuit, No- 50 bilitatem frequentauit, patriam Viennam opibus, aulam cliētelis, & exterorum concursu, obediētia, in fidem Imperij submissione, Gymnasia eruditis certius euexit? Iam qua cōmodetatione offensiúculas tulerit, aliorū errores, impotētiam locò dissimularit, modificatus est, vt amor tamē semp extaret, vix iliade pertexuerim. Quantopere in subiectos, & ob religionē mutatā sæuientes, dehortatus sit,

inter-

interuentu suo rogos quorundam sopierit, omni vita sua prætulit. Nemo, præter Albertum V. nunc Rodolphum II. tot simul diademata accepit, minus feliciùs suis tradidit, qui M. D. XLVII. Rex Boemis collatus, eius insignia, & Romana LXII. itidem sustinuit, anno insequente à Pannoniis Rex nominatus, etiam corona enituit.

Quæ tum illa cælo vbertas erat, quæ blandimenta, quis regnorum, Principumque concursus, qui applausus omnium ordinum, vt penè modum tot celebritatibus sessus expetiuerit? A morte nunquam satis laudati parentis, orbis præcepto studio, in reip. quietem totus, animo nunquam territo, crebris Comitiis in Vngariæ salutem, libertatemque apertè incubuit; ab eo scopo non somnus, venatus, vxor, liberi, fratres, non vlla impedimenta demouerunt, non apparatus fregerunt, vel exhauserunt; vt insontum animas à iugo & laqueis Turcæ auerteret, occupatas laxaret, prorsusque eliberaret. Si omnem vetustatem cogas, memoriamque replices, qui vno impetu fulmineo, noxia, domique nata studia sustulerit, vicinorum flammas restinxerit, vindictæ graui pepercerit, vix repereris. Quid enim ductu Schwendij memorabilis, cati, ordinatique ductoris, contra Dacum, eiusque sequaces, pro dominio spiritus iactantes, non edidit? vt Turcæ subsidia Tartarorum immanitate firmata, & infestissima nobilitati, Bebeci, Nemethij perfidia aucta, obtriuerit, & conculcarit, latrociniorum mansionibus raptim eiecit, Tokaij, Zakmar, & alia in potestatem redegerit, vel aniculis, & lippis ad lyram concinentibus, haud obscurum est. Quibus quidem diuortiis, si Lazarus Heros, militum manus continens, nec Aurelianis regulis mitius tractans, id temporis distentus non fuisset, vnaque cum Saxonico, & Boemorum equitatu, per factiosos impedito, ad Zigethi obsidionem aduolasset, Solimanni consilium eo euentu fortassis egregiè fuisset frustratum: nihilominus tamen nec corpusculi parum solidi Cæsar, non sumptuum memor, hostium insana castra dissoluit, sexaginta M. ad Bregetium occursu, Albæ præfecto per Thurium intercepto, Tyranni minas non sustinuit modò, spemque extraxit; sed mentem, animamque eripuit. Si Christiana coniunctio odiis non laboraret, Turcarum impetus vanos semper in nos fore, illa ipsa cunctatione manifestè declarauit, eaque efficacitate, vt tertium ab eo Byzantij Dominum verbis, & quibusdam munusculis attinuerit; non æquore sicco, sed vdo tentare fortunam illi deinde maluerint, exitio classis extremo: fidem tamen Maximilianus illæsam, omni opportunitati rei gerendæ, vel Selymi admiratione, prætulit; nec illigari se classicæ societati vnquam est passus, hucque illud suum, DEVS PROVIDEBIT, semper spectasse affirmauit. Non eo inficias, constantia religionis violata, quosdam molliculos inuentos, stipendia in splendore, non baltheis gerentes; quorũ vitio aliquot loca in Vngaria turpiter sint prodita, munitiones, arces manu situque tutas effractas, heris & custodibus eiectis perditas: sed nulla Cæs. culpa. & quis eosdem fortunæ successus vnquam obtinuit, nisi νεκρὸς, non etiam labem & offensiones expertus est? Cyprus Venetis adempta est, contra pacta seruitus denunciata, pleræque prouinciæ vexatæ. Melita quid non passa, licet meliore exitu? Dissidium mari copulatorum quid Goletæ, Africæque litoribus perniciei non attulit? Temeritate Bekessij, Budensis Bassa commotus, num quid non Balassio ad Nouizolium aliquot arces ademit? Austriacam multitudinem, insperata molitio, nonne ita trepidatione corripuit, vt Cæsar Pragæ ad tristem, subitumque nuncium, vix lachrimas inhibuerit, commiseratione turbas sit prosecutus? Et culpam in Principes omnem conferemus? quasi ab euentis, causæ integritas sit semper extimanda? De Giula, & Zigetho, vtroque paucorum interuallo dierum erepto, variæ sunt voces: sed in Imp. nulla hæsit mora, non Maiestatem tuendi ille vias seposuit. Vtinam, vtinam, auditores, Kereczenius datæ fidei meminisset, spemque munificentia Cæsaris elatam, sustinuisset, Magoczij rationes & prudentiam sibi defensionique proposuisset. Vtinam Comiti Zerinio citius auxilia subuenissent, non, me hercle, So-

limanum cani astutię suæ, non insolens vigiliarum molestia, minus vndique excitæ vires, non summa vi tormentorum oppugnatio iuuissent, vel melius, si pulnis nitratus infessos non defecisset, vel decussis, patefactis, hiantibusque propugnaculis, tantisper Comes furorem sustinuisset dum potenti nostro exercitu præsens Maximilianus periculum submouisset. Profectò ea consilia, excubiæ, manus depugnantium, auspicio Zerinij impositorum valuere, vt Barbarus ea mora nil impotentius tulerit, locum illimi situ, sed robore lacertorum musculorumque humanorum repletum, vita redemerit, dedecore suorum Vngariam reliquerit, vlterius cautè nil molitus sit. Ibi enim tum ne momentum infestis castris Zerinius Heros interquieuit, à norma fortitudinis nil remisit, infinitè circumiectorum custodiam eruptionibus turbauit, tormentorum verberantium vi latera, & summa cratium & exaggerationum disiecit, non exiguo numero rasos diminuit. Verùm enimuero, vt Zygethi negotium grauaret Solimanus, non pauca ipsum ad comprimendum infestius reddiderant: nimirum antea vanè iterata eius circumsessio, Melitensium oppugnatione infamia suscepta, Palothæ per Georgium Thury Pannonium, heroa nunquam aduersis commotum, alterum fulmen Achileum, strenua defensio. Et, si addendum liberius est, solicitatione Reguli Transyluaniæ, patrem imitati, qui Turcæ obuiam se comitatu & donis emiserat, è tutela vti liberaret, Solymanus tam hostiliter in Vngariam sæuit: non Maximiliani huius conatibus, & quòd à paternis fœderibus recessurus videbatur, senium extremum, & cunctam vim Zygethi aris, sacrisque victimam extulerat: quod ipsum Georgius Hozzutothij, nobilitate & Senatu fisci Posoniensis clarum, eiusdem Tyranni in ipsa via minas leniturum, deprehendisse, quidam confirmarunt. Sed si ipsi nos amaremus, fateremur ni fallor, Giulæ & Zygethi iacturam, Solimani castris solutis, vitaque eius istic producta, non minima parte compensatam. Dum præter spem & auditum antea exemplum, nil barbaris metuentibus, Comes Eccius Salmensis: Iaurini indefessus custos, Vesprimiū cum Tata, insidiis loca instructissima, celeriter cum Thurio recuperauit, infinitos agros nobilissimæ fertilitatis, non paucis effusè vastatis, auertit, vt deinceps speculas suas & consilia solicitius institueret, à vicinia Machmetani cauerent, digna laude perfecerit. Inter hoc ipsum curriculum, rebus ad sententiam Cæsari planè succurrentibus; tamen non defuit quorundam beneficiariorum maleuolentia, qui siue odio, siue aliis morbis nouandi, Maiestatem minuere Principis, seditionibus coniurare, libertatem communem adfligere, cunctorum studia nobis dedita subtrahere, inque calamitates vertere sint conati. Sed illi, authore Deo, ac iusto vindice, flammas in tecta aliena subiectas, mox sinu proprio concepere, triumphis à Cæsare ductis, inhibitisque vinclis, agnoscere facinus, ac profiteri sunt coacti. Commodùm Opt. Princeps è periculis, æreque circumforaneo in vsum reipub. profuso, se collegerat, cùm ecce ab sociis classicis, victoria mari illustri parta, solicitatur, eius vti fœderis caput, Duxque foret: legatione splendida Cardinalis Comendonus Viennæ rem prolixè ornat: Sed Imperator animo puro, nullo periurij næuo oblito, valetudine dubia, &, quod facilius bella cogitare, quàm gerere sitratus, non est adsensus, deliberatione sana, pluribusque exemplis antegressis, opus produxit. Credo, quod ex regulis militiæ didicerat, aliorum pollicitis ac neruis bella non conseiscenda, sæpe vrbem libertatis perditam, dum castella defenderentur, ignorationem causarum in rebus nouis initio mirationem vulgò facere; sed malum in suos, nisi manifesta victoria, haud leuiter deriuandum, sanctitatem fœderis offensiunculis dissolui testabatur, fortasse carissimos quoque liberos ille respexit, quorum animos domesticis vnire studiis, non remotis incertisque distractos voluit, audaciam temeritatis, prudentiam moræ officinam ratus. In summa tranquillitate, spiritibus Byzantinis remora obiecta, inque

octo

octo annos pacatis furoribus, ecce Poloniæ ſceptrum, Baronum, Litauorumq́; ſumma contentione, ſuffragiorum applauſu ſubiectè offertur. Quod quidem ipſum Cæſar primò ſuo iudicio recuſauit, pòſt, importunitate victus, ſpe de Erneſto præbita, ſuſcepit, mutuoque iureiurando re confecta, Stephanus Bathorius cliens, ac pro Rege Daciam obtinens, nobilitate, & opibus auitis non vulgaris, ſe ingerit, inque Coronam artibus factioſorum, & celeritate opeque diuina, vt putat, inuolat. Quod factum Princeps meliorum expectatione, & quòd Ratiſponam cogitabat, tacitè haberi diſſimulatione, dumq́; rediret, pat: ſtatuerat, magis quid iſto loco dignum foret, quàm quid in tales fieri iure poſſit, meditatus. Certè à vi cùm ipſe abſtinuit, tum, qui clientis audaciam mirabantur, graui equitatu, & expeditis copiis fines Sarmaticos inſederant, ab cæde abduxit, non defore ratus occaſionem, qua mutati conſilij cõſcios, facti pœniteret, adeóque plebis commiſeratione turbulentis ad ſanitatem receptum, tempusque adiecit: alioqui non pauciores vno die Polonos per Germanos concidi potuiſſe, quàm illi Vladiſlaum Jagellonem vna clade Teuthonum hauſiſſe gloriatur, quis diffiteatur? Quocirca Tiberij Auguſtam profecturus, quo de perpetuo ſubſidio ad fines Vngariæ muniendos conficeret, diuturna podagra, & à nephritide vix dum receptis viribus, antea vix lecticæ agitationem præ morbi grauitate admittens, Vienna ſe commouit: cùm Strubingam perueniſſet, aliquot diebus iſtic ſubſiſtere cogitur, calculum exigit; cui malo cauſam vſus etiam fructuum horariorum ac piſcium longo tempore intermiſſus, præbere forſan potuit: mox Comitiorum loco, Cardinale Morono eius aduentum præſtolante, adplicuit. Vbi non leuibus vigiliis exercitus, & quia iniquius negotium quidam ſua cunctatione eleuare velle viſi ſunt, cõuiuarum hilaritate gelidius hauſiſſe dicitur; eam ad rem ſubitò pugna inteſtinorum orta, ad lectulum feſtinaſſe, quibus ſudorum meatus paterent, poculum arripuiſſe, inde pulmonum, ac pectoris laxitate contracta, in liquidis attrahendis palàm noxam proditam, ſpiritusque productionem negatam: frigoris ſimul vim per vias renum diſcedentem, ſtomachum euertiſſe, calculos è latebris motu excitos, dorſum & latera fatigaſſe. Ea paulò pòſt ventriculi euerſione, cordis quoque domicilium ad ſocietatem difficultatum arreptum, mox atrum è regione lienis humorem ad pectus elicitum, aiunt, vomitúque graui expeditum. Notas indidem diſtenti bilis receptaculi, laterumq́ue flatus editas, dolore dextri hypochondrij aquam nullo exitu apto collectam, pulmones defluxionibus & fuligine oppreſſos, flabra inhibita, fibram cordis dura pituita obſeſſam, locum eius diffluentem, iecore nitido, plenóque, non horrido, citra vllam Epilepſiæ ſuſpicionem, mentisq́ue importunitatem, cuncta in exitium eualuiſſe. Fama eſt, vltima iſta renum moleſtia, varia medicata ipſi oblata, non pota tamen, fomentis laterum firmitudinem laxatam, acceſſiſſe his omnibus denique imæ ſedis vaſorum incommodum; ac Rodolpho ad decretorum promulgationem præmiſſo, Auguſta ſacris diutius detenta, lucem hanc Opt. Cæſ. reliquiſſe, vt beneficentiæ diuturnæ cõmoda ferret, vel potius breuem moram infinita propagaret memoria. Hoc, ſcilicet, erat, quod quinto antè die, lunæ frons totidem ferè horis obtecta, labore pronunciabat: idem gradus, & proceſſus ſeptenarij ætatis, vix dum in ſe toties ducti conſpirarant, caſumq́; nobis longè acerbiſſimum importarint. Corpus eius purgatum, odoribusque repletum, loculo idoneo compoſitum eſt, vt ad ſepulturam parentum Pragam deportaretur. Heu crudelem aſtrorum virtutem, lunæ faciem turpem, impudentem, quæ tam pio, indulgentique P. P. non pepercerit. Tam præſenti, & excelſo animo cùm Cæſar morbis illuderet, horam fati adeſſe ratus: ne quid ſilentium mortis alicui fraudis afferret; vti obitus ſui nuncius ilicò exiret, triduóve cadauer ſolito habitu indutum ſpectatoribus exponeretur, iuſſerat. Quantum nos, Auditores, hoc mentis & corporis eius diuortio iaceamus, quantum patronum exteri quidam Reges, ac Principes, ad res ſuas foris bene gerendas amiſerint, alij enuncient. Multa, me Deus,

Cæsaris amore ac reuerentia tecta latuere, quę aliter ad manus erupissent, multa ipse distulir, vel propria iactura, iniectisque scrupulis, dissimulauit, non paucorum taciturnitate apud nimium curiosos suspicionem irritauit. Atqui Rodolphum nobis decus ac lumen futurum loco, rireque cùm antè commendasset, non immeritò sibi hanc viam abeundi facilem comparauit, quo Rodolpho vix ad tantam molem aptiorem cogitaris, idque adeo verum esse mecum vos considerate. Nemo secus iudicat, in noui Cæsaris indole contra tela præsidium Christianis ingens repositum, moribus & consiliis esse rarum, moniforum & exemplorum parentis tenacem futurum, de concordia vniuersa cogitaturum, nullam occasionem, ipso autore, ad res obtinendas effluxuram, non præteruolaturam opportunitatem, reducturum temporum illam Neruæ, Traiani felicitatem, vbi, quod licet, quisque sentiet, quod sentit, loqui ausit: seu qui vela salo, seu quis dat semina terræ. Nec spem, nec metum cum Hannibale ex vano habiturum, in fratrum patruorumque amore φιλαυτίᾳ, ope, consiliis acquieturum, qui necessaria, sanaque dixerint, auditurum, ne offendat, veteranorum senatu cauturum, quod in suorum dissidium, vel detrimentum abierit, nil moturum, vel vitæ incommodo, vt imperij fines dilatet, dies noctesque acturum, qui à teneris Aulæ præfecto, illustri, literatoque Barone, Dietrichsteinio palatij Magistro, Senatusque arcani compote & participe vsus, Ioanne autem Tunnero, I. C. ad formandos principes naro, instructoque viro, Aulici consilij socio, adsuefactus, quæ in vestibulo duriora occurrenr, ferer: quò Deus optimus maximus Maiestatis fastigia, vela, vires, virtus, sorsque vocarint, intendet: φιλαδελφίαν Cyri filiis traditam, tuebitur, æternis monimentis impressam famam efferet, cauebitque, vt tandem toto Mars impius orbe quiescat. Quamobrem, si talem Maximilianus nobis contulit, Deus præfecit: quis de morte patris queratur? quis non eum mille in cœlum linguis, vt animo sincero, atque labe ista immuni, deinceps viuat, cooptarit? Cæterùm quia opinio animos omnium peruasit, publicas & arduas res, è secretis pectoris, naturaque hominum in lucem manare, vt de mortui moribus etiam penitius aliquid vobiscum cogitetis, nonnulla ab eodem vel acutè, ac sapienter, vel magnificè, & fortiter moderateque, vel ioco pronunciata, obiter inseram. De religionis dissidiis aliquando familiarius conferens, iudicauit, ad capita & fontes, vnde ea ducta peruersè fuerint, ambitione & priuatis affectibus repressis sepositisque, reuocanda, aberrationes caritate interprete, ac Duce, quæ in hominibus frigeat, & modò non extincta videatur, sanandas, quæ separatim superstitionibus animos terrerent, viduarum domos vacuarent, sensim castiganda. Ad venationes quibusdam frequentius euolantibus: egregiam, & Principe dignam exercitationem dixit, minimum lædi homines, quando cum beluis sit negotium, dum ne ludicris seria elabantur, quæ nulla opima cæde ferarum farciri queant. Quidam è Senatoribus adhuc iuueni significabat, à nobis Turcas captiuos nimis benignè, molliterque tractari: ne lernæi monstri exemplo mala succrescerent, tollendos esse: cui noster: Cum quibus igitur posthac nobis bellum foret? qui labores ad memoriam, lumenque literarum essent reliqui? & quod maius est, pacisci te cum hostibus oporteret, ne ad talionem conciperemur. Qui expugnare iudicium, & constantiam eius Cabalæ, Chymicisque rationibus eruditi, aut machinarum compendiis adgressi sunt; audiuit libenter, sed videri eos sibi, ait, non dissimiles, & qui in hypocaustis, ferro nunquam accincti, ad pocula, vel somnos acies recenserent, castraque tractarent: facilem esse rationem paruorum, monstrandorum exemplorum in magnis autem, & vsibus longè difficillimam. Magistratuum, ac dignitatum opulentia breui claros, & importunius vacationes exigentes, miratus est, sui eos commodi causa suam aliquandiu industriam vni, & operam nauare nolle: se ve-

rò perpetuo omnium salutis nomine, cunctis vt bene sit, & satisfiat, cum cura laborare: nil hominum genus minus ferre, quàm ocium, lautosque dies, laxamque seruitutem posse. Exteros ad quamuis artem excellentes, priuilegiis & viatico prosequebatur, neminem exclusit. Maledicos, ac tectè infestos, tulit, obliuione si memoriam ex animo depellere nequibat: tamen ad suos clementer: satius esse, alij quærant, cur non puniat, quàm nimium, aut modicè si punierit. Iniurius quidem delationem anteuorterat, cui Princeps facetè & acutè: se de fenestra prospicere aduentantem, & vix animam receptantem reum; illius pedibus se scalarum aliquot gradus prohibere nolle, dum adsit, & sinistram aurem quiddam intus pulsasse. Furtum cuiusdam Senecionis Magnus patronus excusaturus, quod ab auaro & ditissimo reculam, VIII. florenorum, egestate summa coactus, alienasset, respondit: se videre factum exigui damni, ideò nec se offenso sumptum laturum: verumtamen seni, quem ad eam ætatem operis suis & labore tantũ acquirere piguisset, quando aliâs non diu esset superfuturus, in pœnam duorum obolorum funiculum imperaturum. Adulterio cuidam notato nunciari iussit, eo vitio ne amplius se fœdaret, cæteroqui ipsum in familiam artificis, qui ab operis suis ante medium diem cessare soleret, concessurum. Iuuenem robustum liberius Veneri deditum, sed aulæ priuilegio sese ab ciuili Prætore, & neruis adserentem, virgis actum, à pomœriis arcendum censuit: quòd, qui tam imperiosa & onerosa animalia sustinuisset, aliquot betulæ ramos tractabiles tergo facilius esset laturus. Quos ventris, gulæque insania, sed maiorum ordinum distineri, & ἀσχημοσία audiuit, doluit: quod, qui omnia, quæ licerent facerent, adduci aliquando, quæ non liceant, vt committant. Doctore ipso adolescentulus insigni vate vsus, eius indulgentiam non tulit, & ad patrem aliquando: se ista lenitate, & erga se reuerentia Præceptoris diu sub ferula hæsurum: stimulo acriore opus fore, vt vmbris parietibusque relictis, ad patula gymnasia citius expediretur. Quidam colloquio læto ad focum iniecerat, ciuium & plebeias Matronas superare suo cultu, mundoque nobilitatem cœpisse: iniuriam fieri altioribus, qui non haberent, aut non curarent, non lege Oppia teneri posse, plus semuncia auri eas ferre solitas, iunctisque vehiculo iumentis, iam non ad mille passus, (vt ille ait) aut publica sacra, sed viciniam abuti, luxum vulgi esse castigandum. Cui noster: non audisti, imitationem morum in nobilibus facile, pernicie illapsa, eandem in populo existere, & simul exuberare: quæ vitiosa cernis, tu verò abstine, & oculos auerte. Quod Senatus quosdam diu conscios profugisse, alios sperato euentu suas legationes non obiisse, idque impunè ipsum tolerasse cum vulgi querela & murmure senserat; subiecit, non quos sibi perpetua fide addictos, & perspectos sciret, mulcendos, sed nonnihil suspectos demerendos, illos sibi si vellent, nunquam nocituros, idem ad quosdam pro talibus interuenientes respondebat. Cuidam è proceribus, nullis disciplinis liberaliter imbuto, de libellorum Magistris, & Secretariorum dignitatibus, & splendore questo, dixisse fertur; quid inter Achilleam, & Alexandri lyram intersit, quia non didicisset, ideò frigidè accusationem instituisse. In quadam præclara sua vrbe, ab aulæ domesticis admonitus, ad libram non vendi bubulos, aliarum ciuitatum more: negotium Vrbano Magistratui dederat, querelam & incommodum hoc tollerent. Cui lanij accersiti: si Maiestas Cæsarea vt Viennæ, ita apud se cum Aulicis perpetuò hæserit, facile se vsitatum morẽ abiecturos aliter priuilegio suo vim nõ allaturos. Ad hæc Cęsarẽ ad suos familiares in cubiculo risisse, ac subdidisse, Reges ac Principes suam Maiestatẽ laniorum & carnificũ rationibus & lucris nondum permutasse, itaq; pertinaciam eorum perstrinxisse. Symbolũ illud sacrum: DEVS PROVIDEBIT, quantã pietatem, & fortitudinẽ, inq; posteros omnes spem extulit? De quo, cùm aliquando à me subiectissimè admonitus esset, Impe-

ratoriam dignitatem ea verba, qui altius in humanis euadere nequiret, nonnihil mutare debere: respondit, nolle se ingratum esse de authore beneficiorum, qui huc loci ipsum perduxisset, vimque eorum verborum ad successores quoq; pertinere velle. In domesticis turbis, intestinè malis subortis, dictum celebris illius oratoris, aureis characteribus in Regiarum vestibulis notandū, secutus est, Herodis Græci: Fatendum aliis extremis malis tanto bellum esse grauius, quantum bonitate pax esset vtilior: quanto tamen bello securior esset pax, tanto seditione bellum optabilius: Siquidem in remoto à finibus bello libertatis seruādæ studio, in ciuili semet perdendi quemque desiderio pessum ire solere. idque exemplo singulari docuit, cùm à Principe viro rogatus, fratrum discordiam, leui de causa ardentem, vti compesceret, respondit: Rotam ad cuiusq; cōmotionem facilem se præbere, sed ab concitato, feruentique cursu, manus omnes libenter cohibere, non se tamen precibus supplicis, Maiestatique desore. Chymico ineptè exiguis adminiculis in magnos thesauros verbis effuso, qui x x. flor. in carbonum sumptus petebat, significari iussit, mirari se tantillū subsidium tot annis ad Crœsi opes non comparasse. Symphoniæ, hoc est, vocalis concentionis sodalitatem, ea liberalitate in admirationem adduxit, vt ex omni ætate eam præstantiam carminum haud collegeris: quod etiam cœlum eanere didicerat, & à siderum scientia nunquam abhorruit: extremam pœnam, & difficillimam eorum, quorum liberi ἐν ἀμαθίᾳ, καὶ ἀμουσίᾳ, secundum Mityleneos, educati sint, iudicarit. Lusores, talos est auersatus, damnauit, vt insignem humanitatis perniciem, nobilem conuictorum mœrotem, pœnamq; iustam: qui autem vicissent, dedecus, & contemptum ad periurium irritamentum paratum. Astris multa cōcessit, vt causarum quibusdam adiumentis: sed superstitiosam credulitatem cuidam Bohemo Cypriano exprobrauit, qui συμφάσει illi, seculi reuolutione vix rediturae, ante paucos annos omnem diuinam vim agentem tribuebat. Quæsiuit enim, quod alius de Cannensi pugna: si cœlo adfecto, sideribúsve compositis, fidendum prorsus sit, qui insigni clade simul concidissent, an vt exitus vnus idemque omnium fuisset, etiam idem vnumque astrum natalibus comminatum esset? & qui ingenio excellerent, an etiam vi variorum siderum eadem die in lucem suscepti essent? Astrologo neganti idem, vnumque eualuisse sidus, vniuersè responsum: non esse igitur opinationi astrorum & schematibus fatalia adscribenda, & qui in pluuiis essent diu versati, facilè eos maduisse. Quàm piè, & scitè, auditores? Fama noua, quæ in consiliis capiundis multum interim pollet, non seducebatur, quòd illam cuiusdam velocitatis, hæc constantiæ, moræque officium putaret. Præstigiatores semel admittebat, veritatem imitari sæpe casus solere cogitabat. Sortibus, quæ manu alicuius ducerentur, non credidit, minus ariolis, auguriis & omina metuentibus: quod claro exemplo die coronationis Vngariæ, D. Steph. sacro, quo Posonium proficiscebatur, docuit: quo & Posonij incēdium datum, & mœniorum Viennæ pars desedit, & equi prolapsione nil territus fuit: non fixa hæc cœlo, sed socordia hominum accidere confirmauit. Consuetas nonnullis leges, sed variè ad casus deflexas, cereos nasos appellabat. Rumusculos exortos, quibus suam aulā diffluere querebatur, incertè, cupidiúsve iactatos spreuit: scurras, & assentatores neglexit, qui eis caperentur, leues dixit, vt qui Regibus initiò inutiles miscerentur, pòst ad perniciem suppeterēt, vt Alexandro accidisse Arrianus memorat. Nobilitatem nuper ortā probauit, locis tamen, & honoribus etiam castrensibus, & contributionibus distinctā habuit. De sene quodam canos, barbamque fuco dissimulante, ad proximè adstantem: quid hunc integræ mentis & consilii intus alere putas, qui patula cunctis, notaque obscurare non vereatur? His singulis, & cunctis cùm redundarit Imperator, reperias tamen, qui Cephei astri modo, ceruice ad onus ventris detorto, eius Maiestati labeculas aspergere aliquando tentarint, quorum insaniam Anticyrana antidoto retuderis; sin non suffecerit, succedat illud Ausonij: At qui cōdiderat, postquam non repperit aurum: aptauit collo, quem reperit laqueum. Nō quidem sanctissimus Cęsar, fateor, emeritos beneficiis ilicò obruebat, spe ductabat longius, tempore

pore gratiam retulit, nec obſcuros ſtatim illuſtrabat, remotos tamē acciebat, familiares quaſi negligeret, ad tempus tractabat, nil petenti nil detulit: at ſpem potiorum illis apud ſe reſeruabat, ſaluamque tutatus eſt. Nec cuiuſuis Senatus ille ſentētias arripuit, iudicio ſuo experiētia inſtructo, ſuffragiorum varietati indulſit. Pietatis negotium in tanto diuortio ad Chriſti oracula exegit: ita eos, qui neſcio quid in diſputationibus diſſidentes totis voluminibus ſe conciderunt, temperauit, vt turbarum occaſionibus dilutis, Typicorum, ſeu ſuffiguratorum, Balaccianorum, Ariomanitatumq́; libellis exploſis, Maieſtatis nutus & gubernationem cunctis ſanis, & probioris ſenſus, comprobarit. Iniuriarum non facilè
10 oblitus, vindictam diſtulit, raroque infenſè eſt perſecutus: Parentum lapſus grauiores in liberis valere noluit, vitia profuſionum reprehendit, libidines fregit, Comitatum palatij ſui modeſtia inuſitata definiuit, vt interdum ad quotidianarum impenſarum iudices inſpiciendos otium impertierit: nil ægrius, quàm terminorum in agris fraudes, & acciſos fines exarationésve tulerit, ad recognitionem vocarit. Sereniſſimos liberos ea moderatione ſplendoris, reuerentiæ ergà idoneos opinione, in omnes humanitate eduxit, vt ſe ferè eo loco natus ignorarint, nec ante tempus curarint. Promiſſa in conuentibus, ac nuda, non literis, ſignisque verba ſua munita, vel aliorum Regum, Principúmve diplomatis adæquauit. Regna, & ſubiectos ad neceſſariorum ſubleuationem ita volētes pertra-
20 xit, vt, quo plus requiſierit, plus dantibus accreuerit, & quod ſæpe ſola Auſtria ſibi vno anno ad 700000 contribuiſſet, peregrè cum gloria iactarit. Vngariam vel partibus ſuis adhuc florētem, eam opulentiam & nummorum copiam nunquam tractaſſe ſenſerat, quam mercatores, & vectigaliū præfecti ſibi nunciarint. Sæpe ille compreſſam annonā ab auaris, qui vulgus miſerum fame, & vrbes ſuffocate conabantur, liberauit, vulgò ſumptus ademit: quædā ſuis maioribus incognita, ſed à ſubditis conceſſa tributa, vt ornamenta pacis, belli ſubſidia, Reip. neruos, ita exercuit, vt hypothecarij, & feudi poſſeſſores, quorum eius generis exactiones intererant, plus lucri ex conductione & locatione ſibi conflarint, quàm ad ærarium ſit inlatum. In amicis iungendis, fœderibus paciſcendis, & af-
30 finitatibus tardus, circumſpectus, in alendis, retinendisve ſedulus, in ſoluendis vinclis, aut laxandis difficilimus ſemper eſt viſus: quibus multum licere vidit, minimum vt liberet, cautionem exiſtimabat. Linguarum proprietati deditus, rudi pronunciatione vocum, aut literarum tranſpoſitione facilè offendebatur, nec ὦ παίδιον, ὦ παίδιον cum Pellæo dixiſſet, nec vati Ariſtandro de aquila ſuperuolitante crediidiſſet. Neſcio, me Deus, auditores, quid in maximo mortalium mortali amplius formaueritis ſeu ad ocium ſeu decus, niſi cœlum terræ iunxeritis. Nam qui diſſipatas ſententias ita probè collegerit, prauas ſuggeſtiones eleuarit, vt aliquādo Chriſtiana virtus expergefieret, & ad cōmune vinculum excitaretur, accurarit, neminem ex omnibus annalibus obieceris: qui ad volūtatem
40 & præſcripta Dei ſuos ſenſus, cunctorumque ocium redegerit, erratis veniam, receptum ad frugem adiecerit, tranſuerſa ſtudia, ne quid contaminarent, aduigilarit, & quem nemo cum faſtidio audierit, à quo ſupplices repulſam nunquam tulerint, qui obſoleſcere virtutem in hoſtibus ſordidis ſcelerit, tumultus & animos vulgi dictis rexerit, compeſcuerit furores, morbos ſanarit, beneficiorū ſempiternam gratiam coluerit, vix vllum laudaris. Contuliſti nimirum te, Maximiliane, ad locum pacatum, ſplendidum, ad quem nullæ blanditiæ leues, non vis, fraus peruenerint, nulla iunctorum confuſio, rerumque obitus acceſſerit. Nos, ô nos infelices, quos tua cuſtodia nudos deſpicis, ad ſocietatem expectas. Dediſti tamen nobis, Maximilliane, tuarum virtutū imagines expreſſas, ſubſtituiſti hunc Rodolphum, quem complexi, omni ſubmiſſa reuerentia colemus, cui nil eorum, quæ in tuis actionibus redundarunt, vel ad pietatem & prudentiam, vel integritatem, pacem, clementiam, vitamque beatam, longam defuerit. Sub iuga iam Seres, iam barbarus ibit Araxis, Et gens ſi qua iacet naſcēti conſcia Nilo. Eia re vos optimi auditores, ſanctè, riteque ſuis muneribus defuncto, eiusque Manibus læta, felicia, nullo termino gaudia deſcripta, comprecemini: Rodolphi

auſpiciis, genio, conſiliis, inſtitutis progreſſus vberes, euentus nullo æuo aut mora impeditos, qui Pannoniam reſtituet, alia regna morbis aut fato laborantia ſanabit, ne per orbem terrarum vaſtitas, lachrymę, bella, cędes vrgeāt, prouidenter curabit: nobis ipſis conſtantiam, fidem, ocium, & tranquillitatem poſteris, idque per nomen Chriſti Ieſu, ad eiuſdem gloriam, Patris, & Spiritus ſancti, exoptemus, Amen.

ELOGIVM EPITAPHIVM D. MAXIMIL. SECVNDI: PER SAMB.

HIc ſunt reliqua Imperatoris Maximiliani II. A.F P. generi, patris, filij, pronepotis Cæſarum. Quem hoſtes, & amici æquè coluere, cuius pectus conſiliis & prudentia nūquam exhauſtum, iudicio & arbitrio certum, actis firmum, euentis ſalutare, vniuerſa incolumitate diu cōſtitit, ſtabitque. In quo Maieſtas cum humanitate coiit, amor, non metus, aut ſimulatio omnes in officio, & admiratione tenuit: iuſſa pro oraculis, eiſdem ipſe ſubiectus, ſanxit. Cuius ſi nutus quidam tuliſſent, minus domi laborarent. Fidem hoſtibus ſeruandam duxit, lanienas, in ſerūos imperium ſæuum non probauit, multorum faces, incendia ſopiit, aliena non turbauit, cuiuſuis ius loco, apteque adſeruit, ad quietem & concordiam, vel impari ſorte, damnoque proprio cūcta redegit, iniurias obliuione contriuit. Iberos adoleſcens biennio rexit, Imperij Romani Maieſtatem vel proxumo capitis periculo in Saxonia tutatus eſt, tribus diadematis, vno velut ſpiritu, ſuſceptis, abs ſe ſponte alienatos, in ordinem ad Gotham triumphis, vinclisve coërcuit. Daco iniurio gratiam nepte Cliuenſe aliquando expetita à Ferdinando, conſenſu ſuo reddidit: Galli impedimentum è Polonia excedentis, liberaliſſimo hoſpitio expediuit. Danum, & Suecum, proprio exitio flagrantes compoſuit; Franciſco Medici, quod patri Coſimo negarat, pontificios honores confirmauit, Ianum Balaſſa, Dobonem communi fama ſuſpectos, è cuſtodia priſtinæ dignitati, opibúsve reſtituit; Bebecū cum Nemethio bonis & vita per Schuendium exuit. Solymani ad Zygethum furores non modò retudit, ſpiritusque exhauſit, & ſpem eluſit: ſed ipſam è fœda compage, membrisque ſceleratis animam noxiam, perditamque, validiſſimis obiectis ad Iaurinum caſtris, eliſit, pacem à Zelymo, & ſucceſſoribus tum minis, tum blanditiis extorſit, quid fratrum amore voluerit, inque rebus eorum cupierit, Caroli nuptiis Anglicis inchoatis declarauerat. Vniuerſum, & ſacrum illud mari colligatorum fœdus, tam prolixè oblatum, fide, ſuorumque conſcientia, & quiete diſtulit. Sarmatarum ſceptrum tam ſuppliciter accidens, ſpe quadam de Erneſto ſubiecta, moræ ſalutaris memor, initio quaſi diſſimulauit, pòſt, ſeditioſis ad ſanitatē & frugem tempus receptumque concedens, admiſit. Quàm, vt Chriſti, communiaque negocia beatè vigerēt, ambitione excluſa, nil vnquam eſt meditatus. vltimo difficilique ſpiritu Ratiſponę idem comprobauit, longam prolem ad decus, Rodolpho electo, & imperia dedit. Ecquid maximo mortaliū mortali, pio, iuſto, ſapienti, clementi, forti, felici, indulgentiſſimo P. P. ad diuinitatem, reb. tot geſtis, morbisque victis, decima & quinta prole edita, filiis ſceptro idoneis, filiabus maximorum Regum tædis accenſis, reliqui fuit? Diuturna igitur podagra conflictatus, è nephritide ſocia ſtomacho debilitato, anheli ſpiritus officina defluxione ac fuligine oppreſſa, cordis vieti globo ad fibram dura pituita obſeſſo, bilis receptaculo nimia ſolidioréve copia diſtento, imæ ſedis vaſis importunè ad ferrum iniquis, viis etiam, quibus in omne corpus cibi diuiſi, adque alendum modificati, diſcedunt, impeditis; vitioſa inter ventrem, & latus, nullo exitu ſeſe prodente, aqua collecta; quorum ergò Comitia edixerat, iis ad finium Pannonicorum ſecuritatem ampliſſimè confectis, palamque per Rodolphum paulo antè vulgò enunciatis, cupideque Chriſti meritis auditis, admiſſisque: ad ſedes liquidas, motibus compoſitis, euolauit: vbi perpetui comitiatus maiores,

dies

dies omnes fasti, sacrisque obeundis idonei. Vixit an. IL. M. II. D. X. Romani Imperij & Pannonici XII. Bohemorum XXVII. Obiit August. Tiberij, H. X. A. M. III. Eid. IIxbr. M. DXXXCVI: ipso nominis solenni die, totidem ferè ab lunæ labore diebus, quot illa horis obscurior latuerat, Anno quadratè in se ducto septimo, eoque exacto. P. B. M. C. H. V. DVM ARTVS REPOSCAT.

FINIS.

Maximil. ad Viatorem.

10

Non mihi, nec tibi, sed mihi vel tibi, iamq́; neutri:
Sat mihi sat tibi, non satis est, erit ast sat vtrique.
Sum, morior, viuo vt moriar, viuam moriturus.
Non superes viuax, superata morte superstis.
Nec spiro, nec mutus eo, sed vtroque cadauer,
Quod mutum est, spirat, loquitur, neutrum per vtrumuis.
Dum cesso moueor, dum labor labe resurgo.
Dic cito dum pendes, nec fido summus & imus,
Cur sim, quid teneam, perdam lucrérque profectus?

20

EPITAPHIVM.

RELIQVA vetera labis Maximilliani secundi his cineribus, dum ad contagionem perpetuorum vocetur, Christoque pura amictus occurrat, sunt abolita.

DE CORONA SERENISS.

30

RODOLPHI REGIS VNGARIÆ, &c.

ARCHIDVCIS AVSTRIÆ, &c. SAMB. ORAtiuncula, Posonij, 25. Sept. 1572.

QVOD optimo cuique ex animo erat, soliciteque à DEO contendendum: id vltrò Diuina voluntas, miserta nominis Pannonici, hodie obtulit: scilicet ad frugem nos denique vt redigeret, & ad meliora inuitaret. Quid enim illo cælesti domicilio potius Christiano esse debet? Quid non suscipiat, audeat, amoreque communitatis æternæ, nō subeat? Secundum illos sensus, tanquam exemplum, & quoddam simulachrum, libertate ista humanæ cōditionis, patrięve integritate, quid cupidius quęramus? Nonne vita pro hisce ab gētilibus, & prorsus ignaris pietatis, cum laude, animoseque vulgò profundebatur? Sed hæc publica magis, quæ narro, quàm singulorum sunt. Quæ verò priuatim accidunt, quibus quisque sibi placet, opes, coniūx, liberi, ditiones, & alia huius generis quàm sunt, me Christus, chara, quàm ea nostris conatibus intuemur? quòd hæc tanquam virtutum fructus, & ad laudem consectaria, nostras actiones ornare, & separatim ad posteritatem soleant suffragatione commendare. Hæc initiò si quis, cur commemorem, requirat: Vt publico Dei munere domi, & vbique lętemur, Rodolphum ex alto missum amplectamur, ipsi nostris commodis gratulemur: passim templa, aras precibus, omnes parietes puluinaribus cumulemus, Maximo Deo grates concinamus: quòd tanta annorum serie, perpetuoque subsidio domus Austria nos facilè, libenterque texerit: Austria, inquā, cuius stemmate nihil in toto orbe nobilius, dignitate co-

piosius,progenie amplius, in omni humanitate, generatione sanctius enituerit, patrisque more, viscera intima omnibus Regni periculis ad defensionem præbuerit, nosque propriis morbis ac diuortio intestino aliquandiu vexatos, coniungere studuerit, contineatque, vt adhuc post Deum Austriorum benignitate & sinu respiremus, iugumque Asiæ auersati, breui, proceres, hoc, hoc præcipuè electo Rege Rodolpho, quem coràm spectatis, iniurias persecuti, firmissimè insistamus. Idem pater omnium clementissimus Deus, robur, sociosque huic adhibebit, qui cum Venetis Philippum ad dedecus, & vindictam Orientis excitauit, qui ductu Iani Austrij detrimento Turcam inuiso inauditoque afflixit, vim minasque maritimas compressit. Iam enim videntur mihi obuersari Angelorum cœtus, Regum Principumque colligatorum exercitus, ad victoriam acies ordinatæ: quæ nos ab immani belua eripiant, pulcherrimamque Vngariæ possessionem reddant. Itaq; nemo dubitat, diuinitus vos istud consilio egisse, vt Rodolphum, cuius mentione omnes virtutes nominatas volo, dominum & Tutorem depopósceritis, honorandumque desideretis. Et verò, quem omnibus ad tantam Maiestatem conditionibus magis idoneum, propiorem Regno, contiguum meritis expeteretis: nisi ingrati de Deo, obliti tot beneficiorum, studij in vos perpetui inimici esse velitis? Calamitates Pannoniæ, quæ aliunde accersita fuerint, nouorum peregrinorumque Regum studio mala hîc nolo commemorare, odij plena sunt exempla: Alias nationes, quæ eodem morbo sese perdidêre & adhuc laborant, animo reputetis: nimirum reperietis, nihil ad vires, finesque tenendos certius intestinis, vel proximis heris definiendis: qui longinquius nonnullorum ambitione acciti sunt, aut sese ipsi clàm ingessêre, vel non obscurè dominandi libidine inuolarunt, non diuturnum fuisse regnum: coniunctorum sanguine, ac multis nominibus meritorum imperium felix, amplumq; euasisse. Sed vno, quod animo præcepistis, verbo dicam: Quis Regum dissitorum ea potestate, Regulorum ac principum ea clientela, societateque fuerit: qui nos extremè in faucibus Turcarum hærentes, saluet, tam commodè tutari, diutius conseruare potuisset? Semper Austrij nobis, vt vicini, parietibusque intergerinis, & affinitatibus deditissimi, ita opibus & depugnatione sumptuosi, præsentesq; accurrêre. Plurimum, quod non nescitis, hæc gens propriè sine aliis valet. Imperatores & Reges præter Cyprum & Scotiam, penè omnibus, & Reginas edidit, fouitque populis: societate autem & sanguinis amplitudine omnes facilè excessit: vt ad huius nutum & amorem, vniuersa Christianitas aduolet, se subiiciat, cōsilium accommodet, libenterque, bono euentu morem gerens, mandata capessat. Profectò bella suis nō comparat, priuatis odiis in discrimen nihil dat, à bello abhorret, iniurias molestissimas procul arcet, nec ipsius gratia plectuntur Achiui. Ac cum de illustrissima gente fit sermo (istud obiter hîc inseram) haud de superioris Pannoniæ aut Marchiæ orientalis Regibus, quos etiam Drusi & Traiani fuisse temporibus aiunt, loquimur, nec de Marchionibus è Sueuiæ ducibus profectis, quorum octauus Bauariæ quoque Dux fuit creatus, quive alaudarum insigne gerebant, accipiendum est, minus de quinque Ducibus, quorum hodierna arma secundus, de Austrasię & Lotaricis coniuncta, extulit, a Barbarossa, vti Bohemiæ Reges, sic Austriæ Principes mandante, datis, est disputandum: sed de Rhenanæ veterisque, seu occidentalis Austriæ, adeoque ipsa Francorum Regum posteritate, ad Rodolphum primum vsque, est repetenda omnino, censendaque memoria. Ac sine tot ambagibus, de nomine allatis, remotoq; Auentico. Scimus veteris Austrasiæ, seu regni Lotarici, sub quo Habspania quoq; fuit, dominos hāc diuinam familiam extitisse, arcemque ipsam, vt caput, & Regiam, ad quam Vindonissenses vsque pertinebant Habspurgum fortè vocatā, nam & hodiè Span, *Spanschafft*, diœcesim cum Iuris potestate intelligimus. nec dubito à Gryphone, Pipini fratre, qui Rumerici, ad angustias Lotharingicas, vicinàve Iuræ loca insederat, non tantum in Saxoniam vel vlteriorem Aquitaniam confugerat, propius hanc Syngeniam abduci posse. Applaudite igitur proceres, populaResque optimi, pectus & arcas, viresque, summo ordini, ac Rodolpho nostro

conferatis:nemo non ad optatissimi Regis nomẽ excitetur, eiusque auspicatum imperium, plenum victoriis, ac triumphis exoptet: si rem Christi saluam, negocia patriæ tuta, securos vicinos, remotos lætos esse velit. Huius enim Regis aspectus iocundissimus, Maiestas verenda, disciplina, vsibusq; & itineribus progressus nõ mediocres, aurea nobis sæcula pollicentur, vel potius iam in manibus nostris ea deponuntur. Ad cuius imperium & iussa qui se aggregarint, nunquam fidei, factique pœnitere poterit: quòd breui omnibus sit ille satisfacturus. Haud de maiorum hic paternisque exemplis descifcet, humanitatem & clementiam colet, liberalitatem effundet, thesauros, vicinos, propinquos, fratres, vitam denique ipsam promptè in communem defensionem dabit. Hos iste, absq; dubitatione, spiritus, & animum fouet, Deo & omnium bono, suæ prodigus vitę, vti inseruiat, atque diuinitus crescat. Qui in eius consuetudine, colloquiis sunt intimi nunc, & primis annis fuere, rationes & sermones notarunt, alta & sana consilia omnes tribuunt, animum ad repellendũ hostem, purgandosq; seditiosos, & latrones ita propensum, iamq; anhelum: vt modò vos vniti velitis, nullas iniurias aduersariorum sit curaturus, ac fines Pannoniæ florentes consensu, munitos pace, firmatosque præsidiis celerrimè præstaturus. O inauditos in iuuene sensus, meditationes heroicas, planeq; ipsius maioribus dignas, Pannoniæ rebus etiam necessarias, & proprias. Huic diadema non obtrudamus? Hunc non patrem patriæ canamus, omniq; genere exquisiti cultus veneremur? Non ætas, anni, non semper quæ in oculos incurrunt, quomodo in obscuris & vulgaribus, in heroum natis ita spectanda sunt. Eugenia illa maiorumque virtus, quæ in posteros, vt aquilarum in pullos, pertinere solet, eosque agitare, monere, impellere ad munus susceptum, graueque nomen persequendum, consideretis. Nunquid sine vestro, proceres, Nobilitasque, exemplo hæc recenseo? Qui scintillas nobilitatis, tanquam stimulos à parentibus haustos, vel teneris adhuc annis, & membris imbecillis excitare soletis, vosque ad magna, ardua, præter domi suæ natorum morem, velut euehere nitimini! Si membrorum decens positio, oris oculorumque honesta facies, in vobis, vestrisque antecellit, profectò animus deformior ignobiliorque rarò contingit: vt & mentis indolisque cõmendatione, vitia corporis pensari, perficiq; & simul temperiem corporis generosi, & excelsi animi esse indicium plerumque dicamus. Quare, cùm ingenuo, liberaliq; aspectu adolescentem, cùm agiles, moderatosq; artus videmus, vel pro dignitate, non satis vestib. decoros: iudicamus nobiles, amabili ingenio, moribus temperatis, & ad quamuis laudem natos. Non me cæcus vllius amor tenet, non gratia exercet, temere de futuris nihil soleo pronunciare: sed dum huius Regis ego animũ, cogitationes, & alia colligo: veritas à me exprimit, fatear, nõ minus fore hũc ortũ & velut nouam stirpis perpetuæ Regum Vngariæ radicem, concordia, & in libertate deinceps victurorum: quam nulla vis peruertat, nulla imbrium diluuio exhauriat vel violet: vt Rodolphum illum magnum, qui hãc felicissimam prosapiam in cœlum, longumque extulit, subdidisse propaginem Augusto Imperio nouimus. Non est tempus, Pannonii, de laudibus, & spe certa, quam opt. Rex ostentat, concionandi: sed cuius ergò coronam recipit, iam quasi præstitum arbitremini. Iuuenta plerunq; nonnullis morbis laborat, temeraria vulgò hæc ætas, imprudens cẽsetur: verùm de hoc nil tale sperandũ: ac nunc silebo, alio tempore pluribus agam; si vox me defecerit, calamo de virtutibus, vt non præsentes modò, sed qui annis cõsequentur innumerabilibus, eius legant, mirentur dotes, ac præconio in omne æuum producant, agam. illud prætertire nequeo: de hac summa gẽte Austria, quæ nos hodierno die beat, & qua hora de hoc Rege cogitastis, salutariter cogitastis: nulla in alia tot linguarũ effloruisse vsum, motum, & humanitatis, tractandorumq; subiectorũ, si ad alios extimes; nulla in alia magis diuinam, sanctamq; nulla in alia maius, ne dicam par studiũ, amoremq; erga omnes exteros viguisse: quæ in nostris periculis amplius voluerit, salute perfecerit, prorsus dico nullam extitisse: vt Austriam penu sobolis Cæsarum, & Regum, virtutum, pietatisq; domicilium, humanitatis exemplum, studium rei commu-

nis, libertatis vindictam dicas: Rodolphum à vestigiis suorũ non declinaturum, omnia loca trophæis, & hostibus captiuis completurũ speremus. Cumque, proceres, hodierno die Rodolpho insignia, multo interuallo, decursuque annorum non vlli alij iteranda (seu magis, eo viuo ne quidem animo præcipienda) sint tradenda: fauete, adeste, oro, linguis, & animis celebritati: quisque mente, & officiis animum deditum, & gratum Austriis declaret: in primis Maximil. II. clementissimo, deinde Regi filio, eiusque patruis, atque fratribus sereniss. hanc familiam in oculis feramus, ab ea nullæ nos insidiæ, minæ, nullæ maleuolorum subiectæ causæ dimoueant, nulla vis deterreat. Ita enim nos Pannonios Deus benignè respiciet, errores facilè condonabit, hocque Rege pristinis & auctis finibus ornabit. Salue, igitur, Diuina proles Rodolphe. Viue, viue, Rex inclyte. Benedicat Dominus ex Sion, bene sit tecum nobis in sempiternum, millies tibi stella oriatur matutina:

Felices populi, felicia Regna Rodolphi,
Simus prompti & iussa sequamur Heri.

Tu quoque Rex placidissime, in cuius animo ruga non est, aut næuus deprehensus: genus Vngaricum in amore, vti cœpisti, & clementia ponito: quod tibi, vt Macedones Alexandro, periclitationibus constanter aderit, quo addicto omnium eius neruorum & potestatum omnes ferent fructus. Non enim sub te, vt liberi modò sint, arma capiet, sed maiorum more, vt aliis imperes, seruitutem longinquissimis minere, integra omnia tibi & gloriosa eueniant, plena lætitiæ, plena obseruantiæ, & pietatis, efficient. Vix alia natio, si frenum habeat, & bona verba, tractabilior, ab ira ad lenitatem paratior videtur: quod ex magnis ducibus intellexi, & vetusta monimenta comprobant, Vngarum nõ indulgentia, sed seueritate molliri: non clemẽtia, sed virga ferrea in obsequio retineri. Mutuum, scis, habent reditum pater, & filius; patronus, & cliens; Rex, & subiecti: nec minus sceptra facilitate, & mitibus sensibus, quàm sæuitia, aut contemptu semper constitêre: In quorum altero est suauis amor, & reuerentia; metus, & turbæ in altero: quod vel in turpissimo Caligula extabat. Olim, dum immanitatem Turcæ, & funus proximi Vngari vehementer horrebant: distracto quorundam studio, ambitiosaque voluntate, non omnibus satisfecere: sed voragines, & scopuli quidam, perniciesque Reip. contra officium admiserunt: factum nemo excusat, autores, vnà cum posteritate extincti, pœnas luere: sed non obscuræ Regiones aliæ, æquè, nedicam grauius, quas nulli barbari attingunt, nullæ causæ vrgere, peccarunt, sponteque exitium ac dedecus sibi dicuntur creasse: Vt istius vulgatæ de Vngaris opinionis ac vocis notas aliorum nõ minus animos subiisse, atque exercitos labefactasse audiamus. In exteros Dominos, longius excitos interdum leguntur illi fuisse duriores, minusq; dicto audientes: erga suos, & proprios, aut vicinos non item. Hæc non affectè, aut morbo dicta, minus in vllius iniuriam trahi velim: Veruntamen subiicio, vt quisque intelligat, decus Vngaricum non aliquot leuium hominum facinoribus obscuratum: sed plurimorum fidorum optimatum in Domum Austriam constantia, semper valiturum. atque de his nunc satis.

FINIS.

DE GIV-

DE GIVLAE, ET ZYGETHI EXITV, 1566. SAMB.

GIVLAM Bertah Bassa vi summa,& ope nisus, omnino sibi expugnandam,rebus orientis pacatis,& ad offensam nostrã com paratis , depopo sc erat : imò iam pridem ad Zolnok familiaritate Kereczenij spem deditionis, eiusque potiundæ haud obscurè deuorauerat. Mouerant eum nonnullæ ad tantum opus, onusq; causæ: quòd multis locis & partibus suos cruentissimè passim acceptos,tractatosq; à Pannoniis cognorat: ac nisi tempestiua expeditione,qua leuia & angusta quædã obstacula,velut auerreret, præcaueret,nullum interuenientium impedimentorum fore modum putabat : tum intellexerat ipsum Sultanum herum suum, frustra iterum Zygethum aliquãdo tentatum, cum dedecore, & capitis discrimine tertium impetiturum : deque eo triumphum ad grauem ætatem, velut suarum præclarè gestarum rerum coronidem,additurum : vti cuncta expedita per Hungariam posteris forent: & in oras, viciniamq; Stiriæ simul,& Germaniæ irreperent, vestigiumq; ponerẽt. Coacto, igitur, Bertah ex omnibus Natoliæ,Cappadociæ , Mœsiarum ditionibus vsitato milite,aucto eo paganorum quoque & tumultuariorũ numero, ad 80000, Giulam aduolat. Castris metandis oppidi situm Chrysio amne per fossas tutum, definit. primis conatibus lentè omnia , remisseq; agit, consilia nostrorum explorat, vt amnem riuulis auortat,in sicco oppidum destituatur, machinationibus accurat. Non diu cessandũ ratus, amnem traiicit, obductisq; defensaculis & prætextibus,sese ad fossas,vallosque proripit,è latebris nostros infensius petit, oppidanos ita exercet : vt diu furorem sustinere se,abducta aqua,vix sperare potuerint. Nihilominus ita resistunt , ita leuioribus concertationibus occurrunt , rarò vt cesserint,suoq; periculo illi nostros elicuerint. Sed quinta obsidionis luce,cùm sese nostri impares perpetuis laboribus, fatigarive quererentur : in laxiorem , & exteriorem se arcem, quatuor portis insignem , textis , sepibusq; terra cohibita, & aggeribus circumfusa,nil sibi metuendum,si intrò cesserint,æstimabant. Succendunt,igitur,oppidum,& nihil opportuni istic hosti relinquentes, ex arce vehementius agere , insultare, cædibus miscere omnia occipiunt : vt hostium numero diminuto,horrendas minas,& lanienam,si furere nostri perrexerint, breui sensuros Turcæ dictitarint. Sed Turcam præbita spes deditionis animabat : conscios, non diuturnam fore depugnationem, si pacta clàm inchoata cum Ladislao Kereczenio , valitura essent. Vtinam ad extremum per præfectos, & nonnullos consilij participes,eam præsidiariis virtutem,animorumque præstantiam exercere licuisset. Sed metu inani ab fidei desertoribus , vulgo iniecto, falsisq; rumusculis de Zigetho occupata instructo: omnes videlicet adhuc obsessos , à Germanis nunquam subsidio liberatos , Schuendio negotium cũ Daco & Tartaris futurum , Cæsarem ad Iaurinum castris motis laboraturum : Turcas vltrò pacem offerre , aquæ subductam esse commoditatem : spectare ista cuncta eos debere : ni sanius & mitius quid cogitarint, ad omnium perniciem obsidionem excessuram. Hortantur ea re fraudulenter subordinati gregarios : sæpe ad colloquia clàm foras proreptant : vincunt bonis verbis, vti de arce quoque exteriorẽ deserenda senatum habeant : quò si se receperint,suaq; conduxerint : tutiora omnia futura , eiusq; etiam opinionis esse Schuendium, & Cæsarem iubere assentiunt. Leges ad speciem voce præconis de constantia retinenda, omnis vt suspicio cordatioribus eximeretur,promulgatæ confiunt. Ne scilicet vllæ literæ telo, aut alia arte emissæ, vel intromissæ accipiantur: ne quisquam, si vitam amet, verbum de deditione cogitanda proferat. sed falsæ, nõ veræ rigidæq; fuerunt hæ leges, corruptæ vitio præfecti , renitentibus palàm æquioribus : in primis vicecapitaneo Ioanne Gyzio, & Stephano Glythi, peditum ductore,& aliis: qui dolum

pridem ſubolfecerant, cæterosq́; ad immotam fortitudinē firmabant: ſentire ſe quidem, neſcio quid relaxionis in præfectis aiunt, Deo tamen votum iuſiurandum, & gloriæ, officioq́;, quo inautorati eſſent, plus, quàm cuiusquam blandis & lenibus verbis debere, à depugnatione ne auerti ſe patiantur, òrare. Quibus monitis haud parū profeciſſent, niſi cæca quadā, peruerſaq́; ratio præfecti, promiſſaq́; vana plus apud imperitiores potuiſſent. Semper, vt à multis audiui, Kereczenij ambitus, & ea præfectura Giulæ, tot muneribus & precib. ob lucri amplitudinē experita, obtentaq́;, ſuſpecta eſſe cœpit: pręſertim, quòd affinitate Christophori Bathorei, cuius ſororem priore matrimonio ſibi adſciuerat, ac Reguli Tranſyluani ſeſe tueretur. Non obſcurè præ ſe tulit: eam eſſe autoritatem Bathorei apud Ioannē Sigemundum, huius apud Solymannum, vt, ſi aduerſi quid Giulæ ingrueret: ſe eorū autoritate, & vinculo, citra omnis dedecoris labem, auerſuturum: imò ſi vellet, hoſtium arma ſibi adiuncturum, & quiduis obtēturum. Quapropter cùm Giula firmiſſimo equitum & peditum veteranorum præſidio munita, cunctisq́; ad neceſſitatem & manus affluentibus copioſa eſſet: nec aliquid metuēdum ſibi miles putaret, quòd nullam vim integra interiore arce, ſeſe foris, præter aliquot loca patefacta, conſpicerent: tamen perſuadentur, vt in arcem vetuſtiſſimam, quadrāgularem, tegulis latericeis, vnica pro porta turricula prominente, ad nullam offenſam conſtructam, confugerent: ibiq́; ſecuritatem, ſuisq́; incolumitatem omnem ponerent. Res omnis ſuſpicionem intelligentibus auxit, digreſſus frequentes, clandeſtini commeatus diſplicuere, præſerim ad propugnacula ruinis hiantia, itemq́; aliquot dierum vtrinque admiſſa à vi ceſſatio. Sed pertinaciter probiores conſtant: vitā cum hoſte ſe permutaturos potius, quàm vllo indicio in vllam deditionis rationem demiſſuros, profitētur, idq́; ſe dextris comprobaturos. addunt, ſeſe denuò ſchedulā in caſtra hoſtiū emiſſam deprehendiſſe: in autorem lege capitali inquirendum, nec vlli parcendum. Ilicò factum de ſchedula Præfectus excuſat, eſſe in hoſtibus exploratorē ſuum tutum Noſosky, quem ad colloquium ſalutare, neceſſariumq́; acciuerit, ex eo ſe nuncium lætum accepturum: non vllo dolo, animoq́; ſiniſtro ſe id commiſiſſe: meliora ſperent, ſeq́; vt purgaret, ilicet per pręconē horrendā vocem iterandam, quicunq; deditionis vel temere meminiſſet, correptum intra & extra muros verberandū, laqueoq́; puniēdum, fingit. Cauſſas vtcunq; prolixius recitatas alij accipiūt, ſed inter ſe murmure agere, capita, vitam pro patria, Rege deuouere, circumſpectè agendū, inq́; omnes partes & angulos oculos coniiciendos dicere. Paulò pòſt ſparguntur voces, aduenturū Bathoreum, Bertha Baſſam amicitiam polliceri: integram, ſaluam Giulam manſuram, nec ſe cupere aliud, quam vt citra dedecus, obſidionem laxet: dimiſſum iri præſidiū conditionibus quibus velint. ſatis eſſe depugnatū: IX ſeptimanis inſanam vim expertos. Amhatum Temeſuaro ſcripſiſſe obſides dentur: cuncta fauſta, mitiaq́; ſenſuros. Quibus quidem pollicitationibus quid non obiectum fuit? Nihilominus conſciis nonnullis etiam Germanis (vt aiunt) res, obſiſtentibus nequicquam potioribus, in deditionem ornatam verbis, & promiſſis tolerabilibus, at pòſt cęde cruenta, exituq́; miſerabili præſtitis, datur. Perſcribuntur miſſis Kereezenio purpuris & aliis literæ, legesq́; deditionis à Turca: intermittūtur Matthias Kereczeni cum aliis obſides, dum per Bathoreum cuncta definiantur. Sed oblata incolumitas meritò præfectum cum ſociis fefellit, ex diſciplina, moreq́; Turcorum veteri. Nam vix ad X.M. paſſus, reliquiis dimiſſis, relictis iſtic tórmētis, armisq́;, ſarcinis in onerarios currus elatis: ecce Ianiczari è latebris noſtros complectuntur, ſanguine, præda omnia replent, paucis admodum elapſis: quos adhuc præſtās virtus commendat, inque viuis, vt Ioannem Gyzi, Stephanum Fewldwarij tenet. Ita perfidia pœnas in autores redegit. Nam ſecunda Septemb. arce ſuperiore nullā vim experta, deditur: cuius exitum quinta pòſt die Zygethi amiſſio, cùm triduò antè Solymannus ibidem animam euomuiſſet, fortiſſimiq́; Nicolai Zerinij mors immortali memoria digna conſecuta eſt. Cuius Herois exemplum vtinam bonus Kereezenius ſibi ad conſtantiam propoſuiſſet: priſtinæque ibidem virtutis

memor,

memor, decus suorum, spemque præmiorum esset intuitus. Sed tamen tanta iactura, non exigua parte subitò, præterque omnium spem, per Comitem Eccium Salmensem restituta, sartaq; fuit. Is enim cùm longius malum discessurũ, suamq; custodiam Iaurini in angustias coactũ iri prospiceret: memor Zerinij & sui officij, assumpto Achate suo, Georgio Thurio, Vesprimium cum Tata ab hoste recuperat, vias & aditus infestos, obsessosq;, ad Iaurinum celeriter expedit, agros & fines cultoribus propagat, ad prospiciendas & auertendas insidias, ita inuia purgat, vt omni metu agricolas, & nobilitatem tot annis pressam, opibus & prosperitate auxerit. In reditu Maximiliani II. qui 60000 exercitum ex vniuersæ Christianitatis societate, Italicis, Gallicis principibus, & Germanis (in quo ad 16000 equitum fuere) instruxerat, vti Zygetho succurreret: nuncio casus dolenter accepto, præfectóve Albensi paulò antea intercepto, & capite Zerinij ad Iaurinum in castra misso pompaque curato, cùm Iaurinũ rediisset, per Croatam, vt ferunt, subdito igni, damnum mercatoribus incendio ad 200000 fl. datum, conflagrarunt ad 100 ægroti & infantuli. Cumque sua Maiestas 14. Aug. hinc Vienna se mouisset, mense Septembri salua rebus, & comitatu, Deo duce, dempto passim metu, & periculo hostium, eodem rediit. Sed de his, & Zygetho alibi copiosius dicetur. Ne tamen, dum plura legeris, summa historiolæ hic apta fraudere: paucis, quid propemodum quoq; die per obsidionẽ actum sit, accipe. Solimannus vltima senecta vindictam, & aliquot iniurias persecuturus; finem vt aliquando bello Pannonico imponeret, cùm ei Transsyluanus in via, comitatu amplo, & muneribus, se vt tutela quasi absolueret, pristino tamen patrocinio foueret, occurrisset: ecce 200000 exercitu ad Drauum cõsistit: cuius eluuies tam est importuna, vt viciniam ad M. passus interdum lacunis, paludibusque fœdet, inundetq;. Ponte igitur, iam antea mãdatu Tyranni subitaria & promiscua subditorum opera, longè strato: sexta Augusti, præfectis castrorum, Mechmeto, Hazonbeco, Karanbeco, Bosnensi custode, ad Soklosium prius Budensi Orozlambeco strangulato, apertè ab regione S. Laurentij imminet, cumq; locum vdis & caricosis impedimentis difficilem prospiceret: arcem duobus munitis oppidis, & suburbanis, pòst totidem intus latentibus arcibus, & præsidio Zerinij dudum noti, aliisq; fortissimis Heroibus, molestias sibi præbituros Mahmeto dixisset: primis diebus velitationibus nostros fatigat, tormentisq; cõtinuò in nouum oppidum directis, ita sepes, & cophinos exaggeratos, concutit, conuellitq;, vt nostri cedere, à se subiecta flamma, inq; veterem ciuitatem fugere cõpulsi fuerint. quò vbi se iniecerunt, ad vim insecuturam depellendam, mirè se firmant, ad omnes aditus instruunt, ne quid furor hostium temerè noceat. Interea propugnaculũ ingens, terra effossa, inq; aceruum congesta, quo machinas subleuent, éque alto in nostros ardentius agant, Turcæ procurant: vnde plurimum damni, ac postea ruinarum manauit. Quare Ianizari ad insultus vallo, cratibus, & virgultis per paludes stratis, ad mœnia interiora, viasq; moliuntur, sæpe dimicant, tamq; insanè conatus vrgent, vt defensores iam tum loco moturi, vehementer turbarint, metuque perculerint: dum 19 maius quoque oppidum importunitate, ac vehementia sua obtinuerint, præcipua nostrorum iactura, qui subsidij externi omnem spem dudum & alleuationis abiecerant. Tum certè præcipui milites, ac Wayuodæ, vnà cum omnis generis machinis, & ad sustinẽdam obsidionem annona copiosa, periere. Hinc spe maiore ab oppugnatoribus concepta, dum nil ad victoriam intermittunt, 26 impetum in arcem exteriorem è propugnaculo foris emunito, egestóque, faciunt: viam iniquam, lutosam, & vliginosam, quibuscunque modis, ad commoditatem explere, & connectere instituunt: cumq; ibi tanto furore dimicatum aliquot horis fuisset; elusi hostes, Bassam, cum innumeris aliis, duobusque signis cohortium, amisere: sed animos nostris addiderat ipsius Zerinij præsentia: cuius dextera cum acinace cruore hostium madebat. Hæc victoria, si quid aliunde foris auxilij admitti intrò potuisset, nostrosq; à perpetuis iniuriis recreare: haud parum ad obsidionem producendam, dum Cæsaris castra propius accessissent, recentiq; milite lassos, fatigatosq; Turcas aut sub-

Zygethum.

mouissent, aut prorsus depulissent, opinionis, speique attulisset. Sed aduerso fato cuncta illis mora & fatigationibus accidêre: intrepidè tamen Capitanei omnem sociis metum excutiunt, mortem sibi propositam à Deo, perpetua gloria enunciarunt. Donec septima denique Septembris, hostis numero suo, & recentium militum manu subinde obiecta, fretus, & quòd celeritate sibi opus esse, ob Maximiliani II. accursum, videret: insanis fulminibus propugnaculum præcipuum maioris arcis verberat, partibus dissoluit, passim per texta & mœnia foramina ad conscensum pertundit. postremò ignem iniicit, quo correptis intus ferè omnibus locis, ad pulueris vsque nitrati turrim, & consumptis: primum Zerinio & sociis, fumus & ardor animum infregit: extremóque periculo in interiores receptus confugiendum animaduertunt. Sed eo quoque flamma penetrante: tandem subsidiis cunctis, & salutis viis remissis, Zerinius concione suorum pectoribus vltima corroboratis: exiliendum ex intima quoque arce censet, proque portis & fossis ibidem fortiter cadendum. Quem cõstantissimè Heroes secuti, paucis superstitibus habitu mutato, reliquis: pulcherrima morte, exemplum posteris, suique immortale desiderium ediderunt, memoriã triumpho cœlesti consecrarunt. Ita Solymano, qui triduo antè stomacho facto & nonnullo metu tacto, luce excesserat, Zygethum suorum 30000 occasu, vitaque propria constitit: cuius obitus tectus, tacitusque ad inaugurationem vsque filij Selymi, prudentia cati Mehmeti permansit.

FINIS.

CHRONOLOGIA PANNONIÆ, PER IO. HEROLD.

HAVD *dubium est, ab Adamo omnes sibi nationes ortum sumere posse, vel tribuere: manifestissimè autem à Noe post diluuij cladem citra ta[illegible] suam sibi quisque gentem, nomen vendicare. Qui quum* CCCL *annos postea vixisset, non sat habuit tribus filiis orbem terrarum diuidere: sed procreatis adhuc multis liberis, orbẽ circumire, instruere ab eo editos qua arte, quóve ingenio ac iure vniuersi, quos vna regio non comprehendeb[illegible]t, vitam possent viuere tranquilliorem. Cum Tuyscone igitur gigante filio, Semi progeniem etiam ad Arcticum misit: vbi nepotis Mesæ, Aramei filij, proles Bannon [illegible]stri regionem inferiorem ac vberiorem sortitus. prouinciæ nomen suum imposuit. Hi deinde Græcis Pæones dicti: postquam autem Latinis innotuere, Pannones vocitati sunt.*

Anno diluuij CLV.

BANNON *primus in Pannonia regnauit, & prouincie nomen dedit.*

Anno diluuij MDCCXCVI.

Dareius, Hydaspis filius horum libertati ac virtuti insidiatus est. Liberos Megabyzo Europæ præfecto, operam nauante subegit: subactos magna ex parte in seruitutem abegit. Sed anno statim tertio, quum Aristagoras Mileti tyrannus rebellaret, iterum in patriam redíere.

Anno diluuij MDCCCCXXXII.

Cùm finitimis formidolosi essent, Amyntas Macedonum rex, populi ferocitatem pertæsus, bellum illis intulit, infeliciter verò pugnauit: ad stipendium soluendum adactus, illis Philippum filium obsidem dare coactus est.

Anno diluuij MDCCCCXLV.

Hanc cladem quùm Perdiccas Macedo vlcisci vellet, ipse ad captiuitatem, vltimamq; miseriam redactus est.

Anno diluuij MDCCCCXLVI.

BARDYLLVS *autem ob victoriam elatus, Macedoniam inuadere ausus regem Philippum, disciplina militari apud Epaminundam principem Græciæ instructũ, cladem parentis ac iniuriam propriam qui vindicaret, inuenit: ab eo victus, precario pacem impetrauit. Sed*

anno

anno deinde quinto Philippi, quum iterum rebellasset, in ius Macedonum compulsi sunt.
Anno dil iiij M DCCCC LXXI.

LAGARVS *verò, regni Alexandri anno primo, Antoriatos, ne negocium Asianam expeditionem meditantis Alexandro facesserens, edomuit. Macedonum Agrianos contra Darium Arsamis filium sequi iussit: quo in bello & regiam custodiam, & nomen celebre adepti sunt. Vnde facilè libertatem suam diu retinuerunt, adeò quod Sylla cum edomitis Scordiscis ferocissimis, pari delicto reos, pari vindicta castigandos censebat: tam turpiter ab ipsis rejectus est, vt deinceps per longum tempus, qui Consulatum apud Romanos inirent, Pannonum à bello abstinuerint.*

10 *Hactenus Pannones liberi suis legibus viuebant: sed Augusti fortuna, eos, vt cæteras orbis nationes, Imperio Romanorum adiecit.*

ROMANA PROVINCIA PANNONIA
Anno à nato Christo IX.

Cesserat orbis Imperium Augusto: cederet vt Pannonia, in fatis quoque fuit. Libertatem eorum repressit primò, misso Vibio: deinde per Tyberium Romano Imperio adiecta, sub Galieno superiore Pannonia aucta: sub Probo, vineis consita, legionibus duabus ad Constantinum vsque cohercita.

VANDALI PANNONIAM OCCVPANT
Anno à nato Christo CCCXXXVI.

20 *Exhausta deinde, peste ac principum impietate dilacerata vndique, cum Imperij ruina à Romanorum fide detracta est, postquam sub Romanis* CCCXXVII *annos degerat. Constantini ergo permissu, Vandali propriis sedibus à Gothis expulsi, eam per* XL *fermè annos inhabitarunt.*

GOTHI PANNONIAM INHABITANT
Anno à nato Christo CCCLXXXII.

Gothi autem hos, Theodosio Imperatore Orientali ægrotante, duce Alatheo & Safra, expulerunt, Pannoniam ex fœdere, cum Gratiano icto, possidentes.

HVNNI PANNONIAM INTRANT
Anno à Christo nato CCCCI.

30 KEVA *autem duce Hunni, Arcadio imperante, Gothis expulsis, Pannoniam, pugna cruentissima cum Macrino Illyrici & Thetrico Germaniæ præfecto, cocmerunt. occiso namque duce,* CXC *millibus desideratis, Romanis victoriam reliquerunt, quòd post hac contra Hunnos exercitus reparare haud potuere. Pacata deinde prouincia reges habuerunt duo: quorum primus à nato Christo 428 Atila, regnauit 27. deinde 455. Ernacus, regnauit 3. Sed is fraterno ac ciuili bello exhaustis viribus, in Scythiam ab Ostrogothis pellitur. paucis ex Hunnis in Pannonia relictis.*

OSTROGOTHI PANNONIÆ IMPERANT
Anno à nato Christo CCCCLVIII.

Valamir regnauit annos 4, Theudomer 11, Theodoricus 51, Athalaricus 3.

40 LONGOBARDI PANNONIAM REGVNT
Anno à nato Christo DXXVI.

Andoinus rex, expulsis Ostrogothis, regnauit in Pannonia annos 17. quem insequutus Albuinus, 25: donec à Narsete in Italiam vocatus, Hunnis veteribus amicis ex pacto cessit, vt si quo tempore Longobardis necesse foret reuerti, sua rursum arua reciperent.

HVNNI PANNONIAM RECVPERARVNT
Anno à naro Christo DLXVII.

Auarius, quum regnasset 29 annos, Chacanum habuit successorem.

ROMANI PANNONIAM RECIPIVNT
Anno à nato Christo DCIIII.

50 *Mauricius Imperator Pannoniam recepit, vnde variis casibus sub Orientalis Imperij iure* CXL *annos agitata est.*

HVNNI PANNONIAM TERTIO INVADVNT
Anno à naro Christo DCCXLIIII.

ALMVS *Vngarorum, qui iam Pannoniam inhabitant, dux, auitas sedes repetens, Suathen Imperio subditum debellauit. Eius autem genealogiam Bonfinius ex Annalibus Vn-*

garorum excerptam, quum ediderit, ne Vngaros suæ antiquitatis fraudaremus, visum est addere.

1 Noe, 2 Iaphet, 3 Cham, 4 Chus, 5 Nembroth, 6 Hunor, 7 Boras, 8 Damas, 9 Cheledus, 10 Cenes, 11 Chear, 12 Beler, 13 Radar, 14 Othmar, 15 Sercans, 16 Bondosardus, 17 Bucenes, 18 Canadus, 19 Ruldus, 20 Beztur, 21 Micas, 22 Misces, 23 Ompudes, 24 Chulchas, 25 Leuentas, 26 Lechel, 27 Zambur, 28 Balugus, 29 Bulchus, 30 Sulthanus, 31 Berendus, 32 Cadica, 33 Opus, 34 Etheus, 35 Stemenes, 36 Turda, 37 Bendecucus, 38 Atila, 39 Chabas, 40 Edus, 41 Vegecus, 42 Elendus, 43 Almus.

Huius ergo progenies quum imperasset, Pannoniamq́ prouinciam iterum pacasset, tandem inito fœdere cum Taßilone Bauariæ duce, cladem tulit famosißimam, ac imperio excidit. 10

PANNONIA A FRANCIS SVBIVGATA

Anno à nato Christo DCCCV.

CAROLVS *Magnus Hunnos ad internecionem vsque deleuit fermè, sed sub Francis quum per centum annos, in Caroli Pipini, Lindeuti, Lodouici, Carlomanni fide perstitissent: sobole aucta, Arnulpho extincto, Germaniam & Galliam calamitosam incursionibus fecerunt.*

PANNONIÆ IAM QVARTO PRÆSVNT HVNNI,

Anno à nato Christo DCCCCXCIX.

TOXIS *dux Almi nepos, Italiam inuasit: decem modiis argenti sumptis rediit:* GEYSAM *filium reliquit hæredem, qui orthodoxa fide, quàm bello clarior, Stephanum produxit regem.* 20

CERTVM REGNVM VNGARORVM IN PANNONIA,

Anno à nato Christo M.

REGVM *igitur Vngariæ series, quorum quidem annos apud Bonfinium & alios inquirere licet, hæc est:*

1	*Stephanus*	12	*Geysa*	*II*	23	*Venceslaus*	
2	*Petrus*	13	*Stephanus*	*III*	24	*Otho*	
3	*Aba*	14	*Bela*	*III*	25	*Lodouicus*	
4	*Andreas*	15	*Emericus*		26	*Maria*	
5	*Bela*	16	*Ladislaus*	*II*	27	*Carolus*	*II*
6	*Salomon*	17	*Andreas*	*II*	28	*Sigismundus*	
7	*Geysa*	18	*Bela*	*IIII*	29	*Albertus*	
8	*Ladislaus*	19	*Stephanus*	*IIII*	30	*Vladislaus*	
9	*Colomannus*	20	*Ladislaus*		31	*Ladislaus*	*IIII*
10	*Stephanus II*	21	*Andreas*	*II*	32	*Matthias.*	
11	*Bela II*	22	*Carolus*				

30

HIS *si Reges, qui à Matthia, quos Bonfinius non descripsit, addere voles, quatuor inuenies:*

Vladislaum II 40
Ludouicum II
Ferdinandum
Ioannem.

Quid mali autem inuexerit Ioannis pertinacia, Respublica Christiana animi angore inæstimabili sentit: quid synceritas FERDINANDI *exposcat, in omnium voto est.*

HABES *Lector humanißime, Pannonici Imperij variationem paucis: imminentem mutationem, quam, ne malum aliquod omen effutiam, nominare non audeo: vt Deus auertat, supplex ora.*

FINIS. MDXLIII.

VNGA-

VNGARICAE HISTORIAE CORONIS:

AVTORIBVS,

Michaele Ritio Neapolitano, Bonfinij Rhapsodo:
P. Callimacho Experiente:
Nicolao Olaho:
T. Alexandro Cortesio.

MICHAELIS RITII NEAPOLITANI DE REGIBVS VNGARIÆ LIBER PRIMVS.

VALENS in Vrbe rerũ potiebatur, & Damasus erat pontifex, eius nominis primus: vel (vt alij sentiunt) Flauij Iustini principatu, qui Iustiniano successit, anno Salutis trecẽtesimo septuagesimo tertio, Scythiæ gens Hunni, quos aliqui vocant Vngaros, assumptis Cheme Chadichiaq; Germanis, & Bela ducibus, relictis patriis sedibus, ad armatorum decies centum & octoginta millia, cum liberis vxoribusq;, & supellectili, iumentisq; & omni pecore, superata Mæotide, quò primùm delati sunt, Gothorũ fines occuparunt. Deinde Bessos, Sudalos, & vtranq; Cumaniam, scilicet Albam Nigramque, quæ Madouia nunc appellatur, & Rutenos in ditionem redegerunt, traiectóq; Tanai, iuxta Pannoniam castra posuerunt, ad ripas amnis Titij. Tenebant eo tempore Pannoniam Longobardi, quum capti facie locorumque vbertate Hunni, eam sibi perpetuam sedem designant. Ea re comperta Macrinus, qui Pannoniæ, Dalmatiæ, Thraciæque, & Macedoniæ præerat, is quum per literas ab imperatore petisset auxilia, Dietrichus Veronensis, qui Germaniam, vnde oriundus † erat, obtinebat, belli socius ei datus est. Etiam conuenerant ad Potentiam, secundum fluminis Danubij ripam, ciuitatem: deque ratione belli consultando, multos absumpsere dies, ab hoste nihil metuentes, interiecto Danubio, qui non facilè transitum dabat. Interim, distentis vribus & spiritu plenis Hunni Danubium constrauerant, iniectaque materia, veluti per pontem, traiecerant in alteram ripam, ac Romanos inopinantes adoriuntur: eorumque multos, subita re perculsos, interemerunt. Dietrichus autem Macrinúsque, collectis ex fuga quæ supererant copiis, hosti se opponunt: consertáq; manu dubio Marte vtrinq; acerrimè pugnatum est vsq; ad vesperam, quum Romani Barbaros in fugam vertunt, iterumque Danubium traiicere, qua prius arte compulerunt, amisso vno ex ducibus Cheme, centumque vigintiquinque millibus in acie desideratis. Nec incruenta Romanis ea victoria fuit: nam ducenta de-

† Berna.

cemque millia suorum amiserunt. Postridie Romanus exercitus Tulnam versus iter fecit: ea re comperta, Hunni traiecto Istro, castra posuerunt, vnde Romani discesserant. Commilitonum pridie cæsorum cadauera, more Scythico tumulauerunt in via militari: locusque ex re, Cheueoza dictus, hodieque mutatis syllabis, Cheazo nominatur. His rebus Hunni confectis, aduersus hostes pergunt, instauratoque prælio fundunt, cæduntq; in campo Chesmaurilis. Tantisque vtrinque animis concursum, vt Macrinus, vnus ex ducibus Romanis, Bela, Chemes & Chadichia ceciderint, Hunnorum duces. Hunni tamen ex hac victoria, tota Pannonia potiti sunt.

Anno Salutis itaque quadringentesimo primo, post eorumque in Pannoniam aduentum duodetrigesimo, Hunnorum omnium cõsensu, rex Atila creatus est, quem Hunni gentiliter Ethele vocãt. Is Hunnorum primus in Pannonia rex, acris ingenij vir, rei militaris peritissimus, ingentis animi, corpore robustus, in hoste fallendo callidus, habitu cæterisq; domi forisq; splendidus: insigne gestabat asturem, ex accipitrum genere, coronatum. Decies centena armatorum millia, præter gregarios, sub eo meruisse traditur. In epistolis diplomaribusq; ita se inscribebat: ATILA, FILIVS BENDECVCI, NEPOS MAGNI NEMBROTH, NVTRITVS IN ENGADDI, DEI GRATIA REX HVNNORVM, MEDORVM, GOTHORVM, DACORVM, METVS ORBIS, ET FLAGELLVM DEI. Fuit Atilæ frater nomine Buda, cui regni portionem concessit, quicquid ab amne Titio ad Tanaim vsque interiacet, exercituq; ducto, Mœsiam, Achaiamq;, & Macedoniam, ac vtranque Thraciam redegit in potestatem. Motus ea re Gepidarum rex Alaricus, Marcomanni Sueuiq;, Quadi, Erulique & Turingi vltro in Atilæ ditionem venerunt. Exinde Germaniæ fines ingressus Atilas, obuium habuit Sigismundum Constantiæ principem, cum valida Germanorum manu, quem tamẽ ad Basileam prælio victum fugauit, expugnataq; Argentina, muros vrbis diruit, ac solo æquauit, vt inde Strasburg appellata sit. Excisæ per idem tempus Auxona, Bisontium, Cabilo, Lingonensis & Lugdunum sunt ab Atila, qui profectus Aurelios, vrbẽ circumsedir, etsi tertiam copiarum partem miserat aduersus Soldanum Miromanum, qui Bethicæ fines attrectabat. Ethius interea Patricius in Atilam comparauerat ingentes copias, in eiusq; belli societatem Theodericum Gothorũ regem pellexerat, Atilæ frustrato consilio, qui Theodericum sollicitabat, omnique studio conabatur ad se traducere. Vnde coactus Atila, ab Aureliis abducit exercitum in campum Cathalonicum, qui Campania nunc appellatur, in quo Cathalonensis vrbs est. Eodem duxit agmen Ethius, qui præter legiones Romanas, auxilia Cathorum, regisque Theoderici, Merouæum tertium Gallorum regem, Saxones Sarmatasq; & Britones, aliosque præterea multos in castris habuit. Atila primò missitandis vltro citroque legationibus, specie petendæ pacis & induciarum, rem differre tentabat, quoad reliquam exercitus partem a Bethica reuocaret. Eius consilium non fefellit Ethium, qui abscissa pacis spe, prælio decernere properabat, antequam omnes Atilæ copiæ conuenirent, & primò leuibus vsi certaminibus, ira demum gliscente, quum non possent animi militum contineri, necesse fuit Atilæ, præter animi sententiam, iniquo suo tempore manum conserere. Quod vnum licuit, auguriorum fidem sequutus, certamen ad serum diei distulit, eo quoque consilio, vt si victoria penes hostem fuisset, noctis interuentu, fugæ daretur occasio. Collatis itaque signis, diu æquo Marte pugnatur, donec Atilæ cessit exercitus. Occubuerunt in eo prælio Merouæus Gallorum rex, & Theodericus Gothorũ. Publica opinio est, ad hominum centum octoginta millia vtrinque cecidisse. Theorismundus autẽ Theoderici filius, audita morte patris, ad internecionem persequi Atilam iurauit. Quod vbi comperit Atilas, ephippiorum sellarumve struem componi iussit, imperauitque suis, vt si quando conscenderet eũ rogum, facem subderent: malebat enim suorum manu perire, quàm viuus in hostium potestatem venire. Sed Ethius, veritus ne Theorismundus, Atila deleto, deficeret ab amicitia Romanorum, suasit, vt antequã Theorismundus in Atilam grassaretur,

faretur, regni res constitueret, in quo fratris cupiditatem nō iniuria deberet habere suspectam. Quæ res effecit, vt Atila reparatis viribus Gallos adoriretur, vrbemque Trecarum vi cepit in Campania, intra quam ductus est à diuo Lupo episcopo. Mouebatur enim Lupus Atilæ titulo, quòd flagellum Dei se diceret. Inde reuersus ad vrbem Remorum, vastata prius omni regione, expugnauit, ac diripuit, ab eoq; Remorum pontifex Nicasius, ac eius soror Eutropia, sanctitate vitæ maximi, crudeliter interempti, martyrum diuorumque numerum auxerunt. Sunt qui tradant, Vrsulam regis Britanniæ filiam, cum virginum vndecim millibus, dum secundo Rheno veheretur, in Atilæ milites incidisse, quum
10 fortè Agrippinam vrbem, quæ Colonia nunc dicitur, obsiderent, ab eisque trucidatas omnes, ideoque relatas in cœlum. Subegit insuper Atila totam ferè Galliam, Lothoringiamque. Mox in Pannoniam rediit, eiusque fratrem Budam sua manu iugulauit per causam, quòd is in se nouas res molitus esset, armisque depositis apud Sicambriam, quam Budam vocant, quinquennio quieuit. Inde mouens per Stiriam Dalmatiamque populabundus, Salonas, Spaletrum, Iaderamque & Sibinicum, cæterasque maris Adriatici vastauit vrbes. Aquileiam per tres obsedit annos, donec edixit, vt equitum suorum quisque ex quatuor ephippis ligneis sellis vnam coniiceret in fossam, congestoque ingenti aceruo, immittiignem iussit, eoque incendio labefactatis corruptisque iam mœnibus, augu-
20 rioque ciconiæ confirmatus, vndique inuadit vrbem. Acriter aliquandiu ad mœnia pugnatum, sed quum Hunni fessis integri succederent, oppidanique nullam alicunde sperarent opem, capta vrbs est, atque in omnem sexum ætatemque sæuitum, præterquam si qua præstanti forma puella victoris libidini seruabatur. Id quum matrona quædam, honesto loco nata, pulcherrimaque, audisset, ex ædium fastigio in vortices subiecti amnis se præcipitauit, ne à turpissimo hoste vim pateretur. Excidium Aquileiæ, vrbi Venetiarum dedit originem. Scribunt enim quidam, ciues Aquileiæ, proximarumque vrbium plerosq;, dum belli pericula timerent, cum omni familia ac supellectili, ad Riuum altum traiecisse, securos Hunnorum, quippe quos vsu nauigiorum carere probè scirent. Euersa
30 Aquileia, Patauium, Veronam, Vicentiam & Brixiam, Cremonam, Bergamum, Mantuamq;, & Ferrariam, totam denique Æmiliam vsque ad Rauennam Hunni imperata facere coegerunt. Rauennates Atilæ portas aperuerunt, suasu Ioannis eorum pontificis. Atilas ab omni iniuria temperauit, nisi quòd vrbis portas deiici, certamque mœnium partem dirui iussit, qua ingredi egredique posset. Inde Mediolanum profectus occisis ad internecionem ciuibus, vrbem diripuit, ac solo æquauit. Æqua Ticino clades illata, quod oppidum, mutato priore nomine, Papiam vocant. Positis castris inter confluentes, quà Mincius influit in Padum, agitare secum cœpit, an Romam agmen raperet. Ardebat enim inexpiabili in Romanos odio, sed Alarici Gothorum regis exemplo terreba-
40 tur, qui non ita multò post vrbem vastatam diem clausit. Interea pontifex maximus, victus assiduis Romanorum precibus, ad Atilam ex vrbe venit, quem rex obuiam progressus humanissimè excepit, omniaque pontifici, quæcunque petiit, vltrò concessit: itaque pontifex in vrbem rediit, Atila Rauennam. Expressis à Ioanne pōtifice sexaginta marchis auri, in eum omnesque Arianæ sectæ capitali supplicio animaduertit. Itaque Italica præda, opimisque spoliis onustus in Pānoniam se recepit, vxoremque superduxit, regis Bactrianorum nomine Milzolth, etsi plures alias habebat in matrimonio. Quumque nuptiales epulas apparatissimè celebrasset, liberiùs solito crapulatus, in cubiculum se recepit, erumpentéque è naribus sanguine in os dormientis, extinctus est anno ætatis cente-
50 simo vigesimo quarto, regni sui quadragesimo quarto. Ex pluribus Atilæ iam defuncti filiis inter se de regni successione duo certauerūt, alter nomine Chaba, quem susceperat ex Honorij filia Cōstantinopolis imperatoris; alter Aladarius, ex matre ducis Saxoniæ filia. Dietrichus Veronensis inter primos Atilæ præfectos, ac plerique omnes Germaniæ principes Aladario fauebant, Hunni Chabam regem salutauerant. Vterque apud suos aliquandiu regnauit, donec magnis

vndique comparatis copiis, in Sicambriæ finibus acri prælio cæsis externis militibus, Hunni inter se pugnauerunt ad dies ferè quindecim, cũ maxima sua clade. Chaba, quamuis Aladarius in acie ceciderat, ipseq; victor initio videbatur, impar hostium viribus, cum sexaginta fratribus, & Hunnis viginti quinque reliquis, ad Honorium confugit: apud quem moratus annis tredecim, neglecta imperij parte, quã maternus auus Honorius ei pollicebatur, ad antiquos maiorum suorum lares, in Scythiã rediit. Vbi Bendecucus aui paterni consilio duxit vxorem ex Corosmouorum familia, duosq; suscepit liberos, Edemen & Ed, nec ita multò pòst excessit è vita. Pannoniæ non magna manus Hunnorũ substitit, hodieque causa discriminis appellantur Siculi. Deinde, siue quòd ea regio vacua cultoribus, ob ingentes belli clades, fuit; siue quòd Marotus miles Polonus, bellica virtute clarus, ab Atila Mesiæ Vulgariæq; & Santepoluch impositus, Vngaris imperauit aliquandiu, proprium non habuit regẽ, donec anno Salutis septingentesimo quadragesimoquarto, relictis Hunni sedibus suis, rursus effusi cum liberis vxoribusque omnique supellectili, septifariam diuisi, sub totidem ducibus in Pannoniam redierunt. Vbi primo aduentu benignè recepti, nihil hostile moliebantur: postea, Santepoluch armis eiecto, fines occuparunt, ita tamen, vt quisque partem suam sortiretur. Ex septem ducibus, quos diximus, vnus Seiita, primus ad fidem Christi traducere tentauit Hunnos, quum multos Christiani generis homines in exercitu haberet, & in his Adeodatum ex familia sancti Seuerini in regno Siciliæ nobilissima, qui duo cœnobia statuit in Pãnonia, alterum cognomento de Tata, alterum de Parato. Regemque Stephanum eius nominis primum, qui postea consecratus est, ab Alberto Racensi pontifice baptizatũ, die lustrico de sacro fonte leuauit, vnde Tata ab ipso Rege, honoris causa appellatus est: etenim Tatam, generaliter illi patrem vocant, ex quo monasteriũ, quod Adeodatus extruxit, de Tata cognominatũ dicitur. Sub eisdem ducibus in Germania, Gallia, & Italia, plurima moliti, tantùm prædas ex agris egerunt.

Hucusque prima Bonfinij decas.

MICHAELIS RITII NEAPOLITANI
DE REGIBVS VNGARIÆ LIBER II.

VENTVM iam est ad annum nostræ Salutis vndeseptuagesimũ supra nongentos, quo Stephanus ex Geysæ ducis antè dicti stirpe genitus, amisso patre, qui Simingiensis erat dux, obuiam Cupan progressus, implorato diui Martini numine, victor, ipsius hostis capti corpus quatuor in parteis fœdè discerptum, totidem portis vrbium suis in finibus illustrium suspendi curauit, hac de causa, quòd is Stephani matrem secundas ad nuptias compellebat, Stephanoque per insidias necem moliebatur. Itaque Stephanus omnem, quæ sub imperio erat Cupan, regionem redegit in potestatem, regiumque nomen vltrò deferentibus suis accepit. Mox eiecto Giula duce Vltrasyluano, fecit etiam sui iuris Herdechelin, quã vocant Prouinciam, quam Giula possidebat. Mouit & aduersus Sclauorum Bulgarorumque ducem, quem difficili longoque bello tandem vicit, abactáque inde ingenti præda, quendam proauum suum gentibus his imposuit. Albensemque basilicam condidit, vbi reges Vngariæ de more capitis insigne diadema accipiũt. Apud Budam præterea, cognomento veterem, cœnobium sub titulo Petri Paulique statuit Apostolorum. Fuit Stephano filius Emericus, honestate morum, regiisque virtutibus inclytus, quem quum successorem sibi destinasset, intempestiuo fato subreptum pater acerbissimè luxit, ex eóque mœrore, vir alioquin ætatis ingrauescẽtis, paulò pòst diem clausit, quum regnasset annis trigintaseptem. Nec regnum Buda consequutus est, Egruth patruelis sui filius, vt animo proposuerat. Nam Cheila Stephani vxor, præter defuncti viri voluntatem curauit, vt Petrus eius frater & Stephani

phani tantùm consanguineus, vt quem soror eius pepererat ex Guilielmo, Sigismundi Burgundionum regis fratre, regni habenas occuparet.

Petrus itaque voti compos, Vngaros omnes sibi alienauit, quum superbè, crudeliter, auaréque dominaretur. Itaque communicato consilio, nobilissimi quique vno agmine regem adeunt, hortanturque, vt in melius imperandi rationem commutet, auunculumque Stephanum sibi proponat imitandum, cuius dignitatem affectasset.

Sed quum nihil eo quoque modo profecissent, isque perseueraret in proposito, regem declarãt Abam, cui soror antè dicti Stephani nupta erat, Andrea, Bela, Leuentáque, sobrinis ipsius regis repulsam passis: qui quum Cheilæ Petríque sæuitiam formidarent, in Boemiam se receperant. Aba collectis Vngarorum copiis, in Petrum proficiscebatur. at is hostis aduentu non expectato, supplex ad Henricum confugit imperatorem, qui per id tempus erat Bauariæ. Potitus Aba sine cæde toto regno, nihil habuit antiquius, quàm publico omnium decreto res à Petro gestas, vt irritas inducere. Nec Henricus hospitem Petrum neglexit, annóque ex fuga tertio tentauit eum restituere. Sed Aba non expectandum sibi ratus, vltrò cum copiis irruit in Austriam, factisque maximis incursionibus, onustus ingenti præda rediit in Pannoniam. Vnde Henricus infestior in eum factus, apud Agrippinam Coloniam coacto concilio, summo principum Germaniæ consensu statuit vlcisci iniuriam. Sed Vngari per Legatos imperata se facturos pollicentur, modò Petri tyrannidem non reduceret. Interea Gothofredus Lothoringiæ dux aduersus imperatorem bellum mouet. Ad huius ergo conatus imperator omni studio conuersus, Vngaris pacem dat, his conditionibus, vt ab armis vtrinque discederetur, Vngari prædam captiuosque restituerent. Exinde metu solutus Aba, quum nihilominus sæuiret in suos, quàm Petrus, in eius cædem multos excitauit. Quorum comperta coniuratione, per speciem conuentus Chianadunum perduxit, omnesque qui conuenerant, in cubiculo quodam necandos curauit, reliqui confugiunt ad Hẽricum, apud quem Petrus adhuc morabatur. His hortantibus, Henricus & Petrus cum valida armatorum manu aduersus Abam pergunt. Ingressisque Pannoniæ finibus, occurrit Aba in Menseu iuxta Taurinum, collatisque signis, diu acriterque pugnatum est, donec Aba desertus (vt aiunt) à suis, salutem fuga quærens, in villa Scobæ captus ab Vngaris occiditur, ibique primùm tumulatus, deinde corpus in monasterium de Saar, ex eo loco translatum fuit. Henricus exercitu victore Petrum prosequutus, ad vsque Albam vrbem perducit, solennibusque de more celebratis, in pristinum regni fastigium restituit, ac Vngaris, quoad per eum fieri potuit, omni studio conciliare conatus est. Sed ea gratia diuturna non fuit, quum Petrus ad priorem vitam rediisset, Vngaríque eius impotentiam non ferrent. Quumq; Bela sancti Stephani sobrinus, Calui Ladislai filius eius, de quo iam diximus, apud Poloniç ducem moraretur, eiusq; filiam cum summa dote promisisset vxorem ducere, Belæq; fratres, Andreas & Leuenta venissent ad regem Ruthenorum, nonnulliq; nobiles apud Petrum, quòd his studerent, essent delati, capitalique supplicio affecti: Pannones excitato tumultu conueniunt ad Chanad. Andreamque & Leuentam per Legatos accersunt ad imperium, quod omnes Vngari summo studio deferrent. Nec in iis quicquam moræ fuit, exceptique sunt honorificè, omni passim nobilitate plebéque obuiam effusa, ab eóque primò petierunt, vt eis liceret ad antiquam patrum religionem redire, secus aduersus Petrum negabant arma sumpturos, nec id ægrè impetratum. Extemplò omnes sacris initiatos ad vnum trucidauerunt, eorumque cæde basilicas & sacra templa polluerunt. Quumque satis in Petri præfectos vbique debacchatum videretur, in ipsum Petrum verterunt impetum. is Albam contendebat, ab Vngarisq; præuentus, inde exclusus est. Quumque honoris gratia Andreæ Leuentæq; plerique Pontifices occurrissent, in traiectu Danubij, quem vocant Pesth, omnibus exemplis interempti sunt, & in iis Gerardus episcopus Chianadinus, is qui relatus in cœlum, martyrum auxit numerum. Petrus autem rex, quũ se recipere ten-

taret in Austriam, ab itinere retractus occiditur, ac in basilica Quinqueecclesiensi, quam ipse condiderat, sepultus est, anno reditus sui vigesimotertio.

Nec ita multò pòst excessit è vita Leuenta, regnumque rediit ad vnum Andream, qui coronari voluit ab episcopis, si qui superfuerant ex cæde, catholicis, apud vrbem Albam, edictóq; iussit, vt omnes Vngari, relicta superstitione, redirent ad verum Dei cultũ, Christiq; fidem, qua diuus Stephanus eos instituerat, vltimumq; supplicium statuit in eos, qui contrà facerent. Andreas igitur eo nomine primus, & in ordine regum quartus, Belam fratrem ducis Poloniæ generũ, cum tota familia, reuocauit in Vngariam, regnique participem fecit, vt ipse duas regni partes obtineret, Bela tertiam Ducis appellatione. Suscepit Andreas ex iusto matrimonio filiæ Ruthenorum Ducis Salomonem & Dauid, ex pellice verò Georgium. Bela genuit ex Geysa Poloniæ Ducis filia Ladislaum, exul apud Poloniam, postque eius in Vngariam reditum, alterum nomine Lambertum. Condidit Andreas cœnobium diui Aniani pontificis Aureliorum, in loco qui dicitur Thion. Henricus autem rursus instaurato bello, petit Vngariam, persequuturus recens illatam Petro iniuriam. Sed eius conatus irriti fuerunt, ingruẽte tanta rerum omnium inopia, vt coactus Andreæ Belæque pacem perpetuam dare fuerit, infectáque re, reductis in Germaniam copiis, Vngariam fratribus habendam reliquit, affinitate contracta. Nam filiam despondit Andreæ filio Salomoni, quẽ pater appellari regem se viuẽte passus est, etsi nondum quinquennium puer excederet. In quo fratri quoque Belæ fecit iniuriam, cui spem succedendi post eius obitum dederat, & pòst inuitum compulit assentire coronationi Salomonis. Hac indignatione Bela motus, in Poloniam secessit, Andreas ad imperatorem socerum Salomonem emandauit, vnà cum pluribus Vngariæ principibus. Interea Bela, paratis ad bellum necessariis, acceptas à socero copias in Vngariam ducit. Andreas ad nuncium tumultuario exercitu comparato, accersitisq; auxiliaribus ab Henrico duce Boemiæ, quem mercede cõduxerat, obuiam Belæ progreditur. Ad amnem Titiam collatis signis dimicatum, donec ad Belam belli Mars inclinauit. Andreas à suis desertus, in fugam se coniecit, interceptus ab insequutis ęquitibus occiditur, ac in monasterio diui Aniani, quod ipse condiderat, humatus est.

Bela victoria clementer vsus, Germanorum duces apud eum captiuos, humanissimè tractatos, gratis dimisit. Albam profectus, regium capitis insigne cepit, regnóque pacato diu potitus est, omniumq; primus apud Vngaros ex argento monetam signauit, forumque & precia rebus constituit, census ac tributa minuit. Quumque vno agmine magna vis Vngarorum concurrisset ad eum, dum Albæ morabatur, ac insano fremitu flagitaret, vt abiurata Christi fide, veteres cæremoniarum ritus instauraret, ampliationem tridui postulauit: interea subitarium militem iussit in eos irruere, multisque repentè oppressis, hominum væcordiam compescuit. Obiitque tertio, ex quo regnare cœperat, anno, fortè prolapsus ex regali solio, dum ius in hominum conuentu diceret. Conditus est in cœnobio Saluatoris Zeukzard, ab ipso constituto.

Audita Belæ morte Salomon, acceptis à socero copiis, Vngariam petit, vnde Geysa Belę filius, viribus suis diffisus, Poloniam se recepit ex fuga. Sed vbi Salomon auxilia Germanorum dimisit, imperatorque reuersus in sua, Geysa reparato bello, contra Salomonem mouet. Sed res ad pacem certis conditionibus versa est, auctoreque Desiderio episcopo conuenit, vt Geysa Ducis appellatione contentus, eadem quæ pater Bela possideret. Ictum fœdus est apud vrbem Quinqueecclesiensem, in qua Salomon præsente Geysa diadema accepit, insequentiq; nocte, ea vrbs incendio fortuito penè tota conflagrauit. Precibus deinde Zolomeri Dalmatiarum principis, vterque copias eò duxit auxiliares, aduersus Corinthos, qui Dalmatiæ quosdam fines occupabant. Re prosperè gesta, reduces, quod cœnobium diuo Iacobo Palatinus in Zechim erexerat, dedicandum curauerunt. Et Salomon, eiusq; frater Dauid, ex se nullam sobolem susceperunt. Ipse verò Geysa filios habuit, Colomannum & Almum. Quumque

Boemi,

Boemi, violato fœdere, irrupiſſent in Vngariam, cum magna ſua ſtrage repulſi ceſſerunt: Vngarique Boemiæ fines ingreſſi, ferro ignique omnia populati ſunt. Eadem fortuna Chunos excepit, in Pannoniæ fines auſos irrumpere, magnamque abegiſſe prædam. Mox exercitum Salomon & Geyſa duxerunt in Albam, oppidum Bulgarię, ex cauſa, quòd hoſtibus Vngarorum, contra pacis conditiones, portas aperuiſſent. Trimeſtris obſidio fuit, donec ab Vngara quadam puella, apud Albanos captiua, iniectus ignis ædificia corripuit, occaſionemque dedit Vngaris, vt trãſcenſis mœnibus, vrbem caperent. Ingens inde præda aſportata, in qua partienda inter regem ducemque diſſenſio oborta eſt: paulatimq́; gliſcente ira, re ad cædem verſa, primò rex ducem pepulit; accedentibus deinde Boemis ad Geyſam, inſtaurato prælio, regem compulit in fugam, qui ſe recepit in arces Moſon & Poſon.

Dux ergo Geyſa victoria potitus, regium nomen vſurpauit, accepto de more diademate, ſtatimque templum Vacienſe conſtruxit. Interea Salomon imperatoris opibus Vngariam recipere tentauit, irritaque ſpes eius non fuiſſet, niſi Germaniæ principes à Geyſa corrupti, perduxiſſent imperatorem, vt infecta re domum rediret. Porrò Geyſa ductus (vt aiebat) conſcientia, voluit in Zugard ereptum Salomoni regnum reſtituere, res tamen effectu caruit. Geyſaque tertio quàm rex appellatus eſt anno, morbo implicitus obiit, elatusque eſt ad baſilicam Vacienſem.

Succeſſit ei Ladiſlaus frater, eius nominis primus, ab Vngaris habenas imperij ſuſcipere coactus, quum diceret, alterum nefas eſſe coronari, Salomone ſuperſtite, qui prior inſigne regis acceperat, affirmabatque, ſi pax inter eos tuta futura eſſet, vltrò Salomoni regno ceſſurum, ducatu contentum. Rege Zolomero, cui nupta Ladiſlai ſoror erat, ab humanis abſq; liberis exempto, Dalmatia Croatiáque Pannoniæ finibus acceſſit. Et cum Salomone rem cõpoſuit anno, quàm regnare cœpit, quarto, pactus ingentem annuam pecuniam. Verùm comperta Salomonis in eum conſpiratione, comprehenſum coniecit in carcerem Viſſegradi, vnde poſtea emiſſus, apud regem paucis admodum diebus moratus, ad ducem Hunnorum confugit. Hunc ad belli ſocietatem perpulit, quum fidem dediſſet, eius filiam in matrimonio ſe habiturum, Tranſſyluanamque prouinciam dono daturum. Itaque paribus auſpiciis in Ladiſlaum mouentes, ab eo victi, fuga vix euaſerunt. Tandem Salomon vitam agens ſolitariam è medio ſublatus eſt, ſepultusque apud oppidum Iſtriæ Polam. Ipſe verò Ladiſlaus aduerſus Chunos, frequenter incurſionibus Vngariam vexantes, proſperè pugnauit: Rutenos inſuper & Polonos domuit. Quumque bellum moliretur in Santepoluch, qui Pragam vrbem occupauerat, vt eam nepoti Chomado Boemorum duci reſtitueret, in ægritudinem lapſus, haud ita multò pòſt obiit. Imperium non peruenit ad Almum Geyſæ filium, quem Ladiſlaus ſucceſſorem ſibi deſtinauerat, ſed ad Colomãnum fratrem natu maiorem, Geyſa ætatis verecundia cedente.

Colomãnus ergo ſtatura breuis, lingua bleſus, & altero pede claudus, ab Vngaris in regium faſtigium euectus eſt. Inde inter eum Almumque fratrem orta diſſenſione, auctoribus vtriuſque amicis, ab acie diſceſſum, ventumq́; in colloquium, allatisque in medium cladibus acceptis à domeſtica ſeditione, leuique de cauſa, patrum memoria fratres inter ſe ſobrinosq́;, & alia neceſſitudine coniunctos, paricidali prælio occubuiſſe, placuit ita rem componere: A bello abſtinerent, ſi quid haberent inter ſe fratres, quod expoſtularent, ſingulari certamine deciderent. His conditionibus firmata pace, Colomannus exercitum duxit in Rutenos, qui mulieri tum parebant. Ea ſupplex ad regem venit, inclementerque reiecta, à deſperatione ſumpſit animos & conſilium: nam Hunnos eius auxiliares, in Vngarorum caſtra repentè emittit, hi incautos adorti vertunt in fugã, ingentique ſtrage cædunt. Habuit Colomannus ex priore coniuge Ladiſlaum Stephanumque filios. Amiſſo Ladiſlao ſuperduxit alteram, quam paulò pòſt dimiſit in adulterio deprehẽſam, quũ iam ex ea ſuſcepiſſet filiũ nomine Borich, ex

quo natus est auito nomine Colomannus. Quumque res nouas subinde moliretur, Almum fratrem, eiusque filium Belam, captos luminibus priuauit. Rumor est Colomannũ, quum Varadiensis episcopus esset inauguratus, à Romano pontifice resecratum, eiusque permissu, deposito sacerdotio creatum regem. Misit & is in Apuliam copias, à Venetis conducta classe, duobusq; maritimis oppidis occupatis, Monopoli Brundusióque Venetorum præsidium imposuit. Obut anno Salutis millesimo centesimo quartodecimo, quum regnasset annis vigintiquinque, mensibus quinque.

Habenas regni Stephanus excepit eius filius, qui Roberti Guischardi filiam duxit vxorem. Copiis insuper auxiliaribus in Ruthenos immisit, vt opem duci ferret, aduersus fratrem bellum gerenti, sed infecta re, duce mortuo, redit à principibus regni coactus. Bellum quoque suscepit in Græcos, à quibus maximis affectus incommodis, pacis conditiones accepit. Quumque nihil liberorũ suscepisset, Almi filium Belam, sobrinum suum, quem Colomannus (vt diximus) obcæcauerat, in spem successionis erexit, in matrimonium data comitis Seruiæ filia, quæ Geysam filium peperit. Exinde lapsus in ægritudinem, defunctus est anno, postquam regnare cœpit, duodeuigesimo.

Belæ tametsi capto luminibus regnum stetit, ex eademq; coniuge, cui nomen Helena, treis alios habuit filios, Ladislaum Stephanumq; & Almum. Crudeliter animaduertit in eos, quorum consilio Colomannus Almum patrem, séque obcæcauerat. Interea Brochus, ex adulterio secundæ Colomanni coniugis editus, affectans regnum, Ruthenorum Polonorumq; copiis adiutus, in Belam suscepto bello, parum feliciter ad locum, cui nomen Sceo, pugnauit. Anno denique principatus sui decimo Bela diem clausit, elatusque est in Albensem basilicam.

Geysa patri successit, in lucem editus in priuata patris fortuna, qui fratres ex arce Poson, quam ex improuiso occupauerant, res nouas molientes facilè pepulit. Imperatorem præterea Conradum, Lodouicumq; Francorum regem, copias ad recuperandam Hierosolymam ducentes, hospitio suscepit. Exercitum quoque duxit in Ruthenos, vt illatam socero persequeretur iniuriam. Quumque regnasset annis viginti, mensibusq; tribus, ab humanis excessit, anno Salutis millesimo centesimo sexagesimo primo, situs in eodem cum patre conditorio.

Imperium Stephanus excepit, eo nomine tertius, Geysa patre ortus. Is à Ladislao primùm patruo, moxq; eo defuncto, à Stephano Ladislai fratre bello petitus est. Sed acie victor, & superato Stephano, regnauit annis duodecim, morte obita, Stridoni conditus est.

Bela, Stephani tertij filius, ab humanis exempto patre, loco fratris habenas imperij suscepit. Hic externo nullo bello tentatus est, ocio potitus pacis, opibus intentus, mores acri censura correxit, in facinorosos animaduertens omnes, vndecunque cõpertos habuit ex sua ditione: nec præterea memorabile quicquam gessit, annis decẽ & septem, quibus in vita fuit. Apud Albam sepultus est, Emerico & Andrea superstitibus liberis.

Res ad Emericum peruenit, eáque potitus est ociosè, & absque iniuria belli, annis circiter nouem. Decessitque superstite filio Ladislao, quem sustulit ex Constantia Aragonia: tumulaturque in Agriensi templo, anno Salutis millesimo ducentesimo.

Ladislaus ab eo, nomine eo secundus, amisso patre, regnum breui tenuit: nam intra sex menses, adolescens adhuc, immaturo raptus est obitu.

Ladislai morte, Andreæ secundo, Ladislai patruo, ad principatum patuit aditus. Huic ex Gertrudis connubio liberi fuere, Bela, Colomannus, Andreas, & Elisabeth, ea quæ pòst, vbi hominem exuit, in cœlum relata est. Gertrudis autem, quum vni suorum fratrum, qui eam visum venerat, Bancabani militis sororem produxisset, in se cædem conuertit. Nam Bancabanus, comperto germanæ stupro, debacchatus est in auctorem, Gertrudimq; iteratis vulneribus interemit. Andreas Hierosolyma duxit exercitum ex voto, quod Bela pater susceperat. Indéque protomartyris Stephani, Margaritæq; virginis auexit capita, dextrasque

Bartho-

Bartholomæi Thomæque apostolorum, hydriamque vnam ex sex, in quibus aquam Deus noster in vinum cõmutauit. Annos triginta iam regnauerat, quum morbo solutus, elatus est in cœnobium De Egrus, vt appellant.

Eius liberûm natu maximus, ab suo nomine quartus, imperiũ Bela suscepit. Hic ex Maria, Cõstantinopolitani Imperatoris filia, genuit Belam, qui viuo patre decessit, & Stephanum. Belæ regno, Tartari cũ maximis Vngariam copiis inuadunt. Iis obuiam Bela progressus, apud flumen Sceo, cõmissa pugna victus, ægrè pedibus salutẽ quæsiuit, omni ferè iuuentute desiderata. Tartaros Vngaria triennio potitos, in sua conuerti coegit, inopia cõmeatuum orta, bellis interiun-10 cta satione, ex qua multa hominũ millia periisse constat, etiam postquam Tartari copias reduxerunt. Cum Boemis idem Bela prosperè pugnauit. Apud insulam Budensem fato concessit, anno regni sui trigesimoquinto, clarus in basilicā Deiparæ Virginis, quæ curationis est eorum flaminum, qui se Minores appellant.

Mortuo Bela, Stephanus eius nominis quartus, fratrum natu minimus, patri successit auspiciis melioribus: nam domuit Boemos, eorum superato duce Othocaro, secundum amnem Rapcha, Bulgaros imperata facere compulit: & hæc omnia, intra biennium quo regnauit. Obiit & ipse mortem, in qua pater, insula Budensi, superstitibus liberis, Ladislao, Mariáque ea, quæ Carolo nominis eius secundo, Siciliæ regi, nupsit.

20 Ladislaus itaque sui nominis tertius, anno ab humanitate Dei nostri millesimo ducẽtesimo septuagesimosexto, regium capitis insigne sumpsit. Auxiliaribusq; Germanorum copiis, Othocarũ bello repetit, eóque in acie cæso, vertitur in Cumanos, qui fines Vngariæ hostiliter ingressi, populabantur duce Oldamur. Eadem belli fortuna fuit, quæ cum Boemis: nam Cumanis ad internecionẽ cæsis, vix effusa fuga pauci elapsi, ad Tartaros vsque penetrauerunt, eosq; ad repetendam bello Vngariam facilè perpulerunt, omniáque ad vsq; locum, qui Pesth appellatur, igni ferróque vastarunt. Huic Ladislao, Caroli filia sui nominis primi, nupta fuit, sed ea dimissa, plures ex Cumanis vxores superduxit, neca Legato Pontificis, eo nomine Vngariam profecto, perduci potuit, vt iniuriosè rem vxo-30 riam non tractaret. A Cumanis, quorum affinitatẽ cæteris omnibus habuit potiorem, miserabiliter interemptus est, anno principatus sui decimoquarto, ex eóque regni fortuna relabi cœpit, quum nullam sobolem reliquisset.

Iamque ventum est ad Andream nominis eius tertium, Andreæ secundi nepotem, eius qui fuit Ladislai, qui nouissimè vita functus est. Vnde satis apparet, Andream & Ladislaum fuisse sobrinos. Andreas enim secundus, dum rediit ab expeditione, quam susceptam demonstrauimus in Hierosolyma, Marchionis Estensis vsus hospitio, eius filiam duxit in matrimonium, ex eáque genuit Stephanum, in lucem mortuo iam patre editum, quem vocant Posthumum. Huic Veneti generis matrona peperit Andream, cognomẽto Venetum, quòd matre Ve-40 neta ortus, Venetiis educatus esset. Andreas igitur interempto Ladislao, diadema sumpsit, annóque principatus sui secundo, bello domuit Austriam. Verùm Bonifacius octauus, efflagitantibus Vngariæ principibus, Carolum Robertum, Caroli secundi nepotem Mariæque, regem Siciliæ, qui Carolo Martello patre natus erat, in Vngariæ regem declarat, eo nomine, quòd Vngariæ regnum magis ad Carolum Robertum, quàm ad Andream pertineret, quoniam Ladislai tertij soror Maria, fuerit auia Caroli, Ladislausque nulla relicta sobole decesserit. Sed ea res Andreæ nihilo profuit, nã contemptis Legatis, quos ob id ipsum pontifex Vngariã miserat, Andreas, ex quo regimen accepit, annis vndecim populos in officio suáque fide continuit, obiitáque die, Budæ conditus est ad ædem 50 fratrum Minorum.

Mortuo Andrea, Carolum loco regis habebant hi, qui eum euocarãt. Verùm Colocensis Archiepiscopus, Agriensis, Varadiensisq;, & Vaciensis, Chianadiensis, Boznensis, & Scepsenensis episcopi, Venceslaum, quem genuit Othocarus is, quem Ladislaus in acie cecidit, Boemiæ regem frequentes adeunt, hortanturq;, vt Vngariæ regnum capessat, quod ad se iure pertineret.

Erat enim Venceslaus Annæ, Belæ quarti filiæ, Venceslai, de quo toties iam diximus, amitæ nepos. Is extra Boemiæ fines dum nollet egredi, paterno nomine filium Venceslaum regẽ dedit Vngaris. Ea res maxime mouit Vngariæ proceres, vt Venceslaum mauellent, quòd verebātur, ne pontifex ius imponẽdi regis vsurparet. Ac vt facilius, quo iure Carolus & Venceslaus ad regnum niterentur, omnes intelligant, infrà gradus & stemma descripsimus.

Andreas secundus, stipes.

Ex Stephano { Stephanus natu proximus, Ladislaus sine liberis, & Maria regina Siciliæ.

Ex Maria { Carolus Robertus, Carolus Martellus.

Ex Carolo Martello { Anna Boemiæ Regina, Venceslaus filius, Venceslaus nepos.

Contendentibus itaque Carolo Roberto, quem simplici nomine Carolum vocant Vngari, Venceslaoq; qui Ladislaus ab eis appellatus est, cuius res superior fuit, acceptóque solio, quum non omnes, etiam qui studiosè euocauerant, eius imperata facerent, in Boemiam se recepit ad patrem, cum diademate.

Quod occasionem dedit Vngaris, vt Othonem Bauariæ ducem, regem salutarent. Is à Ladislao capitis insigni recepto, venit Vngariam, annóque a Christi natiuitate millesimo trecentesimoquinto inauguratus est in regem, à Vesprimiensi Chianadiensíque Pontificibus, apud Albam. Quumque regionem peteret Cedeln, Bela filio comite, comprehensus a Ladislao Vaiuoda Transsyluano, coniectus in carcerem. In sequenti autem anno millesimo trecentesimonono, frater Gentilis Cardinalis, a latere legatus, totum annum moratus Vngariæ, censuras, & à pontifice diras in eos promulgauit, qui Carolo non parebant, & in Vaiuodam Transsyluanum, quòd ereptum Othoni diadema non restitueret. Vngari neglecta religione, dirarum securi fuerunt ad annum millesimum trecentesimum decimum, donec in campum, cui Raptum nomen, aduocata vndique concione, omnium consensus & studia inclinauerunt in Carolũ, quem recuperata à Ladislao Vaiuoda corona, de more ornauerunt. Exinde quum arcem obsideret, eo quòd ab eo defecerat aduersus Vngaros, qui Præfecto fauebant, immite cruentumque prælium gessit, ex eo tamen excessit victor. Vxores habuit treis, Mariam, Chazmeri ducis Polonorum filiam; deinde Beatricem, cui pater, Romanorum fuit Imperator, sororem regis Boemorum, de familia Lucenburgensi; tertiam Elisabeth, alterius Boemorum ducis filiam Ladislai. Quæ duos ei peperit filios, Carolum, qui intra annum, diem clausit, Ladislaum, quem pater amisit, exacto propè lustro, Loysiumque, & Andream. Quidam Felicianus eques, regi, eiusq; coniugi & liberis necem parare per insidias ausus est. Apud Vissegradum prandebant in regia Calendis Maij, quum Felicianus impetu facto regem percussit in dextera, quatuorq; reginæ digitos amputauit, sed accurrentibus illico stipatoribus, ipse trucidatus est, omnesq; coniurati per omnia exempla ludibriáque excarnificati, supplicio affecti sunt. Mouit exinde contra Bazarad Vaiuodam, Valachorum hortatu, Vaiuodæ Transsyluani, Dionysiique filij Ianchga. Principióque vltrò à Bazarad pacis honestam conditionem recusauit, eamq; paulò pòst, exercitu commeatuum penuria laborante, petere coactus est. Pactisque cum Bazarad induciis, exercitum reducebat: vbi verò quasdam fauces, præruptis vtrinque ripis, angustas ingressus est, Valachi, qui subsidebant à tergo frontéque, repentè sublato clamore, sarcinis impeditos Vngaros aggrediuntur iniquis locis, omnesq; ad vnum penè trucidauerunt. Ipse rex, ope familiariũ, subinde mutata veste trepida fuga vix euasit. Egit etiam cum Ioanne vigesimosecundo, Romano pontifice, vt Andream eius filiũ à maximo natu proximum, Siciliæ regem declararet, assentiẽte Roberto, qui tum rerum in ea potiebatur, quòd Andreæ Ioanna eius neptis nupta erat. Ipseq; cum

filio

filio profectus est ad regnum, sed infecta re, se recepit in Pannoniam, Andrea filio sine diademate principatuq; sub ipsius Roberti potestate relicto. Reuersus in sua Carolus, cum Boemiæ Poloniæq; regibus in Vissegrado in colloquium venit, in omnemq; vitam cum iis pacem fecit. Ibi quoque cum Carolo fœdus iniit Lochka Ruthenorum dux, Chasmirus Poloniæ Rex, anno Salutis millesimo tre centesimonono. regno cessit apud Vissegradum Lodouico, Caroli filio maiori natu, eius ex sorore nepoti. Ipse Carolus obtinuit etiam à patre acceptum Salerni principatum, montemq; Garganum, regnáque Vngariæ, Dalmatiæ, Croaciæ, Ramæ, Seruiæ, Galatiæ, Lodomeriæ, Comaniæq;, & Bulgariæ, quadraginta duobus annis. Annóque Salutis millesimo trecentesimo quadragesimo secundo, decimo septimo Calendas Augusti, vita functus est apud Vissegradū: cadauer Albam translatum, magnificè sepultum est.

Patri successit annos agens septemdecim Lodouicus. Is in finibus Transsyluanis domuit Saxones, Alexandrumque Vaiuodam Transalpinum, qui sublatis animis à patre desciuerat, imperata facere compulit. Elisabeth eius mater in Apuliam venit, indeque Romam, mox in Vngariam, e uestigio relicto reuertit itinere. Lodouicus impetum Ioannis Boemorum regis, aduersus Chasmirū Poloniæ regem, per Legatos expeditione facta compescuit, & Tartaros, qui Transsyluanos attentabant, ingenti eorum edita clade. Cum Stephano Bano Boznensi rege iunxit affinitatem, ducta vxore Elisabeth eius filia, cuius opibus elatos Croaciæ principum spiritus contudit, coegitque dicto audientes esse. Profectus Iaderam cum copiis, vt eam vrbem eximeret, infecta re domum redit. Quumque eius frater Andreas, Siciliæ rex, reste serica suspensus apud Auersam fuisset, à Ioanna eius nominis prima Andreæ coniuge, Lodouicus non minus ac debuit, ea re permotus, collato exercitu, Neapolim persequuturus iniuriam pergit, vltrò expeditionem sequutis, Malatesta Ariminensi, Philippóque Mantuano principe, & Francisco Foroliuiensi. Diffisa rebus itaque suis Ioanna, cū Lodouico Tarenti principe, cui interempto Andrea nupserat, aduentum Lodouici non expectauit, sed tribus tantùm longis nauibus appulsi Massiliam, inde Auinionem se receperunt. Itaque Lodouicus omnium summo studio exceptus, Neapoli totóque regno potitus est. Habitáque in conscios necis Andreæ quæstione, Dyrrhachij ducem vltimo supplicio affecit. Duosq; Lodouici principis Tarenti fratres, in catenis Vngariam deducendos curauit. eò Carolum quoque, Andreæ impuberem filiū, misit. Ipse paulò pòst, impositis regni præsidio, Laczk Vaiuoda Transsyluano, Volfradóque De Volfrad equite Germano, cui Neapolim præcipuè credidit, in Pannoniam reuersus est. Quumq; Neapolitani, Campanique, eiecto Volfrado defecissent, copiasque ducerent in Vaiuodam, is obuiam progressus in agro Auersano hostem concecit. Exercitum quoque Lodouici Tarenti principis, prope mœnia Neapolis ipse Vaiuoda cecidit. Sed Ioanna Lodouicusque Tarentinus, Auinione Pontifici vendita, ex ea pecunia reparatis viribus, Neapolim bello repetebant, quum Lodouicus Vngariæ rex, euocatis vndique regni sui Principibus, auxiliisque Germanorum peditum quatuor millium, per Adriaticum mare, copias in Apuliæ littus exposuit ad vrbem Sipontum, quam Manfredoniam nunc appellant. Eaq; statim deditione recepta, Germani milites, quum rex hibernaret apud oppidum Bari, quum diripere Sipontum vellent, orta inter se ciuesq; & repugnantes Vngaros seditione, in cædem versi, magna ex parte trucidati sunt. Reliquiæ Germanorum à Lodouico dimissæ hac lege, ne se hosti adiungerēt. Ex Baro Lodouicus protinus in Canusium duxit, in cuius expugnatione, dum per scalas muris admotas intrepido gradu nititur, ictu lapidis accepta plaga, prolapsus in arcis fossam, ope suorum, suaq; virtute incolumis euasit. Inde Neapolim per Luceriam petit, Auersamq; statim obsidione cinxit, vbi vulnus accepit in pede ex ictu sagittæ, nec eo destitit vrbem premere, tertioque pòst mense compulit ad deditionem, penuria cōmeatuum. Nec oppidum solùm, sed & arcis Præfectus, Iacobus Pignatellus, in regis fidem venit. Appetente Ludorum sæcularium solenni tempore, quod in melius con-

uerso ritu cæremoniarum, Iubileum nostri vocant, quum regnum præsidio firmasset, ipse Lodouicus in Vrbem venit, & inde paulò pòst Vngariam. Sed triennio pòst victus, assiduis efflagitationibus Clementis Sexti, regno cessit Ecclesiæ, fratresque Lodouici Tarentini, quos apud Vissegradum seruabat in vinculis, dimisit, in Venetos suscepto bello, pro recipienda Dalmatia, quam Vngari conturbatam occupauerant. ObsessoqueTaruisio, quum plura circùm finitima oppida vi cepisset, Legatos obsidioni castrisque præfecit, ipse paruo præsidio domum rediit. Et iam non tantùm Dalmatiam receperat, sed antiqui quoque Venetorum iuris aliqua redegerat in potestatem, sed ea postea, pacta pace cum Venetis, restituit. Ab incursionibus etiam Lituanorum Rutenos exemit, eamque gentem per suos aliquandiu duces administrauit. Auxilia ter Ecclesiæ misit in Italiam, contra vim tyrannorum, qui contrectabant ea quæ Pontificis erant, Barnabamque & Galeaz Vicecomites, infestos Bononiæ compescuit. Alberto præterea Austriæ duci suppetias tulit in Turegienses, qui ab eo defecerāt: hi nostro tempore socij sunt Heluetiorum. Suscepit expeditionem quoq; in Vulgariam, & Strachmerum Vulgariæ, vt semetipse nuncupabat, Imperatorem imperata facere coegit, ac habuit in custodia apud arcem Gamnech, demum recepta ab eo fide, iuramentoque, se dicto regis obedientem fore, nec vnquam hostilia moliturum, dimisit in regnū. Mouit & aduersus imperatorem Carolum, versus Morauiam, sed nulla memorabili re gesta reduxit exercitū. Eius auunculo Chasimero vita functo, Poloniæ regem se gessit. Ab omnibus Vngariæ finibus Hebræos exegit, hique se in Austriam Boemiamque receperunt. Condidit & Eremitarum cœnobia, sacellaque Deiparæ virginis honori dicata. Lodouici principatu, eoque maximè adnitēte, Cumani Tartarorum cæremoniis abiectis, ad verum Dei cultum, Christianumque dogma transierunt. Eorum sequuti sunt exemplum in Bozna Patrini, Sclauique, sed in religione diu non perstiterunt. Per idem tempus, Olachi Moldauiam vacuam cultoribus occuparunt. Habuit Lodouicus in matrimonio Margaretam, quæ nullo edito partu, maturè decessit, ac Elisabeth, ex qua tres tantùm puellas suscepit. Quarum Catharinā natu maximam, virginem, innuptamque extulerunt, alteram nomine Mariam Sigismundo Brandeburgensi Marchioni collocarunt, cum spe successionis in regnū Pannoniæ. Tertia fuit Aduiga, cui Poloniæ regnum cessit in partem paternæ hæreditatis, quæ Principum consensu, Iagulæ nupsit, Lithuanorum regulo, qui nuper acceperat Christi religionem cum duobus fratribus, ipsoque die lustrico sacri baptismatis pro Iagula Ladislaus est appellatus. Obiit aūt Lodouicus tertio idus Septēbris, anno Salutis millesimo trecentesimo octogesimosecūdo. Conditus in sacello iacet, quod ipse viuens in basilica diuę Virginis apud Albam construendam curauerat, regnauit annis quadraginta, mense vno, diebus viginti duobus.

Hucusque secunda Bonfinij decas.

A morte Lodouici, Pānoniæ regnum recidit in Mariam, Lodouici filiā, quæ biennio postquam capitis insigne sumpsit, ab iis, qui maximè sibi debebāt, à Lodouico patre summis affecti beneficiis, inita conspiratione, valde laborauit.

Euocatus enim Carolus, Andreæ filius, è regno Siciliæ, per Episcopū Zagrabiensem, classe delatus, oram Signiæ tenuit, inde Zagrabiam profectus, Budam transiit per speciem componēdi tumultus, ex commodo sororis. Ab vtraq; Regina matre filiaq; obuiam progressis, honorificè exceptus, arcem occupat. Elisabeth cum filia Maria metu periculi elapsæ, à fuga retrahuntur, Albamque cum rege deductæ sunt, vbi Carolus accepto diademate, Budam reuersus. Haud ita multò pòst Elisabeth, & Nicolai Palatini de Gara, per speciē colloquij, circumuentus insidiis, à Blasio Forgach accepta lethali plaga, comprehensus in carcerem coniectus est, vbi vel ex vulnere, vel indito veneno vitam miserabiliter exhalauit. Ipsæ verò Reginæ fortè extra Budæ muros egressæ, modico familiarum comitatu, vix oppido, cui nomen Diaco, propinquauerant, & ecce Ioannes Banus de Horuath eas adortus, Nicolao Palatino, Blasioque obtruncato, captiuas agit. Proximaque nocte, Elisabeth in proximum flumen mergitur, Mariam Banus in

tus in Croatiã deduxit,ibique in vinculis habuit in arce Cupræ, donec aduentu Sigismundi Marchionis, ipsius Mariæ sponsi, qui nunciabatur validam Boemorum manum ducere,territus,adactã iurare Reginam,iniuriam non vlturam, dimisit ad Sigismnndum, Budam.

Salutis igitur anno millesimo trecentesimo octuagesimo sexto,regni Principes, habito conuentu,referente Regina,apud Albam decreuerũt, vt Sigismundus,celebrato cõnubio,Pannoniæ regnum capesseret. Ornatus itaque corona, contractas vndique copias in Banum,Ioannemque De Horuath,vt iniuriã coniugis,cædemque socrus vlcisceretur,educit. At ipse Banus, vbi Posegheuar oppidũ,quò se receperat, obsidione premi vidit,amne proximo Sauæ tranato, fuga peruenit in castrum Dobor. Insequente Sigismundo magnis itineribus, & iam positis ad oppidum castris,ad solitas artes conuersus Banus, elabi tentauit, sed in hostes incidit,ad Sigismundumque deductus est. Qui Dobor expugnato, Bosnaque & Croacia coactis imperata facere, Ioannem Banum, omnibus exemplis antea cruciatum, vltimo supplicio affecit apud vrbem Quinqueecclesiẽsem,cõtentus Episcopum Zagrabriensem,qnoad vixit,exilio mulctauisse. Moldauiam deinde domuit, Stephanoque Vaiuodæ veniam petẽti dedit, coactumque iurare in eius verba tributum quotannis de more persoluturum, dimisit in honore magisttatus. Sextus agebatur annus, ex quo regno potitus, exercitum conduxit in Valachos, qui Turcas euocauerunt in auxilium, rebusque prosperè gestis, ac hostibus profligatis, oppidum Nikod obsidione cinxit, ac vi cepit. Interea Regina diem clausit,& Ladislaus, cui nupta Reginæ soror erat, Poloniæ rex Vngariæ regnum iure hæreditatis ad vxorem suam trahebat, ingentiq; manu Vngariæ fines ingressum Ioannes Strigoniensis pontifex,quoad maiores aduenirent copiæ,moratus est. Interea Turcarum princeps Amurathes, qui Græcis inter se super imperio dissidẽtibus,ex Asia traiecerat in Europam, magnamque Thraciæ partem subegerat, obiit diem. Eiusque filius Pasahites, incredibili successu omnem Thraciam, Thessaliam Macedoniamque, Phocidem & Bœotiam oecupauerat,& iam Mysiam,qnam Bulgariam vocant, Vngariæ contributam bello petebat, vnde Sigismundus ab eo, misso caduceatore petiit, vt ab eo conatu desisteret. Is astuto callidoque consilio responsum distulit, quoad tota prouincia potitus est: pòst armorum varia genera conferri iussit in quandam suæ domus aulam,accersitoque cadneeatori, Hæc,inquit,possidendis Mysiæ finibus habeo iura, arma digito monstrans. Ex quo Sigismundo necesse fuit, anno regni sui decimo,collatis vndique viribus,expeditionem suscipere contra Tnrcas. Habuitque voluntarios belli socios ex Anglia Galliaque plurimos, illustri loco natos, & in iis Burgundiæ ducem, qui studio defendendæ religionis, vltrò,suis sumptibus,ad id bellum properabant. Et iam Mysiæ fines agmen Sigismundi tenebat,oppidaque Oriszum,& Biolinium, Turcarum præsidio firmata, vi ceperat, quum castra circa Nicopolim posuerunt, anno Salutis millesimo trecentesimo nonagesimo sexto,intra Calendas Octobris. Ea re Turcarum principi nũciata,qnàm maximis potuit copiis,Bulgariam proficiscitur. Ad diem prælio constitutum, dum Galli primam aciem sibi expetunt, primumque hostium impetum sustinere,pulchrum ducũt,auidius inchoato prælio,prius quàm omnis acies explicaretur,ab equis desilierunt, vt æquo Marte cum Turcis experirẽtur. Quumque equi sine custodibus in castra rediissent. Vngari Gallos ab hoste cæsos rati,tumultuari cœperunt,ordinibusque turbatis, à Turcis grauiter insistentibus in fugã coniecti, Sigismundum quoq; traxerunt. is primò Cõstantinopolim, deinde Rhodum, demum Dalmatiam Croaciamq; peruenit. Interea Pannoniæ quidã principes, versis in Ladislai iam defuncti filiũ studiis,è regno Neapolis euocant,sed is infelici patris euentu monitus,approperandum minimè ratus, aliquandiu rem distulit. Interim Ioannis Strigoniensis Pontificis,illorumq; de Canusa,Ioannisque de Maroth ope, Sigismundus in regnum receptus est,sed non ita multò pòst à principibus in carcerem coniectus,in oppido Soclos custoditur. Tum Ladislai vexillum per Vngariam circumfertur, lætisque multorum

acclamationibus absens rex appellatur,ad ea Ladislaus iter in Vngariam capessit. Interea Sigismundus frustratis vinculis elapsus est, opera cuiusdam viduæ, quæ Nicolai Palatini fuerat vxor, eorumq; mater, quibus custodia Sigismundi credita erat. Ab iis itaque Morauiam deducto Sigismundo, dedito iam suæ fugę rumore, diuersarū partiū factiones intestina bella excitauerunt. Ipse verò Sigismundus,exercitu properè coacto, popularibus suis obnixè nauantibus operam, fauentibus etiam nonnullis Vngaris,Vngariam rediit, nec multò pôst sua recuperauit.Ad eam famam Ladislaus,qui iam Dalmatiam magnis itineribus appulerat,è vestigio Neapolim rediit. Sigismundus aduocato totius regni conuentu Stephanum Vaiuodā vltimo supplicio affecit, apud oppidum Cheuceusum,socios**q**; coniurationis partim egit in exilium,partim capite damnauit, eoq; terrore continuit omnes in officio,nec intestino bello sollicitatus est in vita.Quumq; regnasset annis viginti tribus,Romanorum rex creatus est. Iterumq; bellū mouet in Turcas, obsessaq; arce Chalabocz, accepta clade, multis desideratis, domum rediit. Per idem tempus superstitio, quam vocant Hussitanorum,in Boemia à Ioanne Hus, in Anglia à Ioāne Vikleff instituta est,& cœtus Adamitarum, qui primi parentis exemplo, nudi degebant in speluncis, omnia quærentes in commune. Quumq; maximus eorum natu, rem diuinam suo ritu perfecisset, ad plebem conuersus, illa Geneseos effatus verba, Crescite & multiplicamini, restinctis luminibus, omnes passim discurrebant ad amplexus illius, quamcunque sors obuiam proximamq; dedisset. Is hominum furor quum breui tantum conualuisset,vt non modò se ab aliorum iniuria tueri, sed vltrò etiam bello peterent eos qui nō idem sentirent,Sigismundus, ex Pannonia Germaniaq; collectis copiis,in eos mouit. Hi verò duce Zisca lusco, qui altero captus erat oculo,raptis armis obuiam progressi,imperatorem vertunt in fugam, tanto ardore impetuq; ferebantur, insigne calicis in vexillo portantes: nam & hic error eos tenebat, vt contenderent in vtraque specie communicandum. Quumq; Sigismundus concilio Constantiensi interesset, hi quibus proficiscens Vngariæ gubernacula commiserat,aduersus Heruoiam Spaleti ducem, qui specie vēdicandæ libertatis Vngariæ,res nouas moliebatur, infœliciter pugnauerunt. Annoq; trigesimoquarto, quàm regnare cœpit in Vngaria Sigismundus, insigne diadematis accepit ex regno Boemiæ,& si longè prius eo potitus erat, Venceslao fratre sublato. Tumultus insuper excitatus est à rusticis affectantibus,vt iactabant, regnum,qui diu vagati longè lateque igne ferroque vastatis omnibus, ægrè tandem superati sunt. In capita coniurationis vltimo supplicio animaduersum, alios effossis oculis, aut præcisis manibus ad vnum dimisit. Exinde Sigismundus in vrbem venit, vbi ab Eugenio Quarto pontifice maximo, imperiali corona coronatus est. Vngariamque magno cum plausu quasi triumphans ingressus ad compescendos Boemiæ tumultus rectà pergit, subitaque vi morbi correptus apud oppidum Pragam, grauis etiam annis, vt Vngaros illuc eum sequutos à faucibus Hussitanorum eximeret, aggrauante etiam morbo, extra Boemiæ fines efferri voluit. Sed nondum peruenerat in Pannoniam, quum fessus ætate, ægritudineq;,& itineris labore,apud Znoimam migrauit è vita. Quum regnasset apud Vngaros annis quinquaginta vno, in Boemia septemdecim, rexque Romanorum fuisset annis vigintiseptem,imperatorque quinque, ætatis agens annum septuagesimum,elatusque ad basilicam Varadiensem,conditus in ea iacet. Vngariæ Boemiæque regnum, Sigismundi gener, Austriæ dux excepit, Elisabeth vnicam Sigismundi filiam, ex secunda cōiuge nomine Barbara, Ciliæ comitis Hermanni filia, habens in matrimonio, quam viuo patre, cum spe successionis ad vtrunque regnum spoponderat.

Is Albertus anno Salutis millesimo quadringentesimo duodequadragesimo, Calendis Ianuariis, apud Albam coronatus est. Eius principatu Pānones res omnium Teuthonicorum, qui negociabantur, aut alia de causa sedes habebant in finibus Vngariæ, diripuerunt, edita ingenti eorum cæde. Copias etiam duxit Albertus in Hussitanos, qui se receperant ad oppidum Tabor, ab se conditum, natu-

natura loci & opere munitiſſimum, quumque tribus mẽſibus obſidione fruſtra cinxiſſet oppidum, infecta re domum rediit. Exercitum quoque numeroſum coegit aduerſus Turcas, qui quum diu morarentur, occupati expugnandis Raſcia, Epiro, Ætoliaque, Pannones longa in caſtris expectatione grauati, quum Lupo gentili lingua conclamaſſent, inuito rege, ad propria redierunt. Albertus aduerſa valetudine correptus, itinere non intermiſſo quum Viennam contenderet, inualeſcente morbo, diem clauſit in oppido Neſine, quum biennio ferè regnaſſet, anno Salutis milleſimo quadringenteſimo vndequadrageſimo, relatusque Albam, ibi ſepulturæ honorem ſortitus eſt. Eliſabeth, vxor Alberti, ferens 10 vterum, poſt viri mortem rem tenuit. Ambigentibus Vngaris, vtrius ſexus editura partum foret, Eliſabeth in deteriorem magis inclinabat, & puellam fore certis argumentis augurabatur.

Itaque ea auctore, regni principes miſſis legatis euocauerunt Vladiſlaum Lituaniæ ducem, fratrem Chaſimeri Poloniæ regis. Interim regina puerum pepetit, cui nomen Vladiſlaus etiam fuit. Verùm ſerò reuocatis Senatoribus, Vladiſlaus dux in Vngariam magnis itineribus, rapto venerat agmine, plurimorum ſtudiis exceptus ad regnandum: nec eo ſecius Eliſabeth, cum ſuæ factionis hominibus, infantem quatuor à partu menſium detulit Albam, coronaque de more ornatum, peractis ſolennibus, Viſſegradum rediit. Tenebat Vladiſlaus Bu 20 dæ arcem ſponte à præfecto facta deditione. Diadema ſecum regina ſeruandum aſportauit, eluſiſque proceribus, & filium & coronam emãdauit ad Fredericum Stiriæ ducem, qui creatus Romanorum rex erat, & pueri cõſanguineus. Quumque varia fortuna diu certaſſent, Vladiſlai factio ſuperior fuit, opera præcipuè Ioannis de Hunyad, à quo Matthias Vngariæ rex originem traxit, Vladiſlauſque rex appellatus, inſigne capitis accepit. Per eoſdem dies ipſe Ioannes de Hunyad Vaiuoda Tranſyluanus, aduerſus Turcas feliciter ſæpe pugnauit. Agebatur de conditionibus pacis inter Eliſabeth & Vladiſlaum, per legatum quendam de latere, quum repentè Eliſabeth è vita exceſſit. Induciæ annorum decem, Turcas inter & Vngaros pactæ ſunt, quas Vngari graui ſua clade violaue-30 runt. Nam commiſſo prælio, rex Vladiſlaus in acie deſideratus, & ipſi fuſi fugatique, maxima accepta clade vix euaſerunt, anno principatus Vladiſlai quarto. Rebus afflictis, Vngari animum appulerunt ad Ladiſlaum puerum, Alberti filium, quem apud Fredericum educari demonſtrauimus. Habitoque ſolenni conuentu totius gentis in campo Racos, anno Salutis milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſexto, vno cõſenſu regem creant Ladiſlaum, tutoremque impuberi dant Ioannem Hunyad Vaiuodam, moderaretur omnia, quouſque rex integræ eſſet ætatis. Is Ioannes, accepta tutela, nihil habuit antiquius, quàm Drakul vlciſci, & eum quoque Vainodam, qui Ioannem detinuerat in vinculis, ad vſque ſuperioris Vladiſlai mortem. Expletoque eius pœna animo, rebus-40 que pro tempore compoſitis, Ioannes & Vngari, à Frederico diadema, regemq́; ſuum repoſcunt, Optimateſque vnà cum Ioanne, Viennam regem ſalutatum profecti ſunt. Ipſeque Ioannes titulo comitatus Byſtricenſis honore inreq́; donatus eſt à rege, nec non inſignibus rubri leonis in albo campo. Per eoſdem dies, Nicolaus Quintus Romanus pontifex omnes cruce ſignatos euocauit, duceq́; Ioanne Capiſtrano, viro ſummæ ſanctitatis, eius ſectæ, quæ Minorũ dicitur, in Pannoniam finitimaque loca miſit, vt bellum contra Turcas gererent. Nam Mahumetus Amurathis filius, obſidione Conſtantinopolim cinxerat, & antequam noſtri auxilio irent, expugnauit.

Ladiſlaus annum agens quartumdecimũ, Chriſtiani natalis anno milleſimo 50 quadringenteſimo quinquageſimo tertio venit in Vngariam, biennioque pòſt Mahumetus victoria Conſtantinopolis elatus, Vngariæ fines ingreſſus, obſidione cinxit oppidum Nandoralbenſe. Quumque rex Ladiſlaus, & comes Vdalricus, Ladiſlai maternus auus, cuius conſilio gerebat omnia, Viennã fuga petiſſent, auderetque nemo cum tam numeroſo horrendoq́; hoſte congredi, Ioannes Vaiuoda comes Byſtricenſis vltrò nomẽ dedit, & ab omnibus deſperatam

ducis prouinciam sumpsit, hortatuq; Ioannis Capistrani plurimi mortales eum sequuntur. Primumq; nauali prælio Fortuna fauit Vngaris, deinde machinis tormentisque mœnibus, intra quindecim dies, ex quo venerant, adeò concussis, vt leui momento casura viderentur, circa arcem acri pugna diu certatum, versaque Fortuna ab Vngaris ad Turcas aliquoties est, ad vltimũ fusus, ac in fugam versus, omnia opera machinasque amisit. His ita gestis, comes Bystricensis incidit in aduersam valetudinem, ex qua paulò pòst moritur, Vladislao Matthiaq; superstitibus liberis: haud ita multò pòst, & ipse Ioãnes Capistranus ab humanis excessit. Ladislaus interea, quem Viennam cum Vdalrico profectum demõstrauimus, in regnum rediit. Quumque comes Vdalricus in caput filiorum Ioannis Vaiuodæ nefaria moliretur, ab Vladislao Vaiuodæ liberûm natu maximo præuentus, in arce Nandotalbensi susceptus hospitio, ab Vladislao trucidatur. Ea cædes admiratione formidineque regem simul & principes Vngariæ perculsit, indeque statim mouerunt versus oppidum Themesuar. Ipseque Matthias Vladislai frater, alter Vaiuodæ filius, & Elisabeth Matthiæ mater, obuiam progressi, regem benigno hospitio susceperunt, ab eoque veniam cędis Vladislao facilè impetrauerunt, affirmante inuito rege se non persequuturũ comitis Vdalrici mortem. Verùm quum Budam venisset, assiduis quorundam suasionibus instigatus, ab Vladislao pœnas sumere statuit: sed expectabat occasionem, vt vno tempore, vnaque causatione, & Vladislaum vltimo supplicio afficeret, & Matthiam fratrem in carcerem coniiceret. Interea crebris nuncius afferebatur, adesse Turcarum copias: ac Vladislaus exemplo patris in eas iturus, quum bello necessaria pararet, hortantibus iis qui maximè eius optabant necem, dedit operam vt Matthias quoque ad regem veniret, vt per eius absentiam vicem personamq; suam sustineret: oblitus mandatorum patris, qui moriens vetuit, vtrunque simul apud regem versari. Simulac itaque Matthias Budam venit, ambos in vincula coniecit, tertioque exinde die Vladislaus securi percussus est. aiunt adhuc post tertium ictum, vt erat manibus post terga vinctis, sese in pedes erexisse, atque multis audientibus expressè loquutum. Commouit Vladislai casus multos, qui properè correptis armis, aduersus sontes insontesque iuxtà debacchati, peruastatis igne finibus, ingentes ediderunt strages. In iis Michael Zilagii de Horogzeg, auunculus Vladislai comitis, Transyluanos aggressus, omnia breui redegit in potestatem. Quumque fracto carcere euasissent aliqui, qui cum Matthia seruabantur in vinculis: ex eo, abducto secum Matthia, Viennam petiit, ibique Matthiam Paulumque Modrat custodiendos reliquit. Ipse in Boemiam profectus est: Pragæque moratus aliquandiu, subita morbi vi correptus, paucis exinde dieb. obiit, non sine dati veneni suspicione, anno ætatis duodeuigesimo, quoto tempore regnasse dicendus est: quia posthumus à partu Alberto patri successit. annoque Salutis millesimo quadringentesimo duodesexagesimo apud basilicam Pragensem sepultus est.

Allato nuncio mortis Ladislai, Pannones vniuersæ gentis indicto conuentu apud vrbem Pesthensem, de creando nouo rege agere cœperunt, vnoque consensu ad Matthiam conuenerunt: acceptaque Michaelis Zilagij sponsione, Matthiam fratris Ladislai necem non vlturum. itaque eum absentem regem appellarunt, hac lege, vt quinquennio Michael Vngariæ rem gubernaret, quousque Matthias imperio maturior esset. At Boemi Georgium de Podebra regem sibi creant, eum qui pro Ladislao puero iam defuncto Boemiæ præfuerat. Hic Georgius, incertum quomodo, Matthiam tamen habuit in potestate, seu viuente adhuc Ladislao, ex arce Viennensi deductum: siue post Ladislai mortem, falsò regis nomine signatis literis. non antea certè dimisit, quàm filiam eius vxorem duxit. Connubioque iam celebrato, acceptaque à socero magna pecunia, venit in Vngariam: primòq; ingressus oppidum Straznice, plura domi forisque egregia edidit facinora: sextóque demum, quàm regnare cœpit, anno, apud Albam Capitis insigne cepit. Oppidum Iaycza ab obsidione Turcarum exemit, comitatumque Sirmiensem ab eorum populationibus. Boemum quoque Suyhlam, virum bellico-

bellicosum: Fredericumque Romanorū regem, qui regnum Vngariæ affectabat, acie superauit. Transsyluanos, qui alio creato rege ab eius fide defecerant, recepit, & imperata facere compulit. Stephanum Vaiuodam, cum magna manu cōtra se venientem, noctis silentio fudit, fugauitque. Sumpsit expeditionem contra Boemos Hussitanos, quibus cum continenter bellum septennio gessit, magnamque Boemiæ partem suo subiecit imperio: Boemiæque rex appellatus, in vrbe Olomucēsi de Boemia coronatus est. Archiepiscopus interea Strigoniēsis, & pontifex Quinqueccclesiensis, Cazimirum Cazimiri, Poloniç regis filium, priuatis consilijs euocant ad Vngariç regnum capessendum. qui potitus arce Nitriensi, obsessus à Matthia, vix fuga in Poloniam euasit. Ipseque Matthias non contentus recepisse sua, missis in Poloniam copiis, omnia cædibus impleuit. Quumque Cazimirus in finibus Slesianis res nouas moliretur, vtrinque comparatis ingentibus copiis, ad vrbem Vratislauiensem castra castris contulerunt. Sed antequam de summa rerum dimicaretur, agi de pace cœptum: qua firmata à bello discesserunt. Inde Matthias exercitum reducens, oppidum Sabatz, Turcarum præsidio firmatum obsedit, atque vi cepit. *Hucusque tertia Bonfinij Decas.*

Iterumque bellum contra Fredericum gessit, multaque iuris eius oppida redegit in potestatē, & in his vrbem Austriæ Viennā. Habuit vxorē secūdo matrimonio Matthias Aragonem Beatricē, Ferdinandi regis Siciliæ natu minorem filiam. Quumq; Turcæ maritimos Apuliæ fines occupassent, Matthias auxiliares Vngarorum copias misit. Obiit nulla superstite sobole, trigesimoseptimo, quàm regnare cœpit, anno. Vngariæ regnū competitores ad se quisq; trahebant, Maximilianus Romanorū rex, & Vladislaus Cazimiri Poloniæ regis filius, quē mortuo Georgio de Podebrad, Boemi regē sibi creauerant ea lege, vt fineret Hussitanos ex instituto viuere, quem Matthias (vt iam dictū est) magna regni sui parte spoliauerat. Quumq; statim post obitum Matthiæ, Vladislaus Boemiæ regnum, Maximilianusque Austriā occupasset, vterque reginæ Beatricis (eius enim maxima apud Vngariæ principes, ob naturæ liberalitatem, auctoritas erat) gratiam captabat.

Quum verò Maximilianus cunctaretur eam ducere, præuenit Vladislaus: adiunctaque sibi matrimonio Beatrice, superior fuit. Ipseque paulò pòst omnibus iam pacatis, Vngariæ rex appellatus, insigne capitis accepit: cum Maximiliano pactus, vt si decederet absque legitima prole, Vngariæ Boemiæq; regna ad eum eiusque successores peruenirent. Sed haud ita multò pòst diuortium cum Beatrice fecit. nam regno priuatam compulit assentiri futuris cum altera nuptiis, affirmans nunquam secum matrimonium traxisse: grandiq; pecunia ab Alexandro Sexto pontifice maximo impetrauit, vt ei liceret aliam superducere. itaque filiam domini de Gandala Vasconis, vxorem sibi iunxit.

MICH. RITII LIBRI SECVNDI FINIS.

P. CALLIMACHI EXPERIENTIS ATTILA.

Gotthos, siue agri inopia domi laborantes, siue benigniorem cœlo terraq; patriam quærētes, Berith duce ingenti multitudine originum suarū insulis auctos, excepit prius id littus Germani Oceani, cui hodie quoque nomen Gotthiscantia. Qua regione etiam postea improbata, sub Filmiro, quinto à Berith rege, pulsis indigenis, Vlmerigorum terras occupauere. Deinde viribus animisq; adauctis, cæteras penè omneis terrarum orbis partes, varia bellorum fortuna euentuq; peruagati, cùm interim alij atque alij iugi successione apud eos regnarent: tandem versi in Pontū, inter

Bicem paludem & Borysthenis ostia sedem cùm cepissent, ad suorũ ducum nomina suum accommodantes, qui propinquiora flumini tenuere, Vissogotthos, cæteri Ostrogotthos se appellauere. Vnius tamen eiusdemq; regis nutu omnes intuentes, inde subiectis sibi Vandalis, Marcomannis, Quadorumque nomine vniuerso, circumtulere arma ad Septentrionem: quo tempore imperij eorum summa erat penes Emenricum Amalum. Quem plerique laudibus Alexandri Magni æquandum putant, gloria rerum gestarum, domitis subactisque, ductu auspiciisque ipsius Herculis, Roxolanis, Venetis, Helstorumque populis, cum nationibus cæteris, vsque ad glacialem Oceanum. Eam gerendorum bellorum audaciam ac felicitatem, sic vndique à Gotthis ingenti nominis sui terrore circumactam, florentibus tum maximè Emenrici rebus prouocatã, post multa certamina, vicissim aduerso prosperoque euentu commissa, submouere proculà Bice, Pontique littoribus: tenuereq; aliquandiu sub imperio Hunni. De quibus tradita ab authoribus summatim repetam, quo vitæ, moribusq; & bellis Attilæ, ipsorum quarti à transitu in Europam regis, explicandis, si qua humanæ virtutis modum in eo viro supergressa videbuntur, relato ad Deos originis argumento, fidem accipiant. Scribunt pleriq;, Filmirum Gotthorum regem. Sed rerum antiquarum peritiores memoriæ proditum reliquere, Idantirsum exercitu lustrato, nonnullas fœminas, alirumnas Scythæ vocant, vltra communem aliarum speciem corpore atque indole augustas, Scytharum castris exclusisse, easq; subinde in solitudine trans Mæotidem in Asia agitantes, à Faunis & Satyris compressas, Hunnos genuisse: quorum mox soboles tanta fœcunditate propagata, vt credi par foret, Deorum quoque cuiuspiam ad id operam accessisse. Sic geniti, sic propagati, nullius vsquam diuinæ aut humanę rei commercio, cum alio quopiam genere hominum habito, diu natalia loca, ab omnib. lingua, victu, habitu, moribus discrepantes incoluere, sine vllis ædificiis, sub diuo passim, & tãtùm ferarum pellibus, aduersus cœli terræque rigorem & tempestates circumtecti magis, quàm amicti, sine vlla inter se cultus iactatione. Capitum tegumenta, galericuli incurui informesque: ac multo informiores ex libro calcei, sub hœdinis pellibus crurum inuolucrum. Sed nec vllo colendi agri serendarúmve frugum vsu cognito, venatum, palustriumque arundinum radices (quas regio prædulces fert) pro cibo habuere: & eum quidem neque coctum, neque saporibus incitamentisve gulæ adulteratum, sed aut in sole, aut sub alis calefactum. Non religio apud eos, numinísve vllius vel metus, vel reuerentia. Corpora hirsuta, facies terribilis ac minax, desæuientibus in filios parentibus ipso natali die, marium scilicet omnium genas candenti ferro insecando, & ante primam alimoniam vulnerum patientiam incutiendo: ex quo sine formæ venustate ferè imberbes semper, cicatricosa & sulcata cute, tempestiuam pilorum gratiam non admittente. Cæterùm ad robur, valetudinemque, cum agilitate admiranda, tanta sitis, inediæ, frigoris, cæterarumque humanarum necessitatum tolerantia, vt vel exinde diuini in eis seminis origo argueretur. Argenti aut auri nec vsus, nec possessio: vilium ac promiscuorum commercia permutatione exercentibus, diuitiæ solæ & gratiæ in armẽtis, maximè equorum, quibus insidere iam tum à pueritia honesta meditatione assuescentes, facilè postea nationes cæteras obeundis equestri disciplina præliis superarunt. Iracundum, sed per se deferens, nouarum rerum studiosum, ac prædæ immodicè cupidum. paulatim deinde aut domi excogitata, aut peregrè accepta lanificij ratione, paulò humaniori habitu sese excoluere. Religio quoque incessit animos, suscepta Iouis, Veneris, Mercurij, sed in primis Martis veneratione: quorum deorum à Scythis mysteria cùm accepissent, etiã Scythicis nominibus appellabãt. Sed & prædæ studio grassantes in gentes alias, vt quæque proximior erat, & minùs valida, à saxis fustibusq; vel duratis igne, vel cornibus exasperatis, quæ tela à principio illis fuere, ad noticiã prius armorũ, deinde etiam ad vsum peruenere, arcuumq; in primis: in quibus tantum studium exercenda iuuentute impendere, vt eos quoq; ipsos, à quibus sagittandi peritiam accepissent, breui antecellerent. Iam tamen frequentibus incursionibus

nibus rapinisq́; , gladiorum etiam ac loricarum ingentem numerum adepti, iuuentutis suæ maiorem partem propè iustis armis ad Scytharum speciem armauerant, cùm Baudetes, post regiam stirpem primæ apud eos nobilitatis, venandi studio ceruam insequens, sic ante se fugientem, vt lassitudini mox cessura videretur, non prius abstitit, quàm superata Mæotide, se velut in orbem aliū elapsum vidit. Cùm itaq; cerua, quam oculis pedibusq; subsecutus vsq; ad paludis extrema progredientem nusquam appareret, in campis vndiq; lōgè lateq; patētibus, venerabundè speciemq; & situm locorum miratus, simul adoratis Diis, in quorum tutela regio foret, nec dubius secum, numinis alicuius ductu se illuc vsque
10 peruenisse, retro ad suos, seruatis vestigiis, cum gratulatione reuersus, omnia vt acta erant, & quæ vidisset, exponit. Quibus auditis, qui ad id locorum paludem imperuiam crediderant, erectis in spem lætioris fortunæ animis, tum verò cupiditate intuendi ea quæ à Baudete contrà ac prius opinabantur, audiebāt, tumultuario consensu, Velambro regi suo prope necessitatem illuc mouēdi imposuere. Non prius tamē mota sunt castra, quàm qui exploratū missi, haud difficilimi laboris rem fore transitum retulerant: tentatæque in euentum sortes, fœlicē faustamque migrationem portenderant. Superata igitur Mæotide, duce Baudete, positisq; in Europa castris, primum impetum vertêre in Sarmatas, paludis extrema sub ostium Tanais accolentes: quos improuisos, & nihil minus quàm bellum
20 cogitantes adorti, facili negocio superauere: direptisque ipsorum curribus, & magna iumentorum præda abacta, captiuis subinde armis, quicquid militaris ætatis inerme inter suos adhuc supererat, armauere. Creuit (vt fit) animus victoribus à re bene gesta, & multiplicata arma etiam fiduciam augebant. Itaque per mediterranea in Daciam, Mysiamque declinantes, cum Gepidis atque Alanis pari ac cū Sarmatis fœlicitate pugnauere, hostibus non tam armis cedentibus, quàm nouum trucemque oppugnātium aspectum non sustinentibus. Difficilior res cum Gotthis fuit, exercitatis omnium ferè gentium bellis, & victoriarū numero & magnitudine tum insignibus, tum supra quàm vt vinci se posse crederent elatis. Nam licet primus congressus Hunno ex sententia cessisset,
30 propter militarem seditionem apud Gotthos, ab Saro atq; Amnio, inter primores gentis opibus atque authoritate præpollentibus, contra Emenricum regem suum excitatam, in vltionem coniugum suarum, quas velut ad dominatum viros incitarent, paucis antè diebus, iussu regio, equi caudis suis alligatas, non minus fœdè quàm crudeliter in partes lacerauerant. Qua occasione seruata, cùm rex non minus senio (quippe quòd vigesimum supra centesimum annum ageret) quàm vulnere, quod in eo tumultu acceperat, confectus occubuisset, facilè Hunni victores euasere, pulsis Gotthis ad interiora Sarmatiæ, quà maximè in Septentrionem porrigitur. Sed Vinitarius, Emenrici fratruelis, suorum reliquiis collectis, imploratisque à Vitulfo auo suo auxiliis, mox tanta fœlicitate bis ad-
40 uersus victores copias eduxit, vt maximam gentis partem deleuerit. Tertio prælio, in ipso congressu sagitta transuerberatus interiens, non eius tantùm certaminis, sed belli etiam totius victoriam Hunnis reliquit, suis verò parendi necessitatem. Nam exinde Gotthi Hunnis paruere. Inter initia gerendarum rerum contra Gotthos, Mundruth, qui & Mazuchus dictus, mortuo Velambro, successerat illi in regno. post quem licet Attilam Bledamque filios reliquisset, tamen quia propter ætatem adhuc teneram principatui gerendo impares videbantur, Hunni suarum rerum summam detulere ad Hottarem & Rugilam, Mazuchi fratres, quorum ductu & auspiciis multa & præclara gesserunt: inter quæ memorantur in primis duæ in Burgundos expeditiones, propter vtriusque gen-
50 tis maximè insignes clades. Quandoquidem Burgundi, priore bello multis certaminibus re malè gesta, vbi rursus contra se Hunnum mouisse senserunt, ad diuinam opem cōfugere: Christianisque mysteriis initiati, magno prælio fusos hostes cæsosque finibus suis exturbauere. Hottari & Rugilæ successere Attila & Bleda, statimq; à principio dominatus vertêre arma in Gepidas, frustra sæpe ab Hottare & Rugila tētatos. Sed affuit cœptis fortuna: quippe & supra spem

consurgendi ad arma rursus, primo certamine cæsi, in deditionẽ venere Attilæ, qui cæteras subinde Sarmaticas nationes haud magno negocio sibi subiecit. Ea dum gererentur, Vissogotthi ferentes indignè Hunnorum imperium, Daciam Mysiamq́; vtramque incolendas à Valente Imperatore Romano impetrauerant: quibus persequendis dum pararet Attila expeditionem, Bleda interiit. Et quia mors eius subita, vulgò dictum est, à fratre veneno necatum, vt aut socium regni, aut æmulum submoueret. persolutis itaque more apparatuque regio iustis Bledæ, Attila in Vissogotthos mouit: victosque Mysia, & subinde Dacia, in Pannoniam subsecutus est. Vnde fessos cæsosque multis ac magnis certaminibus, tandem commigrare in Gallias coegit. ipse verò victoria illectus, in Thraciam & Macedoniam trãscendit, penetrauitq́; vsq; ad Achæos, ad Ægeum mare. Quæ res compulit Martianum, qui Oriẽtale tenebat imperium, vt cum Persis & Vandalis, qui in Asiam se receperant, pacem firmaret. volebat enim stabilitis ttans Pontum rebus, Hunno occurrere. Sed Attila, seu affuturi Martiani cum ingentibus copiis fama motus, seu territus ostento, quod sereno & tranquillo cœlo, nemine impellente, tabernaculum ipsius corruit, cùm renunciaretur pacatam esse Asiam, Martianumque Constantinopolim properare, conuerso agmine rediit in Pannoniam, ibique sedem suam ponere constituit. Simul locorum captus amœnitate, simul perspecta opportunitate retinendis sub ditione sua nationibus, quas deuicerat, quòd velut in ceruice illarum positus, omnem tumultuandi facultatẽ omnibus ademturus appareret: nec minus magnis & frequentibus fluminibus vndique circumsepta regione, à subitis quorumcunque incursionibus tutum fore se credebat. Sed & cogitationis suę exitum per sortes exploranti, fœlicia omnia & stabilia obuenerant. Captis igitur descriptisq́; locis, per quæ gentibus suis distributis, regionem munitam, clausam insultibus externis r.dderet, aliquantulum temporis stabiliendis rebus ac regno suo totum scribendis legibus, quibus agitarent inter se, absumpsit. Putabat enim conscriptis legibus homines fieri meliores, cùm intuerentur quotidie quæ bene merentibus de communi vtilitate proposita essent præmia, & quæ flagitiis pœna immineret. cæterùm principem viuam esse legem, in quo & laxamentum aliquod vitiorum virtutumque, pro conditione rerum atque temporum compensatione. Mox domi & quacunque à Pannonia in Boream & Subsolanum Europa porrigitur, pacata omnia & firma sibi cùm intueretur, reputãs secum Gotthorũ in Italia & Gallia successus, ad Occidentale imperium animũ adiecit. Erat enim gloriæ ac bellorum percupidus: quibus gerendis tãtundem consilij adhibebat, quantũ studij suscipiendis Et cùm manu strenuus foret, non minus erat temperatus. Cæterùm supplicib. propè ad molliciem facilis: & qui in fidẽ semel receptos, in perniciem vsq; suã tueretur. Moliendis efficiendisq́; rebus mira in eo tum dexteritas, tũ velocitas, & multo admirabilior subeundis periculis constantia. Sed vt clementis animi in deditos, ita inexorabilis in deuictos. Vestitu quàm splendidissimo vtebatur, putabatq́; id ad maiestatẽ pertinere. Inter prandendũ rarò sedit: in cœna profusus erat, cibũq́; auidissimè conficiebat. Cæterũ carne plurima se farciens, à pane ferè abstinuit, vt qui inepti & pauci succi alendis corporibus eũ arbitraretur: vino immodicè cùm indulgeret in ocio, semper tamẽ sibi ipsi cõstabat. Religioni verò persuasionibusq́; de Diis à gente sua susceptis vsq; ad superstitionem addictus. Dicebatq́; nullo sanctius sacrificio deos piari, quàm si iustè & beneficè inter homines agitaretur. Incitabat autẽ exẽplo suos cùm ad cæteras virtutes, tũ maximè ad temperantiã in bellicis expeditionibus, cũ plerunq; aqua & plebeia pulte contentus in publico pranderet: existimans eam tolerantiã humanarũ necessitatum, quæ obsidendis expugnandisq́; vrbibus, tum itineribus ac reliquis muneribus obeundis militi est necessaria, nulla re magis impediri frangiq́; posse quam delicatioris victus consuetudine. Pecunias, veteri maiorum suorum instituto, propè cõtemnebat: auditusq́; est sæpe, cùm diceret, plus esse molestię in earum amissione, quàm in possessione voluptatis. Armorum meditationes ad tyrones exercendos minimè necessarias arbitrabatur, quocũque periculo satis ex tem-

tempore inferendis propulsandisque vulneribus erudiĉte. Statura corporis fuit infra mediocrem, pectore ac toris supra staturam sese in robur efferentibus: capite autem maiusculo aut erat aut apparebat, ex oculorum orbibus, ad Sauromatum speciem paruis: barba illi rara admodum, & iam tum raris adspersa canis: at color, qui eius agreste originis genus indicaret. Sermo horridus & minax, ac propter barbaram pronunciationem auribus grauis. Incessu quoque adeò gestuosus & compositus, vt vel exinde superbissimi animi contraxerit infamiam. Accedebat verò ad naturalem audaciam, periculorumque contemptum, Martis gladius: quo accinctus, supra humanæ spei modum securus, certaminibus se
10 inferebat. Ferunt Scytham ex media plebe, cùm res ab Hunnis contra Gotthos ad Bicem paludem gererentur, cruentum vitulæ vestigium retro insecutum, inuenisse gladium temere in campo iacentem, moxq; ad Attilam detulisse, cùm ille per quietem armari à Marte se vidisset, itaque planè creditum ab Attila, sibi destinatum diuinitùs eum gladium, veluti subigendi à se orbis terrarum pignus & subsidium. Adiectis igitur ad suos, quàm potuit, numerosissimis copiis ex Marcomannis, Quadis, Sueuis, Herulis, Turcilingis, Rugiis, quas omnes nationes iampridem dicto habebat audientes, vnà cum Harderico Gepidarum, & Valamiro Ostrogotthorum regibus, nec non Dietmaro & Vittimaro regulis, quingentorum millium expleuit exercitum. In qua multitudine pauci pro numero
20 pedites erant. impellendis enim conturbandisque aciebus aduersis, efficacissimum semper putauit Attila equorum impetum, humana insidentis ratione directum. Cæterùm vt, quod viribus facilè posse credebat, consilio & sine periculo assequeretur, præmisit legatos Romam ad Valentinianum, qui benignè eum alloquentes, nunciarent, se bello accingi contra Theodoricum, qui Vissogotthis in Gallia præerat: instituisse delere gentem, publicæ omnium gētium pacis perturbatricem. Nihil sibi rei cum Romanis esse, & viros eos fortes ac bonos credere, quorum imperium & latè pateret, & æquissimo à subditis ferretur animo: pollicerentur præterea, si ex vsu fore appareret, initurum se cum illis fœdus: atque amicitiam, viresque, & consilia communicaturum, quocunque res ac discrimen
30 vocaret. Haud dissimilibus quoque mādatis instructam legationem ad Theodericum misit in Gallias, vt separatim postea eos aggrediens, facilius vtrunque superaret. Transmisso deinde Danubio, per mediam ferè Germaniam in Rhenum se conuertit, tam seuera disciplina militem coercēdo, in gratiam nationum quibus imperitabat, vt neque libidinis neque auaritiæ tam diuersarum gētium tantus exercitus vestigium post se relinqueret à principio: postea diuina & humana omnia, quacunque progrediebatur, diripuit. Pacato enim agmine in Galliā properaturum, conuenerant in se pleræque nationes, non solùm negando cōmeatum, verùm etiam transitu arcendo, vt paludium syluarúmve aut fluuiorum opportunitates retinendi eam spem faciebant. Senserat Valentinianus astu se peti,
40 & vt conatus Attilæ illic retunderentur, misit in Galliam Etium patricium, qui, vt erat vir non minus ciuilium artium quam bellorum peritus, agendo suadendoque attraxit nationes Gallicas, vt secum aduersus tam terribilis hostis impetum progrederentur. Itaque conuenere ad eum Luciani, Armorinani, Saxones, Riparioli, Brictones, Lambriones, tum Frācorum rex Meroueus, & Alanorum Sangibanus. Vissogotthum etiam mouerat non minus timor hostis, à quo vinci cōsueuerat, quàm Etij suasiones, vt percusso cum Romanis fœdere, socias copias aduersus Atilam educeret. Bis eo anno luna defecerat, & frequens terræmotus vrbes etiam nonnullas penè totas euerterat: & cùm crinita stella noctibus aliquot ad occidentem apparuisset, visum est cœlum patefieri velut sanguineo
50 hiatu, plurimis hastis igneo splendore perlucidis, hiatum per transuersum intersecantibus: quæ ostenta, populorum animos religiosa formidine complerant. Itaque quo plus discriminis etiam velut diuinitùs significabatur, eo diligentius Theodoricus atque Etius circumspiciebant, præparabantque omnia aduersus Attilam: qui vt terrore sui Gallorum in se animos à Romanis Vissogotthisque auerteret, diripiendo incendendoque vicos atque oppida quæcunq; obuia, trās-

gressus Rhenum, cùm Gundicario Burgundorum regi, prius quàm Etio atque Theoderico se cum suis adiũgeret, vitam simul & copias ademisset. Peruenerat iam ad Cathalanicos campos, qui & Mauriaci vocantur. quo in loco cùm vidisset ex aduerso hostem tot fortissimarum nationum auxiliis instructum, appareretque ad id peruentum esse discrimen, in quo non vnius tantummodò prælij, sed totius belli fortuna periclitaretur, Attila de victoria exta consulens comperit, se pugna quidem inferiorem futurum, sed eum qui summus erat in hostili acie, casurum. Itaq; conuerso in Etium animo, cuius virtutem atq; ingenium cœptis suis maximè obstiturum sentiebat, etiam cum suorum clade pugnare cõstituit. Non tamen prius, licet hostis explicatis ordinibus pugnam exposceret, suos in aciem eduxit, quàm sol vergeret in occasum, vt si vinci cõtingeret, nox prælium dirimeret. secutusq; est consilium euentus in eo. nam nox quidem, animoq; & viribus magnis accensum prælium diremit. Cæterùm non Etius, sed Theodericus interiit. Parum tamen præsidij, fusis fugientibusq; Hunnis, fuisset in nocte, nisi se ad castra currib. obuallata recepissent: tanto enim ardore à victoribus vbiq; cędebantur, quòd actum erat de Attila, si aut abesse munitiones lõgius contigisset, aut aggredi & demoliri noctu sine oppugnantium cõfusione potuissent. Tradunt quidam, supra centum septuaginta millia, ea in pugna cæsa. Alij a numero exprimendo abstinent, sed augenda cædis specie scribunt, riuulum, quà modicè inclinant campi, allabentem, occisorum sanguine auctum, saxa etiam & cadauera euoluisse. Sed vt vincentiũ numerus maior fuerit, armisq; & militaribus artibus instructior, nihil magis ad victoriam fecisse creditũ, quam quòd Attila, vbi suos ad fugam inclinaturos vidit, veluti fato cedens, præliũ deseruit. Postridie cũ Thurismũdus Theoderici filius, simul dolore amissi patris, simul victoria iuuenilem animum stimulãte, castra oppugnaturus copias admoueret: Attila, quòd vbi ad arma discurri cœptũ, maiorem longè, quàm putaret, stragem factam animo aduerteret, equorũ stratis in cumulum congestis, ingentem veluti pyram excitauit, cui supposito igne, se superinijceret, si castra capi contigisset: ne tot tantarumque gentium & nationum victor, in potestatem eorum, quibus vltro bellum inferebat, viuus veniret. tubis tamen in portis cani pręcepit, vt eruptionis expectatione hostem eluderet. Cæterùm Etius forsan non reprehẽdenda, sed parũ fœlici suspicione veritus, ne deleto Hunno, Romanis subinde difficilior res foret aduersus Vissogotthos, Thurismundum ab instituto auertit, proposito ei consilio, paternũ regnum, antequam frater suus Valamirus cõmunire illic se posset, præoccupandi. Qua monitione percitus iuuenis, cùm suorum reliquias secum trahẽs ad eam partem Galliæ, quam pater habuerat, citatissimo itinere properasset, Attila noua spe erectus, solenne sacrificium Marti celebrau[illegible], vouitq; in annos singulos, rogansq;, & veniam petens, vt quæ bello gesturus subinde erat, propitio & volente ipso ex animi sui sententia transigerentur. Moxq; in Tungros mouit, quorũ metropoli expugnata, promiscuè in omnem sexũ ætatemque desæuiẽs, ad vnũ omnes deleuit: quia cùm præmisisset qui deditionem peterent, non impetrauerat. Nihil æquè admiratũ eum ferunt à principio, quam tormenta bellica, quibus grandiores lapides excutiũtur. Nam qui ad id locorum missilia nulla nosset, præterquam quæ altera manu tractari mittiq; possent, vbi vidit ingentibus saxis, viresq; humanas excedẽtibus, non singulos milites, sed ferè totos sæpe manipulos prosterni, cum terrore admirabatur. Et vtcunq; seu diuina ope, seu humano torquerentur ingenio, detestabatur, quasi iniustum genus auxilij, saxa vastiora quàm vt vnum corpus aut ferret, aut mitteret: mox tamen illis assueuit, nec expugnandis modò vrbibus, sed campestribus etiam certaminibus plerunque adhibuit. Profectus ex Tungris Trecas venit, vbi Lupus episcopus, sacerdotibus omnibus comitantibus, cum sacris, solenniori apparatu & ceremonia, ad mille passus obuiam progressus, venerabundè per frenũ equi arreptũ, suis ad vim armatis instructisq; eum subsequentibus, in ciuitatẽ perduxit, & tã pacata omni silentio, per portã alterã eduxit, vt tenuerit fama, captis tantisper luminibus, dum præteriret, nõ vrbẽ, non circunfusum ad spectandũ populũ animad-

animaduertentes, se per vastã solitudinem traduci existimasse. Dimissus à Lupo, paulò pòst assecutus est in via plerosque, qui ciuitatis direptionem timentes, cum liberis & rebus charioribus ad syluas properabant. Inter quos mulier fuit, quæ decem filiarum mater, minorem, quæ bima erat, linteolo ad collum suũ alligatam apportabat, stimulans simul iumentum, cui ex reliquis teneriores duas superposuerat, subsequentibus adultioribus cæteris, non tantũ forma, sed quadam etiam inter se similitudine insignibus: quæ armatorum superuenientium terrore exanimes, matri se circumfuderant. At illa, iam pridem suorum patriæque casu, quam captam euersamq; putabat, adflicta, tum verò ad præsentem fortunam 10 exanguis, & vix animi compos, omnia calamitosa & fœda de se ac liberis animo sibi præfigurans, in flumen, cuius in ripa substiterat, præcipitem se datura videbatur. Cùm qui circumstetetant, admirari indolem & numerum filiarum, ab omni abstinentes iniuria ad Attilam perducunt: mouit suapte natura mitem Regis animum, etiam sæuissimis ingeniis spectaculum miserabile, cùm mater, & quæ per ætatem mala sua sentiebant filiæ, pedibus suis effusæ, lachrymis ac vocibus, quas inter desyderium & tædium vitæ dolor metusque suggerebat, misericordiam captarent. Itaque clementer matrem eleuans, bono animo esse iussit, à sequidem ac suis inuiolatam fore: mox data ei non mediocri pecunia, vt exinde quoque animi eius sensus, in tam naturæ raro, fortunæ verò miserabili 20 exemplo indicaretur. Ad filias matri liberatas, adiecit etiam alios, qui vnà fugiebant, & quò vellent, omnes redire permisit. Interea Thurismundus, compositis rebus domi, cùm Romanis iterum se coniungere pararet, Attila nouas copias ad veteres adiecturus, rediit in Pannoniam. Et pòst paulò, ne ocium detrectandi obsequium materiam curamque suggereret militibus, quorũ animos labore ac periculis tractabiles mansuetosque reddi compererat, tum rei malè gestæ in Gallia pudore stimulante, viribus & copiarum numero longè quam prius validiorem exercitum ducens, per Noricos & Rhetos, licet aspera pleraq; & salebrosa, vel præaltis obsessa syluis prædicerentur, in Italiam se conuertit, iræ ac minarum plenus, quasi Galliarum victoriam ex manibus sibi Etius eripuisset. 30 Putabat verò, non tam facilè Vissogotthos Romano in Italiam affuturos, quàm ille Vissogotthis affuisset in Gallia, eóque haud magno discrimine Italia potiri posse: qua sub imperium suum missa, cæteras subinde nationes aut fœlicitati & gloriæ suæ, aut viribus succubituras. Non desunt qui scribant, Bledam fuisse in Gallia cum fratre, sublatumq; de medio. Postea cùm progrederetur Attila contra Italos, iamq; ad expeditionem paratus equum cùm ascendisset, coruus ab ortu Solis aduolans, dextrum ipsius humerum propè insedit, statimq; sublime petens, paulatim sic elatus est, vt tandem visum effugeret. quo omine supra modum lætus, fidensque mouerat. Cæterùm inter progrediendum, angustæ ac frequenter præruptæ viæ vix aliquando ternos armatos accipiebant, campestribus 40 itineribus assuetos, tædiosa progrediendi mora per impedita montium iuga adeò adflictos habebat, vt conuertendi agmen iraq; & tædium sæpe impetum suggererent, seditiosis vocibus, vt cuiusq; fortuna erat, inter milites erumpentibus. Sed Attila, vt erat difficultatibus interritus, vbi desperatio maior immineret, accurrens docebat ad finẽ simul montium laborumq;, peragratis Noricis & Rhetis, peruenisse. Iam inde Italiam perspici, paruo impendio sui illuc peruenturos, vbi essent terrarũ orbis præmium habituri. Mox tamen cùm renunciaretur, Valentiniani Augusti copias in ipso Italiæ aditu angustias insedisse, transitu eũ prohibituras, conuertit se ad Illyricum ac Dalmatiam: & Tragurium, Sibinicũ, Belgradum, Iadram, Segnam, Polam, Parentum, Emoniam expugnauit, & diripuit. 50 Versusque iterum in Italiam, occurrentem sibi Romanorum exercitum, haud procul à Tergestino sinu, non vicit modò, sed etiam propè deleuit. Et tandẽ per Carnos illapsus in Forum Iulij, Aquileiam tam obstinato capiẽdi animo aggressus est, quòd cùm eam expugnare impetu primo nõ potuisset, triennio obsidere perseuerarit. Erat maior obsidentium numerus, quàm vt tamdiu vna in regione ali posset, cogebanturq; tã homines quàm iumenta insolitis vesci alimentis: quæ

res diuersa morborum genera in corporibus excitabat, vulgabatque. Et cùm obsessi etiam frumenti inopia laborarent, non fames modò, sed valetudo etiam aduersa, desperatióque & tædium victoriæ, Hunnicam tolerantiam vexabat. Etiam prope tumultum & seditionem res erat, indignantibus vociferantibusque militibus, Minimè ferendum, se bellicosarum nationum omnium domitores, in cursu victoriæ suæ, circa vnius vrbis mœnia, cum foueis turribusq; & lapidibus pugnando consenescere, vbi neque præmium neque gloria laboribus ac periculis par foret. Si, quãtum posset aduersus inanima, vulneribus & ferro imperuia, hominum victor exercitus experiri placeret, duceretur saltem ad vrbem Romam, quæ operæ precio imperij totius Italiæ expugnaretur. Præter id quòd parũ momenti aut ad laudem, aut ad prædam, in direptione Aquileiæ: cedendum necessitatibus humanis, illicque pugnandum, vbi ferro, virorum more, non fame ac lassitudine, veluti debilibus pecudibus, occumbendum. Nec in stationibus modò hæc, sed passim per exercitum, vt referentium exquirentiumq; sua mala turbas fortuna congregabat: cùm inspecta ciconia, quæ pullos suos ex arcis culmine, in quo nidum fecerat, asportabat, capiendæ vrbis nouam spem omnibus ingessit: asseuerante Attila, futurorum præscias aues iamiam casuram arcem relinquere. mox omni expugnãdarum vrbium apparatu murum aggressus, tanto ardore obsequentes ad primum impetum milites habuit, cùm ipse armis adhortationéque insignis progrederetur, vt quæ triennio se defenderat, trium horarum spacio ciuitas caperetur. Direpta à militibus præda: & præter paucas fœminas, beneficio formæ ad libidinem reseruatas, in omnes sæuitum, propemodum rabiosè, propterea, quòd tam obstinatè se defenderant. Traduntur cæsa illic supra triginta septem millia hominum, & tãdem vrbs etiam incensa, simul vt deleretur ignominiosum monumentum tam diuturnæ obsidionis, simul vt cæteris metus incuteretur. Fuit in ciuitate digna mulier, forma & diuitiis insignis, sed pudicitiæ laude in primis venerabilis, quæ vbi barbari hostis iramq; & libidinem, per omnia fœda & immania, victoria abutentem vidit, vitã potius suo scelere, quam alieno pudicitiam amissura, domesticã turrim, præterfluenti Natasoni imminentem, conscendit, obuolutóque capite, in subiectum turri gurgitem se præcipitauit. Perseuerante verò obsidione, Attila muros plerunque circuibat solus, mutatis vestimentis, expugnationi opportuniora designãs. Itaque cùm solitudo & silentium inuitasset aliquando, vt muro succederet, incidit in armatos, qui longè venientem conspicati, propere elapsi per cloacam sub mœnibus ductam, in insidiis expectabant, ignari tamen eum regẽ esse, sed cupiebant exquirere per tormenta ab hostium exploratore, quid consilij in exercitu, quæve capiendæ vrbis spes esset. Exorti igitur subitò Attilam circumsistunt, & dum viuum capere nituntur, abstinent vulneribus: at ille, cui fuga interclusa, defendique se à tam multis haud magna fiducia esset, vt saltem non inultus moreretur, prærupta foueæ sic occupauit, vt à tergo tutus, cum aduersis tantummodo rem gereret, sed vt vidit velut parci sibi ab hoste, & prope negligenter insultari, ratus timorẽ, magno impetu & clamore prosiliens, duos obtruncat, illatusque in alios, vt via ferro patefacta, suburbani cuiusdam maceriam saltu superauit, pręcipetique deinde cursu ad suos se recepit. Fertur eos, qui capturi ipsum circumsteterant, retulisse suis, cùm Attila se in vires collegit circumspectans, quà impetum faceret, apparuisse in oculis nitentis clamantisque cœleste quiddam, & scintillas igneas quam simillimas vigori, qui deorum oculis inesse creditur. Dum oppugnaretur Aquileia, Taruisium ac Verona, sponte imperiũ Hunni suscepere, illud authore Helmundo Antistite, hæc Diamerico. Cœptumque præterea condi Vtinum ab Attila, vt si re infecta, ab Aquileia humanæ necessitates discedere coegissent, eam munitionem post se relinqueret, veluti liberi regressus pignus ac subsidiũ, si quid præter spem sibi in Italia contigisset. Digressus inde Concordiam, cuius murũ primus inscendisse creditus, mox Altinum, Patauium, aliasq; nominis & momenti minoris quàm plures vrbes captas, prope funditus deleuit. Vir enim natus educatusque in castris, & campestribus assuetus munitionibus, muros, vrbanaque ædifi-

ædificia, rebellandi animos opportunitatemque ciuibus suggerere arbitrabatur. Venit ad eum post victoriam Patauium, Marullus Calaber, Poeta eius temporis egregius, compositumque in adulationem carmen recitauit. In quo vbi Attila per interpretem cognouit se Deum, & diuina stirpe ortum vanissimè prædicari, aspernatus sacrilegæ adulationis impudentiam, cum Authore Carmen exuri iusserat, à quaseueritate subinde temperauit, ne Scriptores cæteri ab laudibus ipsius celebrandis terrerētur. Par specimen magni & seueri animi dederat paulò antè, ab Aquileia Concordiam petens, medio fermè itinere, in vico ignobili. Circulatores plærique ætate ac viribus integris, spe mercedis illecti, per infestos
10 enses nudi miris flexibus agilem saltationē coram ipso quum exhibuissent, cæteris ludicro cū admiratione exhilaratis, Attila indignè ferens, tam robusta corpora, & quæ omnia militiæ decora implere possent, circumforaneo mendicabulo adulterari ac prostitui, iuuenes ad se vocat, statim armari facit, tum armatus ipse, saltúque in equum receptus imitari se iubet: quod quum armis insueti efficere non possent, rursus prouocauit sagittando. Sed cùm neque arcum tendere, neque sagittam neruo applicare scirent, tam diu victu tenuissimo tradidit macerandos, quàm cibum longissimo interuallo propositum sagitta contingerent, & armati in equum dextra læuáq; tam facilè, quàm paulò antè nudi per gladios salirent, vsusque est eis postea fortissimis commilitonibus ad pleraq; difficilia obeunda.
20 A Patauio per Venetiam ducens ad læuam, Vincentiam prius, tum Brixiam, Pergamum velut continuato impetu expugnauit, ac diripuit: sed ab igne vbique temperatum, quanquam porræ insultans, cū caperetur Brixia, vulnus accepit, cuius dolore accensum vix retinuere amici, cùm instituisset inclusum populum vnà cum ædificiis incendio delere. Sed & Vincentiæ ad foueam, qua ciuitas ambitur, cæteris tam altitudine aquæ inexplorata, quàm lubrico per procliue descensu territis, hæsitantibusque in margine, præcipiti cursu desiliens in aquam, papillis tenus extantem, ad murum euaserat, recurrensque ad accliuum, verecundia suos adegerat, vt muro succederent tanta festinatione, dum quisque prioris tarditatis pudore, primum descendendi decus exoptat, quòd plerique at-
30 trahendoq; & impediendo se vicissim, à cliuo in profundiorem aquam dilapsi, simulq; impliciti tenentium eluctantiumq; specie, submersi sunt, priusquā in ciuitatem transcenderetur. Circumuastata exinde Æmilia, pluribusq; solo æquatis vrbibus, cùm Rauennam obsideret, Tones Episcopus cum vniuerso populo, candidatus ac supplex, suscepto imperio, vt ciuitati ædificiisque parceretur, obtinuit. Victoriæ tamen ingentem speciem præbuere fores vrbis a victis depositæ, pedibus intrantis, & per aduersam partem exeuntis exercitus subiectæ & calcatæ. Mox in eo loco castra posuit, vbi Mintius amnis Pado illabitur. Nam etsi animus ad imperij caput Romam festinabat, anxius tamen erat secum, propter Alarici Gotthorum regis euentum, qui captæ direptæque a se Romæ haud mul-
40 tum superuixerat. Deliberanti igitur, suam ne fortunam ad excidium Vrbis sequeretur, an illius fatum deuitans, per Picenum in Samninm, reliquamque Italiam vsque ad fretum Siculum victorem exercitum prius circumduceret, accurrit Leo Pontifex maximus, doctrina & sanctitate insignis, qui positis pontificalibus ornamentis, oratione atque habitu miserabili, pacem Italiæ impetrauit. Ferunt Attilam, dimisso ab se Leone, cùm interrogaretur à suis, cur hosti se tam facilem præbuisset, asseuerasse visum à se iuxta illum, cùm pacem peteret, humana specie augustiorem iuuenem minari sibi mortem, si paci aduersaretur. Qui vero miraculum excludentes, rationibus coniecturisq; humanis factum expendunt, putant Attilam, aut tractabili mitique natura sua in supplices id præstitisse,
50 aut ingenio Leonis & doctrina victum. Cùm ille omissa Italia, quæ sponte victoris nutum spectatura esset, subigendos Vissogotthos in Italia persuasisset, quæ vna gens in toto orbe Hunnici imperij æmula atque hostis esset, id vtique non ambiguè inter milites ioculariter iactatū: Haud immerito Leoni cessisse in Italia, qui Lupum in Gallia reformidasset, plusq; cohibendo Attila momēti habere ferarum nomina, quam hostium armatas acies. Interea Honoria, Valentiniani

principis soror, cùm seuerè admodum à fratre vltra legitimos annos domi seruaretur, per Eunuchum suum clàm ab Attila impetrauerat, vt se in matrimoniũ peteret: itaque cùm firmata pace, in Pannoniam retro se cõuertisset, Legatos ad Valentinianum misit, qui suasionibus minas adiicientes, concedi sibi postulata peruicere. Habebat Attila more gentis suæ vxores plures. Cæterùm priusquam Legati Roma reuerterentur, captus specie puellæ, fama ac nobilitate inter suos eximiæ, cui Hildico nomen fuisse traditur, eam quoque sibi coniugauit, haustóque immodicè vino in nuptiali conuiuio, cùm supinus obdormiuisset, sanguis per nares erumpens, vitalium spirituum meatus interclusit, subitóque extinctus est: qua nocte Martianus Imperator Constantinopolis per somnium vidit, arcum illius fractum, quo genere armorum Hunnos maximè excellere d ximus. Postridie cùm Rex præter consuetudinem ad diei multum conquiescere videretur, ministri id primùm noui matrimonij voluptatibus tribuebant, indulgebantq́; qui mox in suspicionem versi, intimo cubiculi reserato, mortuum inuenere; puellam verò sic iuxta eum iacentem, vt quæ timeret dormientem excitare. Quæ cùm renunciassent, planctu & lachrymis vniuersa regia completa, variæque erant accurrentium acclamationes, inter mortui Regis laudes & desyderium: semitonsis deinde capitibus, laniatóque more suo vultu, elatũ corpus. Vbi equestres ludos concelebrauere, sepulturæ mandarunt, nõ sine paludamentis, phaleris, signisq́; & aliis militarib. imperatoriisq́; ornamentis, quæ ille vario ex hoste attulerat. vixit annos sex & quinquaginta. Signa verò mortis præcesserant, quòd reuertenti ab Italica expeditione, in transitu Lici amnis, qui Rhetos diuidit à Vindelicis, mulier phanatica temerè in equum inuecta clamauit ter, Retro. Equusq́; quem propè in deliciis habebat, ipso nuptiarum die, nullo ægritudinis signo præcedente, subitò interiit. Et nouæ nuptæ cubiculum intrantis pes dexter, sic limini impactus est, vt præ dolore aliquantisper assederit, auditáque est eius vox dicentis, Si tempus est, veniam. quibus verbis mortem in dolore compellasse credidere. Sed & cœlo eius viri curam fuisse testatus est cometes, qui ante obitum ipsius, ter septem noctes ad vernum solis exortum apparere perseuerauerit. Sunt qui scribant Attilam reuersum ex Italia, iterum contra Vissogotthos arma mouisse, varióque præliorum euentu bellum inter eos aliquandiu extractum, sed tandem in eisdem campis, in quibus ab Etio debellatus prius fuerat, victum, fugatum, & postea à Vissogottho, exitu, quo descriptum est suprà, interiisse.

P. CALLIMACHI ATTILÆ FINIS.

NICOLAI OLAHI, METROPOLITÆ STRIGONIENSIS, PRIMATIS HVNGARIÆ, LEGATI SVMMI ET Secretarij & Cancellarij S. Cæs. Regiæq́; M. ac Locumtenentis Regni, &c. viri doctissimi, ATILA.

Caput I.

QVo primùm tẽpore Hunni, sub ducibus Bela, Cheua, & Cadica, & in ripa Tibisci castra posuere, Pannonias incolebant diuersæ gentes: quarum limitibus ad arcendos barbarorum excursus, aduersa Danubij ripa, Maternus, aut (vt alij tradunt) Matrinus præfectus fuit. Hic non eas modò prouincias quæ nunc Hungaria appellatur, sed etiam Dalmatiam, vtrasq́; Mysias, Achaiam, Thraciam & Macedoniam administrabat. Igitur cer-

tur certior à suis factus, Hunnorum gentis antea incognitæ multitudinem intra prouinciam suam magna vi in ripa Tibisci castra posuisse, statuit Detrici, qui id temporis non minimæ Germaniæ parti præerat, quòd se obiicere tantæ barbarorum multitudini vereretur, auxilium implorare. Is cõscripto celeriter magno vicinarum omnium gentium velut ad commune extinguendum incendiũ exercitu, in Pannoniam aduenièns, in eo qui nunc Zaazhalom vocatur campo, nõ longè à meridionali ripa Danubij consedit. Vrbs non multum ab eo loco aberat Potentiana, inter campum memoratum, & oppidum Thethem, ad eiusdem fluminis ripam sita, loco aliisque commoditatibus memorabilis. Hîc quum Maternus ageret, copiasque ad arcendum repẽtinum hostium aduentũ conscriptas haberet, eò profectus est Detricus, vt quid facto opus esset, cum eodem consultaret: decernerentq́; præstarètne traiecto Danubio Hunnos in castris imparatos adoriri, an aliam rationẽ eos opprimendi inire, quísve modus cum hostib. tam inopinatis atq; incognitis esse deberet pugnandi. Qua re per exploratores Hunnis nunciata, dum consultatio iusto diutius inter impera tores protrahitur, relicto in castris ad vxores & res suas tutandas præsidio, Hunni cum cętera militum multitudine, Tibisco traiecto ad loca Danubio propinqua peruenêre. Licet autem Detricus & Maternus ab exploratoribus accepissent, hostes appropinquare: arbitrati sunt tamẽ inter eos murum fortem interiectũ esse, Danubij flumen, quem Barbari non facilè essent superaturi. Hac ducti fiducia, quũ segniores in re sua curanda essent: Hungari, haud multi laboris esse rati, post tot arduos plurimosq́; inuios montes, præcipitia & flumina superata, Danubio trãsuehi: vtribus, quorũ magnũ numerũ ad vsum castrorum habebant, Danubiũ, pręter spẽ hostiũ infra Budam ciuitatẽ traiecêre. cui loco, vbi nũc oppidum est, ob hũc traiectum postea Hungaricè Kelenfewlde, id est terra traiectus, nomẽ est inditũ. Hîc coactis & in ordinem redactis militibus Maternum & Detricum in tentoriis ad vrbem Potentianam, tunc quietos, somnoque deditos nocte intempesta subitò inuasere. Qui insuetis Hunnorum, quos more Scythico edebant, clamorib. exciti, quid facerent, quà erumperent, quà hostibus resisterent, non satis sciebant. Milites quoque & socij eorum non minus quàm duces, tam repentina hostium irruptione perculsi, arma & castra deserere. Hunni fugientes persequi, tota nocte cædere, trucidare, & ferro omnia delere. Lucescente die insequenti, Hunni, vt se & milites cæde hostium nocturna iam fessos reficerent, in valle Tharnok, non longè à Potentiana vrbe, castra metantur. Hac clade & internecione suorum Detricus & Maternus vehementer perturbati, versabant dies & noctes animo, quo modo acceptã ignominiã insigni aliquo facinore delerent. Cõtractis igitur qui adhuc à clade supererant militibus, & his ac omnib. aliis quoq; qui in præsidio vrbis atq; aliis in locis erant, in ordinẽ redactis, antequam Hunni vires recenti cæde fatigatas recuperare possent, eos in ipsa valle Tharnok inuadunt. Hunni tum clade noctis præteritæ, sine magno labore hostibus à se illata, animati, tum suorum multitudine cõfisi, strenuo animo contra hostes tendere, acriter se defendere. Duces partitis inter se exercitus ordinibus, quisque nunc monendo, hortando, nunc hostium impotentiam & paucitatem eleuando, vt milites acrius fortiúsve hostibus insisterent, summam operam nauare: nunc vbi hostes vehementius vrgerent, etiam ipsi concurrère, strenuè se gerere, pugnare, & virtutis suæ facinora edere. Contrà, Romani quoque haud segniter Hunnorum impetum propulsabant, se vitamque tutabantur, magnam nostrorũ cædem stragemque edebant: memores, de facultatibus, imperio, & salute sua in eo agi certamine. Fit igitur atrox pugna, magna vtrinq; strages: campus vtriusq; partis cadaueribus cõsternitur. A prima luce cędes ad solis occasum protrahitur. Qua ex re virtutẽ vtriusq; populi, quantum quisq; manu & robore valeret, possetq́;, satis cerneres. Verùm declinante iam sole, res Hũnica fit inferior, ob pręteritæ noctis vigilias, inquietem, & labores. Dant igitur nostri terga. Quos, quia iam pugnãdo defessi erant, Detricus & Maternus persequi non potuerunt. Hungari ea qua prius celeritate Danubium traiicientes, ad castra, quæ vltra eum reliquerant

Tharnok, Vallis.

Pugna inter Hunnos & Detricũ.

Numerus vtrinque cæsorum. amnem, rediere. Centum & vigintiquinque millia Hunnorum in ea pugna desiderata esse traduntur: inter quos etiam Keuue vnus è ducibus interficitur. Hostium verò ducenta & decē millia dicūtur cæsa, præter eos qui in castris periere. Funesta sanè pugna, & memoratu digna. Sequēti die Detricus & Maternus, etsi victores, noluerunt tamen Hunnorum reditum eò loci expectare: ac præliū sequens, quod futurum esse rebantur, tanto suorum periculo committere. Cum militum igitur suorum reliquiis Tulnam oppidum versus, quod à Vienna, nunc Austriæ ciuitate, olim non multum aberat, celeri itinere sese recipiunt.

Caput II.

HVNNI accepta hac hostium fuga, in campum vbi erat pugnatum reuertuntur. In quo conquisitis suorum cadaueribus, maximè verò Keuue ducis, ea iuxta viam publicam more Scythico magna pompa sepeliunt. *Cadauera sepulta.* Quo in loco statuam ponunt lapideam, rerum ibi gestarum apud posteritatem monumentum. Huic loco additum nomē Keuehaza, id est domus Keuue: qui nunc mutatis & detractis literis Keazo appellatur. Pòst, vbi suorum funeribus Hunni more suo parentarunt, non multo tempore omnem Pannoniæ inferioris regionē quæ circa Danubium est, partim vi, partim deditione subigunt. In qua vxoribus, liberis & omni familia collocatis, fortunā vlterius experiundam rati, magno exercitu, quem ex omni plebe iam rursus validum conscripserant, victoria superiore elati, Tulnam oppidum versus tendunt. Detricus & Maternus post prælium antea confectum coacto nouo milite, in campo Kesmawr eis occurrunt. Nostri statuunt prius mori, quàm pugnam detrectare, ac loco cedere, & virtutis suę pristinæ, tot iam laboribus & periculis partæ, gloriam obscurare. Primi igitur aciem instruentes, in terrorem hostiū clamorem terrificum edere, tympana more patrio pulsare, iaculis ac telis hostem eminus ferire, ordines turbare cœperunt: vbi turbata omnia vident, impressione facta cominus pugnare. Nec Detricus cum suis rem segniter gerebat. Quà impetus & vis maior ingruerat, eà nostris resistere, & se suosque strenuè defendere. At Hunni in quam partem incubuerant, omnia cædibus prosternere. A primo diluculo ad horam diei nonam acerrimè pugnatum est. Ad extremum, hostes multis acceptis vulneribus terga vertunt. Hunni, quoscunque fugientes consequi poterant, passim omnes trucidant. *Materni cædes.* Maternus ea pugna obtruncatus est: Detricus in fronte sagitta grauiter vulneratus, vix euasit. ex quo vulnere ægrè tandem conualuit. Ob quod vulnus acceptum, cognomen Detrico ab Hunnis inditum Immortalis. quem in hunc diem Hungari in suis cantionibus, more Græco historiā continentibus, Detricum immortalem nominant. Teli huius quo fronte ictus erat partem, vt plagæ acceptæ & cicatrice & teli fragmento fidem Imperatori faceret, dicitur Romam tulisse. Tantum sanguinis in loco pugnæ fluxit, vt campus ferè totus cruore maduerit. Nec Hunni lætam & incruentam victoriam sunt consequuti. nam quadraginta millia ex eis occisa esse dicuntur: inter quos Bela, Keme, & Kaydicha, duces occubuere. quorum corpora ad statuam lapideam, de qua suprà diximus, in sepulchro Keuue, tradita sepulturæ sunt. Hostium maxima pars concidit, præter paucos qui elabi fuga potuere. Nihil post eam pugnam tentatum fuit cōtra nostros, nec à Germanis, nec ab aliis hostibus: ita duorum præliorum strage ac calamitate vires eorum fuerunt debilitatæ & concisæ.

Caput III.

POTITI hac Hunni victoria, iam vniuersæ Pannoniæ, & regionibus his quæ Materno suberant, liberè imperitare cœperunt: nec erat quispiam, qui arma illis obtendere auderet. Ita magnum imperium subita fortunæ mutatione, breui tempore, de manu in manum venit. Igitur amissis, vt diximus, quatuor aliis ducibus, arbitrati sunt Hungari, imperium magnum, laboribus, periculis & vi partum, ita demum duraturum, si illius gubernationi quispiā & animi & corporis viribus præstans præficiatur. Memores namque erant, ad conseruanda non minore virtute opus esse, quàm paranda regna. Diu itaque inter se primùm agitant, quisnam potissimum par esset tanto oneri ferendo, & tantæ multitudini,

dini, iam prosperis rebus magis quàm antea elatæ, è bono publico regẽdæ. Tandem sententia omnium, Anno incarnationis Domini quadringẽtesimo primo, Athila, qui solus è numero ducum Hunnorum cum fratre Buda adhuc supererat, rex creatur. De cuius natura, moribus, & corporis habitu, non absurdum videtur pauca referre. Athila, Hũgaricè Ethele dictus, statura media fuit, pectore & humeris latis, capite ad membra cętera ęquo, fusca facie, oculis nitentibus, ipso intuitu seueritatem quandam præ se ferentibus, rarus barba, simo naso, incessu superbus, pronus in venerem: corpore laboris, inediæ, vigiliæ, & frigoris iuxtà ac caloris patiente: magna vi animi, consilio bono, audax; manu strenuus, & in rebus militaribus exercitatus, cupidus gloriæ: in hostibus fallendis, dolis, insidiisque struendis, vitandisve, & ingeniosus, & callidus: in prælijs omnia circunspiciens, nunc militis strenui, nunc ducis optimi agens officium: vt illud Homericum,

Callimachus aliter, Athilam in regnum successisse, non electum esse dicit.

Statura & mores Athilæ.

ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής,

meritò ei conueniret. erga superbos ferox, supplices verò facilis & misericos. Hac ipse corporis & animi vi præditus, imperio accepto, agitabatur indies magis ac magis cupiditate regni sui proferendi: & eos populos, quorum auxilio Maternus contra se ac suos bellum gesserat, inuadendi, iniuriæque acceptæ vindicandæ. Statuit igitur Illyriam, Mysias, Achaiam, Macedoniam & Thraciam, qui Materno milites auxiliares antea miserant, primo quoque tempore adoriri. Verùm ne domi imperio suo aliquid se absente decederet, & vt esset qui suo nomine regno præesset, Budam fratrem toti illi regioni quæ a Tibisco vsque ad Tanaim amnem, ad Septentrionem protenditur, præficit. Iubet barbaras omnes nationes quæ Hungarico iam subiectæ erant imperio, illi parere: ipse verò ex Sicambria ciuitate, quam sibi regiam delegerat, cum exercitu decies centum millium militum (hunc enim copiarum eius numerum, præter nationes illas quæ ad eum vndique conuenerant, Chronicon tradit Hungaricum) in campum progreditur. Apparatum ipsius bellicum talem fuisse, ex scriptoribus comperimus. Tentoria habebat varia, ex more regnorum quæ antea subegerat, mira arte contexta. Id quo ipsemet vtebatur, ex serico, auro, gemmis intextum ornatumque erat, preciosis interiectis lapidibus. huius mali aurei, quorum commissiones atque iuncturas vniones splendidi ornabant. Aliud, in quo equi stabulabantur, sericeũ totum. Lectus quo cubabat, tum mensæ & conuiuiorum, præterea culinæ instrumentum, ephippia, phaleræ, & alia equorum ornamenta, auro gemmisque decora. Iam statim ab initio Imperij, vt erat earum rerum quæ bello vsui sunt studiosus, tormentorum & machinarum bellicarum, ad mœnia diruenda, & ad vallum castrorum suorum muniendum, non paruam vim compararat. Constituerat ad hæc, decem millia curruum falcatorum, quibus castrorum suorum munitionem veluti muro cingeret. Gladio vtebatur, vt ipse putabat, diuinitùs ei misso. Namque dum quadam nocte per quietem vidisset se à Marte armari, postero die quidam ex gregariis militibus detulit ad eum ensem, in campo patenti, dum vestigium cuiusdam vitulæ sauciatæ insequeretur, forte fortunâ repertum. Quæ res fidem præcedentis sui somnij non modicè confirmauit. Insigne tam in scuto quàm velis gerebat † Asturem auem, coronam in capite gestantem. militum suorum arma erant ex Scythia exportata: clypeus corio tectus, ferroque polito superinductus: arcus cum sagittis, lanceæ cuspidibus acuminatæ, & ensis femori accinctus. Habitus corporis non adeò magnus, at vultu aspectuq; horridus: barba promissa, crinibusq; incõptis. Indumentum, pelles hirsutæ, more Scythico. His ornamentis, populis omnibus terrori erant. quem Hunni cultum vsque ad tempora Geysæ ducis, filij Toxon (de quo, & alijs etiam Hungariç ducibus ac regibus, si per occupationes licebit, aliàs fortè dicemus) in omnibus suis expeditionibus seruarunt. Deos colebant, Iouem, Martem, Mercurium, & Venerem: quorum auspiciis omnia sibi prosperè successura arbitrabantur. Titulus Athilæ, quo vtebatur, erat: Athila filius Bendegicz, nepos magni Nemroth, in Engadi nutritus: Dei gratia Hunnorum, Me-

Athilæ apparatus & copiæ.

Gladius Athilæ, & insigne.

† aquilam.

DD

dorum, Gothorum, Danorum rex, metus orbis. Cui posterioribus temporibus, propter verba Eremitæ adiecit, flagellũ Dei: de quo infrà fusius dicetur. In hunc modum comparato instructoque exercitu, non modò suis, verùm etiam omnibus mortalibus Athila admirationi atque terrori erat.

Caput IIII.

MEMOR igitur Athila, Illyricos, Mysos, Achiuos, Macedones & Thraces, aduersum se suosque, Materno non minimo antea fuisse auxilio, horumq; ope magnam genti Hunnicæ stragem illatam: eorum prouincias summa inuadens alacritate diripit, vastat, ac latè populatur. Iam Byzantio victor imminebat, dum inter belli apparatum Theodosius imperator moritur. Sabellicus tradit, Hunnos à Theodosij ducibus vno prælio superatos. At vetus nostrorũ Chronicon, nulla accepta aut clade, aut damno, victores lætosque magna præda cum Athila Sicambriam reuertisse refert. Theodosio successit Martianus, qui vires Athilæ, multorum iam regnorum imperio auctas veritus, ne scilicet quatuor simul potentissimi populi, ab Oriente Persæ, ab Occidente Vissigothæ, ab Aphrica Vandali, à Septentrione Hunni, eodem tempore bello se premerent, cum Genserico Vandalorum rege, & cum Persis in certum tempus inducias paciscitur: ratus, his quiescentibus, se facilius armis Hunnicis obuiam iturum. Dum Athila, siue metu venturi contra se ex Asia Martiani Imperatoris, vt quidam tradidere: siue tentorij sui, sereno cœlo subitò prolapsi, portento perculsus, Sicambriam reuersus fuisset: dimisso exercitu ad ea Pannoniæ loca, quæ illis ad curanda corpora, quietemque aliquantisper agendam distribuerat: ipse ne id quoque temporis quod à bello supererat gerendo, inutiliter, ac prętep publicum suorum commodum absumeret: statuit, regnum legibus stabilire: arbitratus leges regno firmando non minus necessarias esse, quàm arma. Igitur quum legibus ex æquo & bono publico conscribendis, subditis in ordinem quo viuerent redigendis, operam daret: reges & populi complures, partim nominis, fortitudinis, ac in rebus militaribus gloriæ ipsius fama, quæ totum ferè iam penetrauerat orbem, pellecti: partim existimantes, deposita priore præferoci natura, eum iam ad mores ciuiliores conuersum iri atque regnum suum legibus firmaturum, hacque re aliquam præbiturum & continentiæ & iusticiæ suæ speciem, ex diuersis orbis regionibus indies ad eum confluebant. Quos, vt externorum animos sibi conciliaret, benignè excipiens, liberalibus donis onerabat. Inter quos Valamirus, Orientalium rex Gothorum: Hardericus, Gepidarum rex strenuissimus, & ob res præclarè gestas insignis: nec non Dietmarus & Vittimarus ex Ostrogothorum regulis: præterea populi Marchomanni, Sueui, Quadi, Heruli, Turingi & Rugij, militari virtute omnes præclari, regis Athilæ imperium atque societatem vltrò subierunt. Athila plurimis iam auctus victoriis, regumque ac multorum populorum elatus imperio, arbitrabatur non magni esse laboris totum Occidentem bello subiugare. Qui vt partim opum suarum ostentatione, partim humanitate, beneficiis, & munificentia eos qui nondum in sui admirationem exciti erant, sibi conciliaret, diem statuit, quo non modò subditi, sed etiam alij externi, quorum esset id faciendi animus, præstita eis fide & securitate ad se venirent. Quæ res fecit, vt multi mortalium ex longinquo populo ad ipsum vltrò commearint. Detricus Veronensis, quem cum Materno contra Hunnos rem infeliciter gessisse, suprà docuimus, cum plerisque Germaniæ, cui præerat, principibus, benignitate admonitus Athilæ, sponte ad eum venit. Quibus Athila summa humanitate ac beneuolentia appellatis, exceptisque, magna munera largitus est. Detricus animum Athilæ in se & suos comem atque beneuolum esse animaduertens, eum belli & rerum gerendarum suapte etiam natura auidum, ad arma superiori primùm Germaniæ, dein Galliæ inferenda accendit. Quod eò facilius illi persuadet, quòd & Germaniæ & Galliæ populos præsidio vacuos esse, certò affirmat. Igitur Athila ingenti & suorum & externorum, qui ad eum confluxerant, & quorum beneuolentiam atq; fidem iam sibi satis perspectã esse arbitrabatur, conscripto exercitu, ex

citu, ex Sicambria castra mouit. Exercitum eius ad quingenta millia armatorum, Sabellicus fuisse tradit. Ducto igitur milite per Austriam, Bauariam, Sueuiam, & eas Germaniæ, quæ Rheni ac Danubij fontibus inclusæ sunt, regiones: atque interim omnibus quæ ei obuia erāt oppidis, partim propter rebellionem, & quòd commeatu prohibebatur, viarumque angustiis vbique intercludebatur, funditùs euersis, partim in fidem acceptis, Constantiam versus exercitum ducit. Sigismundus, eius regionis ea tempestate princeps, non longè à Basilea, ad Rheni ripam sita, magnis copiis illi occurrit. Quem Athila cum exercitu penè omni facilè prosternit, atque fugat. Hic fractus prælio, posteaquam videt fortuna ac viribus Athilæ se esse longè inferiorem: non grauatim cum regno in deditionem eius concedit. Hinc auctus indies vi & opibus Athila, Argentinam, ad Rhenum pariter sitam, obsidione circumsedit. Ea vrbs à nemine ante id tempus imperatorum vi capta esse traditur. Hæc non multis post obsidionem diebus expugnata, in prædam direptionemque datur militum: omnibus structuris, quæ in modum munitionis in ea erant ædificatæ, dirutis & demolitis. Mœnia illius in multis locis solo equata sunt, vti in memoriam nominis Athilæ cunctis mortalibus aditus liberè pateret. Promulgatumque est ipsius iussu per præconem, ne muros demolitos viuo se incolæ reficere auderent. Hanc ob rem vrbi Alemanico vocabulo Strasburg nomen inditum esse dicitur, quod sonat, Arx viæ. Post hæc, traiecto Rheno, per Tulingos, Heduos & Sequanos, qui nostra ætate Burgundi dicuntur, exercitum ductat. Gūdicarium eorum regem iam tum magnis viribus se Aetio & Theodorico coniungere volentem, cum omnibus suis copiis iusto conflictu interficit, deletque. Qua parta insigni victoria, multas Sequanorum & Galliæ munitas vrbes, opibus viribusque præstantes (inter quas Lixouium, Besontionem, Matisconem, Lugdunū, Cabilonem, & Lingonum vrbem memorant) funditùs euertit. Autor est Sabellicus, eum in Gallia Rhemenses primò adortum esse: & Nicasium eius vrbis episcopum, de quo paulò pòst dicemus, virum moribus, vita & sanctitate illustrem, ibi iugulatum. Verùm satis constat ex historia nostrorum, Rhemensium expugnationem, & Nicasij mortem, post pugnam Catalaunicam esse factam.

Copia Athilæ in Germanica expeditione.

Sigismundus rex ad Basileam ab Athila victus, fugatusq;.

Argentina cur Strasburg dicta.

Caput V.

PAVLO antè quàm Athila intima Galliæ penetraret, videns fortunam rerum omnium dominam, quoquò versum tenderet, rebus suis victoriam polliceri: simul etiam arbitratus, neminem in Gallia obuium sibi futurum, qui fortunę & viribus suis resistere posset: rem suam segniùs solito agere, multitudini suæ plus iusto fidere. Hac ex re, quoniam nondum de Aetij copiis aduersum se iam conscriptis certi quicquam acceperat, minore exercitu satis se munitum esse rebatur, ad ea quæ animo conceperat perficienda. Tertiam igitur copiarum suarum partem ad fines Hispanicos diripiendos, depopulandosque mittit. Refert Chronicon nostrum, hos Athilæ milites, Hispaniæ aliqua parte ferro igneque vastata, vsque ad regulum Bæticæ prouinciæ, cui nomen Miromanno fuisset, penetrauisse: eumque terrore Hunnorum, omnia cædibus longè lateque vastantium, vehementer perculsum, ex Hispali, vbi degebat, per fauces Gaditani freti in Africam elapsum fuisse. Id tamen pro comperto affirmare non ausim, quum & Galliam Aquitanicam, & Hispaniam eo tempore Visigothos possedisse constet. Nunc tempus admonet vt quoniam in Aetij mentionem incidimus, quæ de eius origine & fortuna acceperim, quàm paucissimis referam. Aetius ordine patricius, ex Dorastana Mysiæ erat oriundus. Is initio ob virtutem, & rei bellicæ artes, ab Honorio imperatore in locum Constantij copiis suis præfectus, multa præclara contra Burgundos, Francos, Halanos, virtutis suæ ediderat facinora. Postremò quia Halanis, Vandalis & Sueuis, qui ad Emeritam, quæ ad Aram fluuium sita est, consederant, viribus impar, ad interiorem Hispaniam, sine metu hostium, siue quòd tantæ multitudini suos non putauit temere obiiciendos, exercitum suum retraxerat: eum Honorius imperio copiarum priuauit. In cuius locum, Castinum quen-

Miromannus regulus Bætica.

De Aetij patricij origine.

dam, magiſtrum militum, Scythici generis virum, ſuffecit. Hac Aetius accepta contumelia Romam reuerſus, ſtatuit ruri vitam agere priuatam: in qua nihilo magis ab inimicorum ſuorum accuſatione tutus eſſe potuit. Itaque reus moliendarum rerum nouarum factus, mortem proculdubio euadere non poterat, ni fuga in Pannoniam occultè abiiſſet: vbi viuente Honorio commoratus, Athilæ & Hunnis charus erat, tam ob inſignes animi virtutes, quàm quòd omnem Italicarum rerum ſtatum Hunni ab eo didicerant. Hic igitur Honorio mortuo, & in locum eius Valentiniano ſuffecto, Romam reuertitur. Vnde ductus ad Valentinianum, Placidiæ matris ſuaſu, gratiæ & amicitiæ Cæſaris (Caſtino, quem in locum eius ſurrogatum fuiſſe antè memorauimus, in exilium miſſo) reſtituitur. Huic Aetio Valentinianus Galliam tuēdam committit. pollicitus enim ei fuerat, ſe facilè prohibiturum Hunnos, ne Pannoniæ fines egredi auderent. Igitur Athila cum his quos ſuprà diximus regibus & populis, Galliam, Aetio magiſtratum eius gerente, primùm inuadere ſtatuit: ſiue quòd Aetius promiſſa, quæ Hunnis de rebus Italiæ olim fecerat, minus ſeruaſſet: ſiue potius, quòd Gallia deuicta, Italia, ad quam diripiendam iampridem Aetij hortatu animum intenderat, minori poſtea negotio ſe potiturum ſperaret. Occiſo igitur Gundicario rege, ac euerſis, vt ſuprà retulimus, oppidis Burgundiæ, ſecus Rhodanum flumen progreſſus, omnibusque locis quæ occurrebant demolitis, contendit Aureliam, vrbem ad ripam Ligeris ſitam, eamque obſidet. Cuius oppugnationi quum totis intenderet viribus, tum primùm certior eſt factus, Aetium ſollicitare reges & populos, vti magna vi contra ſe tenderent. Ea res Athilæ præter expectationem accidit. Quare veritus, ne Aetius, quod iam factum erat, Theodoricum Gothorum occidentalium regem, cum quo iampridem graue ſuſceperat bellum, ſibi conciliaret: ſtatuit animum Theodorici, Hiſpaniarum & Galliæ Aquitanicæ tenentis imperium, an ad ſe pellicere poſſet, ſollicitare. Mittit igitur ad eum legatos, qui dicerent ſe veniſſe in Galliam, magis vt regum populorumque amicitiam, quàm inimicitias quæreret. Nihil aut præclarius, aut ad imperia diu conſeruanda tutius ſibi viſum, quàm beneficio & beneuolentia, vbi eius ſit facultas, animos regum ſibi fauentes facere. Igitur in primis ſe cupere amicitiam & fœdus cum eo inire, ab omni bellorū motu eum abeſſe: ſibi cum ſolis Romanis belli eſſe cauſam, qui ab initio Hunnis infenſi ſemper fuiſſent. His Theodorico fruſtra recitatis, legati re infecta reuertuntur. Nam iam antea Aetius ſuſpicatus Athilam Theodorici ſocietatem affectaturum, ipſe prior in amicitiam ſuam, bellique communionem, illum traxerat, partim promiſſis, partim antiqui inter Hunnos & Gothos odij commemoratione: Gentem Gothicam magna olim ab Hunnis contumelia, ſimulque ignominia eſſe affectā dictitans. Maiores ipſius à ſuis ſedibus illorū rabie expulſos: Hunnos feciſſe, vt extorres Gothi patria virtute nouas ſibi ſedes in Gallia Hiſpaniiſque quærerent: iam inſtare iterum, vt his quoque quas olim virtute pararant ſedibus, eos deturbarent. Veniſſe nunc Athilam eo conſilio in Galliam, vt & Gothorum & Romanorum imperium per ſummum eorum dedecus, ni rebus ſuis vnà proſpiciant, ſimul armis occupet. Proinde nunc eſſe à Diis datam occaſionem, qua antiqua Gothis illata à barbaris iniuria & calamitas vindicetur, qua Hunnorum ferocia atque ſuperbia refrænari poſſit. Id autem factu eſſe facillimum, ſi vires Theodoricus ſuas, viribus Romanorum coniungat: ſe omnibus modis curaturum, ni ſolus ſibi deeſſe malit, vt ſe duce, veteres maiorum ſuorum iniurias, Diis fauentibus ſit vindicaturus, atque Galliam à barbarorum tyrannide liberaturus. Hac oratione Theodoricus rex, ſimul memoria antiquæ etiam inimicitiæ permotus, ſe Aetio belli ſocium contra Hunnos pollicetur: hisque conditionibus fœdus cum illo firmat, vt paribus viribus, communique impendio bellum Hunnicum ſint adminiſtraturi, & confecturi.

Aetij fuga in Hungariam.

Aurelia obſidetur.

Athila legatos ad Theodoricum regem.

Aetij apud Theodoricū oratio.

Caput VI.

POSTEAQVAM Athila de Theoderici & Aetij fœdere à ſuis legatis fit certior, putauit vlterius non eſſe ſibi cunctādū: ſed ſine mora hoſtibus obuiam pro-

prodeundum, ne mora & cunctatione inimicorum vires ex finitimis populis magis ac magis indies crescerent. Igitur soluta obsidione Aureliana, cum exercitu aduersum hostes ire properat: eo fretus consilio, vt eos incautos, imparatosque adoriatur. Dum iter faceret, repertus à suis in præcipitio ardui cuiusdam montis Eremita quidam, qui, vt à mundanis procul tumultibus, in Dei ministerio vitam tranquillam ageret, eò loci tugurium vile extruxerat, ad Athilam ducitur. Huius aduentu rex multum lætatus, sciscitatur quisnam hominum esset, cuius Dei cultum obseruaret, quid in loco aspero vitam sibi agendam decreuisset? quem sibi Dij euentum belli promitterent? is post diuturnum silentium, veluti numine afflatus diuino, regi respondet: Se hominem Gallum esse, & cultorem illius Dei, quem Christiani in persona trinum, in substantia tamen & diuinitate vnicum, verè & sanctè colerent: ac illum, vnde abductus esset, elegisse habitationis suæ locum, vt à terrenis tumultibus seiunctus, Deo ipsi, cuius nomen profiteretur, carne rationi subacta, & vigiliis, abstinentiáve macerata, quietiori mente famulari, illiusque legem meditari, & præcepta seruare posset. Quòd verò, inquit, fortissime regum me cogis, vt Dei voluntatem tibi aperiam, tuique consilij euentum: etsi illius, qui res mortalium omnes manu sua continet, minimus sim vermiculus, vt non sit possibile quempiam illius immensa cōsilia comprehendere: tamen ne arbitreris voluntatis Dei mei, quem tu ignoras, cuius religionem, populos cultui eius deditos, persequi in animum induxisti, me, quatenus eius sinit benignitas, ex omni parte esse ignarum: non sis nescius, Deum ipsum ob flagitia sui populi irritatum, qui vt eos à iustitia & vera religione ad impietatem prolapsos, ambitione, superbia, iniusta imperandi libidine accensos, pauperum oppressione plenos, nulli magis rei quam bello intestino deditos, voluptatem & corporis delicias ratione neglecta quærentes, turpis lucri auidos, proborum virorum contemptores, adulatoribus, perniciosis tum Principum tum regnorum proculdubio euersoribus, aliisque aurium oblectamentis plusquam veritate & honestis studiis gaudentes, aliis etiam facinoribus scelestis contaminatos, & rebus omnibus impiis obnoxios, ad modestiam, humilitatem, temperantiam, iusticiam, charitatem, pacemque mutuam, continentiam, liberalitatem in pauperes, ad æstimationem proborum, ad veritatem (quæ & Regum & imperij est conseruatrix) audiendam, & studia recta, aliasque virtutes & verum sui cultum (qui præcipuè in fide & charitate erga ipsum atque proximum nostrum consistit) iustamque vitam te stimulante reducat, gladium suum in manus tuas nunc dedit. Tu enim Dei es flagellum, ad vitia Christiani populi corrigenda missus. Hunc à te, reuerso ad sanitatem suo populo, dum volet, rursus auferet, & alteri pro suo arbitrio tradet. Te tantisper tua hac potentia terrena vti patietur, dum ei visum fuerit: qui vt certus sis, cogitatus, consilium & vires tuas, præter Dei arbitrium, nihil roboris habituras: omniaque non modò terrena, sed etiam cœlestia in ipsius nutu esse posita, astrorum portenta te animaduertisse existimo. Hoc prælio, quod contra Romanos facturus es, eris inferior. Non tamen potentia & imperium tuum è manibus tuis mox elabetur: sed eo ad id temporis vsurus es, quoad Deus, vt populus suus ad meliorem te vrgente redeat frugem, tibi constituit. Athila vbi Eremitæ verba accepit, admiratus homunculi huius tam sapientem eloquentiam, inopinato tamen perculsus nuncio, iubet eum amoueri, & in custodia ob prudentiæ reuerentiam honesta seruari: donec ab aruspicibus, vatibusque suis, quorum magnus apud eum id temporis erat numerus, de rerum suarum euentu certiora intelligeret. Accersitis igitur illis, qui de prælio futuro sentiant, percontatur. Hi extis pecorum pro sua disciplina inspectis, vaticinia Eremitæ vera esse affirmant. Addunt ad hæc, ducem hostium prælio casurum. Proinde licet Athila animo erat sollicitus de aduerso futuri prælij euentu, maluit tamen fortunæ se committere, & extrema omnia experiri, quàm terga vertere, ac virtutis suæ gloriam fœda fuga dedecorare. Eremita donato, & in tugurium suum, ex quo abductus erat, remisso, cum toto exercitu suo campum

Eremita Gates ad Athilam per milites ductus.

Vaticiniū Eremitæ ad Athilam.

Athila Dei flagellum.

Catalaunicum versus, vbi Aetius & Theodoricus cum Sangibano Alanorum, & Merouco Francorum regibus, atque populorum, Burgundorum, Frãcorum, quibus Meroueus rex præerat, Lucianorum, Armoricorum, Saxonum, Ripariolorum, Brigonum, Lambrionum, Sarmatarum, Lutetianorum & Britannorum, odio potius Athilæ quàm amicitia Aetij concitatorum, magnis copiis conuenerant, celeri contendit itinere. Quò dum peruenit, edoctus hostium numerum longè quàm antea crediderat, maiorem esse, tum primùm facti sui pœnitere cœpit, quod exercitus sui tertiam partem Hispaniam versus misisset. Dum igitur hæ suæ copiæ ad se reuerti possent, bellum ducere, traherequè constituit. Ita castris suis, decem illis, de quibus suprà diximus, curruum falcatorum millibus, è disciplina militari firmatis, prætextu pacis mutuò tractandæ legatos ad Aetium, inducias petitum mittit. Is tum quòd consilij Athilæ non omnino ignarus erat, tum quòd tot regum, populorum ac nationum viribus plus iusto fidebat, inducias se vllas daturum negat. Animus Athilæ, etsi inter spem & metum variè agitabatur, reuoluens identidem secum, suorum præ hostium multitudine paucitatem: simul etiam Eremitæ ac aruspicum suorum vaticinia: tamen ducis hostium interitu, quem vates prædixerant, semet consolabatur, animumque subtrepidum spe aliqua subleuabat, arbitratus Aetium proculdubio ea pugna interiturum. Itaque exercitus etiam sui quouis discrimine, belli subire fortunam constituit, modò Aetium, vt ipse sperabat, interfectum conspiceret. Multa prodigia huius prælij atrocitatem prænunciarunt. Luna binam eo anno passa est eclipsim: plurimæ vrbes repentino terræmotu corruerunt: cœlum cruento hiatu apertum, mutuis hastis igneis id obliquè scindentibus. visus præterea cometes aliquot noctibus radios suos Occidentem versus porrigens. Quibus ostentis multi mortales terrebantur: & non Athilam tantùm, sed etiam Aetium & Theodoricum magna incesserat cura, res suas quam diligentissime fieri posset, ad futurum conflictum præparandi, vtrisque vtpote rem suam superiorem futuram sperantibus. In campum igitur Catalaunicum siue Mauriacum, quem haud procul à Tholosa in longitudinem ducentis, in latitudinem verò septuaginta portendi leucis Sabellicus tradit: magna tendit festinatione. Quò dum peruenisset, concione conuocata, hæc ad milites hortando, verba loquutus est.

Athila legatis ad Aetium.

Ostenta, quæ pugnam Catalaunicã præcesserũt.

Caput VII.

RES ipsa hortatur, commilitones & socij fortissimi, hodierno die me apud vos verba facere. Est enim tam ardua est, & necessaria, vt nisi velimus opes, facultates, & salutem nostram in apertum discrimen ponere, summam eius curam nos habere oporteat. Nam quod omnibus ætatis nostræ temporibus, acrius, vrgentius & periculosius propositum fuit nobis negocium, quam nunc, vbi de regno, salute & vita nostra agitur? Non sum dubius de vestra, milites optimi & socij fidissimi, in rebus gerẽdis fortitudine, animi constantia, omniumque rerum aduersarum incredibili patientia. Quod enim hisce oculis in multis dubiis & periculosis rebus intuitus sum, de eo vix me animo hæsitare conuenit. Nam prætermissis omnibus aliis vestris facinoribus, superioribus annis magna fortitudine editis: quid rerum & arduarum & difficilium per Germaniam vniuersam, atque alias hostiles terras, per quas nobis armatis proficiscendum erat, non forti animo superauistis? Licet autem id vestrapte virtute effeceritis, nonnullum tamen etiam mea præsentia, & rerum omnium difficilium patiendarum societas, stimulum virtutis edendæ vobis addiderunt. Quid enim vnquam curarum, quid laboris, quid periculi, si quod nobis omnibus fortuna obtulerit, non pari animo vobiscum vna subierim? Quæ res me vnquam prospera elatiorem fecerit? Non vt ducem & Imperatorem iure optimo facere conuenit, me vobis prætuli? sed in omni vtriusque fortunæ euentu æqua vobiscum sum vsus conditione. Quarum rerum causa non arbitror opus esse, neque tempus patitur, multis me vos ad ea hortari, ad quæ ipsa necessitas dirum mortalium telum, vos suapte natura impellere debet. Quàm potens hostis, socij

Athilæ oratio ad milites ante pugnam Catalaunicam.

Exordium Benevolentiam ab ipso.

A persona militum.

A persona sua.

focij fortissimi, nunc nobis obiectus sit, qua multitudine, quibus apparatibus, considerate. Quid opportunitatis commoditatisve hostes ad pugnandum habeant, omnium maximè videtis: vtpote intra regnum suum, in patria, in domesticis sedibus constituti. Contrà, quo nos præ illis simus numero, quam dubium sit in solo hostili manum conserere, quemque vestrûm animo bene perpendere necesse est. Hodierno die vel victoria diis bene iuuantibus præclara nobis acquirenda est, ni in seruitutem morte acerbiorem deuenire malimus: vel omnibus ad vnum vsque moriendum. Eò loci progressi sumus, commilitones integerrimi, vt non nisi virtute & armis hinc euadēdi detur nobis potestas. A fronte hostes nos vrgent: à dextra Ligeris flumen obstat: à læua Rhodanus: post nos oppidani, & reliqua Gallicanæ gentis colluuies, itinera, per quæ venimus, arcta obsident, atque prælij huius exitum præstolantur, prædæ nostræ inhiantes. Quod si persuasum esset animo, intra munimenta nos continere, & ordinibus nostris bene firmatis, paulatim retrocedere: quid ea specie fugæ gloriæ nostræ iam multis maximisque victoriis partæ, esset indignius? quid inhonestius? quid nobis turpius? quid Scythico nomini, vniuerso orbi formidabili, minus conueniens? quid maiorum nostrorum virtutibus & fortitudini magis aduersum? Satius semper habitum est, & pulchrius, cum dignitate gloriaque mori, & maiorum nostrorum manes inuisere, quàm imbellium atque socordium more, hostes nostros turpi fuga deuitantes, infamem & dedecore plenam agere vitam. Si forti animo constiterimus, hostibus obuiam progredientes, sperandum est Martem belli, peculiare gentis nostræ numen, nobis propitium futurum. Si victoria manu & armis nostris parabitur, quid non vtilitatis ex ea nobis sequuturum est? Spolia inprimis hostium, nobis victoribus proponentur: tum regnum Galliæ opulentissimum & fertilissimum, imperio nostro accedet: postremò, gloria non minima, res à nobis fortiter gestas abundè cumulabimus. Præterea non vlli alij in tota Europa occurrent, his deletis, hostes, qui totius orbis opes & imperium nobis sint remoraturi. Regnum Galliæ imperio nostro Pannonico & Germanico, quæ iugum nostrum iam subierunt, coniunctum, quantam adferet opibus nostris accessionem? quantam vitæ felicitatem? Quid à diis immortalibus commodius, fortunatius & felicius nobis hoc dari potest? Nec vos terreat hostium multitudo, non alienæ regionis ignoratio. Quid enim in hunc diem aliud egimus, quàm quòd in alieno solo multos reges, nationes & populos strenuè deuicerimus? Hostes, quos nunc intuemini, non sunt vobis incogniti. Horum robustiorem validioremque partem iam olim vos milites fortissimi, mecum vnà è sedibus suis expulistis. Vestram ipsi virtutem, fortitudinem, & arma iamdudum experti sunt. Hos primo statim è sedibus nostris paternis egressu, primùm sub Emerico, deinde sub Vinitario rege turpiter fugatos, omni regno priuauimus. Non sunt hi maioribus suis Gothis aut præstantiores, aut fortiores. Omne robur Gothicum iampridem à nobis vestra virtute, milites fortissimi, est debilitatum, extinctum, deletum. Hæ quæ adhuc supersunt sub Theodorico duce Gothorum reliquiæ, non impetum, non arma, non vires expectabunt vestras, si modò viderint vos forti animo se aggressuros. Præteritæ cladis & calamitatis suæ à maiorib. primùm nostris, tum a vobis, milites optimi, acceptæ memoria, versatur eis ob oculos. Quæ non minimum animi, & si qua adhuc eis inest, virtutis, ipsis adimet. De Aetio autem tacendum mihi potius apud vos est, quàm pauca dicendum. Ingenium, mores & conditio hominis, iampridem non aliter vobis quàm mihi comperta sunt: quippe qui expulsus ob ignauiam suam Italia, sub imperium nostrum confugerit, in castris nostris longo satis tempore inter vos militauerit, nulla tamen vnquam maiora quam vnus ex vobis minimus, ediderit virtutis facinora. Imo si quid vnquam fecit, id reuera præstitit, vestra confisus, munitus & animatus, socij, societate. Esto, sit in eo aliqua rei militaris scientia. Eam certè vestra doctrina didicit. Nouit vestra inuicta arma, nouit virtutē, nouit in rebus gerendis prudentiam, fortitudinem, constantiam. Non sua vestris armis obtendet,

Propositio. — *A necessitate.* — *Antihypophora.* — *Ab honesto.* — *Ab vtilitate & commodo.* — *Aduersariorum eleuatio.* — *Eleuatio ducis hostium.* — *Concessio.*

si viderit nostro ductu vos sibi occursuros. Denique inducite in animum, quos ducat milites: nempe Gallos, non tam armis quàm ocio aptos: corporis quidem proceritate præstantes, sed laboris impatientes, post primum armorum concursum oblanguescere mox solitos. Quum igitur, socij & commilitones præstantissimi, hoc prælio de honore, gloria, salute & vita omnium vestrûm sit depugnandum: quum regnum amplissimum nobilissimumque hodierno die Imperio nostro non difficulter adiungi possit: quum vobis cum eo hoste sit congrediendum, cuius maiores è sedibus suis facilè expulistis, atque etiam cum populis quieti potius quàm bello deditis manus sitis conserturi, quorum Imperator non minus quàm quiuis ex commilitonibus vestris, vobis sit cognitus: forti & constanti decet vos esse animo, omniaque bona & felicia sperare. Deos in primis immortales, quorum auspiciis in hunc locum salui peruenistis, deinde me & ducem & commilitonem vestrum sequamini. Adiuuabunt dij fortunam vestram, augebunt vires, gloriam & opes. Ego verò nusquam sum vobis defuturus: vobiscum vnà omnia pericula, si sors ita ferat, constanti animo subiturus: vobiscum vnà & victurus, & moriturus. Me igitur proponite vobis ob oculos: perficiam, vt meum prius sanguine hostili tepefactum gladium, quam vestra arma cruore respersa, conspicere possitis. Et vos mea facta imitemini: ac dum me strenuè rem gerentem videritis, alacri intrepidoque animo hostem vrgete, profligate, prosternite. Non magno periculo victoriam consequuturi sumus, si pari virtute, vnoque animo cum hostibus depugnauerimus. His ab Athila recitatis, tantum animorum milites sumpserunt, tantus ardor pugnam poscentium est excitatus, tanta vndique omniū acclamatio facta, vt sua sponte hostem primi inuadere optauerint. Verùm Athila præmissis aliquibus saltem præcursoribus, qui tenuia primùm futuri conflictus ederent præludia, iustæ pugnæ committendæ quærit tempus & occasionem. Quam in solem iam declinātem consilio differt, vt si pugna (sicuti prædictum ei fuerat) hostis superior esset futurus, noctis aduenientis præsidio sibi suisque prospicere posset. Dum igitur sol in occasum vergeret, exercitum Athila in locum aptum deducit, atque aciem ita instruit. Ostrogotthos, cum parte sociorum, in dextrum cornu collocat: iubet eis Valamirum regem præesse. Sinistrum cornu ex Gepidis, & parte reliqua sociorum efficit: quos Ardaricum regem curare iubet. In acie alios regulos cum armatis militibus locat. Ipse cum robore suorum, propter signa consistit. Exercitus postremam partem delecto iuuētutis robore ex ordine firmat, ne hostes multitudine freti, à tergo circumuenire suos possent. At ex alia parte Aetius cum Romanorum viribus sinistrum tenet cornu: Theodoricus cum Wissegothis, dextrum. Sangibanum regem Alanorum, quoniam iampridem in suspicionem venerat ad Athilam deficiendi, & vrbem Aurelianam, regiam suam, in potestatem illius dedendi, in medium agmen includunt. Ita instructo vtrinq; exercitu, Athila die iam aduesperascente dat signum. Acies paulatim vtrinq; incedit. Vbi intra teli iactum ventum est, Hunni, hostes iaculis, quibus maximè possunt, eminus feriunt: equos virosque passim sauciant. Hostes contrà adproperant, vt à iaculorum sagittariorumque vulnerib. liberati, manu gladiisque, queis plurimùm fidebant, prælium cominus conserant. Valamirus ex dextro cornu cum Ostrogothis, Aetium, Romanumque robur acrius vrget. Nec minor Ardarici Gepidarum regis in Theodoricum & Wissegothos fit incursio. Posteaquam omnes vtriusq; partis vires, honorem, fortunam, vitam & salutem suam strenuè defendentes, cædibus atque sanguine permistæ fuissent: tanta vtrinque infertur & accipitur strages, tam atrox & cruenta, vt vix vlla hominum memoria atrocioris vnquam meminerit. Cadaueribus ita campus repletur, vt super occisorum cadauera postremò fuerit pugnatum. Tanta vis sanguinis & hominum & equorum effusa, vt riuulum, qui in campi medio labebatur, torrentis instar, sanguine subitò auctum, interfectorum cadauera deuexisse, autores tradiderint. Ad cētum & octoginta millia hominum vtrinq; ea in pugna desiderata esse dicuntur. Theodoricus rex, Trasimundi pater, dum equo circumuectus

Epilogus, cum præmissorum enumeratione.

Numerus cæsorum in campo Catalaunico.

ctus

ctus suos ad pugnam hortatur, deiectus per quempiam Hunnorum in terram, à pugnantibus conculcatur. Sunt qui dicant, cuiusdam Audagis Ostrogothi telo confixum, exhalasse animam. Trasimundus Theodorici filius, dum intempesta nocte errore viarum in Hunnorum incidisset castra, necessitatem in virtutem vertens, fortiter dimicat. Quem capite saucium, equoque ob id delapsum, sui ægrè liberarunt. Aetius etiam, clade suorum turbatus, vix ad suos errabundus rediit. Variant scriptores, Hunnine an Romani fuerint superiores. Sunt qui scripsere, Aetianos, cognita Theodorici morte, primos se fugæ cõmisisse. Nonnulli contrà, inter vtrumque diu æquo Marte pugnatum, ac postremò Athilam 10 cæde prostratum, se in munimenta curruum falcatorum contulisse. Vtcunque sit, satis certè constat, hanc pugnam extremo ferè vtriusque populi periculo, cæde ac internecione comparatam.

Caput VIII.

TRASIMVNDVS Theodorici patris interitum acerbissimè ferens, postero die inuento inter cæsorum cadauera patris corpori, regali pompa, Hunnis id ex castris inspectantibus, iusta primùm facit: tum castra Athilæ cum copiarum suarum reliquiis, dato tempore commodo inuadere statuit, mortemque patris Hunnorum sanguine vindicare. Athila verò, amisso præcedentis diei pugna militum suorum robore, cognitaque per exploratores Trasimundi voluntate, 20 rebus suis penè desperatis, milites suos conuocat, orat, monet, & obtestatur, postquam tot bella obiuerint, magna vbique suæ virtutis testimonia ediderint, reges ac regna complurima cum summa virtutis ac fortitudinis suæ gloria deuicerint: huncque eundem Romanum hostem, qui nunc castris eorum superbus instaret oppugnandis, & quem hesterna die insigni affecerint clade, vires & animum resumerent: meminissent maiorum, suæque tot iam annos partæ virtutis ac victoriæ. Si hostes erumpere, eosque inuadere auderent, quum nulla alia spes salutis adsit, gloriam laboribus ac periculis quæsitam, manu, ferro ac virtute alacres conseruarent. Hostium vires pristinas esse fractas, vnicam noctem non multum roboris atque animi addere illis potuisse: cum his certamen 30 eis fore, quos hesterna die magna ex parte debilitarint, fugarint, & pecudum instar prostrauerint. Sibi vltra animum inuictum, vires quoque, ad extrema omnia fortiter perpetienda, magno iam rerum militarium vsu corroboratas: rem eò tutiorem esse, quòd castris, rebus omnibus belli abundè munitis, veluti fortissimo muro circumuallati essent. Itaque nihil formidinis adesse, fortunam eis futuram propitiam: se ducem sequerentur, in eum quisque conii ceret oculos. Eo die se facturum, vt aut hostium copias, Hunnorum virtute diis fauentibus prosterneret: aut more maiorum suorum, qui semper vincere soliti fuissent, non vinci, gloriosam eis inspectantibus mortem oppeteret. Hac exhortatione recreatis parumper militibus, ipse nihilo secius fluctuans animo, 40 victoriam, si ingruant hostes, desperare, omnia timere: suis rebus, si quid aduersi contingat, prouidere. Paucis, quibus magis fidebat, conuocatis, docet, rem Hunnicam in dubio esse, se vereri hostium multitudinem: ne si fortius constantiusque institerint, suorum hesterno die debilitatam vim prosternant. At quum fortuna belli gloriam euentumque in sua habeat manu, se eam sequuturum: ac vnà cum eis omni cura, labore, virtute enisurum, ne hostes victoria potiantur. Verùm si fortuna ita ferat (quæ varia atque dubia est, ac non melioribus semper fauere solet) vt castra sua ab hostibus expugnentur: se malle suorum manu interire, quàm in hostium deuenire potestatem, atque his tot iam rebus fortitudine eorum præclarè gestis clarum, per summum dedecus es- 50 se ludibrio. Iubet ergo ex equorum ephippiis, ac aliis impedimentis, quæ tunc ad manum erant, in vnum coniectis, tumulum parari. Amicis, quorum fides ei magis nota erat, cæteris remotis, consilium suum clàm aperit: se, si hostes castris expugnatis superiores futuri sint, supra congestum ephippiorum cumulum ascensurum. Proinde monere eos, hortari, orare, vt ignem illi subiiciant: elegisse se, suorum magis opera mori, quàm per summam ignominiã in hostium

Oratio Athilæ ad suos post cladem Catalaunicam.

Athila post cladem Catalaunicam desperatio.

Pomp. Mela tradit, sapientiores Indorum æquè ignibus se ingerere, & mortem expectare.

venire seruitutem. His ita fieri, atque etiam tubicinibus tuba canere iussis, ne aliquam timoris à se cōcepti speciem hostibus praeberet, sed potius quò attentus esse, & pugnam iterum reposcere velle videretur, hostium irruptionem, insomnem ducens noctem, praestolatur. Nec minus etiam socij & milites attenti, promptiores erant ad omnia, quaecunque fortuna ferret, forti animo perferenda. Dum & Hunni in castris & Trasimundus cum suis fluctuarent animo, consultarentque quid esset commodius factu: Aetius consilij Trasimundi non ignarus, verebatur, ne si Hunnorum castris potirentur Gothi, & res Trasimundi superiores forent, ferox iuuenis victoria recenti tumidus, Hunnis deletis, fidem violaret, ac omnem militum suorum vim contrà se ac Romanum populum verteret. Itaque aliis remotis arbitris, huiuscemodi orationem ad Trasimundum habuit: Foedus, amicitia, & belli primùm societas, quae mihi cum Theodorico patre intercesserat: dein tua virtus ac fortitudo, quam & antea in multis rebus cognoui, & heri contra barbaros, communes bonorum omnium hostes, omnibus nobis circumspectantibus intrepido animo declarasti, me hortantur, rex Trasimunde: vt quod tu ob aetatem iuuenilem, animumque licet suapte etiam natura industrium, tamen accepta recenti patris clade magis affectum, accensum, ferocémve, parum animaduertere nunc potes. Id ego tibi in memoriam redigam. Hostes inuadere, castra eorum expugnare, moliri, ad internecionem vsque delere, magnae sunt virtutis, generosique animi indicia. Nec aliud ambos curare, conari, agereque licet, quam acceptam iniuriam ferro vindicare: hostes, vbi adsit opportunitas, inuadere, expugnare, delere, gloriam praeclaris factis dum possis augere. Verùm si vires nostras, magna superioris pugnae attritas calamitate: si belli fortunam, quae non valentioribus audentioribúsve, sed quibus ex libidine sua fauet, victoriam plerunque praestare solet, diligentius animo reuolueris: si denique rerum tuarum priuatarum amisso patre conditionem circumspexeris: difficile deliberatu est, quid melius vtiliusque sit factu: nobisne nunc aliquid tentandum, agendúmve, accopiarum nostrarū reliquias, & eas bello diuturno viribus exhaustas, fortunae temere committendum, an in futurum belli vsum conseruandum. Hostes etsi non minimum & ipsos hesterna clade fractos: tamen praeter multa eorum facinora, quae in hunc diem ediderunt, etiam ex magna nostrorum ab eis accepta strage, pro comperto habemus, esse feroces, fortes, strenuos, & extrema prius pati omnia quam vinci solitos. Si tibi est animus eos inuadere, aut vincent, quod dij auertant: aut ad vnum omnes morientur. Horum mors nequaquam nobis erit incruenta. Si contrà vicerint, in eam res nostrae communes redigentur difficultatem, vt de tuo ac Romanorum Imperio, non minimum sit futurum timoris, discriminis ac periculi. Magnae semper virtutis & consilij fuit, res futuras praeuidere: pericula quae euenire possunt, prudentia anteuertere: consilium, vt res poscit, pro tempore mutare: atque dum tempus adhuc est, possisque, omnia animo circumuoluere, ne postea re deplorata, frustra sapere, consiliúmve mutare velle videare. Equidem in tua societate, amicitia, fide, constanti permansurus sum animo: atque, sicuti fortem decet virum, est animus me omnibus periculis intrepidum obiicere, si quid gloriae ex temeritate comparari possit. Verùm maiorem nos non modò vtilitatem sed etiam laudem consequuturos existimauerim, si hostibus iam fusis fugatisque, ac in castra per summum eorum dedecus hesterno die compulsis, militum nostrorum reliquias in futurum nostrum vsum, Imperijque nostri tutelam integras conseruauerimus. Ad haec Trasimunde rex, priuatis etiam rebus tuis (quae vt integrae sint, pro amicitia ac societate nostra mutua, non minori mihi curae sunt, quàm meae) maximè conducere arbitror, si eas omnibus aliis praetuleris: & salutem tuorum militum, qui adhuc supersunt, quique tibi tuisque rebus vsui esse poterunt, non postremo loco habueris. Pater tuus te, & Valamirum fratrem domi nunc agentem, regni sui reliquit haeredes. Frater regnandi cupidus, audita patris morte, quid domi te absente moliatur, non satis compertum habes.

Aetij ad Trasimundum oratio, simulatione plena.

Narratio.

Ab honesto.

A fortitudine hostium.

Ab vtilitate communi.

habes. Pauci mortalium priuatam necessitudinem, sanguinis vinculum, dominandi libidini præponunt. Quòd si is rebus nouis animum intenderit, cupiditateque imperandi victus, Imperium paternum te excluso sibi vendicauerit, opes domesticas manibus implicuerit, popularium animos ad omnem fortunæ flatum procliues, beneuolentia, munificentia, aliisque illecebris sibi conciliauerit: quid tibi fortuna reliqui faciet? Quid supererit, nisi vt ius tuum à fratre bello repetas? regni imperium, opesque, magno variantis fortunæ periculo armis vindices? Deletis autem, aut saltem attritis in præsentia militum tuorum viribus, quid tibi præsidij fore, aut quid domi sperandum censes? Age igitur Trasimunde, delibera, vtra res sit vrgentior: fratrisne tui consiliis obuiandi & regnum paternum in ius tuum integris adhuc militibus vendicandi: an Hunnos dubio Marte, in re ancipiti, inuadendi. Si meam expetis sententiam, suadeo, nostrarum copiarum reliquias saluas conseruari: & te tuis potius rebus, dum tempus est & potes, consulere, quam in nouam belli fortunam nos conijcere: ne, dum plura consequi velis, etiam à maioribus tuis maximo labore parta, turpiter amittas. Quando hostes adhuc superesse nos viderint, nihil aduersum nos (vt arbitror) molientur noui. At contra, semper aliquid, nobis integris, versabitur illis ante oculos, quod vereantur, formident, fugiant. Hac Aetij simulata beneuolentia, orationeque, Trasimundus facilè persuasus, dimisso consilio oppugnationis castrorum Athilæ, conuocatis suis, qui patrem sequuti, in eam venerant belli societatem, Tholosam reuertitur. Cuius profectione & Aetius, & hi populi qui Romanis auxilio venerant, alius aliò dilabuntur. Fama huius Catalaunicæ pugnæ, tam atrocis ac cruentæ, vniuersum iam peruagata fuerat orbem: cuius, tertia etiam illa exercitus Athilæ pars, quam ad Hispaniam missam fuisse, ex relatione Chronici suprà memorauimus, non erat ignara. Quare veriti milites iram Athilæ, quem suprà quàm dici potest timebant, nunquam ad eum in Pannoniam redière, ne moram supplicio luerent. Verùm post ipsius ex campis Catalaunicis profectionem, circa eius campi confinia consedisse, ac à suis ducibus seu præfectis, qui Hungaricè Hispani appellantur (vt ab aliis, qui de eorum scripserunt origine, dissentiam) regno Hispaniæ (sicuti Chronicon refert, penes quod fides sit) nomen inditum esse, à nostris nescio quo argumento putatur: quamuis Trogus Pompeius, eam quæ antea Iberia ab Ibero diceretur, ab Hispali Hispaniam cognominatam esse tradat. Aetius non multo pòst tempore Valentiniani imperatoris iussu Romæ interficitur, siue quòd in suspicionem affectatæ tyrannidis venerit: siue potius, quòd accusatus fuerit, præbuisse caussam, quòd Athila, qui cum omnibus copiis post pugnam memoratam modico negotio deleri poterat, manus Romanorum euaserit.

Epilogus.

Trasimundus ... mortuus.

Caput IX.

POSTEAQVAM Aetium & Trasimundum, aliosque hostes Athila alium aliò dilapsum cognouit, suprà quàm par erat superbire cœpit: ratus, Romanorum exercitum in posterum non sibi obuiam venire ausurum. Dixisse igitur fertur, superbum illud dictum: Stellas præ se cadere, terram tremere, se malleum esse vniuersi orbis. dein in id arrogantiæ processit, vt iusserit, sicuti Eremita dixerat, flagellum Dei adijci suo titulo: ac eo epitheto se & nominari, & in literas referri. Profectus igitur ad locum pugnæ, aliquot ibi dies, vt milites quiete ac ocio reficerentur, commoratus est. Vbi sacrificio Marti pro more gentis suæ facto, votisque pluribus pro prosperis successibus rerum feliciter gerendarum solenniter nuncupatis, exercitū suum ad reliquas Galliæ ciuitates, maiore quam prius terrore inuadendas, ducit. Primùm igitur omnium Trecassiorum vrbem (quæ & Trecæ, & interdum Troia dicitur) in finibus Senonum, ad flumen Sequanam sitam, venit. Callimachus refert, eum primùm ad Tungros profectum, eorumque metropolim expugnasse, ac ciues eius sine vllo sexus & ætatis discrimine ad vnum omnes occidisse. Verùm si quis rectè perpendat, Tungri sunt Eburonum populi, non longè à flumine Mosa in terra Leodiensi, longè ab hoc itinere Athilæ dissiti. Superflui igitur laboris fuisset, à Tungris Trecas

Athilæ arrogās dictum.

Diuus Lupus, Trecarũ, vel Troia vrbis antistes.

eum reuertisse, sicuti Callimachus dicit. Huius igitur Troiæ antistes diuus Lupus, habitu indutus pontificali, cum multitudine cleri Athilæ aduenienti fit obuius. Is facta salutatione, interrogat Athilam, quisnam esset, qui tot regibus deuictis, nationibus ac populis prostratis, vrbibus euersis, cuncta vi sibi subderet. Cui Athila: Ego, inquit, sum rex Hunnorum, flagellum Dei. Qua voce Lupus territus: Quis, inquit, mortalium flagello Dei mei resistet, quo minus in omnes, quos volet, sæuiat? Veni igitur, vt dicis, Dei mei flagellum: quò libet proficiscare: omnia tibi, vt Dei ministro, me non repugnante parebunt. Iubet inde portas vrbis reserari, ac Athilam (frenum equi honoris causa manu tenens) summa veneratione introducit. Qui siue humanitate ductus episcopi, siue Dei voluntate, sine vllius cæde & detrimento, per vrbem mediam cum omnibus suis copiis progressus, altera vrbis parte egreditur. Chronicon Hungaricum tradit, eum hinc Tholosam vrbem versus profectum, eamque in fidem & amicitiam eius deditam. Sed id vix verisimile esse videtur. Tholosa enim per id tempus Trasimundi regia, ad fines Galliæ Narbonensis, non procul à radicibus Pyrenæi montis, ad ripam Garumnæ fluuij sita est: ciuitas adhuc opulenta populo, archiepiscopo, Academia, ac negociatorum commerciis inclyta. Quod iter à proposito Athilæ longè fuit alienum. Constituerat enim, expugnatis quibusdam Galliæ oppidis ad Boream vergentibus, Sicambriam regiam suam reuerti. Dum igitur relicta Treca, ad Rhemos exercitum duceret, magnum suæ clementiæ in itinere edidit testimonium. Nam quum plerosque Trecæ vrbis accolas, metu perterritos, cum coniugibus & liberis ad syluas vicinas, salutis suæ tuendæ causa, profugientes, in itinere conspexisset: eos bono animo & intrepido esse iussos, domum abire permisit. Inter quos adducta est ad eum per milites, ex ripa fluminis, in quod se metu ferè exanimata, præcipitare volebat, quædam mulier: quæ paruula filiola, quò sinus vlnæque faciliore grauarentur onere, collo fasciis alligata, ac duabus minoribus iumento, quod agebat, impositis, deinde aliis quoque septem, per annorum seriem maioribus, circumsepta erat filiabus. Mouit Athilam miserè mulieris ad pedes eius lachrymosa prouolutio, ac tot prolium infantium numerus: iussamque assurgere, manibus propriis erexit. Quam amplius deinde donis, vt filiolas nutriret, & maritis collocaret, donatam, domum redire iubet. Paulò pòst Athila Rhemenses obsidet: concepta iamdudum in eos ira: quòd, dum ad campum Catalaunicum (vt supra memoratum est) properaret, magna calamitate, multisque malis milites affecerant. Horum igitur memor, vastata igne ac ferro vniuersa Rhemensibus adiacente regione, ciuitatemque eorum dura cingens obsidione, machinis bellicis mœnia eius quati, diruere, demoliri: ita vt tum ob telorum densitatem, tormentorumque frequentes iaculationes, tum ob instantis multitudinis crebram oppugnationem, nemo mortalium ad mœnia defendenda accedere auderet. Quo factum est, vt ciues non modò formidare, trepidare: sed omnia malorum genera, quæ in obsessa solent esse ciuitate, tolerare, pati: mulieres, pueri & puellæ lachrymari, eiulare, voces ad cœlum tollere: alij voluentes animo victoris crudelitatem, quam ex conscientia factorum antea in Athilanos à se perpetratorum, aduersum se futuram metuebant, omnes vias & occasiones pertentare, vt periculum vitare possent. Erat ea tempestate eius vrbis episcopus beatus Nicasius, vir iusticia, morum integritate, sanctimonia insignis: & ob fidem, vitæq; puritatem, Deo acceptus. Hic cum Eutropia sorore, virgine à teneris annis Deo dicata (quæ nõ minus pulchritudine corporis, quàm omnib. animi dotibus insignis erat) toto hoc quo obsidebantur tẽpore, assiduis vacabant orationibus: vt Dei iram, cuius gratia Athilam malis ciues afficere arbitrabantur, placarent: atq; eius misericordiam, supplicibus omnibus præsentem cõsequerentur. Ad hunc, quum Athila obsidioni vrbis vehementius intenderet, nullaq; spes esset reliqua salutis, ciues, pars alta ex pectore trahentes suspiria, pars lachrymabundi, humiles confugiunt. Quem eo tempore orantẽ, his verbis aggrediuntur: Nisi compertum nobis esset, vir optime, Deũ opt. maximũ id gratiæ ac misericordiæ tibi impartitum

Athila clementia in fugiẽtes colonos, & mulierculam prolibus oneratam.

Athila Rhemos obsidet.

Diuus Nicasius episcopus Rhemẽsis.

Rhemẽsium ad Nicasiũ supplex oratio.

partitum esse, vt tuæ apud illum preces ob vitæ integritatem sint gratissimæ: atque hanc omnem calamitatem propter nostra scelera nobis ab eo immissam: ac dum in meliorem viuendi ordinem nos côuerterimus, hostes a ceruicibus rursus nostris Deum aut depulsurum, aut placabiliores humanioresque redditurum. non esset nobis integrum deliberatu, vtrum ad te confugiendum, vel ex desperatione (qua malis iam quamplurimis crudeliter afflicti, vehementer detinemur) aliter rebus nostris prouidêdum nobis esset. Verùm quum & Dei clementiam præter omnes res mortalium omni tempore æstimauerimus: & te ex signis compluribus, pater optime, comprehenderimus illi esse acceptum: non dubitauimus ad te venire, cuius consilio patrocinióve & viuere & mori iamdudum constituimus. Quæ sit hostium multitudo, vides: quæ in omnes crudelitas, & tu & nos scimus. cuius multa circumiacentium vrbiû cadauera aperto sunt documento. Tantæ barbarorum multitudini diutius propriis viribus resistere nequaquam possumus. aut sponte nos dedere hostibus oportet, & fidem quam professi sumus mortis terrore abnegare: aut, ne vim eorum, tyrannidemque experiamur, voluntaria est nobis mors consciscenda. Aterum horum perpetiendum erit, ni aut diuinitus adiuti, aut tuis, pater optime, consiliis spes aliqua propulsandi à nobis periculi, ob oculos proposita fuerit. Honestas quidem ipsa induceret, vt ad extremum spiritus halitum hosti tam crudeli resistentes, à constantia, fortitudine, fide nostra, metu mortis non auocaremur, si quid spei esset conseruandæ vrbis. Neque etiam ignari sumus, fore nobis vtilius hæc obsidionis mala ad breue aliquod tempus perferre, deuorareque, vt pace postea & libertate cum coniugibus & liberis frueremur optata: quàm per socordiam & ignauiam, hostibus non repugnando, in fœdam nos coniicere, eamque perpetuam seruitutem. Sed quid remedij huic malo adhibendum, quid longis iam laboribus, vigiliis, inedia defatigatis faciêdum nobis sit, vt mortem immaturam vitemus, non planè constar: vtpote quibus iam præter spiritum longa inquietudine haud bene spirantem, & ossa, cutemque diuturna fame corrugatam, parum decoris (vt vides) humani superesse videatur. Tu, quem Dei voluntatis non omnino expertem esse credimus, consule, vtrum ex malis nobis impendentibus deligere debeamus. Si dediderimus hosti ciuitatem: facultates, salutem, vitamq; omnium nostrûm in discrimen haud dubium dederimus. Contrà, si vi expugnati fuerimus, quæ non malorum genera nos manebunt? Quibus cruciatuum generibus, quorum hæc tua plebecula impatiens est, in nos miseros à barbaris sæuitum non fuerit? Esto sint nostrûm aliqui malorum cruciatûsve patientes. At longè plures sunt, qui humana victi imbecillitate, horrore, viq; tormenti, Deum abnegent, fidem professam deserant, animæ suæ detrimentum faciant. Tuum igitur est, vir Dei, nobis his malis vehementer afflictis prouidere, gregi tuo tremebundo consulere, remedium si quod potes pro tempore adhibere: ne ab eo quod honestum est, & pium, malis coacti præsentibus, auocemur, atque à Dei optimi maximi voluntate desciscamus.

Beneuolentia ab episcopi persona.

Narratio.

Caput X.

AD hæc Nicasius, iam ante exitum rerum oraculo edoctus, ita paucis respondet: Tametsi nô multum, vt vos censetis ciues optimi, inesse mihi video virtutis: quicquid tamen est Dei donorum in me collocatum, id omne acceptum refero illius in me charitati, misericordiæ, beneficio. qui non meis meritis, sed propria sua benignitate, me suæ gratiæ, suorum inæstimabilium bonorum participem esse voluit: cui quicquid in me est, totum adscribo. Nec est cur vos, quod Dei donum est, meis tribuatis viribus. Ille vim, potentiam, bonitatemque suam in me exerit. Mihi eius spiritui, afflatui & voluntati est parendum. Cuius si præceptis obseruandis toto quo possumus animo incubuerimus, promissaque vitæ cœlestis spe indubitata expectauerimus, nihil in rebus his mundanis tam graue nobis obuenerit, quod non in illius fide constanter perferre possimus: nihil tam arduum, tam hostile, quod nô peruium, toleratuq; sit nobis facillimum. Multitudinem, tyrannidemque barbarorum, Remenses viri, iampridem & no-

Nicasii ad Remenses responsio.

ui,& extrema vicinorum populorum calamitate exploratam habeo. Quæ certè ipsa ex Dei procedit permissione. Athila vobis obesse, vimque [illegible]n contra vos exercere non posset, ni nostris delictis Deum in nos concitassem[illegible]s. Apud quem nunc statutum est, quod mihi illius oraculo iam diu satis constat, vrbem hanc in manus hostium postremò venturam: vosque mecum vna tyranni di barbarorum destinatos, vt delicta carnis, quibus sumus obnoxij, momentaneis his nunc cruciatibus expiantes, ad visionem diuinam, cœlestemque vitam læti aduolemus, atque illius beatæ simus participes. Agite igitur, fratres charissimi, quicquid vos manebit calamitatis atque periculi, constan[illegible] & forti perferte animo. Me sequamini & pastorem & patrem vestrum, me oculis vestris proponite: vt vos spiritu salui sitis, me primū obiiciam periculis. Breuia erunt quæ à barbariis patiemur tormenta. Illa cœlestia, quæ Deus nomen suum in fide & charitate professis ab initio constituit præmia, vt sensibus incomprehensibilia sunt humanis: ita felicia, immortalia, ac nullis vnquā seculis finienda. Non igitur vos corporis terreat aut malum, aut cruciatus: qui initium est, si constantes in fide fueritis, vitæ perpetuæ. Nec licet his qui vos persequuntur, malum precari: sed imitati Christi IESV & doctrinam & factum, pro inimicis vestris, vt ad veram Dei cognitionem, rectamque vitam reuertantur, mecum vna iugiter deprecemini. Nihilo secius Eutropia etiam virgo, ciues ad ea fortiani mo perferenda, quæ iamiam aduersa imminerent, intrepidè hortatur: sese, licet fœminam, tamen ante eorum oculos constanti ingenio Dei auxilio declaraturam: hostes, etiamsi corpori tormenta intendant, non menti tamen cōstantiam, ac in bono perseuerantiam adimere posse. His diuorum admonitionibus, timore paulisper ciues deposito, quænis aduersa alacriore iam animo sustinenda expectabant. Interea Hunni superatis mœnibus, aliisque dei[illegible]s munimentis, vrbem subitò ingrediuntur: fit vbique militum armatorum rabidus discursus. Hi obuios trucidare, puberes & impuberes necare: non ætati, non sexui parcere. Nicasius & Eutropia virgo tantæ hostium truculentiæ ducti admiratione, ad ædem beatę Virginis, quam beatus hic episcopus extruxerat, hymnum canentes læti profugiunt, eo consilio, vt vbi rebus prosperis preces fuderant, ibi in extremis quoque animam Deo redderent. Hunni rabie perciti, ad ædem etiam ipsam concurrere. Quos Nicasius, manibus silentium indicans, paucis alloquitur: Video ego, milites fortissimi, vos à verorum fortiumque militum sanguine longè degenerauisse: ac mansuetudinis, quæ plerisque etiam feris animantibus natura inesse solet, omnino esse immemores. Cuius si vel minimam partem aliquam haberetis, non certè victoria, quæ victis sæpe parcere, & in solos superbos sæuire consueuit, insolescer[illegible] nec eò crudelitatis progrederemini, vt omnia ferro delere, quam in v[illegible] vestrum conseruare malletis: quasi alterius, non vestræ iam ditionis sint, quæ nunc non viribus magis vestris, quàm Dei permissione consequuti estis. P[illegible] subito furore haud animaduertitis, & populum omnem in seruitutem, & op[illegible] aliaque omnia nostra in vestrum ornamentum, potita vrbe, cessisse: Populus Christianus supplex ad genua vestra accidit, salutem à vobis precaturus. Cæterùm vos obuium quemque sicuti pecora trucidatis, præter omnem pietatis humanæ morem. Si nullum vestræ ferociæ modum statuitis, sed pietati[illegible] & commodorum vestrorum obliti, crudelitate omnia implere vultis: in me, qui illorum sum pastor, vestram conuertite (milites) rabiem. A pernicie strageque horum vestras continete manus: parcite humilibus, supplicibusque: superbos & contumaces, qui vobis resistunt, prosternite. Me præsule[illegible], si crudelitas magis, quàm pietas vos excitat, me inquam, qui vestram hactenus remoratus sum victoriam, inuadite, petite, conficite: meam, quatenus Deo ita visum est, eripite animam: his meis ouibus, nullum commer[illegible]is malum, vitam donate. Quum his hortatibus Hunnorum ferocia nihil le[illegible]retur, sed in omnes, etiam in ædem sacram congregatos sæuirent, diuus Nicasius preces lachrymis plenas ad Deum, vt antea, fundere cœpit: atque vbi d-

Nicasii episcopi verba ad milites Athilæ furentes.

Nicasii oratio.

vbi illud Dauidicum carmen, Anima mea adhæsit pauimento, psalleret, mox à quodam satrapa gladio educto inuasus, capite truncatur. Cuius caput à membro etiam auulsum, diuinum canticum non intermisit: sed illud protulit Psalmistæ, Viuifica me Domine secundum verbum tuum. Hoc modo beatus hic vir inter diuinas laudes in cœtum martyrum gloriosus aduolauit. Post hæc Hunnorum milites, sine modo furentes, Eutropiæ virginis pulchritudine capti, vim illi intentare. quæ constans in pudicitiæ iampridem Deo deuotæ custodia, ad Nicasij interfectorem conuersa: Crudelissime omnium, inquit, quos terra genuit, barbarorum, an ignoras in quem Dei virum, innocentia ac

Eutropia virginis constantia.

10 sanctitate vitæ insignem, manus tuas sacrilegas extendetis? quem nihil mali merentem, impiè vita priuaris: meritò te, ob tale facinus sceleratum, iustum Dei manebit iudicium. Non satis tibi ducis, te virum plurima sanctitate conspicuum, in templo Dei trucidasse: sed & me tuæ spurcissimæ libidini inseruire cogis? Cæterùm, Deus virtutis & pudicitiæ vindex, hoc tuum facinus temerarium impiúmve, me ministra, inultum non patietur. His dictis Eutropia in capillos tyranni inuolat, arreptisque magna vi illius faucibus, oculos mox euellit. Alij milites, qui fortitudinis huius fœmineæ spectatores aderant, commilitonis sui periculo commoti, Eutropiam virginem, & alios qui in templo erant Christianos, furibundi inuadunt, & ad vnum omnes trucidant. Fuere scripto-

20 res, qui tradiderunt, Hunnos, postea quam in omnes vbique tum in templo, tum in alijs vrbis locis repertos, truculenter satis sæuissent, atque prædæ, ac direptioni vrbis animum adiecissent, terrore cœlesti subitò fuisse perculsos. Vidisse in aere cœlestes acies dimicare, audisse sonum fragoremque terribilem templum edere. Quibus signis exanimatos, à præda abstinuisse, & ad diuersa quæque loca extra vrbem tremebundos fugisse. Vrbem deinde diu vacuam stetisse, tot martyrum cæde consecratam. Faces ardentes supra ciuitatis verticem sæpe ac diu visas: cantus cœlestes auditos: ciues plerosque, qui metu tyrannorum aufugerant, visis tot signis diuinisque prodigiis, ac cognita hostium abitione, ad vrbem tandem reuertisse: & Nicasij ac Eutropiæ, cæterorumq; martyrum

Signa plurima post captã Remẽs. vrbẽ edita.

30 corpora magnis lamentis atque lachrymis sepulturæ tradidisse.

Caput XI.

DVM hæc ad Remensem vrbem ita vt memorauimus aguntur, interea Athila quendam exercitus sui ducem Giwlam, vel (vt quidam volunt) Iulium nomine, cum parte copiarum misit, qui Coloniam Agrippinam, ciuitatem tunc quoque (vt nunc) insignem & amplam, obsideret. Is, vt iussum erat, vrbem forti cinxit obsidione Ea tempestate Æthereus Anglorum regis filius, pulchritudine, virtute ac moribus diuæ Vrsulæ, Britanniæ regis filiæ vnigenitæ, ardentissimè commotus, eius per legatos apud patrem ambire cœpit connubium. Quem, cum sollicitus esset quid responsi daret legatis, Vrsula an-

Vrsula Britanniæ regis filia.

40 xium mœstumque admonet, vt deposita animi sollicitudine, Æthereo eam despondeat. Oraculo enim se accepisse, ne id detrectatura esset ea lege matrimonium, vt triennium illi consummando concederetur, quo peregrinationem à se votam interea exequi posset. Hanc autem eam esse, vt vrbem Romanam, comitata decem millibus virginum, inuiseret. Proinde ipse & Æthereus procus curarent pari opera, decem spectatæ pudicitiæ virgines conquirere: harum singulis mille, & sibi quoque totidem subdere, quarum spectata esset omnium probitas ac pudicitia. Legati accepto à patre Vrsulæ hoc responso, læti redeunt. Æthereus & Britanniæ rex Vrsulæ pater, conscripto vt designatum erat virginum agmine, eas Vrsulæ sodalitio adiungunt. Quæ accepta hac nobili societa-

Diua Vrsula despondetur matrimonio.

50 te, atque comparatis vndecim magnis nauibus, aliisq; rebus in peregrinationis vsum necessariis, ex Britannia ad ostia Rheni, vbi nunc Hollandiæ pars est, applicuit. Vnde aduerso flumine Coloniam, cum magno ciuium applausu ac lætitia ex Colonia Basileam, peruenit. Ibi relictis nauibus, cum alijs impedimentis, pedestri itinere Romam proficiscitur. Quæ tandem sanctorum reliquiis, & sacris omnibus locis, vt eius erat votum, Romæ perlustratis, Basileam reuertitur:

Cyriaco papa, cuius alij (præter scriptorem Historiæ ecclesiasticæ, quod sciam) autores nullam faciunt mentionem, eam summo vbique honore prosequente. Conscensa igitur ad Basileam naui, secundo Rheni flumine Coloniam deuehitur. Quæ egressa in continentem, nihilque hostile, sed omnia (vt antea) tuta esse arbitrata, vbi vrbi appropinquare cœpit, mox ab Hunnis vndique inuaditur, atque cum omni societatis suæ turma crudelissimè trucidatur. Ita sanctissima virgo, suo Ætherei sponsi (qui accepto Vrsulæ reditu, cum matre, & sorore Florentina, nonnullisque aliis episcopis Coloniam vsque, ei obuiam venerat) atque Cyriaci pontificis ac cæterarum virginum sanguine, pudicitiam suam Christo Domino, virginitatis vero sponso, consecrauit. Harum reliquiis illustris est Colonia. Inter scriptores non satis conuenit, de huius necis tempore. Verùm quoniam Chronica nostra hoc tempus virginum trucidatarum tradunt, creditu non absurdum est, per id tempus quo Athila erat in Gallia, Vrsulam cum suis virginibus fuisse ab Hunnis necatam. Athila Remensibus expugnatis, peruagata Gallia, ac Flandria direpta, depopulataque, in Thuringiam proficiscitur. Hic volens declarare, se vniuersæ Galliæ totiusque Occidentis esse victorem, solennem (vt vocant) curiam in Isinaca vrbe se celebraturum indixit. Plerique vicinorum regum ac populorum, partim metu, partim quòd eum eiusque apparatum videre optabant, eò confluxere. Quos Athila magnis oneratos donis, liberos remittit. Erant plerique populi circa littora maris Britannici & Balthici, siue Germanici, degentes: quibus non adhuc magnæ erat formidini Athilæ potentia. Igitur vt ij quoque eius arma sentirent, delegit aliquot duces: qui cum exercitu Normannos, Caletes, Morinos, Tungros, Phrisos, Cimbros & Pruthenos inuadant, omniaque (ni eius pareant imperio) ferro igneque vastent. Hi omnes aduentu hostium timore perculsi populi, Hunnorum imperium vltrò accepere. Athila interim certior factus, Romanos ac Gothos conscribere milites, comparare exercitum, bellum contra se renouare: proinde veritus, ne ipse suique tot laboribus, tot bellis gestis, victoriis varia fortuna partis, vehementer defatigati, circumueniri ab hostibus possent: relictis Galliis, Sicambriam, regiam in Hungaria suam, vbi Budam fratrem reliquerat, reuertitur.

Vrsula reuersa ex Vrbe cum XI millib. virginum, Coloniæ trucidatur.

Athila in Turingia conuentum siue curiam agit.

Caput XII.

Buda Athilæ frater eiusq; cædes.

OCCVPATO Athila in bello Gallico, Buda frater, siue quòd de victoria vitaque Athilæ dubius erat: siue potius, quòd regnum duos vix admittere soleat, imperium Hungaricum, excluso fratre, occupare in animum induxit: quod hac ex re, è libidine sua, domi administrare cœpit. Cuius rei indicium erat, quòd & arcem illam, quam Athila prope Sicambriam vrbem ædificari à se cœptam, iusserat Athilam nominari: ipse spreta fratris voluntate, è suo nomine vocauit Budam. His nominibus Buda insimulatus, quum Athila propter auctam ipsius potentiam, manum ei palàm iniicere non auderet, insidiis adortum capit, trucidatque: ac cadauer in Danubium, ad cuius ripam Sicambria & Buda, sedes regis Hungariæ, sita est, detrudi iubet. Sunt autores, qui Budam ante pugnam Catalaunicam interfectum esse, scriptum reliquerint. Ego tamen sequutus Chronicon Hungaricum, post eam pugnam id factum esse crediderim. Buda interfecto, iubet edicto, vt eam quisque arcem ex Athilæ nomine appellet, Budæ memoria abolita. Id tamen (vt varia sunt hominum ingenia, ad prohibitas res magis tendentium) non fuit à plerisque obseruatum. Hungari eam arcem, & vrbem etiam in præsentia, Budam: Teutones verò, nunc Eczelburg, id est arcem Athilæ: nunc à furnis calcis, quæ olim ex lapidibus illic coquebatur, Offen vocant. Qua ex re satis constat, Alemanos, veluti iure belli ab Hungaris quæsitos, ea quoque tempestate Athilæ fuisse dicto audientiores. Post necem Budæ, rebus omnibus Hungariæ pacatis, & in ordinem redactis, Athila quinque annos Sicambriæ commoratus est. Interea temporis milites ipsius, rapinis prædisve assueti, Mysiam, Macedoniam, Achaiam, Thessaliam & Thraciam infestare, prædari, diripere quin

Buda arx.

Buda aliàs Offen.

& vrbes

& vrbes quoque ac populos Hungariæ, Athilæ subditos, damno afficere, vexare, adeò vt coloni plerique impatientes tantarum direptionum, derelictis pecoribus & armentis suis, impetrata primùm ab Athila ad id facultate, aliò migrare coacti fuerint, ad ea quisque quæ maluerunt loca. Ipse verò Athila, vt rerum quæ in omnibus orbis regionibus agerentur esset conscius, quatuor veredariorum constituit stationes: primam in Colonia Agrippina, alteram in Iadera ciuitate Dalmatiæ, tertiam in Lituania, quartam ad fluuium Tanaim. Ex his locis singula totius ferè orbis acta, per mutatos in locis suis nuncios, Sicambriam ad eum deferebantur. Contrà, ipse quoque illorum quoslibet voluntatis suæ 10 certiores faciebat. His ita compositis, tum opportunitatem rei contra hostes à se bene gerendæ obseruabat: tum quid illi aduersum se aggredi vellent, satis exploratum in tempore habebat.

Veredarij Athila.

Caput XIII.

SICAMBRIAM vrbem, cuius frequentem fecimus mētionem, tradunt scriptores, Gallos, Pannonia ductu Antenoris Troiani vastata, in sui nominis memoriam olim condidisse, & in multos annos habitasse. Hanc Athila, posteaquam Hunni Pannonias (vt suprà docuimus) subegissent, instaurauit, regiamque sibi delegit. Quæ siue à Sicambris populis Germaniæ Rheno finitimæ, 20 quam olim Galli infestabant, siue alia ex causa Sicambria vocata sit, non satis compertum habeo. Hic licet corpore Athila quietem agere statuisset: gloriæ tamen atque ambitionis cupidus, voluebat indies animo imperium propagare, regnum regno adiicere, populos quosuis suæ ditionis facere, gloriam bello augere. Simul memoria repetens stragem suorum Catalaunicam, ea volucre animo, meditari, ad id totis viribus incumbere: omnes vias artesque quærere, quibus iniuriam illius cladis vindicare posset. Inter hæc accepto de Actij morte nuncio, ratus ad ea quæ animo iamdudum conceperat, commodè exequenda diuinitùs datam esse occasionem: atque neminem iam superstitem esse, qui suis viribus par esse posset, statuit primo quoq; tempore Italiam inuade- 30 re: vt ea deuicta, pugnæ ad campum Catalaunicum funestæ memoriam, noua virtute, nouaque belli gloria aboleret. Igitur conuocatis regibus ac populis, qui per id tempus signa sua sequebantur, huiusmodi verbis disseruit. Quando virtutem vestram, animi ad res bellicas alacritatem, duces optimi, militesque strenui, mecum ipse considero: simulque, quot populos, nationes, prouincias, regna, virtute vestra, viribus, societate fretus, meo imperio subiecerim: quantum deniq; victoriæ vbique terrarum pepererim: non videtur esse operæpretium, me vos multis ad ea quæ vestrapte natura, consilio ac virtute ducimini, aut hortari, aut excitare. Quandoquidem ad omnia strenua ac militaria facinora, quæ fortes decent viros, intrepidè subeunda, quàm propensi ab initio 40 fueritis, re ipsa compertum habeo. Enitendū modò est, ac summis contendendum viribus, vt rei bene gerēdæ occasionem, quæ rerum omnium apud mortales prima habetur, dum occurrerit, haud grauatim capessamus. Quam si amplexabimur, socij optimi, res omnis demum in promptu nobis erit. Si contrà neglexerimus, quid non laboris, curæ ac solicitudinis antè nobis subeundum erit, quàm ea se nobis rursus offerat? Romanorum vires imperiumque magnum, amplum, magnificum & memorabile fuerit, vniuersum complectens terrarum orbem, iampridem vobis satis est perspectum. Id quo latius, illustrius & excellentius antea fuerat, eo maiori nunc obnoxium est præcipitio, ruinæ, periculo. Si enim diligentius condirionem illorum consideraueritis, quid non detrimenti at- 50 que generis malorum, siue fato nostra hac tempestate passi sunt, siue viribus eorum iam cōsenescentibus ac debillitatis? Vandali, Visigotthi, Britanni, Germani, Romanorum imperium sua ex libidine inuadentes, sunt nobis documento, quàm sint illorum vires nunc tenues, attritæ, exhaustæ. Africam, Iberiam, Galliæ non minimam partem, Britanniam, quæ omnia Romano parebant imperio, nunc hostis habet. Pannonia, Mysia, Thracia, Macedonia, Illyria, ac aliæ

Oratio Athila ad reges & milites suos, ancequā Italiam inuaderet.

Orientis regiones, virtute (milites) vestra Romanis ademptæ, nostro parent imperio. Quid igitur iam aliud restat, quam vt Italiam, omnium regionum quas dixi principem, inuadentes, nostræ subiiciamus ditioni? quod ni occasionem diuinitus vobis datam (milites) è manibus ignauè turpiterque emittere malueritis, factu erit vobis haud difficile. Nam quæ oppida, vrbes, qui denique populi, quæ prouinciæ, quæ regna, arma vestra non timuerunt, senserunt, experta sunt? Quid vnquam visum est (milites fortissimi) vobis tam difficile, quod vestra virtus, fortitudo, in rebus omnibus constantia, non facilè reddiderit? Quod si in regnis & prouinciis, quas memoraui, suo imperio antea parentibus resistere vestris Romani armis, virtuti ac potentiæ haudquaquam potuerunt, quid nunc contra vos viribus integros, temporis quiete corroboratos, multorum sociorum accessione auctos, Romanum imperium iam fractum posse censebitis? Pugna Catalaunica (ne nostram etiam cladem, dum mala commemoro aliena, silentio prætercam) licet aliquam sociorum & commilitonum nostrorum stragem, Aetij olim virtute intulerit: si tamen hostium cæsorum numerum nostris amissis contuleritis, ludum iocumque, quæ passi sumus, præ his iudicabitis. Nec hanc etiam pugnæ præteritæ, si quam accepistis, calamitatem, ignauiæ atque socordiæ vestræ expensam ferre debeo. Quotus enim quisque vestrûm fuit, cuius manus sanguine hostium non maduerit, vitamque hostis non eripuerit? Verum quicquid nobis illatum fuit malorum, id euenit Martis vario euentu, ac fortunæ: quæ viros fortes & ignauos, sine discrimine, detrimento plerunque afficere solet. Nunc igitur, socij & milites strenui, tempus est, vt hanc quoque olim acceptam cladem noua virtute vindicemus. Quod fiet proculdubio, ni ignauè torpere, occasioni præsenti deesse, quàm eam prosequi, malueritis. Animus meus, earum quæ sequuturæ sunt rerum vates, mihi præsagit, Italiam breui non magno labore nostram futuram. Qua in potestatem nostram redacta, quid residui in Europa erit, quod non facilè iugum vestrum admittere cogatur? Agite igitur, socij optimi, vt alia in hunc diem omnia, ita hanc quoque expeditionem Italicam alacri capessite animo. Non desitis fortunæ, opibus, & dignitati vestræ. Quæ vsui sunt bello, nunc nunc parate. Mecum vnà prosequimini fortunam. Equidem non labore, non periculo, nõ aliis quæ in bello accidere solent rebus incommodis, à vestris opibus augendis, ab amicitia societateque colenda, salute vestra tuenda auocabor. Omnia vobiscum vna subire, imo ante vos experiri volo: me modò, Fortunam atque Occasionem, quæ solæ rerum in bello primæ habentur, sequamini. Faciam, Diis volentibus, vt Italiæ non minima pars vestro antè pareat imperio, quàm Romanorum vires vobis occurrant. Hac oratione Athilę principum ac militum animi concitati ita fuere, vt magna acclamatum sit lætitia, se non modò ad Italiã cum eo profecturos: sed in omnem orbis partem, quam Athila iubeat, illius signa intrepidè sequuturos, iussaque facturos. Coacto igitur Athila suo, & Ostrogothorum, Erulorum, Turcilingorum, Quadorum, Rugorum, quos ab initio in societate belli habuerat, exercitu, quum itineri accinctus equum conscenderet, dicitur coruus ab oriente aduolans, humero eius dextro insedisse: ac deinde tantisper in sublime volasse, dum visum omnium effugeret. Hoc auspicio lætus Athila, mox iter capit: primumque Stiriam, Carinthiam, Illyriam & Dalmatiam inuadit. Quibus depopulatis, Salonaque ac Spalato vrbibus incensis, ad littora Adriatici maris peruenit: dein Tragurium, Scardonam, Sibinicum, Iaderam, Nouam Segniam, Potentiam, Polam, Tergestum, Capiseriam, vrbes opulentissimas iuxta ac fortissimas, diruit, & in prædam suorum vertit. Nonnullæ Valentiniani imperatoris copiæ in ipso Italię ingressu, fauces viarum obsederant, conari Athilam a coeptis auertere. Dum tamen eò properaret, subito omnes metu distrahuntur. Annus, quo inuasit Athila Italiam, erat a natali Domini quadringẽtesimus quinquagesimus. Eusebius vnum, Sigebertus verò quatuor his superaddit. Veneti, quos rege Pylemene ad Troiam amisso, ad intimum Adriatici maris sinum duce Antenore venisse, scriptores memoriæ mandarunt, ea tempestate circa A-

dum

driam habitabant. Hi cum plerisque Aquileiæ ciuibus, aliisq; vicinarũ vrbium accolis, metu Athilæ sedibus suis relictis, primum in insulam quandam Aquileiæ vrbi vicinam: dein rati, eò quoq; Athilæ vim penetraturam, in aliam insulam a maris æstibus tutiorem, cui Riuo alto nomen est, migrarunt. Quo in loco hanc, quæ nunc Venetiæ dicitur, vrbem ædificare cœperunt.

Venetiarũ Vrbis origo.

Caput XIIII.

DIRVTIS memoratis ciuitatibus, dum Athila Aquileiam versus pergeret, occurrit ei a sinu Tergestino Romanorum satis validus exercitus. Quo prostrato, deletoque, Aquileiam vrbem obsidet. Ea licet difficilis esset expugnatu, partim quòd eius accolæ audito iampridem Athilæ aduentu, eam omnibus rebus ad sustinendam obsidionem, & se defendendum necessariis, satis muniuerant: partim quòd præsidium numerosum firmumque eò collocauerant: tamen ne vnica hæc regis tam magnanimi potentiam viresque non persentisceret, voluit extrema quæque sub ea experiri. Igitur admotis illius oppugnationi machinis bellicis, quas complures secum ferre erat solitus, quum res nunquam ex animi sententia cederet, triennium in obsidione frustra absumit. Interea omnis circumquaq; ager depopulatur. Quæ res fecit, vt in castris Athilæ inopia commeatuum non parum sit laboratum. Eaque ex causa tam homines quam iumenta insuetis vesci cogebantur alimentis, varia morborum genera inferentibus. Eò iam deuentum erat, vt & Athilam obsidionis eius vrbis tæderet: & militum animi tum malis diuturnæ obsidionis, tum penuria rerum necessariarum vehementer fuerint consternati, & corpora admodum debilitata. Iam passim murmur & fremitus in exercitu audiebatur militum indignantium se non cum hominibus iusto Marte, sed lapidibus & munimentis vix expugnabilibus, rem habere: cuius laboris & tolerantiæ nec gloria, nec præmium vllum esset futurum. Et honestius & vtilius sibi esse, Romam caput Italiæ statim proficisci, si obsidio vrbium Athilam delectaret: qua expugnata, cæterarum ciuitatum deditio facilè sequeretur, atque totius Italiæ opes Hunnis accederent. Ad hæc, perpetua gloria res eorum gestas, capta Roma abundè cumularet. Has militum vociferationes promiscuas, tametsi Athila iniquo ferret animo: ne tamen vnicæ huius vrbis fortitudo, gloriam suam multis rebus præclarè gestis per totum orbem iam florentem obfuscaret, militum animos partim spe iamiam potiundæ vrbis, partim pollicitationibus magnificis demulcendo, sibique reconciliando, statuit tantisper in obsidione perseuerare, donec eius vrbis quoquo modo potiretur. Quod vt citius fieri posset, neque suo ipsius periculo parcebat, obequitans frequenter vrbis muros, vt vbi illius expugnandæ facilior esset insultus, experiretur. Itaque quum quadam die taciturnitas obsessorum, & muri solitudo inuitasset eum propius mœnia accedere, armati quidam hostium per cuniculos & cloacas subterraneas, sub mœnibus ad Hunnos fallendos productas, clanculum erumpentes, subitò eum inuasere. Athila, quum neque in fuga, nec in alio suorum præsidio, præterquam sui ipsius robore & virtute, spes vlla salutis esset: ne inultus moreretur, intrepidè eos aggreditur: duobusque interfectis, quum reliqui visa eius audacia non iam temerè eum inuaderent, saluus ad suos remeauit. Dicunt, milites hos vrbanos retulisse tandem suis, ex huius, quicunque fuerit (ignorabant enim Athilam esse) militis oculis, scintillas veluti igneas, quum eos fremebundus circumspiceret, emicuisse. Altero dein die, dum multis frustra tentatis oppugnationibus Athila anxius & curarum plenus, more suo mœnia vrbis circumequitaret, vidit ciconiam auem in summo cuiusdam turris culmine nidum habere: ex quo auis ipsa pullos adhuc implumes vnum post alium, in arundinetum vrbi vicinum rostro deferret. Cuius rei spectaculo quum Athila diutius cogitabundus constitisset, tandem ad suos dixisse fertur: Auem ruinæ ciuitatis iamiam imminentis præsciam, pullis suis præparare securitatem. Nam quòd in arundinetum cum pullis migraret, portendere vrbem propediẽ in manus suas deuẽturam:

Aquileia ab Athila obsessa triennio.

Ex ciconia aue præsagium.

velleque ciconiam mali futuri præsciam, pullos suos, ne simul cum vrbe incendio aut ruina paulò pòst absumerentur, liberos esse. Hoc igitur augurio admonitus Athila, vrbis ipsius oppugnationi eo ipso die vehementius instare cœpit. Verùm quum res tunc quoque, vt antea, minus successisset, postero die iubet ephippia quarti cuiusque equi, ex omni suo exercitu conferri, & in fossam vrbis, ex ea parte qua murus erat debilior, cõijci, incēdive, vt murus ardore ignis confectus, aut sponte decideret, aut tormentis postea petitus ruinam daret faciliorem. Interim Athila instrumentis ad quatiendum murum compositis, militibusque ad inuadendam vrbem admonitis, expectabat tempus, quo, sopito incendio, mœnia aggrederetur. Consilium hoc eum non fefellit. nam murus ignis vehementia consumptus, sponte ruinam dedisse traditur. Athila, visa hac capiundæ vrbis opportunitate, milites hortatur, vt pro virtute quisque sua adniteretur mœnia superare, vrbemque ingredi. Hi magna alacritate id capessentes negocij, in vulnera ac armatos muri defensores ruunt. Nec armati ciues, nec vllum periculum eos ab incœptis arcebant, sed intrepido impauidoque animo mœnia superare quisque contendebat. Nihilo minore animo obsessi quoque stationem quisque suam, vrbem, se, suamque, coniugum ac liberorum vitam defendere: non ignari, nullam aliam superesse spem vitæ, quàm si hostem longo iam labore malisque defatigatum repellere, ac vrbem vi virtuteque conseruare possent. Quod Athila videns, vulneribus confectos ad castra referri, & fessis nouos succedere iubet. Ipse (quæ res etiam ignauos milites in re quoque dubia accendere, strenuosque facere solet) spectator cuiusque facinoris atque virtutis adesse, quemque nomine compellare: hortari, rogare, ne à cœpto desistant: maximũ, quod fuerit, oneris ac periculi iam superatum: exiguum adhuc superesse vrbis potiundæ laborem, cuius magna cuilibet apud se parata essent prēmia. Itaque milites summa vi mœnibus annixi, trium horarum spacio vrbem capiunt, diripiunt: iuuenes, viros, senes passim trucidãt: non ætati, non sexui parcunt: paucis, quibus decor ac pulchritudo inerat, fœminis exceptis. Omnia quę in vrbe erant, in prædam dantur militum. Vltra triginta septem millia hominum traduntur illic cæsa. Erat tum in ciuitate fœmina, non religione & pudicitia minus quàm genere nobilis: forma verò tam insignis, vt omnes alias eius vrbis fœminas facilè præcelleret. Huic nomen Digna fuit. Hæc, quum audiret Hunnos in omnes ad mortem vsque sæuire, præterquam fœminas pulchritudine præstantes: in superiorem ædium suarum partem confugit, statuens prius mori, si quis Hunnorum vim sibi intentare vellet, quàm pudicitiam amittere. Igitur dum quispiam militum, decore ipsius captus, eamque insequutus, violare conaretur: Digna in fluuium Natisonem, sub ædes defluentem, se præcipitauit. ita pudicissima fœmina, militis spurcissimi turpem libidinem morte sua euasit.

Aquileia capitur.

Digna fœmina pudicitia, cuius nomen Sabellicus reticet: Chronicon tamen Hungaricũ, Callimachus & Eutropius ponunt nominat hic tamẽ Dignã.

Caput XV.

DIRVTA funditùs Aquileia, atque sub ea obsidione dedito Taruisio, ac Verona: hac, autore Diatherico: illo autem, Helmundo præsule: atque etiam Vtino per Athilam extructo, vt memoriam sui nominis, si Aquileia potiri non posset, apud posteros relinqueret: Concordiam versus digreditur. Quo in itinere pulcherrimum fortis animi dedit specimen. Circulatores plerique, vici cuiusdam rustici, robusta ætate ac viribus, spe lucelli consequendi ad Athilam veniunt, inter gladiatorum artificiosos flexus mira arte agiliter saltitantes. Aliis spectatoribus in risum hoc spectaculo solutis, Athila turpe ducebat, tam valida corpora, militiæ potius quàm huiuscemodi quæstui circulatorio, & rebus inaniter ludicris conuenientia, ociosam atque inutilem agere vitam. Iubet igitur eos armari, ac se quoque armis indutum equo insilientem imitari. Quod quum propter insuetudinem præstare non possent, & neque arcum tendere, neque neruo sagittam adhibere scirent: corpora superfluo prius per ocium pastu saginata, eò vsque tenui cibo extenuari mandat, vt postea abstinentia & exercitatione, optima rerum omnium magistra, edocti, vtramq; rem facilè

De circulatoribus, Athilæ iudicium.

facilè præstiterint. Quorum tandem opera ac fortitudine in pluribus est vsus rebus militaribus. Igitur dum Concordiam peruenit eam cum internecione septem & decem millium Hunnorum, cuius mœnia primus ipse inscendit, expugnauit, diripuitque. Cæteris item vicinis vrbibus partim vi captis, dirutisque, partim deditis, Athila primùm Patauium (vbi Marulli Calabri poetæ carmen de laudibus suis conscriptum, in ignem coniici iussit, quia licentia poetica originem Athilæ ad Deos retulerat: arbitratus impudentem esse impudentiam, dum mortales homines se à Diis immortalibus traxisse originem confingerent) deinde Vincentiam, Mantuam, Brixiam, Bergamum, Cremonam, Ferrariam,

Marulli poetæ assentatio Athilæ improbata.

vrbes munitas & opulentas, vi cepit, & in prædam concessit militum. Quibus tamen omnibus tum propter magnificentiam ædificiorum, tum amicorũ retentus precibus, pepercit, ne igne absumerentur. Vnicam Brixiam, ob vulnus in porta vrbis, dum acrius illi expugnandæ instaret, sibi inflictum, vnà cum ciuibus omnibus eò inclusis, incendio funditus delere decreuerat: sed ab amicis, ab eo quoque proposito fuit reuocatus. In Vicentiæ quoque oppugnatione egregium fortitudinis suæ testimonium præbuit. Quum enim milites, propter obsessorum vim & aquæ profunditatem, propius mœnia accedere cunctarentur, ipse in fossam qua vrbs ambitur, præcipiti cursu desiliens, per aquam papillarum tenus altam, ad murum euasit. Quo ipsius facto excitati milites,

Memorabile Athilæ facinus.

concitante eos verecundia, certatim murum superare contendunt, nonnullis eorum altitudine aquæ submersis. Hinc Rauennam versus castra mouit. Erat ea tempestate huius ciuitatis præsul Ioannes hæreseos Arrianæ defensor acerrimus. is opibus iam olim congestis prædiues, non minus in æmulationem quàm contumeliam Romani pontificis, duodecim crearat episcopos Arrianæ hæreseos professores, vt eorum opera & adminiculo hæresim suam latius in Italia diffunderet. Hic Athilæ Rauennam appropinquanti, cum multitudine cleri ac ciuium obuiam profectus, eius indignationem supplex deprecatur: pollicitus se effecturum, vt si Athila ipsius professionem susciperet, eosque qui Romanæ ecclesiæ dicto audientes sunt, persequeretur, breui Romana

Callimachus hunc episcopum Tenem nominatum fuisse dicit.

vrbe, rotaque Italia, Africaque sine labore ac periculo potiri posset. Ad quem Athila: Humilibus quidem parcere se, ait: & promissa, si ea præstare posset, libenter expectaturum: tamen ne interea (inquit) posteritas ciuium tuorum pacto potius quàm vi vrbem hanc à me deuictam esse glorietur, omnes vrbis portas mox detrahi volo, ac per certam mœniorum partem dirutam, equorumque nostrorum vngulis attritam, cum vniuerso exercitu nostro armatus ciuitatẽ ipsam victoris instar ingredi. Ioannes episcopus, ciuesque, accepta Athilæ voluntate, portis vrbis resignatis, læti iussa faciunt, ac regem gratulantes in vrbem deducunt. In ea, cum omnibus suis copiis Athila, tanto tempore quo voluit est commoratus. Ticino deinde, quæ nunc Papia dicitur, Placentia, Parma & Mutina direptis, Mediolanum vi expugnat: ciues trucidat, vrbem diripit, soloque æquat. Militibus hinc eo loci vbi Mincius Padum ingreditur, in statiua ductis, deliberare secum cœpit, an exercitum suum Romam duceret: casu Alarici regis Gothorum permotus, quem ea vrbe ante se expugnata atque direpta, inopinato fato defunctum fuisse acceperat. Igitur dum animo dubius in castris hæsitaret, proceres Romani veriti ne Athila ad vrbis Romanæ oppugnationem properaret, Leonem pontificem adeunt, orant, obtestantur, ad Athilam supplex proficiscatur, iram eius deprecetur, salutem Romanis petat: se sperare, id eum non grauatim ab illo impetraturum: qui Ioanni Rauennæ vrbis archipræsuli ad pedes eius prouoluto, veniam largitus fuerit. Leo tum Romanorum precibus,

Vide Suidã, in dictione κορυκὸς, de Athila, dũ cepisset Mediolanum, quid fecerit.

Mediolanũ expugnatur.

tum periculo Ecclesiæ suæ inductus, constituit se id facturum. Tradit Sabellicus, Leonem ad hoc inductum Valentiniani imperatoris hortatu. Dum hæc ita aguntur, interea Athila, ne laboribus ac rebus semper agendis assueti milites, ocio & quiete torpescerent: quendam Zowar exercitus sui ducem deligit, qui parte copiarum accepta Apuliam, Calabriam, & ea Italiæ loca quæ mari adiacent Adriatico, depopulatur. Sub cuius tandem cum ingenti præda redi-

Zouuar, dux exercitus Athilæ.

tum, Leo pontifex, vti constituerat, cum magno cleri agmine, sacris ornatu vestimentis, ac (vt Sabellico placet) altero Consulum, magnaque parte senatus Romani, ad regem venit, qui ab Athila obuiam ei prodeunte ingenti acceptus honore, hæc verba habuisse dicitur: Magna olim, rex inuictissime, Romanorum, totius orbis victorum, erat gloria. Romani dare victis veniam, supplices in fidem amicitiamq; recipere, victoriam misericordia lenire solebant. Quibus rebus Imperium, opesque augebant: famam verò ac gloriam nominis sui immortalem faciebant. Hæ, dum vsus ferebat, Romanorum erant artes, mores, ingenia. Cæterùm mutata rerum vice, quod nobis eripuit, id tibi, rex Athila, nunc fortuna tribuit. Quantum nobis detractum est, tantum tuæ virtuti accreuit gloriæ. Multa licet oppida, nationes & regna deuiceris, præclaros rerum à te gestarum triumphos egeris, omnes ferè orbis terrarum regiones, virtutis ac fortitudinis tuæ fama iam occupauerit: non tamen hæc omnia maiorem laudem, si rem animo bene perpendas, tribuere possunt, quam dies hæc hodierna apud omnem posteritatem est tibi comparatura. Populus Romanus olim totius mundi dominus, à quo multi antea populi ac reges iura legesque petebant, nunc tua ductus potentia, supplex ad te venit, pacem à te petiturus, & omnes quas velis sponte subiturus pacis conditiones, modò tua nos dignos putes misericordia, fide, amicitia. Non necesse est te armis Romanam vrbem, & ea quæ illi parent, tibi vendicare. Sua sponte tua est Roma, nos tui sumus: tua omnia sunt, quæ nostra. Omnia ex tua fac libidine, fruere tuis legibus: singula tuo nutui parebunt, verbis pro armis vtere. Age igitur, rex potentissime, qui in hunc diem alios vincere solitus es, nunc tu te vince: animum offensum reprime, iram contine, qua fortè contra nos seuerior esse constitueras. Nulla re propius immortalitati accedere potes, Deoque esse simillimus, quàm parcere humilibus, & misericordiam petentibus impartiri. Post hæc consul & Romanus senatus ad genua Athilæ lachrymabundi accidunt. Quibus Athila assurgere, bonoque animo esse iussis, veniam pacemque se daturum, ac eos in fidem, societatem & amicitiam recepturum affirmat. Accepta igitur conditione tributi à populo Romano deinceps Athilæ quotannis pendendi, Leo pontifex omnia quæ petiuit, voluitque, liberaliter ab eo impetrauit. Dimissis Pontifice & Romanis senatoribus, duces qui sub eo militabāt, interrogauere Athilam: Cuius rei causa, præter solitū, tam facilis & indulgens erga Romanos fuisset: atque lenibus illorum motus lachrymis ac precibus, tam certam è manibus emisisset victoriam, totiusque Europæ imperium, in omnibus rebus Pontificis consentiens voluntati? Quibus Athila respondit: Ita factum & conuenisse, & oportuisse. Satis esse, supplices ad se venisse, pedibus suis totius mundi dominos prostratos: Romam, quæ vniuerso orbi olim imperitabat, se victam fateri, suo nunc subditam imperio: tributum Romanos imperatum sponte suscepisse, omniaque iussa facturos. Quòd verò omnium maximum esset, se supra caput Leonis, qui ad eum venerat, vidisse hominem habitu augustiore, veneranda canicie, stricto ense assistentem: sibique, ni illius votis parêret, mortem minitantem. Hinc militum iocosum dictum vulgo iactabatur: Athilam plus timere ferarum immanium sola nomina, quàm exercitum armatum: qui in Gallia contra Lupum, in Italia verò aduersus Leonem, suo non vsus fuisset imperio.

Oratio Leonis pontifícis ad Athilā supplex.

10

20

30

40

Caput XVI.

ATHILA Rauennam reuersus, Ioannem archipræsulem in vincula coniicit: acceptisque ab eo ac à ciuibus Rauennatibus sexaginta marcarum auri millibus, ipsum & eos qui Arriana infecti erant hæresi trucidari iubet: siue quòd Leo pontifex id ab eo impetrauerit: siue potius, quòd aliquid eo absente sinistri contra ipsum moliti fuerint. Post hæc conuocatis exercitus sui regibus ac ducibus, breuiter enumerat, quæ bella ipsorum virtute confecerit: quàm potentes reges, populos, vrbes, oppida ditionis suæ fecerit: quibus laboribus ac periculis, vt illis gloriam immortalem pareret, sæpe se commiserit. Nunc se in animum induxisse, omnes mortales eò laborare, vt vltra perennem gloriam, quieti etiam

Verba Athile ad duces sui exercitus, quum reuerti vellet in Hungariam ex Italia.

50

etl etiam corporis non diu ſpirantis, quantum liceret, poſt duros diuturnosque labores bene conſultum eſſe velint. Proinde ſi nomen laudemque a ſe eis hactenus partam, ſatis ſibi ducerent: ſe conſtituiſſe in Hungariam, deſtinatam ſuæ & ipſorum quietis ſedem, poſt tanti temporis moram & labores reuerti: ſatis iam opum, ſatis triumphi gloriæque, ſatis ornamenti apud omnes gentes eſſe partum. Decere quietem laborum comitem eſſe, hisque illam ſuccedere, poſteaquam omnia cum ſumma laude peregerint. Omnes homines exanclatis laboribus ocium amplecti ſolitos, præmium ſcilicet curarum, ſolicitudinum, ac inquietudinum anteactarum. Comprobato à ducibus conſilio, Athila in Pannoniam redire properat. Valentiniano imperatori, cuius ſuprà meminimus, ſoror erat Honoria. Quæ clam fratre, miſſo nuncio Athilam orat, vt ſi id non dedignaretur matrimonium, ſe duceret vxorem. Quæ, ſi ei videretur, aut rediret, aut ad Valentinianum fratrem mitteret Legatum, ſuum connubium Athilæ depoſcentem. Italiæ fines rex iam exceſſerat, quum nuncius ad eum peruenit. Licet autem gratū ei erat de tam honeſto inſignis pudicitiæ ac nobilitatis fœminæ matrimonio, delatum ad ſe nuncium: maximi tamen tum laboris eſſe, tum etiam dedecoris arbitratus eſt, exercitum ſuum iam ab Italia amotum, & tot itineribus laſſum, & qui Pānoniæ iam propior eſſet quàm Italiæ, vnius mulierculæ amore reducere. Itaque miſſo Legato ad Valentinianum, Honoriam ſororem cum Imperij parte ſibi depoſcit: quod ni faceret, reuerſurum ſe mox ad Italiam, & illum vniuerſo imperio priuaturum, ſororisque vi potiturum minatur. Dimiſſo nuncio, ipſemet in Pannoniam regreditur. Dum Sicambriæ in regia ſua vitam degeret, etſi (vt ſuprà dictū eſt) ocium agere, poſt tot bella ex animi ſui ſententia iam confecta, ſtatuerat: non facilè tamen fit, vt animus ad aliquid ſemper agendum natus, bello inſtructus, magnarum rerum cupidus, quieſcere poſſit. Non contentus igitur parta tot iam rebus geſtis gloria, contra id quod prius militibus approbantibus decreuerat, cogitabat dies ac noctes, vt deuicta iam Europa, vires ſuas in Aſiam, Aſſyriam, Ægyptum conuerteret: arbitratus parum laudis imperijque à ſe quæſitum, niſi illæ quoque orbis regiones fortitudinem & arma eius experirentur, eique parerent. Tradit Iornandis, Athilam per id tempus miſiſſe Legatos ad Martianum Orientis imperatorem, qui dicerent, ni Theodoſij præceſſoris promiſſa ſibi ſeruaret, ſe illius imperium vaſtaturum. Hoc autem Athilam eo animo feciſſe dicit, ne Traſimundus Viſigothorum rex conatus ipſius præſcire poſſet. Nam paulò pòſt Alanos populos, quos trans Ligerim flumen ſub Wiſſegothorū imperio habitaſſe teſtatur, Athila ſubitò inuaſiſſet: quem Traſimundus nihilo ſecius præueniens, iuſto prælio deuictum coegiſſet in Pannoniam turpiter refugere. Regem Ahilam in Galliam ſecundò reuertiſſe, & cladem à Traſimundo accepiſſe, non ſatis memini me apud alios comperiſſe: reuera neq; Chronico, neq; aliis autoribus, alioqui reticētibus tam longam eius profectionem, & dedecus acceptum, ſi quid certi de eo cōſtitiſſet. Dum igitur animo, vt dictum eſt, fluctuaret, impotētia amoris victus, non expectato Valentiniani reſponſo de Honoriæ connubio, filiam regis Bactrianorum Mycoltham nomine vxorem ducit, virginem omnibus corporis dotibus illuſtrem, cunctisq; aliis fœminis pulchriorem: in cuius nuptiis regali apparatu celebratis, quum ſolito largius ſe vino ingurgitaſſet, nocte inſequēti illam comprimens, venereis rebus plus æquo dat operam. Quibus vtriſque, vino ſcilicet & venere immodica, etiam adoleſcentibus periculoſis, ne dum ſeni, quum ſanguis in vniuerſo corpore efferbuiſſet, naris profluuio, dum altiore tenetur ſomno, ſuffocatur: anno Domini (vt Chronicon teſtatur Hungaricum) quadringenteſimo quadrageſimo quinto: non, vt Euſebius ac Sigebertus tradunt, hic quadringenteſimo quinquageſimoquinto, ille quinquageſimo quarto. Mycoltha ſanguinis in ſinum ſuum profluētis calore experrecta, maritū attrectare, excitaréve cœpit: Cuius corpus quū exangue frigidumq; tactu ſenſiſſet, ac nihil in eo ſpiritus ineſſe, inopinato malo territa, eos qui ad fores cubiculi accubabāt, magno eiulatu acclamat. Qui excitati reginæ clamore, facibusq; incenſis, ædes Athilæ interio-

Valentiniani imperatoris ſoror Honoria.

res ingressi, illum animam cum sanguine iamdudum efflasse comperiunt. Fit mox clamor omnium, vlulatus ad cœlum vsque tollitur. Sicambria tota lamentis excitatur, quisque tanti regis mortem magno singultu deflentes. Fama de eius morte per totam Hungariam breui diuulgata: lugubrem quisque induit vestem: mœroreque ita omnia complentur loca, vt diu ab omnibus lætitiæ signis fuerit temperatum. Factis igitur more Hunnico iustis: ludisque Circensium more equestribus circa cadauer celebratis, atque cãtu funebri qui laudes & res regis gestas continebat solenniter decantato, tandem Athila regali apparatu sepelitur in maiorum suorum sepulchro, in valle Keazo, prope lapideam columnam: vbi Keme, Kewe, Cadica & Bela, vt supra memoratũ est, fuerant tumulati. Nocte illa qua Athila extinctus fuerat, Martianus imperator Constantinopolitanus, vidisse dicitur in somnis, arcum Athilę fractum esse. Memorant, Athilam eo die natum fuisse, quo C. Iulium Cæsarem: & Idibus Martiis mortuum, quibus ille in Capitolio tribus ac viginti cõfossus erat vulneribus. Vixit autem, vt nostra tradunt Chronica, centum & viginti quatuor annos. Sabellicus dicit, eum mortuum anno ætatis quinquagesimosexto: quod non videtur esse verisimile. nam satis constat, Athilam inter alios Hunnorum duces vnum fuisse ea tempestate, qua Hunni expulerunt Gotthos è sedibus suis, & postea ingressi sunt Hungariam. Non absurdum autem est creditu, eum id quoque temporis ætatem egisse virilem: qui scilicet è tot millibus hominum à gentibus ad bellum natis, ob animi consilium, rei bellicæ peritiam, & corporis vigorem, in numerum aliorum ducum fuerit delectus. Ingressi autem fuerunt Hungari Pannoniam, vt suprà memoratum est, anno à nato Christo, trecentesimo septuagesimo tertio: post quem annum electus fuit in regem Athila, vigesimooctauo anno, qui erat annus Domini quadringentesimusprimus: à quo regnauit quadraginta quatuor annos. Si Athila, secundum Sabellicum, anno ætatis suæ quinquagesimosexto mortem obiisset, quum electus fuit in regem, agebat annum duodecimum: quod vix est rationi consonum. Nam non facilè à populo bellicoso, ac multis rebus gestis tunc quoque claro, rex impubis, & non modò rerum publicarum, sed ne suarum quoque priuatarum administrandarum peritus, maximè in initio regni armis acquirendi, & strepitu bellorum fuisset admissus. Secundum igitur supputationem prædictam, quæ veritati magis est conformis, dum creatus fuerat Athila in regem, septuagesimum secundum agebat ætatis annum. Hinc ergo liquet, eum eo temporis quo Hunni Scythia egressi fuere, natum fuisse quinquagesimumsecundum annum. Quæ omnia si in numerum redigas, Athilam vixisse comperies centum & vigintiquatuor: non, vt Sabellicus tradit, quinquagintasex annos. Præterea tam Eusebius quàm Sigibertus in suis Chronicis concordant, ab Hunnis profligatos esse Gotthos, & Hunnicum imperium inceptum esse anno nati Domini trecentesimo octuagesimo: mortuum autem Athilam quadringentesimo quinquagesimoquarto. Quorum temporum annos si contuleris, cognosces Athilæ vitam fuisse septuagintaquatuor annorum: etiamsi tum fuisset natus, quum Hunni Gotthos regno priuarant. Sic Sabellicus conuinci etiam horum duorum testimonio potest. Quod autem tot annos exegisse traditum sit, id nihil mirum videri potest. Nam inter multos, quos nunc consultò prætereo, etiam Emenricus Visigotthorum rex, de quo in initio Operis mentionem feci, tantundem ferè annorum transegit. Præterea parcius mirabimur annorum vitæ Athilæ multitudinem, si in animum induxerimus, Hunnos quoq; anni tempus potuisse breuiori spacio computare, sicuti Arcades trium, Chares & Acarnanes sex, Ægyptij in initio quatuor mensium habuerunt annum. Aut quòd Athila ob naturæ fortitudinem, bonamque corporis temperaturam, tantum annorum solarium, vt alij, facilè conficere potuerit. Plurima mortem eius prodigia præsignauere. Nuptiali eius die, equus quo in præliis & optimo & sibi fidissimo vtebatur, nullo signo præcedentis morbi apparente, subitò est mortuus. Mycoltha etiam sponsa ingressura cubiculum, tam fortiter pedem dextrum limini impegit,

De ætate Athilæ, error Sabellici.

373.

Anni vitæ Athilæ.

Prodigia quæ mortẽ Athilæ præcesserunt.

pegit,

pegit, vt ex dolore nimio aliquandiu desidere fuerit coacta. Cometes ante eius mortem viginti circiter noctibus ad ortum solis vernum visus. Ad hoc, traditur quædam mulier fanatica, equo inuecta, Athilæ redeunti ex Italia in Pannoniam, sub traiectum Lyci amnis, inter Rhetos & Vindelicos defluentis, ter fremēti voce acclamauisse, Retrò Athila.

Caput XVII.

MORTVO rege Athila, duo legitimi, & animo & virtute nothis filiis præstantiores (alter Chaba, ex Herriche, Honorij Græcorum imperatoris filia: alter Aladaricus, ex matre Kreinheiltz, filia ducis Bauariæ, geniti) de imperio certabant. Detricus à Verona, qui neptem Athilæ ex sorore, vxorem duxisse dicitur, cuius scilicet suprà mentionem fecimus, princeps militiæ Athilæ, cum reliquis Germanorum & aliarum exterarum nationum principibus, qui Athilam sequebantur, Aladarico adhæserat: vtpote ex genere nationis suæ Alemannicæ orto. Chaba maiorem Hunnorum partem sibi fauentem habebat. Hi duo regij iuuenes dominandi libidine perciti, quisque imperium Hunnicum pro se occupare studebat. Comparato igitur vtrinque magno exercitu, in campum Sicambricum castra posuere. Vbi acie collata, tanta commissa est cædes, vt Danubij aqua, à Sicambria ad Potentianam vsque vrbem, mixta sanguine defluxisse tradatur. Durauit hæc pugna ad quintumdecimum diem: nec finis eius antè fuit, quàm maior pars externorum militum ab Hunnis trucidata fuerit. Aladaricus in prælio cecidit. Victor primùm Chaba: postremò Detrici Veronensis arte victus, cum sexaginta suis fratribus, nothis Athilæ, ac vigintiquinq; millibus Hunnorum, qui ex clade adhuc supererant, in Græciam ad Honorium imperatorem, auunculum suum, confugit. Apud quē tredecim annos commoratus, derelicta ea regni parte, quæ ex materna hæreditate eum attingebat, in Scythiam itinere vnius ferè anni reuersus est. Nondum Bendegicz auus ipsius paternus, vita (vt Chronicon tradit, penes quod fides sit) defunctus erat. Cuius, extremo iam senio confecti, consilio, duxit vxorem ex gente Corosmanorum, Scythiæ vicina, ortam. Ex qua duos suscepit filios, Edemen & Ed. Qui memor fertilitatis regni Hungariæ, sæpe filios admonebat, vt dum per ætatem liceret, Hungariam repeterent. Cuius admonitionem posteri eorum postea obseruarunt. nam à morte Athilæ post annum circiter trecentesimum, Hunni ex Scythia magno exercitu reuersi, Hungariam secundò occupauere. Is Chaba non ita diu in Scythia viuens, fato concessit. Non desunt autores, qui à Chronico dissentientes, de Hunnico post Athilæ mortem in Pannonia imperio, vsque ad Mauricij imperatoris ferè tempora, meminerint. Non tamen est instituti nostri, historiam vltra Athilæ mortem in præsentia producere: quam sequentem, his qui me plus & ocij & virium habent, relinquo describendam.

Chaba.
Aladaricus.
Hungarorū clades.
Edemen & Ed, Chaba filij.

Caput XVIII.

POST pugnam in agro Sicambrico commissam, præter exercitum Chabæ, qui in Græciam erat profectus, tria millia Hunnorum cædem elapsa, in campo Czegled, vbi nunc oppidum est eius nominis, consedêre. Hi metuētes Detrici & aliorum Germanorum potentiam, in eam Daciæ partem quæ nostra hac tempestate Transsyluania, siue Septem castra (à septem ducibus Hunnicis, qui in secundo ingressu Hunnorum in Pannoniam, castra sua eò loci fixerāt) denominantur, celeri itinere appulere. Qui vt facilius persuaderent se non esse Hunnorum reliquias, mutato agnomine Hunnico, se Siculos denominarunt. Hic populus etiam nunc à nostris putantur vetustiores esse Hunnorum, qui in Hungaria remanserunt. Sunt in eum hi aucti iam numerum, vt dum bellum eis ingruat, facilè ad quinquaginta & amplius armatorum hominum millia conscribere, in campumque educere possint. Grauatim patiuntur suam familiam, domumque, externæ nationis misceri connubio: moribus, ritibus ac legibus aliorum Hungarorum sunt longè dissimiles. Ad explicandam animi sui sententiam ac voluntatem quotidianam, præter vsum papyri & atramēti, aut characteris aliarum linguarum, notas quasdam bacillis ligneis incidunt, aliquid inter se signi-

ficantes: quibus ità incisis, apud amicos ac vicinos vice nuncij, epistolæve vtuntur. Hi Siculi in hunc diem credunt, Chabam non reuertisse in Scythiam, sed in Græcia peremptum. Cuius rei gratia, in hominem ex aliquo loco remoto nunquam rediturum, hoc vtuntur dicterio: Eum tunc reuersurum, dum Chaba ex Græcia in Hungariã. Volunt se omnes haberi ingenuos, vtpote qui sint veterũ Hunnorum reliquiæ. Nec abs re ea vti curant libertatis prærogatiua. neminem enim patiuntur inter se libertate esse superiorem. Minimus eorum eam habet inter eos immunitatem, quam maximus. Sunt diuisi in comitatus, Czik, Gyrgyo, Kysdy, Orbay, & alios aliquot: quos ipsi regiones, vel potius sedes vocant. In quibus, ex hìs qui sunt vetustioris familiæ, ditiores ac potentiores, cõstituunt sibi capitaneos siue patronos, quos lingua sua Lofyſckel vocant. hos obseruant, verentur, atque colunt. Si quid contra eos excitatum fuerit hostile, horum signa sequuntur. Hi potestatem summam habẽt eos iudicandi, conuocãdi, & de summa totius rei cum eis vnà decernendi. Tributum nemini nec regi nec aliis pendunt, præterquam quòd, quum rex coronatur Hungariæ, aut vxorem ducit, aut nascitur ei filius, viritim singulos conferunt regi boues. Verùm id quoque non sine magna difficultate plerunque faciunt; quod mea ætate, non sine patris mei incommodo, euênit. Nam quum Paulus Thomoreus iussu Vladislai regis, sub tempore natiuitatis Ludouici filij, ad hos boues Siculos stigmate notandos (cauterio enim boues regi donati, inuruntur) cùm aliquanto militum numero missus fuisset, atque in eius auxilium sedecim equites Stephanus Olahus pater meus misisset, Paulus ipse repetens boues regi pro more gentis debitos, quum illi se ea in re difficiles præberent, & contra eum tenderent, coactus est cum illis manum conserere. Qui, fortioribus multitudine Siculis, cum suis copijs, quas ad numerũ quingentorum & vltra equitum habebat, victus, prostratusque, viginti sauciatus fuit (si satis memini) vulneribus. Quo in conflictu multi suorum militum fuerunt occisi: maior pars rebus spoliati, ægrè domum recurrerunt: inter quos patris etiam mei equites tres occubuêre, reliquis semilaceris redeuntibus. Pœna hac in suos delinquentes vtuntur: Quum quempiam eorum contra Rempublicam bonumque commune aliquid perpetrasse, aut contra libertatẽ, quam vltra res omnes mortalium meritò ęstimãt, clam moliri senserint: aut ad edictum eorum publicum contrà hostes non assurgere, comparereque viderint: direptis ipsius facultatibus ac rebus, domum funditùs demoliũtur. Et si eius copiam habere possunt, occidunt. Parent, post regem, nemini quàm Vaywodæ Transsyluano: quem rex Comitem eorum, dum hanc Vaywodatus confert aut mutat præfecturam, semper creat. Verùm huic quoque sæpe sunt inobedientes. Superioribus annis, quum dicto Ioannis à Zapolya (tũc comitis Scepusiensis, & Vaywodæ Transsyluani, ac Siculorum comitis: nunc verò, regis) minimè parerent, coactus est cõtra illos exercitum comparare, arma sumere, vi eos persequi. Hic viriliter ante aciem exercitus sui, aliquot saltem suorum stipatus, omnibus inspectantibus præcurrens, cum eis conflixit: ac eos profligatos dicto audientes esse coegit. Ita hac quoque tempestate Siculi veterum morum ac libertatum Scythicarum nec dum sunt obliti.

Siculorum in Transsyluania mores.

Siculi qua pœna in suos inobedientes vtantur.

FINIS.

ORNA-

ORNATISSIMO VIRO D. SEBASTIANO HALLERO, LEGVM IMPERIALIVM Doctori, Vincentius Obſopœus.

ETsi ſereniſsimus rex Vngariæ Matthias Coruinus, plurima virtutum ſuarum monumenta poſteris reliquerit, vt non admodum earundẽ præconem & teſtem requirat (nam virtus per ſe ſatis clara & æterna eſt) tamen cùm inter alia literarum egregia monumẽta, ex illius bibliotheca ad manus meas peruenerint, maximè beneficio illuſtriſsimi Principis Georgij Marchionis Brandeburgenſis, Principis noſtri clementiſsimi, huius eximij Poetæ T. Alexandri Corteſij verſiculi, in eius laudem conſcripti: nō paſſus ſum, vt illi ipſi diutius in tenebris deliteſcerent, cùm luce ſint digniſsimi, cùm ob tanti Principis & bello & pace maximi immortalem gloriam, tum iſtius Poetæ mirificam eruditionem, & ingenium ſingulare. Fuit hic vnus ex numero, quos feliciſsimum illud & politiſsimum Angeli Politiani ſeculum produxit, quo nunquam felicium ingeniorũ vberior prouentus extitit. Qui, ſi ad iuſtam ingenij maturitatem perueniſſet, num priſcis Poetis immeritò annumeratus eſſet, huius lucubrationis fœtura documento eſt. Hos autem verſiculos, ornatiſsime Sebaſtiane, meritò tibi dicare videor, nō tantùm ob id quòd homines muſicos incredibili quodam amore complectaris, ſed quòd ipſe inter eximios Poetas honeſtiſsimum locũ obtineas: hoc eſt, quòd omni humanitate, amore, ſuauitate, lepore, gratia, venere, facetiis, vrbanitate, comitate, ciuilitate, neque non eruditione, & multarum rerum cognitione, vnà cum iuris ciuilis ac pontificij prudentia, omnium mortalium es exculiſsimus & excellentiſsimus. Quapropter hoc amoris erga te mei pignus non grauatè accipe, & vale ex ſententia. Ex ædibus noſtris Onolzſpachij, Idibus Iunijs, Anno M. D. XXXI.

T. ALEXANDER CORTESIVS, REGI MATTHIÆ CORVINO, IOANNIS CORVINI FILIO, Vngariæ, Boemiæ, Dalmatiæ, Croaciæ, Ramiæ, Seruianiæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Romaniæ, Bulgariæ: Duci Auſtriæ, Sleſiæ, Lucemburgenſis: Marchioni Morauiæ, Luſatiæ: optimo fortiſſimoque Principi, ob rempublicam Chriſtianam conſeruatam, & imperium regni Vngariæ propagatum inſignibus virtutibus eius domi foriſq;, S. P.

ETsi nihil difficilius videtur, optime Rex, quã de te ſcribere, in quo omnis eſt laus imperatoria, & digna Principe virtus: tamen quum exiſtimarem, ſi non facultatem, at certè voluntatem hanc optimum quemque probaturum, mouererque admiratione rerũ à te geſtarum, ſcripſi de tuis laudibus libros duos. Et quum bello & pace ęquè clarus ſis, vno res bellicas, altero pacis artes ſum perſequutus. Mitto priorem hunc: ſecundum, qui adhuc eſt in manibus, paulò pòſt miſſurus. Nam ne hunc ipſum quidem nunc mitterem, niſi indignum putarem, quæ ab aliis legerentur, ea tibi, cui dicata ſunt, eſſe ignota. Leguntur autem; non quia ſint ſcripta eleganter, (parum enim aut ingenio aut doctrina valeo) ſed quia tuas & veras continent laudes, quæ ita paſſim amantur, celebranturque, vt & quoquò modo ſcriptæ delectent: & qui eas ſcripſerit, charum omnibus reddant. Nam quum omni es laude cumulatus, tùm maius quiddam atque præſtantius in te eſt, quàm quod ætas noſtra pati videatur, & planè cum antiquitate conferendum. Quare vrbs noſtra, dea (vt ita dicam) terrarum ac gentiũ Roma, vnde tu originem ducis, tuis geſtit virtutibus, tibi gratias agit. Ipſaq;, cui natus es, Reſpublica Chriſtiana, quò frequentius glorietur, in quòve magis conquieſcat, habet neminem. In tantò itaque to-

tius orbis terræ consensu, ego quoque absens atque ignotus feci hoc (qualecunque est) poema, vt simul immortalem tuam gloriam meis versibus venerarer, simul egregiam in te ostenderem voluntatem. Tu verò, si nunquam ab his studiis te auertit cura regnorum, lege (oro) atque cognosce: & si merui, in tuorum numerum adscribe. Vale.

AD LIBRVM.

Chare liber, magnum qui iam volitare per orbem,
Notus & argutis auribus esse cupis:
Qui cupis Arctoos tectis succedere regis,
Numinis & propius ora videre mei:
Qualiscunque, mihi multo vigilate labore,
I felix Genio candidiore liber:
Neu blatta informi lædat rubigine, néve
Tempus edax noceat, neu mala lingua tibi.
Sic faueant Musæ: & studiis seruata nepotum,
Quæ canis, hæc olim secla futura legant,
Quantus & Alcides, & quantus nomine Achilles,
Matthias hominum peruolet ora meus.
Matthias, Romanus honos, cui vertice sacro
Pierias laurus bellica fert hederas.

T. CORTESII DE MATTHIÆ CORVINI REGIS VNGARIÆ LAVDIBVS BELLICIS

Carmen.

ILIACAS *alij flammas, Thebanáque fratrum*
Arma, & Iasonis insignem heroibus Argo,
Astrorum cursus, & Ditis inania regna,
Fictáque Pierio referant miracula cantu:
Nos propriis spectanda oculis, nos inclyta dextra
Facta tuæ canimus, quibus aurea sidera viuus
Tangis, & æthereas fama petis arduus arces.
Sed sine te, nunquam tenues ad carmina tanto
Subsistant vires oneri: Tu numine toto
Dexter ades: da Mæoniam tua facta canenti
Matthia Coruine chelyn, si Delphica pareut
Templa tibi, sentiǵ frequens tua nomina Cyrrha,
Si Musæ, si Phœbus amant, hoc tempore solus
Carminibus si digna facis, quæ nulla vetustas
Deleat, annorúmque graui situs obruat æuo.
Quámque absens tanto rerum splendore tuarum
Excitor, assensu laudum procul omnia plaudunt
Fortunæ momenta tuæ, neque clarius axe
Lumen ab Arctoo micuit: sonat omnis vbiq;
Nomine terra tuo, & famam vaga gloria cælo
Terminat, immensumǵ ingens accedit Olympum.
Non hæc ingenio complecti, aut versibus optem
Posse meis, cupido non si torrentia vati
Pieridum sint ora nouem, sit ahenea lingua.

Littoreas

Littoreas aliquis citius numerabit arenas,
Paruáque per densum volitantia corpora mundum,
Et tenues per inane globos, quàm singula versu
Expediam. Potui satius tacuisse, furentem
Ni dulcis raptaret amor, qui frena pudoris
Rumpit, & immenso cogit decurrere campo:
Conueniunt omnes quando, tua cura, poetæ,
Certatimq́ nouas contendunt scribere laudes.
Nec bene Romano de nomine Musa meretur,
Quæ tua facta silet. Regum tu maximus ille es,
Et maris & terræ domitor: tua fulmina passim
Horret Hyperborea regio Mæotica bruma.
Te duce tuta fides, tibi relligiosa parentum
Debetur pietas: in te fiducia duris
Militibus sita, Threicij fera munera Martis
Te penes, in te anceps belli fortuna recumbit.
Tu vallum Italiæ, Romana palatia seruas.
Impia tu gentis contundis monstra profanæ,
Bisaltámque, Scythámque ferum. Tu Norica vincis
Arma, & bellacem non vno Marte Boemum.
Tu mores hominum domitas, & iura per vrbes
Restituis, lapsisq́ potens succurrere rebus,
In faciem antiqui mutas mala tempora cultus.
Verùm ego non Hydræ magis indelebile collum,
Fœcundúmque iecur Tityi consumere posse
Desperem, aut Ixionios firmare rotatus,
Quandoquidem primo tantarum in limine laudum
Hinc decus, hinc rerum incertam fert copia mentem.
Ac veluti rubræ dubitat rimator arenæ,
Quam prius è variis gemmam legat, ardet hyaspis,
Lucet onyx, viridi radiat fulgore smaragdus,
In partes dubium varias, & singula circum
Illum agit hærentem spectandi immensa voluptas.
Nam quid principio referam? vnde exordia sumam?
Maiorúmne prius repetens exempla tuorum,
Messalas atauos memorem, stirpémque togatam,
Vnde tuum magnu genus est auctoribus ortum?
An patris Hunniadæ tot bella exhausta tot annos
Persequar, vt sæuos toties disiecerit hostes,
Fuderit vt dirum Taurini ad mœnia Turcam?
(Nunc Albam appellant) albent quando ossibus arua
Bistoniis, galeæq́ micant, effossaq́ pila,
Et madidæ humano pinguescunt sanguine glebæ.
Sed genuisse tamen Matthiam gloria maior,
Quàm variis septem bellis domuisse triones,
Et tetigisse altum vicina fronte Bootem.
Romuleæ decus Hunniadæ memorabile gentis,
Quo duce Pannonium pulsauit sidera nomen.
Non vlla pro laude, pater, nullisq́ triumphis,
Plus tibi res Italæ debent, quàm pignore tanto,
Fulmina quòd belli populo rediuiua Latino,
Et tanta euersis peperisti commoda rebus.
Tu nato concede tuo: quantúmque priores
Vicisti, tantum vinci patiaris ab illo.
Non secus AEacidem proles Pellæa Philippum

Fortior, & bello Peleum superauit Achilles.
Sic vinci Anchises nato gaudsus, & AEgeus
Magnanimum læto miratus Thesea vultu.
Atque equidem, nasci Romano semine, multum est,
Mathia armipotens: auctorum fortibus actis
Et genus & famam renouare, & fata suorum:
Scilicet ante alios cursu Neptunius auras
Altius efflat equus, virtusq; immissa propagat
Indole, diffusas cognata in pectora vires.
In te creuit honos rerum successibus auctus,
Et noua maiorum virtus tua nomen obumbrat,
Sola bonis contenta suis, nihil indiga patrum.
Te vario casti venturum carmine vates,
Te cecinit multo quondam pius ore sacerdos,
Quique auium cantus, quique ardua sidera norunt,
Aut qui diuinum spirant sub pectore numen.
Tum cœlum sua signa dedit, Phœbeáque lucem
Natalem prædixit auis, quum decidit æthra
Annulus, in gremium matris delapsus Elysæ.
Ipsa sub vmbrosa, fatorum nescia, quercu
Carpebat placidam seclusa in valle quietem:
Huic puer in somnis, vtero quem languida pleno
Gestabat, subitò fœtæ circum vbera visus
Ludere, & infantis facto velut agmine in ora,
Plurima præcipiti labentia flumina cursu,
Pectore sub magno, dictu mirabile, condi.
Quum subitò gemmam, digitis quæ lapsa, iacenti
Errabat, rostro præpes librauit acuto,
Inq; sinum celsa demisit ab arbore coruus,
Et leuiter molli distinxit lumina penna.
Excidit extemplo somnus: tum læta salutans
Augurium, verbis supplex his Diua precatur:
Corue sacer, longa superis gratissime vita,
Seu tu sponte venis, nostri præsagus honoris,
Seu Pater altitonans cælo te misit ab alto,
Alsis, & tanto fortunes omine natum.
Tu gentilis honor, cognomen nobile nostri
Tu generis, te nostra ferent insignia semper,
Parq; aquilis toto venies victricibus orbe.
At tu Rex superûm, primis cui pugnat ab annis
Hunniades, cui sese vltrò deuouit, & omnem
Progeniem (quando eueniunt sine numine nunquam
Ista) tuo charum felici lumine fœtum
Aspice, & auspicijs insomnia læta secundis:
Vt quot ab innumeris manabant fontibus amnes,
Tot sint regna meo latè parentia nato,
Vndique cæruleis circumdata regna fluentis.
Hæc ait, & tacitis veneratur Numina votis,
Pannonius quo more senex, aut Dalmata sueuit,
Qui desiderio cæli, terráque, marique
Longum iter emensus, tandem peruenit ad arces
Maxima Roma tuas, & flexo poplite supplex
Ardua clauigeri succedit limina Petri.
Ipse pius tremulis titubantia murmura labris,
Integrat ipse preces: & cana fronte peractis,

Concretam

Concretam votis exemit pectore labem:
Non aliter cœlum diuosq́; precatur Elysa.
At pater omnipotens, melioris conditor æui,
Proxima maturi repetens iam tempora partus,
Atque animum castæ precibus commotus Elysæ,
His incorruptam compellans vocibus vltro,
Affatur Mariam: Quanquam facta impia cogunt,
O mater, diro pœnas de sanguine sumam,
Immittámque globos flammarum in viscera terræ,
Et genus humanum deleto semine perdam,
Iam pudet in nostras armari Numina vires,
Quæ superis depulsa polis, damnauimus Orco.
En rursus fera bella cient, rursusq́; Gigantes,
Monstráque de superis audent decernere regnis.
Pars quota terrarum restat mihi, possidet orbem
Turca ferox, Eurúmq́; premit Magmedus & Austrum:
Nec patriam tantùm Solymam, nec Achaica tantùm
Regna, sed Illyricum tenet, Epirúmq́; superbus.
Angusto vix tuta freto Roma inclyta, diuûm
Roma locus, Roma imperij pulcherrima sedes.
Quid memorem infandis tot diruta templa ruinis,
Dedecus in nostrum, versum fasq́; omne, nefasq́;,
Pollutámque fidem, & temeratas cædibus aras?
An frustra ignifera torquemus fulmina dextra,
Miscemusq́; cauis horrenda tonitrua nymbis?
Me tamen Hunniadæ pietas mouet, actáque bello
Fortia, & effusus nostro pro nomine sanguis.
Sed quoniam emeritum iampridem sede locare
Siderea, certum est, & iam nunc filius illi
Nascitur: hunc rebus bellantem imponere fessis,
Hoc sæuos ductore paro compescere Turcas.
Ergo age tu Lucina parens, tu maxima Iuno
Da faciles matri partus, natúmque rubentem
Excipe: quumq́; suo vocem formauerit ore,
Fac Turcas puer ille meas se iuret ad aras
Igne secuturum & ferro, terráque maríque.
Postquam alacres magnis vires firmauerit ausis,
Is premat immanes inuicto milite gentes,
Aureáque Arctois componat secula terris.
Hæc vbi dicta, polus tremuit, tremuere cauernæ
Tellurisq́; cauæ, & sonitum maria alta dedere.
Palluit anguiferis impexus crinibus ora,
Territus atque imo latuit Magmedus auerno:
Ceu latet intonso pauidus sub gramine serpens,
Vicina apparet quotiens Iouis armiger æthra.
Dulcibus is prædam natis rimatur, & acres
Dat penna stridente sonos, super aera raptus:
Ille anceps glacie torpet, latebrasq́; propinquas
Intrat, & optatæ tumulo sese abdit arenæ.
Interea charæ nullo languore parentis,
Continuò in dias ope numinis editus auras,
Ipse puer strictos primis vagitibus enses
Complesti, in patriis repsisti paruulus armis,
Militis exceptus manibus, plausuq́; fauentum,
Othrysium tenero spirabas pectore Martem:

Qualis vbi in cunis genitus Ioue mollibus infans,
Elisit geminos manibus Tirynthius angues.
At tibi nascenti Fortuna innoxia plausit,
Permulsitq́ manu blandum Rhamnusia pectus:
Adfuit AEneadum genitrix formosa Dione,
Gradiuusq́ parens, atq́ vrbis Romulus author:
Exortare, inquit, nostro de sanguine tandem,
Magne nepos, patriæ decus & tutela ruentis.
Quanta tibi placidi fauet indulgentia cæli,
Qualibus AEgoceros radiis, quo lumine Mauors
Prospicit, & quanto rutilus Ioue fulgurat æther?
Ingens AEtnæis stridet fornacibus ensis,
Ingentem Siculi formant thoraca Cyclopes,
En tibi iam rupes Vulcania tota remugit.
Incipe diue puer tenero vibrare lacerto
Tela virûm, iam nunc animos ostendis auitos:
Quippe his Scipiades oculis, hoc paruulus ore
Cæsar erat, sic Coruinus mihi riserat olim.
Aspice, iam nostri quantum stat roboris instar,
Fronte tibi, & patrios effingit imagine vultus:
Qualis erit, quum mœstus Arabs, quum territus Indus
Cernet, adhuc superesse mea de gente nepotem,
Ausit qui domitis totiens iuga ponere Dacis?
Perge modò, non hæc equidem te oracula fallent,
O spes Ausonidum, & Romani nominis hæres.
Dixerat, ipsa fouens gremio Tritonia Pallas
Hastam insertabat dextræ, & Phorcynida læuæ,
Et paruo auratum capiti diadema locabat.
Ter lauro cinxere comam, ter blanda dedere
Oscula, ter læta cecinerunt omina Parcæ.
Vix fari poteras, breuibus quum longa lacertis
Tela dari toruus, patre exultante, petebas:
Assuetus clangore tubæ, atque hinnitibus ipsis
Lætari, & galeæ flammis ardore corusca.
At non armorum sonitum, pugnæve fragorem
Confertæ horrebas, gemitus vocesq́ cadentum
Auribus intrepidis, tormentáque pectore suetus
Audire impauido, quum saxea fulminis instar
It pila, flammiferi sonitusq́ imitatur Olympi.
Non amnis tumidi murmur, spumantiáque vndis
AEquora, non rapidis terrebant flamina ventis.
Sic in Chaoniis generosæ viuidus aruis
Pullus equæ, visoq́ truci venaticus apro,
Indolis ante annos catulus dat signa Molossæ.
Pòst vbi paulatim creuit robustior ætas,
Atque metus expers adoleuit corpore virtus,
Non tergo, sed fronte vago notissimus hosti,
Iam volucres solitus cursu præuertere ceruos,
Flammea vel celeris saltu vestigia damæ,
Teláque nunc arcu, nunc saxa emittere funda,
AErea sulphureis tormenta incendere tædis,
Murorúmque frequens lapsam ingeminare ruinam.
Ac velut Hesperium Pœnus quum presserat orbem
Hannibal, aeriasq́ furens animosa per alpes,
Et Pyrenæos rapiauerat agmina saltus,

O quoties

O quoties ausus vastos vmbone molares
Pellere, centenis quoties occurrere telis,
Intactas super ire niues, fluuiosq́ minaces,
Et tumidum audaci pelagus tranare natatu!
Quum trepidum genitor castris educeret agmen,
Ipse author pugnæ stabas, & terga daturis
Firmabas dubium rerum discrimine pectus.
Quumq́ per insidias à tergo inuaderet hostis,
Et furtim missas tremeret procul Alba phalanges,
Vertebas strictis pauidas mucronibus alas,
Ceu ferus AEneades, premeret dum Neruius arces,
Iulius emicuit, raptáque à milite parma
Restituit fusos media inter signa maniplos.
Et quod defixum est Othomanni regis in ore,
(Vulnere quo turbatæ acies) tua dextera telum
Torserat: auspicio parta est victoria tanto.
Inde chorus diuûm, cælíque exercitus omnis,
Pro te bella manu telis infesta ciebant.
Ipse pater superûm, summo tibi Christus Olympo
Propugnator erat: iam tum pia numina voces
Audiuere tuas, & votis annuit æther.
Ille Pharaonias summersit fluctibus alas,
Ille & legifero Mosæ Deus adfuit, vndas
Disiiciens, mediúmque viam patefecit in æquor.
Nimirum Macedûm populi, atque Alemannia pugnax,
Aduentu tremuere tuo, responsaq́ diuûm
Bosporus, & Scythicis Hypanis procul horruit vndis.
Interea Hunniaden, referentem signa cruentis
Turcarum spoliis, ne quid mortalibus vltrà
Viribus auderet maius, reuocare parabat
Iuppiter, & vacuo terræ decus addere cælo.
Isq́ vbi labentes artus & frigida membra
Sensit, anhelantémque anima fugiente iuuentam,
Sic fatur moriens, dictisq́ ita pectora firmat:
Nate mihi vita semper iucundior ipsa,
Flos regum, nate Ausonidum luménque future,
Accipe, & hæc memori præcepta in pectore fige.
Nam te qui supra est annis, & vertice toto,
Fratrem, fata mihi comitem dant mortis acerbæ:
Iam propior mors atra ruit. quid lactea colla,
Quid flauos calido consperso sanguine crines
Commemorem? Heu tenero sanguis meus occidis æuo,
Proiicis & truncum ferro, ceu victima, corpus,
O dolor, ô lachrymæ, dulcis Ladelae, tuorum?
Tu, cui felices ostendunt numina cursus,
Qui patriam, noménque feres ad sidera nostrum,
Vtere sorte tua, nec fœdi carceris horror
Terreat, aut duri imperium crudele tyranni:
Inueniet fortuna viam, victórque redibis,
Quadriiugo insignis subiecta per oppida curru.
Quum te Pannoniæ regem te Mysia & altæ,
Noricus Illyricis mundus venerabitur oris,
Successuq́ ferens sese lætabitur omnis
Armipotens Europa tuo, & caput efferet astris.
Amplum nate tibi regnum, famámque relinquo,

Duratum castris Hunnum, assuetumq́ periclis,
Qui nulli inferior genti pietate vel armis,
Quíque tuis nunquam desit conatibus audax.
Aude omnes tentare vias hoc milite, & omnes
His belli contemne minas puer inclyte dextris.
Debellanda manu variarum horrenda ferarum
Monstra tibi, & multæ diuersis finibus vrbes:
Augendum bello decus, & sudore paranda
Gloria. nam magnos fortunant Fata labores.
Ergo nec somno indecori, nec tempora segni
Perde situ, & patrem duris imitare sub armis.
Incumbent alij Sarrano molliùs ostro,
Argutas tenui ducent de gutture voces,
Pulsabunt citharam melius, saltúque choreas
Intexent agili, & conuiuia lauta parabunt:
Tu bellare frequens, & vincere nate memento:
Hoc tibi erit studium, regnique extendere fines,
Exercere fidem, & contingere sidera factis.
Ingredere, & tantos iam nunc ordire labores,
Iam noua pertentant moribundum gaudia pectus.
Hæc memorans dulci genitor dedit oscula nato,
Et simul astrigeris conscendit in æthera bigis:
AElius vt Solyma vates leuis excitus aura,
Egit sidereo candentes igne quadrigas.
Obstupuit medijs agitantem in nubibus axem,
Sublatumq́ polo nequicquam exclamat Elyse:
Quò ruis, & dulcem linquis crudelis amicum?
Sic pater Hunniades cœlo sese intulit alto,
Tum diua immenso regnum paritura labore
Matthia Fortuna suo, fratrem impulit acrem,
Vlcisci patrium ferro decus, hoste perempto.
Ipsius ante oculos Agelai regis, & ora,
Ense virum necat indomitum, patríque parentat
Audax Hunniadæ natus, nec iura, nec arma,
Regalémve manum veritus, fascésve tremendos,
Sumeret vt meritas hostili à sanguine pœnas.
At rex Pannoniæ tremuit Germanus in aula,
Insontemq́ dolis iuuenem, & nil tale verentem
Occupat, ac multo fœdatum vulnere sæuus
Imperat intonsa caput à ceruice reuelli.
Heu pietas! hæret vinctis post terga lacertis
Infelix puer, & crudelia fata moratur,
Terq́ quaterq́ ferus nequicquam fortia lictor
Colla ferit, crebrisq́ addit super ictibus ictus,
Purpureo niueos humeros dum cæsa cruore
Infecit ceruix, & pulchros abluit artus.
Non lachrymas pueri, non plebs, patriúsve senatus
Continuit, tristesq́ necem fleuere cateruæ,
Turpauit senior squalentes puluere canos
Danubius, gemuere alto sub gurgite Nymphæ,
Et Riphæa iuga, & Boreæ glacie obsita tellus.
Sed non ille diu casu lætatus acerbo est:
Dum noua regifico celebrat connubia luxu,
Interit inter vina miser libata, dapesq́,
Lætáque lugubri turbat conuiuia planctu.

Nil

Nil adeò certi miseris mortalibus vsquam est.
Tu, velut alterna Pollucis morte redemtus
Castor, Amyclæum stellis ostendit honorem,
Et certam nautis tranquilla luce salutem:
Talis ades regno euerso, patriæq; ruenti.
Quum primùm lapsas miles tibi victor habenas,
Et regni vaga frena dedit, ceruicibus ipsis
In solium regale ferens, fractisq; catenis,
Tradidit Arctoæ latè moderamina gentis:
Principiò infensas acies, populósque rebelles,
Impia non grati periuria militis vltus,
Sub iuga depresso misisti regia collo.
Nec dum etiam primo vestibat flore nitentes
Barba genas, quum læta tuos Victoria currus
Circumiit, & viridesf ubstrauit Gloria lauros.
Prima triumphales fronti concessit honores
Seditio pacata tuæ, prima impulit armis
Discordes latè gentes frenare seueris.
Nec mora, Sidonio longè spectabilis ostro
Sacra facis, sacrásque Deum veneraris ad aras:
Vocalem veluti fama est Dauida tonantem
Placauisse Deum, teneri fundamina regni
Dum iacit, & puram sacris fert curribus arcam.
Macte animis, & chare tuis cœlestibus Heros,
Qui sancta imperij pietate exordia firmas.
Non vires, non arma magis, legúmve potestas,
Relligione valent: mundum terrore subactum
Hæc regit, hæc sæuas moderatur numine gentes.
Protinus hostilem ductor capis acer Iasam;
Inuictúmque doces vinci certamine Turcam.
Ac prius indomitum fugientia vertere cogis
Terga ducem: nec te belli vis vlla, nec vllus
Impetus auertit dura obsidione prementem
Mœnia, disiectis donec patefacta ruinis
Intrasti curru victor sublimis ouanti,
Et magnam infandis rapuisti ex hostibus vrbem.
Sed dum persequeris victricia præmia pugnæ,
Vltorésq; trahis iurata ad prælia diuos,
Dira superstitio patrias inuaserat vrbes:
Hussius huic auctor quondam, nec templa, nec aras
Erexit superis: & quæ constructa manebant,
Diruit impius, infelix: ac peste cruenta
Tristia periuræ maculauit mœnia Pragæ,
Multáque de superis demens infanda canebat:
Hinc ortæ monstris facies, bacchatáque passim
Prodigia, Herculeis non contemnenda lacertis;
Tisiphones atræ stimulis accensa fremebant.
Nec contenta suis iampridem finibus ingens
Bellua, Pannonias spiris inuoluerat ambas:
Mille manus illi fuerant, & cornua mille,
Et totidem intortis armabat colla colubris.
Quum procul obsessas regni circumspicis arces
Tartareæ labis tabo, sic protinus orsus:
Quid Thracum sequar indomitas, Arabumq; phalanges,
Quos terra, & vastis dirimit mare fluctibus altum?

Monstra domi vincenda mihi maiora supersunt,
Intestina mei populatur viscera regni
Sacra lues, propiusq; sedens in limine labes.
Indigetes diui, patriæ tutamina nostræ,
Et tu sanctorum columen, Stephane inclyte, regum:
Si me cana fides, pietasq; illæsa ciere
Bella iubet, mediis artus opponere telis,
Nunc precor, ô Superi, sinite hac me sternere dextra
Prodigium, diróque manus fœdare cruore,
Nunc sinite his terris sceleratam auertere pestem.
His dictis, monstrum patria vi perdere adorsus,
Non claua accinctus, non in certamina pelle
Venisti: rigido pugnatum est vndique ferro,
Vndiq; commissæ cumulatos stragis aceruos
Cernere erat. Tepidas Oderæ cruor inficit vndas,
Inuoluitq; ruens labentia corpora vertex.
Pars flammis ambusta sonat, piceóque crematur
Igne lues, nigris lucent incendia bustis,
Et sparsos rapiunt cineres in nubibus Euri.
Ergo victa tuis portenta Boemica telis,
Tempora victrici flauentia fronde coronant,
Præceduntq; duces onerati colla catenis,
Atque sacerdotes cœtu comitantur honoro
Florentes visentem vrbes, & vota sacrantem.
Aurea cæsaries humeris volitabat eburnis,
Lætáque purpurea flagrabant ora iuuenta.
Qualis vbi auricomos eduxit Lucifer ignes,
Vere nouo roseus rutilo Sol enitet astro:
Sic formæ splendore nites, clarisq; verendæ
Virtutis bellíque notis, ô nobile Martis
Numen adoratum, ô terra decus omnibus ingens,
Iura manu pacémque geris, viridesq; triumphos,
Et scelerum vltores educis in agmina diuos.
Imperium tibi grande comes, tibi regna, laborq;
Clarus, & insignis generoso vulnere mortis:
Bello iura Getis, bello data iura Britannis.
Parta quies populis, & vita gloria maior.
Adde tot erectas vrbes, positosq; colonos,
Tot pacata fero latè loca vasta latrone,
AEquoráque inuectas quondam per inhospita merces.
An memorem iunctas diuerso à littore gentes,
An notas rerum causas, sedesq; locorum,
Et mores hominum, & variæ commercia linguæ?
Hoc cœlum Alciden, victóque Oriente Lyæum
Extulit, hoc Persas, Pœnos, Gallumq; potentem,
Romanosq; tuos: & te fortissime Princeps,
Qui nunc extremis Europæ victor in oris,
Immanem auertis Tyrrhenis vrbibus hostem.
Salue certa salus rerum pater inclyte Mauors,
Certa virûm: tibi nunc æternæ laudis honorem,
Inuictúmque cano Romano carmine regem.
Quòd si nascentis vix dum Cortesia Musæ
Orsa iuuent, dicíque meo dignabere versu
Matthia, incipiam rursum, & primordia laudum
Exequar, exemptus vulgo, doctasq; per aures

Ipse vi-

Ipse virûm longos viuax volitabis in annos.
Nox cœlum interea nigris inuoluerat alis,
Et placido miles laxabat corpora somno,
Stratáque per terras animalia fessa iacebant:
Rex vigiles animo curas, casusq; futuros,
Et rerum ingentem voluebat pectore molem:
Extemplo Latiis iuuenis cui fulgidus armis
Visus adesse procul, Martémque accendere dictis:
Chare nepos, potes hoc tardare ingentia cursu
Fatáque, Fortunámque, tibi quæ tradita custos?
Imperio superûm, magnis accingere rebus:
Pugnandum meliore Deo. seruandáque rursum
Roma tibi, & generi rursum data gloria nostro.
Aspice me, tanti qui sum cognominis auctor,
Cui quondam galea coruus consedit in ista,
(Coruigerúmque altè quatiens caput) eia age segnem
Rumpe moram, & tantis sanguis meus vtere fatis.
Hæc fatus, cristis fulgentibus exuit arma,
Teláque terribilem nodis ac viribus hastam,
Insignémque ensem, atque iterum sic ore profatur:
Accipe digna tuis tandem virtutibus arma,
Quæ tibi tam multos olim seruata per annos,
Hæc Cytherea suo quondam dedit aurea noto:
Hæc soliti gestare patres, his fortiter vsi,
Dum stetit imperium: sed postquam à culmine lapsa
Roma ruit, passimq; omnem distracta per orbem est,
Occului mecum Elysijs arma inclyta campis.
At modo Sicanijs iterum Vulcanus in antris
Firmauit, crassumq; oris superaddidit aurum.
Hæc tibi do, generis lux ô clarissima nostri:
Ne dubites acres in prælia poscere Turcas:
Indue, & Ausoniam factis fer ad æthera famam.
Talia narrabat, croceo quum flaua serenum
Ore ferens Aurora diem, pulsabat Olympum:
Sensit, & ambrosio respersum rore nepotem
Deserit, & cæcæ nocti se immiscuit Heros.
Matthias monitis & tanto munere lætus,
Singula miratur rutilis radiantia flammis,
Et galeam & clypei longè venerabile textum.
Nunc illustre caput vestit, nunc brachia, latos
Nunc humeros, aptatq; aliis accommoda membris,
Et solito magis armorum fremit excitus œstro:
Qualis vbi Hetruscis Volaterra in finibus vrbis,
Ætnæo par flamma iugo, de rupe cauata
Exilit, aspirant Boreas si fortè, Notusq;:
Sulphureos tum terra vomens eructat aceruos
Acrius, ignescuntq; magis per nubila flammæ:
Sibilaq; ingeminant latrantibus effera saxis.
Ex illo assiduis vitam traducere castris
Matthia, & duris statuisti incumbere rebus,
Arma cibos, dant arma thoros, placidúmq; soporem
Instratus clypeo, nudóque in cespite carpis.
Contemptámne sitim referam, somnúmque, famémq;,
Concretas sudore comas, spretósque calores,
Ac rapidos longis superatos solibus æstus,

Frigoráque Arctois deuicta rigentia brumis?
Mollities alios, turpíque ignauia luxu
Lenta iuuet, tenerisq́; quies ingloria plumis:
At te artes tractare iuuat Mauortis. anhelum
Quis melius te frenat equum, quis flectit in orbes
Ocyus? His stimulis agitari mallet Arion,
Te sessore ferox pensaret Cyllarus acrem
Castora, pensaret te Persea Pegasus ales.
Quem Bellona magis rutila tegit horrida parma?
AEgide quem tantum Pallas fulgente tuetur?
Cuíve suum toties Gradiuus commodat ensem?
Quis dura inuictæ dextra quatit acrius hastæ
Robora? cui pectus thorax animosius ambit?
AEneas non maior erat, non diuus Achilles,
Ambo animis alacres, armis cœlestibus ambo.
Quis vaga castra locat te cautius, opprimit hostem
Durius, aut cingit melius munimine vallum,
Aut premit obsessas bello constantius vrbes?
Quis patrio latos de more agitare per agros,
Ponere quis iunctos sciat aptius ordine currus?
Scis tormenta hosti venturo aduersa locare,
Et loca fluminibus vicina & pinguibus aruis
Deligere, & duplicem castris deducere fossam.
In quamcunq; libet faciem componere pugnæ
Agmina, siue tua placeat, seu lege priorum,
Omnia militiæ calles documenta seueræ:
Quin genus armorum varium, & quo quisq; superbit
Ense minax, qua vi telum, qua torqueat hastam,
Pectoraq́; & latos quo tegmine muniat armos.
Callida Sertori, & regis mens vafra Molossi
Talis erat, virtúsve senis matura Camilli.
An tu Cantabricis Cimbrorum septa maniplis
Castra perhorrescas: aut iuncto Gotthus Alano,
Aut coniurato si Vandalus aspera Pœno
Bella tibi moueant? An quisquam eludere tectis
Lætetur te posse dolis, telisq́; fugare?
Firmior vndisonis scopulis, quos impete frangunt
Auster, & insanis nequicquam fluctibus æquor,
Obsistit bellis animus, casusq́; futuros
Præsaga cum mente videt, vis corporis acres
Strenua belligera sternit virtute cohortes.
Ac velut obscura densus caligine nimbus,
Qui varias atra concepit nube procellas,
Post ignes rutilos, & crebra tonitrua, præceps
In syluam per inane ruit, magnóque fragore
Frondiferas auium sedes, atque alta volucrum
Culmina, perpetuum geminans quatit ictibus imbrem,
Et rapido tonsos prosternit turbine ramos.
Nulla equidem raræ monumenta ingentia pugnæ
Egregia te clade latent. Marathonia nosti
Bella, Saguntinasq́; faces, Cannasq́; Padúmque,
Et quanto Leucas, quanto Cathalanica tellus,
AEmathij quoties rubuerunt sanguine campi.
Ergo rudimenta, & corruptæ munera firmas
Militiæ, vt bello teneris assuescat ab annis,

Vt sese ad varium fingat certaminis vsum,
Et parere ducum dicto matura iuuentus
Discat, & iniussa fugiat discrimina pugna:
Iussa eadem infestis hosti concurrere telis,
Ardeat ire ferox, curuo seu tendere gyro,
Aut sit opus recto aut firmo decernere gressu,
Siue vrgere procul iaculis, seu comminus ense.
Ire, ducemque sequi legio per vulnera discat,
Siue pedes, siue asper equo procedit anhelo,
Tentarit seu valle viam, siue ardua montis
Per iuga, seu cæcis syluarum anfractibus erret:
Annosum veluti ceruí ramosa ferentem
Cornua, Strymoniaeque grues super atra sequuntur
Nubila ductorem, & certo proculordine cingunt.
Tum verò assensu felix exercitus altè
Conclamant vario: Dubia iam nulla timemus
Fortuna te rege mala, & te extrema iubente
AEthiopum facilè impauidi penetrabimus arua.
Tecum fluctisonis capita obiectare periclis
Non pigeat, tecum diris obsistere monstris,
Et proprios piceis artus opponere flammis,
Aut quà lethiferas muralis machina glandes
Spargit, & excussis creber sonat aere telis
Scorpius, innumeraque volant per spicula mortes.
Talia magnanimo fundebant pectore dicta:
Et quocunque ruas, penitùs te quisque ruentem,
Prodigus in strictos anima comitabitur enses.
Vt tener insuetas iuuenis cui pectore flammas
Ignis alit, charáque animis in virgine fixis,
Ille mare in medium, medios ille ibit in ignes
Intrepidus, quum iusit Amor, quumque impulit æstus:
Proijciet dulcem per mille pericula vitam,
Optabitque sua dominæ placuisse ruina.
Et quoniam solers vires industria firmat,
Horrida continuis exerces corpora bellis.
Si quando siluere tubæ, vallóque refixo
Agmina sedatis iam captant ocia rebus,
Venatum interea studiis flagrantibus itur:
Tum miles positis vibrat venabula pilis,
Tum nemorum canibus saltus, atque auia lustra
Circuit & vastis figit pecora abdita syluis,
Indicitque feris alio certamine bellum.
Mœnia seu vacuus, pacatis vrbibus, intrat,
Multáque belligeris edit spectacula ludis,
Aut ferit ense virum vir cominus, aut petit hasta
Eminus: armorum conflictu persona æther,
Vicinæque procul sylua, montesque reclamant.
Qualiter indomiti longis per compita tauri
Quos trahit implicitos laqueis Romana iuuentus,
Agmine cum toto Capitoli in vertice pugnant,
Si iuuenem curuis elatum cornibus altè
Excutiunt, ac more pilæ super æthera iactant,
Tum verò arrectis animis AEneia pubes
Incessunt, magnisque implent clamoribus vrbem,
Tum vaga per septem responsant murmura montes.

Præterea valido franguntur robora nixu,
Ictibus & sonipes tantis collisus vtrinque
Ingemuit, fusis equites labuntur habenis,
Semineces rubróque lauant fora lata cruore.
Facta virûm trepidæ mirantur fortia turbæ,
Pectoráque inuadit pauor, & miserabile murmur.
Martia ceu magnis vrbs quondam effusa theatris
In ferrum audaces vidit concurrere turmas,
Auertit largo mæstos à sanguine vultus,
Plurimáque exanimi matrona expalluit ore.
Quisque sibi dubijs hinc te fortissimus optat
Rebus habere ducem, tecum maioráque bello
Audet, & in pugnam violentiùs ardet Erinnys,
Et magis horrendo duce te Mars intonat ore.
Nam quid lecta canam generosæ robora pubis?
Quisquis Parrhasia fama celebratur ab Arcto,
Te colit: & multo compulsus nomine, gaudet
In partes transire tuas, tuáque arma fouere.
Haud equidem desunt, magna qui Stentora voce,
Qui cursu Aiacem, qui viribus Hectora vincant:
Non vnus tibi Tydides, non vnus Vlysses
Militat: Heroas post hæc veneranda vetustas
Parciùs, Heroúmque duces extollat Atrides.
Non his Matthia modò formidabilis armis,
Militibusq; venis: nec te solertia tantùm
Victorem, aut duris facit experientia rebus.
Sed quòd prisca fides, pietasq;, Astræáq; virgo
In pugnas te læsa ciet, quis iustius arma
Induit, aut pacis studio mage bella capessit?
Causa, Deo præsente, ipso stat in agmine victrix,
Vna tibi quando ante alios defenditur omnes
Relligio, sequitúrque ducem felicibus ausis,
Conatus comitata tuos: ipsa vnica bellis,
Vrbibus, ipsa tibi præses, tecum ipsa volentes,
Signiferósq; in bella trahit memoranda Penates.
Quippe aliquis superûm turmas circumuolat ordo,
Arma inter: fiunt ignes, flagrantia fiunt
Fulmina, grandiferis ventíque imbrésq; procellis.
Ergo numinibus fidens, & nobile vasto
Munitus patriæ virtutis robore pectus,
Cuncta tuis veluti subsidant viribus arma,
Nulla oblata feri detrectas prælia Martis,
Et nullum pugnæ vitas genus acer iniquæ,
Occurrisq; hosti, vel inundent milite montes,
Obuia vel densis peditum seges horreat hastis.
Ecce autem à Stygio Furiarum prima barathro
Bella ferens, flammasq;, Asiam bacchata per omnem,
Threicium iuxta demissis Bosporon alis
Constitit: vrbs magnis vbi curuo in littore fatis
Spartano fundata duci sese erigit: illic
Gens effrena, fero quondam cognata Gelono,
Massagetæ, Turcæq; horrendo Marte fremebant.
Impius, & Graio perfusus sanguine pectus,
Arcem instaurabat domita iam victor in vrbe
Magmedus, quem successu Fortuna secundo

Cœperat ignauo captum corrumpere luxu.
Hic iuuenem tristi virgo Cocytica vultu,
Patris Amurathæ in faciem mutata labantem
Increpat, & sæuas dictis ita suscitat iras:
Ergóne, quem neque bella valent, neque nate labores,
Inuictum superare, quies atque otia frangent?
Non ita te cædes inter, pugnasq́ cruentas
Erudij attritus galea pater. eripe paci
Te nate, & bellis immanibus insere bella.
An tibi bellorum precium sit vile, Corinthus,
Tunditur Euboico quæq́ inclyta marmore Chalcis,
Scodráque Dalmatiæ pudor? En procul aspice, in armis
AEmulus AEneadum quantus tibi sanguine surgat
Matthias: huius fatis contrária nostris
Fata vides, sæuo iuuenem prius opprime ferro,
Pannoniam patrio quàm firmet robore gentem.
Solus hic infirmo poterit, ni sternis, ab æuo
Fortunæ promissa tuæ rescindere fata,
Illius auspiciis fusum te vidit, & armis:
Taurinum vidit, cuius stat fronte cicatrix
Vulnus, an hoc vnquam vulnus patieris inultum?
Quid, pater Hunniades quantis me affecerit olim
Cladibus, & diræ memorem discrimina mortis?
Diripe iam factis lacerum crudelibus hostem,
Teq́ simul patrémque tuis vlciscere bellis,
Et satura infenso Maiorum sanguine manes,
Tantarum si te vlla mouent præconia laudum.
Dixit, & ardentes oculos suffusa cruore,
Tænarias imo fixit dea pectore flammas,
Et scelus, & geminos per viscera concutit angues.
Dein pennis inuicta atris, super agmina belli
Eumenis inferno signum canit improba cornu,
Et victrix Erebi subitò se reddidit vmbris.
Illi atrox mediis rabies insueta medullis
Sæuit & insano Stygius furor æstuat igni,
AEgráque lethiferum sudant præcordia virus.
Tum verò laxis præceps Othomannus habenis,
AEolus vt cæcis ventos emittit ab antris,
Agmina per terras effundit, & omnia latè
Arua ferox animis numeroso milite complet.
Ac velut obscœnis Maurusia terra locustis
Quum tegitur, nigróque alarum obducitur imbri,
Vná agros glomerata omnes tot millia vastant,
Et lætas densá populantur grandine messes:
Sic in Dalmatico consedit littore Turca.
Haud ego crediderim iuuenum tam multa sequuta
Millia Cambysen, Lagæa in regna furentem:
Aut Xerxem, AEgæo minitantem verbera Ponto.
Hæc inter, Scythica rex implacabilis ira
Talibus incendit ductoris pectora Lydi,
Illum propter Halym Boccho concepit Amazon,
Mixta Deo, mixtúmque illi dedit Ombrima nómen.
Magnanime, antiquum diuûm genus, inclyte bello,
Ante alios Halybocche, meis fidißime regnis,
Dum me Dalmatico nequicquam Scodra tumultu

Infelix tenet, i, sæuis tu Pannonas armis,
Coruinúmque impelle ducem: licet ille superbos
Iactet auos, patriuq́; insultet viribus hostis,
Tu iuga Danubio, Breucisq́; impone subactis.
Noui ego, quos animos ingenti pectore verses,
Turcarum decus, imperij spes maxima nostri:
I celer, & spoliis redeas ornatus opimis.
Extemplo Illyricu ductor se Lydius oris
Intulit, aut Euro, Icariis quum pugnat in vndis,
Aut Coro similis, magno quum murmure frangit
Herculeam Calpen, serpentiferúmve Atlanta:
Non illum aerij montes, non alta re: ardant
Flumina, concedit Macedo, Mysusq́; Triballusq́;
Impiger, & Turco calcantur milite Carni.
Verùm vbi collatis acies Coruina furenti
Obuia processit signis, atque agmina contra
Matthias Tyrio emicuit Romanus in ostro:
Tum primùm trepidare animis, atque auertere vultu
Ductor Amazonius, cœpitq́; indigna suorum
Fata queri. Bisq́; infaustis assultibus amens,
Vix celeri peruectus equo, sese agmine fuso
Proripuit, bis terga fugæ dedit obrutus hastis.
Vt se relliquias inter collegit, & omnes
Palantes trepidus toto videt æquore turmas,
Multa gemens, cœlúmque obtestans, vocibus infit:
Quis Deus his Magmede pater, quæ tanta tuetur
Matthiam superùm facies, quid nostra relinquis
Signa, quid in primo mentem certamine turbas?
Non hæc auspiciis olim sperare iubebas.
Heu heu, quot periere viri, quot clara meorum
Lumina sunt extincta ducum: da dedecus istud
Vlcisci pater, & dignas me sumere pœnas.
Hæc fatus, toto vires parat acer ab orbe,
Et maiore virûm vi percitus, emicat ardens.
Ac veluti primi victus certamine cursus
Acer equus, rursum cura firmatus herili,
Carpit iter, mediisq́; effert sese arduus aruis,
Et palmam, & raptos in cassum exposcit honores:
Talis se bello Mæandrius intulit heros.
Quò vesane ruis fatis malè fretus auitis?
Matthia sternente cades, nec mater Amazon,
Corniger aut genitor morientem iuuerit Euan.
Interea magno celsam munierat arcem
Aggere Taurinum contra, curuamq́; bicornis
Ille Saui muris ripam firmauerat altis.
Non his audacem passus consistere Turcam
Finibus, obsessas admoto milite turres
Vi capis, & captas radicibus eruis imis.
Nec te Matthia belli vis vlla, nec vllus
Impetus auertit dura obsidione prementem,
Mœnia detectis donec patefacta ruinis
Intrasti, curru victor sublimis ouanti,
Et validam infandis rapuisti ex hostibus arcem.
Tum verò obnixis animis Basterna iuuentus,
Ante arcem toto concurrunt agmine versam:

Terq́;

Terq; quaterq; duces ineunt mala prælia Turci,
Effusiq; pedem retrò impellente dedere
Pannone: tum disiectæ acies, resoluta phalangis
Et tristi compago ruit per vulnera casu.
Inclinat turbata cohors, vndantiáque vrget
Agmina, per medios volitans rex Hunnicus hostes,
Agminis ipse instar totius, millia letho
Multa dat, & vastam diuersa strage ruinam.
Quæ postquam extremo prospexit ab agmine ductor
Lydius, & versis nescit succurrere rebus,
In cuneum coiere duces, nec iam amplius vlla
Cura fugæ est, fœda squallent arua omnia clade.
Tum demum iubet ira, truci decernere ferro,
Et decus, & chara mortis pro laude cupido.
Euolat infelix, cœlum diuosq; precatus:
Bacche pater, mundi quondam regnator Eoi,
Quisquis es, & cœli quacunque in parte moraris,
Extremam, si me genuisti, hanc accipe vocem.
Non ego iam vlterius genitor, non vlla reposco
Effugia, haud superesse velim tot cædibus vnus
Testis, & in patriam gentem pudor ipse reuerti.
Iamq; vale, túque ipse tibi cape funere tanto
Deuotum hoc Magmede caput: iuuat ire per enses,
Degenerem nec me vlla olim damnauerit ætas.
Hæc memorans, densum properat moriturus in agmen,
Interea nigro quantos demittis Auerno
Ille viros? quot calcat equo? quot traijcit hasta?
Quis mihi, dux inuicte, tuæ nunc fortia dextræ
Facta canat? Stupuit mediis rex Martius aruis
Prælia miscentem, & geminantem vulnera ferro.
Tunc inter gemitus magno sic ore minatur:
Quò te dira lues, verique ignara tonantis
Religio, miserum quò te rapit improbe, lethum
Quin potius fugis? atq; equidem iam septima promptum
Te potuit fecisse fuga: aut si tanta cupido est
Morte tuos maiore sequi, sequere, inquit, & ensem
Fulmineum assurgens adigit per pectora dextra.
At iuuenis tanti prostratus mole lacerti,
Thermoodontiaco respersit sanguine terram,
Lapsus equo, dulcémque animam vomit ore cruento.
Infelix, seu æterna manent incendia sontem,
Seu diræ exercent in te tormenta sorores,
Lætior hac Stygias dextra fugis ictus ad vmbras.
Hic oritur cædes, faciesq; miserrima pugnæ,
Arua rubent alto latè stagnata cruore,
Plenáque sanguineis crescunt torrentia riuis,
Et loca corporibus complentur tristia truncis:
Vt quum Phlegræis genitor Saturnius aruis
Terrigenas contra fratres stetit, atque flagranti
Corripuit telo Enceladum, simul ad Styga trusit
Centimanum Briareum, simul anguipedem Typhona.
Bis septem vacuo Turcarum millia campo,
Alitibusq; ferisq; iacent data pabula diris.
Vt procul, heu, tantum congesta strage cadauer,
Sæuáque magnanimus vidit spectacula Princeps,

Vtq; aruo stetit in medio: Sat chara supérque
Sæuitum est, clamat, legio, iam parcite victis.
Si quisquam cladi superest, sinite ille supersit
Nuncius, & Scythico referat mea facta tyranno.
Tum genibus terram amplectens: Tibi maxime vota
Christe deûm toto soluam non immemor æuo:
Tu puerum regno insignem, clarisq; triumphis
Auxisti: Fortuna mihi te præside læta est:
Successu interea tali da sancte superbos
Excutere Ausoniis longè ceruicibus hostes.
Hæc ait, & magna responsant voce cohortes.
Vt primùm tantæ cladis per nubila raptus
Peruenit pauidas Othomanni rumor ad aures,
Ac velut instaret tergo, & iam castra teneret
Pannon, ab Illyrico properans iactantior Istro:
O nimium Turcis Matthia nate ruinis,
Exclamat, quanta fraudas mea nomina laude?
Tum secum illachrymans, Scodram obsidione repentè
Liberat, & Graiis subitò se reddidit oris:
Qualis Hyperboreum penna crepitante columba
Accipitrem fugit, & præceps in tecta reuertit.
Quod nisi ciuilis reuocassent fata tumultus,
Nunc tota imperio pareret Mysia nostro,
Sub iuga Turca ferox nec tot gauderet adacta,
Vrbibus insultans miseris, nec strage cruenta
Tam multis vacuas viduasset regibus oras.
Scit Carnutus ager Turcam, scit Mysia tota,
Quum premeres, quanto torquebas turbine telum,
Fatifero cædens disiectas ense cateruas,
Ceu secat incuruus flauentes messor aristas.
Talem belligera miscentem prælia mala,
Crinibus & vastis fretum Samsona lacertis,
Sæpe Palæstinas fama est mactasse phalanges.
Ipse ruens rapido per strata cadauera cursu,
Cæsorum informes cumulis addebat aceruos,
Pulsabátque acies mala stridente coruscas:
Quot natos fleuere patres, & dulcia matres
Pignora? quot viduæ raptos in bella maritos?
Quid modo, quàm cautè nosti ductare cateruas,
Commemorem, aut pugnæ quæ captas tempora, quáve
Componis cuneos, quáve instruis arte maniplos,
Seu densas campo explicuit, seu totus aperto
Ordinibus longis sectas exercitus alas?
Vt solet accliuem per collem ponere vites
Agricola innumeras, tum recto limite passim
Mille vias, & mille vias secat omnis in vnguem
Structus ager sudibus, cannisq; palustribus horret.
Hinc fregisse mora nemo est te promptior hostem,
Fortiter & duri tolerare incommoda Martis.
Insomnis celsa qualis de puppe magister,
Velivoli fluctus pelagi qui nouerit omnes,
Quà lateat rupes, vbi ferueat æstus arenis,
Vnde ruant imbres, ventorum vnde ingruat agmen,
Surda prius taciti scrutatur murmura Ponti,
Æoliamq; auras captando prouidet iram,

Armat

Armat &, ad quæcunque parentur prælia, sese.
Sæpe nemus, fluuiúmque, & inexuperabile dorsum,
Humano quà pressa pede vestigia non sunt,
Ense viam faciente subis: properandáque suetus
Maturare, hostem securo in limine segnem,
Antè expectatum vicino Marte lacessis.
Ergo vagus toto peragrat quem Sarmata tractu,
Quem Geta, quémque Aquilo glacialibus obruit alis,
Vt procul insonuit Coruini nuncia latè
Fama ducis, linquunt tauros & aratra coloni,
Auíáque auersi sese in deserta relegant
Pastores, errant incustodita per agros
Armenta, at curuis trahitur casa pendula plaustris,
Diíque Lares, frugésque focusq́, & parua supellex.
Sæpe puer charæ nutricis ab vbere pendens,
Continuit querulos audito nomine fletus.
Quinetiam subito partum clangore tubarum
Territa, abortiuum rupta nurus edidit aluo.
At non & celeres raptantem in prælia turmas
Territa deseruit charum Regina maritum:
Italidum Regina decus, cui luce micantes
Sidereæ flagrant oculi, vt quum dulce decoris
Extulit os formosa genis, velut æthere puro
Rosida puniceis oriens Aurora quadrigis.
Non satis est castæ mores, studiúmque Mineruæ,
Non satis ambrosios Veneri rapuisse capillos,
Et plenas puero pharetras & lumina Phœbo,
Musarum fruitur donis, decimumq́ sedile
Implet, Amazonios audax æquare labores,
Et comes armatos it tecum fida per hostes.
Qualis per densas acies Mithridatica coniux,
Magnanimum sequitúrque virum, tergóque recepta
Acris equi, tenditq́ arcus, & spicula vibrat,
Atque huc atque illuc circumuolat omnia, solum
Respiciens, solóque oculos in coniuge fixa,
Et secura sui, charo timet illa marito.
Haud aliter generisq́ memor, laudúmque priorum,
Millibus in mediis ardens pharetrata Beatrix,
Robur Aragonium tenero sub pectore versat,
Ingentesq́ subit curas, ingentia facta
Fœmina, fœmineis maioráque viribus audet.
Talibus excitus patriis non degener armis,
Vndique collecto tota iam milite victor
Regni mole, paras crudelem expellere Turcam,
Thraciáque Ausoniis auertere tela vocatis.
At te finitimis bellatrix Austria regnis
Impulit inuitum sæuis accingier armis,
Atque alio vires, alio conuertere ferrum.
Quid mea plus æquo, clamasti, vota moraris?
Quàm malè consultum rebus Fortuna secundis,
Quid me sæua tenes? Ineat, dic, fœdera Cæsar,
Qua ratione velit, dum patria iura supersint:
Quæq́ tot ingenti bellis ditione paraui,
Tuta domi sint regna mihi. Iam nulla recusem
Prælia, nulla necis fatique horrenda pericla.

Ibo per Ambracios saltus, & Pontica scindam
Æquora, & Argolica committam signa sub Isthmo.
Prosternensq́; truces Dacos & Iazygas armis,
Mœnia tormentis quatiam Byzantia nostris.
Nulla mora est, gelido tremuit conterrita vultu
Quam gestas Fortuna sinu: nihil hiscere contrà
Ausa, tuam geminis ceruicem amplectitur vlnis,
Occultumq́; animis pugnandi inspirat amorem,
Atque nouum molitur opus, noua bella ministrat.
Heu, quantum infelix lachrymarum, atq; Austria quantum
Sanguinis effundes, quid bellum insana lacessis?
Num te desidiæ tædet, vitæq́; prioris,
Otia degeneri fugis illaudata veterno?
Quo duce si mentem bellorum gloria tangit,
Tu melius toto fieri potes inclyta mundo.
Quàm fuerat satius, victorem admittere regem
Mœnibus, & nullos contrà tolerare labores!
Ecce triumphata iam nunc ceruice recumbis,
Et piget ingratis tantùm durasse periclis.
Scilicet illa tuis Matthia obsistere demens
Viribus optabat, quem non compage niuali
Caucase rupes, Rhodopæaq́; saxa ruentem
Sustineant, cui terra patet, cui panditur æther,
Cui via per medios aperitur in æquore fluctus.
Pone modum lachrymis, nec solùm Roma Quirites,
Marcellos iacta, & Fabios, & nomina prisca:
Coruinos, Mariosq́; refert en magnus auitos
Matthias virtute duces, & fortibus ingens
Patricios æquat factis bellator honores.
Nam velut exarsit rapta pro coniuge in iras
Taurus, vbi & duris acuit sua cornua saxis,
Et pedibus iam spargit humum, iamq́; ora cruentus,
Terrifico terram mugitu & sidera complet:
Talis finitimos bellum molitur in hostes
Matthias: quáque arma trahit, quáque agmina ducit,
Omnia debilitata labant, ceu mœnia vastis
Arietibus concussa. Quid aut castella relicta,
Aut desolatas versu nunc prosequar vrbes?
Quid memorem euersas acies, pugnatáque bella,
Germanosq́; bono superatos milite montes,
Nec non Danubij victricia signa ferentis
Mille, altum, ingentem, contectum nauibus alueum?
Aut quid marmoreæ dicam expugnata Viennæ
Mœnia, & oppressas tantis conatibus arces,
Et longa insignem partum obsidione triumphum?
Atque nouam nuper tam magni nominis vrbem,
Ardua disiectis curuantem brachia muris,
Adijciam, iam nunc spoliis vestire decoris
Et postes, & templa, iuuat, iuuat humida ferre
Serta coronatis victrici fronde capillis.
Vrbs equidem vigili nunc primùm libera cura
Soluitur, & festis ornat delubra corymbis:
Ipsaq́; lethiferi nutrix Germania belli,
Palladiæ crines ramis præcingit oliuæ.
Incedunt patrio princeps de more senatus,

Et plebs,

Et plebs, & niuea velatus veste sacerdos,
Exemplóque tuo soluunt pia vota per aras,
Et sacro vnigenæ peragunt solennia Christo:
Per fora, perq; vias passim diffusa iuuentus
Ingreditur, cessantq; operum artificúmq; labores.
Ipse triumphales inter victa agmina pompas
Lætus agens, currúque rotis inuectus ahenis,
Quadriiugo procedis ouans, plaususq; frementes
Excipis: ingenti quum te clamore salutat
Miles, & armisonis complentur vocibus auræ.
Iam videor rutilas auro spectare curules,
Et regale auro solium, argentóque superbum,
In medio populis te dantem iura subactis.
Quanta quies animo, diris circumdatus armis
Pacem fronte geris. Quàm formidabile nomen,
Hostis eras: tam dulcis ades præsentia chari
Principis. In te omnes, in te mirantia figunt
Lumina, & oblitis immoti sensibus hærent:
Pœnitet exacti per tanta pericula Martis.
Conclamant: Validis cui propugnacula muris
Clausimus, & duras ærato cardine portas?
In quem tam multos bellum produximus annos?
O vtinam vallo trepidam quum cingeret vrbem,
Nota ducis pietas placidi, spectata fuisset
Maiestas vultus: vltrò in sua castra ruentes
Issemus, tantis summissi colla trophæis.
Hæc vbi dicta, citos Virtus auriga iugales
Ducit, lora ferens, & læto candida vultu:
Ponè sequens Fortuna, deam comitatur ouantem:
Vno eodem Fas atque Pium vectantur in axe,
Atque Honor, & niueis volitans Victoria pennis.
At chorus Aonidum, cithara modulatus eburna
Mille modos, totum vertunt à fontibus imis
In laudes Helicona tuas, & flumina Dirces.
Ipse egomet vario laudum distractus honore
Obruor, & captæ blanda dulcedine mentis
Confusus stupeo, nec sum (mihi crede) furori
Lætitiæq; satis, cunctos æquare Poetas
Ardeo, & Ausoniis superare AEneida plectris.
Pars quota sed rerum, Matthia, est illa tuarum?
Nam superant cœptis maiora audacibus, & quæ
Nunc facis, & quæ venturos moliris in annos.
Ac veluti si quis studeat cohibere tumentem
Eridanum, aut septemgeminus quum creuerit Ister,
Noctes atque dies incuruas aggere ripas,
Agricola incassum metuens felicibus aruis
Munit, & obducto circumdat flumina vallo:
Illi exundantes sinuoso gurgite latè,
Obiectam superant molem: campóque potiti,
Qualibet obiicibus bacchantur in æquore ruptis:
Non aliter, quicunque tuas describere laudes
Dicendo cupit, ingenti stupet ille labore,
Irrita pertæsus tantarum exordia rerum.
Calcatas ne loquar glacies, pulsataq; crebris
AEquora quadrupedum pedibus, vitreasq; per vndas,

Candida fluminibus tentoria fixa gelatis?
Aut perlustratas referam tot cursibus oras,
Tot loca, tam multis vulgò exornata tropæis,
Ac vario latè fusos discrimine Dacos,
Illyrios, Mysosq́, securiferosq́, Polonos,
Et domitum fractis iampridem cornibus Albim?
An procul expulsos Nomadas, ferasq́, luentes
Pastores rupto Siculos pro fœdere pœnas,
Trinacriæ Siculos quondam, Scythiæq́, colonos,
Fortia magnanimos præbentes colla Valachos,
Qui referunt prisca Romanam ab origine gentem?
Turcarum an seruile iugum, populisq́, paratum,
Proh dolor, Hesperus, dominaq́, minantia Romæ
Fracta tua tot tela manu, gentisq́, nefandæ
Addam Dalmaticis tot strata cadauera campis?
Magnanimus veluti Libycis regnator in aruis,
Quum dirùm fremuit ore leo, si fortè lacessit
Venator, seu dura fames impellit in iras,
Dant quercus, dant saxa locum: fugit æquore toto
Segne pecus, trepidæq́, feræ spelæa requirunt:
AEstuat ipse sui vindex, ac cæde cruentus
Mactat apros, vario lacerat certamine tauros,
Vnguibus & volucres lyncas discerpit aduncis,
Ora madent sanie, & fuluos cruor irrigat armos.
Mira fides, cristis quoties flagrantibus ardens
Inuolitas, celsaq́, micas ceruice tremendus,
Vt quum terrifico Mauors horrentia cursu
Bistonis terit arua rotis, victricia tecum
Fata trahis, diuûmque omnes hominúmque fauores.
Ipse ferox oculis volucrem spirantibus ignem
Instructos latè cuneos, sinuatáque lustras
Cornua, disponens peditúmque equitúmque cateruas:
Tum te pulsa tremit magno cum murmure tellus,
Bellatorum audum stimulantem pectus equorum.
Nec mora, terribiles quum primùm ad sidera toruum
Intonuêre tubæ, quum se clangore vicissim
Increpitant, prior aduersus ruis acer in hostes:
Quáque inuadis atrox, & qua vi feruidus instas,
Nil te ferre valet: tanto conamine præceps
Funditùs obtritas acies procul impetus aufert.
Thracius haud aliter Boreæ quum spiritus atris
Nubibus, & pelago incubuit stridentibus alis,
Fit strepitus: qua parte ruit, cælúmque fretúmque
Proripiunt, ceduntq́, minis: ille agminis instar
Diripit horrifero volitantem flamine mundum.
Atque vbi crudescit Furiarum verbere cædes,
Et fera vipereo sæuit Bellona flagello,
Non secus aggeribus ruptis, torrentia torquent
Saxa simul, simul omne pecus, syluasq́, natantes.
Non impune tibi quisquam venit obuius vltro,
Irritátque acres animos, irámque lacessit.
Namq́, minax vultu, requiémque morámque perosus,
Sanguineum perrumpis iter, per tela, per enses,
Sternis agros, quatis infensas terroribus vrbes.
Quale viam rapidum medius vbi rupit ab astris

Fulmen,

Fulmen, & aerios disiecit turbine montes,
Concussæ reboant turres, vrbsq́; alta remugit,
Et precibus pauidæ cumulant altaria matres.
I nunc, & secli laudatrix Fama prioris,
Hesperiam mirare fidem, atque ingentia regum
Nomina Gallorum, & raptos Orientis honores.
Non Atilæ fortuna prior, non Gotthica laurus,
Germanúmque decus, nec victo maior Oronte,
Matthia, Saladinia erat: nec Græcia reges,
Nec Babylon quos alta tulit, quosq́; horrida laudat
Aphrica, quos tepidi mirantur flumina Nili.
Quæ regio laudum, Matthia, ignara tuarum,
Qui locus est vsquam? Tanais te sentit, & Arctos,
Te Gades Scotusq́; sonant, te cœlifer Atlas,
Eousq́; tuo turbatur nomine Ganges.
Quin prostrata ducum concedant facta priorum,
Imperio quemcunque suo Byzantia tellus,
Aut Romana dedit fretus victricibus armis,
Transierit licet Euphratem, & superauerit Indum.
Nec verò AEgides tantis sese extulit actis,
Centauros ferro, Lapithas, & Cressia quamuis
Mactarit monstra, & Stygium concusserit orbem:
Nec Libycam secuit qui Gorgona, quiq́; Chimæram,
Igniuomo rapidas efflantem gutture flammas:
Nec qui Colchiacum nudauit vellere Phasim,
Ausus inassueta primùm freta scindere puppe.
Præferri iam nemo potest tibi iure, superbis
Semideos armis æquas, & solus in omnes
Heroas iam stare potes: lux temporis huius,
Militiæq́; parens, & belli gloria, magnis
Laudibus obscuras veterum miracula rerum.
Salue Martis honos, Martis genus, optima bello
Dextera, Romanis maioribus æmula Virtus.
O felix nimium soboles, felicia quæ te
Tempora: quæ talem, tantum, tulit inclyta tellus?
Non magis aut Phœbo Delos, aut Creta Tonante,
Aut gemino pugnax Lacedæmon gaudeat ouo.
In freta prorumpens septena per ostia magno
Gurgite dum fluctus Ister turbabit amaros,
Dum patriis Latiæ Musis memorabile linguæ
Viuet opus, nullo Diui periturus in æuo
Matthiæ durabit honos: nec nominis vnquam
Deficient monumenta sacri, venturáque quondam
Secula palmiferos delebunt nulla triumphos.
Scilicet Eois olim subnixa columnis,
Mausolæa ruent, altosq́; æquantia montes,
Marmora pyramidum scindet longæua vetustas.
At tua venturi vatum celebrata nepotes
Carmine facta legent: & sero traditus æuo,
Notus eris ducibus, decus exemplarq́; futuris.
Christe pater, túque ætherea qui ianitor aulæ es,
Qui Vaticanum, & Latialem respicis vrbem,
Si benefacta iuuant, & nominis vllus auiti
Restat honos, date felici pia numina cursu
Longæuas in luce moras, placidámque salutem:

Et rapta imperij referentem sceptra Latini,
Ne prohibete Italas Orienti imponere leges.
Quanquam stelligeri toties plaga candida cæli
Te reuocat, cupide iampridem celsa morantur
Astra, nouum Arctoo sidus factura trioni.
Tu potius præsens hominum labentia cura
Fata diu, lentóque leuis pete sidera gressu,
Dum magnus maiora paras intexere rebus,
Affectasq́; viam merito sublimis Olympo.
Quippe vbi tot terrere Italas successibus vrbes
Pergit, tam multis elatus Turca triumphis,
Classe natat tanta victor freta, maximus orbem
Hesperium timor ingenti formidine pulsat.
In te spes arrectæ hominum, curæq́; repostæ:
Vt quum cæruleis tempestas imbribus orta
Collectas glomerat nubes, ac turbine nigro
Præceps iam ruitura satis syluisq́; minatur,
Si fax disiectos rutilis Titania nimbos
Cœpit equis afflare, neque irrita vota feruntur.

FINIS.

ABRAHAMI BAKSCHAY SCHEMNICENSIS PANNONII, SECRETARII ILLVSTRISSIMI DOMINI PALATINI Syradiensis, Chronologia de Regibus Hungaricis.

INGRESSVS HVNNORVM IN Pannoniam.

Sex capitanes Hunnorum.

HVNNORVM siue Hungarorum decies centena & octuaginta millia ex Asiatica Scythia, soli sterilitatem populorumque multitudinem causata, sub sex ducibus, Bela, Keme & Kadicha, filiis Chele, de genere Zemen ortis: item Athila, Kewe & Buda, filiis Bendeguz, de genere Kadar, in Europam traiecerunt, & in Hungariam (quam tunc diuersæ nationes præside quodam Matrino, aliàs Martino, dicto de Sabaria, propter soli fœcunditatem in colebant) peruenientes, ad Tibisci amnis ripam castra sua fixerunt. Matrinus audito ignotæ gentis Scythicæ aduentu, Therrici de Verona, vniuersæ Germaniæ ex Romanorum gratia præsidentis, petiuit auxilium: & sic ambo, coacto ingenti exercitu, ad Potentianam vrbem, inter Theten & Zazhalom sitam, consederunt, vbi primò per Hunnos, qui sub Sicambria Danubium adhibitis inflatis vtribus transnatabant, intempesta nocte miserrima cæde affecti, sunt fugati. In agro deinde Tharnokwelg, eosdem Hunnos superioribus vigiliis & laborib. exhaustos, vicissim in fugam conuerterunt: qui renatato Danubio ad suos peruenere. In hoc conflictu, ex Hunnis cum vno ducum Kewe, hominum centum & vigintiquinq; millia cæsa: è Romanis, aliisq́; nationibus, præter eos qui in castris superiori nocte ceciderant, ducenta & decem millia desiderata sunt. Deinde prope Thulnã, nunc Austriæ, olim Hungariæ ciuitatẽ, Matrinus ab Hunnis

Matrinus præses Pannoniarum.

Prima victoria Hunnorum.

Hunni victi.

Hunnis cæsus occubuit: innumera multitudo ad internecionem vsque profligatur. Thetricus verò sagitta in fronte ictus, cũ paucis euasit. Hunnorum quadraginta millia in hoc prælio desiderata: tres etiam duces, Bela, Keme & Kadicha mortem oppetierunt: qui tandem solenni pompa ad marmoream columnã Kaiazo dictam, penes ducem Kewe prædictũ sepulti sunt. Hac Hunni potiti victoria, vniuersæ Pannoniæ cum imperio præesse cœperunt.

Matrinus cæsus. Noua victoria Hunnorum.

ATHILA, omnium cõsensu in primum regẽ Hunnorum eligitur, & declaratur, Anno mundi 4362: anno Christi 401. ingressus Hunnorum in Pãnoniam 28. Hic imperij sedem posuit in Sicambria ciuitate: & profecturus cum innumera copiarum multitudine in bellum, Budam fratrem suum vniuersæ Pannoniæ, loco sui, præfecit, vsurpato sibi hoc titulo: ATHILA BENDEGVZ FILIVS, MAGNI NEMROTH NEPOS, IN ENGADI NVTRITVS, DEI GRATIA REX HVNNORVM, MEDORVM, GOTHORVM, DACORVM, METVS ORBIS, FLAGELLVM DEI.

Athila primus rex Hungariæ. Athila titulus.

Adoritur in primis vtramq; Mysiam, Thraciam, Achaiam, Macedoniam, & Illyriam: redit victor. Sicambriam, quò etiam Thetricus Veronensis, acerrimus olim Hunnorum hostis, cum frequẽtissimis Germanorum proceribus beneuolentia & liberalitate regis allectus venit, seque gratum & familiarem regi exhibuit. cuius etiam suasu rex, quietis alioqui impatiens, occiduas Romani Imperij prouincias inuadendas esse decreuit. Ideo progressus, igne & ferro totã Germaniam miscet. Sigismundum, eius regionis principẽ, cum magna manu occurrentem, inter Constantiam & Basileam fundit, fugatq;, Argentinam per eum direptã, dirutis iã mœnibus, Polyodopolim, id est Strasburg, edixit appellari. Hinc amoto exercitu, Gallias vastat & subuertit: ac in Hispanias vsq;, Beticam & Hispalim, victricibus armis penetrat: & in cãpis Catalanicis cum rege potentissimo Theodorico, & Aetio Romano senatore, crudelissimo omniũ prælio cõfligit. Expugnatisq; multis vrbibus, Sicambriam regreditur: vbi Budam fratrem suum, eo quòd Sicambriã, quam nunc veterem Budã nominamus, vocabulo sui nominis denominauerat, propriis suis manibus interfecit, cadauerq; illius in Danubium demergi fecit. Dumq; quinquenniũ quieuisset, per Styriam, Carinthiam, & per Dalmatiam ciuitates plurimas demolitur: Italiam inuadit, & deuastat. Reuersus vltimò Sicambriã, tantorum iam laborum pertæsus, virginem Hildico, aliâs Mykolch, Bactrianorũ regis filiam, in vxorem ducit. in cuius amplexibus, dum vino & venere corpus eius inflammatũ esset, nocte, sanguine copioso è naribus in fauces exundante, extinctus est: Anno mundi 4407. Christi 445. Ingressus, 72. Imperij, 44. Ætatis, 124. apud supradictam columnam sepultus.

Argentinã Strasburg appellatam. Athila Budam fratrẽ occidit. Athila mors.

Defuncto Athila, imperium penes duos filiorum suorum, quorum alter Aladarius, Chaba alter fuit, cæteris ætate & fortitudine eminentiores, remansit. Hi cùm de successione inter se per longum tempus dissiderent, rex Gepidarum Ardaricus bellum aduersus Hunnos mouit: & trucidatis multis Hunnorum millibus, filio itẽ Athilæ Aladario, potitus est optima parte regni Pannoniæ. Alter autem frater Chaba, ante istam cladem, cum sexaginta fratribus suis natu minoribus, & bona parte Hunnorum in veterem patriam rediit, Pars quæ in Pannonia, mansit, sub quamplurimis & diuersis principibus, peregrinæ gentis in Pannoniam, propter regionis fertilitatem, & opportunitatem, infusę, multiplicẽ experta est fortunam. Ideoque oratoribus suis in Scythiam missis effecerunt, vt longè plures prioribus denuò egrederentur.

ALADArius & Chaba regnum excipiunt.

SECVNDVS INGRESSVS HVNNORVM IN PANNONIAM.

HVNNORVM ingens multitudo secundariò ingressa est Pannoniam, Anno mundi 4706, Christi 744, obitus Athilæ 301, sub septem capitaneis: quorum primus fuit Arpad filius Almi, qui est prognatus ex Elendo filio Vgek:

Hunnorum duces VII.

Vgek ex Edo, Edus ex Chaba filio Athilæ. Secundus capitaneus fuit Zabolch, à quo & nunc locus comitatus de Zabolch. Tertius Gyula, à quo & hodie familia propagata extat Gywlay. Quartus Kewnd, à quo capitaneo Kendij familia deducitur. Quintus, Lehel. Sextus, Berbulcho. Septimus capitaneus fuit Wrs. Hi se Hunnis Pannonicis adiunxerunt, & consederunt in Transsyluania, positis ibi septem castris: vnde etiam ipsa prouincia Sibenburg, id est septem castrorum nomen habet.

Transsyluania cur Sibenburg.

A dicto autem Arpad, capitaneo scilicet primario, profluxerunt duces complures eiusdem gentis, qui Pannoniam vsque ad tempora diui Stephani regis, cruentissima sæpissimè cum aliarum diuersarum nationum generationibus pugna interueniente, possederunt, & gubernarũt. Ex Arpad enim dux Zultan processit: ex quo Toxon, pater Gayczæ & Michaelis. Gaycza genuit diuũ Stephanum regem: Michael verò genuit Ladislaum Caluum, & Wasul. Ladislaus Caluus genuit Andream, Belam & Leuente. Gaycza prædictus, primus inter Hungaros fidem Christi amplexus est, fuitq; baptizatus à S. Adalberto episcopo. Moritur Anno mundi 4959, Christi verò 997.

Gaycza primus rex Christianus inter Hungaros.

SEQVVNTVR REGES CHRISTIANI.

	Mundi	Christi	Conuersionis	Regiminis
1. S. STEPHANVS I. filius Geyczæ, nascitur Strigonij, & à S. Adalberto Pragensi antistite, & Adeodato comite, de sacro baptismi fonte leuatur.	4931	969		
Tota ferè Hungariæ pars, intentissima cura Geyczæ & S. Stephani, ad fidem Christi est conuersa, circa annum. In regem, omnium miro cõsensu & applausu coronatus, Strigoniensem ecclesiam metropolitanam & Colocensem basilicam, aliaq; tẽpla fundauit, & thesauris dotauit.	4950 4963	989 1001		
Suscepit gessitq; bella aduersus Cupam Simigiensem ducem: item contra Giulam auunculũ suum: præterea contra Bulgarorũ & Sclauorum ducem Ceanum. Horum autem susceptorũ bellorum causas iustissimas fuisse, Historici & Annales tradunt. Moritur in festo assumptionis B. Virginis Anno Mundi 5000, CHRISTI verò millesimo & tricesimooctauo: Regiminis sui Hungarici tricesimo septimo: cõuersionis Hungarorum ad fidem Christianam, quadragesimonono: sepultus in Albæ regalis basilica, ab ipso condita. Hic genuit filium D. Emericũ, qui decessit ante obitum patris.				
2. PETRVS Alemanus, filius Guilhelmi, fratris Sigismundi Burgundiorum ducis, ex sorore S. Stephani nepos: eligitur in regem post S. Stephani obitum. Cùm superbè, crudeliter & auarè dominaretur, fuit è regno expulsus.	5003	1041	55	3
3. ABA Hungarus, sororius S. Stephani, expulso Petro electus & coronatus est in regem. Hic quoque crudelis & iniustus fuit, ideóque prope amnem Tibiscum occisus. Sepelitur in cœnobio Saar.	5006	1044	58	3
PETRVS Alemanus mox post mortem Abę viribus Hẽrici Imperatoris reductus in regnum, denuò				

	Mundi	Christi	Conuerſ.	Regni.
denuò Albæ coronatur: & tandem occiditur. Sepelitur in Quinqueecleſienſi baſilica, quam ipſe condiderat. Eo tempore magna pars Hungarorum à fide Chriſtiana defecerat.	5009	1047	61	3
4. ANDREAS I. primogenitus ſupradicti Ladiſlai Calui, eligitur & coronatur in regem eodē anno. Genuit duos filios, Salomonē & Dauid. Salomonem, quintum ætatis annum agentem, coronari fecit in regem.	5011	1059	73	12
Tandem in bello contra Belam geſto occiditur: & in monaſterio diui Aniani in Thihon iuxta lacū Balathonem ab ipſo extructo, humatus eſt, Bela permittente.	5024	1062	76	15
5. BELA I. frater Andreæ prędicti, deuicto & defuncto eodem Andrea, ęgrè tulit Salomonem electum fuiſſe in regem (nam ideo bellum contra fratrem geſſerat) in regnum ſucceſſit. Habuit filios, Geyczam, Ladiſlaum & Lampertum. Hic rex monetam argenteam cudi fecit: menſuras & pondera conſtituit: precia rerum venaliū ſtabiliuit. Hungaros ad idola colenda regreſſos, ad vnum interfici iuſſit. Struxit celeberrimum monaſterium Saluatoris in loco Zewkzard, vbi poſtea mortuus defunctus eſt.	5027	1065	79	3
6. SALOMON, filius Andreæ regis prędicti, defuncto Bela, ope Henrici Imperatoris (cuius filiā in vxorē ſibi deſtinatā habebat) Hungarorumq; ſuffragio Albæ denuo coronatus eſt. Hic cum Geycza & Ladiſlao patruelibus ſuis, adhuc ducibus, bella geſſit acerrima contra Cumanos & Bohemos, regnum deuaſtantes. Quibus perdomitis, auxilio eorūdem Geyczæ & Ladiſlai Nandor Albam imperio Hungarico adiecit. tandem ab eiſdem patruelibus ſuis fugatus, regnóque exutus eſt. In habitu religioſo diem ſuū obiit Polæ, oppido Iſtriæ.	5039	1077	90	11
7. GEYCZA I. primogenitus regis Belæ I. filius, fugato Salomone, regiam dignitatem adeptus eſt. Genuit duos filios, Colomannum & Almū. Tempore huius validiſſima fames Hungariam afflixit. Obiit, ſepultus in eccleſia B. Virginis, Vacię, quam ipſe conſtruxit.	5042	1080	93	3
8. S. LADISLAVS I. frater Geyczæ (quē Hūgari propter vitæ ſanctitatē, ſanctum regem nominabant) demortuo Geycza, & viuente adhuc pulſo Salomone, in regnum ſucceſſit. Hic Dalmatiæ & Croatiæ regna, Hungarorum regum iunxit imperio. Geſſit multa bella cōtra Tartaros, & alios aduerſarios, æmulos regni. Deceſſit abſque liberis 3. Calen. Auguſti. Sepultus honorificentiſſimis exequiis in eccleſia Varadienſi, ab eo extructa.	5057	1095	108	15 aliȷ 19
9. COLOMANNVS, filius Geyczæ regis, fuit (opinione quorundam) primùm epiſcopus Waradienſis, deinde per diſpenſationem ſucceſſit S. regi Ladiſlao. Sub eo Hungari multa grauia, Deoq; & mortalib. quàm moleſtiſſima perpeſſi ſunt. multa enim iniquè atque crudeliter geſſit. Excæcauit				

fratrem suum Almum ducem, & filiũ eius Belam. tandem & ipsum Almum interimi fecit, in ecclesia Demesiensi. Habuit hic rex filios duos, Ladislaum & Stephanum. Obiit diem impiè, vt vixerat: sepultus in Alba Regali.

10. STEPHANVS II. eius filius, adhuc adolescentulus regno præficitur. Cognominabatur is à vulgo fulmen: propterea quòd non consilio sed subito animi furore cũcta faciebat. Cumq; ex vxore nullos suscepisset filios, moriendiq; sibi tempus adesse animaduertisset, regno se abdicauit, acceptóque monachorum habitu decessit. Corpus ex Agria in Varadiensem ecclesiam translatum, ibiq; reconditum.

11. BELA II. Cæcus appellatus, filius Almi ducis, cuius oculos Colomannus eruerat, regalia sceptra adipiscitur. Regnum prudentissimè sanctissiméque gubernauit. Genuit filios quatuor, Geyczam, Ladislaum, Stephanum, & Almum. Borichum filium Colomanni regis, natum ex pellice, regnum sibi vendicare contendentem, in fugam vertit, suumque numerosissimum exercitum profligauit. Hungaros autem, qui illius fauerant partibus, interfecit. Decessit Christianissimè: sepultus est Albæ.

12. GEYCZA II. filius Belæ secundi, fratrũ suorũ natu maximus: adolescentulus Christiana pietate insignis, ad regni fastigiũ effertur. Fudit Teutonum ac Saxonũ Austrensiumq; & Bauarorum copias, quæ Posonio occupato Hungariã inuaserant, horumq; exuuiis tẽpla per Hũgariam ditauit. Secundum hoc bellũ Pannonias (vt Annales memorant) sæua fames inuasit. Genuit filios quatuor, Stephanum, Belam, Arpad & Geyczam. Migrauit è vita, mira cum religione: Albæ sepultus.

13. STEPHANVS III. filius præfati regis Geyczæ secundi, rex declaratur & coronatur. Multa contra Venetos in Dalmatia, ac contra Emanuelẽ Imper. Græcorũ gessit: multa quoq; à Ladislao & Stephano ducibus, patruis suis, filiis videlicet Belæ Cæci, perpessus: quibus tandẽ exterminatis, decessit è viuis absq; liberis: sepultus in ecclesia Strigoniensi.

14. LADISLAVS II. filius Belæ Cæci, viuente adhuc Stephano III. vsurpata sibi regni potestate, sex mẽsibus imperauit: mortuus est, & Albæ sepultus.

15. STEPHANVS IIII. Ladislai huius frater, & Belæ itidem Cæci filius, mortuo eodem Ladislao, & viuẽte adhuc Stephano tertio, vsurpata corona, potitus est ea quinque mensibus. Tandem à rege Stephano tertio acie victus, in castello Zemlin mortuus est, eodẽ anno quo & Stephanus: sepultus in Alba Regali.

16. BELA III. Stephani tertij frater, Geyczæ itidem secundi filius, post Stephanum regnauit. Is regnum suum latronibus & furibus quorum ingens tum

Mundi	Christi	Conuers.	Regiminis
5076	1114	127	19
5093	1131	145	18
5103	1141	155	10
5123	1161	175	20
5134	1172	186	12
5134	1172	186	
5135	1173	187	

tum erat in tota Hungaria copia, intentissima cura purgauit. Hic superstitibus filiis duob. Emerico & Andrea, diem obiit Albæ, vbi & sepultus iacet.

Mundi	Christi	Conuers.	Regi.
5158	1196	210	23

17. EMERICVS, filius huius Belæ tertij ritè succedens præfuit regno:& relicto filio vnico Ladislao, mortuus est, Agriæ sepultus.

Mundi	Christi	Conuers.	Regi.
5166	1204	219	9

18. LADISLAVS III. eiusdẽ Emerici filius, regnauit post patris obitum sex tantũ mensibus. nam immaturo fato surreptus est, sepultus Albæ.

19. ANDREAS II. filius Belæ tertij regis, omniũ suffragiis rex optatur, & Albæ regiis insignibus donatur. Vxorem duxit Gertrudem, nobili Germanorum genere natam: ex qua liberos suscepit, Belam, Colomannum, Andream & Elizabethã, fœminam præ vitæ sanctimonia omnibus perpetuò celebrandam. Hic dictus est Hierosolymitanus, ex eo quòd in terra Sancta, commissa atrocissima pugna aduersus Babyloniorum Sultanũ, victor gloriosus euaserit. Antequam autem idem rex continuaturus eò iter, copias suas Constantinopoli in Asiam traiiciendas curaret: Gertrudis regina à Bancbano locumtenente regio in Hungaria, propterea quòd vxorem eius, fratri suo, ex Germania qui aduenerat, violandã tradiderit, lethali vulnere conficitur. rex in reditu à terra Sancta, filiam Hetensis marchionis alteram duxit vxorẽ: ex qua genuit Stephanũ, patrẽ Andreæ Veneti. Hic rex priuilegia libertatis optima Hungaricæ nobilitati cõcessit. ad cuius etiam decreti obseruationem, vniuersi Hungariæ reges, tempore coronationis ipsorum, solent iurare. Excessit è vita rex, & in cœnobio quod Egres appellant, conditus.

20. BELA IIII. Andreæ secundi filius, natu maior, ab Hungaris omnibus rex consalutatur, & ex more coronatur. post patrem regnauit, multis afflictus incommodis. eius enim tempore tota Hungaria per Tartaros crudeliter incendiis, ferróque fuit deuastata: per quos etiam Rex ipse expulsus fuit ad insulas maris Adriatici: vnde post Tartarorum in Hungaria triennium consumentium abitum, auxilio Rhodianorum Crucigerorũ & Frangepanum comitum, fuit in Hungariam restitutus. a quo posthac non solùm amplis. priuilegiis, sed oppidis & pagis honorificè donati sunt. Obiit, sepultus Strigonij apud fratres minores.

Mundi	Christi	Conuers.	Regi.
5197	1235	250	31
5237	1275	289	39

21. STEPHANVS V. filius Belæ quarti, hæreditario iure Pãnoniæ regnum accepit: fuitq; in armis plurimũ fortunatus. Hic superato rege Othocaro, Bohemos domuit. Bulgarorum regem cum vniuersa Mysia stipendiariũ sibi fecit. Superstitib. liberis Ladislao & Maria, ea quæ Carolo Claudo Siciliæ regi nupsit, ex qua ille genuit Carolũ Martellum, qui filiũ Carolum quoq; nomine gennit: excessit humanis, sepultus in insula Budensi.

Mundi	Christi	Conuers.	Regi.
5240	1278	292	3

22. LADISLAVS IIII. Stephani quinti filius,

Text	Mundi	Christi	Conuers.	Regiminis
qui Kwnlazlo nominatus est, successit patri. Cuius tempore 1285. Tartari infestis armis denuo Hungariam ingressi sunt, qui omnia penè longè lateq́; vsque ad Pesthum, direptionibus atque incendiis absumpserunt. Anno deinde 2. ab eorum ingressu, nō sine maxima præda excessere. Hic rex à Cumanis, haud procul à castello Kereszeg, miserabiliter interfectus est. Sepultus iacet Chanadini.	5253	1291	305	13
23. ANDREAS III. filius Stephani, filij Andreę secundi, qui & Venetus est cognominatus, electus est & appellatus rex. Coronabatur à nece Ladislai. Austriam hic in potestatem suam redegit. Obiit, Budæ sepultus, in æde B. Ioannis euangelistæ, apud fratres minores. Legatus pontificius eo tēpore profectus est in Hungariam, commēdaturus in regem, Carolum filium Martelli.	5263	1301	316	11
24. VENCESLAVS, quem Hūgari Ladislaum nominabāt, filius regis Bohemiæ, inductus fuit per quosdam Hungaros cōtra Carolum pronepotem Stephani quinti, in tenera ætate existentē: pro quo scilicet à nonnullis procerū regni missus erat. Hic Venceslaus, aliter Ladislaus, propter dissensiones Hungarorum (habebat enim pars Carolum, pars ipsum, pars etiam tertium regem, Othonem scilicet Bauariæ ducem) reliquit regnum, & reductus fuit per patrem in Bohemiam.	5266	1304	319	3
25. OTHO dux Bauariæ, similiter per factiones quorundam Hungarorum inductus fuit, Albæque coronatus: regnauit annis ferè tribus. sed per Ladislaum Wayuodam Transsyluanię fuit postea captus, spoliatus, & è regno expulsus.				
26. CAROLVS I. Caroli Martelli filius, puer existens, in regē Hungariæ anno Domini 1310. coronatur. Genuit plures filios, q ante eū mortui sunt. Postremò genuit Ludouicum, Andreā & Stephanum. Hic Matthæum Trintschiniēsem comitem, armis opibusq́; potentem, & illius ingentē exercitū, prope Cassouiam prælio vicit. Regnū non modò fortiter tutatus est, sed & plurimū auxit. tenuit namq; sua ditione Dalmatiā, Croatiam, Seruiam, Lodomeriam, Russiam, Comaniā, Bulgariā, Bosnam.	5274	1312		2
Felicianus quidam aulicorum, in die Paschæ, regem Carolū & reginam, cum eorū liberis, mensæ assidētes, in arce Wissegrad, ense interimere conatur. pro quo scelere debitas dedit pœnas.	5291	1329		19
Dux Rutenorū venit ad Carolū, ad Wissegrad.	5301	1339		29
Casimirus rex Poloniæ, & Ioannes rex Bohemiæ, venerunt Carolum inuisendi gratia, ad Wissegrad.	5302	1340		30
Locustarum pestis Hungariam incessit.				
Casimirus rex Poloniæ veniens ad Wissegrad, resignat regnum Poloniæ Ludouico, filio Caroli, ex sorore Casimiri suscepto: carebat enim alio hęrede. Mortuus est autem XVII. Calendas Augusti, sepultus in Alba Regali.	5304	1342	357	32

27. LV-

	Mundi	Christi	Conuerſ.	Regiminis
27. LVDOVICVS I. filius Caroli præfati, ſucceſſit patri. Multa bella feliciter geſſit, multaque regno ſuo recuperauit. Præter alios rebelles & æmulos regni, qui in Croatia & Dalmatia motus magnos excitauerant, Moldauos & Rutenos perdomuit. Gentem Comanorũ, ritu Tartarico inuolutã, ad fidem Chriſtianam cõuerti procurauit. Ex Hungaria verò Iudęos pepulit. Electus & coronatus fuit Poloniæ rex. Hæredes maſculinos nõ habuit, ſed filias genuit: Mariã, quæ tandẽ Vngariæ: & Heduigã, quæ Polonię ſortita eſt regnum. Obiit mortem die 2. Septembris. Sepultus eſt Albæ, in ſacello quod viuens extruxerat.	5344	1382	397	40
28. MARIA, filia Ludouici primi, poſt obitũ patris in regem coronatur, decerniturq; quæ Maria fuit poſtea nupta Sigiſmundo, filio Caroli quarti Rom. Imperatoris. Cum Elizabetha, matre ſua, regnauit annos quatuor: & contra hanc, adhuc ſine marito, admodum iuuenem, à pleriſque introductus eſt, & coronatus				
29. CAROLVS II. cognomento Paruus, rex Neapolitanus, Ludouici primi ex fratre Andrea nepos: qui in arce Budenſi ex volũtate Elizabethæ reginæ, procurante Nicolao de Gara, regni palatino, per Blaſium Forgach occiſus eſt, Anno Dominicæ incarnationis 1385. Maria poſt hæc adhuc viuens, ius ſuum regium Sigiſmũdo marito ſponte ceſſit, ac mortua eſt, ſepulta in eccleſia Varadienſi.		1392		
30. SIGISMVNDVS, Mariæ ſponſus, anno ætatis ſuæ XX fuit per dominos regnicolas ritè electus, & regni corona donatus, in feſto Pentecoſtes. qui poſtea & Imperator Romanorum & rex Bohemorum fuit. Hic rex glorioſus, viriliter, licet infeliciter, cum Bayazite Turcarum imperatore, apud Nicopolim vrbem conflixit.	5348	1386		
Poſtquam cladem Hungarici proceres eum in caſtrum Soklos captiuitati dederũt 1401. Breui tamen clàm emiſſus, prudenter & fortiter regna gubernauit, ac in factioſos grauiter animaduertit. Blasko quidam Boemus, humili genere natus, coacto facinoroſorum exercitu, Tirnauiã clam intrauit: viribusque militum ſuorũ fretus, cæſa haud parua ciuium multitudine, in poteſtatem ſuam vrbem redegit.	5363	1401		15
	5393	1431		45
Non multo antè tempore, duplex ruſticorum bellum in Hungaria emerſit. cæſis autẽ ſeditionis authoribus, agreſtis quoq; multitudo graues pœnas dedit. Hic imperator & rex tredecim comitatus Scepuſienſis oppida, Poloniæ regiæ Maieſtati titulo pignoris inſcripſit. Obiit autẽ diem ſuum anno ætatis LXXI. in Morauia Znuimæ, in feſto conceptionis Mariæ virginis.				
In Varadienſi eccleſia honorificè traditus eſt ſepulturæ.	5399	1437	448	51

	Mundi	Christi	Concurs.	Regiminis
31. ALBERTVS, Romanorum Imperator, & archidux Austriæ, qui Elizabethā filiam Sigismundi regis & imperatoris in vxorē habebat: ipsis Calendis Ianuariis Albæ rex salutatur, & coronatur. Duos in regno annos claudere non potuit: siquidem excessit humanis in fine Octobris, Albæ sepultus.	5401	1439	450	2
32. ELIZABETHA regina, mortuo Alberto rege, remansit grauida: & dum nesciretur, an filium vel filiam esset paritura, proceres regni miserunt suos oratores pro iuuene Wladislao Lithuaniæ duce, regisq́; Poloniæ fratre. qui antequā induceretur, regina peperit filium LADISLAVM: & contradixit electioni, de Polono factæ: fecitq́; mox infantem cum bona parte dominorū regnicolarum Hungarorum coronari, & coronam regni secū in Austriam ad infantis patruum Fridericum Rom. Cæsarem, archiducem Austriæ, asportauit.	5402	1440	451	
33. WLADISLAVS introductus, cùm corona regni non haberetur, diademate quodā reliquiarū de capite sancti Stephani desumpto, coronatus est.	5402	1440	451	

Sub huius imperio Amurathes Turcarum imperator subegit vtramque Mysiam, moxq́; ingredi parabat Hungariam.

Quo tempore Ioannes Coruinus, Hūniady dictus, intra paucos menses cōtra Turcas, multas victorias, magna cum laude, assecutus est.

Cuius etiam virtute castrum Zenderew, regi Wladislao, ab Amurathe restitutum est.

	Mundi	Christi	Concurs.	Regiminis
Rex hic magnanimus, & bellicosus princeps, persuasus à legato pōtificio Iuliano Cæsarino, cruentissimo illo & maximè memorabili prælio conflixit cum Amurathe, apud oppidum Varna: vbi & cum Cardinale periit, in festo sancti Martini.	5406	1444	455	4
Agens annum XXI ætatis, IOANNES Coruinus Huniady dictus, comes Bistriciensis & Vayuoda Transsyluanus, post Varnensem cladem Ladislao puero in manibus Friderici Augusti existēte, pronunciatur à regni optimatibus in gubernatorem Hungariæ.	5407	1445	456	

Qui, cùm Fridericus Ladislaum puerum, tanquam legitimum regni regem, cum corona regni restituere recusaret, infestis armis per Austriā, Styriam, Carinthiam & Carniolam, multarū ciuitatū & villarum agros, incendiis & ferro vastauit. Mouit & bellum aduersus Georgium Seruiæ Despotam, quod & ad extremum feliciter confecit: item cōtra Bohemos, qui duce Hiskra, aliquot in Hungaria arces expugnauerant, atque occupauerant. quibus recuperatis, nō modò hostium exercitum profligauit: sed & multa castella, oppida & pagos, illis ademit. Deinde & cum Amurathe Turcarum imperatore Rasciam inuadere parante, commissa pugna, victor euasit.

LADISLAVS V. filius Alberti regis supradicti, circa

	Mundi	*Christi*	*Conuers.*	*Regni.*
circa XII. ætatis annũ Vienna in Hungariam, circa festum Purificationis beatæ Virginis, reductus est.				
Quo tempore & Ioannes Coruinus officiũ gubernationis deposuit.	5414	1452	463	12
Vrbs Constantinopolitana, olim Byzantium dicta, à Mahomethe, filio Amurathis, ex Othomanni genere, septimo Imperatore Turcarũ, feria tertia pòst Corporis Christi, capitur.	5415	1453	464	13
Ioannes Coruinus, dux & miles solertissimus, vnà cum Capistrano, qui suis Cruciferis signũ crucis præferebat, Mahumethem hunc, capta iã Constantinopoli, Nandor Albam vrbem, à Ptolemæo Taurinum dictam, cum exercitu quadringẽtorum millium, hominum lectissimorum, propria in persona obsidentem (quòd nulli in Europa regũ contigit) parua manu fudit & fugauit: ereptis & ademptis illi æneis tormentis plusquam centũ, raræ magnitudinis, machinis & ingeniis bellicis maximi valoris. Decessit Coruinus ex hac lachrymarum valle, cum perpetuo sui desiderio Zemlini: quarto	5417	1455	466	15
Idus Septembris.	5418	1456	467	16
Corpus in Transsyluaniã delatũ: & in æde Albæ Giulẽsi, per eum fundata, magnificè sepultum est. Comes Ladislaus, filius Ioannis Huniady, cũ Matthia fratre suo, iussu regio in carcerem conijcitur: tertióque die Ladislaus comes, annum ætatis XXVI agens, ob cædem aduersus Vlricum Ciliæ comitem patratam, de mandato regis, Budæ obtruncatur.	5419	1457	468	17
Id autem contra regis gratiam & iuramentum, Temesuarini Ladislao superinde præstitum, factum esse, Bonfinius Decadis tertiæ libro octauo tradit. Rex Viennam, moxq; Pragã, relicto Viennæ sub firma custodia Matthia, proficiscitur: vbi dum nuptiæ appararentur, cũ Magdalena, Caroli regis Gallorum filia, obiit, nõ sine veneni administrati suspicione: ętatis & coronationis XVIII anno, sepultus ibidem more regio.	5420	1458	469	18
34. MATTHIAS Coruinus, eo quo rex è viuis decessit tẽpore, Pragam ex Austria aduectus: inq; Georgij à Podebrad, qui tãdem rex Bohemiæ declaratus extitit, potestatem deuenit.				
Hic in regem Hungarorum electus & declaratus,	5420	1458	469	
à Georgio rege non prius dimissus est, quàm Catharinam eius filiam vxorem duceret. Dehinc Matthias à Bohemis vsq; Strasniczam, arcem munitissimam (nunc generosi & magnifici Domini, D. Bernhardi à Serothina, liberi Baronis, &c. pocillatoris Cæsarei) Morauo circumfluam, vbi vniuersa Hungarorum nobilitas conuenerat, deducitur. Vnde, rege accepto, longis itineribus Budam properant. Hoc & sequẽtibus duobus annis, multa domi forisque præclara facinora edidit. Et in repetẽda corona regni (quæ annos multos sub Cęsarea potestate fuerat) non destitit, donec eam rehabuerit.	5424	1462	473	4

	Mundi	Christi	Conuerſ.	Regi.
Ciuitatem & arcem Iaycza, ac ſeptem & viginti circùm finitima oppida, vi & armis à Turcis recepit.	5425	1463	472	5
Mahometes Othomannus, audita Iayczę captiuitate, cum ingenti exercitus multitudine viciſſim oppugnare Iayczam adoritur. Audito autẽ ſolùm rumore aduentus Matthiæ, ſoluit obſidionem.				
Ad diẽ Paraſceues, Albæ Regali frequẽtiſſimus indicitur conuentus: vbi Matthias ſacro diademate cum incredibili populorum plauſu coronatur.	5426	1464	475	6
Appropinquante autumno, rex, vndecunq; poteſt, auxilia cogit: traiectóque flumine Sauo, Myſiam ſuperiorem ingreditur. vbi Zrebernicũ, quod ab argentifodinis nomẽ habet, arcta obſidione per eum circumuctum, vno atque altero prælio capit. Zoynichum verò Raſciæ oppidũ, in arduo monte ſitum, acerrimè obſeſſum, expugnari non potuit. nam Mahumetem cum quadraginta millibus hominum, in horam adfuturum, audiebatur. Itaque ſoluta obſidione rex Sauum remẽſus, in Syrmienſem agrum rediit. In oppugnatione autem nouiſſima, Emericus comes de Zapolia, emiſſa ab oppidanis ſagitta, oculo altero præfigitur.				
Segedini cõuentus generalis indicitur: vbi Michael Orzag, vir ſub quinq; legitimis regib. Hungariæ, ſapientia, probitate & felicitate conſpicuus, à rege Palatinus declaratur. Duoque oratores Romam, & in reliquas partes Italiæ, pro auxilio contra Turcas impetrando, mittuntur.	5427	1465	476	7
Rex in Croatiam caſtra mouere decreuit. cumque vix Zagrabiam fortè veniret, informatur, qualiter Swehla Bohemus, vir bellicoſus, immemor fidelitatis, caſtellum regium apud Tirnauiam, Coſtolian dictum, occupaſſet: & coacta ingenti prædonũ manu, in rapinas effunderetur, pagos & oppida incẽdiis & ferro vaſtaret. vnde rex eueſtigiò pedem referens, Bohemum obſidione in caſtello cinctum, cœpit, déque eo atque ſociis eius ſupplicium ſumpſit.	5427	1465	476	7
Rex in Tranſſyluanos, ſequenti anno (qui, ſuadente & hortante quodam Benedicto Rufo, Ioannem comitem ſancti Georgij, etiam inuitũ, in regem declarabant & ſalutabant, ſacræq; coronę obſequia detrectabãt) expeditionem decreuit: & relictis in regno, ad protegẽdos aduerſus Turcas regni fines, Michaele Zylagy auunculo ſuo (qui rege expeditionem propoſitam cõtinuante, infeliciter cum hoſtibus cõgrediendo capitur, & imperatoris Turcici iuſſu Conſtantinopoli capitis ſuppliciũ ſubire cogitur) & Nicolao Wylaky, cum numeroſis cohortibus & turmis: ipſe octo millia equitum, & quatuor millia peditũ ſecum ducẽdo, in Tranſſyluaniã contendit. Ad quẽ Ioannes comes Wayuoda extemplo cum vniuerſis prouinciæ iudicib. occurrit, ſupplexque veniam exorauit. Rex omnibus ve-	5428	1466	477	8

Mundi	Christi	Conuers.	Regiminis
5429	1467	478	9
5430	1468	479	10
5431	1469	480	11
5432	1470	481	12

bus veniam, præterquam perfidiæ ac defectionis autoribus, dedit.

Transsyluania itaq; pacata, rex cum Michaele Palatino, Nicolao Bamphy, Stephano Batori, cæterisq; proceribus in Moldauiam (vbi Stephanus Wayuoda, qui Transsyluanas quoq; factiones fouerat, latè dominabatur) castra mouit. Primo igitur impetu oppidũ Romanuasar occupat: quo incenso, pagos & oppidula igne ferroq; passim cuncta vastat, abigit pecora, in captiuitatẽ omne genus hominum cum ingenti præda miles asserit. Tertio tandẽ die, ad ciuitatem Molduabania dictam peruenit: vbi rex in prima vigilia noctis, cũ insidioso hoste, acerrimo & atrocissimo prælio congredi & confligere cogitur. Vbi, licet & ipse ea nocte circa spinã dorsi sagitta Getica confossus sit: militis tamẽ & imperatoris optimi præstitit officium, seque & exercitũ seruauit: grauissimas è rebellantibus Valachis pœnas exegit, & ad internecionẽ tunc septẽ millia Valachorum cecidit. Sicq; Stephanum ad obsequia grata legitimaq; præstanda adegit.

Rex igitur pacata vtraque prouincia, in Hungariam rediit: traiectóque Tibisco, Agriam ouans peruenit, & conuentum nouum indixit, in quo de duplici suscipiendo bello tractandũ censebat: quorum alterum Turcorum, Bohemorum alterum, à Paulo videlicet Rom. pontifice, & Friderico Imperatore Rom. delegatum.

In hoc conuentu honorificè adducti fuere per Nicolaũ Wylachy, tunc pręfectum inferioris Pannoniæ, legati Turcorum, qui Mahumethis nomine inducias in Senatu petebant.

Rex eos nunquã ad se introduci imperauit, quin Draculam, quem captiuum habebat, acerrimum Turcarum hostem, illis semper obiiceret: confirmandiq; metus gratia, rex inducias illis abnegat.

In eo quoque conuentu nonnulli proceres (vt Michael Palatinus, Nicolaus Banffij, & reliqui, qui in Moldauiæ bello se optimè gesserant) à rege magnificè donati sunt.

Rex Agria mouens, Budam venit, & Posonium contendit: regiq; Bohemiæ Georgio bellum indixit (quod & prosecutus est per septenniũ) optimates interim & auxiliares copias Posonij expectans.

Integras Morauiæ (præter nobilissimam ciuitatem Hradisht, quam propugnante fortiter veteranorum militum virtute atque præstantia, etiam ob inundationes fluuij Moraui, expugnare non potuit) Silesiæ, Lusatiæque prouincias, sibi cum imperio subactas reddidit.

Ideoq; in regem Bohemorum, & marchionem Morauiæ Olomutij in frequẽtissimo cõuentu declaratus, coronatus & salutatus est. quo etiam titulo, vita comite, honorificè est vsus.

Georgius rex Boemiæ moritur: & Wladislaus

	Mundi	Christi	Conuerſ.	Regiminis
vix quindecim annorum, filius Caſimiri regis Poloniæ, in Cuthna Bohemię ciuitate, in frequentiſſ. conuentu rex declaratur. Rex Matthias ob id in Bohemos vehementer excandeſcens, è Morauia crebris incurſionibus igne & gladio Bohemiã longè latéque vaſtat: tamq; aſſiduis rapinis & populationibus regnum Pragam vſque afficit, vt oppidorum ac ciuitatum pars magna pacẽ mercari, multæque ſeſe dedere cogerentur.				
Caſimirus, Caſimiri regis Poloniæ filius, à pontificibus nonnullis ac proceribus Nitriã vſq; introducitur, vt eo rege declarato, copiis eiuſdem Matthiam eiicerent. Re intellecta, rex rectà cũ ſuis, aliisq; auxiliaribus cohortibus Nitriã verſus caſtra mouit: Caſimirumq;, inhibito prius cõmeatu, obſidione valida circumuenit. Caſimirus Hungarorum facinore euocatũ ſe ingenuè faſſus, per internuncios clàm cũ rege agit: impetratq; vt intẽpeſta	5433	1471	482	13
nocte ſibi egredi, & tutò in Poloniam redire liceat.	5434	1472	483	14
Copiarum rex Matthias magnam partem mittit, vt Poloniæ fines omnib. quibus fieri poſſet modis popularentur.	5435	1473	484	15
Nunciatur regi Matthię, Caſimirum regem Polonorum, adiuncto ſibi filio Wladiſlao rege Bohemorum, numeroſiſſimum parare exercitũ, in ſuorum Vngarorum exitium. Alterum itaque Matthias, hoſti tamẽ numero multò inferiorem, cogit exercitum, Wratiſlauiamq; in Sileſia petit: ad cuius vrbis agrum Polonus quoq;, cũ Bohemo, paucis pòſt diebus caſtra metatur: & quoniã eius exercitus maiori abundabat multitudine, ideo ſtataria collatis ſignis nunquã, tumultuariæ verò frequentiſſimæ pugnæ committuntur.				
Interea quoq; temporis clàm in Poloniam Stephanum de Zapolia, cũ expeditiſſimo vexillationum equitatu, vt omnem regionem popularetur, igni ferroq; omnia abſumeret, miſit. Ea re effectum eſt, vt vtrinque proceres pro pace & concordia intercesserint. Data acceptáque pariter fide publica, ad pręſtitutum diem, poſt multa vltrò citroque dicta, pax & concordia benigna atque honeſta inter tres reges componitur, & promulgatur.				
Stephanus comes de Zapolia, ob egregia ſua facinora, in Bohemica & Polonica expeditione edita, Trentſchinio à rege donatur. Rex Nagmibal & Homonna à Polonis recuperat. Anno eodem ca-	5436	1474	485	16
ſtrũ Sabacz munitiſſimum, Turcicisq; pręſidiis refertiſſimum, Matthias rex victorioſiſſ. expugnat.	5437	1475	486	17
Exercitus regius Alibechũ & Xenderbechum, caſtris exutos, ad internecionem confecit, ad oppidum Pozazyn.	5438	1476	487	18
Beatrix regina, ſponſa regis Matthię, in Hungariam deducitur, & Albæ coronatur: tranſactaque coronatione, Budã ad nuptiarum ſolennia ducitur.	5438	1476	487	18
Mahumetes Turcarũ Imperator, dum regẽ cum				

tota

	Mundi	Christi	Conuers.	Regiminis
tota Pannonia nuptiis occupatum esse intelligit, Dalmatiam & Croatiæ fines populatur: nec non tria castella ad Synderouiam facta expugnat. moxque Valachiam flāma ferroq; vastat, inq; Mysiam præda onustus rediit. Exactis nuptiis, rex bellū aduersus Fridericum III, Rom. Imperatorem, suscepit. Huius autem suscepti belli causæ, in Epitome Ranzani, indice xxxvi. & Decadis quartæ rerum Vngaricarum libro quarto apud Bonfinium, recensentur.				
Mouet igitur ex Vngaria cum vniuerso instructóque exercitu, Germaniæ fines ingreditur: excursionibus, quicquid occurrit locorum, populatur: inuadit, diripit, vastat, incendit. arcē Troutmansdorff expugnat, Petersdorffium capit: Nouamque ciuitatem & Viennam interiacentia oppida numero quatuordecim, vno die (q. erat xvii Iulij) regi deditionem vltrò deferunt.	5439	1467	488	19
Claustroneuburgū intempesta nocte adoritur, expugnatq; xviii Iulij.				
Corneuburgum x obsidionis die à rege capitur.				
Tulna in regis potestatem peruenit vii die obsidionis. Interim etiam Chremsium, Stan, prefecti regij obsident: omniaq; circumstantia illa loca terrore complent, obuios obtruncant, incēdio & ferro circumfusam regionem vastant.				
Ad hæc imperator Rom. Chremsiensium periculo ac commiseratione, nec non Viennensiū obsidione commotus, legatos suos pro componenda pace, & percutiendo cum rege fœdere, in regia castra misit: à quibus rex exoratus, Cæsareę Maiestati cuncta quæ ceperat, sponte reddidit.				
Cessit Austriæ: reuocatisq; in Hungariam exercitibus, Posonium descendit: ac vnà cum maxima aulicorum manu, reginaque Beatrice sua, animum recreandi gratia, per regnum vagatur, vrbes, locaq; præstantiora lustrat, vxorique ostendit. Ciuitates montanas, vbi educēdi è fodinis metallicis auri & argenti, item molendi, diuidendi, conflandiq; modum, nunquam antea ipsis visum, admirantur: præcipuè Schemnicij, ciuitate iusticia, fide in suum regem, constantia, opibus, auctoritate, gloria & dignitate celebri. Cuius quidem vrbis prestantiam, Gymnasium literarium, rectore D. Thoma Fabri Pannonio, viro vndiquaq; doctiss. clarissimóq;, nunc adauget, & illustrat.	5440	1478	489	20
Eo tēpore, præstituta Matthiæ regi à Rom. pontifice, Venetóque Senatu stipendia, abrogata sunt. Id autem factum, ne aduersus Rom. Cæsarē, Matthiæ opem adferre viderentur. Turci re cognita, per Dalmatiam & Carnos emensi, Foroiulianum agrum inuadunt, fluuios tranant, montes superant, & in Venetorum prouincias descendunt, viginti millia hominū ditionis Venetæ in seruitutem redigunt: castella & arces, oppidáque munitissima				

Mundi	Christi	Conuers.	Regiminis

expugnando diripiunt. Hæc autem mala aliquoties reiterata, è destituta bellicosi regis Matthiæ societate promanarunt. ideoq; Veneti desperata regis reconciliatione, cùm se Turcis tunc temporis impares esse cognoscerent, sub certis cõditionibus cum Mahumete fœdus percussere.

Rex Matthias cum rege Wladislao Olomutij fœdus repercussit, societatemque, & fraternitatem redintegrauit.

5441	1479	490	21

Turci absente rege Pannonias inuadunt, ad castrũ vsq; Ferreum & in Stiriã discursant: in pagos, homines & pecora iuxtà desæuiunt: xxx hominũ milia, cum ingenti præda, incensis vastatisq; prouinciis, secum abducunt in Bossenam vsque.

Rex, Romanorum Imperatorem crebris literis, multisq; legationibus ad promissa persoluenda, pactáque præstanda solicitat: nihil autem præter verba impetrat. Ideóque cum duobus rerum humanarum Imperatoribus, vno eodemque tempore dimicare cogitat, bellumque duplex suscipit. Turcos cum expeditissimo exercitu, vsque ad amplissimum Illyrici oppidum, quod Werbos nominant, insequitur: maxima ibi cædes oboritur, miserrimè Turci trucidãtur, omnia diripiuntur: prædа vltimò onusti Hungari, in castra redeunt. paucisq; pòst diebus, quæcunque ditionis Turcorum in Illyrico fuere, ab Hungaris igni ferróq; crudeliter vastantur.

5442	1480	491	22

Rex Zagabriam se è Bossena, accepta victoria, recepit Rumor eò adferebatur, exercitum Imperatoris, Rom. Hungariam Iaurinum vsque longè latéque vastare. Rex ira inflammatus (præmissis copiis in Stiriam, qui ductu comitis Stephani de Zapolia, & Iacobi Zekel, Petouiam, Rakospurgũ, & pleraque oppida Cæsaris, in regiam ditionem coegerunt) Zagrabia castra mouit, ditiones alias Imperatorias vastaturus. Ad quem legatus pontificius Prosper Asculanus antistes, cum oratoribus Cæsareis occurrit, per hos Cæsar excusatur, culpaque omnis in quosdã magnates, qui inscio Imperatore in Hungariam descẽdissent, deriuatur. Rex Budam proficiscitur. Turcarum triginta circiter millia, cum insigni regis victoria, capitaneis Stephano Bathory Transsyluaniæ Vaiuoda, & Paulo Kynisy, fortissimo & robustissimo milite, in Kenyer Mezeye (Vaiuoda vulneribus ferè confecto) profligantur.

Mahumetes Cæsar Turcarum, non sine veneni suspicione, quinto nonas Maias, septimo & vigesimo Constantinopolitani Imperij anno, item mense vndecimo, & die quinto, moritur: relictis duobus liberis, Baiazete & Zoliabo.

5443	1481	492	23

Rex Matthias Hamburgum, in Hungariæ Austriæque finibus situm, pridie Calen. Octobris expugnat.

5444	1482	493	24

Eodem

Eodem menſe Turcarum tria millia in campo Beezkereke, Synderouiæ proximo, ductu Pauli Kyniſy Deſpotis, & Petri Doczy in acie, præter captos & ſaucios multos, cum præclara victoria cæſa quingentis ex Hungaris deſideratis.

Rex Pruck ciuitatem præterit, & Viennenſem agrum adoritur, infeſtatq́; nõnullis in ſuburbanis captis. finitima quoq; circùm oppida (vt S. Vitum, Podonam, & alia) in ſuam ditionem traxit. mox & Nouam eccleſiā, item Kewzegh, aliàs Guncz, oppidum haud procul à Sopronio ſitum, & alia circumſtantia fortalitia, ſine magno negotio obſedit & expugnauit. Sæuiente ergo bruma, in Hungariam copias ad hybernandum reducit.

Clauſtroneuburgum, & oppidum ſancti Hippolyti, ab inſigni equitum præfecto Thobeſch à Tſchernyhor, a rege Matthia miſſo, occupantur. Prukh ciuitas, quam Cęſar validiſſimo præſidio & quauis arte muniuerat, iuſſu regis Matthiæ à Stephano Dauidhazy obſidetur, magnaq́; cū difficultate expugnatur, præter arcē. cuius præfectus poſt menſem, inedia coactus, deditionem fecit.

Corneuburgum, ciuitas & amœniſſima & muniſſima, acerrima obſidione circumducitur. Obſidio autem vt repentè ſoluatur, è Noricis & Vindelicis auxiliares copias inſtructiſſimas Imperator mittit, manus collatis vtrinque ſignis conſeritur, fortiter pugnatur. Germanorum vltimò equitatus inclinatur.

Eodem tempore, ſeptem Turcarū equitum millia per Croaciam, Carinthiam & Carniolā, ad diripienda quædam emporia, eruperunt. in reditu ad Oonwyze amnem Croatiæ, abductis decem millibus captiuorū, & ingenti præda, à nonnullis prouincię ducibus, vtpote Deſpota Lupo, comite Berardino de Frangepan, & Gereb bano, ad internecionem cæſa ſunt, & omnia recuperata.

Rex potitus victoria, Corneuburgenſes tam diu obſedit, donec deſperatis nouis Cæſareis auxiliis, iam inedia ferè abſumpti, deditionem vltrò facerent. Similiter & alia oppidorum & agrorum per eam Auſtriæ partem loca, in ditionem regiam peruenere.

Rex Viēnam obſidione circumuenerat XXVIII Ianuarij: præripiuntur ab eo pontes vrbis, & potiſſimus rei frumentariæ aditus obſtruitur: ſuburbana acriter oppugnat & diripit: eximias, amœniſſimasque villas, curias, hortos, alodia, miles igni & ferro proterit. Viennenſes tandem omni auxilio deſtituti, execrabiliq́; fame adacti, haud ſine perpetuo regiæ victoriæ monumento deditionem fecere, Calendis Iuniis.

Conuentus Budæ frequentiſſimus, Vienna capta a rege indictus, celebratur Calendis Ianuariis. Reſpublica optimis legibus & inſtitutis inſtaura-

Mundi	Chriſti	Conuerſ.	Regiminis
5445	1483	494	25
5446	1484	495	26
5447	1485	496	27
5447	1485	496	27
5448	1486	497	28

Mundi	Christi	Conuerſ.	Regiminis

tur. Quibus habitis, in alia Auſtriæ loca rex proficiſcitur: Cziſterſdorffum nobiliſſimum oppidum obſidetur, & in fidem rex accipit. Motis hinc caſtris, Lauam conceſſit: ciuitas ea cũ arce, non infirmo præſidio munita, inclementer à rege quatitur.

Conuentus Iglauiæ celebratur generalis, quò Bohemorum & Hungarorum proceres cum vtriuſque regni regibus conuenere. Tertiò repercuſſum hîc è ſententia fœdus, & priſtina confirmabatur amicitia. Wladiſlaus in Bohemiam, Matthias ad obſeſſam Lauam ſe recepit, eamq́ue in fidem acceptauit.

Ciuitatem & arcem Auſtriæ Rhecz, acerrimè rex oppugnat. Rhecziani vltimò quoque in fidem accepti.

Egriburgũ, ciuitas muniriſſima Auſtriǽ, XXXVIII obſidionis die in ditionem regis peruenit.

Noua ciuitas, vrbs Auſtriæ, regi Matthiæ arte & viribus per anni ſpacium obſtinatiſſimè reſiſtens, a rege acerrimè oppugnatur: incenduntur circùm oppida, pagiq́; , & omnia diripiuntur. Schadwien continuò capitur: & patefactis anguſtiis viarum, in Styriam regis legiones eruperunt, & oppidula circiter vicena eo tempore ceperunt. XVII tandem die Auguſti vrbs regi deditur.

5449	1487	498	29

Capta iſta Neapoli, proxima hyeme apud diuũ Hippolytum conuentus indictus. eò rex cum oratoribus Cæſareis, & cum duce Saxoniæ Alberto, conuenientes, inducias fecerunt.

Rex ad venundandas varias vrbes cum municipiis, item dominatus in Sileſia & Luſatia (Ioannis gnati ſui, ex illegitimo thoro nati, gratia) proceres nonnullos prouinciarum impulit, cuius imperium eò vſque in Luſatia propagatum eſſe dicunt, vt duorum dierum itinere Sarmaticum Oceanum attingeret.

5450	1488	499	30

Hoc quoq; anno Styrij & Carinthij, ob frequẽtes Pãnonum incurſiones pacem ſæpe à rege mercari ſunt adacti.

Rex motibus prouinciarum omnibus compoſitis, podagra in tantum corripitur, vt nunquam pedibus vltrà conſtiterit.

5451	1489	500	31

Eo anno multi ex vniuerſo orbe oratores ad Matthiam confluxere. Rex etiam, quamuis Viennæ, ingraueſcente in dies aduerſa valetudine, ſenſim extenuaretur, nunquam tamen à curandis rebus domi vel foris ceſſare viſus eſt. ruinas paſſim mœniorum vrbis reſtitui & reparari fecit. Tãdem Matthias, princeps inuictiſſimus, feria tertia poſt Dominicam Palmarum, ætatis anno quadrageſimoſeptimo, nõ ſine maximo Hungarorum luctu, moritur.

5452	1490	501	32

Corpus Albam Regiam deducitur, inq́; regum conditorio magnificè ſepelitur.

35. WLADISLAVS II. rex Bohemorum, filius Caſimiri

	Mundi	Christi	Conuers.	Regiminis
Casimiri regis Poloniæ, defuncto Matthia, ab Hungaris in suum regem declaratus: venit in Hungariam cum oratoribus Pannonicis, & primò in arce Schempte consedit.	5452	1490	501	
Maximilianus Rom. Cæsar, sub id tempus recuperauit Viennam, Nouam ciuitatem, Prukh, & totam ferè Austriam. Hoc etiam anno Alba regalis, Vesprimium, vnà cum aliis castris fortissimis, & ad quamuis oppugnationem infestis, à Cæsare (nō sine cæde suorum) expugnatur. Hæc tamen vicissim à rege Wladislao obsessa, breui cuncta restituuntur.				
Rex Wladislaus vndecimo Calen. Octobris, de communi consensu Albæ ritè coronatur.	5453	1491	502	
Horrendum illud rusticanum & seruile aduersus Nobilitatem bellū in Hungaria exoritur: quod & præ cæteris Ioannes Waiuoda Transsyluaniæ, præfectis eius seditionis captis, maximaque parte cæsa rusticorum, sedauit.	5478	1514	525	24
Moritur Wladislaus rex, Budæ. Sepelitur verò in Alba Regali.	5478	1516	527	26
36. LVDOVICVS II. filius Wladislai, viuo adhuc patre, in ipsis cunis rex Hungariæ creatur. Regnauit hic ad instar patris sui, in ocio, vsque ad expeditionem Mohacziensem.				
Solymānus Turcorum imperator Belgradum, aliàs Nandor Albam, maximum regni Hungariæ propugnaculum, capit, in festo decollationis Ioannis Baptistæ.	5483	1521	532	
Hic etiam Sclauoniæ, Croatiæ & Hungariæ maximam partem sibi subactā reddidit: Moldauiam & Transalpinam sibi tributaria regna fecit.				
Eodem anno Maria neptis Imperatoris Maximiliani, filio Wladislai regis Ludouico in vxorem datur. Contrà soror Ludouici Anna, Cęsaris nepoti Ferdinando desponsatur.				
Solymannus Turcorū imper. Iunio mense, magna vi & copiis Rhodum obsidere cœpit: ac tandem septimo mense, Decembris die 25, deditione cepit, anno Domini 1522.				
Solymannus idem, Hungariam rectà petit, prælioque decernit cum Ludouico rege: qui in campo oppidi Mohacz, in festo decollationis beati Ioannis Baptistæ victus, in fuga periit.	5488	1526	537	10
Cadauer eius in riuulo Czelepataka, integrè post duos mēses inuentum: & in Alba Regali perhonorificè, summa cum luctus omnium contestatione, fuit sepultum.				
37. IOANNES de Zapolia, Waiuoda Transsyluaniæ, & comes terræ Scepusiensis, post Ludouici regis funestum & calamitosum occasum, sua potentia fretus, à nonnullis factiosis proceribus & nobilibus regni, ei adhærentibus, rex salutatur, in festo Martini 1526: palatino regni Stephano de Bathor, atque saniori dominorum præla-				

	Mundi	Christi	Conuers.	Regiminis
torum, baronum & magnatum atque nobilium regni parte non consentiente.				
38. FERDINANDVS Infans Hispaniarum, & archidux Austriæ, in regem Bohemiæ 14 Februarij coronatus, fœdere connubiali, maiorumq́ suorum pactis & conuentionibus, iure optimo regni gubernacula excipit, & sacro diademate Albæ coronatur, die 28 Octobris.	5489	1527	538	
His ritè peractis, Wayuoda Transsyluaniæ contra vim Ferdinãdi regis, in tutelã Solymanni Turcarum Imperatoris confugit.				
Solymannus solicitatus à Ioanne, cũ numerosissimo exercitu Viennam vrbẽ Austriæ, ad Idus Septembris obsidet. Sed cũ nihil proficeret, tandem postridie Idus Octobris soluit obsidionem, & fuga sibi consulere cogitur: multisq́; Turcarũ millibus in reditu desideratis; Budã rectà rediit: ibiq́; Ioannem regẽ constituit, & cõfirmauit. Budam autem Wayuoda vsq; ad mortẽ possedit. Mortuus est Anno Domini 1540, mẽse Iul. relicto infante filio Ioanne, ex Isabella Sigismundi Poloniæ regis filia. Hunc tutores patrocinio imperatoris Solymanni commendant.	5491	1529	540	2
Memhetbeck Bassa terram Mathyuusfetuulde comburit, atque proterit. Regius exercitus ductore Ioanne Koczian, in Sclauonia incidit in aduersarios Turcas, ex quibus magna ex parte cõciditur.	5492	1530	541	3
Ibi magnificus D. Paulus Bakyth de Laak, vir eximiè bello fortis, cùm acerrimè cõtra Turcas pugnaret, extinctus est. Solymannus imperator illustrissimum & clarissimum disciplinę militaris principem, Dominum Hieronymũ a Lasco, Wayuodam Syradiensem, &c. felicis recordationis, quem Ferdinãdus, vt ipsum placaret, Constantinopolim anno Domini 1540 miserat, in vinculis detinet, (de huius Lasci illustribus & probatissimis actis, Paulus Iouius libro 32, Ioannes Sleidanus libro 13, Andreas Fricius de Reub. in Orat. de pœna homicidij, Roterodamus passim) simulq́; auxiliares copias pupillo Ioanni mittit, atque Budam & Pesth occupat.	5499	1537	548	10
	5503	1541	552	14
Pesth à Ioachimo Brandeburgensi marchione frustra tentatur.	5504	1542	553	15
Eodem anno Hieronymus à Lasco, ex veneno sibi à Solymãno in dimissione ex Turcia ad bibendũ administrato, moritur: & in basilica arcis Cracouiensis honorificè sepelitur.				
Turca in Hungariam iterum irruit: castrũ Walpo, Suklos, Quinqueecclesias, Stridonium, aliaque insignia regni loca capit, & Albam Regalem expugnat.	5505	1543	554	16
Hungari, ductore illustri D. Petro Bakyth, bello Saxonico occupantur.	5508	1546	557	19
Serenissima princeps Anna, regina Hungariæ, moritur ex partu Ioannæ, 27 Ianuarij, 1547 Salutis anno, Pragæ sepulta.				

Locustæ

	Mundi	Christi	Conuers.	Regi.
Locustæ Hungariam peruolitant, & inficiunt.				
Lewa, Zythnia, Czabrag, Muran, & alia fortalicia expugnata ab exercitu Ferdinandi regis, imperatore supremo Nicolao comite à Salmis, summa in quaque fortuna præstantia conspicuo viro.	5511	1549	560	22
Themeswar, Lippa, Zolnok, Czanad, & quædam alia castella, à Turca capta. Themesuari magnanimus ille & fortissimus Stephanus Lossonczy, à Turcica immanitate periit.	5514	1552	563	25
Exercitus regius, ductore Erasmo Teuffel, quē Hungari Ordeg Matthias nominant in Palast, aliàs Plessouicz, circa montanas ciuitates, à Bassa Herrelt dicto, ad internecionem conciditur. in quo Hungarorū acerbissimo casu præter multos rerum bellicarum instructissimos, reuerēdissimus & amplissimus præsul, Augustinus Sbardellatus, antistes Vaciensis interiit.	5514	1552	563	25
Turca victoria potitus, arcem Dregelt, item Giarmat, Szeczen, & alia adiacentia loca capit.				
Agria arctissima obsidione ab Amhatbassa, Balibassa, Beglerbego, & Kaszonbego, frustra circūuenta: propugnantibus fortiter magnificis militibus D. Stephano Dobo, Stephano Mekczey, Stephano Zolthay, Gregorio Literato, & Ioanne Figedy. Eam historiam. Io. Sambucus diligenter cōscriptam edidit.	5514	1552	563	25
Post grauissimam Agrię obsidionē, totius Christianitatis voto internūcij & pacificatores ad Turcam Byzantium deliguntur, reuerendissimus D. Anthonius Verantius, episcopus nunc Agriensis: & magnificus Dominus Frāciscus Zay, Cæsareus Cassouiæ capitaneus.	5518	1556	567	29
Zygeth arx frustra à Turcicis copiis obsidetur, propugnante fortiter D. Marco Horuath. De ea quoque D. Ioan. Sambucus.				
Serenissimus & illustriss. archidux Austriæ & comes Tyrolis, &c. Ferdinandus, FERDINANDI regis filius, validissimis copiis pro tēpore contractis, in Hungariam descendit, hostem aggreditur, & cum immortali præclaræ victoriæ monumento reprimit, anno eodem. De his clarissimus D. Petrus Raymundus Amadonus, Medicinæ doctor, in ea expeditione physicus.				
Eodem anno Transsyluani, à diuo Ferdinando, rege suo, ad Ioannem filium regis Ioannis nuper reductum, deficiunt.	5520	1558	569	31
FERDINANDVS Rom. Hungariæ, Bohemię, &c. rex, &c. Imperator Christianorum declaratur, 24 Februarij.	5521	1559	570	32
ZAKOLCZA ciuitas igne memorabili cōflagrata.				
ALBERTVS A LASKO, &c. Iacobum Heraclidem Basilicum Despotam, in Moldauiam introducit: & Alexādrum, eius loci crudelem principem, suumq; numerosissimum exercitum, parua manu, 18 Nouemb. fundit, fugatque: atque	5523	1561	572	34

Mundi	Christi	Conuers.	Regiminis

regnum ipsum amplissimum, locupletissimum, diuersisque populis refertissimum, vsque ad vltimos suos terminos victrici sua fortitudine adeptum, ingrato Despotæ subactum reddit. De hac gloriosa victoria, Andreas Tricesius, Adamus Schroterus, Ioachimus Tanneberger, & alij, copiosius.

39. Diuus MAXIMILIANVS II. Romanorũ Imperator Augustissimus, coronatur Pragæ in regẽ Bohemiæ, 26 Septembris, Anno Virginei partus 1562. Francoforti in regem Romanorum, eodem anno, vltimo Nouembris: denique Posonij, in regem Hungariæ, die natiuitatis gloriosæ virginis Mariæ. Sequẽti die, qui erat 9 Septembris, Serenissima princeps Maria Imperatrix, in Hungarorum reginam ritè coronatur.

5525	1563	574	36

Dignetur Deus opt. max. huius Christianissimi principis imperium, in sui nominis gloriam, Christianorum salutem atque incrementum, liberationemq; calamitosæ & afflictissimæ patriæ nostræ, fortunare, & diutissimè conseruare.

Despota à suis Valachis dolo & astu circumuẽtus, 5 Nouemb. occiditur. Dux Demetrius Visnouecius ab eis vocatus, Solymanno vinctus Cõstantinopolim, crudelissimo mortis genere extinguendus traditur. Interim loco huius Thomssa, princeps à factiosis salutatur. hic breuissimo sui regiminis spacio exacto, ab Alexãdro in Russiã vsq; fugatur: ac tandẽ Leopoli, primaria Roxolanorũ vrbe, iussu Serenissimi regis Poloniæ, capite plectitur.

5525	1563	574	36

Augustus, pius, fœlix, pacificus Imperator Christianorum, diuus FERDINANDVS, P. P. vitam fœliciter cum morte commutat Viennæ, 25 Iulij, hora sexta pomeridiana. Sepelitur Pragæ.

5526	1564	575	37

Arces & dominia amplissima, Thokay, Zerencz, Zathmar, Erdeud, Kwar, Bathor, Wybania, Zendereu, aliáq; insignia loca, nomine sacratiss. Rom. Cæsareæ Maiestatis, à generali exercituum regni Hungariæ imperatore D. Lazaro de Swendy, cõsilio, prudentia, celeritate ac militari disciplina inclyto viro, expugnantur.

5527	1565	576	2

Palotha frustra à Budensi Bassa obsidetur: resistente bellicoso viro Georgio Thwry, eius loci capitaneo Cæsareo.

Thata & Vesprimium per illustrem à Salmis comitem Ecchium, supremum Iauriensem capitaneum, &c. bello & pace de regno optimè meritum, vi & armis recuperantur.

5528	1566	577	1

Solymannus Turcorum Cæsar ad Hungariam vastandam, quotidianis incursionibus, & rapinis infestandam, suoque imperio subiugandam, in regnum propria sua persona venit, arcemq; Zygeth arctissima obsidione adoritur, & non absq; cruentissima suorum cęde expugnat. Vbi fortiter, cũ bona Hungaricæ nobilitatis parte, occubuit heros perpetua memoria celebrandus, comes Nicolaus à Zrinio,

à Zrinio, genere, opibus, dignitate, animiq; fortitudine & constantia illustris.

Solymannus victoria ista potitus, moritur.

Sultan Selim, anno ætatis 42 Imperator Turcicus tredecimus, de domo Othomannica (quæ 266 annos durauit) succedit patri, 26 Septembris, anno eodem.

Arx Gyula, Bassæ Pettano Vezirio deditionem facit.

Tartari, gens immanitate barbara, superioris Hungariæ partes vltra & citra Tibiscũ latè discurrunt, prædas abigunt, omnia flãma vastant, omnisque ætatis & sexus homines partim cædũt, partim in seruitutem perpetuam abducunt.

MAXIMILIANVS Cæsar cum numerosissimo expeditissimoque Christianitatis exercitu generaliter parato, in regnum Hungariæ Komaron vsque, ad hostium vim reprimendam, descendit: vbi nonsolùm regni huius, sed & totius Christianitatis propugnacula, contra hostiles incursiones tutatus est.

Zabathka, Pelsewcz, Gombazzek, Kraznahwrka, Gadg, & alia circumiacẽtia castella & fortalicia, per Schwendium expugnata, eodem anno.

Tartari, adiuncto Turcorum validissimo munitissimóque equitatu, & innumera Ianiczarorum multitudine, animis obstinatissimis arcem Thokay circumueniunt. quos Iacobus Raminger, fide & militari disciplina conspicuus vir, arcis capitaneus dignissimus, inuicta animi fortitudine inclinauit: consternatosque animis, palantes fugauit, anno eodem.

Georgius Hozzuthothy, nobilitate generis & animi excellentia vir clarissimus, Sacræ Cæsareæ Maiest. cameræ Hungaricæ consiliarius, Orator à sua Maiest. superiori anno ad Solymannũ Byzantium missus, Dei beneficio nobis optatissimè ex Turcia remittitur, in fine Decembris, anno prædicto.

Zadwar arcem munitissimam Georgij Bebek, à fide Imperatoria deficientis, Turcisq; adhærentis, Schwendius capit.

Munkacz forti obsidione à Cæsarianis, capitaneo Schwendio cincta, expugnatur.

Mundi	Christi	Conuers.	Regiminis
5529	1567	578	4

FINIS.

ILLVSTRISSIMI DOMINI ALBERTI A LASCO, PALATINI SYRADIEN. &c. EXHORTATIO AD MILITES, IN EXPEDITIONE Moldauica, cùm Iacobum Basilicum Despotam in regnum introduceret, Anno Domini 1561.

NON TAM elatum animum, neque tam superbam mẽtem Dij immortales dedere mihi, Milites, vt auiditate dominãdi, in dubium Martis discrimen vos huc, in alienam, & nobis omnibus prorsus incognitã terram, ex patriis sedibus educere, consilium haberem: neque tam diuitiarum cupidam, vt earum studio & vitam meam, & sanguinem etiam vestrûm, periculo obiicere vellem. Si enim nullum vnquam triste imperium, in eos quos mihi natura subiugauit, exercui: & si tot ditiones, iure hæreditario ad me delapsas, parui apud me semper feci: quis quæso erit, qui me vel superbè affectantem imperia, vel auarè ambientem diuitias, aut esse existimet, aut me huc venisse propterea putet? FAMA, Milites, fama atque immortalitatis studium eò me pertraxit, vt oblitus quietis domesticæ atque vitæ priuatæ (quam hi tantùm felicem putant, qui sub diuo somno se dare inhonestum existimant: & iniurias ventorum, niuis, frigoris, algoris, inediæ ac vigiliæ subterfugiunt) vobiscum vnà huc meme contulerim: iniquissimi ac crudelissimi tyranni vitam salutemq; persequuturus. Antiqua secula Herculem non modò laudibus & gloria prosequuta sunt, sed etiam in numerum Deorum immortaliũ retulerunt: propterea quòd is contra Diomedem Thracum regem (qui carnibus hospitum, & sanguine ipsorum, equos suos pascebat) bellum instituisset: deuictumque & in frusta dissectum, in pabulum præbuisset. Philantum quoque, Dryopum regem, Apollinis Delphici templum violare ausum (Deûm hæc iniuria fuit) regno spoliauit, illudque Meliensibus incolendum dedit. Quod ab eo factum esse, multi autores sunt, non vt regnum affectaret: sed, vt & iniuriam Diuorum, hominum denique, vltum iret, & famam virtutis suæ æternitati relinqueret. Is animus mihi est, Milites. Bellum enim suscepi, gloria magis quàm diuitiarum aut imperij cupiditate ductus: & suscepi contra eum, qui nec Diis, nec mortalibus vnquam pepercisse videtur: & cui præter inferendas iniurias, & exercendam crudelitatem, nihil pensi vsquam est. Non veretur, homo omnium quos terra sustinet sceleratissimus, in dona Deûm auaras, in sanguinem autem mortalium cruentas manus iniicere. Quod enim fanum ab illius auaritia intactum mansit? Taceo homines ab illo contra ius, fasque violenter trucidatos, quorum sanguine hic fluuius sæpe inundauit: cadaueribus autem hæ syluæ, hæc prata repleta, & volucres in aere volitantes pastæ sunt. Hæc sua voluptas est: in conspectu vxorum maritos, ante oculos liberûm parentes vita spoliare. In hunc modum iusti principis officio se perfungi existimat, vbi fana & delubra Deorum spoliauerit, liberos in præsentia parentum trucidauerit, in iustum æquè ac iniquum sæuierit, neminem nisi fraudis & cædis alicuius reum in suis reposuerit. Ad quem vindicandum hæ arbores, quas cernitis, Milites, hi lapides, qui pedibus vestris teruntur, hic fluuius, qui equos vestros vosq; metipsos potat, hic locus denique, quem occupastis, hi etiam montes quos cernitis eminere, si sensus illis inesset, consurrexissent: ostensuri, tam atrocem & crudelem tyrãnum nequaquam ferri debere. Qui cùm alienam patriam fraude astuque occupasset, in deliciis id vnum habere videtur, vt eam sanguine humano conspergat: ostendens nimirum, se hic aduenticium & peregrinum, non hæredem: tyrannum, non iustè dominantem esse. Nam si patria esset hæc sua, num necesse haberet, vt patrium solum ita immaniter depopularetur?

...: vtiq; verus hæres, veræ hæreditati pepercisset. Si legitimus princeps, ...geret: non vi, bona subditorum occuparet. Si iustus gubernator, iustè ad supplicia condemnaret. Sed non est ita, Milites. facta quenque sua, qualis quisque sit, declarant, & orbi demonstrant: vt & hunc iam satis liquidò demonstrarunt, esse illum omnium mortalium iniquissimum. Videtis, qui mihi astat, Despotam nobilissimum, nobilissimæ & antiquissimæ familiæ virum, verum huius prouinciæ successorem & hæredem: cuius ille sedem & patriam a longo iam ...s tempore, malis artibus occupauit: & contra quem exercitum nunc parauit, milites coegit, vt patria prius spoliatum, vita nunc etiam ipsa priuet. At ego, qui certò scio, apud tyrannum imperatorem, milites metu magis quàm amore imperatoris rem agere: ita apud me constituo, etiam numerosissimam phalangem, exiguam, vbi ad rem ventum fuerit, & satis imbellem fore. Qui enim præsentem metuit, absentem odit: id quod de militibus suis certò sibi persuadere potestis. Oderunt eum, & non nisi inuiti militiam susceperunt. Non est itaq; quòd paucitatem vestram respiciatis, Milites: in robore militum, & bonitate causæ, victoria, non in numero hominum consistit. Et Macedonum regem parua manu magnas copias fudisse, scimus. Cogitate autem in primis, periculo ingenti maximum præmium propositum esse. Totus orbis virtutem vestram, si eum vicerimus, admirabitur, & in cœlum feret. Hi autem quos è tyrannide, veluti è faucibus inferorum, in libertatem eduxeritis, non modò gratias acturi sunt: sed etiam omnia sua vobiscum esse communia existimabunt. Nihil erit ita eorum, quod non æquè idem sit vestrum. Sed quid ego de præmio dico, & apud vos dissero? qui nunquam hic pedem intulissetis, si me non singulari quodam amore prosequuti essetis. Itaque vos oro & obsecro, si vobis mea salus (quæ in eodem cardine, in quo & vestra, vbi ad prælium ventum est, versabitur) si fama & gloria (cuius studio & vos eduxi in hanc prouinciam, & me ipsum omnibus penè discriminibus obieci) curæ est, ostendatis vos eos esse, quibus nihil æquè displicet, quàm vitam sine gloria & bellicæ artis fama transegisse: & enitamini, vt ego vestra virtute vincam. Nam vt vos meo consilio salui sitis, ipse operam dabo.

DE TRIBVS SVMMIS IN IMPER. VIRTVTIBVS GNOMÆ GENERALES AD INVICTISS. CÆsarem Rodolphum II.

ACCIPE nonnullos canones, Bellator in armis,
Hostes vt norma, subijciasque manu.
Alte animo Cæsar, Gethicos exscinde furores,
In rabiem gelido versaque monstra polo:
Asserе Pannonias, tuaque incunabula serua,
Sic Patriæ Pater, & gratus alumnus eris.
Quis potis est melius: cui cœlum, terra, fretúmve
Arrident, proprium hoc munus, onusque canunt?
Haud numero semper decus, & victoria constat:
Caussa mouet, frangit pectora, vincit honos.
Præcipuam hanc laudum segetem tibi numina tradunt,
Post atauos, proauos gloriaque ista tua est.

Nil animum vertat, licet arserit antè Cometes,
Alitis æternæ sub regione minax.
Est certè è caussis qui talia suscitat aptis,
Qui precibus veniam pandet, eritque Deus.
Si quid in his nugis fuerit, quod fortè mouere,
Aut monuisse queat, suscipe lenis opus.
Sum maiora breui, rebusque æquæua daturus:
Sis modò Mæcenas, fulgeat aura rati.

V. Cæs. Maiest. Clientulus
& Cons. & Histor.

Ioan. Sambucus.

PRVDENTIA SEV SCIENTIA REI MILITARIS, APPARATVSVE.

DEVM *cum tuis ritè timeto.*
Intellectus aliorum modicè cogito.
Iustam caussam foueto.
Vbi paruisti, imperato.
Procul à penatibus bellato.
Amicis quasi hostem, his vt amicum te præbeto.
Honorem virtutum præmium extimato.
Digniora ætate ne concupiscito.
Ingenium, animumque comis habeto.
Euentu causam, exordio finem ne metitor.
Verbis dies rerum ne terito.
In aliena cupidius ne inuolato.
Cupidinis morbo nil feruentius ducito.
Res, & occasio præeant, non sequuntor.
Necessitati cum consilio manum porgito.
In subitis aberrationes vitato.
NON PVTARAM, *numquam dicito.*
Vim, vt semper in metu sis, ne facito.
Militem legito, non emito.
Annona tempore abundato.
Rei frumentariæ suffocationem castigato.
Fœdera cum remotis paciscitor.
Pacta, & conuenta colito.
Domi morborum mala antè curato.
Bellum seditione optabilius scito.
Consilia multorum fugito.
Imperitæ multitudini rarius seruito.
Eandem ad deteriora paratam ne obliuiscitor.

Dolum virtuti, sed loco, æquato.
Patriam ciuibus tuetor.
Aduentitios proxumè amato.
Fortunam culpam habere ne queritor.
Virtutem præ fortuna sectator.
Semel infames factos arceto.
Vel ingratos aliquando laudato.
Idoneos mage, quàm charos deligito.
Aduersa diu tecum ne coquito.
Classem terra, hanc illa obtineto.
Externos prouentus re familiari suppleto.
Alienis neruis, & pollicitis bella ne consciscito.
Ex rumore nil statuito.
Triumphaturus agrum anteuortito.
Metu te adularier ne sinito.
Maleficio modum statuito.
Nil, ni liceat, libère tibi adsuescito.
Quà rediturus es, nil vastato.
Domi quid in omnes euentus habeto.
Subditos sæpe lustrato, censetóve.
Quibusuis animum leuiter ne contrahito.
FORTVNÆ *semper memento.*
Gregario te familiarius ne propinato.
Vacationes venales auerruncato.
Quod diu suffecerit, per licentiam ne prodigito.
Retine quid potius, quàm totum perdito.
Consilia cum paucis inita, multis expedito.
Numero summam ne tribuito.
Pœnarum metum ad defectionem lubricum scito.
Quos tueris, vti constent, amato.
Cautè, raróve tribunis diffidito.
Militem sine vxore esse patitor.
Emeritos consultatione ne priuato.
Fortiorem, nisi vicinorum animo explorato, ne lacessito.
Paucos, ac securos fines comprendito.
Proxumæ flammæ succurrito.
Ampla pedetentim, angusta celeriter vrgeto.
IVS *gentium ne violato.*
Vim ad persuadendum possideto.
Quiduis, quàm vectigalis, efficitor.

CASTRA SEV VIRTVS, ET AVTORITAS, &c.

A Sociorum tectis, nisi hyemis perfugio, abstineto.
Exercitum seueritate contineto.
Itinera certa praescribito.
Eorundem motus & molimina celato.
Dissidium in hostibus serito.
Impossibilia ne molitor.
Autoritatem virtute, hanc illa praestatò.
Famae opinione cogito, non modò terreto.
Plus à milite, quàm hoste, timetor.
In alieno castra meditator.
Eorundem, vt vrbium, formam quadratam laudato.
Extra ea pro latis fossis & vallo velites locato.
Praemium non generis, sed virtutis esto.
Mercenarios largitionibus obstringito.
Tui contemptu cuncta difficiliora fore credito.
Loca munita copiosis anteponito.
Castra lata aquationi, aggestui accommodato.
Deliberationes in manibus ponito.
Edicta seriò, ne vilescant, asserito.
Secundis aquis, & syluis gaudeto.
Si hostis altior, aquas deciduas declinato.
Edita editis, humilia paribus vexato.
Quae palàm sunt, opportunitati captandae anteferto.
In hybernis aestiua comparato.
Quouis modo, quàm praelio, hostem compescito.
Ad opus lixis & machinis te instruito.
Hostem in sicco destituere satagitò.
Nauibus ad iungendas ripas abundato.
Domi antea discordibus, foris cautè vtitor.
Castris opimis interim cedito, & egentem concipito.
Flumen traijcere, minùs vt elabatur, sustineto.
Ob paucos velites vniuersa ne misceto.
Seditiones ilicet deleto.
Leuiores mora castigato.
Signa pro praetorio figito.
Qui ea prophanat, eum multato.
Ob contumaciam solus miles plectitor.
Cohortes crebrò alloquitor.
Feciales solidos allegato.
Poenam ad paucos, ad multos exemplum extendito.
Exercitationes seriis ne capessito.

Sordes procul à castris amouentor.
Militem animi ergò longius euagari prohibeto.
Si viribus diffidas, inuisos ne admittito.
Ante ignem fumum ne suscitato.
Obsessus arcana ne aeri quidem credito.
Qui linguam variarit, suspendito.
Vlcus vbi coaluit, ne refricato.
Metum vel grauem premito.
Iterum ne delinquito.
Locis asperis ac desertis tuos solator.
Ad victoriam angustias & vastitates fugito.
Militem ociosum ne sustineto.
Suspicione nil infelicius arbitrator.
Fideles, non perfidia strenuos foueto.
Muneris oblitum statione amoueto.
Recentibus excubias committito.
Quò vi nequis, arte saltem irrepsato.
Hostem, ne roboretur, fatigato.
Insomnia concocta ne spernito.
Crapulam, talos tollito.
Cœli, solive hostem insuetum, mora frangito.
Induciis, ac spe pacis ne languescito.
Rebus debilitatis ipsa mala, non remedia differto.
Tesseras aliquando, signaque mutato.
Inducias vicinis rarò, pacem dissitis concedito.
Fidem hosti, nisi cresceret, seruato.
De absentibus maiora vulgari notato.
In malo ciuili singulorum audaciam vitato.
In eo plus militi, quàm duci licere memento.
Largis ex metu promissis ne fidito.
Vindictam citra damnum versato.
Offensas Dei, publicâve caussa persequitor.
Impedimenta in via retrò, in periclis media concludito.
Pugnam spe potiundi, non fame aggreditor.

FELICITAS SEV CONGRESSVS, &c.

IN iustis vi opprimi turpe ne ducito.
Nil arduum numini censeto.
Dies astrâve occasioni ne præferto.
Mori, quàm turpiter superesse mauulto.
Equitum indagine vias aperito.
Prior aciem ordinato.

Nisi expertos producito.
Signiferum in medio locato.
Si scalis euadit, primum mittito.
Hostem prior, si potis, adoritor.
Moram tamen tutam ne præcipitato.
Hostem quemuis ne contemnito.
Stratagemata paribus eludito.
Ordinum consilium gregarium celato.
Si potis, insidiis inuadito, ac premito.
Infensos, si profugiant, ne curato.
Ne quid confundas prospicito.
Tironibus aliquando frontem pertentato.
Congressurus, tuos ne distrahito.
Grandibus terreto, paruulis machinis conficito.
De via fessos statim ne instruito.
Globatos fuge, diuisi ne coeant, dispalato.
Lassos si diffidant, à pugna arceto.
Recentes potius suffice, quàm territos reuocato.
Suspectos emittito, redituros sic excludito.
Superfluos extra aciem habeto.
Posterioribus mage, quàm confligentibus terreto.
Tormenta editiore loco, vel ante aciem ductato.
Præmia delatorum, vti scelera, inuisa sunto.
Pedes in plano resistito.
Si tormenta desint, te equite tegito.
Pedites locis densis, equites laxis statuito.
Eosdem circa cataphractos imperato.
Vbi minus periculi, in fronte cogito.
Vndiq; densus terga, frontem, latusque ipse tuetor.
Equis celeribus quid commoueto.
Sæpè commouendo hostem minuito.
In plano eques, ambagibus pedes agito.
Imperator in dextro, inter equites, pedites, quandoque medius esto.
Graues à latere equis muniti sequuntor.
Si frons tutior, robustioribus latera quatito.
Miles debilior cornu debilius infestato.
Pedes cuneo stet, aut in cuneum forfice ruito.
Imbelles, & suspectos in medio colligito.
Quos promissis corrumpis, præbitor ne maneto.
Si potis, aciem versatilem formato.
Trigona, si opus, vti quadres, accurato.
Aciem humilior secus, æquus, æquè moderator.
Vniuersos citius impelli posse, quàm singulos vitari, scito.
Equis circumuentus, pedes rem gerito.

Firmior cominus, debilior eminus pugnato.
Arma vel insueta, si meliora, capessito.
Fundis, sagittis, hastis, scorpionibus inito.
Sub pugnam in ordine nil moueto.
Equiti graui expeditum misceto.
Ab ala, cornúve sinistro ne frustrator.
Triariis cum accensis reliquum permittito.
Clamores, ni extremè decernis, inhibeto.
Fugituros ad angustias pellito.
Fugatos leuibus insequitor.
Deditioni, si vel aries fuerit admotus, conniueto.
Fugatus ipse, ad prima, secundáue redito.
Vi subiectos ocio torpescere sinito.
Fracti Tyrannuli ne hiscant, cohibeto.
Quæ expugnasti ad ignauiam ne deleto.
Antiquos possessores loco ne facilè traducito.
Terræ motu conuulsa prætergreditor.
CVIVS *virtuti fortuna, & victoria parcito.*
Loca sacra, & publ. priuis ne polluito.
Quæ alij auarè tollunt, tu ne quidem adspicito.
Sceleratum, vt diis inuisum, vel ab aris auellito.
Fidem in victoris libidine ne insinuato.
Superatis noua præsidia imponito.
Militi congium, donatiua elargitor.
Ius hastæ, sectionem ne tollito.
Ob quæstum noxios minimè laxato.
Hosti cæsos ne recusato.
Quos desideras, humandos dato.
Finem laboribus tuis definito.
Rebus gestis pacem, posteros intuetor.
Famam integram transdito.
Quod vegetus obtinuisti, lassus ne perdito.
Viuus vti partis fruare, adnititor.
His Fœlix IMPERATOR *nominator.*

FINIS.

RERVM IN HISCE BONFINII DECADIBVS ET CÆTERIS NOTATV DIGNIORVM INDEX, epitomes vicem præstans.

Impe-

oratio

Rebellium

NN

Terna-

Vindelico

INDICIS IN BONF. FINIS.

DECRETORVM
SEV
ARTICVLORVM ALIQVOT
PRISCORVM VNGARIÆ REGVM,
AD CONTEXTVM BONFINII ILLV-
ſtrandum, foriq; Pannonici vſum
neceſſariorum,

LIBER,

Nunc primùm typis proditus.

FRANCOFVRTI
Apud Andream Wechelum,
M. D. LXXXI.

Cum priuilegio Cæſ. Maieſt. ad decennium.

LECTORI SINCERO, AC VETVSTATIS AMANTI, S.

IN Bonfinij his narrationibus, consiliorum publicorum decretorumque frequens occurrit memoria: cumque nemini sit obscurum, de responsis, legibus, statutis, sanctionibus, nouellis, rescriptis cuiusuis ætatis, temporum, Rerumque pub. normam, & regionum faciem deprehēdi: profero & ipse aliquot potiorum Regum Vngariæ articulos, seu constitutiones, ad illustranda multa historiarum loca, eorumque seculorum repræsentandam formam: quorum & lectio multis grata erit, adeoque editio à nostris causarum patronis fuit pridem desiderata. Quod enim ad reliquos articulos, ad Maximil. II. vsque pertinet: hoc est, quibus pænè singulis annis vel additur, vel aliquid demitur, iustum volumen debetur, neque ad Bonfinij pertinent pronūciationes, sed fori atque iudiciorum Regiorum potius disceptationes. Quod si fortè lector vel formulis inusitata, vel primæ rudisque religionis susceptæ zelo nonnulla, ne dicam superstitione, adspersa, quæ ne clero ipsi vsquequaque hodie satisfecerint, occurrerint; nemini præiudicium fertur, nec religio importatur: quisque duntaxat vt historica accipiet. Vale, & quidquid hoc auctario comparuerit: inprimis erudito Antistiti Vaciensi, Zachariæ Mossouio, consiliario Cæsaris, autori, & cohortatori acceptum feras: cuius monitis, ac subsidio, huius argumenti reliqua, breui separatim, suoque loco prodibunt.

Viennæ Kal. Decemb. 1580.

ALIQVOT INSOLENTIVM VOCVM IN ARTICVLIS PANNONICIS INTERPRETATIVNCVLÆ SAMBVCI.

A

AGAPE, *eleemosynæ confraternitatum.*

Allodium, *res propria, vectigalis tamen.*

Auisare, *significare.*

B

Banderium, *cohors 400. militum.*

Banus, *præses regius in regnis Vngariæ adiunctis, qui vexillo alios omnes præit.*

Bansolmora, *marturinorum pensio olim.*

Biccelli, *hastulæ amentatæ.*

Brachium seculare, *gladius ciuilis.*

Breuia, *circa festum Georgij iudicia curtarum, & liquidiorum causarum.*

C

Calculatio, *inquisitionis communis testium supputatio.*

Calendæ, *sodalitates ad pias causas.*

Cambuca, *pastoralis claua: aliud est cambucca.*

Cancellarius aulicus, *qui sequitur principem.*

Cancellarius summus, *Regis personæ præsentia, cuius vicarius est personalis præsentia.*

Capetiæ, *quindenæ aliàs, aceruuli manipulorum frumentariorum.*

Caucarij, *testes obducti, falsi.*

Comes liber, *vt Fregipani, Vrsini, Veglij, &c. hoc est Zlunij, Blagai, &c.*

Comes parochialis, *præses parœciæ seu Comitatus.*

Condescensio, *citatio irrita, vel litis in alios translatio.*

Coniurati, *qui simul iurarunt testes.*

Conseruatorium, *sacristia.*

Continium, *gratuitæ ad fines muniendos operæ, & militum submissio.*

Corpora, *collegia sacra.*

Cribriones, *in Zala executores, ac ministri iuridici.*

Curia, *tabula, seu iudicium regium.*

D

Depilare, *ad dedecus radere:* decoriare, *loris cædere fortè.*

De plano, *citra ambages, & processus.*

Dica, *exactio publica.*

Dignitates, *officiolatus, munia publica.*

E

Educillare, *vinum, & vasa delinire, & vendere sub hedera.*

Effectui quid mancipare, *iudicatum facere.*

Eipericus, *asturco, pullus equitij generosi.*

Emanare, *edi, exire literas.*

Emendare equum, *licitari, emptitare.*

Emenda linguæ, *eius lapsus onus, liberatioq;.*

Eo facto, *statim, extunc.*

Euictor, *qui cauet alicui ab onere, vel expedit.*

Euocare, *in ius vocare.*

Exercituari, *castra sequi, conscribere militem.*

Exdomarij, *sine domibus, & foris versantes.*

Expeditor, *qui liberat ab onere.*

Expressata, *expressa.*

Ewœck,

Ewœck, *oppidani, vel villani.*
Ewrij, *finium olim custodes, viarúmque obseruatores.*

F

Fatigiæ, *labores.*
Ferton, 84 *denarij Vngarici. alius verton.*
Fidefragium, *periurium.*
Formata, *clericatus literæ.*
Forenses, *exteri, vel nundinatores.*

G

Gallicia, *Valachia.*
Gentes, *milites, exercitus.*
Gianisco, *generosus, Neapolitanus equus.*
Gialnisco, *marathana, claustra piscatoria.*
Grossus, *nunc quinque denárij, olim sex, & 7.*

H

Hydria, *metreta frumentaria, interdum liquidorum, & vini. Væder.*

I

Immediatè prout, *id est, paulò antè.*
Iocalia, *gemmata monilia.*
Ioccerdegh, *furtorum collectores.*
Iudiciaria deliberatio, *iudicatum.*
Iudicium ferri, *loco iuramenti ad candens ferrum examen, vt aquæ, ad aquam, credo, feruentem.*
Iudices ordinarij, *vt Palatinus, Iudex curiæ, Cancellarius, vel eiusdem personalis præsentia.*
Iudices nobilium, *Zolgabyro, vel quatuor delecti in Comitatu ad ius persequendum.*

K

Kalendæ, *sunt collationes ad pias causas, quas confraternitates loco sacro sponte destinarunt.*

L

Larua, *persona ficta, obducta ad fallendum iudicium.*
Lega, *gradus, bonitasq; metallorum.*
Litigiosa, *controuersa bona.*
Literatoriè, *in scriptis.*
Locumtenens regius, *pro rege, vt palatinalis, pro Palatino.*
Loca testimonialia, *Conuêntus, Capitula.*

M

Magister, *iudex, vel protonotarius iuridicus.*
Magnus Schenescalcus, *præfectus palatio.*
Manus, *pro teste aliquando.*
Mansiones, *loca sessionum.*
Mastigię, *seruiles multæ, & facinora.*
Mega, *regio, districtus, Comitatus.*
Mercipotus, *pignus contractus, vel emptionis.*
Meritum causæ, *summa, status.*

O

Octauæ, *sunt conuentus iuris dicundi, octo diebus ante Georgij, & Martini diem: nunc Lucæ.*

P

Palatinus, *summus regni curator vicarius, qui præfert coronam Principi, Strigoniensem subsequens.*
Palliare, *fucum facere, leuiter excusare.*
Passagia, *telonia viæ.*
Persona regia, *vt nobiles possessionati, & notarij regij ad executiones missi.*
Per perimitionem, *peremptoriè.*
Pisetum, *ius Strigoniens. in vrburis aurarijs.*
Polyedro, *tenellus equus, indomitus.*
Populosa domus, *habitata.*
Postergare, *reijcere, negligere.*
Possessionatus, *habens bona solo.*
Possessionum ius, *vt castrorum, oppidorum.*
Prædium, *nobilitaris locus desertus.*
Prædiolum, *curia nobilitaris, vel sex colonorum.*

Priſtaldi, *executores iudicũ nobiliũ.*

Proclamata congregatio, *olim iudicium in Zala, rigidum, & paucis diœceſibus.*

Protocolum, *libri publici, & autoritates.*

R

Rakos, *campus ad Peſtum regiæ electionis, & pro diæta generali.*

Ramia, *Bozna.*

Reſtollare, *retardare, impedire.*

Reuiſio, *ætatis pupillorum cenſus in capitulis.*

S

Sarkas, *iudex olim ſic dictus, in Somogh.*

Schinderling, *vilis promiſcuæ monetæ genus.*

Se, *met, vt decimus ſe, decimus met iurat.*

Signor, *dominus.*

Solatium facere, *benefacere ſuis ex ſacris reditibus.*

Subaratio, *annulo pactum matrimonium.*

Supportare, *alicui parcere in onere.*

Synodus, *Cleri conuentus.*

T

Tenuta, *telonia, grauamina itinerũ.*

Terragium, *penſio, ius fundi.*

Taxa, *penſio pro literis editis, item anatæ Romanæ, vt fortè hodie ſoluunt Prælati:*

Agrienſis	*4000.*
Zagrab.	*2400.*
Nitrien.	*275.*
Vacien.	*500.*
Veſprin.	*900.*
Iaurien.	*800.*
Tinnien.	*150.*
Strigonien. ad 7000. ducatorũ.	

Teſtes collaterales, *quos quis cauſa mortis, vel abſentiæ in futurum vſum cogit iuramento profeſſos.*

Thanya, *ſinus, piſcatura, fœtus vel brachium fluuij.*

Thauenicalia, *iudicia dicuntur de liberarũ ciuitatũ controuerſiis, quæ remitti ſolent ad perſonalem præſ.*

Tranſmiſſio, *cauſæ vltrò à Capitulo, vel per appellationem ad tabulam regiam, &c.*

Trinoforenſe iudicium, *olim terna citatione in nundinis contra aliquem, proceſſus iuris.*

Triumphare, *cauſam vincere.*

Trucina, *temeritas, inſultatio, pertinacia.*

Turris manca, *Budæ, carcer.*

V

Vada, *itinera, vectigalia.*

Vadia, *pignorationes.*

Vagiare, *pecus ob damna in ſatis abigere.*

Vagus, *ſeruus fugitiuus, nequam.*

Vayuoda, *Præſes loco Regis, vt in Tranſyluania, Valachia, &c. gubernatore inferior.*

Vduornicales, *aulici, & ei quiddam obligati.*

Vulgaris, *colonus, plebeius.*

Viuaria, *victualia.*

Vicecomes, *diſtrictuũ vicarius adminiſtrator.*

Vzbek, *facinoroſus, ſed aliquot diebus liber.*

W

Weyz, *locus ſagenis aptus, ſecretusq́;.*

REGVM

REGUM VNGARIÆ ET ALIO-
rum decreta in hoc libro contenta.

SANCTI STEPHANI PRIMI REGIS HUNGARIÆ DECRETUM FELICITER INCIPIT. OBIIT 1047.

Ad sanctum Emericum ducem se refert.

CUM cuncta Dei nutu condita, suàque euidentissima præordinatione disposita, tam in amplitudine cœli, quàm in istis aprisimis terrarum climatibus ratione intelligentiæ funditus sentiam vigere, atque subsistere: cúmque affatim vniuersa huius vitæ vtilitati, dignitatique, gratia Dei concessa, scilicet Regna, Consulatus, Ducatus, Comitatus, Pontificatus, cæterásque dignitates, partim diuinis præceptis atque institutis, partim legalibus, partim iuridicalibus, siue iurisdictionibus, partim ciuilibus, ac nobiliorum, ætatéque prouectorum, consiliis, suasionibus regi, defendi, diuidi, coadunari videam: & cùm omnes ordines vbique terrarum, cuiuscunque sint dignitatis, non solùm satellitibus, amicis, seruis, præcipere, consiliari, siue consulere, suadere, sed etiam filiis pro certo sciam: Tunc me ne pigeat, fili amabilissime, hac vita comite, tibi documenta, præcepta, consilia, suasiones parare, quibus tuæ vitæ mores, tibique subiectorum exornes, quandoque summa concedente potentia post me regnabis. Te autem studiosè adhibita audientia patris præcepta, iuxta diuinæ sapientiæ suasum, condecet obseruare, dicentis per os Salomonis: Audi fili mi patris " tui disciplinam, & ne dimittas legem matris tuæ, vt multiplicentur tibi anni vitæ " tuæ. Ex hac ergo sententia animaduertere poteris, si ea, quæ paterna pietate tibi " præcipio, contempseris (quod absit) quòd iam amplius amicus Dei & hominum non eris. Audi verò inobedientiam præuaricatorum præcepti, casum & præcipitium. Adam quidem, quem Dominus conditor, totiúsq; creaturæ plasmator, ad suam formauit similitudinem, eúmque vniuersalis fecit hæredem dignitatis, vinculum fregit præceptorum, statimque dignitatum sublimitatem, ac mansionem paradisi perdidit. Antiquus quoque populus à Deo electus & dilectus, quia ligamina mandatorum, digitis Dei condita, disiecit, idcirco diuersis interiit modis, partem quidem terra deglutiuit, partémque exterminator mortificauit, & pars inuicem se interfecit: filiúsque Salomonis, abiiciens pacifica verba patris, ac superbia elatus, minatus est populo percussiones frameæ, pro mastigiis, idcirco multa mala passus est in regno, & ad vltimum deiectus. Hoc tibi ne accidat, obedi fili mihi, puer es, diuitiarum vernula, puluinaris accola, fotus, educatúsque in deliciis cunctis, totius expeditionum laboris atque diuersarum gentium incursionis expers, in quibus ego iam ferè totam meam contriui ætatem, iam tempus adest, in quo tibi non semper puluinar mollities, quæ te hebetem & delicatum reddant, adhibendæ sunt, quod est dissipatio virtutum, & vitiorum fomentum, atque contemptio mandatorum, sed interdum asperitas tribnenda est, quæ tuam intelligentiam ad ea, quæ præcipio, reddant attentam. His itaque præfatis redeamus ad propositum.

Capitulum I. De obseruanda catholica fide.

QVONIAM ad regalis dignitatis ordinem non oportet nisi fideles & catholica fide imbutos accedere, idcirco sanctæ fidei in nostris mandatis primum damus locum: in primis præcipio, consulo, suadeo, fili charissime, si regalem cupis honestare curiam, vt fidem catholicam, & apostolicam, tali diligentia & custodia conserues, vt omnibus tibi à Deo subiectis exemplum præbeas, cunctique Ecclesiastici filij meritò te verum Christianæ professionis nominent virum, sine qua (pro certò scias) Christianus non diceris, vel Ecclesiæ filius. qui enim falsè credunt, vel fidem in bonis non implent, & ornant operibus (quia fides sine opere moritur) nec hîc honestè regnant, nec æterno regno vel corona participãtur. Si verò statum re-

tines fidei, habes etiam galeas salutis. his quidem armamentis contra inuisibiles & visibiles legitimè dimicare poteris inimicos. nam ait Apostolus: Nō coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Fides ergo de qua loquor hæc est: vt patrem Deum omnipotentem, factorem totius facturæ, & vnigenitum eius filium, dominum nostrum Iesum de Maria virgine, Angelo annunciante, natum, & pro totius mundi salute, in crucis patibulo passum, & Spiritum sanctum, qui per Prophetas, & Apostolos, & Euangelistas locutus est, vnam Deitatem perfectam, indissolubilem, incontaminatam esse firmiter credas, & sine omni ambiguitate teneas. Hæc est fides catholica, quam sic Athanasius dicit: Nisi quis fideliter, firmiterq; crediderit, saluus esse non poterit. Si aliquando infra tuam inueniantur potentiam (quod absit) qui hanc † collationem sanctæ Trinitatis diuidere, vel minuere, siue augere conantur, hos ipsos scias esse hæresiarchæ seruos, & non sanctæ Ecclesiæ filios. Tales verò nec nutrias, nec defendas, ne tu etiam videaris inimicus & vltor. huiusmodi enim viri sanctę fidei filios omnino reddunt morbosos, & istā nouellā sanctę Ecclesię plebē miserabiliter destruunt, ac etiā dissipabunt. hoc ne fiat, principaliter cura.

† *coniunctionem.*

Cap. II. De continendo ecclesiastico statu.

In regali quidem palatio post fidem Ecclesia secundum tenet locum, à capite nostro scilicet Christo Ecclesia prius seminata, deinde per eius membra, vtiq; Apostolos, sanctosq; patres transplantata, & firmiter ædificata, atq; per totum orbem diffusa, & quamuis semper nouam habeat prolem, in certis tamen locis, quasi antiqua habetur. Hæc autem fili charissime in nostra monarchia adhuc quasi iuuenis, & nouella prædicatur, atque idcirco cautioribus, euidentioribusq; eget custodibus, ne bonum, quod diuina clementia per suam immensam clementiam nobis concessit immeritis, per tuam desidiam & pigritiam atque negligentiam destruatur & annihiletur. Nam qui minuit aut fœdat sanctæ Ecclesiæ dignitatem, ille Christi corpus mutare nititur. Ipse enim Dominus dixit Petro, quem custodem, magistrumq; eidem posuit sanctæ Ecclesiæ: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; seipsum quidem nominabat petram, non ligneam, vel lapideam super se ædificatam Ecclesiam dixit, sed populum acquisitionis, gentem electam, diuinam gregem, fide doctam, baptismate lotam, chrismate vnctam, sanctam super se ædificatam Ecclesiam dixit, & appellat. Si quis infelix huius sanctæ Ecclesiæ membra, vel paruulos scandalizat, iuxta Euangelij præceptū dignus est, vt mola suspendatur asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris, id est, eiiciatur de potestatis dignitate, & maneat extra Ecclesiā iustorum, in illa mundiali miseria, sicut ethnicus & publicanus. Ac per hoc fili mi feruēti studio debes inuigilare in sancta Ecclesia, de die in diem, vt potius capiat augmentū, quàm detrimentum patiatur: inde quidem in primis reges Augusti dicebantur, quia augebant Ecclesiam. Hoc & tu facias, vt tua corona laudabilior, & vita beatior, & prolixior habeatur.

Cap. III. De impendendo honore pontificibus.

Regium solium ornat ordo pontificum, ac per hoc in regali dignitate tertium possident locum pontifices, charissime fili: seniores illos ita custodias, sicut oculorum pupillas. Si illorum beneuolentiam habes, neminem aduersariorum timebis. Illis quidē te obseruantibus eris securus in omnibus; illorum precatio commendabit te omnipotenti Deo. illos enim Deus diuini generis cōstituit custodes, fecitque speculatores animarum, ac totius ecclesiasticæ dignitatis, ac diuini sacramenti dispositores, & datores. Sine enim illis nec constituuntur reges, nec principantur; per illorum interuētum delicta delentur hominum. si illos perfectè amas, teipsum sine dubio sanas, tuumq; regnū honorificè gubernas. In manus enim illorum posita est potestas ligandi nos in peccatis, & à peccatis soluēdi. Testamentum verò sempiternū statuit illis Deus, eosq; segregauit ab hominibus, & sui nominis, atq; sanctitatis fecit participes, & ab humano die interdixit reprehendendos esse, per Dauid deificum regē: Nolite tangere Christos meos, &c. Ille enim tāgit Christos Dei, qui contra diuinum, atque Canonum institutum, sacri ordinis viros falsis criminibus fœdat, atq; in publicum protrahit. Quod te omnino, fili mi, agere prohibeo.

hibeo, si vis beatus viuere, & tuum regnum honestare: quia in his rebus in primis offenditur DEVS. si accidente casu, culpa, reprehensione digna, super aliquem horum, de quibus sermo est, ceciderit (quod absit) corripe eum, ter, quater inter te, & ipsum solum, iuxta præceptum Euangelij. Si tunc secretè renuerit audire monita, adhibenda sibi sunt publica secundum hæc: Si te non audierit, dic Ecclesiæ. Nam si tu ordinem seruabis, gloriam, tuam penitus exaltabis coronam.

Cap. IIII. *de honore Principum & militum.*

QVARTVS decor regiminis est fidelitas, fortitudo, agilitas, comitas, confidentia Baronum, Comitum, militum; illi enim sunt regni propugnaculum, defensores imbecillium, expugnatores aduersariorum, augmētatores monarchiarum. Illi enim tibi, fili mi, sint patres, & fratres. Ex his verò neminem in seruitutem redigas, vel seruum nomines, illi tibi militent non seruiant, eorum omnibus sine ira & superbia atque inuidia pacificè, humiliter, mansuetè dominare, memoria retinens semper, quòd omnes homines vnius sunt conditionis, & quòd nil eleuat nisi humilitas, & nihil deiicit nisi superbia, & inuidia. Si eris pacificus, tunc diceris rex, & regis filius, atque amaberis à cunctis militibus. Si iracundus, superbus, inuidus, impacificus, super Comites & Principes ceruicem erexeris, sine dubio fortitudo militum hebetudo erit regalium dignitatum, & alienis tradent regnum tuum. Hoc timens, cum regula virtutum dirige vitam Comitum, vt tua dilectione angulati, semper regali dignitati adhæreant inoffensi, & vt tuum regnum per omnia sit pacificum.

Cap. V. *de obseruatione iudicii & patientiæ.*

PATIENTIÆ & iudicij obseruatio, quinta regalis coronæ est ornatio. Dauid Rex atque Propheta dicit: DEVS iudicium tuum regi da. Et idem alibi: Honor regis iudicium diligit. De patientia Paulus Apostolus loquitur: Patientes estote ad omnes: & Dominus in Euangelio: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Ad hoc tende, fili mi; si vis regni habere honorem, dilige iudicium; si animam tuam possidere vis, esto patiens. Quotiescunque, fili charissime, causa digna iudicari ad te venerit, vel aliquis capitalis sententiæ reus, noli impatienter portare, vel cum iuramēto firmare, illum punire, quod instabile & fragile debet esse, quia stulta vota frangenda sunt, vel per teipsum diiudicare, ne tua regalis dignitas vsurpatione inferiorum negotiorum fœdetur; sed potius huiusmodi negotium ad iudices mitte, quibus hoc commissum est, quòd ipsi secundum suam hoc discernant legem. Tunc esse iudex gaude, verè rex esse, & nominari. Reges verò patienter regnant; impatientes verò tyrannizant, quandoquidem aliquid, quod tuæ venit ad iudicandum dignitati, tibi venerit, cum patientia & misericordia siue miserantia hoc iudica, vt tua corona laudabilis sit & decora.

HONOR REGIS] *hac inscriptione Andreas Rex monetas cudebat.*

Cap. VI. *De detentione & nutrimento hospitum.*

IN hospitalibus & aduentitiis viris tanta inest vtilitas, vt dignè sexto in regalis dignitatis loco possit haberi, vnde in primis Romanum creuit Imperium, Romanique reges sublimati fuerunt, & gloriosi, nisi quòd multi nobiles, & sapientes, ex diuersis illac confluebant partibus. Roma verò vsque hodie esset ancilla, nisi Æneades ipsam fecisset liberam. Sicut enim ex diuersis partibus prouinciarum veniunt hospites: ita diuersas linguas & consuetudines, diuersaq; documenta & arma secum ducunt, quæ omnia regiā ornant, & magnificant aulam, & perterritant exterorum arrogantiam. Nam vnius linguæ, vniusque mortalis regnum imbecille & fragile est. Proptèrea iubeo te, fili mi, vt bona voluntate illos nutrias, & honestè teneas, vt tecum libentius degant, quàm alicubi habitent. Si enim tu destruere, quod ego ædificaui, aut dissipare, quod congregaui, studueris, sine dubio maximum detrimentum tuum patietur regnum. Quod ne fiat, tuum quotidie auge regnum, vt tua corona ab omnibus habeatur.

Cap. VII. *De magnitudine consilii.*

IN tribunalibus regum, consilium sibi septimum vendicat locū: consilio enim constituuntur reges, gubernantur regna, defenditur patria, componuntur prælia,

Cum iuuenibus & insipientibus nõ consultandum.

ſumitur victoria,propelluntur inimici,appellantur amici,ciuitates conſtruuntur, & caſtra aduerſariorum deſtruuntur. Quando verò conſiliis ineſt vtilitas,iam à ſtultis,& arrogantibus,ac mediocribus(vt mihi videtur)non valent componi viris,ſed à maioribus,& melioribus, ſapientioribusque,ac honeſtiſſimis ſenioribus exprimi debent,& poliri.Idcirco,fili mi,cum iuuenibus,& minus ſapientibus noli conſiliari, aut de illis conſilium quære, ſed à ſenioribus, quibus illud negotium propter ætatem & ſapientiam ſit aptum. Nam conſilia regum in præcordiis ſapientum debent claudi,nõ ventoſitate ſtultorum propagari. Si enim gradieris cum ſapientibus, ſapiens efficieris;ſi verſaris cum ſtultis,ſociaberis illis,fatente Spiritu ſancto,per Salomonem:Qui cùm ſapientibus graditur,ſapiẽtum erit amicus,nec ſtultorum erit ſimilis. Et Dauid pſallit: Cum ſancto ſanctus eris,& cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris,& cum peruerſo peruerteris. Ad hoc quicquid negotij vnicuiq; conueniat ætati,in hoc ſe exerceant,ſcilicet,iuuenes in armis,ſenatores in conſiliis:omnino tamen iuuenes non ſunt expellendi à conſiliis. Quotiens verò cum illis conſilium inibis,etiamſi ſit habile,tamen ſemper ad maiores differas,vt omnes actus tuos norma ſapientiæ menſures.

Cap. VIII. De executione per filios.

EXECUTIO maiorum in regali dignitate octauum poſſidet locum. Regale ornamentum ſcito eſſe maximum,ſequi anteceſſores reges, & honeſtos imitati parentes. Qui enim anteceſſorum decreta ſpernit patrum,diuinas nec procurat leges,peribit. Patres enim idcirco ſunt patres,vt nutriant filios,ideóq; ſunt filij vt obediant patribus: qui patri ſuo reſiſtit,inimicus Dei conſiſtit. Omnes enim inobedientes Deo ſunt reſiſtentes. Spiritus enim inobedientiæ diſpergit flores coronæ. Inobedientia enim totius regni eſt peſtilentia. Propterea,fili chariſſime, edicta patris tui ſemper tibi ſint promptuoſa,vt proſperitas tua vbique regalibus dirigatur habenis. Mores quidem meos,quos regali vides conuenire dignitati, ſine vinculo totius ambiguitatis ſequere. Graue enim tibi eſt huius climatis tenere regnum,niſi imitator conſuetudinis antè regnantium extiteris regum. Quis Græcus regeret Latinos græcis moribus,aut quis Latinus Græcos latinis regeret moribus? nullus. Idcirco conſuetudines ſequere meas,vt inter tuos habearis præcipuus,& inter alienos laudabilis.

Cap. IX. De obſeruatione orationis.

OBSERVATIO orationis maxima acquiſitio eſt regalis ſalutis, & ideo torquum & nouaria regię dignitatis,canit regula. Continua oratio eſt peccatorum ablutio,& remiſſio. Tu autem,fili mi,quotieſcunque ad templum Dei curris,vt Deũ adores, cum Salomone filio regis, & ipſe rex ſemper dicas: Emitte Domine ſapientiam de ſede magnitudinis tuæ,vt mecum ſit,& mecum laboret,vt ſciam quid ſit coram te omni tempore. Et iterum: Domine pater,& Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu maligno, extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi,& deſiderium malignum meum auerte à me Domine,aufer à me concupiſcentiam, & animo irreuerenti & infrenato ne tradas me Domine. Hac itaq; oratione antiqui vtebantur reges. Tu quoq; hac eadem vtere,vt Deus cuncta vitia à te auferre dignetur,vt inuictiſſimus rex à cunctis nomineris. Ora etiam vt deſidiam & hebetudinem à te depellat, & ſupplementum omnium tibi tribuat virtutum, quibus viſibiles & inuiſibiles vincas inimicos,vt ſecurus,& expeditus ab omni incurſione aduerſariorum, cum omnibus tibi ſubiectis, curſum ætatis tuæ vitæ cum pace poſſis finire.

Cap. X. De pietate & miſericordia, cæteriſque virtutibus.

MODVS virtutum ornat coronam regum,& in præceptis ponitur decimus. Nam dominus virtutum ipſe eſt rex regum: ſicut ſuus exercitus cœleſtis plenitudo,in denis conſiſtit horis; ſic tuæ vitæ conuerſatio in decem perſiſtat mandatis. Oportet regem eſſe pium,miſericordẽ,& cęteris virtutibus imbutum & ornatum.

Rex

Rex enim impietate & crudelitate fœdatus, incassum sibi vendicat nomen regis, quia tyrannus est dicendus. Ob hoc ego, fili mi amabilissime, dulcedo cordis mei, spes futuræ sobolis, precor, iubeo, vt per omnia, & in omnibus pietate fultus, non solùm parentelæ, & cognationi, vel Principibus, siue Ducibus, siue diuitibus, seu vicinis, & incolis sis propitius, verùm etiam extraneis, & cunctis ad te venientibus. Nam opus pietatis ad summam te ducit beatitudinem, sis misericors omnibus vim patientibus, semper illud Domini in tuis præcordiis habens exemplum: Misericordiam volo, & non sacrificium. Patiens esto ad omnes, non tantùm potentes, sed etiam potestate carentes. Sis denique fortis, ne te prosperitas nimis e-10 leuet, aut aduersitas deiiciat. Sis quoque humilis, vt Deus te altum faciat, hic, & in futuro. Sis verò modestus, & vltra modum neminem punias, vel damnes. Sis mitis, & nunquam institiæ repugnes. Sis honestus, & nunquam alicui spontaneum inferas dedecus. Sis pudicus, & cunctos libidinis fœtores, sicut stimulum mortis, euites. Hæc omnia superiùs libata regalem componunt coronam, sine quibus valet nullus hic regnare, nec ad æternum pertingere regnum.

Virtutes principum septem.

LIBER SECVNDVS.

Cap. I. De statu Ecclesiastico: & de veneratione domus Dei.

20 REGNANTE diuina clementia, opus regalis dignitatis alimonia catholicę fidei effectum amplius, ac solidius alterius dignitatis solet operibus esse, & quoniam vnaquæque gens propriis agitur legibus, ideirco nos quoque de nutu nostram gubernando Monarchiam, antiquos & modernos imitantes Augustos, decretali meditatione nostra, statuimus genti, quę quemadmodum honestam & inoffensam ducerent vitam, vt sicut diuinis legibus sunt ditati, similiter etiam secularibus sint addicti, vt quantum boni in his diuinis ampliantur, tantum mali & rei in istis vilitentur: quæ autem decreuimus, in sequentibus subnotanimus. Quisquis fastu superbiæ elatus, domum Dei ducit contẽptibilem, & possessiones Deo consecratas, atque ad honorem Dei sub regia immunitatis defensione constitutas in-30 honestè tractarit, vel infringere præsumpserit, quasi inuasor & violator domus Dei excommunicetur. decet enim, vt indignationem ipsius domini regis sentiat, cuius beneuolentiæ contemptor, & constitutionis præuaricator extitit: nihilominus tamen rex suæ concessionis immunitatem ab hominibus, ditioni suæ subiectis, illæsam conseruari præcipiat, assensum verò non præbeat Improuidè affirmantibus, non debere esse res dominicas, id est, domino dominantium traditas. Itaque sub defensione regis, sicuti suæ propriæ hæreditatis, magisque aduertat: quia quanto Deus excellentior est homine, tanto præstãtior est diuina causa mortaliũ possessione. Quocirca decipitur quisquis plus in propriis, quàm in dominicis rebus gloriatur: quarum diuinarũ rerum defensor, & custos diuinitatis statutus, 40 diligenti cura, non solùm eas seruare, sed etiam multiplicare debet, magisque illa, quę duximus pręstantiora, quàm sua defendere oportet, & augmentare. Si quis igitur insanus importunitate, improbitate sua regem à recto proposito peruertere tentauerit, nullisque remediis mitigari posse visus fuerit, licet obsequiis aliquibus, & transitoriis sit necessarius, abscindendus ab eo, proiiciendúsque est, iuxta illud Euangelium: Si pes, manus, aut oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice eum abs te.

Cap. II. De potestate Episcoporum super res ecclesiasticas.

VT Episcopi habeant potestatem res prouidere, regere, & gubernare atque 50 dispensare secundum canonum autoritatem: volumus, vt Laici eorum ministerio obediant Episcopis, ad regendas Ecclesias, viduâs & orphanos defensandũ, & vt obedientes sint eis ad eorum Christianitatem seruandam, consentientésque sint Comites & Iudices Præsulibus suis ad iusticias faciendas, iuxta præcepta legis diuinæ, & nullatenus per aliquorum mendacia, vel falsum testimonium, neque per periurium, aut per præmium lex iusta in aliquo deprauetur.

Cap. III. Quales debeant esse accusatores, & testes clericorum.

TESTES autem, & accusatores, si aliqua sit infamia, vxores, & filios habentes, & omnino Christum prædicantes, testimonium Laici aduersus Clericum nemo recipiat. Nemo etiam quemlibet Clericum in publico, nisi in Ecclesia excommunicare præsumat.

Cap. IIII. De labore Sacerdotum.

SCITOTE fratres cuncti, quòd supra omnes laborant Sacerdotes. Vnusquisque enim vestrum suum fert laborem proprium, ille verò & suum & singulorum. Ideo sicut & ille pro omnibus vobis, ita & vos omnes pro eo summopere laborare debetis, in tantum, vt si necessitas fuerit, animas vestras pro eo ponatis. 10

Cap. V. de concessione regali propriarum rerum.

Hac Andreas R. confirmarat, sed Lodouicus aboleuit.

DECREVIMVS regali nostra potentia, vt vnusquisque habeat facultatem sua diuidendi, tribuendi vxori, filiis, filiabusq; atque parentibus, siue Ecclesiæ, nec post eius obitum quis hoc destruere audeat.

Cap. VI. de retentu regalium rerum.

VOLVMVS quidem, vt sicut cæteris facultatem dedimus suarum rerum: ita etiam res, milites, seruos, & quicquid ad nostram regalem dignitatem pertinet, permanere debet immobile, & à nemine quid inde rapiatur, aut subtrahatur, nec quisquam in his prædictis sibi fauorem acquirere audeat. 20

Cap. VII. de obseruatione dominicæ diei, vt abstineant à laboribus.

SI quis igitur, Presbyter, vel Comes, siue aliqua alia persona fidelis, die dominica inuenerit quemlibet laborantem, abigatur; si verò cum bobus, tollatur sibi bos, & ciuibus ad mãducandum detur. Si autem cum equis, tollatur equus, quem dominus boue redimat, si velit, & idem bos manducetur, vt dictum est. Si qui aliis instrumentis, tollantur instrumenta, & vestimenta, quæ si velit, cum cute redimat.

Cap. VIII. de eodem die dominicali, vt concurrant ad Ecclesiam.

A Sacerdotibus verò & Comitibus commendetur omnibus villicis, ita vt ipsorum visu omnes concurrant die dominica ad Ecclesiam, maiores & minores, viri & mulieres, exceptis illis qui ignes custodiant. Si quis verò obstinatus remanebit, propter illorum negligentiam vapulent, & depilentur. 30

Cap. IX. de obseruatione quatuor temporum.

SI quis quatuor temporum ieiunia cunctis cognita carnem manducans violauerit, per spacium vnius hebdomadæ inclusus ieiunet.

Cap. X. de obseruatione sextæ feriæ.

SI quis in sexta feria ab omni Christianitate obseruata carnem manducauerit, per vnam hebdomadam †lucæ inclusus, ieiunet.

† tenebris.

Cap. XI. de his qui sine confessione moriuntur.

Si quis tam obstinatus est (quod absit omni Christiano) vt nolit confiteri sua facinora, secundum suasum presbyteri, hic sine omni diuino officio & eleemosynis iaceat, quemadmodum infidelis. Si autem parentes proximi neglexerint vocare (ministros) presbyteros, & ita subiaceat absq; confessione morti, ditetur orationibus, & consoletur eleemosynis, sed parentes luant negligentiã ieiuniis secundum arbitrium presbyterorũ. Qui verò subitanea periclitantur morte, cum omni ecclesiastico sepeliãtur honore. Nã occulta & diuina iudicia nobis sunt incognita. 40

Cap. XII. de obseruanda Christianitate.

SI quis obseruatione Christianitatis neglecta, & negligentia, stoliditate elatus, quid in eam commiserit, iuxta qualitatem offensionis ab Episcopo per disciplinam canonum iudicetur. Si verò rebellitate instinctus renuerit, sibi impositum æquè sufferre, item eodem iudicio restringatur, & etiam vsque septies: tandem si per omnia resistens & abnuens inuenietur, regali iudicio scilicet defensori Christianitatis tradatur. 50

Cap. XIII. de homicidio casuali.

Si quis autem casu occiderit aliquem, duodecim pensas auri persoluat, & sicut canones mãdant, ieiunet. Si verò liber alicuius occiderit seruum, reddat alium seruum, vel precio componat, & secundum canones ieiunet.

Cap. XIIII. de his qui suas occidunt vxores.

Si quis Comitum obduratus corde, negligens animam (quod procul sit à cordibus fidelitatem obseruantibus) vxoris homicidio polluet, secundum decretum regalis seoatus cum quinquaginta iuuencis, parentibus reconcilietur, & secundum mandata canonum ieiunet. Si autem miles alicuius vir vbertatis eandem culpam inciderit, iuxta eundem seoatum soluat parẽtibus decem iuuencos, ieiunetq́; vt dictum est. Si verò vulgaris in eodem crimine inuenietur, cum quinque iuuencis cognatis concilietur, & subdatur prædictis ieiuniis.

Cap. XV. de periuriis.

Si quis fallentium fide commaculatus, corde pollutus, iuramento confractus, periurio addictus inueniretur, perditas manus periurio luat, aut quinquaginta iuuencis manum redimat. Si verò vulgaris periurus extiterit, manu amputatus punietur, aut duodecim iuueocis redimetur, & ieiunet vt canooes mandant.

Cap. XVI. de homicidiis voluntariis.

Si quis accensus ira, ac superbia elatus, spontaneum commiserit homicidium, sciat se secundum senatus nostri decretum, centum & decem daturum auri pensas, ex quibus quinquaginta parentibus dentur, decem autem arbitris & mediatoribus cõdonentur. Ipse quidẽ homicida secundum institutionem canonũ ieiunet.

Pensa dicitur fuisse nummus aureus denar. 40. quorũ 100. fl. Vnum faciunt.

Militis pœna maior quàm vulgaris, & Comitis maior quàm militis.

Opes olim in iuuẽcis cõstituta. Quod pro homagio nobilis, 50. Marcis soluãtur, hinc ortum est. Nam bos valet 1. Marcam 4. fl. hoc est iuuẽcus. Iam quater 50. faciunt 200. Ita & periuri 200. fl. damnãtur.

Cap. XVII. de libertate seruorum.

Si quis misericordia ductus, proprios seruos & ancillas libertate dooauerit cum testimooio, decreuimus, vt post obitum eius audeat inducere. Si autem libertatem promiserit, & morte hanc impietatem eandem libertatem testificari, & agapefacere pro animæ redemptione sui mariti qualitercunque velit.

Cap. XVIII. de conuentu ad Ecclesiam, & de his qui murmurant hora missæ, vel loquuntur.

Si qui ad Ecclesiam venientes, ad audiendum diuinum officium, & ibidem hora soleonitatis missarum inter se murmurant, & cæteros inquietant, exponentes fabulas ociosas, & non intendentes diuinas lectiones, cum ecclesiastico nutrimento: si maiores sunt, iocrepati cum dedecore expellantur de Ecclesiá; si verò minores, & vulgares, in atrio Ecclesię, pro tanta temeritate, coram omnibus ligentur, & corripiantur flagellis.

Cap. XIX. de non recipiendis seruis, vel ancillis, in accusatione, vel testimonio, super dominos suos, vel dominas.

Vt gens Monarchiæ huius ab omni incursu & accusatione seruorum & ancillarum remota & quieta maneat, secuodum regale decretum concilij penitus interdictum est, vt nullius causa culpæ aliquam seruilem personam, contra dominos vel dominas, in accusationem & testimonium recipiat.

Cap. XX. de his qui liberos in seruitutem redigunt.

Qvoniam igitur Deo dignum est, in hominibus optimum voumquemque suæ industriæ libertatis vitæ cursum ducere, secundum regale decretum statuendum est, vt nemo Comitum, vel militum, posthac aliquam liberam personam, seruituti subdere audeat: quod si eleuatioois audacia suæ stimulatus præsumpserit, sciat se totidẽ ex proprio cõpositurum, quæ verò compositio inter Regem & Comites diuidatur, & cætera. Sed si quis hactenus in seruitute retentus, pro libertate sua emenda indicium regale faciens, securus extiterit, tantummodo libertate fruatur, & ille à quo io seruitute tenebatur, oil reddat.

Cap. XXI. de his qui alterius milites sibi tollunt.

Volvmvs vt vnusquisq; senior (seu dominus) suum habeat militem, (id est seruieotem) ne aliquis alter illum suadeat antiqnum deserere seniorem, & ad se venire: inde enim litigium habeat initium.

Cap. XXII. De recipiendis hospitibus.

Si quis hospitem cum beneuolentia accipit, & nutrimentum sibi honestè impēdit, quamdiu secundum propositum nutritur, non deserat suum nutritorem, & nec ad aliquem alium suam deserat hospitalitatem.

Cap. XXIII. De his qui flagellant sua quærentes.

Si cnius miles, vel seruus, ad alium fugerit, & is cuius miles vel seruus fuga elapsus, suum miserit legatum ad reducendum eos, & is legatus ibidem à quocunque percussus, ac flagellatus extiterit, decreuimus nostrorum primatum conuentu, vt ille percussor decem soluat iuuencos.

Cap. XXIIII. De viduis & orphanis.

Volvmvs quidem, vt viduæ & orphani sint nunc legis participes tali tenore: Vt si quæ vidua cum filiis & filiabns remanserit, atq; nutrire eos, & manere cum illis quamdiu vixerit, promiserit, habeat porestatem à nobis sibi concessam id faciendi, & à nemine iterum cogatur in coniugium. Si enim mutato voto, iterum nubere voluerit, & orphanos deserere, de rebus orphanorum nihil omnino sibi vendicet, nisi tantùm sibi congrua vestimenta accipiat. Si autem vidua sine prole remanserit, & se innuptam in sua viduitate permanere promiserit, volumus vt potestatem habeat omnium bonorum suorum, & quicquid inde facere velit, faciat. Et post obitum autem eius eadem bona ad sui redeant parentes mariti, si præsentes habet: sin autem non, Rex sit hæres.

Rationis & decoru plena lex.

Cap. XXV. De raptu puellarum.

Si quis militum impudicitia fœdatus, puellam aliquam sine concessione parentum sibi in vxorem rapuerit, decernimus puellam parentibus reddi, etiamsi ab illo aliqua vis sibi illata sit, & raptor decem soluat iuuencos pro raptu, licet postea reconcilietur parentibus puellæ. Si verò pauper quis, aut vulgaris hoc aggrediatur agere, componatur raptum quinque bobus.

Cap. XXVI. De liberis fornicantibus cum ancillis alterius.

Vt liberi suam custodiant libertatem incontaminatam, volumus illis ponere cautionem, ne cum aliis fornicentur ancillis. Si quis autem improuidus hanc cautionem transgrediens, fornicatur cum ancilla alterius, sciat se reum esse criminis, & pro eodem crimine decoriari. Si verò secundò cum eadem fornicatus fuerit, iterum decorietur & depiletur. Si autem tertiò, sit seruus pariter cum ancilla, aut redimat se. Si autem ancilla conceperit de eo, & parere non poterit, sed in partu morietur, componat eum cum alia ancilla. Sernus quoque alicuius si cum ancilla alterius fornicatur, decoriatur & depilatur, & si ancilla de eo conceperit, & in partu moriatur, seruus venundetur, ac dimidia pars pretij seniori ancillæ detur, altera pars verò seniori serui semper remaneat.

Cap. XXVII. De his qui petunt ancillas alienas in vxores.

Vt nemo eorum qui libero nomine censentur, facere cuiquam iniuriam audeat, terrorem & cautionem imposuimus. Quia in hoc regali concilio decretum est, vt si quis liber connubium ancillæ alterius sciente domino ancillæ elegerit, perdita sua libertatis industria perpetuus efficiatur seruus.

Ob ancillæ coniugium ser(u)us oritur.

Cap. XXVIII. De his qui extra regnum suas fugiunt vxores.

Vt genus vtrinsque sexus certa lege, & absque iniuriis maneat, & vigeat, in hoc regali decreto statutum est, vt si quis proteruitate præditus, propter abominationem vxoris, patriam effugerit, vxor cuncta, quę in potestate mariti habebantur, possideat, dum velit expectare virum, vt nemo in aliud coniugium cogere præsumat. Et si sponte nubere velit, liceat sibi, sumptis congruis vestimentis, & dimissis cæteris bonis, ad connubium ire: & si vir hoc audito redierit, ne liceat sibi aliam ducere, præter suam, nisi cum licentia Episcopi.

Cap. XXIX. De furto mulierum maritatarum.

Cvm igitur cunctis & omnibus abominabile sit virilem sexum repertum fecisse furtum, & magis magisque sexum fœmineum, secundum regale senatum est

est decretum, vt si aliqua mulier maritata furtum commiserit, à marito redimatur; si verò tertiò, venundetur.

Cap. XXX. De incendiis mansionum.

Si quis per inimicitias alterius ædificia cremauerit igne, decreuimus, vt ædificia restituat, & quicquid supellectilis arsum fuerit, insuper XVI. iuuencos, qui valent LX. solidos.

Cap. XXXI. De strigis.

Si qua striga inuenta fuerit, secundum iudicialem legem ducant ad Ecclesiam, & commendetur sacerdoti ad ieiunandum, fideq; docendum; post ieiunium verò, domum redeat. Si secundò in eodẽ crimine inuenietur, simili ieiunio subiaceat: Post ieiunium verò in modum crucis in pectore, & in fronte, atq; inter scapulas incẽsa claui ecclesiastica, domum redeat. Si verò tertiò, iudicibus tradatur.

Vide ca. 34. libr. 1. decr. S. Ladislai.

Cap. XXXII. de maleficiis, & veneficiis, & sortilegiis.

Vt creatura Dei ab omnium læsione malignorum remota, & à nullo detrimentum sui passura maneat, nisi à Deo, à quo & augmentatur: secundum decretum senatus statuimus ad magni cautionem terroris, veneficiis, & maleficiis, vt nulla persona maleficio aut veneficio quenquam hominum subuertere à statu mentis, aut interficere audeat. Ast si quis vel quæ posthac hæc præsumpserit, tradatur in manus maleficio læsi, aut in manus parentum eius, secundum eorum velle adiudicandum. Si verò sortilegio vtentes, vt faciunt in cinere, & his similibus, ab Episcopis flagellis emendentur.

Cap. XXXIII. de inuasione domorum, & de pugna ibidem secuta.

Volumus, vt firma pax, & vnanimitas sit inter maiores, & minores, secundum Apostolum: Omnes vnanimes estote, nec alium aliquis inuadere audeat. Nam si quis Comitum, post definitionem huius communis concilij, tam contumax extiterit, vt alium domi quærat, ad perdendum, atque suas dissipare res, & si dominus domi est, & si secum pugnauerit vel interfecerit, luat secundum legem, de euaginatione gladij confectam. Si autem idem Comes ibidem occubuerit, sine compositione iaceat. Si verò miles quis turrim vel domum alterius inuaserit militis, decem iuuencis componat inuasionem. Si verò ille non superuenerit, sed suos milites miserit, centum iuuencis componat inuasionem. Si vulgaris quidem alterius sui similis mansiunculas inuaserit, quinque iuuencos soluat inuasionem.

Vulgaris, h. e. rusticus liber factus. nã serui domos non possidebant.

Cap. XXXIIII. de ædificatione & dote Ecclesiæ à villis compositæ.

Decem villæ Ecclesiam ædificent, quam duabus mensis totidemq; mancipiis dotent, equo & iumento, sex bobus, & duabus vaccis, triginta quatuor minutis bestiis. Vestimenta verò & corporalia, & coopertaria Rex prouideat, presbyterum, & libros Episcopi.

Cap. XXXV. de dono propriarum rerum, & regis dono.

Consensimus igitur petitioni totius senatus, vt vnusquisq; dominetur propriorum similiter & donorum Regis, dum viuit, excepto quod ad Episcopatum pertinet, & Comitatum: ac post eius vitam filij simili dominio succedant, nec pro nullius causa reatus detrimentum bonorum sui patiatur quis, nisi consiliatus mortem Regis, aut traditionem regni fecerit, vel in aliam fugerit prouinciam, tũc verò bona illius in regiam veniant potestatem: ipse verò subiaceat sententiæ, filiis innocentibus remanentibus.

Vide decretũ Andreæ Regis.

Cap. XXXVI. de seruo interfecto ab altero seruo.

Si alicuius seruus seruum alterius occidit, senior homicidæ medietatem serui componat seniori interfecti, si potest: Sin autem non, peracta vna quadragesima, venundetur seruus, & precium diuidatur.

Diuisio inter seruũ dominum, & inter homicidæ dominum.

Cap. XXXVII. de redemptione homicidæ serui.

Seruum liberi homicidam, si seniori placuerit, cum centum & decem iuuencis redimat, aut tradat.

Hinc orta consuetudo, quòd commißi in iudicio duabus partibus iudicio, tertia parte aduersario dãnantur.

Adhuc in plerisque locis seruatur.

Cap. XXXVIII. De vindicta nitentium acquirere libertatem alienis seruis.

SI quis alienis seruis libertatem acquirere niteretur, quot serui erunt, totidem mancipia soluat, ex quibus duæ partes regi, tertia seniori seruorum. Rex autem ex sua parte tertiam tribuat Comiti.

Cap. XXXIX. De furto seruorum semel commisso.

SI quis seruorum semel furtum commiserit, reddat furtum, & redimat nasum quinque iuuencis; sin autem non, abscindatur.

Cap. XL. de vindicta semel abscisi furti, & tertiò committentis.

SI furtum abscisus naso commiserit, redimat aures quinque iuuencis, si potest: si autem non, abscindantur. Si tertiò commiserit furtum, careat vita.

Cap. XLI. de furto liberorum, semel, bis & ter commisso.

Vide distinctionem huius sanã decret. S. Ladislai ca. 8. lib. 3. & sensum probũ.

SI quis liberorum furtum commiserit, hanc decreuimus legem comparere, vt semel redimat se, si potest: sin autem non, venundetur. Si idem venundatus, furtum commiserit, legibus seruorum subiaceat. Si secundò, simili legi subiaceat. Si verò tertiò, dispendio vitæ diiudicetur.

Cap. XLII. de regali portione à Comitibus defraudata.

SI quis Comitum partem Regis defraudauerit, reddat fraudem, & duplo componat.

Cap. XLIII. de spretione iusti iudicij Comitis.

SI quis militum iudicium à suo Comite rectè iudicatum spernens ad Regem appellauerit, cupiens Comitem suum reddere iniustum, sit debitor decem pensarum auri Comiti.

Cap. XLIIII. de redditione rei à Comitibus iniustè ablatis.

SI quis Comitum inuenta aliqua occasione quid iniustè militi abstulerit, reddat, & insuper ex proprio tantundem.

Cap. XLV. De mendacio doni sponte facti.

De iniustè prouocantibus.

SI quis autem militum, suum spontaneum donum dicẽs sibi vi ablatum, mendax extiterit, & hoc careat, & insuper tantundem soluat.

Cap. XLVI. de his, qui hominem gladio occiderint.

SI quis hominem gladio occiderit, eodem iuguletur gladio.

Cap. XLVII. de debilitatione membrorum gladio facta.

SI quis autem gladio euaginato, alium quemlibet debilitauerit, vel in oculo, vel in pede, vel in manu, consimile sui corporis patiatur.

Cap. XLVIII. De gladij vulneratione.

Hoc est, iuuencis 110. se redimat.

SI quis verò gladio vulnerauit aliquem, & vulneratus de eodem vulnere sanus & incolumis euaserit, homicidij compositionem vulneris illator componat.

Cap. XLIX. de gladii euaginatione sine vulnere.

SI quis furore repletus, euaginauerit gladium, & tamen non læserit, pro sola euaginatione, homicidij compositum soluat.

Cap. L. De testimonio seruorum regali curiæ vel Comitis præpositorum.

SI quis seruorum curiæ regali vel Comitis præficitur, eius testimonium inter Comites recipiatur, si seruus seniorem, vel seruiens suum Comitem interfecerit.

Cap. LI. De conspiratione regis & regni.

SI quis in regem aut regnum conspirauerit, refugium nullum habeat ad Ecclesiam. Si quis contra regis salutem aut dignitatem quolibet modo aliquid conspirauerit, aut conspirare aliquid tentauerit, seu tentanti scienter consenserit, anathematizetur, & omnium fidelium communione priuetur.

Vel

Vel si quis huiusmodi aliquem nouerit,& probare valens non indicauerit,prædictæ subiaceat damnationi.

Publicũ crimen quiuis indicare tenetur.

Cap. LII. De decimatione.

Si cui Deus decem dederit in anno,decimam Deo det:Et si quis decimam suam absconditt,nouem soluat:Et si quis decimationem Episcopo separatam furatus fuerit,diiudicetur vt fur,ac huiusmodi cõpositio tota pertineat ad Episcopum.

Cap. LIII. de versutia Comitum.

Si quis versutus alicui Comitum,vel alteri personæ fideli dixerit,audiui regem ad perditionem tui loqui,& hic inuentus fuerit,pereat.

De calũniatorũ pœna.

10 *Cap. LIIII. de his,qui mendacia inter duos proferunt Comites.*

Si quis inter duos Comites mendacia protulerit, tacere eas quæ deprecatus fuerit, vt astutia diaboli ab inuicem eos separaret, soluat duas compositiones fallacis linguæ,pro reatu mendacij:si vni soli adulatus fuerit,priuetur lingua.

Cap. LV. de furto Vdvornicorum.

Si quis illorum, qui vulgo Vdwornyck vocantur,furtum commiserit,lege liberorum diiudicetur. Testimonium autem eius inter ipsos non recipiant.

Explicit decretum sancti Stephani Regis.

20

PRIVILEGIVM DATVM PROTOABBATIÆ S. MARTINI PANNONIÆ.

In nomine Domini Dei summi. Stephanus diuina prouidente clementia, Hungarorum Rex. Credimus & verè scimus, si locis diuino cultui mancipatis, potestates, atque honores adaugmentauerimus, id non solùm laude humana prædicandum, verùm diuina mercede remunerandum. Quocirca omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium nostrorum,quod præsentium atque futurorum solers comperier intentio,significamus,quòd nos interuentu,consilio,& consensu Do-30 mini Anastasij Abbatis,monasterio sancti Martini in monte supra Pannoniam sito,à genitore nostro incepto,(quod nos per Dei subsidium,ob animæ nostræ remedium,pro stabilitate regni nostri,ad finem perduximus)talem concessimus libertatem,qualem detinet monasterium sancti Benedicti,in monte Cassino:quia propter orationes sanctas fratrum eiusdem monasterij,consiliante domino Anastasio, præscripto Abbate,& iugiter adiuuante, confortati,& laureati sumus. singulare namque suffragium,quod per merita beati Martini,in me à pueritia expertus sum, memoriæ posterùm tradere curaui. Ingruente namque bellorum tempestate, qua inter Teutonicos & Hungaros,seditio magna excreuerat, præcipuè quòd cùm ciuilis belli ruina vrgeret,volente Comitatu quodam nomine 40 Simigensi paterna me sede repellere,quid fluctuanti consilij darem,quóque me verterem,tanta tactus verecundia, astantibus Ducibus,videlicet Poznano,Cincio,Orthio,dominóque meo Archiepiscopo,votum voui sancto Martino, quòd si de hostibus interioribus,aut exterioribus,eius meritis victor existerem,supranominati Comitatus decimationi,de omnibus negotiis,prædiis,terris,vineis,segetibus, vectigalibus, vinúmque hospitum, quod in prædiis eorum excresceret, ne parochiano Episcopo pertinere videretur, sed magis Abbati eiusdem monasterij,sub testimonio præfatorum Ducum,multorúmque Comitum,absque vlla mora subiugare. Dúmque post cogitatum,victoria potirer,quod animo reuolueram, operis efficacia complere studui, nec dum etiam Episcopatus, & Abbatiæ, 50 præter ipsum locum in regno Hungarico sitæ erant. quòd si vos fideles licuit mihi, quo volui, loco Episcopatus & Abbatias statuere, an non licuit cuipiam loco quod volui,vt facerem?& ne adhuc Ecclesia sancti † Michaelis vacua esse videretur,vel Episcopus Parochianus iniurias querimoniásque in collectione decimarum pateretur,ei Curtem,quæ vocatur Corten,cum hominibus eodem pertinentibus, tradidi: quòd si ipsi, contra mea statuta, quid iniquè agere, vel acquirere

† Martini.

voluerit, ante Deum iudicem viuorum & mortuorum in die iudicij se contendere mecum sciat. Adhuc autem subiungens dico, sit ipsum monasterium ab omni inquietudine semotum, habeántque Monachi post transitum sui cuiusque Abbatis alium Abbatem secum eligendi, & à quocunque velint Episcopo consecrandi eum, sitque illis licitum ordines accipere, quouis loco, & à quocunque Episcopo: ante neminem verò Abbatum capilla incedat, nisi ante patrem eiusdem monasterij, propter reuerentiam, & sanctitatem ipsius loci, moréque Episcopi in sandalibus missam celebret. Præcipimus itaq; sub testificationibus saluatoris Domini nostri Iesu Christi, vt nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, seu aliquis homo magnus, siue paruus, de iam fato monasterio aliquo modo se intromittere in mancipiis, terris, vineis, decimationibus, piscationibus, ripis, placitis, sine concessione Abbatis eiusdem monasterij audeat: quod qui fecerit, componat centum libras auri optimi, medium Cameræ nostræ, ac medium præfato monasterio, suisque tectoribus: maledictionísque perpetuæ vinculo æternaliter feriatur. quod vt verius credatur, hanc paginam manu propria roborantes sigillari iussimus. Datum ANNO 1001. regni nostri secundo, indictione decima quinta.

INCIPIT DECRETVM SANCTI REGIS LADISLAI. OBIIT 1095.

REGNANTE Creatore & Saluatore Domino nostro Iesu Christo, anno incarnationis eius millesimo nonagesimo secundo, XIII. Calend. Iunij, in ciuitate Zabolchij, sancta synodus habita est, præsidente Christianissimo Hungarorum Rege Ladislao, cum vniuersis regni sui pontificibus & abbatibus, nec non cunctis optimatibus, cum testimonio totius cleri & populi. In qua sancta synodo canonicè & laudabiliter hæc inuenta sunt decreta.

Cap. I. De bigamis presbyteris & diaconis.

Coniugati presbyteri ante 400. annos.

BIGAMOS presbyteros & diaconos, & viduarum vel repudiatarum maritos, iubemus separari, & peracta pœnitentia, ad ordinem suum reuerti. Et qui noluerit illicita coniugia dimittere, secundum instituta Canonis, degradari. Separatas autem fœminas parentibus reddi iubemus suis, & quia non erant legitimæ, si voluerint, liceat eis maritari.

Cap. II. De his, qui ancillam in locum surrogauerit vxoris.

SI quis autem presbyter ancillam suam vxoris in locum sibi associauerit, vendat, & si voluerit, venundetur, tamē precium eius ad Episcopum transferatur.

Cap. III. De indulgentia presbyterorum vxorum ad tempus.

PRESBYTERIS autem, qui prima & legitima duxere coniugia, indulgentia ad tempus datur, propter vinculum pacis, & vnitatem Spiritus sancti, quousque à nobis in hoc Domini Apostolici paternitas consuletur.

Cap. IIII. De consensu Episcoporum nolentibus separari ab illicito coniugio.

SI quis autem Episcopus, aut Archiepiscopus, ab illicitis coniugiis separari nolentibus, spreto synodali decreto, consilium & consensum præbuerit, aut Ecclesiam dederit, aut aliquid quod ad ordinem pertinet, agere permiserit, à Rege, & coepiscopis suis, secundum quod rationi rationabile videbitur, is diiudicetur. Si verò Archipresbyteri causa ignorantiæ Episcopo consenserunt, aut presbyter per cōsensum illius in tali vitio permanserit, iudicio Episcopi voluntariè subiaceat.

Cap. V. De dote Ecclesiarum non expleta.

QVICVNQVE Ecclesiam Deo ædificauerit, & dotem nominauerit, nominatum verò non dederit, ad illud explendum transmisso nuncio, præualeat episcopale iudicium: cui si quis contradixerit, & contradicendo verberauerit, ipse regali iudicio subiacebit.

Cap.

Cap. VI. de perditione rerum Ecclesiasticarum ob sacerdotis incuriam.

Si quis presbyterorum res Ecclesiæ ad propria loca duxerit, & ibi vendiderit, vel per incuriam suam perdiderit, tripliciter Ecclesiæ restituat.

Cap. VII. de restauratione desolatarum Ecclesiarum propter seditionem.

Ecclesias propter seditionem desolatas, aut combustas, iussu Regis parochiani restaurent, calices & vestimenta ex sumptu Regis dentur, libros Episcopus prouideat.

Decret. S. Stephani lib. 2. c. 34.

10

Cap. VIII. de desolatione propter vetustatem.

Ecclesias ex vetustate desolatas, Episcopus reædificet.

Cap. IX. de negotiatoribus, quos Ismahelitas appellant.

De negotiatoribus, quos appellant Ismahelitas, si post baptismum ad legem suam antiquam, per circumcisionem, rediisse inuenti fuerint, à sedibus suis separati, ad alias villas remoueantur. Illi verò qui inculpabiles per iudicium apparuerint, in propriis sedibus aut ædibus remaneant.

Cap. X. de coniugio Iudæorum, & Christianarum mulierum.

20

Si Iudæi vxores Christianorum sibi associauerint, aut aliquam personam Christianam in seruitio apud se detinuerint, ablata ab eis libertate, reddantur venditoribus, eorum precium tollatur, & in sumptum Episcopotum veniat.

Cap. XI. de negligentia Ecclesiarum in diebus dominicis & festiuis.

Si quis in dominicis diebus, aut in maioribus festiuitatibus, ad Ecclesiam non venerit parochialem, verberibus corripiatur: Si verò villæ remotæ fuerint, & ad Ecclesiam suam parochialem villani venire non potetint; vnus tamen ex eis nomine omnium baculo ad Ecclesiam veniat, & tres panes, & candelam ad altare afferat.

Cap. XII. de veneratione suprà dictarum dierum.

30

Si quis in his diebus venatus fuerit canibus, equo careat, sed equum boue redimat. Si verò presbyter aut clericus fuerit venatus, ab ordine descendat vsq; ad satisfactionem.

Decretum Stephan. lib. 2. c. 7.

Cap. XIII. de interfectione adulteræ.

Si quis vxorem cum altero viro adulterantem inuenerit, sponte puniat, de se rationem reddat, & si voluerit, aliam ducat. Si verò ex propinquis fœminæ aliquis in eum insurrexerit, quòd interfecisset iniustè, iudicio discutiatur, & illud à vicinis eorum omnimodè inuestigetur; si in despectione & contemptu apud virum suum esset prius, aut aliqua suspicio fornicationis illius prius orta fuisset: & hoc secundum quod rationabile videtur, diiudicetur.

40

Cap. XIIII. de subtractione Kalendarum absq; licentia.

Si quis de Kalendis presbyteri sui & fratrum licentia subtraxerit, manum eam, cum qua fraternitatem promisit, decem pensis redimat.

Cap. XV. de negligentia festiuitatum ob negotium.

Si quis in dominicis diebus, vel in maioribus festiuitatibus Ecclesiam negligens mercatum frequentauerit, equo careat.

Cap. XVI. de negligentia dominicæ diei.

Si quis die dominica mercatum constituerit, præcipit sancta synodus, vt sicut construxit, ita destruat. Si autem quis renuit, quinquaginta quinque pensas soluat.

50

Cap. XVII. de hospitibus aduenientibus clericis.

Si quis hospes clericus in hanc patriam sine commendaticiis literis Episcopi sui venerit, ne fortè monachus ac homicida fuerit, vix& alicuius ordinis se confessus fuerit, iudicio vel testimonio discutiatur.

Cap. XVIII. de cohærentia clericorum.

Si quis clericus in patriam iſtam veniens, alicui Epiſcoporum vel Comitum adhæſerit, & eum dominus ſuus bene habuerit, & ſecundum quod eum conuenit, vel certauerit, ſi diſcedere ab eo voluerit, nequaquam diſcedet, donec prius de iniuſticia ſibi illata, audientia regis declarauerit.

Cap. XIX. de ſpretione propriarum Eccleſiarum.

Si derelicta Eccleſia villani ad alias tranſierint, pontificali iure, & regali mandato vnde tranſierint † ibi redire cogantur.

† eodem.

Cap. XX. de muliere in adulterio deprehenſa.

Suprà c. 13. de nece: nūc canonicè tātùm loquitur.

Si quis vxorem ſuam in adulterio deprehenderit, & in iudicium ſtatuerit, ſecundum inſtituta canonum, pœnitentia imponatur, & peracta pœnitentia, ſi maritus voluerit, iterum recipiat: ſin autem non, quàm diu ambo vixerint, innupti permaneant.

Cap. XXI. de procuratione Abbatum erga proprios Epiſcopos.

Abbates, ſecundum decreta patrum, in procuratione Epiſcoporum ſuorum, in cuius territorio ſunt, humiliter permaneant, & non ſemel in anno, ſed ſæpe monaſteria eorum Epiſcopi viſitent, & regaliter vitam & conuerſationem fratrum diſcutiant, conuerſi monachi, cui monaſterio voluerint, ſe cum rebus ſuis commendent. Similiter & ſanctimoniales in monaſterio ſanctimonialium. Deinceps autem aliquis Epiſcopus aut Abbas, ſine titulo certi loci, monachum, aut monacham non audeat ordinare.

Cap. XXII. de ritu gentilium in ſacrificiis.

Quicunque ritu gentilium, iuxta puteos, ſacrificauerint, vel ad arbores & fontes, & lapides, oblationes obtulerint, reatum ſuum beneluant.

Cap. XXIII. de donatione propriarum rerum alicui Eccleſiæ.

Si quis res ſuas, aut prædia, vni dederit Eccleſiæ, nulla interueniente cauſa, ſubtrahere ne audeat, & alij dare.

Cap. XXIIII. de inuentione rerum eccleſiaſticarum.

Res Eccleſiarum vbicunque inueniantur, ſiue apud Eccleſias alias, vel apud dominos, ad priorem Eccleſiam ſuam redeant.

Cap. XXV. de negligentia fidelium cadauerum.

Vide decret. Stephani 7. 8. 9. 10. 11. lib. 2.

Si quis dominicum diem non obſeruauerit, & dies feſtos non ſeruauerit, aut quatuor tempora, & vigilias non ieiunauerit, aut mortuos ſuos ad Eccleſiam non ſepelierit, duodecim dies pane & aqua pœniteat in cippo. Si dominus ſerui ſui corpus, aut villicus pauperis villani, vel hoſpitis, ad Eccleſiam non detulerit, tantundem pœniteat.

Cap. XXVI. de laboribus Iudæorum in feſtiuitatibus.

Si in die dominico, aut aliis maioribus feſtiuitatibus, Iudæum laborantem aliquid inueneris, ne ſcandalizetur Chriſtianitas, cum quibus inſtrumentis laborauerit, illa amittat.

Liberi erāt fidei cōmiſſi & in eleemoſynam donati.

Cap. XXVII. de decimatione liberorum Abbatum.

Abbates de liberis ſuis dent decimationem Epiſcopis.

Cap. XXVIII. de teſtibus iudicij ferri vel aquæ.

Ferrum Aqua.

Quotiens vel aqua, vel ferro iudicium factum fuerit, interſint ibi tres idonei teſtes, iurando iure probati, qui & innocentis innocentiam, & econtra culpabilis culpabile perhibeant. Presbyter de ferro duas penſas, & de aqua vnam penſam accipiat.

Cap. XXIX. de celebratione miſſæ extra Eccleſiam.

Nullus presbyter audeat miſſam celebrare extra Eccleſiam, niſi fortè itineris cauſa neceſſitas cogat eum. Si verò à Comite ſuo coactus fuerit, quinquaginta quinque penſas ſoluat. In itinere verò diuinum officium celebrare liceat in tentorio.

Cap.

Cap.XXX.De decimatione liberorum,& de emancipatione eorundem Ecclesiis facta.

EPISCOPI de liberis accipiant decimas. liberi quoque quicunque Episcopo, vel Comiti adhęseriot, sicut eis placuerit, ita habeantur, salua tamen libertate. Qui autem pro animarum salute liberati, mancipati fuerint, eo tenore tamen vt Ecclesiæ seruiant, ipsi nemini, nisi soli sibi presbytero administrent.

Cap.XXXI.de carnis dimissione.

LATINI, qui Hungarorum consuetudini legitimè consentire noluerint, scilicet, qui postquam Hungari carnes dimiserunt, ipsi iterum in secunda & tertia feria comederunt, si se nostræ consuetudini meliori non consentire dixerint, quocunque volunt, eo vadant: pecuniam verò, quam hîc inquisierunt, hîc relinquant, nisi fortè resipuerint, & carnes nobiscum dimiserint.

Itali Hungari olim more in hoc Græcorum sequebant.

Cap.XXXII.De illata violentia virginis vel mulieris.

SI quis virgini vel mulieri de villa in villam eunti, vim intulerit, quantum pro homicidio, tantundem pœniteat.

Cap.XXXIII.de decimatione pecorum in alio Episcopatu nascentium.

EPISCOPI, qui decimationem pecorum in alio Episcopatu accipiunt, quartam presbyteris in suo Episcopatu manentibus tribuant.

Cap.XXXIIII.de satisfactione meretricum vel strigonum.

MERETRICES, & strigæ, secundum quod Episcopo visum fuerit, tali modo diiudicentur.

Stephan. Decret.31. lib.2.

Cap.XXXV.de Abbatis vel monachi osculo erga Regem vel Episcopum.

SI contigerit Regem vel Episcopū ad quamlibet Abbatiam venire, Abbas vel monachi ad Regis vel Episcopi osculū in Ecclesia non accedant, sed egressi in claustrum ordinatim stantes, Regis vel Episcopi osculum præstolentur. Regem aūt, & Episcopum, cum quot & qualibus sibi placuerit, Abbas claustrū intrare permittat.

Cap.XXXVI.de satisfactione Abbatis vel monachi euntis ad Regem.

SI autem contigerit Abbatem, vel monachum, ad curiam Regis venire, in Ecclesia ad salutandum Regem non eat, sed postquam exierit de Ecclesia, in domo, vel in teotorio salutet eum.

Cap.XXXVII.de vigiliarum sanctarum obseruatione.

IN hac verò sancta synodo à venerabili Rege Ladislao statutum est, & vniuersis Episcopis collaudatum, & canonizatum, vt vigiliæ celebrētur beati Stephani regis, & Gerhardi martyris, quo die passus est, & tres dies ad festiuitatem sancti Martini: & quod patronus suus Andreas rex cum omnibus qui tunc erant Episcopis vouit, & statuit, ipse Rex Christianissimus destruere nolit, sed firmus perdurauit, trium dierum vigiliam ad festiuitatem sancti Petri.

Feria nona instituta.

Primus Andreas Ladislai Calui F.

Cap.XXXVIII.de Sanctorum veneratione festiuitatum.

ISTÆ verò festiuitates seruandæ sunt per annum: Natiuitas Domini, sancti Stephani protomartyris, sancti Ioannis Euangelistę, sanctorum Innocentum, Circumcisio Domini, Epiphania cum vigilia, Purificatio sanctę Marię, in Pascha quatuor dies, sancti Georgij martyris, Philippi & Iacobi cum vigilia, Inuētio S. crucis, Ascensio Domini, in Pentecoste quatuor dies, sancti Ioan. Baptistæ, Petri & Pauli vna die, sancti Iacobi, sancti Laurentij, Assumptio sanctæ Mariæ, sancti Regis Stephani, sancti Bartholomæi, Natiuitas sanctæ Mariæ, Exaltatio sanctæ crucis, sancti Matthæi Apostoli, sancti Gerhardi Episcopi, sancti Michaelis archangeli, sanctorum Simonis & Iudæ, Omnium Sanctorum, sancti Emerici Ducis, sancti Martini, sancti Andreæ, sancti Nicolai, sancti Thomæ Apostoli. Et vnaquæque parochia suum patronum, & dedicationem Ecclesiæ celebret.

Cap.XXXIX.de Abbatibus vel monachis in Kalendis sedentibus.

ABBATES vel monachi inter fratres kalendarum non sedeant, sed Abbas oblationes fratrum in claustrum accipiat, & secundū regulam fratribus administret.

De Kalendis supra cap.14.

Cap. XL. de decimarum negantibus.

EPISCOPVS accipiat decimationem in omnibus, ſed eo tenore. Epiſcopi Priſtaldus interroget poſſeſſorem annonarum,ſeu beſtiarum,quantum habeat.Si verò crediderit verbis illius,accipiat ſecundum hoc quod dixit. Si verò non crediderit,faciat illum iurare,& accipiat:In annona verò commixtum non accipiat, ſed ſeparatim.Si verò poſt iuramẽtum dominum annonæ quis alienus periurum dixerit,præter Præſtaldum Epiſcopi,ante Præſtaldum Regis & Comitis numeretur annona,& ſi culpabilis inuentus fuerit dominus annonę,tum decima pars detur,& nouem partes dentur Epiſcopo.Si verò ipſe,qui inſurrexerit,mendax exſtiterit,eodem iudicio perſoluat culpã.Si non habuerit vnde ſe redimat, ſolus venundetur,exceptis liberis.Decimatio autem tota colligatur vſque ad natiuitatem Domini. filius autem qui in domo patris eſt,vel ſeruus,non ſeparetur, ſed ſimul dent decimationem cum patre : à filiis verò vel ſeruis,qui per ſe habent domos, accipiant decimationem de omnibus quæ habent.Si autem aliquis contumax fuerit,interrogatus decimam,& noluerit indicare Præſtaldo Epiſcopi,tũc Præſtaldus coram idoneis teſtibus deſignet quantum ſibi videtur eſſe iuſtum,linum,vel canapum quantum poteſt pugillus capere preſſis digitis ad terram premere accipiat.Si trituratam annonam inuenerit,ſi decem hydriæ fuerint,nil accipiat:ſi viginti,vel plus,accipiat decimam partem.

Cap. XLI. de litigatoribus venientibus ad regale palatium.

SI quis verò nobilium,ſeu militum,aut Comitum,in curiam cauſa litium veniens,ad regale palatium cum ſuo litigatore nõ ſteterit,& regio nuncio vocatus, ſine Regis licentia,domum perrexerit, rationem perdet, & inſuper ſi quid ab eo abſtulerit, dupliciter reddat.

Cap. XLII. de ſpretu ſigilli regij,& iudicis.

Vt cauſa ob contumaciam amittatur.

SI quis autem Regis ſigillum ſuper aliquem proiiciens,& ipſe in curiam venire neglexerit; rationem perdat, & quinque penſas perſoluat:& quotieſcunque renouauerit,totiens quinque penſas perſoluat.Si verò iudicis ſigillum proiiciens non venerit,centum nummos perſoluat.

Explicit liber primus ſancti Regis Ladiſlai.

INCIPIT LIBER SECVNDVS SANCTI LADISLAI REGIS.

Cap. I. de furto proximi quorumlibet principum.

TEMPORIBVS piiſſimi Ladislai Regis,omnes nos regni Pannonię optimates in monte ſancto conuentum fecimus,& quęſiuimus qualiter malorum hominum impedirentur ſtudia,& gentis noſtræ expedirentur negotia:primum omnium iureiurando conſtituimus,vt qualiſcunque proximus Principum reperiretur in furti culpa,vltra precium gallinarum,nullatenus poſſit abſcondi,vel defendi à quolibet eorum. Placuit quoque vt ipſe fur niſi ceciderit in Eccleſiam,ſuſpendatur,& omnis facultas eius depereat.Et ſi imprudentia eius qui ceperat eum,euaſerit in Eccleſiam,vel in curiã Regis,vel ad pedes Epiſcoporum,careat qui non cauit vendicatione furti.Si autem de manu fideiuſſoris euaſerit,de patibulo quidem liberetur:verumtamen cum eodem fideiuſſore in aliam regionem venundetur,& bona ipſius regali fiſco vendicentur.

Ideo fures hodie quoq; proſcribuntur.

Cap. II. de furto ſerui.

SI ſeruus fur inuentus fuerit,non poſſit precio commutari naſus eius,niſi ceciderit in Eccleſiam,vel in curiam Regis,vel ad pedes Epiſcopi,& ſi ceciderit,careat cuſtos eius vendicatione furti. Si verò ſecundò hoc modo captus fuerit,ſuſpendatur.

Decretum Steph.c.40. lib.2.

Cap. III. de ligatione furis.

Si quis autem furem ligauerit, habeat potestatem ligandi eum, & ducendi ad iudicem, siue iustè, siue iniustè ligauerit. Si autem ligare quis prohibuerit, persoluat quinquaginta quinque pensas, & eandem noxam in ligamine.

Contra hæc est articulus And. Regis, quòd populi cõiurati furem nominare nequeãt.

Cap. IIII. de purgatione furti, si quem tota villa furem proclamauerit.

Si quempiam deinceps tota villa furem esse proclamauerit, probent iudicio. Vnde si mundus apparuerit, villa persoluat solùm vnam pensam presbytero: si autem reus, omni substantia eius vindicetur Regi, vnde detur quarta pars villanis. Si verò aliquem personaliter furem esse proclamauerint villani, accipiant vnam pensam. Si autem vna pars accusauerit furem, alia verò defenderit, non accipiatur eorum defensio & probatio sine iudicio: si culpabilis inuentus fuerit, non habeat partem in quarta parte vindicationis.

Cap. V. De inquisitione furtiuæ rei.

Si quis vestigia sequitur furtiuæ rei, nuncium permittat in villam, in quam diriguntur vestigia, ne excutiendo bestias suas perturbent villani vestigia sequenda: quòd si contumaciter fecerint, perditas res persoluant. Si autem priusquam nuncius venerit, villani excusserint bestias suas, tunc inuestigatore perscrutentur singulas domos, vt ipsis placuerit. Si cui perierit res, eat cum testibus idoneis inuestigare rem, vbi putauerit esse, & si prohibitus fuerit, prohibitores probentur iudicio, & si culpabiles effecti fuerint, pereant, vt fures: Si verò mundati, propter prohibitionem quinquaginta quinque pensas persoluant: Si autem instinctu Comitis sui milites inuestigare impedierint, pro ipsis quinquaginta quinque pensas Comes persoluat, & postea probetur iudicio.

Transyluanis obseruatur adhuc.

Cap. VI. de iudicis iudicio erga seruum vel liberum.

Si iudex nasum serui non inciderit, vel liberum non suspenderit, pereant omnia sua, præter filios filiásve, & ipse iudex venundetur. Si verò iustum suspenderit, centum & decem pensas, & omnia bona sua suspensi restituat. Et si se cum duobus testibus idoneis liberauerit, ab eo, qui duxerat eum in concilium, tollat quinquaginta quinque pensas, & si ad iudicium peruenerit, & iustus iudex apparuerit, introductor eadem pœna pereat, qua iudex periturus erat: Et si maioris facultatis fuerit, quàm iudex, amittat etiam libertatem.

Pœna iudicum præuaricatorum.

Cap. VII. de negotiatore siue mercatore furtiuam rem emente.

Nemo vendat, vel emat præter mercatum; si quis verò contra hoc emerit, de furtiua re pereant omnes, & emptor & venditor, & testes. Si verò propriam rem traxerint, perdant rem & precium, & testes tantundem. Si verò in mercatu fit contractus, fiat coram iudice & Thelonario & testes. Et si res empta furtiua esse apparuerit, emptor quidem testimonio iudicis & Theolonarij euadat, testes autem reddant venditorem.

Venditio corã testibus fiebat.

Cap. VIII. De iugulato homine.

Si quis extracto gladio iugulauerit hominem, regali iudicio tradatur in carcerem, & omnia sua diuidantur in tria, scilicet, vineæ, terræ, lixæ, serui. Vnde duæ partes dentur cognatis iugulati, tertia verò filiis & vxori iugulatoris. Si verò minoris facultatis sit, quàm centum & decem pensis, amittat etiam libertatem.

Cap. IX. de quolibet eiusdem prosapiæ furtum faciente.

Si quis eodem decreto ex diuina propiciante gratia, prolem vel cognatam, siue quemlibet propinquum in furti cognitione præoccupauerit, suspensionem, vel carnis perditionem non subeat, sed vt exul venundetur, si vulgaris fuerit: si verò nobilis, eadem culpa captus à parentibus fuerit, non venundetur, sed ergastulorum custodiæ commendetur.

Cap. X. de cuiusuis seruo in furto deprehenso.

Si quis ergo seruũm suum, vel in furto proprio, siue aliorum, culpabilem inuenerit, præfato testante eloquio, iudicibus ne parcat ad incidendũ largiri nasum.

Decretum Stephani c. 39. lib. 2.

Cap. XI. de nobile vel milite, inuadente alterius domum.

Si quis nobilium vel militum alterius domum nobilis inuaserit, & ibi pugnam

In decreto sancti Stephani c.33. lib.2. fecerit, & vxorem illius flagellauerit; si tantam substantiam habuerit, duæ partes eiusdem substantiæ pro reatu commisso dentur, tertia verò vxori, filiisq; suis remaneat: Si autem substantiæ defuerint, raso capite, ligatus & flagellatus circa forum ducatur, & sic vendatur. Alij verò qui cum eo erant, liberi, reatũ suum quinquaginta quinque byzantiis redimant. Sin verò alieni, qui ad hãc pugnam iniustis dominis conuenerunt, venundentur, & dimidium precium pro reatu detur, dimidium verò ad dominos illorum redeat.

Cap. XII. de libero vel seruo in furto capto, & de filiis liberorum in seruitutem redactis.

Si quis liber, vel seruus, in furto captus fuerit, suspendatur. Si verò pro euadendo patibulo, ad Ecclesiã fugerit, abductus ab Ecclesia obcæcetur. Seruus in furto captus, si ad Ecclesiam non fugerit, sicut liber suspẽdatur, domino serui illius detrimentum sit in seruo suspenso, domino verò rerum perditarum sit detrimentum in rebus perditis. Liber in furto captus, si ad Ecclesiam fugerit, & inde eductus obcæcatus fuerit, filij sui, & filiæ suæ, si decem annorum, aut minoris ætatis fuerint, in libertate permaneãt: si verò maioris ætatis, quàm 10. annorũ fuerint, in seruitutem redigantur, & omnis substantia eorum auferatur. *Rigor iniquus.* Seruus autẽ, vel liber, si anserem vel gallinam furatus fuerit, monoculus efficiatur, & quod furatus est, reddat.

Cap. XIII. de furto clericorum.

Ordo clericalis, si anserem, vel gallinam, aut poma, vel his similia furatus fuerit, scopis tantùm à magistro corrigatur, sed quod furatur, restituat. Maius his si furatus fuerit, ab Episcopo suo degradetur, & iudicio vulgari damnetur.

Cap. XIIII. de libero in furto reperto.

Si quis liber decem denariorum precium furatus fuerit, suspendatur: minus denariis decem si furatus fuerit, furtum duodecies reddat, & bouem vnum persoluat. Seruus autem si tale furtum fecerit, reddat duplum, & nasum amittat. Seruus profugus, si alicubi in furto deprehẽsus fuerit, obcæcetur: & ideo ne suspendatur, nec lingua abscindatur, decreuimus, vt si postea dominus suus eum inuenerit, requirat per eum, si quis quid perdidit.

Cap. XV. vt nulli negotiatori liceat emere vel vendere equos, vel boues, nisi quantum ei necesse fuerit.

Seruatur. Nullus mercator in aliquo huius terræ confinio equum aut bouem vendere, vel emere præsumat, sed equum solum sibimet ad expeditionem necessarium, aut boues ad arandum aptos, si voluerit, emat.

Cap. XVI. de venditione equorum, & boum, sine licentia Regis.

Si quis equum ad vendendum sine licentia Regis in confiniũ duxerit, equus ab eiusdem confinij Comite auferatur, & equi dominus in carcerem mittatur, donec testimonio Comitis sui comprobetur. Et si reus extiterit, sicut fur pœniteat: sin autem liber, & hospes euaserit, sed equum, quem adduxit, amittat.

Cap. XVII. de priuatione honoris Comitum, si permittunt emere vel vendere.

Comites confiniorum si equos vel boues vltra fines huius patriæ sine licentia Regis vendi permiserint, comitatus honore priueñtur. Custodes ergo confiniorum, qui vulgo Ewrij vocantur, si absq; scientia Comitum tale quid commiserint, libertatem amittant, si pauperes fuerint: Illis verò custodibus qui præsunt, si in culpa eadem rei inuenti fuerint, cum omnibus, quæ habuerint, pereant, soli filij & filiæ in libertate permaneant.

Cap. XVIII. de cuiusuis hospitis negotiatione.

Hospes ex aliis regionibus in confinium pro equo emẽdo, vel aliis rebus negotiandis, si venerit, cum nuncio eiusdẽ confinij Comitis ad Regem eat, & per licentiã regis quicquid & quantũ ei concessum fuerit, coram Pristaldo Regis emat.

Explicit liber secundus sancti Regis Ladislai.

INCIPIT

INCIPIT LIBER TERTIVS SANCTI REGIS LADISLAI.

Cap.I.de Centurionibus & Decurionibus.

Hoc decreuerunt, hanc legem constituerunt, vt nuncius Regis per omnes ciuitates dirigatur, qui congreget Centuriones, & Decuriones, eorum qui vulgò Ewrij vocantur, cum omnibus sibi commissis, & pręcipiat eis, vt si quem furti culpabilem sciunt, ostendant, & qui pro culpabilibus ostensi fuerint, si quòd non sint culpabiles, iudicium portare voluerunt, iudicium detur illis; quósque nominaui Ewrij, illi patiantur decennario numero, quorum vnus pro decem portet iudicium; si fuerit saluus, reliqui decem salui fiant; sin autem, nouem portent iudicium vnius, quisque pro se: ille autem qui pro decem iudicium portauerit, ipse etiam pro se portet æquè iudicium. Post hæc inquiratur à cunctis optimatibus, & populo, si quam villam sciunt furto diffamatam. Et si quam dixerint, dicat nuncius Regis villanis, vt quos fures sciant in illa, illos reddant, quos autem reddiderint, si iudicio se defendere dixerint, ne prohibeantur, sed qui fures antea auditi fuerant, illis nequaquam detur iudicium, propterea eiusdem villæ villani per decem & decem diuidantur, & decimus pro nouem portet iudicium. Si ipse fuerit mundus, reliqui nouem mundi sint: si culpabiles sint, sicut suprà diximus, vnusquisque pro se portet; decimus autem, qui pro nouem portauerat, ipsemet aquæ iudicio probetur. Deinde nuncius Regis de villa in villam vadat, sciscitando à villanis vt vbi furem sciunt, monstrent. Notum etiam faciat totius Hungariæ Principes sacramentum fecisse, quòd neque furi parcant, neque celent ipsum, ipsi quoque similiter faciant. Et si rustici dixerint iusiurandum se velle obseruare, tunc ostendant fines vbi sciunt. Sed si aliqui fures postea celasse eos accusauerint, & ita periuri inuenti fuerint, pro commutatione linguæ, decem pensas persoluant, & canonicè pœniteant.

Aqua iudicium.

Cap.II.de his qui aliorum seruientes detinent.

Præcipimus etiam, vt idem Regis nuncius palàm faciat omnibus, tam nobilibus, quàm ignobilibus, in primis Episcopis, Abbatibus, Comitibus, postea verò minoribus, quòd à tempore Regis Andreæ, & Ducis Belæ, & à descriptione iudicis Sarchas nomine, apud quemcunque aliqui ciuium, vel villarum, qui dicuntur Ewreck, vel serui detinentur, in assumptione S. Mariæ, omnes Regi præsentētur: quod si quis fortè detinuerit, dupliciter reddat, vel is, qui defendere voluerit, in prędicta festiuitate veniat ad curiam & defendat. Veniant & illi omnes, qui dicuntur Wzbeg, ad curiam in eadem festiuitate, & secundum quod regale iudicium ordinauerit, postmodum ratum permaneat. Et quisquis vltra terminum prædictum aliquem illorum, quos tunc reddi præcipimus, detinuerit, dupliciter reddat, & 55. pensas propter trāsgressionem soluat, & si qua suspicio de illo, vel alterius, qui rem detinebat, habita fuerit, eo, quòd quem retinuerat, fur & latro diffamabatur, ipse expurget se iudicio. Si culpabilis fuerit, vt fur & ipse diiudicetur. Illi qui dicuntur vulgò Wzbeg, cuicunque se personæ adhæserint, repræsentent eos Regi in assumptione S. Mariæ virginis. Quòd si quis transgressus fuerit, bis totidem reddat, & insuper propter legis fractionem quinquaginta quinque pensas adhibeat.

Sarchas.

Cap.III.de Palatino Comite, & eius sigillo, ac facultate.

Placvit etiam, vt si aliquando Palatinus Comes domum iuerit, Regis & curiæ sigillum, qui in vice eius remanserit, illi dimittat, vt sicut Regis vna est curia, & ita vnum sigillum persistat. Domi verò Comes idem quamdiu permanserit, super neminem sigillum mittat, nisi super eos duntaxat qui vocantur Wdwornyck, & qui spontanea voluntate iuerint ad eum, illis liceat iudicare. Quòd si aliter fecerit, quinquaginta quinque pensas soluat. Similiter & Duces, Comites, qui super suos, quàm alios iudicauerint, ea sententia corrigantur.

Id est, Vnius sessionis nobiles: Vt decret. S. Stephan. ca. 55. lib. 2.

Cap. IIII. de quolibet fure ad Ecclesiam fugiente.

Si quis liber furatus fuerit, & ad Ecclesiam fugerit, cuius Ecclesiæ refugium quæsiuit, illius seruus sit. Ille autem, cuius suasione euasit, parte sua careat. Et presbyter postea eum emancipauerit, & ipse vice eiusdem seruus sit Ecclesiæ. Ille verò qui furatus fuerat, venundetur in aliam patriam, & si postmodum huc reuersus fuerit, tollantur ei oculi.

Cap. V. de seruo vel libero in eadem culpa ad Ecclesiam fugiente.

Servus qui furatus fuerit, & ad Ecclesiam fugerit, domino suo reddatur, & cuius consilio fugit, det Ecclesiæ duas pensas. Et si liber furtum fecerit, sed neque captus neque ligatus ad Ecclesiam fugerit, ipse similiter sit seruus Ecclesiæ; & cuius erat fur, parte sua non careat eo modo. Si seruus ad Ecclesiam fugerit, vna pensa dominus eius eum redimat, cuiusque res furatus fuerat, illi totum restauret. Item si seruus magnum quid, & tantum furatus fuerit, quantum dominus eius restaurare non poterit, cuius erat vnam pensam Ecclesiæ det, & seruus sit eius. 10

Cap. VI. De muliere in furto inuenta.

Si quæ mulier habens maritum, furtum fecerit, nasum perdat, & venundetur, & cum tota substantia sua, cum qua post viri sui mortem maritari alij posset, pereat. Et si vidua idem fecerit, alterum oculum perdat, & exceptis partibus filiorum suorum cum parte sua annihiletur. 20

Cap. VII. De puella furtum faciente.

Si quæ innupta puella furtum fecerit, venundetur, & nunquam ad libertatem redeat. Et si quis emancipauerit, precio careat: & illa in curiam Regis ducatur.

Cap. VIII. de furibus liberis decem vel sex denariorum valentium.

Si liber, quod 10. denarios valet, furatus fuerit, cum omni substantia sua pereat: si minus autem, alter oculus eruatur, & secundum sancti Stephani decreta, diiudicetur. Item si seruus 6. denariorum precium furatus fuerit, careat oculis: sin minus, semioculo, & quod furatus fuerit, dominus eius dupliciter persoluat, ac restituat. 30

Cap. IX. De his qui capiunt furem.

Iudices olim soli parochiales Comites erant criminalium: post alij quoque obtinuerunt, & illa quoque in expeditione regia detinent vsque ad reditum eius & optimatum. Toties, quoties tertius dies labitur in qua detentionis, detentor ternas marcas pendat.

Quotiescunque quis furem ceperit, & ligauerit, per tres tantùm dies teneatur, quarto autem die, iudici statuatur. Et si fortè conscios furti inuenturum dixerit, sex septimanarum habeat indulgentiam, & interim furti conscios, quos se inuenturum promiserat, inueniat; si autem non inuenerit, regali sententia damnetur. Si verò plus, quàm per tres dies, eum tenuerit, & in quarta, sicut diximus, iudici non præsentauerit, & postea vel à parentibus ipsius furis, vel à domino, si dominum habet, declamatio venerit, ante iudicem statuatur, quòd eum vinculatum tenuit, & secundum legem diiudicetur. Si autem tertia, vel quarta die non repręsentauerit, ipse etiam ante iudicem statuatur, & qui iniustè tenuit furem, decem pensas persoluat, fur autem secundum legem diiudicetur. Et si quis contumax iudicium iudicis transgreditur, sex pensas soluat. Iudex verò per vim furem capiat, & si fur iudicium quæsierit, iudicioq; dato inculpabilis fuerit, de his sex pensas, vnam sanctæ Ecclesiæ donet, & si quis culpabilis fuerit, cum omni substantia sua in sumptum Regis exportetur. 40

Cap. X. de his qui stante expeditione furantur.

Si Rex in expeditione fuerit, & interim furem capi contigerit, qui cepit, firmiter teneat: sed postquam Rex & primates redibunt, vltra quem terminum dixit, tenere non præsumat: quòd si aliter fecerit, sex pensas enumeret.

Cap. XI. de negotiatoribus de ciuitate in ciuitatem euntibus. 50

Emptio coram testibus fiebat, vt supra.

Si quis de ciuitate in ciuitatem vadens, emerit vel vendiderit, & si quod prius vendidit, postea furatum esse apparuerit, ille qui vendidit, sicut fur, diiudicetur, & qui testes fuerint, iudicio discutiantur: si culpabiles inuenti fuerint, sicut fures, diiudicentur.

Cap. XII. de fure in curia nobilium capto.

Si

Si quis in curſa nobilium furtum fecerit, nuncietur vel eiuſdem domino curiæ, vel Priſtaldo eius. Et ſi fortè contigerit, quòd neuter domi ſint, expectent per decem dies: ſi in vndecimo neuter illorum venerit, ante iudicem ſtatuatur, & ſecundum legem tractetur.

Nam nobilium curia aſyla erant olim ad decem dies.

Cap. XIII. de collectoribus rerum fugitiuarum.

Rervm fugitiuarum collector, quem vulgariter Ioccerdech dicunt, quicquid collegit, ad ciuitatem eiuſdem prouinciæ congreget, & Regis agaſo, & Comitis eiuſdem ciuitatis in ſuburbio ſtabulum faciant: ibi vſq; ad feſtiuitatem S. Michaelis archangeli quicquid pecorum collectum erit, ſeruetur, duæ partes fugitiuorum hominum donentur Regis Priſtaldo, tertia pars Comiti, & vſq; ad pronunciatam feſtiuitatem detineātur, de quibus poſt feſtiuitatē ſancti Michaelis, quando diuiduntur, nuncius Epiſcopi decimā partem accipiat. à feſtiuitate ſancti Martini, vſq; ad feſtiuitatem ſancti Georgij congregentur oues & boues, & ſimili modo diuidātur. Et ſi iterum rerum fugitiuarum collector, quem dixi, hoc tranſgreſſus fuerit, exceptis filiis, & vxore eius, cum omni ſubſtantia perdatur. Si Comitis collector fugitiuorum liber fuerit, ſimili modo diſperdatur: ſi ſeruus, Comiti auferatur. Si Regis fugitiuorum collector de his, perdatur; & ſi quis ei quicunque de talibus negauerit, quantum negauit, duodecies tantum reddat.

Nunc ciuitas prouincia dicitur, Vbi eſt ſedes iudiciaria Comitatus. Olim qualibet ciuitas caſtrum habebat officiolarus regij, & prouincia ciuitas dicebatur omnis.

Cap. XIIII. de his qui à curſoribus equos dimiſſos retinent.

Si quis equos, quos curſores dimittunt, habuerit, per tres ſeptimanas ad Eccleſiam, vel ad mercandum cauſa monſtrandi ducat; & ſi dominus eius non venerit, donet eos collectori Regis. Similiter de equis fiat à furibus dimiſſis, & qui furē cum equo deprehenderit, furem iudici det, equus verò ſuus ſit ſibi.

Hodie dua-gaanimalia ter in forū ducuntur; poſt ſine reperto ſuo domino, qui detinet, retinet.

Cap. XV. de his qui decretum Regis ſpernunt.

Qvicvnqve ergo Regis & Principum decreta fregerit, ſi Epiſcopus eſt, ſecundum voluntatem Regis diiudicetur; ſi Comes, à comitatu degradetur; ſi Centurio, honore priuetur, & inſuper quinquaginta quinque penſas ſoluat. Miles ſimiliter quinquaginta quinque penſas ſoluat.

Cap. XVI. de iudicibus.

Vnvsqvisqve iudex in parochia ſua iudicet.

Parochia, id eſt, diſtrictu, diœceſi.

Cap. XVII. de furibus ad Eccleſiam fugientibus, & ſe innocentes proclamantibus.

Si qui ſerui vel liberi fures ad Eccleſiam ſubintrauerint, & ſe innocentes eſſe proclamauerint, iudicio probentur, quòd rei apparuerint, quaſi qui Eccleſiam nō intraſſent iudicentur: ſi verò culpā confeſſi fuerint, lege beati Stephani diſcutiātur.

Cap. XVIII. vt nullus cum fure conuenire audeat.

Nemo cum fure conuenire audeat: ſi autem quis fuerit, talis 55. penſas perdat.

Cap. XIX. nemo furem ducat ad alium iudicem.

Volvmvs etiam, vt ſi quiſpiam furem ceperit, ante illum iudicem diſcutiatur cauſa, in cuius termino captus fuerit fur.

Cap. XX. de vſu capionis.

Vsvcapiones capiantur à feſto ſancti Georgij vſque ad feſtum S. Ioannis Baptiſtæ, vt ducantur in ciuitatem, teneanturq; vſq; ad feſtum ſancti Michaelis, ac præſententur aſſiduè in mercatu, vt ſi quiſpiam ſuam reperit perſonam, redimat 90. denariis, equum 12. bouē 5. Ex quibus duas partes Regi, tres Comiti tribuantur. Si verò vſque ad feſtum ſancti Michaelis inuenti non fuerint, diuidantur prædicto modo, tamen nullo pacto vendantur, vel celentur, ſed tantùm labore eorum vtantur. Quòd ſi collector vendiderit, vel celauerit, triplum reddat, ipſeq; decem penſas perſoluat: Comes verò ſi itidem feciſſe probatur, quinquaginta quinque penſas perſoluat. Simili modo iubemus, vt qui vſucapiones tenuerint, à tempore Regis Belæ vſque ad feſtum ſancti Stephani dimittantur:

Vſus incertorum, nō proprietas, cōcedebatur.

Cap. XXI. de his qui recipiunt ſeruum vel lixas alterius.

INTERDICIMVS etiam, vt nullus recipiat seruum alterius, vel lixas. Si quispiam autem receperit, si Comes fuerit, sciat se dupliciter cum 55. pēsis redditurum: si iniustè, ministri dupliciter cum 55. pensis. Si plebeius, dupliciter in quinque pensis. Quòd si receptus, vel pro furto, vel aliquo crimine latuerit, & receptor conscius reatus illius fuerit, & negauerit se fuisse conscium, si Comes est, iuramento se purget, & insuper 55. pensas soluat: si verò plebeius, simili iuramento purgetur, & 5. pensis componat, & si quid circa eum latro proclamauerit, exaudiatur.

Contra malefactorū receptores.

Cap. XXII. de iudice erecto & constituto.

† forte, tim.

SI quis iudicum cùm diffinit litigium, antequam † eos potestas auferatur, veniat ad iudicem constitutum, & sicut iudicare disposuerat, cum eo discernat, & exinde recipiat nonam partem iudicij, iudex verò decimam. 10

Cap. XXIII. de falsis iudicibus.

SI qui falsi iudices in occulto iudicare aliquid cognoscerentur, præsententur iudici in cuius termino reperti fuerint, inquisitáve ab eis commissi causa, quod diiudicauerint duplum reddant, ipsiq́; decem pensas persoluant.

Cap. XXIIII. de iudice litigium differente.

SI quis distulerit iudicum litigia vltra triginta dies, vapuletur.

Cap. XXV. de iudicibus sigillum mittentibus.

POSSIT iudex sigillum suum mittere super quoscunque, exceptis presbyteris, & clericis, necnon Comitibus. Si quis autem iudicem iniustè iudicasse proclamauerit, & non probauerit, quinque pensas soluat: si verò iudex conuictus fuerit, iudicatum in duplo restituat, & insuper quinque pensas persoluat. Iudex pro suo iudicato in se in vno anno postea non introducatur. 20

Cap. XXVI. de spernentibus sigillum iudicum.

SI quis sigillum iudicis negligens, ad causam non venerit, primò quinque pensis puniatur; si secundò, totidem; si tertiò, rationem perdet, & tonsus reddatur pro debito.

Cap. XXVII. de his qui domi fecerunt pugnam.

SI qui domi pugnauerint, & ad iudicem non venerint, nil quærat iudex. Si venerint, ad ius eius fiat libitum: quòd si concordati aliquid iudici inde dederint, tertiam sibi, duas partes regi reseruet. 30

Etiam iudices villarum tunc iudicabant.

Cap. XXVIII. de cursoribus, qui vltra tria miliaria equos duxerint.

NEMO cursorum audeat ducere equum extra, vltra tertiam villam, vel accipere ad Ecclesiam Eipericium, siue ad curiam Episcoporum, seu Comitum, nec de presbyteris aut clericis, ac in curribus eorum: accipiat autem qualescunque inuenerit equos, vt Regis legatio citiùs expediatur. Si quis autem cursorem verberauerit, 55. pensis: si lora retinuerit eius, 10. pensis priuatur.

Cap. XXIX. de quærentibus perditarum rerum. 40

SI quis seruum fugitiuum, vel quodcunque perdiderit, quærere voluerit, à nemine prohibeatur. si quis autem prohibuerit, vel quærentem verberauerit, decem iuuencis mulctabitur, valentibus decem pensas.

Vide decretum Stephani 23. lib. 2. Ergo pensa est 1. fl.

Explicit decretum sancti Regis Ladislai.

DECRETVM COLOMANI NEPOTIS BELÆ I. OBIIT 1113.

50

De dote cuiuslibet Ecclesiæ, per beatum Regem Stephanum disposita: per Coloman. repetita.

Suprà cap. 34. lib. 2.

PLACVIT Regi, & communi concilio, vt dotes cuiuslibet possessionis, monasteriis, seu Ecclesiis à beato Stephano rege dispositæ, inconuulsæ remaneant.

De

De synodo in vnoquoque Episcopatu, Comitibus & magistratibus celebranda.

QVIA populus noster magnis sæpe tam viæ, quàm inopiæ laboribus prægrauatus, pro qualitate necessitatis curiam regalem adire non potest; bis in anno, id est, festiuitatum Apostolorum Philippi & Iacobi, & in octauis Michaelis, synodũ in vnoquoque Episcopatu celebrare constituimus: in qua tam Comes, quàm Comites, & aliorum magistratuum potestates, ad suum Episcopum conueniant, ad quam quicunque etiam sine sigillo vocatus non venerit, reus iudicio erit.

10 *De alienigenis presbyteris, sine literis commendaticiis aduenientibus.*

ALIENIGENA presbyter, vel diaconus, cum commendaticiis lit[illegible] recipiatur; qui verò hactenus recepti sunt, si iure venerint, examinentur. quatenus de quibus aliqua aures nostras pulsat infamia, hi ab officio cessent, donec vel à iudicio purgentur, vel de terra eliminentur. *Ladislai decr. lib. 1. c. 17.*

Quòd nullus indigena sine fideiussore recipiatur.

ITEM nullus indigena sine fideiussore recipiatur.

De citationibus presbyterorum.

EPISCOPORVM, & Comitum capellani, vel reliquorum, per sigillum Episcopi, vel Archiepiscopi, ad causandum cogantur.

20 *De citationibus presbyterorum & laicorum contra sese.*

SI verò clericus causam habet cum laico, per iudicis sigillum laicus cogatur: si verò laicus habet causam cum clerico, per sigillum Episcopi, vel archiepiscopi, clericus cogatur, ab eisque iudice suo examinentur.

De causis duorum Comitum in synodo terminandis.

SI duo Comites pro causa aliqua desiderant†, in suprà dicta synodo ventilentur. *†Id est, contendunt ad se pertinere.*

De causis duorum Abbatum in synodo iudicandis.

SI duo Abbates contenderint, in eadem synodo iudicentur.

30 *De causis ministrorum Regis vel Ducis, & capellanorum in synodo iudicandis.*

MAIORES ministri Regis vel Ducis, & capellani, quorũ personis indignum est coram iudice infra se constituto conferre, in eadem synodo iudicentur.

De contumacia iudicum, ad synodum venire nolentium.

SI quis superbus index, ad prædictam synodum venire neglexerit, suo accusatore iudicetur.

De contumacia ministrorum Regis & Ducis.

SI maiores ministri Regis, & Ducis, vel inter se, vel cum maioribus contenderint, & ad iudicem venire contempserint, Comes parochialis cum iudice eorum causas discutiat.

40

De iudicibus ministrorum Regis & Ducis.

DVCIS ministri, qui in mega Regis sunt, & Regis, qui in mega sunt Ducis, ante Comitem & iudicem; minores verò, ante iudicem delitigentur.

De facultate Comitum discutientium causas in synodo.

SI Comes cum Comite contenderit, vel populus eius, seu synodica discretio, seu vicinus Comes causas discutiat.

Quòd nullus secularis iudex clerico det sigillum.

50 NVLLVS præsumat secularis iudicis sigillum clerico dare.

Reuocatio omnium donationum præter donationem sancti Stephani.

QVIA communis videtur† valere curia, quo minus suppetãt necessaria: ne nostra abundãtia in eius superfluat penuria, placuit oẽs† pistrinas, præter quas Stephanus donauerit, summæ regali reddere, quia indignũ erat nobis recedẽtibus, curialem nobiscũ honorẽ recedere, vbi prçstat nos, & veniẽtes copiã honoris inuenire. *†facere. †fortè piscinas.*

Ablatio piscinarum monasteriis vel Ecclesiis dotatarum.

SIMILITER decreuimus piscinas monasteriis vel Ecclesiæ datas, alias quidem reddere, sed necessarias quotidiano fratrum vsui relinquere, nullas verò nisi superfluas auferre.

Quòd donationes vinearum, mansionum & terrarum in suo vigore permaneant.

VINEÆ, mansiones, terræ, à regibus quibuslibet datæ, perseuerent his quibus dabantur, & permaneant.

Quòd syluæ datæ Ecclesiis non auferantur. 10

SYLVAS Ecclesiis datas, minimè auferre concedimus.

De terris occupatis colonorum eiectorum.

VETERES coloni eiecti terram non habentes alibi, ad suam reuertãtur: si terra eorum data monasteriis, vel Ecclesiis, & ipsi aliam habent, hoc inuiolabiliter permaneat.

De successionibus possessionum collatarum à Regibus.

POSSESSIO quælibet à sancto Stephano posthumo, vel gnauis successionis quoslibet contingat hęredes, possessio verò ab aliis Regibus data prodat ad filium; qui si defuerit, succedat germanus, cuius filij etiam post mortem illius non exhæredentur: germanus autem prædictus si nõ inueniatur, Regi hæreditas deputetur. 20

De hæreditatibus empticiis quemlibet hæredem concernentibus.

HÆREDITAS empticia nulli hæredi auferatur, sed tantùm eodem testimonio confirmetur.

De iudicio ferri & aquæ in quibus locis fieri possint.

IVDICIVM ferri, & aquæ, in aliqua Ecclesia fieri interdicimus, nisi in sedę Episcopi, & maioribus præposituris, minori Posonij, & Nitriæ.

De iudicio iniusto cum sigillo, vel sine sigillo citato.

IVDEX iniustæ causæ discutieñ: ad curiam Regis cum sigillo cogatur, sed sine sigillo ad synodum. 30

De iusto iudicio Episcoporum, Comitum, & negligentia citatorum.

SI quis ad conuentum Episcoporum, & Comitum, venire neglexerit, ipse verò sic sollicitè conueniat, sic subnixa cura confidat, sicque summa diligentia, æquè liber animis trucinam compenset, quatenus nec leuesq; hincq; per odium innocentiam condemnetur, nec illius per amicitiam culpam defendant.

De decimis tributorum & vectigalium.

DE tributis autem & vectigalibus, sicut Comitibus tertiam partem dari decreuimus: ita decimam quoque Episcopis censemus, quibus tam noui, quàm veteris Testamenti pagina decimas dandas esse proclamat. Incautum igitur & inconsultum est, si instituta sanctorum præsumamus infringere, quæ summa potius deuotione debemus adimplere. 40

13. Genes.

De testibus confitentibus ante attestationem.

SI quis in testimonium adductus, alicuius veritatem sua nititur attestatione probare, huius testimonium sic recipi iubemus, si præsertim sit confessus peccata sua sacerdotibus, si denique contrarium habeatur, & sit cautela veri testimonij per sacerdotem in confessione, & mendacis culpæ redemptio fiat in possessione.

De falsis testibus deinceps non admittendis.

NVLLVS audeat prohibere testimonium, nisi confessus pereat; cuiuscunque testimonium falsum inuenietur, eius testimonium amplius non recipiatur. 50

De Pristaldo iudicis verberato, & de pœna verberantis.

SI Pristaldus iudicis pro causa diiudicata ab aliquo verberabitur, hunc verberantem ad Comitem comitatus mittat, & quicquid deliberatum est, totum auferatur vi iudicis.

De

De idoneitate Priſtaldorum, ſicut & teſtium.

PRISTALDOS tales eſſe præcipimus, quales idoneos teſtes fieri ſuprà iuſſeramus.

De pœna Priſtaldi iniquam executionem facientis.

SI Priſtaldus iudicis in legatione eius iniuſtè quid egerit, damnetur cum iudicio iniquo ex mandato.

De pœna iudicis occaſione Priſtaldi ſecuta.

DAMNVM à iudice per Priſtaldum alicui iniuſtè illatum, de rebus iudicis
10 reſtituatur.

De occupatoribus terrarum, & pœna eorundem.

SI quis terram alterius ad poſſidendum vſurpauerit iniuſtè, cùm in iudicio reus fuerit, tantundem de propria terra perdat, inſuper decem penſas ſoluat.

De duplici tributo mercatorum.

MERCATORES ad id ſolùm vt ſua dinoſcant, venalium rerum dediti ſtudiis, priſtina duplicent tributa: pauperes verò qui de mercato viuunt, ſolita tributa perſoluant.

De diſtributiuis propriarum rerum in foro emptarum.

SI quis de propriis domeſticis rebus quid in foro vendiderit, lege ſancti Ste-
20 phani tributum reddat.

SI quis hoſpitum, accola, terram ciuium cohabitat, aut iuxta medietatem ſubſtantiæ ciuilium expeditionē faciat, aut ſeptem denarios ſoluat. † Sed iſtius capituli altera pars intellectui meo hinc facilè pateſcit, vt ſcilicet iuxta medietatem ſubſtantiæ ciuilium expeditionum faciat æſtimam, aut quòd idem ſit ſenſus illius capituli quod ſcriptum eſt de non dandis 8. denariis. († *Videtur gloſſema.*)

De equo donato Regi in quolibet Comitatu. Item de expenſis nunciorum per Palatinum Comitem dandis.

QVANDO Rex, vel Dux, in Comitatum aliquem intrauerit, tunc legalis e-
30 quus exercitualis pręſtetur. Qui ſi quo caſu mortuus fuerit, quindecim penſę domino equi donentur: ſi verò aliquo modo, ſed non vſque ad mortem, læſus fuerit, prædicti pretij pars dimidia pro equo reddatur. Si magna fama Marchiam intrauerit, Comes nuncios duobus equis exercitualibus quatuor ad Regem dirigat, qui cum proprio cibo illuc peruenientes, pretium viatici ſui à Palatino Comite exigant, & tandem ad reditum ſuum: ſi verò equi illorum mortui, ſeu læſi fuerint, tot penſæ, quot prædiximus, pro equis reddantur; ſed ſi redeant, pro vna via exercituali deputetur.

IN quacunque Comitis mega Rex digrediatur, ibi iudices duo megales cum eo coniungentur, qui & diſſenſiones populi illius diſcreto examine dirimāt, & ipſi
40 clamore populi ingraueſcat, à Comite Palatino diiudicentur.

SI Rex fortè cuiquam Comiti, vel miniſtro aliquem de ciuibus dimiſerit, ſolus in expeditionibus pergat: Sin autem, ad populum, vbi egit, reuertatur, &c.

OMNIBVS interdicimus tenere quenquam de ciuibus ad fugam faciendam abſque Regis licentia, at ſi quis tentauerit, quaſi legis fracturam emendet.

Quòd olim loricati ſecundum exigentiam prouentuum diſponebantur.

COMITES ſi proprios in villis ſuis liberos habuerint, de quibus equos accipere, & centum pēſas poſſint colligere, loricatum vnum Regi de ſumptu illo pro-
50 curent: ſi verò quadraginta penſas, milite abſque lorica educentur; at ſi minus, ſuis hoc propriis vſibus reſeruent.

De ſeruis diuagis medio capite tundendis.

SI Rex aliquem vaginei ſeruum alicui donauerit, hic medium caput eius † tundat, quod ſi non fecerit, decem penſas amittat, cui ſi vxorem dederit, etiam illam cum eo perdat. († *forte tondat.*)

De pœnis vagos absque licentia Regis tenentium.

QVICVNQVE absq; licentia Regis vagum tenuerit, 55. pēsas soluat, & si apud dominum quicquam sit furatus, dominus à crimine iudicio purgetur, & fideiussor eius si fuerat, illum ostendat, idemq; si inculpabilis fuerit, eandem legem persoluat, quam retentorius, & si non habet, propriam libertatem amittat.

De redemptione vagi ab eo, qui eum apprehendit.

CVM quis vagum apprehensum tenuerit, à domino eius primo exigatur.

De pœna vendentium vagos seruos, & etiam ementium.

SI quis vagum, quem tenet, alicui donarit, dederit, decem pensas persoluat, 10 & totidem emptor illius.

VBICVNQVE equites, emptores, viatores venerint, id est, si voluerint, non minus tantum Capecium comparent. qui verò minoris precij acceperit, aut qui maioris fecerit, quinquaginta quinque pensas persoluat.

De exemptione liberorum à solutione octo denariorum.

DENARII octo qui de liberis singulis colligebantur, à modò non accipiātur. De ciuilibus exdomariis octo denarios præcipimus colligi: inter quos scilicet si quis liber nō à Rege, sed ab ipsis ciuibus. Si autem liberi, qui Regi per fines eorū transmigranti, equos, currus subductorios, & seruitia stipendiaria suppeditabant, quatuor denarios persoluant. Similiter & liberi, qui cum eis conhabitare consenserint, exeant antea. 20

De accusatione Ismaelitarum secundum sectas Iuuencium.

SI quis Ismaelitas in ieiunio seu comestione, porcinæq; carnis abstinentia, vel in ablutione, vel ex quolibet suæ sectæ facinore deprehenderit, Ismaelitæ Regi deputentur; qui verò eos accusabat, de substantia eorum partem accipiat.

De Ecclesiis Ismaelitarum, & de dotibus earundem.

VNICVIQVE villæ Ismaelitarum ecclesiam ædificare, de eademq; villa dotem dare præcipimus, quæ postquam ædificata fuerit, media pars villæ Ismaelitarum villam eiungeret, sicq; intrinsecus sedeāt, & quasi vnius moris in domo: mater autem nobiscum vna eademq; Christi Ecclesia indiuidua vnanimiter cōsistat. 30

De matrimonio Ismaelitarum.

ISMAELITARVM verò nullus audeat filiam suam iungere matrimonio alicuius de gente sua, sed nostra.

De esu carnium porcinarum per Ismaelitas.

SI quis Ismaelitarum consortes habuerit, vel aliquem in conuiuium erogauerit, tam ipse, quàm conuiuæ eius de porcina tantùm carne vescantur.

De pœnis homicidas retinentium, nec non patricidis, & aliis.

SI quis homicida apud Comitem, vel per quemlibet inueniatur: per nuncium Episcopi ad pœnitentiam quæratur, quem si mittere renuerit, eadem cum homicida sententia feratur. Patricidas, & cætera quæ prætitulauimus odia, Episcoporum censuris vacare decreuimus, quæ iuxta qualitatem facinorum & personarum, prout ipsis visum fuerit, canonicè huiusmodi deliberetur. Simplicia verò huiusmodi homicidia Archidiacono & iudice seculari iudicentur, de quibus & ipsi nonam, decimam partes inter se dispartiant. 40

De furibus quarta die ad iudicium statuendis.

Ita decretū S. Ladislai lib. 3. cap. 9.

FVR captus, per triduum ligatus sine manuum secatione, ignis concrematione teneatur, quarta autem die ad iudicem ducatur.

De eadem re. 50

FVR quando ducitur à Pristaldo domini sui, si vna tantùm ibi familia sit, in die vnus cum fure eat; qui si ire noluerit, iudex iudicare non formidet. Si verò illi nulla familia fuerit, ad viciniorem domini sui illius loci iudex ligatum dirigat. Lege autem fur iudicetur.

De pœna cuiuspiam aliquem iniustè capientis.

SI

Si fur dictus in iudicio saluus apparuerit, captor eius iudicetur sententia, sed non aboculetur.

De pœna capientis si falsus euaserit.

Si fur captus, furtum proponi non possit, datur iudicium, in quo si saluus appareat, captor illius priuetur substantia, quantum ipse fur dictus habere dinoscitur, non autem aboculetur.

De furto XX. denariorum.

Si quis furatus quadrupes animal, vel pretium eius, aut vestimentum pretij viginti denariorum furetur, vt fur iudicetur.

10

De pœna capientium aliquem ex sola suspicione.

Si quis sola suspicione furem ceperit, vt fur culpabilis in iudicio iudicetur.

De furis supplicio.

Fvr inuentus in iudicio culpabilis, aboculetur.

De vxoribus & filiis furum.

Vxor furis, quia particeps est sceleris mariti, marito seruituti mancipetur, filij quoque eorum xv. annorum, & vltra, matris pœnam sortiantur; qui verò infra quindecim annos fuerint, impunè dimittantur.

20

De meretricibus.

De strigiis verò, quæ non sunt, nulla quæstio fiat.

De mulieribus partum suum necantibus.

Mvlieres partum suum necantes, Archidiacono allatæ, pœnitentiã agant.

De raptu mulierum.

Raptvs mulierum Episcopus seu Archidiaconus diiudicet.

De maleficis.

Malefici per nuncium Archidiaconi & Comitis inuenti indicentur.

De adulteris.

30

Advlteri Episcopo vel Archidiacono adducti, debitis pœnarum iudiciis deputentur.

De amißione equi in villa vbi Rex fuerit.

Si in villa, qua Rex fuerit, equus perdatur, nullus de villa illa emendet, sed sit circa partes illas, vbi in villa latrocinium fuerit, hi ligentur.

De amißione equorum itinerantium.

Si equites viatores in villa iacuerint, & equos perdiderint, à villanis hæc emendentur: si verò extra villam, nullus de villa persoluat.

De tempore discußionis querimoniarum.

40

Qvi in tribus conciliis causam suam legaliter diffinire noluerit, eius querimoniæ amplius non audiantur.

De Comitibus & militibus potestatem Ecclesiæ sibi vendicantibus.

Nvllvs Comitum, vel militum, in Ecclesia præsumat sibi vendicare potestatem, præter solum Episcopum.

De personis ecclesiasticis decimas persoluentibus.

Presbyteri, & Abbates, seu cuiuslibet personæ dignitatis, Ecclesiæ decimationem persoluant, in cuius territorio agriculturam exercẽt, aut vindemiant.

De bigamis presbyteris.

50

Bigami, & viduarum, vel repudiatarum mariti à coniugiis cessent illicitis, vel à cleri excludantur consortiis.

De celebrationibus Missarum.

Missa non celebretur, nisi consecratis in locis, nisi causa necessitatis aliqua existente, & tunc in tentorio, siue alio mundo loco; sed viæ tantùm ac itineri hæc vacet necessitas, non venationi, nec sine tabula itineraria.

Decret. Ladislai c. 29. lib. 1.

De reliquiis Sanctorum.

RELIQVIÆ Sanctorum per viam non portentur, nisi bono & religioso clerico.

De vestibus clericorum.

Seruatur.

NVLLVS qui clericus existimatur, vestibus vtatur laicalibus, vtpote fisso pellicio, vel tunica sparsa, manica rubra, strangula vel viridi manica, aut chlamyde, caliga seu ioppa, calceo picto, vel sericata camisia quoque & tunica, & serico in pectore non consuantur, sed nodis vel fibulis amplectent collum.

De quatuor temporibus.

10

QVATVOR tempora in suis, vt hactenus mos fuit, locis celebrentur.

De officio sanctæ Trinitatis.

OFFICIVM de sancta Trinitate post octauas Pentecostes celebretur.

De sepulturis Christianorum.

SEPVLTVRA Christianorum non nisi in atriis Ecclesiarum fiat.

De Iudæis Christianum mancipium ementibus.

NVLLVS Iudæus Christianum mancipium emere, vel vendere audeat, aut in suo seruitio tenere sinatur. Nunc verò qui habet, si infrà datis sibi indiciis non vendat, amittat.

20

De agricultura Iudæorum.

†forte paganis.

AGRICVLTVRAM autē si quis eorū habet, †pugnis hanc mancipiis exornet.

De possessionibus & mansionibus Iudæorum.

POSSESSIONES quidem Iudæi qui possunt emere, habeāt, sed ipsi nusquam, nisi vbi sedes Episcopalis, remanere sinantur.

De pœna incolarum alienigenis equum Hungaricum ementium.

NVLLVS habitantium in Hungaria adiacentibus Hungariæ regionibus Hungaricum equum emere audeat. Quòd si quis emeret, ac vt alium furatus sit, sibi impositum fuerit, infra Hungariam, & vsque ad fines Hungariæ tantùm causam suæ excusationis protendere ei liceat. Cùm verò equi venditorem in extranea voluerit quærere patria, non illi illuc ire permittatur, sed ferri iudicium portet; si reus apparuerit, pro fure iudicetur; si mundus, non vt fur teneatur, sed pretio quo emerat, solummodo careat.

30

Ferri] id est compedibus punitur. Aqua] id est tantū aqua alatur.

Quales serui possunt vendi extra Hungariam: Et similiter qualia animalia, & de pœna transgredientium.

NEMO seruum in genere Hungarorum, vel quemlibet in Hungaria natum, etiam alienigenam, nec ancillam, exceptis linguæ alterius seruis, qui ab aliis ducti sunt regionibus, vendat.

NEC aliud animal, præter boues masculos extra Hungariam vel vendere, vel ducere audeat. Quòd si qui Comitatuum, vel Comitum infringeret, aut honore suo priuetur, aut duas rerum suarum partes amittat, tertia verò substantiæ portio vxori atque hæredibus suis remaneat.

40

De tributis inter Regem & Comitem diuidendis.

QVISQVE Comitum in comitatu suo tertiam vbique partem habeat de tributo, Rex verò ad plenum de tributo omnium similiter duas partes habeat.

De pecuniis per Comites in vnoquoque centuriatu colligendis, & Strigonium importandis.

SINGVLI Comites, per quemcunque suorum voluerint, denarios, qui per vniuersas Hungariæ partes colliguntur, quantum super vnoquoque centurionatu fuerit collectum, nominatim sub certo scribentes numero Strigonium vsque festum sancti Michaelis mittant, neque prius regij Comites, vel Centuriones partem accipiāt, sed in eodem loco, videlicet Strigonij, fiat omnium partium diuisio. Si quis autem vsque ad tempus præsignatum nummos illos cum pleno illuc numero non attulerit, dupliciter reddat.

50

Strigonium, regalis sedes à Bela IV. Archiepiscopo conditionibus erat traditū, vti literæ habētur.

De

De liberis hospitibus Sclauis in terris aliorum laborantibus.

Liberi quoque hospites, sicut Sclaui, vel cæteri, sicut extranei, qui in terris laborant aliorum, pro libertate tantùm denarios dent, non alios etiam denarios pro opere aliquo dare cogantur.

De solutione castellanorum.

De castellanis autem tam pro opere, quàm pro libertate, denarij accipiãtur.

Quòd nemo sine sigillis tributariorum extra Hungariam ire audeat.

Egressvri de Hungaria à Theolonariis tam Regis quàm Comitis, qui exitus tenent, sigillum quærant pro Thelonitariis, quod Theolonitarius regis ab vna parte cum sigillo comprimat, ab altera parte Theoloniarius figuram Comitis sui concludat. Si quis absq; tali sigillo tentauerit egredi vt legis præuaricator, vnam pensam soluat.

De pœna falsorum testimoniorum.

Si quispiam falsum testimonium alicui imposuerit, id est, de eo pluribus ex villis sine rege, vel odij causa attestantibus, ferreo probetur iudicio, ac si mundus fuerit, impositor culpæ, decem pensas soluat. Quòd si reus erit, sine quidem res eius permaneant, sed admodum crucis ferreo ingeniis excoquatur, vt amplius testimonium eius refutetur.

De furibus ad Ecclesiam fugientibus.

Si quis autem de furto accusatus, ad Ecclesiam fugeret, non illico teneri pro fure culpabili eum iudicamus: sed iudex cum presbytero Ecclesiæ ipsius eum interroget, vtrũ culpabilis sit, nec ne. Et si reum se esse fatebitur, pro Ecclesia de obcæcatione oculorum, seu aliorum detrimentatione membrorum liberetur: si verò se non esse furem dixerit, excusandi se potestas ei non negetur, sed non de periculis suprà dictis eum Ecclesia liberabit, si reus postea esse probabitur.

Item si quis fur esse ab aliquo accusabitur, fur furti signo apud ipsum reperto, vel comprobato, quòd pro tali causa aliquid vili restaurauerit, vnde de villis aliis plures eum criminabuntur.

Explicit liber primus decreti Colomani Regis.

INCIPIT LIBER SECVNDVS DECRETI COLOMANI REGIS.

Colomanvs Dei gratia Rex Hungarorum, hanc legem dedit Iudæis, in regno suo commorantibus, vt nullus Iudæus deinceps præsumat Christianum mancipium cuiuscunque linguæ, vel nationis, emere vel vendere, aut in seruitio suo retinere. Et si quis hoc decretum transgrediatur, damnum Christiani mancipij aut eum iuuenim patiatur.

De mutuis Christianorum & Iudæorum.

Si Christianus Iudæo, aut Iudæus Christiano, duarum vel trium personarum pretium accommodare voluerit, mutuator à mutuante vadimonium recipiat, & testes Christiani ac Iudæi in testimonium assumantur, vt si fortè alter alteri quod mutuauerit, denegauerit, vadimonio tantum, & testimonio vtriusque comprobetur. Si autem vltra tres personas alter alteri quicunque accommodauerit, vadimonium, & testes, vt prædictum est, assumat, & quantitatem pecuniæ ac nomina testium in chartulam scribere, ac sigillo vtriusque, mutuatoris scilicet & mutuantis, sigillare faciat, vt si quando alter alteri in hac re vim inferre voluerit, scripto aut sigillo vtriusque veritas comprobetur.

De emptionibus & venditionibus Christianorum & Iudæorum.

Si Iudæus à Christiano, aut Christianus à Iudæo aliquid emere voluerit, coram idoneis testibus Christianus & Iudæus rem venalem emat, eamq; rem & nomina testium in chartula scribere faciat, & chartulam illam cum sigillo vtriusq;,

venditoris ſcilicet & emptoris, inſignitam apud ſe cuſtodiat: vt ſi quando in hac emptione furti reus aliquando arguatur, dominum rei furtiuæ, quæ apud ſe recognita eſt, & teſtes prænominantes producat, & liberetur. Si autem dominum furtiuæ rei & recognitæ producere non poterit, chartulam verò ſigillatam oſtenderit, iuramento teſtium inſcriptorum purgatus euadat. Si autem teſtes Chriſtianos non habuerit, & Iudæus idoneos produxerit, & iuramento eorum ſecundum legem Iudęorum purgatus, furti compoſitionem quadruplo perſoluat. Quòd ſi nec dominum recognitæ rei inuenerit, nec chartulam ſigillatam produxerit, more patriæ diiudicetur, compoſitionem furti duodecies perſoluat.

De degradatione bigamorum. 10

SI quis bigamus propter vxorem diuinum officium reliquerit, omni eccleſiaſtica dignitate priuetur, & inter laicos deputetur.

De decimis populorum, & ſeruorum denariis.

DECRETVM eſt in ſancta ſynodo ab omnibus Epiſcopis, vt populus S. Eccleſiæ decimas omnes, quas poſſident; ſerui verò eccleſiæ parochiano presbytero tres denarios impendant.

De notis infidelitatis.

Ex autoritate Apoſtoli, pro Regis noſtri ſalute, & regni eius ſtabilitate, in omnibus quotidie Eccleſiis orando, cenſemus, & diſtinctè præcipimus, vt ſi quis 20 contra Regis ſalutem, aut dignitatem, quolibet modo aliquid conſpirauerit, aut conſpirare aliquid tentauerit, ſeu tentari ſciens conſenſerit, anathematizetur, & omnium fidelium communione priuetur: Vt ſi quis huiuſmodi aliquem nouerit, & probare valens non indicauerit, prædictæ damnationi ſubiaceat.

De mulieribus fugientibus à viro ſuo.

SI qua mulier à viro ſuo fugerit, reddatur ei, & quotiens fugerit, reſtituatur ei, quia ſcriptum eſt: Quos Deus coniungit, homo non ſeparet.

De mulieribus adulteris.

SI quis vxorem ſuam coram legibus adulteram probauerit, ipſa pœnitentiæ ſubiaceat, & poſtea ſi voluerit, reconcilietur: aliter innupta permaneat. 30

De priuatione bigamorum preſbyterorum, & eorum beneficiis.

VT clerici bigami, & viduarum, aut repudiatarum mariti, temporalibus Eccleſię beneficiis, & cunctis dignitatibus eccleſiaſticis priuentur. Nullus Epiſcopus aliquem promoueat clericorum ad diaconatum, & vltra, niſi prius continentiam vouerit, & ſi vxorem habuerit, ex eius fiat conſenſu idem promittentis.

De ſeruitio coniugatorum preſbyterorum.

NVLLVS coniugatus presbyter, aut diaconus altari deſeruiat, niſi prius vxori cõcedenti, & continentiã vouenti, locum ſeparatim, & neceſſaria vitæ temporalis prouideat, vt ſecundũ Apoſtolum, habentem, quaſi non habentẽ, ſe eſſe intelligat. 40

Vt nullus laicus poteſtatem habeat Eccleſiæ.

NVLLVS laicus poteſtatem Eccleſiæ habeat.

De clericis concubinariis.

SI presbyter altari deſeruiens, concubinam habuerit, illa auferatur; ipſe verò iuxta præceptum Epiſcopi, fructu peracto pœnitentiæ ad adminiſtrandum altari reſtituatur & Eccleſiæ: vt à villa, in qua eſt Eccleſia, ab Eccleſia longius non recedat: quòd ſi receſſerit, decem penſas perſoluat.

De venditionibus in diebus feſtis.

SI quis feſto vendiderit, precium acceptum quadruplo reſtituat, ipſe verò 50 pœnitentiæ ſubiaceat.

De non celebrantibus feſtiuitates.

SI quis deſcriptas feſtiuitates non celebrauerit, ſic iudicetur in eum, vt ſi liber eſt, tribus diebus pœniteat: ſi ſeruus, ſeptem plagis multetur.

De deſponſatione coniugali in facie Eccleſiæ fienda.

De

De desponsatione coniugali placuit sanctæ synodo, vt omnis coniugalis desponsatio in cõspectu Ecclesiæ præsente sacerdote, coram idoneis testibus, aliquo signo subarrationis, & consensu vtriusque fieret: aliter non coniugium, sed opus fornicationis reputetur.

INCIPIVNT CAPITVLA DE SYNODALIB. DECRETIS DOMINI ARCHIEPISCOPI LAVrentij Strigoniensis Metropolitani, & decem suffraganeorum suorum.

10

De causis Ecclesiarum & clericorum.

In primis interpellandus est Rex, vt causæ clericorum, vel Ecclesiasticarum rerum, canonicè finiantur.

De sermone ad populum.

In omni dominico die, in maioribus Ecclesiis Euangelium & Epistola, & fides exponantur populo: in minoribus verò Ecclesiis, fides, & oratio dominica.

De communicatione cleri & populi.

20 Vt omnis populus in pascha, & pentecoste, & natali Domini, pœnitentiam agat, & communicet: cleri verò in omnibus maioribus festis communicent.

De ecclesiasticis ordinibus.

Vt omnes ecclesiastici ordines in maioribus Ecclesiis habeant, & officium suum exhibeant.

De locutionibus clericorum.

Vt canonici in claustro, & capellani in curia literatoriè † loquantur.

† Id est, Latinè.

De idiotis presbyteris.

Idiotæ presbyteri ne ordinentur, qui nec ordinandi sunt, ordinati discant, aut deponantur.

30

De ritu gentilitatis.

Nvllvs aliquid de ritu gentilitatis obseruet: qui verò fecerit, si de maioribus est, quadraginta dies districtè pœniteat: si autem de minoribus, septem dies cum plagis pœniteat.

De annuis festis.

Si quis descriptas festiuitates non seruauerit, eadem lege, sicut in præcedenti capitulo, iudicetur.

De negligentibus pœnitentiam.

Si quis pro facinore commisso iniunctam pœnitentiã negligens, ab Episcopo 40 excommunicatus in eadem peruersitate obierit, in cœmiterio Ecclesiæ non sepeliatur à presbyteris.

De mortuis sine confessione.

Si quis infirmatus, presbyterum non vocauerit, nisi subitanea causa fuerit, eodem modo fiat de eo. Parentes verò eius, aut vxor 40. dierum pœnitentia multentur. Si autem parentes non habuerit, villicus cum duobus senioribus villæ idem iudicium subeat.

Decret. Stephani c. 11. libr. 2.

De vxoratis in Episcopum promouendis.

Si qui ad Episcopatum promouendi sunt, si legitimo matrimonio iuncti sunt, 50 nisi ex consensu vxorum, non assumantur.

De portionibus Ecclesiæ quomodo debet fieri.

Episcopvs si tres partes de acquisitis ad vtilitatem Ecclesiæ fideliter intulisse videatur, licet ei agere de quarta quod voluerit.

De monasteriis Episcoporum qui obierunt.

Episcopis, qui obierunt iam, neq; Ecclesiæ suæ prouiderunt, sed tantùm filios

ſuos ditauerunt, placuit medietatem auferre, & Eccleſiæ reddere. Monaſteria verò talium in poteſtate ſuccedentis Epiſcopi, tranſeat quod ei melius fuerit viſum.

De his qui res Eccleſiæ diſsipauerunt.

SI qui eorum, qui Eccleſiis præſunt, res earum diſſipauerunt, duplo reſtituant: ſi non habent, deponantur, donec emendentur.

De famulis Eccleſiæ.

NVLLVS Epiſcopus, aut presbyter, in propriis locis ſeruos Eccleſiæ teneant.

De parochis Eccleſiarum.

VNAQVÆQVE Eccleſia circa ſe in proximo habeat parochiam ſuam. 10

De Eccleſia ſine dote non conſecranda.

ECCLESIA non conſecretur, ſi dos & terra prius non datur.

De preſbyteris ad titulum conſecrandis.

NVLLVS presbyter ſine titulo ordinetur, de eodem nullus habeatur in clero, qui non eſt titulatus alicui Eccleſiæ.

De clericis ſine literis non ſuſcipiendis.

NVLLVS clericus de alio Epiſcopatu vel prouincia ſine commendaticiis literis ſuſcipiatur.

De legationibus Epiſcoporum.

EPISCOPVS ad Epiſcopum ſine literis & ſigillis legationem non mittat. 20

De aduenis clericis & infamatis.

HOSPITES clerici, qui de alienis partibus venerint, aut legitimos teſtes producant, aut vadant, aut redeant niſi cum formata.

Ne quis in alterius Eccleſia celebret ſine licentia.

NVLLVS Epiſcopus, aut presbyter, aut Abbas miſſam celebrare audeat contra voluntatem presbyteri.

De profeſsis clericis ad titulum ordinatis.

QVICVNQVE ad titulum ordinatus eſt, vel cum profeſſione ſuſceptus, non priuetur ordine, vel honore, niſi ſuper certis criminibus iudicio canonico. ſed ipſe neque recedere audeat, niſi fortè ad maiorem promoueatur gradum, quod etiam Epiſcopus ſuus benignè debet conſentire. 30

De oppreſsis clericis, vel iniuria affectis.

SI quis ſe oppreſſum exiſtimat, liceat ſibi concilium epiſcopale appellare.

De clericis, vel Abbatibus ſeculare iudicium quærentibus.

SI quis verò clericorum, aut Abbatum, in cauſis eccleſiaſticis relicto epiſcopali iudicio, regalem curiam, aut ſeculare iudicium adierit, cauſam perdat, aut ſe pœnitentia emendet.

De concordia diuinorum officiorum.

DIVINORVM officiorum, vel ieiuniorum ſecundum libellum, quem collaudauimus, ab omnibus teneatur. 40

De vita & victu canonicorum.

VICTVS canonicorum, & vita, ſecundum regulam Ipſorum ab Epiſcopo diſponantur.

De libertate hoſpitum canonicorum.

SI quis hoſpitum canonicæ regulæ ſe ſponte ſubdiderit, nihil ad filium eius pertineat, niſi fortè & ipſe idem voluerit.

De libertate canonicorum, & filiis eorum. 50

SI quis clericus ſeruus Eccleſiæ fuerit, filij eius ad priſtinam non redeant, ſed inter liberas Eccleſiæ habeantur.

De ſeruis non ordinandis.

NVLLVS ſeruus clericus ordinetur, niſi antea dominus eius plenam ſibi dederit libertatem.

De

De sacerdotibus ante proratum vxoratis.

PRESBYTERIS vxores, quas legitimis ordinibus acceperint, moderatius habendas, præuisa fragilitate indulsimus.

De clericis non vxorandis.

QVI diaconatum, vel presbyteratum, sine matrimonio adepti sunt, vxorem ducere non liceat.

De vxoribus Episcoporum.

VXORES Episcoporum episcopalia prædia non inhabitent.

10 *De excommunicatis.*

SI quem Episcopus excommunicauerit, hoc & Regi & fratribus suis, datis literis, indicet.

Vbi debeant Missam celebrare.

NVLLVS extra Ecclesiam in tentorio, vel in aliquo loco, vel domo Missam celebrare, aut audire audeat, nisi Rex, aut Episcopi Comites, & Abbates illi, qui tentorium, aut aliquod huiusmodi diuino solummodo cultui præparatum habere possunt: Et hoc tantummodo, quando sunt in via.

Item de Abbatibus.

20 ABBATES prouisa facultate monasteria cum Episcopo ad duo aratra vnum monachum, regulariter vestitum, & instructũ teneant, & regulam beati Benedicti omnes monachi sciant & intelligant.

De eisdem Abbatibus.

ABBATES rarò de monasteriis suis egrediantur, neque ad Regem, neque ad remotas possessiones, sine conscientia Episcopi, vbi tum diutius immorari non debent.

ITEM Abbates mitram, sandalia, nodum ante cappam non habeant, vel cætera insignia, neque baptizent, neque pœnitentiam dent, neque ad populum sermonem faciant.

30 ABBATES non plus parentibus, quàm cæteris pauperibus solatium faciant. Quòd si Abbas inuentus fuerit bona monasterij dissipare, aut dispersisse, ipse deponatur, & substantia illa reddatur.

De ordinandis monachis.

NVLLVS Episcopus, aut presbyter, monachum ordinet.

De his qui monachi habitum accipiunt.

SI quis monachi habitum habet, aut monasterium intret, aut habitum perdat, & pœnitentiæ subiaceat.

De conuentione oblationis pro missa ne fiat.

40 NVLLVS presbyter conuentionem de missa pro oblatione faciat.

De non emendis vel vendendis Ecclesiis.

NVLLVS Ecclesiam emere vel vendere præsumat. Si quis Ecclesiam vendiderit, aut librum suum sine culpa abiecerit, delator illius culpæ partem magistri illius eo modo accipiat.

De baptismo & sepultura.

NVLLVS de baptismo & sepultura precium exigat.

De festiuitatibus.

NVLLVS festiuitates vendere præsumat.

50 *De iudicio, quomodo vel quando dari debeat.*

VT iudicium ferri in Quadragesima, sicut in aliis diebus, excepta causa effusionis sanguinis, detur, vt ferrum accipiat, & in designato loco ponat.

Quid in Ecclesia legi, vel cantari debeat.

NIHIL legatur, vel cantetur in Ecclesia, nisi quod fuerit in synodo collaudatum.

Quomodo in Kalendis & conuiuiis conuiuari debent.

Si quis presbyter in canonico conuiuio, vel Kalendis cogendis potos viderit, arguet eos: & si eum nō audierint, ipse exeat, & archidiacono eos accuset, qui eis pœnitentiam septem diebus iniungat. quòd si ipse presbyter non exierit, ab officio suspendatur, & 40. diebus pœniteat.

De eodem.

Si presbyter coegerit, vel coactus fuerit inebriatus, deponatur. Si quis presbyterum inebriatum inuenerit, ante Episcopum vel diaconum, tres pensas ab eo accipiat; & si iam presbyter secundò inebriatus fuerit, deponatur.

De eodem. 10

Si quis de nobilibus ad potum coegerit, vel coactus fuerit inebriatus, 40. dies pœniteat: si verò in hoc perseuerauerit, excommunicetur.

De omnibus pœnitentialibus.

Episcopi in vnaquaque ciuitate duas domos ad coercendos pœnitentes, faciant.

De maleficiis.

Si quis de maleficio accusatus fuerit, cōuictus secundum canones pœniteat.

De accusatione, vel accusatis.

Si accusator, quæ iniecit, probare non poterit, eadem pœnitentia subiaceat. 20

De mulieribus à maritis fugientibus.

Si qua mulier à viro fugerit suo, reddatur marito suo semel & bis. Tertia verò vice, si nobilis est, adiiciatur pœnitentię sine spe coniugij: si de plebe, venundetur, sine spe libertatis. Si quis vltrò vxorem suam adulteram proclamauerit, si voluerit, maritetur. Eodem modo, qui cum alterius vxore, vel quæ cum marito alterius peccat, iudicetur. Si quis puellam rapuerit, vel violauerit, si nobilis est, canonicæ pœnitentiæ compositioni subiaceat. Qui verò hoc persoluere noluerit, vel non potuerit, tonso capite, secundum iudicium Regis Ladislai, venundetur. Si quis sponsam rapuerit alterius, si illa non consenserit, reddatur proprio sponso. Raptor verò si nobilis est, compositionem canonicam faciat, & sine spe coniugij pœniteat. Si non potuit compositionem dare, sine spe libertatis venundetur. Si quis vxorem fugiens, se sponte debitorem fecerit vnde se expedire noluit, propter odium, quod in vxorem habet, semper in seruitute permaneat. Et si vnquam liber videatur, iterum venundetur, vxor verò eius, cui velit, nubat. 30

De bigamis, & viduarum vel repudiatarum viris.

Si quis de clero secundam vxorem, vel viduam, vel repudiatam duxerit, deponatur.

Si presbyteri bigami recipiant ordines.

Bigami presbyteri, qui ad ordines suos redire voluerint, ex consensu vxorum suarum recipiantur. 40

De presbyteris qui concubinas habent.

Si presbyter concubinam habuerit, deponatur.

Vt canonici regulam suam sciant.

Canonici regulam suam sciant, & intelligant.

De clericis pro furto accusatis.

Si quis clericorum furti arguitur, ab Episcopo, vel Archidiacono, iudicetur, si reus inuentus fuerit, deponatur, & bona sua perdat. Si nihili fuerit, venundetur.

De tabernariis clericis, & fœneratorum.

Clerici tabernarij, vel fœneratores non sint: quicunque verò in tabernaria domo biberit, si clericus est, deponatur; si laicus, in testimonium nō recipiatur. 50

De testimoniis clericorum.

Vt testes cleri non sint, nisi in testamento morientis, vel sacramento, vel pro iudicio.

De

De Iudæis, qui Christianos habent famulos.

IVDÆI seruos, vel ancillas, neque proprios, vel venales, neque mercenarios Christianos habere audeant.

De Christianis carnes à Iudæis vel cibos ementes.

NVLLVS Christianus carnes à Iudæis spretis emere præsumat.

De decimis clericorum.

DECRETVM est, & sancti concilij sancitum est autoritate, vt de propriis horreis, seu cellariis, aut quilibet monasteriorum & Ecclesiarum, & omnium, qui in 10 clero sunt, decimæ non exigantur, excepta quarta parte parochiani presbyteri.

De archidiaconis.

OMNES archidiaconi Breuiarium canonum habeant.

De presbyteris & seruis Ecclesiarum.

PRESBYTERI quoque Ecclesiarum iuxta Ecclesiam domum habeant suarum Ecclesiarum. Si boues proprios habuerint, magistri sui de his, qui arauerint, dimidiam partem accipiant. Si autem cum bobus magistrorum suorum arauerint, duas partes inde magistri Ecclesiarum habeant.

De congregandis clericis ad sanctam synodum.

QVICVNQVE de his, qui in clero sunt, ad synodum Episcopi sui non venerint, 20 vsque ad laicum deponatur.

Explicit decretum Colomani Regis.

DECRETVM ANDREÆ REGIS, EDITVM ANNO INCARNATIONIS CHRISTI 1222.

IN nomine sanctæ trinitatis, & indiuiduæ vnitatis. Andreas Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramiæ, Seruiæ, Galliciæ, Lodomeriæq; Rex in perpetuum. Quoniam libertas tam nobilium regni nostri, quàm etiam aliorum, instituta 30 à sancto Stephano Rege, per aliquorum Regum potentiam, vlciscentium aliquando iram propriam, aliquando etiam attendentium consilia falsa hominum iniquorum, vel sectantium propria lucra, fuerat in quàm plurimis diminuta, multotiēs ipsi nobiles nostri Serenitatem nostram, & prædecessorum nostrorum Regum, suorum precibus, & instantia multa pulsauerunt super reformatione regni nostri. Nos igitur eorum petitioni satisfacere cupientes, in omnibus, vti tenemur, præsertim quia inter nos & eos occasione hac iam sæpius ad amaritudinem non modicum est processum, quod vt Regia honorificentia plenius construat, conuenit euitari (Hoc enim per nullos alios melius fit, quàm per eos) cōcedimus, tam eis, quàm aliis hominibus regni nostri libertatem, à sancto Rege concessam, 40 ac alia ad statum regni nostri reseruantia, per eundem salubriter ordinamus, in hunc modum.

De solennitate sancti Regis annuatim celebranda.

VT annuatim in festo sancti Regis, nisi arduo negotio ingruente, vel infirmitate fuerimus prohibiti, Albæ teneamur solennizare: & si nos interesse non poterimus, Palatinus proculdubio ibi erit pro nobis, & vice nostra causas audiet; & omnes seruientes, qui voluerint, liberè illic conueniant.

Quòd nemo condemnetur, nisi fuerit citatus.

VOLVMVS etiam, quòd nec nos, nec posteri nostri aliquo tempore seruientes 50 capiant, vel destruant fauore alicuius potentis, nisi primò citati fuerint, & ordine iudiciario conuicti.

De libertate seruientium, & Ecclesiarum.

ITEM, nullam collectam, nec libras denariorum colligi faciemus supra prædia seruientium, nec domos, nec villas descendemus, nisi vacat, super populos Ecclesiarum ipsarum nullam penitus collectam faciemus.

De facultate seruientium disponendi possessiones suas.

SI quis seruiens, sine filio discesserit, quartam possessionis filia obtineat, de residuo, sicut ipse voluerit, dispona', & si morte præuentus disponere non poterit, propinqui sui, qui eum magis contingunt, obtineant. Et si nullam penitus generationem habuerit, Rex obtinebit.

De facultate Comitum parochialium, & Bilotis regalibus.

COMITES parochiani prædia seruientium non discutiant, nisi causa monetarum, & decimarum; Comites curiæ parochialium nullum penitus discutiant, nisi populos sui castri, fures, & Canones Bylochij regales discutientes ad pedes tantùm ipsius Comitis.

De populis coniuratis, quòd fures non nominent.

ITEM populi coniurati in vnum fures nominare non possent, sicut consueuerunt.

De modo exercituandi.

SI autem Rex extra regnum exercitum ducere voluerit, seruientes cum ipso ire nō teneantur, nisi pro pecunia ipsius. Et post reuersionem iudicium exercitus super eos non recipiat. Si verò ex aduersa parte exercitus venerit super regnum, omnes vniuersaliter ire teneantur.

De eadem re.

ITEM si extra regnum exercitum ducere voluerit, & cum exercitu iuerimus, omnes, qui Comitatus habent, vel pecuniā nostram, nobiscum ire teneātur.

De autoritate Palatini, & de vicariis iudicum.

PALATINVS omnes homines regni nostri indifferenter discutiat ad causam nobilium. Quæ autem ad proditionem capitis, vel ad destructionem possessionum pertineat, sine conscientia Regis terminare non possit. Iudices vicarios non habeant, nisi vnum in curia sua.

De facultate Comitis curialis.

CVRIALIS Comes noster donec in curia manserit, omnes possit iudicare, & causam in curia inchoatam vbique terminare. Sed manens in prædio suo Præstaldum dare non possit, nec partes facere citari.

De remuneratione filiorum Baronum in bello occumbentium.

SI quis Iobagio habens honorem in exercitu fuerit mortuus, eius filius, vel frater congruo honore sit donandus. Et si seruiens eodem modo fuerit mortuus, eius filius, sicuti Regi videbitur, donetur.

Quòd hospites, seu alienigenæ ad dignitates non promoueantur.

SI hospites, videlicet boni homines, ad regnum venerint, sine consilio regni, ad dignitates non promoueantur.

De dotibus vxorum.

VXORES decedentium, vel damnatorum ad mortem per sententiam, vel in duello succumbentium, vel ex quacunq; alia causa, non fraudentur dote sua.

Quòd rustici per Barones non spolientur, nec alij pauperes Iobagiones.

IOBAGIONES ita sequantur curiam, vt quocunque proficiscantur, vel pauperes per eos non opprimantur, nec spolientur. Item, si quis Comes honorificè se, iuxta Comitatus sui qualitatem, non habuerit, vel destruxerit populos castri[illegible], conuictus super hoc, coram omni regno dignitate sua turpiter spolietur, cum restitutione ablatorum.

De agazonibus caniferis, & Falconariis.

AGAZONES caniferi, & Falconarij non præsumant descendere in villis seruientium, qui integri Comitatus impetum non conferantur. integros comitatus, vel dignitates quascunque in prædia seu possessiones non conferamus perpetuo, possessionibus etiam, quas quis iusto seruitio obtineat aliquo tempore, non priuetur.

De facultate seruientium eundi ad filium, & de causis coram filio inchoatis.

ITEM seruientes, accepta licentia à nobis, possint liberè ire ad filium nostrũ, sed à maiore ad minorem, nec ideo possessiones eorum destruantur. Aliquem iusto iudicio filij nostri cõdemnatum, vel causam inchoatam coram ipso, priusquam terminetur, coram nobis non recipiemus, nec è conuerso filius noster.

De libertate rusticorum, & hospitum.

IOBAGIONES castrorum teneantur secundum libertatem à sancto Rege constitutam: similiter & hospites cuiuscunque nationis, secundum libertatem ab initio eis concessam, teneantur.

10

De decimis.

DECIMÆ argento non redimantur, sed sicut terra protulerit, vinum, vel segetes persoluantur. Et si Episcopi contradixerint, non iuuabimus ipsos.

Quòd Episcopi non dent decimas equis regalibus, nec populi eorundem decimas importent ad prædia regalia.

EPISCOPI super prædia seruientium equis nostris decimas non dent, nec ad prædia regalia populi eorundem decimas suas apportare teneantur. Item porci nostri in syluis, vel in pratis seruientium, nõ pascantur contra voluntatem eorum. Item noua moneta per annum obseruetur à Pascha vsque ad Pascha, & denarij

20 tales sint, quales fuerunt tempore Regis Belæ.

Quòd Ismaelitæ & Iudæi non teneant officiolatus.

COMITES Camerarij, Monetarij, Syluarij, & Tributarij nobiles regni nostri, Ismaelitæ & Iudæi fieri non possunt. Item tales in medio regni non teneantur, tantùm in Zabolcz, & Regecz, & confiniis. Item possessiones extra regnum non conferantur. Si sunt aliquæ collatæ, vel venditæ, populo regni ad redimendum reddantur.

De marturinis soluendis.

MARTVRINÆ iuxta consuetudinem à Colomano Rege constitutam soluantur.

30

De conuictis in iudicio non defendendis.

SI quis ordine iudiciario fuerat condemnatus, nullus potentum possit eum defendere.

De prouentibus Comitis, & regalibus.

COMITES iure Comitatus sui tantùm fruantur, cętera ad Regem pertinentia, scilicet, cibriones, tributa, boues, & duas partes castrorum Rex obtineat.

Quòd præter Palatinum, Banum, & Curiales Comites Regis & Reginæ nullus duas dignitates teneat.

40 ITEM præter hos quatuor Iobagiones, scilicet, Palatinum, Banum, Comites, & Curiales Regis & Reginæ, duas dignitates nullus teneat. Et vt hæc nostra tam concessio, quàm ordinatio, sit nostris nostrorumq; successorũ temporibus in perpetuum valitura, eam conscribi fecimus in septem paria literarum, & aureo sigillo nostro roborari, ita, quòd vnum par mittatur domino Papæ, & ipse in registro suo scribi faciat, secundum penes hospitale, tertium penes templum, quartum apud Regem, quintum in capitulo Strigoniensi, sextum in Colocensi, septimum apud Palatinum, qui pro tempore fuerit, reseruetur: Ita q; ipsam scripturam præ oculis semper habens, nec ipse deuiet in aliquo prędictorum, nec Regem, vel nobiles, seu alios consentiat deuiare, vt & ipsi gaudeant sua libertate, ac propter hoc nobis

50 & successoribus semper existant fideles, & coronæ regiæ obsequia debita non negentur.

Facultas data regnicolis ad resistendum regiæ Maiestati, si contra statutionem suam fecerit.

STATVIMVS etiam, quòd si nos, vel aliquis successorum nostrorum aliquo vnquam tempore huic dispositioni nostræ contraire voluerit, liberam habeant ha-

rum autoritate, fine nota alicuius infidelitatis, tam Epifcopi, quàm alij Iobagiones, ac nobiles regni noftri vniuerfi & finguli, præfentes & futuri, pofterięq́ʒ, refiftendi & cõtradicendi nobis & noftris fucceſſorib⁹ in perpetuum facultatem. Datum per manus Cleti aulæ noftræ Cancellarij Agrienfis Ecclefiæ Præpofiti, anno verbi incarnati millefimo ducentefimo vigefimo fecundo, venerabili Ioan. Strigonienfi, reuerendo Vigrino Colocenfi, Archiepifcopis exiftentibus; Defiderio Cbanadienfi, Ruberto Wefprimienfi, Thoma Agrienfi, Stephano Zagrabienfi, Alexandro Waradienfi, Bartholomæo Quinqueccleſienfi, Cofmæ Iaurienfi, Brictio Vacienfi, Epifcopis exiftentibus, regni noftri anno decimo feptimo. 10

ISTVD PRIVILEGIVM BELÆ IIII. REGIS DECLARAT QVALITER REX SICVLOS *fuos de Wag exemit ab onere feruitutis.* *Obiit 1270.*

BELA Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramiæ, Seruiæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cumaniæq́ʒ Rex, omnibus tam præfentibus, quàm futuris, præfentes literas infpecturis, falutem in omnium faluatore. Ad vniuerforum tam præfentium, quàm futurorũ noticiam harum ferie volumus peruenire, Quòd cùm Siculi de Wagh olim per Comitem fuum fuiffent plurimũ aggrauati, nobisq́ʒ fuper grauamine ipforum huiufmodi ex parte eorum frequentius fuiffet fupplicatum: Nos qui ex officio fufcepti regiminis noftri condefcere debemus cum moderatione petitionibus fubditorũ, eofdem Siculos à grauamine fuo prædicto eximendos ordinaueramus, vt fub certo numero hominũ, videlicet, centum armatorum, nobis & regno noftro in omni expeditione noftra feruire teneantur, fuper gratia feu mifericordia noftrum priuilegium concedendo, fperantes, vt iidem ad feruitium nobis & regno noftro impendendũ vtiles & idonei habeantur. Verùm quia prædicti Siculi in libertate perfiftentes prænotata, nobis in omnibus expeditionib. noftris, quas fecundum temporis diuerfitatẽ, & negotiorum noftrorum qualitatem habere nos oportuit, vltra ipfam ordinationẽ noftram, quafi de virtute in virtutem gradatim afcendentes, adeò gratum & laudabile feruitiũ impenderunt, vt noftet regius animus frequẽtius in feruitiis quieuiffet eorundem: Nos huiufmodi fidelitatibus & feruitiis eorũ laudabilibus, & benignitate regia, grato recompenfationis munere occurrentes, fatisfacere cupientes, vt eò fplendidius nobis feruire valeat, quò fpecialius eos amplectimur regio cũ fauore, talem eis gratiã duximus faciendã, q, non fub certo numero, fed eo modo ficut feruientes regales per fe & perfonaliter armati nobifcũ exercituare teneantur. Vt igitur hæc à nobis conceffa gratia robur obtineat perpetuæ firmitatis, nec per quempiam proceffu temporis retractari valeat aut in irritum reuocari, præfentes conceffimus literas. 40

CONCLVSIO CONFIRMATIONIS LODOVICI REGIS PRIMI, PRÆSCRIPTVM DE*cretum quondam Andreæ Regis confirmantis anno Domini 1351. qui obiit 1382.*

Vide infrà confirmationem Matthiæ.

NOS, igitur, petitioni dictorum Baronum, Procerum, & nobilium regni noftri, aures exaudibiles, regio cum fauore inclinãtes, confideratis, & in memoriã reuocatis fidelibus obfequiis, & finceriffimis cõplacentiis eorundẽ, q̃bus in cunctis noftris, & regni noftri negotiis, pſperis pariter & aduerfis, fpecialiter verò in fumẽda vindicta innoxij fanguinis, olim domini Andreæ, Hierufalem & Siciliæ Regis, fratris noftri chariffimi, beatæ recordationis, cuius diræ necis acerbitas ferè totius orbis fines, feu plagas propulfauit, ad dictum Regnum Siciliæ nobifcum proficifcentes,

ſcentes,inopinatis fortunæ caſibus,& variis perſonarũ periculis ſumma fidelitate fulti intrepidè ſe ſubmittendo noſtrę Maieſtati ſtuduerunt complacere,& ſe reddere vti gratioſos & acceptos,volentes votis ipſorum gratioſè occurrere, & eorũ beneplacitũ adimplere,vt ipſos ad ſimilia fidelitatis opera exercenda deuota men te incitemus,prædictas literas ipſius domini Andreæ ſecundi Regis,aui & prædeceſſoris noſtri chariſſimi,aurea bulla ſua roboratas,omni penitus ſuſpicione caren tes,de verbo ad verbum præſentibus inſertas,acceptantibus,ratificantibus,& approbantibus,ſimiliter cum omnib. libertatibus in eis expreſſis: Exceptis ſolummodo vno articulo prænotato,de eodem priuilegio excluſo,eo videlicet,q; nobiles
10 homines ſine hærede decedentes, poſſint & queant Eccleſiis, vel aliquibus aliis, quibus volunt,in vita,vel in morte,dare & legare,poſſeſſiones eorum vendere,vel alienare,imò ad iſta facienda nullam penitus habeant facultatẽ,ſed in fratres proximos,& in generationes ipſorum poſſeſſiones earundem de iure,& legitimè, purè & ſimpliciter,abſq; contradictione aliquali deuoluantur,vt tenor continet priuilegij bullarum domini Andreę Regis ſupradicti confirmantis,& eaſdem libertates de beneplacita voluntate sereniſſimæ Principiſſæ,dominæ Elizabeth,eadem gratia Reginæ Hungariæ,genitricis noſtræ chariſſimæ,ac de conſilio eorundem Baronum noſtrorum, & regiæ benignitatis clementia innouandas,ipſos eiſdem perenniter commiſimus fruituros,& gauiſuros.

20 ARTICVLI NOVITER CONCEPTI PER LODOVICVM.

Primò vt viri eccleſiaſtici pendente lite in nobiles per cenſuras eccleſiaſticas procedere non poſſint.

INSVPER pro tranquilliori ſtatu,& pacifico commodo regnicolarũ noſtrorum,de voluntate eiuſdem genitricis noſtræ,& conſilio eorundem Baronum noſtrorum,ipſis ex ſolita libertate huiuſmodi libertates infrà ſcriptas ſuperaddẽdum duximus & concedendũ:quòd ſi Prælati,vel aliqui viri eccleſiaſtici, cõtra nobiles regni noſtri in aliqua cauſa in præſentia alicuius iudicis regni noſtri proceſſerint, & litem habuerint;tunc pro cauſa,pro qua agitur,lite pẽdente, interdictum in eos
30 ponere,vel contra ipſos ſententiam excommunicationis non poſſunt promulgare,ſicut hactenus vſi ſunt,& conſueti,abſque ſcitu & noticia regiæ Maieſtatis. Et ſi iidem viri eccleſiaſtici,ſeu Prælati,tramite iuris obſeruato,in alicuius regij iudicis præſentiam de iure conuicti fuerint,tunc in eandem grauaminis pœnam,qua eorum aduerſarios intendebant aggrauare,incidant eo facto. nec pro funere hominum per aliquem vel aliquos interemptorum Archidiaconi mala conſuetudine, ſicut vſi ſunt,vnam marcam exigere valeant,atque poſſint.

Quòd minuti conuentus ab emanatione literarum,factum perpetuitatis poſſeſſionum tangentium,ceſſent.

MINVTI etiam conuentus ab emanatione literarũ ſuarum,ſuper perpetua-
40 tione poſſeſſionum conficiendarum,ceſſent,& eorũ ſigilla omni careãt firmitate.

De lucro Cameræ,quando fuit inſtitutum.

LVCRVM Cameræ, prout tempore inclyti Principis Domini Caroli,olim Regis Hungariæ,genitoris chariſſimi, piæ memoriæ,de quolibet integro fundo curiæ tres groſſi ſoluebantur: ſic & nunc cum tribus groſſis,in noſtra Camera cudendis(quoniam groſſorum vnus ſex denarios Cameræ noſtræ in valore,& quantitate ſex lotorũ Wienenſium valeat,& ipſorum groſſorum quatuordecim vnum fertonem faciant)perſoluatur. Superfluos autem denarios,dicarum redemptionem,& victualia recipere non valeant.

50 *De exemptis à ſolutione lucri Cameræ.*

VILLICOS, & ſeruientes in propriis eorum poſſeſſionibus commorantes, ac ſeruos ipſius lucri Camerę dicatores dicare,& ſuper ipſos lucrum Camerę exigere non poſſint. Et generaliter dicendo,nihil plus,quàm tres groſſos,recipere valeant,& extorquere.

De ſolutione & exactione Nonarum.

Nonarum exactio iam 228. annis durat.

PRÆTEREA ab omnibus Iobagionibus nostris aratoribus, & vineas habentib. in quibuslibet villis liberis, ac etiã Vdwarnicalibus villis, quncunq; nomine vocitatis, ac reginalibus cõstitutis, exceptis ciuitatibus muratis, nonam partẽ omniũ frugum suarum, & vinorũ suorum exigi faciemus, & domina Regina exigi faciet, ac prædicti Barones, & nobiles similiter ab omnibus aratoribus, Iobagionibus, & vineas habentib. in quibuslibet possessionibus ipsorum existentibus, nonã partem omnium frugũ suarum, & vinorum suorum, pro eorum vsibus exigant, & recipiãt.

Quòd viri ecclesiastici similiter nonas exigant, & decimas.

PRÆLATI quoq;, & viri ecclesiastici Iobagiones habentes, primò decimas, posthæc similiter nonam partem omnium frugum suarum, & vinorum ipsorum exigant. Et si qui in exactione prædicta secus fecerint, nos in talium rebellium, & præsentem nostram institutionem alternantium, possessionibus, pro vsu nostro, ipsam nonam partem ipsorum frugum & vini exigi faciemus, sine diminutione & relaxatione aliqua: vt per hoc honor noster augeatur, & ipsi regnicolæ nostri nobis fidelius possint famulari.

De redemptione literarum super possessionibus donatis in Cancellaria.

DE possessionibus enim à nobis, & nostris successoribus inueniendis, iuxta earum quantitatem, videlicet de possessione prouentuum decem Marcarum facientium, vicecancellarius noster vnam Marcam, & scriptor vnum fertonem; & de maioribus possessionibus prouentus, viginti marcarum facientes, duas marcas, & scriptor similiter vnum fertonẽ recipere possint, & habere: & sic consequenter iuxta excrescentiam possessionum denuo inueniendarum.

De tributis siccis iniustis super terris siccis, & fluuiis.

TRIBVTA omnium iniusta super terris siccis, & fluuiis, ab infra descendentibus, & supra euntibus non exigantur, nisi in pontibus & nauigiis ab vltra transeuntibus soluantur, cùm in eis nobiles & ignobiles regni nostri multum & nimium percepimus aggrauari.

De conuictis in iudico per iudicem captiuandis, & infra triduum causa pacis conseruandis.

CÆTERVM, si quis nobilis ordine iudiciario in facto potentiali succubitus duelli, in pœna calumniæ, astationis falsi termini, & exhibitionis falsarum literarũ, ac sententiæ capitalis, pro quocunq; facto, in præsentia palatinali, & iudice curię nostrę, aut alterius cuiuscunq; iudicis, cuiuscunq; præsentia cõuictus fuerit: iudex illius causæ talem conuictũ recaptiuet, & tribus diebus causæ reformationis pacis inter parteś fiendæ, & ordinandæ detineat. Et si concordare nequiuerint, tunc in manus sui aduersatij ad infligendum sibi pœnam, iuxta consuetudinem, & de iure debitam, assignet. & si tali conuicto pars aduersa sine receptione alicuius pecuniæ vel grauaminis possessionis suæ complacuerit, erit expeditus.

Huius legis fit mentio Bonfin. pag. 629. v. 31.

Quòd filij, fratres, proximi, sorores, & vxores pro excessu talis perempti non impediantur.

FILII quoque, fratres, proximi, sorores, & vxores pro excessu talis perempti hominis non debeant aggrauari, sed in possessionibus, domibus, & bonis ipsorum pacifici & quieti permaneant. Si autem cum parte aduersa homo præmisso modo conuictus posset concordare, iudex non vltra, nisi quinquaginta marcas, dando sibi terminum debitum ad easdem persoluendas, recipere possit. Et si dato sibi termino soluere non curaret, de possessione sua, exspirato ipso termino, recepto homine regio, & testimonio alicuius capituli vel credibilis cõuentus, portionem, vel portiones ipsas, quinquaginta marcas valentem, vel valentes, possit occupare, tam diu possidendam, vel possidendas, donec per hos, quorum redemptioni eadem vel eædem magis conuenire dinoscuntur, pro ipsis quinquaginta marcis redimantur.

Quòd homines nobiles regni eadem libertate gaudeant.

AD

AD eorundem etiam nobilium petitionem annuimus, vt vniuersi viri nobiles intra terminos regni nostri constituti, tam in tenutis ducalibus subinclusiuè terminorum ipsius regni nostri existentibus sub vna & eadē libertate gratulentur.

Quòd nobiles inter fluuios Drawe, Zawe, ac de Posega, & de Walko, à solutione marturinarum exempti habeantur.

LVCRVM etiam Cameræ nostræ nobiles inter fluuios Drawan, Zawan, ac de Posega, & Walko, cum aliis veris nobilibus regni nostri vnanimiter soluere teneantur, nec ratione collectæ marturinarum Bansulus mara vocatarum à modò, & in posterum inolescerent, sed ab omni exactione aliarum quarumlibet col-10 lectarum, hactenus persolui consuetarum, exempti penitus, tanquam cæteri nobiles nostri aliarum partium immunes habeantur.

Quòd possessiones nobilium, in quibus mineræ reperiuntur, Regia Maiestas absq; æquiualentibus possessionibus non auferat.

SI quæ verò mineræ auri, vel argenti, cupri, vel ferri, aut aliæ fodinæ in possessionibus nobilium inuenientur, absq; competenti concambio, non auferantur: sed pro talibus possessionibus mineras auri in se germinandis, si regiæ placuerit voluntati, æquales possessiones conferat nobilibus prænotatis: alioquin si possessiones ipsas minerosas Regia Maiestas pro cōcambio habere nolit, extunc ius re-20 gale, seu vrburas iuri regio pertinentes, recipere suo nomine faciat, easdemq; possessiones ipsis nobilibus cum cęteris quibuslibet suis vtilitatibus, prouentibus, ipsis nobilibus, & iuribus relinquētibus, prout etiam idem dominus Carolus Rex, genitor noster charissimus, ipsis regnicolis annumerat literarū suarum per vigorem.

Quòd nomen regium super factis possessionum donatarum litigionarium quæstioni non immisceatur.

SI autem alicui possessionem, vel possessiones contulerimus, ille possessionem, vel possessiones eidem collatas, pro se recipiat, & non nomine nostro, sed nomine ipsorum proprio, cum conditionibus, in statutione dictæ possessionis à pa-30 rentibus trahat litem; itaq; nomen nostrum ipsi litigionarij quæstioni non immisceant, nec procuratorias literas ad executionem talium causarum à nobis recipere possint, seu impetrare: nobiles etiam ad loca tributorum ire non compellantur, sed per portus, quo voluerint, libero transitu absq; aliquali impedimento potiantur: nec etiam Iobagiones aliquorum regnicolarum nostrorum ad regiam, vel reginalem celsitudinem pertinentes, vel ad ecclesiarum Prælatos, aut potētes regni nostri attinentes, absq; voluntaria permissione dominorum eorundem Iobagionum potenter non abducantur.

Quòd nobiles tempore nuptiarum ad solutionem vnius marcæ in loco tributario non cogantur.

40 DENIQVE istam consuetudinem, quòd dum nobiles regni nostri ad conducendas vxores eorum accedunt, & more solito, cum eorum vxoribus ad propria redeuntes, in pontibus, & tributis vna marca exigitur, duximus cassandum, & annihilandum: nihilominus etiam in ciuitatibus, & liberis villis regalibus, & reginalibus, Prælatorum & Baronum & aliorum nobilium tenutis, & possessionibus Iobagionibus & regnicolarum nostrorum pro pristinis factis non possint impediri, prohiberi & arestari in rebus & personis, sed si iidem vulnera, læsiones, mortē, incendia, & alia consimilia enormia perpetrarent manifestè, extunc ex parte eorundem iudicium & iustitiam impendant, & quilibet querulantium in propriorum dominorū suorū pręsentia, iudicium & iustitiam persequantur congruenter.

50 *Quòd filius pro excessibus patris non puniatur.*

PORRO, pro excessibus patris, filius nec in persona, imò nec in possessionibus, aut in rebus damnificetur. *Bonfin. pag. 629. &c. 38.*

Quòd viri ecclesiastici cum tribus literis inquisitoriis possessiones acquirere non possint.

Episcopi quoque,capitula,abbates,conuentus,præpositi,& cæteræ possessionatæ personæ ecclesiasticæ,cum tribus literis inquisitoriis(nisi Regia Maiestas destinatis probis viris,quos maluerit,experiatur & informetur,inter nobiles & ecclesias super possessiones acquirendas)possessiones nec requirere nec retinere possint, nisi cum literis priuilegialibus regiis,vel reginalibus, aut iudicum vicem gerentium Regiæ Maiestatis.

De testimoniis capitulorum,& conuentuum,& de salariis eorundem.

Homines autem capitulorum,seu conuentuum,qui ex mandato regio pro testimonio ducuntur,non possint esse,nisi hi,qui dignitates habent in eadem Ecclesia: & si ipsius capituli,vel conuentus testimonium in equo suo proprio ductus fuerit,tunc per diem duos grossos;si verò in equo ipsius nobilis ducetur,tunc per diem vnum grossum ipsi iidem nobiles dare teneantur. 10

Quòd homo regius fieri non poßit,nisi de eodem comitatu,in quo est ille qui citatur.

Homo autem regius,qui ducitur ad citandum,vel ad inquisitionem faciendam,non possit esse aliunde,nisi de eodem comitatu,vel districtu,in quo est ille qui citatur, vel contra quem fit inquisitio,& capitulorum testimonium de propinquioribus capitulis adducatur,ad citandum,ad inquirendum.

Quòd inquisitiones non poßint aliter fieri,nisi nobilibus inuicem congregatis. 20

Qvod inquisitiones non possint fieri per alium modum,nisi mediantibus literis regalibus,vel Palatini,aut iudicis curiæ regiæ,& congregentur nobiles illius comitatus vel districtus in vnum,ab eis inquirantur manifestè.

Quòd pro iudicio pacis tres Marcæ exigantur.

Cavsantes enim in quacunque maxima & ardua causa,si concordare voluerint,iudex prohibere non possit,& de iudicio pacis ab ipsis non plus quàm tres Marcas exigere valeat quoquo modo.

Quòd vniuersæ causæ in facto poßeßionum absque dilatione in tertio termino terminentur. 30

Vniversæ etiam causæ in facto possessionum motæ,vel mouendæ,in tertio termino, absq; dilatione & prorogatione aliquali,terminentur.

Et vt præsentis nostræ confirmationis,innouationis,constitutionis,& libertatum largitionis,& concessionis series, robur obtineat perpetuæ firmitatis,nec vllo vnquam tempore per nos,vel nostros successores,in aliqua sui parte quomodolibet valeat in irritum reuocari,præsentes concessimus literas nostras priuilegiales,pendentis & autentici sigilli nostri munimine roboratas,datum per manus venerabilis in Christo patris,domini Nicolai eadem & Apostolicæ sedis gratia Episcopi Ecclesiæ Zagrabiensis,aulæ nostrę vice Cancellarij dilecti & fidelis nostri, Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo primo, tertio idus Decembris,Regni autem nostri anno decimo. Venerabilibus in Christo patribus, & Dominis,Nicolao Strigoniensi,lociq; eiusdem Comite perpetuo,& Dominico Spalatensi,Archiepiscopis,fratre Dionysio archielecto Colocensi,Nicolao Agriensi,Demetrio Waradiensi, Andrea Thininiensi,Colomano Iauriensi,Nicolao Quinqueecclesiensi,Michaele Vaciensi,Ioãne Vesprimiẽsi,Thoma Chanadiensi fratribus,Thoma Seremiensi, Peregrino Bosesnensi,Stephano Nitriensi,Episcopis Ecclesias Dei fideliter gubernantibus:Magnificis Baronibus,Nicolao Palatino,& iudice Comanorum,Nicolao filio Laurẽtij Waywoda Transsyluano,Oliuerio, Magistro Thauernicorum nostrorum,& Iudice curiæ Dominæ Reginę,genitricis nostræ charissimæ,Comite Thoma Iudice curię,Stephano,totius Sclauoniæ,& Croacię,Domino de Machow,& Nicolao à Zewrino Banis, Paulo Magistro Thauernicorum reginalium, Bartholomæo Pincernarum, & Lewkews dapiferorũ,Dionysio Agazonũ,& Thewthews ianitorum nostrorum,nec nõ Ioanne filio eiusdẽ Oliuerij dapiferorũ reginalium magistris,Simone filio Mauritij Comite Posoniẽse,& aliis quã pluribus regni nostri comitatus tenentib⁹,& honores. 40 50

GRATIA

GRATIA PER SIGISMVNDVM IMPERATOREM INFIDELIBVS ET REBELLIBVS *suis facta ratione erectionis Banderii æmuli sui: nec non iniuriarum, damnorum, nocumentorum, Anno Domini 1403.*

Nos Sigismundus Dei gratia Rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Marchióque Brandeburgensis, &c. Sacri Romani Imperij generalis vicarius, & regni 10 Bohemiæ gubernator, memoriæ commendantes ad vniuersorum noticiam volumus serie præsentium peruenire, quòd quia nos ad instantem & denotatam supplicationem fidelium nostrorum Baronum, procerum, & nobilium regni nostri Hungariæ, hîc nobiscum personaliter existentium, quorum precibus propter eorum fidelia & gratissima seruitia, atque fidelitates eximias, consensum non possumus denegare: Decreuimus cum omnibus rebellibus, æmulis & aduersariis nostris, in regnis nostris Hungariæ, & Sclauoniæ, nec non in partibus Transsyluaniensibus constitutis & existentibus, veram pacem facere, & concordiam stabilire. Idcirco nos prædictorum fidelium nostrorum supplicationibus fauorabiliter annuentes, ex innata nobis clementia, omnibus, & singulis Prælatis, Ba- 20 ronibus, nobilibus, militibus, clientibus, nec non cuiuscunque alterius præeminentiæ vel conditionis hominibus, in regnis nostris prælibatis, Hungariæ & Sclauoniæ, nec non partibus Transsyluaniensibus commorantibus, ad eosdemq; pertinentibus, gratiam faciendi duximus, in hunc modum. Primò namq; quòd regia pietate concedimus, quòd omnes ipsi Prælati, Barones, nobiles, milites, clientes, & alij prætitulati, ac hæredes eorum, & cuiuslibet eorum, occasione vel ratione erectionis Banderij alieni nostri ęmuli, & sub ipso contra nostram Maiest. & alios nostros fideles, diuersarum pugnarum & cōflictuum exercitationis, oblationis, etiam receptionis seu occupationis aliquorum castrorum, districtuum, villarum, & possessionum, siue combustionis & deprędationis illorum & illarum, nec non dissipa- 30 tionis & perceptionis bonorū, seu iurium nostrorum regalium seu ecclesiasticarū, vel nobilium, & generaliter quorumcunq; hominum, ac etiam occasione captiuationis, spoliationis, interfectionis, seu mutilationis quorumcunq; hominum, tam nobilium, quàm ignobilium, nec nō cussionis monetarum seu denariorum, & generaliter cuiusuis enormi facti, per eos vel aliquem eorum simul vel diuisim, hucusq;, quomodocunq; vel qualitercunq; factorum, gestorum & perpetratorū, nullo vnquam tempore quouis modo per nos, aut alios possint, vel debeāt impediri, seu aliqualiter aggrauari. Sed iidem à quibusuis causidicis intra vel extra iudicium, absoluti, penitusq; supportati habeantur, nec eos quisquam iudex ordinarius regni, ratione præuia iudicare valeant, aut damnificare, imò lites exinde subortæ, vel o- 40 riundæ, sopiantur, & sedentur, per iudices antefatos.

Item concedimus, quòd si aliqui ex regnicolis nostris prędictis, quęuis castra, munitiones, seu fortalitia, sponte, vel inuitè manibus alienis tradidissent, seu etiam si aliqua assumpta ibi votis extraneorum aliqua damna nobis vel regnicolis nostris intulissent, aut super ciuitates liberas, villas, oppida, & possessiones nostras, vel aliorum census, collectas, vel taxas recepissent, aut ad vrburas Camerasq; salium, & lucrum Cameræ, siue aliorum quorumuis redituum, & prouentuum nostrorum regalium, vel regnicolarum, debitè, vel indebitè se intromittentes, dissipassent; ratione horum nec per nos, nec per aliquem possint impediri, sed penitus habeantur absoluti.

50 Interea si qua castra, munitiones seu fortalitia, districtus, aut possessiones ad nostram regiam Maiestatem cuipiam hominum regnicolarum prædictorum forent obligata, ille, vel illa, à nemine recipiant, nisi prius facta debita solutione, etiamsi ille, cui prius impignorata fuerant, alterq; ea nomine pignoris obligasset.

Concedimus quoque quòd omnes donationes eis hactenus factæ maiori sigillo nostro de nouo fiendo confirmentur pro eisdem.

Cæterùm si contigerit in posterum per regnicolas in regno aliquam congregationem generalem celebrari, in eadémq; ratione præmissorum, nos vel aliquis ex regnicolis nostris aliquem ex prædictis Baronibus, nobilibus, militibus, clientibus, vel ad ipsos spectantibus, similiter coniunctim, vel diuisim, quocunque exquisito ingenio condemnare, aut aggrauare vellemus, vel niterentur rebus & bonis vniuersis facere, † valeamus atque possint.

† *fortè, non valeamus, nec possint.*

Insuper omnes Episcopatus, dignitates, & beneficia ecclesiastica quælibet.

Item castra Rohonch laurień: Hrwsow & Padalayn in casu, quo Nicolaus, filius Stephani de Liblio, & patrem Podalayn non in honorem, sed in perpetuum haberi dono scitur, nec non munitiones & possessiones à viris ecclesiasticis, vel secularibus, aut nobilibus quouis modo ablatas, occupatas, & receptas, duximus eis, à quibus eædem abalienatæ fuerant, pleno iure remittendas, illis videlicet, pro quibus vterque Nicolaus, Waywodę Transsyluanienses duxerunt obsides nobis dandos. 10

Demum omnibus, & singulis prælatis, Baronibus, nobilibus, militibus, clientibus, cæterisq; cuiusuis status & conditionis hominibus, & regnis, & partibus superiùs nominatis, pro quibus ipsi Waywodæ ipsos obsides eorū stare voluerint, vsq; ad dies triginta à die datarum præsentium in antea memorandos ipsi nobis in scriptis nominatim intimauerunt gratiam facere, & eo modo quo cæteris rebellibus indulgere. De potioribus autem proceribus, ac sociis sequacibus, fautoribus, & adhærentibus ipsorum æmulorum nostrorum, & cuiuslibet ipsorum, pro quibus obsides non habuimus: statuimus, quòd illi, si vsque ad festum dominicæ natiuitatis nunc venturæ, coram nostra maiestate in dicto regno nostro Hungariæ existentes, personaliter comparuerint, debeant, cum consilio tamen Prelatorum, Baronumq; nostrorum consilij nostri, in forma aliis concessa, gratiam obtinere; si verò venire contempserint, eis præsens gratia nihil suffragetur. De familiaribus verò quorumcunque æmulorum præfatorum, necnon de quibuscunq; nobilibus in præfatis regnis nostris Hungariæ, Sclauoniæ, & in partibus Transsyluanienfibus, possessiones habentibus, decernimus, quòd in præsens gratia ipsis generaliter computetur, ita tamen, quòd infra anni reuolutionem proximè futuri, à die datarum præsentium inchoando, causa fidelitatis ostendendę coram nostra Maiestate se præsentando, literas nostras regales pro se obtineant superinde: quòd si fortè nonnulli ex rebellibus, & æmulis nostris superiùs designatis, seu ex sequacibus eorum, aliqua spolia, incendia, damna, malcficia, rapinas, cædes, seu alias cuiuslibet generis offensiones deinceps commiserint, vel perpetrauerint, seu quicquam contra Maiestatem nostram attemptare præsumpserint, videlicet illi inter partes Transsyluanienses, & Drawan commorantes, post dies octo; illi verò de partibus Transsyluanienfibus, post dies viginti; si illi qui sunt trans Drawam, post dies quindecim, à die datarum præsentium in antea cōputante, volumus quòd possint, non obstantibus contentis in literis nostris, secundū formā iuris & iustitiæ cōdemnari. 20 30 40

Postremò donationes vniuersas per nostram Maiestatem de possessionibus, castris, oppidis, & districtibus dictorum Prælatorum, Baronum, nobilium, militū, clientum, & ad eos pertinentium præscriptorum, quibusuis durantibus præsenti guerra, hactenus factas, simul cum omnibus literis exinde scriptis vel confectis, irritantes atque annullantes, à prioribus possessoribus earundem censemus eo iure, quo antea possederunt, eas tenere, ac etiam gubernare: spondentes, atque promittentes omnia præmissa, & singula eorum, eis, & quibuslibet eorum, & ad ipsos pertinentibus, hęredibusq; ipsorum, purè, & sincerè, sine omni dolo, & fraude aliquali, bona fide & inuiolabili mediante firmiter obseruare, ita videlicet, vt vbi aliquis eorum quouis modo resiliendo cōtra nostram Maiestatem rebellizare niteretur, atq; vellet, tunc nos talem cum Prælatis & Baronibus nostris, qui tunc ipsi de consilio nostro fuerint, simul, & coniunctim, non autem diuisim, agnitis suis demeritis, prout qualitas exiget, iuxta regni nostri antiquam consuetudinem, punire valeamus. Datum Budæ feria secunda proxima post festum sancti Francisci confessoris, Anno Domini millesimo quadringentesimo tertio. 50

SIGISMVNDI IMPERATORIS DECRETVM SVPER DONATIONIBVS POSSESSIONVM *infidelium, Anno Domini 1 4 0 4.*

Nos Sigismundus Dei gratia, Rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Marchioq́ Brandẽburgensis, &c. sacri Romani Imperij vicarius generalis, & regni Bohemiæ gubernator, memoriæ cõmendamus, tenore pręsentium significantes, quibus expedit vniuersis, quemadmodũ nobis aliàs extra regnũ nostrũ in partibus Bohemię pro sacri Rom. Imperij honore, & iure nostri patrocinij, pro posse insudandũ & laborandũ, q̃ quidã Prælati, magnates, proceresq́;, & nobiles regni nostri, malo freti consilio, imò rebellionis calcaneo ducti, & in improbũ sensum dati, ingrati, & immemores beneficiorũ nostrorum à celsitudine nostra susceptorũ, & crimen læsæ Maiest. similiter conspirantes: Nos verò regẽ, & dominũ Hungariæ diademate, & solio ipsius regni nostri, cui iam à Deo propitio ferè 16. annis feliciter regnauim⁹, imperauimus, priuare, & destituere, aliumq́; eis ignotũ in regem, vtpute Ladislaũ, filium Karoli de Duracio eligentes, in dictũ regnum nostrum introducere satagebant, tãdemq́; assistentibus nobis domini remedij adiutores nonnullorũ fidelium Baronum, & procerum nostrorũ interueniente subsidio gubernacula dicti regni nostri votiuè readipiscentibus, plerisq́; ex dictis infidelib⁹ nostris iuxta demeritorũ suorũ exigẽte digna correctionis linea feriri, aliasq́; castris, tenutis, districtibus, Comitatibus, oppidis, possessionibus, & cunctorũ bonorũ muneribus, tanquã per notã infidelitatis huiusmodi rebelliũ ad manus nostras regias deuolutas, & redactas, de dictisq́; manibus nostris regiis, nõnullis prædictis fidelibus Baronibus, proceribus & nobilib. nostris, partem nostrã animo constanti & fidelitate firma tenente, fauente, & magnificante, iuxta laudabiliũ seruitiorum ipsorũ merita, vigore certarum literarũ nostrarũ exinde confectarũ, iure perennali dedisse, donasse, cõtulisse & distribuisse perhibemur & recordamur. Itaque nunc nonnulli forent regnicolæ nostri, quorum, vt præmittitur, possessiones, & possessionaria per Maiest. nostram modo præmisso, prætactis nostris fidelibus donata, & distributa existunt, qui bis tribus modis infrà scriptis lamentabilibus querelis nostram infestant Maiestatem:

Primò qualiter nonnulli essent ex ipsis, quorũ licet iura possessionaria propter notam infidelitatis ipsorũ dictis nostris fidelibus in eum contulerimus: tamen tandem moti regia pietate, quà delinquẽtibus veniam solemus impartiri, ipsis capitibus, possessionibus, ac rebus & bonis ipsorum vniuersis gratiã fecissemus specialẽ.

Secundò aũt quibusdam ex ipsis, licet iura possessionaria ipsorum per eandem notam infidelitatis aliis infidelibus nostris donauerimus: tamẽ ipsi iuxta gratiã per nos, ac Dn. Ioan. Archiepiscopum Strigoniensem, necnon vtrosq́; Nicolaum, alias Waywodas nostros Trãssyluanienses, feliciter factã, initam & motam, à quibusuis malorum generibus, necnõ actibus potentionatiis, & iniuriis cuipiam inferendis, supersedissent, prorsus & cessassent, nec vnquam post prædictã gratiam nobis, aut cuipiam regnicolarum nostrorum, adhærendo nostris rebellibus & æmulis, aliquam iniuriam, damna, nocumenta, insolentiasq́;, & opprobria intulissent.

Tertiò aũt essent tales, quorum similiter iura possessionaria pro præmissa nota infidelitatis aliis nostris fidelibus certarũ nostrarum literarum donationaliũ vigoribus cõtulissemus, quo nunquã, & maximè in his elapsis proximis disturbiorum temporibus, aliquã noxij criminis infidelitatis, aut alius cuiuslis cõtagionis notã in se cõtinentem, contra nostram Maiestatem, & sacrum nostrum diadema, aut alios quoscunq; infideles nostros palàm, vel occultè perpetrassent, & commisissent, pariterq́; ipsi huiusmodi possessionibus, & iuribus possessionariis non essent digni, & meritò priuandi, & destituendi, supplicium modo culmini vocibus gemebundis, & ipsis circa præmissa de remedio dignaremur prouidere opportuno.

Nos itaq; qui ex suscepti regiminis officio, causas quorumlibet oppressorum & querulantiũ omnino metiri debemus, iustitia requirẽte, auditis, & sanè intellectis ꝓpositionibus præmissis, vnà cũ fidelibus Prælatis, Baronibus, & ꝓceribus nostris maturo exinde pręhabito & digesto cõsilio, circa pręmissos articulos, obiectiones,

& querelas permouere querulantes modo superius specificato, corã nobis, ac ipsis Prȩlatis, & Baronibus nostris propositos & declaratos, vnà cum eisdem sanximus, decreuimus, & instituimus, super hisq; statum fecimus, vt hi omnes, & singuli regnicolæ nostri, quo, vti superius expressatum est, iura possessionaria aliis fidelibus nostris prætextu præmissæ notæ infidelitatis contulisse dinoscimur, hos nostros fideles, apud quos dicta iura possessionaria existunt, in domibus eorum propriis, aut aliàs vbi reperiri potuerint, mediantibus hominibus nostris regiis, & testimoniis aliquorum credibilium capitulorum vel conuentuum contra seipsos personaliter, vel per Procuratorem nostræ Maiestatis personaliter, vbi tunc (Deo duce) vnà cum eisdem Prælatis, Baronibus & proceribus nostris fuerimus constituti, euocent in præsentiam, merum, plenum, & condignum iudicium, finemq; decisiuum recepturi causa in prȩmissa. Aduenie͂te aut ipso termino, ipsis partibus coram nobis pro habendo in eorum causa moderatiuo iudicio, si & inquinantũ ipsæ partes vnanimi & cõcordi voluntate seipsos in eorum causa, attestatione seu testimonio aliquorum fidedignorum proborum nobilium virorum, qui fideles fuerint à principio, & sunt, nostrȩ Maiestati sponte submiserint, & compromiserint: Extunc idem ipsa cõpromissio ipsis partibus per nos, ac ipsos Barones nostros admittatur & consentiatur, inter ipsasq; partes iuxta formam huiusmodi cõpromissionis, aut attestationis, iudicium & iustitiam exhibeant indilatè, prout conueniens fuerit, & iuri videbitur expedire. In casu verò, quo partes prætactæ in huiusmodi testiũ electione discordes fuerint, tunc nos Prȩlatos, Barones, aut cæteros nobiles illius Comitatus, in quo ipsæ possessiones denotatæ & collatæ existunt, q̃ nobis fideles fuere, vel si in ipso Comitatu tot & tanti nobis fideles in numero protunc nõ fuissent, quorum testimonium super his sufficiens esset, & acceptãdum, tunc alios nostros fideles alterius Comitatus, ipsis possessionibus collatis propinquiores, de fidelitate vel infidelitate partis, quæ inculpatur, per certas literas nostras requirere, & ab ipsis exinde meram certitudinem recipere & experiri teneamur, vt recepta rei veritate, inter ipsas partes finem facere valeamus indilatam.

Ad conclusionem autem horum articulorum, Primò quicunque regnicolarum nostrorum, quorum iura possessionaria modo antelato, cuipiam fidelium nostrorum sunt collata, se annotantium gratiam per nos ipsis domino Archiepiscopo & Waywodæ factam, per euidens docume͂tum, aut alia credibilia testimonia, veraciter obseruasse comprobare poterunt, tales rursus in plenum dominium vniuersorum iurium ipsorum possessionariorum debent esse in continenti restituendi. Illis verò nostris fidelibus, apud quos ipsa iura possessiõnaria extiterint, loco eorundem alias possessiones aliquorum infidelium nostrorum notoriorum à nobis impetrauerint, & seipsos ipsi infideles ab ipsa nota infidelitatis expurgare non valuerint, allegantibus solùm sub ipsis capitibus possessionibus, & bonis eorum, post ipsam donationem nostram, per nostram Maiestatem gratiam fore factam, in pleno dominio ipsarum possessionum ipsis donatarum in æuum debeant remanere, nec vnquam ipsas possessiones ab eisdem nostris fidelibus modo qualicunq; absq; bona eorum annuentia & voluntate auferre valeamus, nec ipsis infidelibus nostris ipsa gratia nostra quoad rehabitationem ipsarum possessionum eorum possit in aliquo suffragari, quoniam volumus huiusmodi donationem nostram semper & vbique in sui roboris firmitate inuiolabiliter permanere.

Item, quicunque fidelium nostras aliquas possessiones infidelium nostrorum à culmine nostro modo qualicunque obtinuerit, vel impetrauerit, seipsumq; in dominium huiusmodi possessionum, per nos sibi donatarum, tepiditate, aut aliquali inertia ductus, infra tempus legitimum, vt puta infra anni reuolutionem, per nostrum, aut capituli, vel conuentus homines, prout moris est, statim non faceret, tales vigores literarum suarum donationalium perdiderit, ipseq; possessiones rursus ad manus nostras regias sunt deuoluendæ eo facto, aut his regnicolis nostris, quorum capitibus & possessionibus gratiam fecissemus, in eo casu debeat esse vtique restituendum.

Illorum autem infidelium possessiones, quorum solùm capitibus, & non possessioni-

fessionibus gratiam fecisse perhibemur, nobis retinemus, aut si cuicunq; ipsas maluerimus donare, id in nostra constat, & constare poterit voluntate. Qui verò modo & consuetudine obseruatis, se vigore donationis nostræ regiæ in dominium possessionum sibi datarum, infra tempus legitimum, per nostrum & capituli aut conuentus homines introduci, ac per ipsos homines fassionem debitam, coram dicto capitulo, aut conuentu (prout moris est) fieri procurarunt, occurrentibusq; interim, & imminentibus aliquibus sibi impedimentis aut obstaculis eorundem capituli, vel conuentus, ipsum capitulum vel conuentus ipsas literas statutorum ob contradictorum nihilationem, aut aliam potentionariam resistentiam, aut fa-
10 uorem, seu formidinem dictorum nostrorum infidelium, vel fratrum eorundem, aut aliis causis expressis extradare, & emanari facere recusassent: tunc ex eo non debent perdere vigorem literarum suarum donationalium, dummodo de ea re legitimè doceant, de & super his perhibeant testimonium veritatis.

Propterea, quicunque fidelium nostrorum in dominium possessionum ob notam infidelitatis alicuius per nos sibi donatarum, infra anni reuolutionem, aut hucusque, aut ob metum & potentiam sui aduersarij, vel de nostra commissione, seu mandato, aut prorogatione se statui facere nequiuisset, & in dominium earundem legitimè introire; & id ritè, & legitimè, cum sufficienti testimonio posset comprobare: similiter volumus, vt ex eo non perdat vires literarum suarum do-
20 nationalium.

Volumus etiam, quod præsentis scripti nostri patrocinio stabilimus, vt hi omnes, & singuli nostri fideles, qui de possessionibus eorum per nostram Maiestatem eis prætextu aliquarum infidelitatum donatis, vigore gratiæ nostræ per nos sibiipsis infidelibus factæ, aut per ipsos infideles, aut alios quoscunque potentionaliter exclusi essent, vel qui, vt præmisimus, ob metum dictorum aduersariorum eorum, hucusque dictas possessiones intrare nequiuissent: rursus in plenum dominium earundem per Comites parochiales illorum comitatuum, in quibus ipsæ possessiones existunt, modis omnibus restituantur, & introducantur. Volumus etiam, vt numerus eorundem fidelium nostrorum augeatur, & via recludatur de-
30 linquentium. Sanximus, vt quicunque regnicolarum nostrorum quibusuis nostris infidelibus, facto, aut subsidio expensarúmque largitione subuenisse, aut ipsis hospitalitatem præbuisse, probare potuerunt: Hi omnes similiter perdant iura ipsorum possessionariorum vniuersa. Datum Budæ feria tertia proxima post dominicam Inuocauit, Anno Domini millesimo quadringentesimo quarto.

DECRETVM SIGISMVNDI, POSONII EDITVM ANNO 1435.

40

SIGISMVNDVS diuina fauente clementia, Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramiæ, Seruiæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæq; Rex, &c. Vniuersis Christi fidelibus, præsentibus pariter & futuris præsentium notitiam habituris, salutē in omnium Saluatore. Inter cuncta quæ pro subiectorū salute cōseruanda nostræ meditationis perpendit acumē, ad ea præsertim cordis nostri curas innata nobis inclinatione natura solemus diuertere, quibus humanę temeritatis audacia effrenata nonnunq̄ vincta potētia reprimatur, & iuris integritas abutentiū p̄uaricatione deprauata, nunc
50 apertiore priorū consuetudinum declaratione, nunc nouarum vtili constitutioni legum participantes prouidentia reformetur. Proinde ad vniuersorum, tam præsentium, q̄ futurorum noticiam volumus peruenire, q̄ cùm nos pro imperialis fastigij honore finaliter adipiscēdo, post electionē nostram in Regem Romanorum factā, & primę coronæ regię Aquisgrani susceptionē, nouissimè sacri Rom. Imperij principibus electorib. nobis consulentibus, in partes Lombardiæ descēdendum,

in ciuitate Mediolani sanctam coronam regiam Rom. Imp. recepissemus, & demum in vrbem Rauennam profecti fuissemus, insulasque nostras imperiales, de manibus sanctissimi domini nostri, domini Eugenij Papę quarti, cum debita solennitate suscepissemus, & deinde nõnullis partibus Italiæ & Germaniæ perlustratis, rebusq; tam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quàm nostris Imperialibus nobis interim occurrentibus, votiuè dispositis exonerati, tum in peculiare regnum nostrũ Hungaricum medio tempore præsentia nostra regali viduatum, iniuriis & damnificationibus potentialibus in suo statu, & sine quietis & pacis amœnitate disturbatum regressi, in hac ciuitate nostra Posoniensi primam residentiam personalem fecissemus, ac vnà cum fidelibus nostris, Prælatis videlicet, & Baronibus eiusdem regni 10 nostri, ad nostram Maiestatem confluentibus, certam conuentionem nobilium de singulis ipsius regni Comitatibus cõuocari fecissemus: Tandem ipsorum congregatione adunata, de eorundem Prælatorum, & Baronum nostrorum, nec non nobilium regni nostri, totum corpus eiusdẽ regni cum plena facultate absentium repræsentantium, vnanimi voto, consilio, deliberatione & consensu pro debita, ordinata, & forum iustitię administratione incolis eiusdem regni ęqualiter omnibus de cætero exhibenda, necnon quieto & tranquillo statu eorundem regnicolarum inscriptas constitutiones, statuta & leges in perpetuum duraturas, & inuiolabiliter obseruandas disposuimus, decreuimus ordinandas, declarandas & firmandas. 20

De iudicibus ordinariis regni, & de eorum iuramento.

PRIMO quidem, vt omnis scrupulosa suspicio, quæ contra iudices, & iusticiarios ipsius regni nostri, de fauore, odio, aut quoquo modo cõcipi posset, de cordibus quorumlibet penitus remoueatur, & tollatur, statuimus, vt semper successiuis temporibus omnes & singuli iudices, & iusticiarij, dicti regni nostri, tam ecclesiastici, quàm seculares, qui videlicet in Palatinum, vel iudicem curiæ, magistrum Tauernicorum regalium, cancellarium, aut vicecancellarium regalem, in protonotarium seu vicegerentem iudicum prętactorum, ac etiam assessoris in iudicio, in Waywodam partium Transsyluaniensium, Comitem Siculorum, Banum regnorum Dalmatiæ & Croatiæ, Banum Sclauoniæ, Banum Mochoniensem, ac in 30 Comites quorumlibet Comitatuum, & iudices nobilium eligentur & assumentur, eorundemq; in iudicatu vicegerẽtes, substituti, & assessores, tempore receptionis eorundem, ad huiusmodi honores & officia administrationis iudicij & iustitiæ, in manibus nostris regiis, vel deputatorum à nobis, iuramentum præstare teneantur, per formam verborum infrà scriptorum.

Forma iuramenti.

EGO N. iuro per Deum, & gloriosam Dei genetricem, virginẽ Mariam, per omnes sanctos & electos Dei, quòd omnibus, & singulis, coram me causantibus, absque cuiusuis personæ, diuitis scilicet & pauperis, acceptione, omnibus prece, 40 præmio, fauore & amore, & odio postpositis & remotis; prout scilicet secundum Deum & iusticiam faciẽdum cognouero, iustum & verum, iustitiam & iudicium faciam meo pro posse. sic me Deus adiuuet, & beata virgo Maria, & hoc signum viuificæ crucis Domini nostri Iesu Christi.

De electione iudicum nobilium.

IVDICES autem nobilium in quolibet Comitatu eligantur, vt præficiantur ex nobilibus potentioribus, & bene possessionatis illius Comitatus, communiter omnibus nobilibus eiusdem Comitatus concorditer visi, & meritò acceptandi.

De pœna recusantium assumere hoc officium, & quòd infra quinquennium non possit iudex nobilium iterum ad hoc officium assumendum coartari. 50

ET ipsi electi teneantur non refutare, sed suscipere officium iudicatus, sub pœna viginti quinque Marcarum, per ipsam communitatem, si secus fecerint, irremissibiliter exigendarum, exceptis tamen officiolatus, & honores regios, reginales,

nales, Prȩlatorum, Baronum, vel aliorum tenentibus, vel stipendia ratione exercituationis habentibus, vel aliis rationabilibus ex causis in ipso Comitatu cõtinuam residentiam non facientibus, & huiusmodi officium ad minus per annum exercendum, habentibus sigillum cognoscibile, ad dandum cum sigillis aliorum iudicum nobilium, & Comitis, vel vicecomitis, literas fide dignas. Si verò elapso anno voluerint, habeant recusandi facultatem. quòd si resignauerint, aut per communitatem nobilium comprouincialium remoti, seu mutati fuerint, ante annũ quintum futurum ad officium assumendum inuiti non coartentur.

De diuisione byrsagiorum inter Comites & iudices nobilium.

10 De byrsagiis autem Comitum parochialium ad portionem iudiciariam cedentibus, Comites parochiales, & iudices, æquam inter se diuisionem facere teneantur in duas partes.

De proclamata congregatione generali.

Verum quia frequenti querela regnicolarum nostrorum, imò quadam palpabili experientia teste, nostra percepit Celsitudo, per nõnullas possessionum occupationes, & potentiarum actuum illationes, eosdemq; regnicolas, inferiores videlicet, à potentioribus multipliciter opprimi & grauari, ideo volentes insolentiis & nouis † attemptationibus pro remedio opportuno viam prȩcludere: Statuimus 20 & ordinamus, quòd quandocunque & vbicunque fuerint factæ possessionum aut terrarum occupationes, potentiarum vadationes, seu rerum & bonorum occupationes, ablationes, succisiones syluarum, interemptiones, vulnerationes, & verberationes hominum, domorum & possessionum inuasiones & deprædationes, & alij similes noui actus potentiarum maiores; extunc læsi, damnum & iniuriam passi, impetratis literis regalibus nostris querimonialibus, & præceptoriis, Comites parochiales, & iudices nobilium Comitatus illius, in quo facta huiusmodi patrata extiterunt, accedant, & requirant: qui quidem Comites, & iudices cum testimonio capituli, & cõuentus illi Comitatui deseruire soliti, à vicinis & commetaneis, & nobilibus comprouincialibus, sub certis pœnis in huiusmodi literis 30 nostris regalibus declaratis, in sedem eorum iudiciariam, per modum proclamatȩ congregationis, partibus quoque litem habentibus conuocatis, ad fidem eorum Deo debitam, fidelitatemq; nobis, & sacræ coronæ nostræ obseruandam, tactis sanctorum reliquiis præstitam, super huiusmodi nouis occupationibus possessionariis, & aliis actibus potẽtionariis, plenam & indilatam requirant veritatem: qua requisita, & inuenta, possessiones occupatas, autoritate, in hac parte eis attributa, mediante, restituant eisdem, à quibus fuerant indebitè occupatæ, ipsosq; in dominio earundem protegant, & conseruent; alia verò bona, & vada potentionaliter ablata, absque defectu reddantur, & restitui faciant.

† antecepta tionibus per media opportuna.

40 *Quòd habita sufficienti inquisitione, & satisfactione impensa, factum potentiarium ad curiam regiam decidendum transmittatur.*

Super facto autem potentiæ in talibus commissæ, partes vtrasque, discussionem & sententiam finalem recepturi, ad certum terminum mediantibus eorum, & dicti capituli, vel conuentus literis, seriem totius facti exprimentibus, ac propria, & possessionum factum huiusmodi attestantium nomina continentibus, in personalem præsentiam nostram regiam, aut palatinalem, seu iudicis curiæ nostræ transmittant: vbi absq; vlterioris termini, & litigionarij processus obseruatione, & cõtinuatione, etiã partis non venientis absentia non obstante, nos, vel iudex alius, 50 ad quem causa transmissa fuerit, iuramentum capitis decerneñ: tandem finalem sententiam proferemus, & proferre tenebitur. Partes tamen litigantes, quandocunque voluerint, absque requisitione iudicis, & onere solutionis byrsagiorum, liberam concordandi habeant facultatem, quemadmodum antiqua & laudabilis regni nostri consuetudo, huiusmodi concordiam in quibuscunque factis potentialibus & aliis liberè faciendam dictat & consentit.

Cõcordatio libera. ita in Colom. decret.

De Baronibus, iudicibus, & aliis officialibus, ac Comitibus parochialibus, alios indebitè opprimentibus, quòd eadem proclamata congregatio generalis contra eos celebretur.

NE autem Barones, iudices, & alij, honores regios & officiolatus à Regia Maiestate tenentes, seu Comites parochiales honori & iudicatui ipsorum subiectos, quibus etiam ipsi ab aliis iustitiam ministrãt, per seipsos quamuis cupiditate, vel propria voluntate allecti, aliqua occasione indebitè grauent, opprimant, seu damnificent, aut per eorum vicegerentes talia fieri permittant: statuimus, vt à talibus læsi, damnificati, & iniuriati, impetratis literis nostris, ipsorum querelã continentibus, pręceptoriisq;, modo prętacto coram iudicib. nobiliũ, ac testimonio capituli, vel conuentus eiusdem Comitatus, per modum similis proclamatę congregationis, veritatẽ inquiri facere, & sua damna vel grauamina cõprobare valeãt, & per ipsos iudices, vnà cum nobilibus prouincialib. Comitatus eiusdem, iudicium & iustitia ex parte huiusmodi officialium impendatur, aut nostrę Maiestati, seu iudicibus, & iusticiariis curiæ nostræ prænotatis, modo præscripto per literas ipsorum iudicum nobilium, seu capituli & conuentus, seriem totius facti continentes, causa discutiendi ad certum terminum transportetur, vbi huiusmodi causa modo præmisso sine dilatione terminetur. Si verò iidẽ Barones, seu officiales regales, aut Comites debitum moderamen sui officij in tantum excesserint, vt ex parte totius communitatis, officiolatui suo subiectæ, generalis vociferatio querulosa contra nos emerserit, ex tunc nos ad fidelem & † literatoriam assertionem iudicum nobilium, & capituli, aut conuentus prouincialis, personaliter, vel per idoneum hominem ad hoc specialiter deputando, volumus & tenebimur ex parte talium condignam iustitiam ministrare.

† *id est, literis comprehensam.*

De officialibus dominorum, qui cum potentiis dominorum suorum alios damnificant, quòd domini eorum de suis bonis satisfaciant, & tandem de bonis suorum familiarium, etiam per detentiones personarum, pro se satis recipiant.

STATVIMVS itaq; ad reprimendum potentionariorum actuum effrenatum abusum, pręsente ordinatione sancientes, quòd si qui castellanorũ, aut cæterorum officialium nostrorum, aut reginalium, nec non prælatorum, baronum & nobiliũ, ac regnicolarum nostrorũ, de castris, & officiolatibus, & cum potentiis dominorũ suorũ, à quibus eiusmodi castra, possessiones, & officiolatus pro honore obtinent, aliquos actus potentiarios, damnificationes, iniurias, & quæcunq; mala perpetrauerint & commiserint, talium domini, qui eisdem huiusmodi castra, officiolatus, & honores contulerint, super omnibus damnis & nocumentis per se, & de suis bonis, plenam satisfactionem exhibere sint obligati, & teneantur effectiuè seipsos in huiusmodi actibus potẽtiariis per suos castellanos seu officiales perpetratis, inscios & innocentes, & immunes fore, debito iuramento purgandi: Suum aũt damnum in huiusmodi satisfactione prętacta perceptum, si voluerint à suis familiaribus castellanis, seu officialibus, qui ipsi satisfactioni causam dederunt, per ablationes rerum, & bonorum ipsorum, ac possessionum occupationes, seu rebus, & bonis, ac possessionibus minus sufficientibus per personarum eorum detentionem, & in captiuitatem redactionem, & conseruationem, vsq; ad recuperationẽ damnorum suorum prædictorũ fiendam, non obstante liberæ nobilitatis conditione, vel alterius cuiuslibet dignitatis priuilegio, liberam habeant facultatem, quantitatẽ tamen sui damni in solutione huiusmodi percepti nõ excedendo. Vt autem officiales, & Comites nostri prætacti, nobiles, & incolas regni nostri sub suo onere & iudicatu constitutos, in debitis byrzagiis, exactionib. grauandi occasionẽ non habeant, antiquam in hac parte consuetudinẽ regni imitando declaremus: Quòd nullus iudicum secularių iudicia seu byrzagia extorquere possit, nisi tempore congregationis palatinalis, vel alterius per Regiam Maiest. ad congregationes generales celebrandas deputati, in singulis Comitatibus celebrandis, secundum cõsuetudinem ab an-

ab antiquo obſeruatam, exceptis caſibus infrà ſcriptis, quibus etiam extra tempus dictarum congregationum generalium byrſagia exigi debitè poſſint.

DE CASIBVS IN QVIBVS BYRSAGIA EXtorqueri poſſunt, non expectata congregatione generali.

Primus caſus propter violatam retentionem, & damnificationem Iobagionum poſt petitam licentiam.

PRIMO, videlicet, propter violatam retentionem, aut damnificationem Iobagionum, petita licentia, iuſto terragio depoſito, aliisque debitis ſuis perſolutis, ad alterius poſſeſſionem ſe transferre volentium: quo caſu Comes parochialis cum ſuis iudicibus nobilium, abſque quibus nullum in talibus proceſſum facere debet, ab his, qui in hoc caſu culpabiles legitimè inuenti fuerint, iudicium, ſeu byrſagium trium marcarum totiens, quotiens & quandocunq; culpabiles inuenti fuerint, ſine expectatione, extorquere poteſt, Iobagionem detentum, ſeu damnificatum cum omnibus bonis ſuis, damnis etiam recuperatis, liberè abire permitti faciendum.

Secundus caſus propter indebitam abductionem Iobagionum ante dies quindecim petitæ licentiæ.

ITEM, ſi quis Iobagionem alterius, non petita, nec obtenta licentia, vel petita, ſed non obtenta, ante dies quindecim huiuſmodi petitæ licentiæ potentialiter abduxerit, talis pro abductione violenta Iobagionis huiuſmodi byrſagia trium Marcarum ſoluat, & eundem Iobagionem cum aliis tribus marcis byrſagialibus per Comitem parochialem cum iudice nob. reſtituere compellatur. Si verò Iobagio aliquis non obtenta licentia, ſed furtiuè ad poſſeſſionem alterius receſſerit, & idem ad cuius poſſeſſionem acceſſerit requiſitus reddere recuſauerit; extunc ad reſtitutionem Iobagionis furtiui Comes parochialis talem cum byrſagio trium marcarum compellere debeat ac teneatur.

Tertius caſus propter violationem ſedis iudiciariæ.

ITEM violator ſedis iudiciariæ byrſagium XXV. marcarum ſoluat.

Quartus propter dimiſſionem malefactorum de captiuitate.

ITEM, quicunque furem, vel latronem, aut aliquem publicum malefactorem captiuauerit, & eundem de captiuitate ſua voluntariè permiſerit abire, ſoluere debet Comiti parochiali homagium malefactoris prænotati.

Quintus caſus propter non ſolutionem lucri Cameræ.

ITEM, à quocunque lucrum Cameræ debito tempore ſolutum non fuerit, Comes parochialis cum iudice nobilium, de qualibet villa non perſoluente poſt emanationem literarum byrſagialium per Iud. nobil. contra tales dari ſolitarum, exigere debeat ipſum lucrum Cameræ cum byrſagio trium Marcarum.

Sextus caſus propter non ſolutionem decimarum debito tempore.

CONSIMILITER qui certa ſcientia meminimus noſtrorum prædeceſſorum literis, per noſtram Maieſtatem frequentius literatoriè, & laudabili conſuetudine regni noſtri, percipi ſolitum eſſe, & vſitatum fore decimas Eccleſiarum de ſingulis villis decimas perſoluere: poſt interdictum eccleſiaſticum certo cōſueto tempore obſeruari commiſſum, recuſantibus per Comites parochiales, aut vices ſuas gerentes exigere debere, cum ſingulis tributis maieſtatis. Ideo præſentib. ordinationibus, & ſtatuti vigore eandem conſuetudinem ratam habendā, innouandam, & imitandam committentes, quòd poſt interdictum eccleſiaſticū, in ſingulis diœceſibus, & locis epiſcopalibus hucuſq; ſolitis, impoſitum de ſingulis villis, quæ per vnius menſis ſpacium huiuſmodi interdictum eccleſiaſticum animo indurato tolerarint, eaſdē decimas ſoluere recuſarint, ſeu non curauerint, mox elapſo ipſius menſis ſpacio, Comites, vel vicecomites parochiales, per decimationes requiſiti, decimas eaſdem cum ſingulis tribus marcis byrſagialib. pro ſe indilatè exigentes, eis quibus ſolui debent, abſque dilatione & defectu perſolui facere teneantur.

Septimus casus propter non atteſtationem nobilium tempore proclamatæ congregationis.

ITEM quandocunque nobiles alicuius Comitatus vigore literarum regalium per modum proclamatæ congregationis, ſub pœna trium Marcarum, in eiſdem literis regalibus expreſſa, conuocati fuerint: quicunque in illam congregationem non venerint, niſi ægritudine, ſenio, viduitate, orphanitate, paupertatis impotentia abſentia remota, vel eorum arduis negotiis rationabiliter ſe excuſare poterint: Comes parochialis, & iudex nobilium, prædictas tres Marcas in dictis literis noſtris expreſſas indilatè exigere poſſint. 10

Octauus & vltimus caſus propter extorſionem byrſagiorum in cauſis accumulatorum.

ITEM Palatinus, & iudex curiæ, ac cæteri iudices ordinarij, eccleſiaſtici & ſeculares, vniuerſa iudicia ſtatim in cauſis coram eis vertentibus aggregata, ſtatim ipſis cauſis finitis, & per ſententiam finalem concluſis, primò parti aduerſæ de ſua portione ſatisfactionem impendere teneantur, & ad partem ſuam iudiciariam cedentem exigere liberam habeant facultatem.

Quales perſonæ capitulares & conuentuales pro teſtimonio mittantur.

ITEM ſtatuimus, quòd ad faciendas ſtatutiones, inquiſitiones, & euocationes, & alios quoſcunque proceſſus, cum hominibus & teſtimoniis capitularibus & conuentualibus fieri ſolitas, quæ communiter fidedignitates vocantur: de capitulis & conuentibus perſonæ ſeu homines ſimplices non mittantur, ſed de ipſis capitulis canonici ad minus, aut perſonæ in beneficiis vel officiis cōſtitutæ. De conuentibus verò Monachus conuentualis ſacerdos deſtinetur. 20

Quòd teſtimonium antequam exmittatur, iuramentum præſtet.

QVI quidem pro huiuſmodi teſtimoniis capitularibus & conuentualibus deputati, priuſquam ad faciendas aliquas ſtatutiones poſſeſſionarias, metarum reambulationes,† reuiſiones poſſeſſionarum, & communes inquiſitiones tranſmittantur & procedant, iurare teneantur, vt in eiſdem factis fideliter & rectè procedant, & veram relationem ſeu faſſionem faciant. 30

† al. reuerſiones.

Quòd homines regij poſt reuerſionem tempore relationis coram capitulis vel conuentibus iurare teneantur.

HOMINES etiam regij in præmiſſis procedētes, tempore reuerſionis eorum, ac faſſionis ſeu relationis, coram ipſis capitulis & conuentibus facientes ſimile iuramentum præſtare teneantur: quicunq; non feciſſe repertus fuerit, talis, tanquam falſarius & periurus, pœna amiſſionis beneficij ſui, ſi quod habuerit, puniatur, & inſuper ſiue beneficiatus, ſiue non beneficiatus exiſtat, perpetuis carceribus mancipetur. Homo verò regius ſi in præmiſſis poſſeſſionariis ſtatutionibus metarum, reambulationis, & reuiſionis ſiniſtrè, vel falsè proceſſerit in facto periurus pœna capitis, & amiſſione omnium bonorum ſuorum conuincatur. 40

De pœna illorum, qui executione ſibi commiſſa procedere nollent.

QVICVNQVE verò nobilis per alium, ſeu alios quoſcunque, mediantibus noſtris regiis, vel aliis conſuetis literis, nomen ſuum cōtinentibus pro honore regio, coram teſtimonio alicuius capituli vel conuentus requiſitus, huiuſmodi proceſſus aſſumere & exequi recuſauerit: in byrſagio conſueto trium Marcarum, per Comitem parochialem indilatè exigendarum, conuincatur eo facto.

Vt vicinorum & commetaneorum nomina in literis conſcribantur.

STATVTIONES autem poſſeſſionariarum metarū, reambulationes, & reuiſiones aliter fieri nō debeant, niſi vicinis & commetaneis huiuſmodi poſſeſſionum inibi legitimè conuocatis, &, vt fraus & dolus in talibus melius euitetur, nomina ſingulorum vicinorum & commetaneorum tempore præmiſſorum proceſſuum illac principaliter conuenientium, in literis capitularibus & conuentualibus ſuperinde emanandis, ſeriatim conſcribantur. 50

De

De reambulatione literarum à capitulis vel conuentibus, & de salario fidedignitatum.

ET vt materia discordiæ super facto redemptionis literarum capitularium vel conuentualium, nec non super satisfactione viarum seu laborum, testimoniis capitularibus & conuentualibus fientibus, hactenus sæpius suboriri consueta, decreto cesset, & succidatur: præsenti ordinatione, antiquam tamen & laudabilem consuetudinem imitantes:

Primò de redemptionibus literarum.

10 STATVIMVS, vt in omnibus locis, tam capitularibus, quàm conuentualibus, pro qualibet litera euocatoria per se, videlicet euocatoria prima, secunda & tertia in capitulo aut in conuentu similiter cum eorum notario & scriptore pro redemptione literæ recipiātur seu soluantur singuli denarij viginti quatuor maioris monetę. Item, pro qualibet litera proclamatoria denarij centum. Item, pro qualibet litera procuratoria denarij XXIIII. Item, pro qualibet litera prohibitoria, protestatoria, & aliis similibus, si patenter emanentur, denarij XXIIII. si verò clausæ, denarij XII. Item, pro qualibet litera fassionali emanata priuilegialiter, denarij centum; patenter verò, XXIIII. clausę autem, denarij XII. Item, pro paribus antiquarum literarum in conseruatoriis requisitarum, custodi, seu requisitori per se denarios C. 20 Et pro redemptione literæ requisitæ, si non habuit multum de scriptura, & patenter confecta fuerit, denarij XXIIII. si verò labor scribendi fuerit magnus, & litera priuilegialiter confecta, denarij centum. Item, de simplicibus transcriptis, seu transsumptis literis patenter emanatis, vbi labor scribendi magnus non fuerit, denarij XXIIII. Vbi autem litera fuerit prolixa, aut priuilegialiter emanata, denarij centum. Item, de litera statutoria, in qua contradictio facta fuerit, denarij XXIIII. De literis verò sententialibus perpetuis, in quibus cōtradictio facta non fuerit, recipiantur pro redemptione literarum, secundum quātitatem possessionis, necnon sessionis modo subscripto, videlicet de sessione vna, duab⁹, aut tribus, vel quatuor, in toto denarij C. Vbi aūt fuerit vltra quatuor sessiones, vsq; ad decem, quo quali- 30 bet sessione denarij XXIIII. Vbi verò fuerint vltra decē, vsq; ad viginti, de qualibet sessione denarij XII. Vbi verò fuerint vltra viginti, vsq; ad C. de qualibet sessione denarij XII. Si verò fuerint vltra C. vsquequaq; de qualibet sessione denarij VIII. Item, de literis reambulatoriis, metalibus, in quibus contradictio & euocatio facta non fuerit, denarij XXIIII. In reambulationibus aūt metalibus, in quibus simplex consignatio, vel cum hominib. regiis, de curia regia transmissis, similis consignatio, vel finalis metarū erectio, cum iuramento super terram in forma iudiciaria, aut partibus cōcordantibus facta fuerit, pro redemptione literę denarij quingenti. Vbi aūt partibus in huiusmodi reambulationib. & demonstrationib. metalibus discordantibus, causa ad curiam regiam reducta fuerit, tunc pro redemptione literarū talium 40 denarij CC. Item, de cōmuni inquisitione ordine iudiciario cōmissa, denarij C. Item de remissione possessionarię occupationis, denarij C. Item, de occupationibus possessionum hominū in sentētia capituli conuictorū, & rerum ablationibus, iudiciaria commissione mediante, fiendis, de rebus ablatis de antiqua cōsuetudine capitulum habebit decimā partem; pro redemptione aūt literæ denarij C. Item, de æstimationibus possessionariis, iudiciaria cōmissione fiendis, denarij C. Item, de possessionaria diuisionis, de singulis possessionib. diuisis singuli denarij C. Item, de expeditoria iuramentali, denarij XXIIII. Item, de expeditione iuramentali continente nomina coniuratorū, denarij C. Item, de solutionib. pecunialibus coram capitulis, vel conuentibus, vel eorum testimoniis fieri solitis, capitulū vel conuentus decimā 50 & nonam partes exigere non possint nisi quando propter discordiam partium, in eorum sacristiis seu cōseruatoriis huiusmodi pecuniæ repositæ fuerint: de talibus, nempe de iure, decimam & nonam partes recipere possint, attamen partis rationē, quæ causam dederit pecuniam huiusmodi in conseruatoriis reponendi.

De salariis fidedignitatis.

PERSONIS autem testimonialibus capitulorum & conuentuum, pro singulis

diebus, quibus in itinere fidedignitatis processerint, soluantur XII. denarij maiores, siue in propriis equis, siue in equis causantiũ ambulent, & ducantur: ita tamen, quòd in victualibus & expẽsis causantium, & ipsos ad facta sua conducentiũ, similiter cum equis, & familiariũ eorum de domo iterũ in domũ semper duci debeant, & reduci. Præterea ex quo in iudiciis, in curia nostra regia fieri cõsuetis coram iudicibus ordinariis eiusdẽ curiæ, ac eorũ notariis, supradictæ literæ, & redemptiones earum necessariarum occurrerunt: ideo ad tollendam cuiuslibet altercationis occasionẽ, quæ inter ipsos notarios & causantes emergi posset, antiquã consuetudinem redemptionis literarum earundem modo subscripto duximus similiter declarandum: videlicet, ꝙ in præsenti curia nostra, notariis ipsius curiæ iudiciariæ de vna litera prorogatoria communiter soluantur denarij XII. De simplici litera inquisitionali, similiter denarij XII. De secunda euocatoria, denarij XXIIII. De tertia euocatoria, denarij C. De proclamatoria, denarij C. De litera iuramentali tertiò vel sextò se alicui adiudicata, denarij XXIIII. De eo qui iurabit, XII. vel XXV. aut quinquaginta se, denarij C. De communi inquisitione, denarij C. de litera duellari, denarij CC. De iuramentali super caput, denarij ducenti. De instrumentali exhibitione prima, denarij XXIIII. De secundaria & tertiaria instrumentaria exhibitione, cum grauamine assumpta, similiter denarij XXIIII. De prorogatoria respondente cum tribus marcis, denarij XXIIII. De litera prorogatoria patenti, denarij XXIIII. De litera fassionali communi, denarij XXIIII. De aliis literis generalibus, videlicet prohibitoria, & similibus, denarij XXIIII. De prohibitoria facie ad faciem, denarij centum. De litera sententiali facti potentialis conseruatorij sigilli, floreni decem per centum denarios; scriptori autem ducenti. De literis autem statutoriis, & reambulatoriis simplicibus, denarij XXIIII. De literis autem adiudicatoriis reobtentionis possessionum, seu aliarum rerum, iuxta quantitatem possessionis, seu rei reobtentæ, habita concordia inter causantem & protonotarios, fiet solutio.

De redemptione literarum in Cancellaria maiori.

IN Cancellaria autem nostra regia, quo ad redemptiones literarum iudiciariarum, & conseruatarum, seruetur antiqua consuetudo eiusdem Cancellariæ. Similiter de donationibus, & confirmatoriis, pensata quantitate rei donatę, vel confirmatæ, erit concordantia cum Cancellaria modo hactenus obseruato. Quia verò in omnibus præmissis redemptionibus literarum, & aliis quibuscunq; solutionibus, & byrsagiorum exactionibus, de numero & quãtitate denariorum pro tempore currentium sæpenumero mentio facta est: gratia remouendi dubij, præsentium serie declaramus, vt denarij tales intelligantur, quorum singuli centum vnum florenum auri valeant, & repræsentent. Et si denarios minores pro aliquo tempore cursum habere contigerit, ad eandem rationem cum ampliori & æquiualenti numero suppleant.

Denarij.

De arestationibus, quòd in propriis terris & officiolatibus fieri nequeant sub pœna sex Marcarum.

ITEM in arestationibus mercatorum, & aliorum hinc inde proficiscentium, quæ pro debitis, & aliis excessibus, propriis aut alienis in possessionibus, seu locis communibus, tam per ecclesiasticos, quàm sæculares, nobiles & ignobiles satis frequenter fieri solent; in quibus etiam hactenus nonnulla impedimenta, & damna, & iniuriæ, per extraconsuetudinem huiusmodi arestationis commissa sunt & patrata; eandem antiquam regni nostri consuetudinem approbandam, declaramus: Quòd nullus arestare volens, in suis propriis, aut fratrum condiuisionalium suorum possessionibus, terris, aut officiolatibus, pro quacunque causa arestationem facere possit: alioquin pro indebita aresta in pœna trium Marcarum conuincatur, & arestum huiusmodi indebitè factum, cum altero byrsagio trium Marcarum relaxare, & liberum permittere per Comitem parochialem compellatur. Cùm autem in loco communi quispiam arestationem facere voluerit, iudex ipsius loci communis eandem arestationem coram se sic, & non aliter fieri

patiatur,

patiatur, & acceptet, si videlicet, arestans priùs se à domino, vel villico possessionis, in qua arestandi residentiam habuerint, iustitiam postulasse, & huiusmodi iustitiã, aut sibi temerariè denegatam, aut finaliter exhibitam fore, & satisfactionem debitam eum impensa extitisse, literis Comitis, vel vicecomitis parochialis, aut iudicis nobilium, vel aliis creditoribus poterit comprobare. Dum autem hæc præmissa modo prætacto euidenter poterit comprobare, extunc dominus, vel iudex, aut villicus ipsius loci, seu possessionis communis arestum retinere, & inter partes, more in talibus consueto, iudicium & iustitiam facere: Super debitis autem aliis, excessibus, vel rebus coram eo rationabiliter obtentis, debitæ satisfactionis complementum de rebus & bonis iudicialiter condemnati, aut rebus & bonis ipsius minus sufficientibus, per detentionem personalem impendere teneatur.

De pœna iudicis aresti fauorizantis, & de vi illata arestan: nec non de protestatione iudicis super eo fieri debentia.

In casu etiam, quo ipse iudex aresti, pro fauore, aut timore cuiuscunque, vel ex qualibet alia causa rationem non habente, arestum coràm & legitimè factum seu fiendum retinere, iudiciúmque & iustitiam, & satisfactionis complementum, modo superiùs descripto, exhibere recusauerit: extunc ipsi arestatori cuius ipse aduersarium liberè abire permiserit, pro damno, quod per huiusmodi arestum requirere, & mediante iustitia obtinere poterat, & pro toto interesse teneatur, & existat obligatus, nisi arestandus, vel arestandi tantam potentiam & vim habuerint, propter quam dominus aut iudex loci communis eis resistere, & eos retinere non valebit, aut alia potentia superueniens, arestatos contra voluntatem iudicis aresti violenter abduxerit: quo casu eueniente, ad sui excusationem, super eo quantoties poterit, suis vicinis & commetaneis publicè protestetur.

De pœnis ciuium regalium, & reginalium, in propriis terris regalibus & reginalibus arestantium.

Volumus autem, quòd in nostris, ac reginalibus liberis comitatibus, oppidis, villis, & possessionibus, mediantibus eorum iudicibus, officialibus, & præsidentibus quibuscunque, per ciues, mercatores, hospites & incolas eorundem pro suis debitis, rebus & acquisitionibus quibuscunque, arestationes huiusmodi modo subscripto, & sub pœnis antedictis per Magistrum Tauernicorum aut alios eorum superiores indilatè exigendis, fieri nullatenus debeant neque possint, sed in locis communibus, & coram iudice communi, cùm necesse fuerit, fiant arestationes per eosdem, modo superiùs declarato.

De salario iudicis aresti.

Iudex autem communis arestationes huiusmodi coram eo debitè & legitimè factas decernens, & iudicans, pro suo labore & honore, si fuerit iudex per dominum possessionis constitutus, aut dominus ipsemet, XL. denarios; si verò villicus, XII. denarios ab homine iudicialiter condemnato, pro se exigendi habeat facultatem.

De donationibus iurium quæ per defectum seminis quorumcunque decedentium deuoluta fuerint, & de huiusmodi possessionibus manifestè non constat; & de electione nobilis communis, qui pendente lite, easdem possessiones conseruet; & de donationibus iurium possessionariorum, ad Regem deuolutorum.

Porro æquitatem, & iuris obseruantiam, quam inter regnicolas nostros vigere peroptamus, à nostra Regia Maiestate exordium habere, demonstrare volentes, præsenti decreto stabilimus, quòd in quocunque Comitatu aliqua iura per defectum seminis quorumcunque decedentium deuoluta fuerint, & de huiusmodi possessionibus manifestè non constat, an ad ius regium pertineant, vel aliquos fratres generationales, seu hæredes fœminei sexus concer-

nant,sed inter ista duo,videlicet,ius regium, & ius aliorum, scilicet generationalium vel fœmineum,dubium interuenerit;extunc homo cōmunis,nobilis,& idoneus,in quolibet Comitatu ad id per Comitem parochialem cum iudice nobiliū, & aliis nobilibus comprouincialibus,ad vnum locum congregatis,non tamen ex Baronibus,nec de potentibus,sed de mediocribus nobilibus electus,huiusmodi iura deuoluta,& dubiosa,& etiam alia similia,si qua contigerit,tamdiu conseruet, & manu teneat,absq; damnificatione qualiber:excepto solo,quòd de prouentib⁹ consuetis huiusmodi possessionū,donec in manibus suis manebunt,expensas moderatas capere & satisfacere possit,de quibus tandem rationem reddere valeat,& teneatur,quousq; huiusmodi reuolutio iurium sine hæredibus decedētibus in sede iudiciaria curiæ nostræ regiæ publicata fuerit; ipsaq; publicatione facta,quicunque easdem possessiones & iura sibi pertinere allegauerit,intercisis octauis sequentibus,quantocius poterit,rationabiliter iura sua producendo,easdem ad se pertinere comprobet.Quod si facere poterit,iudex curię regię eidem statui mandet,& faciat cum effectu.Si verò in probatione defecerit,iuri regio relinquatur, & si quis vlterius ad easdem ius habere sperauerit,eas de manibus regiis requirat legitimè. 10

De vxoribus & filiabus decedentium in bonis defuncti remanentibus.

Vbi autem vxores,vel filiæ huiusmodi hominum absq; hæredibus masculinis decedentium,in talibus possessionibus & iuribus remanserint,extunc possessiones eædem & iura à manibus earum occupari & auferri nō debeant;priusquam de earum iuribus,videlicet,an hęreditariò & perpetuò ad ius fœmineum pertineant,an non, veritas inquiratur.Quòd si repertum fuerit eadem iura iuri fœmineo non competere,extunc dictis vxoribus talium decedentium,antequam à dominio dictarum possessionum excludantur,per Regiam Maiestatem, vel alios, ad quos repertæ fuerint esse deuolutæ,de earum dotibus & iuribus plena satisfactio impendatur. 20

De quarta puellari, & domo paterna.

Filiabvs verò vsque tempus maritationis earum,domus cum quarta parte possessionum paternarum,pro quarta filiali,secundum consuetudinem regni nostri,sequestretur,& possidenda relinquatur. 30

De filiabus nubentibus homini impossessionato.

Postqvam verò maritatæ, & traductæ fuerint,de earum iure quartalitio pecuniaria solutione† mediante satisfaciat. Vbi autem aliqua ex ipsis filiabus,homini impossessionato tradita fuerit,dictante eadem regni nostri consuetudine, imperpetuo iure,& dominio huiusmodi quartæ possessionariæ succedere deberet & remanere;ita tamen,si ipsa de voluntate & consensu fratrum seu consanguineorum suorum,in quos post ipsius matrimonium huiusmodi iura seu quartalitia reuerti & rediuidere debentur,homini,vt præfertur,impossessionato nupserit: alioquin siue de domo parentali,seu de curiis & seruitiis Baronum,vel maiorum nobilium,dictis suis fratribus,seu consanguineis,aut parentibus irrequisitis,& nolentibus,seu non consentientibus,id fecerit,ius suum quartalitium,non cum possessione,sed cum satisfactione pecuniaria,requirendi habebit facultatem. 40

† al. immediatè.

De non occupandis rebus ecclesiasticis.

Adiicientes statuimus statutis superioribus,quòd nullus Comes,Banus, Waywoda,seu alius officialis regius,cuiuscunq; denominationis & dignitatis existat,ecclesias episcopales,archiepiscopales, abbatiales, præpositiales,& alias quascunque regio iure patronatus disponendi, earundémque tenutas, pertinentias, decimas,& possessiones intra terminos & limites sui honoris seu officiolatus,absque speciali mandato regio,occupare,aut de eisdem portionaliter vel totaliter se ingerere præsumat. 50

De superflua exactione tributorum.

Vervm quia ex immoderata & superflua exactione tributorum,per longiturni temporis abusum,& inaduertentiam,ac negligentiā dispositionis superinde

necessariæ

necessariæ multa damna, grauamina, & incommoda regnicolis nostris, & extraneis hominibus, cum eorum rebus & mercibus in regno nostro hinc inde proficiscentibus, per tributarios, tum nostros regales, & reginales, quàm aliorum, propria cupiditate, nullo ad Dei timorem & æquitatem habito respectu, allectos, illata fore hactenus, feruentiorique auiditate dietenus irrogari, experientia teste, nostra cognouit Celsitudo: Ideo præsenti sanctione decernimus, quòd in singulis Comitatibus regni nostri, tempore celebrationis generalium congregationum palatinalium per palatinos, pro tempore constitutos, vel alios ex regia deputatione celebrandarum, inquirant à iuratis assessoribus huiusmodi congregationum, numerum & loca nostrorum tributorum, in ipso Comitatu exigi solitorum, & à dominis, seu possessoribus eorundem tributorum petantur exhiberi literæ primariæ institutionis tributorum eorundem; In quibus si Inuenta fuerit quantitas soluendi tributi, de singulis rebus solui consuetis, talis solutio moderetur, & reducatur ad rationem præsentis monetæ, taliter ne pro tributariis, seu tributa habentibus, eorum iusti prouentus non decrescant, nec econtrario solutionis modus in onus tributa soluere debentium supererescat.

De moderatione solutionis tributorum, & viarum falsarum.

VBICVNQVE autem huiusmodi literæ primariæ institutionis tributorum reperiri, & exhiberi non poterunt; aut repertæ forsitan, & non exhibitæ, quantitatem soluendi tributi non expresserint: tunc à prædictis iuratis assessoribus dictæ congregationis similiter inquiratur, & resciatur quantitas solutionis tributorum, in quibusuis tributis ipsius Comitatus de singulis rebus tributariis solitis tempore antiquiori, quod humana memoria comprehendere potest, fieri consuetæ, & retrahatur ad antiquam consuetudinem, compensata qualitate, quantum iustius fieri poterit, pecuniæ tunc currentis, semper absque damno & detrimento tributa exigere & soluere debentium, æquitate videlicet vtriusq; partis semper salua. Similiter inquiratur, discutiatur, & moderetur, quomodo, & vbi fiunt falsæ viæ, & indirectè quorumlibet tributorum, & quantum longè vel propè huiusmodi vias falsas singuli tributarij obsidentes, & itinerantes in eisdem prohibentes, vel impedientes, iustam & consuetudinariam habuerint & habere debeant facultatem.

Quòd nouæ viæ non adinueniantur.

VIAS autem nouas in locis, quibus viæ ab olim nunquam haberi consueuerunt, nemo pro communi & vniuersali transitu itinerantium, in detrimentum ac damnum tributorum vicinorum, in faciebus suarum terrarum adinuenire præsumat.

De exquirendis falsis viis.

ALIOQVIN de huiusmodi viis nouiter adinuentis, cum prædictis congregationibus generalibus, iuxta affirmationem iuratorum assessorũ huiusmodi congregationum decernatur, an pro falsis viis deputandæ sint, vel aliter restringendæ & moderandæ. Habentes insuper & exigentes tributa, ratione pontis, vel nauium, pontes huiusmodi aut naues sub debita reformatione semper studeant cõseruare, taliterq; viatores, & tributa soluentes, absq; impedimento per pontes & naues eorum transitum liberum, & non impeditum, facere possint: id verò facere negligentes, pœnis, & grauaminibus opportunis, ad debitam reformationem & conseruationem suorum pontium & nauium in dictis congregationibus promulgatis per Comites eorum parochiales astringantur, totiens, quotiens eorum negligentia exigente fuerit opportunum.

De non acceptandis infidelibus, & aliis facinorosis ad castra dominorum, præter officiales finitimos, qui solùm fures, latrones, & malefactores recipere possint.

POSTREMO, antiquã regni nostri consuetudinẽ præsenti edicto confirmandã, Prælatorũ, Baronũ, & nobiliũ regni approbãte cõuentu, stabilimus, & ordinamus: quod nullus Prælatorũ, Baronũ, nobilium & regnicolarũ nostrorũ, cuiuscunq; status,

conditionis, & dignitatis existant, quoscunq; infideles manifestos nostros, & coronæ nostrę ac regni nostri, publicos fures, & latrones, & malefactores, præsertim in congregationib. generalibus proscriptos, in suis castris, domibus, bonis, & possessionibus retinere, hospitare, & cōseruare, aut eis auxilium, hospitalitatem, & fauorem impendere pręsumant, sub pœna consimilis infidelitatis, & furum, & latronum hospitalitatis: excepto, quòd fures, & latrones, & alios malefactores in congregationibus generalibus proscriptos, demptis infidelibus, Barones, & Castellani nostri, in cōfinibus regni castra, & fortalitia, ac officiolatus, & honores pro defensione confiniorum tenentes, vsque tempus acquirendæ gratiæ poterunt in huiusmodi castris & fortalitiis metalibus receptare, & retinere. In cuius rei memoriam, firmitatemq; perpetuam, præsentes concessimus literas priuilegiales, pendentis autentici sigilli noui duplicis, quo pro nunc vt Rex Hungariæ vtimur, munimine roboratas. Datum per manus venerabilis domini Matthiæ de Gathalotz, Prępositi Ecclesiæ Quinqueecclesiensis, aulæ nostræ summi Cancellarij, fidelis nostri dilecti, anno Domini millesimo quadringētesimo tricesimo quinto, octauo idus Martij, regnorum nostrorum anno, Hungarici quadragesimo octauo, Romanorū vigesimoquinto, Bohemiæ quindecimo, Imperij verò secundo. Venerabilibus in Christo patribus, dominis Gregorio Strigoniensi, Ioan. Colociensi & Bachiensi Canonicè vnitarum, Doymo Spalatensi, Iadrensi sede vacante, Petro de Rozgon Agriensi, Varadiense sede vacante, Georgio Lopes Transsyluaniensi, Zagrabiense sede vacāte, Henrico Quinqueecclesiensi, Simone de dicta Rozgon Vesprimiensi, Clemente Iauriensi, Vaciense sede vacante, Georgio Nitriensi, Chanadiense sede vacante, Iacobo Sirmiense, Ioseph Boznensi, Ioan. Thininiensi, Vito Corbonensi, Ioanne de Domniis Segniensium Ecclesiarum Episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus, subinuicem monentibus Scordoniense, Traguriense, Makoriense, & Farcense sedibus vacantibus. Item Magnificis Matthæo de Palocz, prædicti regni nostri Hungarici Palatino, spectabili & magnifico Hermanno Ciliæ & Sagoriæ Comite, socero nostro charissimo, totius regni nostri Sclauoniæ Bano, Comite Stephano de Bathor iudice curiæ nostrę, Ladislao de Chaak Waywoda nostro Transsyluaniensi, Ioanne & Stephano Weglea, Segniæ, & Modrusiæ Comitibus, regnorum nostrorum Dalmatiæ, & Croatiæ prædictorum, Desew, & Ladislao de Gara Machoniensi, Nicolao de Radnijch crucifero ordinis Pruthenorū, Seweriēn: Banis, Ioanne de sæpe dicta Rozgon Tauernicorum, Emerico filio Nicolai Waywodæ, de Marczali Ianitorum, Ioanne & Stephano de Peren dapiferorum, Paulo & Ioanne Koinpolth de Nana pincernarum, Laurentio de Hederwara Agazonum nostrorum magistris, ac Stephano & Georgio de antelata Rozgon, Comitibus nostris Posoniensibus, aliisq; quàm plurimis regni nostri comitatus tenentibus, & honores, &c.

DECRETVM SIGISMVNDI IMPERATORIS SVPER MODO EXERCITVANDI. 1435.

Nos Sigismundus diuina fauente clementia, Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex. Notum facimus, tenore præsentium, significantes quibus incumbit vniuersis: quòd nos, cui Regiæ celsitudinis prouidentia, subditorum suorum, & terrarum, ac regnorū suorum ditioni, tuitioni, & illæsæ conseruationi nedum introrsus, verum potius ab extraneis inuasoribus, officio suę dignitatis exigente, se obligatam profiteatur: volentes fines regni nostri prædicti à partibus nostris Bohemiæ, & Morauię, à quibus propter ingruentiam præsentis temporis, ab aliquibus elapsis annis hucusque frequentiores feruentioresq; ipsum regnum pertulit hostilitates, vi nostra regia reddere securiores, omnes infrascriptum sponte, imò ex debito regali, in nostras regias curas & expeditiones duximus assumendum.

Videlicet, vt ciuitates, & castra subscripta, ciuitatem & castrum Posoniēn: ciuita-

ciuitates Tirnauień: & Zakoltza,castrum Trincznień: & alia castra, ac munitiones,& fortalitia,in confinio Morauię,& iuxta fluuium Wagh situata,quemadmodum tam in ipso ex parte Bohemiæ,quàm in aliis omnibus confiniis,& metis regni nostri,ex quacūq; parte apud nostras regias manus habita, & in futurum quouis euentu & casu eisdem nostris manibus applicari contingentia: nostris sumptibus regalibus, contra quempiam Bohemorum,& alios vndecunq; emergentium muniemus, & tutabimur sufficientibus gentibus, armis, & victualibus,aliisq; necessariis, tam pro conseruatione & defensione castrorum & munitionum in se, quàm ad tenendos campos,& defendendum circumiacentia campestria,contra
10 quosuis insultus hostiles occurrentes.

Si autem tanta potentia inimicorum irrepserit,quòd maior viribus gentium nostrarum imperialium foret, nec ab inuasione finium regni arceri & prohiberi per easdem gentes nostras imperiales posse verisimiliter videretur: extunc prælati deputati,pro defensione illarum partium, cum suis Bāderiis & viribus iuxta dispositionem de Episcopis factam,& obseruari consuetam, nec nō communitates singulorum Comitatuum,pro earum partium,vel aliorum cōuerras habere contingentium,defensione,modo simili deputatorum,sub Banderio regali cum Baronibus,proceribus,& nobilibus dictorum Comitatuum,& eorum gentibus, per modum generalis expeditionis exercitualis,viribus coniunctis supradictos.

Banderia prælatorum quando.

Comitatum banderia.

20 Conclusum est insuper ac statutum per nostram Maiestatem,cum Prælatis ac Baronibus,& regnicolis nostris prænotatis, quòd tempore vniuersalis exercitus, generaliter proclamati, singuli Barones,proceres, & nobiles possessionati,secundum quātitatem dominij ipsorum,videlicet,de singulis trigintatribus Iobagionibus,proprias possessiones,& terras,more aliorum Iobagionum,in possessionibus, quibus resident,habentibus & censum colligentibus,munera,seu alia seruitia dominorum, cum aliis Iobagionibus supportantibus vnum,de centum verò tres,& sic consequenter de aliis,quotquot habuerint,de singulis centū,singulos tres pharetrarios equestres,ad minus videlicet arcus,pharetras,gladios,& biccellos habentes,& ad bellandum aptos & vtiles,ipsimet personaliter accedentes,ad quoslibet
30 exercitus regni generales conducere teneantur. Hi verò, qui minus quàm triginta tres habent Iobagiones, Iobagiones suos,quos habuerint,cum Iobagionibus aliorum taliter cōiungere,& commendare teneantur: quòd semper de trigintatribus Iobagionibus quorumcunq; vnus pharetrarius,modo præmisso armatus & dispositus,ad exercitus generales transmittatur. Cæteri deniq; nobiles Iobagionibus carentes,singulariter propriis in personis,hi videlicet,qui dominos habere dinoscuntur,sub quorum nominib. & expensis exercituare solent,cum eorum dominis,ac gentibus seu Banderiis: Alij autem huiusmodi dominos non habentes,de propriis eorum possessionibus,domibus,& expensis,cum eorum Comite parochiali(illis tamen exceptis,quos decrepita ætas,viduitas,orphaneitas,& alterius consimiliter
40 impotentiæ causa necessaria,videantur excusare) similiter pro sua facultate condecenter armati,& dispositi, exercitualiter proficisci teneantur.

Vbi autem duo,vel plures fratres indiuisi,& in vno victu manentes extiterint, vno eorum ad huiusmodi generales exercitus proficiscente. Illi verò, qui in propriis personis sub Banderio,& stipendio regali, & Baronum procedere habebunt, præter & vltra gentes suas,de honoribus,& stipendiis regalibus,vel Baronum secum seruientium, & exercituare debentium, nihilominus prætactum numerum exercituum de suis propriis possessionibus,cum Comite suo parochiali, seu Comitibus,sub quo,vel sub quibus possessiones suæ existant,expediant,& transmittant ad illas partes,& pro illo tempore, quibus iidem Comites parochiales singulorum
50 Comitatuum debebunt exercituare.

Duo fratres indiuisi.

Præterea Prælati, Barones, & nobiles regni nostri castra,fortalitia,& munitiones habentes,eorum castellanos,seu alios nobiles,pro custodia huiusmodi fortalitiorum necessarios, similiter ipsi Barones,nobiles,& maiores personæ seculares corā coniugibus & domesticis suis personis nobiles pro magistro curiæ,& alios ad constituendum honorem curiarum suarum deputandi & relinquendi habeant

facultatem: moderatè tamen, & tantum nostro ineuitabiliter necessarias personas in huiusmodi seruitiis occupando, & relinquendo, & propterea commissum est, quòd in quolibet Comitatu vniuersitates nobiliũ eiusdem Comitatus cõuenientes, certum ex eis eligere debeant de medio in statu nobilium, non ex potentioribus, qui cum iudicib. nobiliũ ipsius Comitatus numerum Iobagionum quorumlibet regalium, reginalium, & Baronum, ac nobilium in ipso Comitatu possessiones habentium, tempore proclamationis exercitus generalis fideliter computet, & conscribi faciat, & registri par, seu copiam huiusmodi registri tradere Comiti suo parochiali debeat.

Item, quòd quilibet, tam in generali exercitu regnicolarum, quàm ad stipendia exercituare debens, die & termino expeditionis exercitualis, cui interesse debebit, assignatis, absque omni procrastinatione in loco deputato, cum omni gente sua, cum qua ad exercitum ire tenetur, constituatur. 10

Quicunque autem ad huiusmodi generales exercitus proficisci debent, tempore proclamationis & instaurationis eorundẽ, contumaciter ire & proficisci neglexerint, aut multum tardè, terminum & locum vniuersalis conuentionis ipsius exercitus prænotatum studiosè prætermittentes, cęteris exercituantibus fatigatis, vel dispersis, seu conflictu bellicoso iam cõmisso & habito, superuenerint, aut tempore venientes ad comparendum eãdem ante debitam & finalem expeditionem belli, occasione qualibet, cõflictu non habito, nostra vel Capitaneorũ ipsius exercitus absq; licentia de eodẽ exercitu temerariè recesserint: tales expediti minimè reputentur, sed eorum possessiones, q; huiusmodi non venientibus, vel tarditate, aut temerario disceslu, occupentur, & de huiusmodi possessionibus occupatis, per nostram Maiestatem, de consilio Prælatorum & Baronum nostrorum, quid agendum sit, deliberetur. 20

Item, quòd exercituantes tempore æstiuo in villis & segetibus descensus facere non debeant, sed in campis vacuis, in quibus segetes pedibus equorum non conculcent, neq; destruant, vllaq; damna & nocumenta inferre præsumant, nihil omnino præter herbas non falcatas, ligna, & aquam, absque debito pretio, capiendum, seu auferendum præsumant. 30

Victualium pretium.

Pretia verò victualium cuiuslibet generis, tam pro hominibus, quàm equis necessariorum, in quolibet Comitatu, ante aduentum exercituantium, per communitatem nobilium eiusdem Comitatus, secũdum fertiliorem, vel infertiliorem euentum temporis & anni limitentur, moderentur, & taliter ordinentur, vt intuitu ipsorum exercituantium, pretia victualium in nullo excrescant, vltra priorem cursum, & communem in foris communibus vsitatum, prout cupiditate hominum fieri consueuit.

Si qui verò contra præmissam ordinationem, in villis, & in aliis locis modo prætacto prohibitis, descensus facere, aut victualia cuiuscunq; materiæ, absq; pretio ordinato, auferendo, damna irrogare præsumpserint; extunc homines damnati, siue nobiles, siue ignobiles, ad præsentiam Comitis parochialis, & iudicis nobilium Comitatus illius, in quo huiusmodi descensus & damna facta & illata extiterint, accedentes, super quantitate damnorum, quæ sibi illata fore conquesti fuerint; si nobiles, per se; si verò ignobiles fuerint, cum suo villico, & duobus villicis suis domui suæ ex vtraq; parte proximè coniunctis, iuramentum præstent, ipsiq; Comites, & iudices nobilium, super huiusmodi damno & iuramẽto, ipsi conquerenti literas eorum testimoniales tradant, vigore quarum, quàm primùm ad curiam regiam in pręsentiã iudicum & iustitiariorum ipsam curiam iudicantium accesserit, mox absq; vlteriori probatione, & litium protractione, eisdem conquerentibus, & damnificatis, iuxta contenta literarum prædictarum Comitis, & iudicis nobilium illius Comitatus, in quo huiusmodi damna per quoscunq; exercituantes illata fuere: quibus quidem literis, absq; vlterioris probationis requisitione, ex vigore præsentis constitutionis, plena fides adhibeatur, ex parte cuiuslibet damnũ inferentis omnimoda satisfactio damnorum, nec non expensarum, pro ipsis damnis exquirendis factarum, sententialiter fieri decernatur, & cum executione debita, 40 50

debita, finaliter & effectiuè, per sententiam iudiciariam, quam Palatinus & iudex Curiæ pro tempore constitutus, vel eorum vicarij & sigilliferi literatoriè dare & proferre teneantur: Comitibus, & vicecomitibus, & iudicibus nobilium illorum Comitatuum, in quibus ipsi exercituantes, qui præmissa damna irrogasse, modo antè lato comprobati fuerint, possessiones, & bona habere dinoscuntur, per huiusmodi literas sententiales scribatur, & demandetur, quatenus ipsi mox, receptis dictis literis sententialibus, huiusmodi læsis, & damnum passis, ex parte ipsorum damna inferentium, per ablationes rerum, & bonorum eorundem, & si necesse fuerit, possessionum occupationes, super omnibus, in huiusmodi literis sententiali-
10 bus contentis, coram testimonio alicuius capituli, vel conuentus, omnimodam & indilatam satisfactionem teneantur exhibere.

Quicunque autem ex huiusmodi exercituantibus, potentialiter seu voluntariè succensiones, & combustiones, aut deprædationes villarum & possessionum, exactiones Ecclesiarum, nobilium, & virorum ecclesiasticorum propriam curiam, & domorum inuasiones, & deprædationes, mulierum vel virginum spoliationes, raptus, & dehonestationes, hominum verberationes, & vulnerationes, & alios similes, & maiores, & enormes actus potentialiter committere præsumpserint: ex tunc, contra tales, præmisso modo & ordine in illis Comitatibus, in quibus huiusmodi potentionaliter patrata fuerint, inquisita & comperta veritate, in fa-
20 cto potentiæ conuincantur, & ex parte eorum, indilata satisfactio, modo superiùs declarato, per sententiam iudiciariam impendenda declaretur, & demandetur, ac per Comites parochiales, & iudices nobilium ipsius delinquentis, & in facto potentiæ conuicti, ad executionem earundem sententiarum per occupationes possessionum, rerum & bonorum ablationes, & alia in talibus fieri solita, per Palatinum, & iudicem curiæ, realiter, & effectiuè procedi, literatoriè committatur & demandetur. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, præsentes concessimus literas nostras, pendentis & authentici sigilli nostri noui duplicis, quo, vt Rex Hungariæ, vtimur, munimine roboratas. Datum Budæ, in festo beati Gregorij Papæ. Anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo quinto, Re-
30 gnorum nostrorum anno, Hungarici quadragesimo octauo, Romanorum vigesimo quinto, Bohemiæ decimo quinto, Imperij verò secundo.

De vi & maleficio militum, pæniśq.

ALBERTI ILLVSTRISS. QVONDAM HVNGARIÆ REGIS DECRETVM INcipit editum anno Domini 1439.

Nos Albertus Dei gratia Romanorum Rex, semper Augustus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex, & Dux Austriæ, &c. Memoriæ
40 commendamus, tenore præsentium significantes, quibus expedit, vniuersis, quòd excellentissimo Principe, domino Sigismundo Romanorum Imperatore, ac præfati regni Hungariæ, &c. Rege, patre nostro charissimo, laudandæ memoriæ, tempore nouiter præterito, Deo cœli, cuius nutu humana fragilitas nequit obuiare, volente, viam vniuersæ carnis ingredienti, nobisque fauente diuina clementia, in regimen, & solium ipsius regni Hungarici votiuè succedentibus, Prælatorum & Baronum, nec non Procerum, & Nobilium regni nostri Hungarici vniuersitatis identitas, nostrum regium conspectum adeundo, & libertates ipsius regni nostri, quibus ipsi Prælati, & Barones, ac Nobiles, eorúmque prædecessores, temporibus diuorum Regum, præsertímque quondam Serenissi-
50 mi Principis, domini Lodouici, Regis felicis recordij, prædecessoris nostri freti fuere & gauisi, in quàm plurimis suis articulis diminutas esse recitantes, & nostram Regiam Serenitatem super reformatione status dicti Regni nostri precibus & instantiis propulsantes, infrà scriptos articulos, & in eis contenta, nostris literis inseri, & conscribi facere, approbare, & in eisdem se per nos illibatè

conſeruare, humilimè ſupplicarunt; nos quoque promiſimus, immò promittimus bona fide, quòd articulos infrà ſcriptos tenere & implere volumus, & debemus.

De reformatione conſuetudinum Regni.

PRIMO, quòd antiquas leges & conſuetudines huius regni, & libertates regnicolarum, Eccleſiaſticorum & ſecularium, cuiuſlibet ſtatus, ad priorem ſuum modum & ſtatum, quantum de iure, & cum honore eorundem Prælatorum, & Baronum, ac Regni nobilium conſilio & auxilio poſſumus, reducemus, redintegrabimus, reformabimus, & de cætero in eiſdem manutenebimus, & conſeruabimus.

De electione Palatini.

INSVPER, quòd Regia Maieſtas Palatinum Regni, antiqua conſuetudine regni noſtri requirente, eligat, & quòd idem Palatinus ex parte regnicolarum Regię Serenitati, & ex parte ipſius Regiæ Maieſtatis regnicolis iudicium & iuſtitiam facere poteſt, & teneatur: quòd conſilio Prælatorum, & Baronum, ac Regni Nobilium pari voluntate eligatur.

De ſtipendiatis, & exercitu generali.

ITEM, quòd regia dignitas, pro tuitione Regni, & confiniorum, ipſiúſque conſeruatione, hominibus ſuis exercitualibus de ſtipendio regali diſpoſitiones faciat, ſic, quòd regnicolas ipſi ſtipendiati exercituantes non prędentur, exercitus verò generalis regnicolis tam diu, donec huiuſmodi ſtipendiati exercituantes aduerſariis reſiſtere poterunt, non proclametur. Vbi autem ipſi exercituantes regnicolas prædati fuerint, tunc tales pronuncientur ad inſtar aliorum patratorum actuum potentiariorum. Dum verò neceſſitate vrgente, exercitum generalem proclamari contigerit, tunc Nobiles regni vltra metas, & confinia regni, ex quacunque parte eiuſdem regni, inuiti more exercituantium non ducantur, antiqua eorum libertate requirente.

Item, quòd nouitates, & nociuæ conſuetudines introductæ, aboleantur, & deſtruantur.

Quòd officia exteris nationibus non conferantur: & quòd domini Prælati & Barones, homines forenſes non conſeruent.

De hoc ſæpe alibi paſſim in his regũ decretis & conuentu Rakos.

ITEM alienis, & forenſibus hominibus, cuiuſcunque nationis & linguagij exiſtant, officia in ipſo regno noſtro, non committemus; nec caſtra, fortalitia, metas, poſſeſſiones, honores, prælaturas, baronias, Comitatus, vel quaſcunque Eccleſiaſticas, vel ſeculares dignitates, ad tempus, vel in perpetuum, extraneis & forenſibus, niſi hominibus Hungaris conferemus: Quódque Prælati & Barones, homines extraneos & forenſes non conſeruent.

Quòd prouentus regales ſolis incolis regni in arendam conferantur.

ITEM de triceſimis, lucro Cameræ, montanis, vrburis, cuſſionibus monetarum, cameris ſalium, eorundémque Comitibus, nec non Marduris, quinquageſimis, & quibuſcunque officialibus in arendam, vel adminiſtratiuè, ſeu aliter quouis modo, ſimiliter hominibus idoneis, coronæ Hungariæ ſuppoſitis, & non extraneis, liberam diſponendi facultatem, modo conſueto, habeamus.

De lucro Cameræ, quinquageſima, & Mardurinis.

ITEM, quòd lucrum Cameræ in regno Hungariæ, quinquageſimam in partibus Tranſſyluanienſibus, ac mardurinas in regno Sclauoniæ, exigi conſuetas, exigi, more

gi, more aliàs ab antiquo consueto, redimendi, & ad statum tempore pręfati quondam domini Lodouici Regis obseruatum.

Quòd domini Prælati & Barones duas dignitates tenere non possint.

ITEM, Prælati & Barones duas dignitates, honores, baronias, scilicet seculares, & ecclesiasticas, simul tenere non valeant; nec homo secularis, siue vir ecclesiasticus, dignitates ecclesiasticas occupatiuè seruare possit.

De cambiis forensium mercatorum.

ITEM, nullus mercatorum forensium, & extraneorum, cuiuscunq; nationis existant, ad mercandũ, seu forizandũ, in medium regni, sed ad loca tempore 10 præfati quondam domini Lodouici Regis, ad forizandum, & emendum, & cambiendum deputata, negotiationes suas peracturus, more consueto accedat.

De moneta non immutanda, & de cussione obulorum.

ITEM, quòd monetam auri & argenti, in valore & cursu, quibus pro nunc existit, sine consilio Prælatorum, Baronum, & regni nobilium non immutabimus: sed cudantur obuli, in eadem lega, qua ipsi maiores denarij cuduntur, quorum obulorum duo vnum integrum denarium valeant: Et quòd penes dominum Archiepiscopum Strigoniensem, & Magistrum Tauernicorũ, vnus fidelis & idoneus vir, in probatione huiusmodi cussionis monetæ, auri scilicet & argenti, deputetur.

Vide decret. Matth. Regis.

20 *De extraneis monetis & salibus.*

ITEM, monetæ, & pecuniæ, atque sales forenses, in regnum non introducantur, & nec acceptentur, & de hoc fiat prouisio celerius, quantum potest.

Quòd domina Regina officiolatus solis incolis regni conferat.

ITEM, quòd dispositio pro serenissima Principe, domina Elizabeth Regina, & eius status honoris conseruatione, ex quo est hæres huius regni, fiat, vbicunque vult in regno: sic tamen, quòd ipsa domina Regina, honores & officiolatus suos nõ extraneis & alienis, sed incolis huius regni, quibuscunque maluerit, conferendi, & collatos, dum sibi placuerit, ab eisdem, secundum suum arbitrium, habeat facultatem auferendi.

30 *De captiuis in exercitu, tempore pugnæ erectis, & de facultate bellantium disponendi de eisdem.*

ITEM, dum in exercitibus, & pugnis, seu quibuscunque Regis cum inimicis regno committendis, Hungaros aliquos de hostibus captiuare, vel aliquid aliud lucrari contigerit: tunc ipsi Hungari huiusmodi captiuos, & lucrum, exceptis notabilibus personis, vel capitaneis ipsorum exercituum inimicorum Regiæ Maiestati, in captiuos pertinentes, quos nos ab ipsis captiuantibus, pro donis condignis recipere valeamus, pro se retinendi, vel vendendi, aut Ecclesiis perpetuæ seruitutis iugo tradendi, & donandi habeant facultatem.

40 *Quòd in defensionibus metarum regni, Maiestas Regia consilio regnicolarum vtetur.*

ITEM, quòd in defensionibus & conseruationibus metarum, & confiniorum huius regni, consiliis regnicolarum vtemur.

Quòd honores sæculares incolis istius regni conferantur.

ITEM, honores sæculares, absq; quolibet consilio, hominib. istius regni Hungariæ, & non aduenis, liberum arbitrium conferendi, & ab eisdem auferendi habeamus.

Quòd possessiones forensibus non conferantur: incolis etiam pro seruitiis, 50 *& non pro pecuniis donentur.*

ITEM, possessiones, & iura possessionaria, non forensibus, sed benemeritis incolis tantùm regni, & coronæ Hungariæ subiectis, iuxta eorum merita, & obsequia, & non pro pecunia, conferemus. Perpetuas verò venditiones, vel impignorationes iurium regalium, & Cameræ, nec cum consilio, neque sine consilio quorumcunque faciemus.

Item, quòd præscriptiones, seu dispositiones super metis & graniciebus inter Hungariam & Austriam priùs factæ, in suo robore perdurent: de metis verò & graniciebus inter Hungariam & Morauiam, quicquid de consilio eorundem Prælatorum, Baronum, & regni nobilium de iure facere debemus, libenter faciemus.

De hospitibus, & victualium procuratoribus.

Item, quòd in possessionibus, & bonis nobilium & Ecclesiarum, seu quarumcunq; secularium, & ecclesiasticarum personarum, violentas exactiones victualiũ, procurationes hospitalitatũ, & alias quascunq; aggrauationes præter voluntatem inuitantium nõ faciemus, nec fieri permittemus; nec in domibus, & in locis Prælatorum, Baronum, & aliorum quorumcunq; secularium, & ecclesiasticarum personarum, pro tractatibus habendis, & aliis quibuscunq; negotiis disponendis, ipsis inuitis morabimur, aut eos expensis, victualibus, curruum & sarcinarum vecturis, nunciorum & familiarium, & quorumcunq; ad nos pertinentiũ procuratione, vltra eorum spontaneam voluntatem in aliquo grauabimus, sicut abusiuè, & contra voluntatem eorum, ab antiquo tempore retracto fieri erat inchoatum.

De seruitiis exercitualibus Ecclesiasticarum personarum.

Item, Ecclesiæ, & ecclesiasticæ personæ à taxis non diu abusiuè introductis, liberæ & absolutæ relinquantur; seruitia tamen exercitualia more aliàs consueto facere teneantur.

De maritationibus filiarum regiæ Maiestatis.

Item, quòd de maritatione filiarum nostrarum agemus cum consilio Prælatorum, & Baronum, ac nobilium regni nostri Hungarici, nec non cognatorum & proximorum, atq; subditorum regnorum, ac ducatuum nostrorum.

Item, quòd ecclesiastica beneficia vacatura non faciemus, neque permittemus persecutores occupare personas.

Item, quòd habitationem nostram hîc in Hungaria, more aliorum Regum, faciemus, & continuabimus.

Quòd procuratores regij & reginales in sede iudiciaria sedere non poßint.

Item, quòd procuratores Regiæ & Reginalis Maiestatum in sede iudiciaria, vnà cum iudicantibus sedere non possint, sed interim causantes, tempore, quo videlicet causa ipsorum Regiæ & Reginalis Maiestatum agitur, stare debeant: literas etiam per causidicos in ipsa sede exhibentes, per se non conspiciant, nec tractent suis manibus nisi magistri iudicantium.

Quòd Regia & Reginalis Maiestates ratione indebitæ recaptiuationis iurium possessionariorum in æstimatione conuincantur, & de impetratoribus iurium regalium.

Item, in facto possessionum per Regiam vel Reginalem Maiestatem, aut eorum procuratorum à talibus, qui per præsens in dominiis earundem extiterunt, recaptiuandarũ, & iuri regio acquirendarum, quas Regalis seu Reginalis Maiestas iure mediante vigore huiusmodi recaptiuationis, sibi appropriare nõ possent, contra tales, q sic indebitè, & absq; iure impediti, & expẽsis fatigati fuerint, ipsa Maiest. in æstimatione talium possessionũ ad instar aliorũ similia facientiũ regnicolarum, conuincatur. Et similiter si quipiã aliqua iura possessionaria, nomine iuris regij, ꝑ se impetrarent, & eadẽ ipsi iuri regio pertinere, comprobare non valerent, in æstimatione eorundem. Si verò tales impetrantes ante decisionem causę, in facto huiusmodi iurium impetratoris motæ, se de dominio ipsorum iurium, ac de prouentuum eorum perceptione occupatiuè, siue alio quouis modo intromitterent, nec tandem iuridicè sibi appropriare possent: contra partem læsam, seu litigantem, & expensis fatigatam in facto potentiæ, prout ordo iuris requirit, conuincantur.

Quòd Despotus, & Comes Ciliæ, officiolatus Hungaris conferant.

Item, iuxta requisitionem regnicolarum nostrorũ, nos vnà cum eisdem operabimur, quòd Despotus Rasciç, & Comes Ciliç, cæteriq; Magnates, dominia, videlicet

delicet possessiones, castra, fortalitia, ciuitates, oppida, & alia bona, in hoc regno Hungarico habentes, & tenentes; huiusmodi castra, fortalitia, oppida, ciuitates & possessiones, non aduenis & forensibus, sed Hungaris hominibus pro honore dare debeant.

Item, honores & officia nostra illis Hungaris, regnicolis nostris, quibus voluerimus, more ab antiquo consueto, iuxta huius regni nostri Hungarici consuetudinem, conferemus.

Quòd solùm nobiles poßint captiuari, qui in sententia capitali conuincuntur.

ITEM, quòd nullus nobilium regni, pro quibuscunq; factis per quemcunq;, 10 præter talem, contra quem sententia capitalis iuridicè lata fuerit, possit detineri, seu quoquo modo captiuari.

Quòd nobiles decimas soluere non teneantur.

ITEM, nobiles tam Iobagiones habentes, quàm non habentes, decimas dare non teneantur, antiqua eorum libertate requirente.

De proclamata congregatione, qui modus institutus fuit olim tempore quondam Dn. Sigismundi Regis, per Dn. Albertum Regem renouatus.

VERVM quia frequenti querela regnicolarum nostrorum, imò quadam palpabili experientia teste, nostra percepit Celsitudo, quòd nõnullas nouas possessio- 20 num occupationes, & potentiarum actuum illationes, eosdem regnicolas, inferiores videlicet, à potentioribus multipliciter opprimi, & grauari, ideo volentes insolẽtiis, & nouis † anteceptationibus, per media opportuna, viam præcludere: Statuimus, & ordinamus, sicut etiam in decreto maiori antefati quondam domini Sigismundi Imperatoris aliàs Posonij de vnanimi Prælatorum, & Baronum, ac Procerum huius regni nostri nobiliũ consilio, assensuq; & voluntate edito, apertè continetur, quòd quandocunq; & vbicunq; fuerint factę nouę possessionariæ, ac terrarum occupationes, potentiariæ vadiationes, seu rerum & bonorum ablationes, succisiones syluarum, interemptiones, vulnerationes, & verberationes hominum, domorum & possessionum inuasiones, & deprędationes, ac alij similes noui actus 30 potentiarij maiores: extunc læsi, ac damna & iniuriã passi, impetratis literis nostris regalibus querimonialibus, & pręceptoriis, Comites parochiales, & iudices nobilium Comitatus illius, in quo facta huiusmodi patrata extiterint, accedant, & requirant: qui quidem Comites & iudices nobiliũ cum testimonio capituli vel conuentus illi Comitatui deseruire soliti, à vicinis & cõmetaneis, ac nobilibus cõprouincialibus, sub certis pœnis, & huiusmodi literis nostris regalibus declarandis, in sedem eorum iudiciariam, per modum proclamatę cõgregationis, partibus quoq; litem habentibus conuocatis, ad fidem eorum Deo debitam, fidelitatem nobis & sacræ coronæ obseruandam, tactis sanctorum reliquiis pręstitam, super huiusmodi nouis occupationibus possessionariis, & aliis actibus potentionariis, plenam & 40 indilatam requirant veritatem; qua requisita & inuẽta, possessiones occupatas autoritate in hac parte eis attributa, mediante, restituant eisdem à quibus fuerant indebitè occupatæ, ipsosq; dominio in earundẽ protegant, & conseruent. Alia verò bona, & † valida potentia ablata, absq; defectu reddãt & restituant. Super facto autem potentiæ in talibus commissæ partes vtrasq; discussionem, & sententiam finalem recepturi, ad certum terminum, mediantibus eorum, & dicti capituli vel conuentus literis, seriem totius facti exprimentibus, ac propria, & possessionũ factum huiusmodi attestantiũ nomina continentibus, in personalem pręsentiam nostram regiam, aut palatinalem, seu iudicis curiæ trãsmittant: vbi absq; vlterioris termini & litigionarij processus obseruatione, & continuatione, etiam partis non venien- 50 tis absentia non obstante, nos, vel iudex alius, ad quem causa transmissa fuerit, iuramentum capitis decernentes, tandem finalem sententiam proferemus, & † pio fine terminabitur.

Quicunq; autem huiusmodi vicinorum, & cõmetaneorum, ac aliorum nobilium comprouincialiũ attestationes fieri, de damnisq; & ablatis, læsis, & damnificatis satisfactionem impendi nõ permitteret, eisdem omnino resistendo: extunc

Vide decretũ Sigismundi Regis, pag. 49.

† al. attemptationib.

† suprà, & valida potentionaliter ablata.

† al. & proferre tenebitur.

Glossa decreti Sigismũdi contra non permittẽtes

fieri attestationes & satisfactiones. talis in illo termino, ad quem factum, seu causa huiusmodi, per Comitẽ, ac capitulum, seu conuentum rescribetur, in facto potentiæ pronuncietur, seu decernatur eo facto.

Additio alia quòd in proclamata congr. causa nemini prorogetur. Volumus etiam, & præsentibus decernimus, vt talis modi præmissorum executio, seu causa, per modum proclamatæ cõgregationis exinde mota siue verteñ: nec nostris regalibus, seu reginalibus, neq; Prælatorum seu Baronum, quorumcunque etiam confinia regni nostri tenentium literis, nec videlicet ratione exercitualis expeditionis, neq; conseruationis castri possit quoquã prorogari, sed eadem causa in vno termino ad hoc deputato finaliter concludatur.

Quòd quilibet personaliter repertus super nouis actibus potentiariis respondere teneatur. 10

ITEM, quòd quilibet patrator nouorum actuum potentiariorum, qui coram regia Maiestate, aut Palatino, seu iudice curiæ nostræ Regiæ per querulantes personaliter reperietur: in continenti, sine vlla prorogatione, vllaq; cautela inuenta, super omnibus sibi obiiciendis ipsi querulanti debeat respondere: alioquin contra tales, tanquam absentes, ipsa congregatio generalis detur.

De facultate concordandi litigantium.

Libera concordia sup. pag. 49. PARTES tamen litigantium quandocunq; voluerint, absq; requisitione iudicis, & onere solutionis byrzagiorum, liberam concordandi habeant facultatem, 20 quemadmodum antiqua & laudabilis regni nostri consuetudo huiusmodi concordiam, in quibuscunque factis pœnitentialibus, & aliis liberè faciendam dictat & consentit.

Redemptiones autem literarum, & adductiones testimoniorũ capitularium, seu conuentualium, & qualiter, aut quomodo falsæ viæ tributorum custodiantur, in eodem statu, quo in ipso decreto domini Sigismundi Imperatoris & Regis continentur, relinquantur.

Additio cõfectorũ longè post. DE PROCESSIBVS PER EXHIBITIONES LITEralium instrumentorum: *qui modus fuit olim institutus, & obseruatus, vsq; ad annum Domini 1488. quo tempore quondam dominus Matthias Rex, istos longos processus, ad breuiores terminos restrinxit: tamen in causis prius motis adhuc pristinus modus obseruatur.* 30

ITEM, alia facta potentiaria minora, pro quibus videlicet proclamata cõgregatio non datur, in tribus terminis, seu octauis finaliter in iudicio cõcludantur, sic videlicet, quòd duas euocationes præcedentes, trina forensis proclamatio subsequatur. In factis autem, seu requisitionibus quarumcunq; possessionum, finaliter duabus euocationibus, & trineforensi proclamatione procedenti pars aduersa respondere teneatur, tali modo: Quòd si aliqua literalia instrumenta apud se habere asseruerit, tunc semel sine onere, binis autem vicibus, cum oneribus iudiciorum, 40 absque consulentia vlterioris prorogationis, exhibere teneatur: aut si ad primum terminum exhibitionis non venerit, tunc etiam duo termini; & si ad secundũ non venerit, tunc vnus terminus compleatur, causaq; in facto possessionario mota, finem sortiatur effectiuum.

Quid si dixerit instrumenta apud manus alienas existere.

SI verò pars aduersa sua literalia instrumenta apud manus alienas haberi asseruerit, tandem pro requisitione huiusmodi suorum literalium instrumentorum vnus annus assignetur, vt contra aduersarium in facto ipsorum instrumentorum terminus compleatur: sic, quòd elapso ipso anno, in primo termino iuridicè assignato, dicta instrumenta sua exhibeat; vel si exhibere nollet, aut non posset, tunc 50 absq; vlteriori prorogatione ipsa causa similiter finem sortiatur effectiuum.

Quòd si plures fuerint in causam attracti, & quidam ex eis absentes fuerint.

SI verò in accusatione alicuius possessionis, tres, vel quatuor, aut quinq;, siue plures personę, vnius tamen & eiusdẽ generationis, in causam fuerint attracti: tunc in absentia, & nõ venientis vnius, vel duorum aut plurium, aut si ex ipsis vnus, vel

duo aut plures in exercitu, siue in conseruatione confiniorum, seu castri, vel aliis quibuscunq; seruitiis regalibus fuerint constituti, tunc ratione horũ causa in facto talis possessionis mota vllatenus prorogari possit, sed in eadẽ causa cum vno vel pluribus eorundẽ in propriis residentibus, terminus legitimus similiter compleatur.

Quid si omnes in exercitu fuerint.

VBI autem omnes huiusmodi in causam attractos, nullo penitus eorum in propriis remanente, in notabilibus regni, vel regiis seruitiis occupari contigerit: extunc causa ipsa, dempto facto proclamatę congregationis generalis, ad vlteriorem terminum, more aliàs consueto, poterit prorogari.

10 ### *De pœnis inter ecclesiasticos & seculares impositis.*

ITEM, quæcunq; ecclesiastica persona aliquem nobilem in præsentia cuiuscũq; iudicis ordinarij citauerit, vel euocauerit, & si idem nobilis cõtra ipsam personam ecclesiasticam ordine iudiciario in sententia conuictus fuerit, tunc grauamina maiora incurrere non possit idem nobilis, nisi homagiũ suum, scilicet emendã capitis sui preciosi, eo modo sicuti ipsa ecclesiastica persona, & de damnis tam ex parte ecclesiasticarum, quàm secularium personarum, iudex damnum patienti satisfactionem impendere teneatur.

De funeribus hominum interfectorum, quòd Archidiaconi nullam solutionem recipere valeant.

20

ITEM, decreuimus, prout etiam per certos prædecessores nostros Reges decretum fuisse intelleximus, quòd pro funerib. hominum per aliquem vel aliquos interemptorum, Archidiaconi seu Plebani parochiales, prout hucusque de mala consuetudine fuit obseruatum, nullam solutionem pecuniariam recipere valeãt, atque possint.

Nos itaq; huiusmodi petitionibus Prælatorum, Baronum, nobilium ac regnicolarum nostrorũ aures exaudibiles regis cum fauore inclinantes, supradictos articulos, quoad omnes suas cõtinentias, & clausulas, mera nostra autoritate, & potestatis plenitudine, ex certa nostrę Maiestatis sententia, necnon de cõsensu & be-30 neplacito præfatæ dominæ Elizabeth Reginæ, consortis nostræ prædictæ, præsentib. literis nostris inseri fecimus, ipsos Prælatos, Barones, nobiles, & regnicolas nostros, præmissis libertatibus in eisdem articulis superius expressis, perenniter fruituros, & gauisuros cõmitteñ: Adiecimus præterea, ac nostro ac potestate dominæ Reginę consortis nostrę nominibus spondemus: quòd memoratos regnicolas nostros, & totum regnum nostrum, in quibuscunq; eorum necessitatibus nõ deseremus: sed fideliter, & toto posse nostro, pariter cum eisdem ipsum regnum, ac præassertos omnes regnicolas nostros, ab omnib. æmulis defensabimus, ac in cunctis tam præmissis, quàm etiam in aliis singulis bonis, & laudabilibus, ac iustis antiquis consuetudinibus eorum, & regni nostri Hungarici prædicti, inuiolabiliter semper 40 & vbiq; tenebimus, & conseruabimus effectiuè. Quicunq; autem hominum, cuiuscunq; status & conditionis existant, hæc ipsa, quæ in superioribus continentur, quauis scilicet occasione impugnare molirentur: contra omnes, & quoslibet tales, ad eorum proteruiam domandam & compescendam pariter, tum eisdem regnicolis nostris, prout & ipsi omnes vniuersaliter id ipsum se facturos spoponderunt, operabimur, totoq; posse pręsentium literarum nostrarum, quibus secretum sigillum nostrum, quo vt Rex Hungaricus vtimur, est appensum vigore & testimonio mediante. Datum Budæ feria sexta, proxima ante festum sanctæ Trinitatis, Anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo nono.

50 ## LADISLAVS DEI GRATIA HVNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, &c. *Rex, Austriaq; & Stiriæ Dux, nec non Marchio Morauiæ. 1 4 5 4.*

FIDELIBVS nostris vniuersis, Prælatis, Baronibus, Nobilibus, & alterius

cuiuſuis ſtatus & conditionis hominib. poſſeſſionatis, in Comitatu Peſthienſi conſtitutis, & exiſtentibus, ſalutem, & gratiam. Crebrarum ac dudū inualeſcentium nouitatum nobilium hominum fide dignorum huius regni noſtri Hungariæ pericula formidātium patefactione edocti ſumus luculenter: quomodo perfidiſſimus Imperator Turcarum potentiſſima paganorum coadiuuatione ſolito multiplicata in finale exterminium firma intentione machinatur, hoc regnum noſtrū Hungariæ ſubintrare. Proinde nos vigili aduertentia in animo reuoluentes, ne velut olim hoc regnum noſtrum Hungariæ ex Tartarorum inuaſione improuiſa, inaduertentia regnicolarum, in flebilem ruinam fuerat poſitum, & in præſentiarum ineuitabili curſu dicti Imperatoris Turcorum, & campeſtri cum conflictu indiſpoſiti (quod Deus auertat) nos cōtingat periclitari, & totius huius regni machina, ſacra religione Chriſtiana imbuta, penitus diruatur, quemadmodum etiam in proximis diebus euolutis exemplari intuitu ciuitati Cōſtantinopolitanæ per eundem Imperatorem Turcorū illatum fore iam experti ſumus manifeſtè. Ea propter prędicti fideles noſtri Prælati, Barones, nobiles & proceres dicti regni noſtri Hungariæ, vnà cum certis electis nobilibus hominibus ſingulorum Comitatuū eiuſdem regni noſtri, quibus per alias literas noſtras nuper ſuper inde dederamus in mandatis, in hac ciuitate noſtra vndecim his diebus congregati, ſuper eo qualiter huiuſmodi ipſius Imperatoris Turcorum inuaſio reſtollanda valeret tutius euitare vniformem habentes tractatum & deliberationem, nos cum eiſdem validam expeditionem exercitualem, ad natalem patriam noſtram, Altiſſimo propitio, defendendam aduerſus paganorum inſultus, decreuimus inſtaurandum, præſentibus literis noſtris, ſub certorum articulorum incluſionibus ſubnotandis veſtris fidelitatibus notificandum, videlicet, quòd primum ſpectabilem & magnificum Ioannem de Hunijad, perpetuū Comitem Biſtricienſem, infra præſentis integri reuolutionem anni, capitaneum generalem inſtituimus huius exercitus noſtri inſtaurandi.

Item, domini Archiepiſcopi, Præpoſiti, Epiſcopi & Capitula, ac Abbates, & alij dignitates & honores Eccleſiaſticos maiores tenentes, quemadmodum tempore quondam domini Sigiſmundi Imperatoris & Regis, aui noſtri, conſueti fuerunt, cum ipſorum Banderiis, ac numero lancearum exercituare teneantur: ita videlicet, quòd quantumcunq; eccleſiarum, ſeu perſonarum eccleſiaſticarum prouētus per inimicos extitiſſent minorati, iuxta limitationem electorum hominum prædictorum, etiam huiuſmodi exercituatio earūdem eccleſiarum, ſeu perſonarū eccleſiaſticarum, cum tanto defectu minoretur: quòd etiam aliæ perſonæ eccleſiaſticæ, dignitates & honores eccleſiaſticos minores tenentes, quorum nomina in regiſtro noſtro exercituationis ſcripta non exiſtunt, ſecundum conſcientiam limitationum electorum hominū prædictorum, iuxta quantitatem prouentuum earundem perſonarum eccleſiaſticarum, exercere teneantur.

Item, in quibuſlibet Comitatib. tot probi & fide digni homines potiores per communitatem nobilium eorundem Comitatuum eligātur, quot in eiſdem Comitatibus inde nobilium habentur, qui vnà cum eiſdem iudicibus nobilium Comitatus, in quo connumeratio fieri debebit, præſtitis iuramentis per eoſdem, connumeratiſq; portibus Iobagionibus, ad rationem & numerum lucri Cameræ faciendum, de centum portis Iobagionalibus, tam eccleſiaſticarū, quàm ſecularium perſonarū, quatuor equites pharetratij, & duo pedites ſimiliter pharetras, ac clypeos, & cuſpides habentes, ad exercituandum hac vice tantùm, & vſq; ad metas & terminos regni noſtri Hungarici, & non vlterius diſponant, ac in quolibet Comitatu, per eandem vniuerſitatem nobilium, è medio ipſorum vnus idoneus conductor belli illius Comitatus eligatur, qui cum eiſdem hominibus exercituantium cōnumeratus penes Capitaneum exercitus tempore debito accedere teneantur. Vniuerſi etiam nobiles regni noſtri Iobagiones non habentes, per ſingula capita, aut cum dominis ipſorum, iuxta limitationem dictorum electorum hominum, teneantur exercituare. Et qui equeſter, vel pedeſter proficiſci debeant, vel qui propter paupertatem, ſenium, vel infirmitatē exercituare nō poſſint, iidem electi homines diſcernant & diſponant. Pro perſonis verò filiorum Magnatum paruulorū,

homines

homines armati,pro aliis verò pueris & orphanis,iuxta eorum facultatem,consimiliter homines exercituantes transmittantur. Vniuersi autem Magnates,Barones, milites, nobiles & proceres dicti regni nostri,maiores scilicet & minores,ab inuicem diuisi,per singula capita propria hac vice exercituare teneantur.In castris ex pluribus castellanis sufficiat vnum remanere,cum tot personis,quot pro conseruatione talis castri sufficientes fore iudicauerint electi homines deputati; alij personaliter debebunt exercituare.

Item,in domibus notabilium nobilium,vnus nobilis pro prouisore Curię possit remanere,ita tamen, quòd quicunq; modo præmisso remanserunt,teneantur
10 homines suos exercituantes connumeratos transmittere. ex nobilibus verò, & aliis minoribus, filios, aut fratres indiuisos habentes,sufficiat vnum ad exercitum proficisci,antiqua consuetudine obseruata.

Item,quòd Iobagiones exercituantes nobilium in pluribus Comitatibus possessiones habentes, electi homines connumeratores talium Comitatuum erga & penes dominos ipsorum in illum Comitatum,vbi tales domini eorum residētiam fecerint,personalem transmittant;qui quidem nobiles,seu domini,cum talib. hominibus eorum exercituare si voluerint,sub Banderio dominorum ipsorum accedant,& proficiscantur.qui etiam rationem de numero,& personis talium suorum exercituantium,generali Capitaneo dare,& de eisdem respondere tenebuntur.

20 Item,quilibet exercituans,tam maior,quàm minor, teneatur in propriis expēsis tam in eundo,stando,& redeundo, proficisci,nullusq; audeat aliquas res,vel victualia,absq; competenti solutione,recipere. Si qui autem violēter in aliquibus locis aliquas res, vel victualia receperint,ductor exercitus talis Comitatus ex parte damnificantis teneatur impendere satisfactionem indilatam. Et si ipse damnificans,vnde satisfaceret,non haberet,caput eiusdem in magnis damnificato debeat assignare pro ductore belli Comitatus prænotati.Quòd si talis ductor belli facere non posset propter personæ talis damnificantis maioritatem,auiset superinde Capitaneum generalem, qui teneatur damnificato satisfacere. alioquin damnum passus,valeat damna sua, iure mediante, acquirere,secundum contenta decreti
30 dominorum Prælatorum & Baronum.

Item,omnes liberæ ciuitates,tam nostrę regales,& reginales,quàm dominorum Despoti & Comitis Ciliæ,aut aliorum Magnatum,nec non totum regnū nostrum Sclauoniæ,de quibus lucrum Camerę nostræ solui non consueuissent,modo præmisso, connumerari debeant, & similiter Philistæi, Comanij, Wolaij, & Tartarij connumerati debeant exercituare.

Item,omnes celebrationes octauarum,& iudiciorū,tam ecclesiastici,q̄ seculares,vsq; descensum exercitus nostri,in proximo cōsurgente cessare debeāt. Post descensum verò pręsentis exercitus,aut si huiusmodi exercitus leuari nō debuerit, oēs octauę,signāter festi beati Georgij immediatè sequentis vsq; finē celebrentur.

40 Quodq; Iobagiones quorumcunq; vsque ad festum [illegible] Martini proximè affuturi,nullo modo hinc inde deducantur,morentur.

Disposuimus insuper,quòd quicunque tam Prælatorum, ac Baronum, virorumq; Ecclesiasticorum, & Magnatum, nec non nobilium,& possessionatorum hominum,prædictam dispositionem & ordinationem in toto vel in parte obseruare vel implere nollet,aut non curaret. Extunc tales dicti electi connumeratores in eo mox admonere debeant,vt per defectum huiusmodi non perfectionis,dispositionis,& ordinationis prædictorum,pro quolibet equite,sedecim florenos auri,& pro quolibet pedite,10.flor.auri,vsq; quintumdecimum diem,à die admonitionis eorundem computādo,dicto capitaneo nostro generali dare & soluere debeant,
50 & teneantur.qui si non soluerint,extunc ductor exercitus talis Comitatus,vnà cū electis hominibus,& iudicibus nobilium ipsius Comitatus,vbi talismodi dispositiones infringentur,seu nō proficiscentur,illas possessiones possessionarias,de quibus ipsæ dispositiones profecto non fecerint,occupare,occupatasq; tam diu,donec per hos,quorum redemptionem eędem magis competunt,dictorum summa & quantitate florenorum redimantur,conseruare valeant,atque possint.

Quodq; præmissa dispositio exercitualis ad aliquam pecuniariam solutionem nullatenus, & per nullum modum, per quempiam conuertatur: quòd si per aliquem factum fuerit, pœnam sententiæ capitalis incurrat ipso facto.

Item, exercituantes illi, q̃ scilicet de exercitu furtiuè recedunt, si nobiles fuerint, possessiones ipsorum amittant: si verò ignobiles, pœnę capitali subiaceant: & similiter illi, qui à dominis illorũ dispositionem habuerunt, vel pecuniam eorũ leuauerunt, eum eisdemq; proficisci noluerunt, eandem sustineãt capitalem pœnam.

Præterea, quia præmissam dispositionem exercitualem contra antiquã consuetudinem & libertatem tam Ecclesiasticarum personarũ, quàm etiam aliorum regnicolarum nostrorum, maiorum & minorũ, propter præsentis validissimi belli apparatus, dicti Imperatoris Turcorum in huius regni inuasionem (quod Deus auertat) faciendum pro eiusdem regni notabilis scilicet filij regij, & patriæ paternæ defensione & conseruatione in præsentiarũ leuare oportuit, & promulgare; Ideo nos, & ipsi Prælati, Barones, cæteriq; nobiles & proceres dicti regni nostri spondemus, & fide nostra Christiana præstita, etiam cum nostri, & ipsorum Prælatorũ, & Baronum sigillorum impressionis roboratione ꝓmittimus, & pollicemur: quòd à modo & deinceps nullo vnquam tempore, talem inconsuetam exercituationem promulgabimus, & faciemus, neq; ipsi facient, & ꝓmulgabunt, sed tam nos, quàm ipsi Prȩlati, Barones & proceres regni nostri, penes dictam antiquam consuetudinem exercituationis semper permanebimus, & ipsi permanebunt.

Item, pro compescendis quarumcunq; nociturnitatum generibus, disposuimus, vt Prælati, electi homines in singulis Comitatibus, vnà cum iudicibus nobilium, omnibus querulantibus teneantur super quibuscunq; factis potentiariis, & etiam possessionum occupationibus ex parte in causam attractorum, habita prius superinde diligẽti inquisitione, compertaq; sufficienti rei veritate, absq; dilatione, & terminorum prorogatione, iudicium & iustitiam querulantibus teneantur exhibere: Comesq; parochialis ius huiusmodi iudiciorum modo præmisso faciendũ teneatur satisfactionem indilatam & plenariam ex parte huiusmodi in causam attractorum læsis ministrare. Quòd si ipse Comes parochialis ex quacunq; causa facere nollet, extũc talis Comes parochialis honore suo priuetur, causaq; huiusmodi, modo prætacto, adiudicata in curiam nostrã regiam, per eosdem iudices, transmittatur: vbi in primis octauis celebrandis, sine conclusione absq; vlla prorogatione vlteriori terminetur, vbi ipse Comes, vel vicecomes præmissa patran * in eo vt ipsi in prima die sedis iudiciarię super talis modi nouis actibus potentiariis, damnis atq; iniuriis, lęsis & damnificatis omnimodam impendere debeant satisfactionem admoneãt. qui si id facere recusauerint, tunc ipsi electi & iudices nobilium seriem huiusmodi non satisfactorum, in literis eorum conscribi facere, & ad primas octauas tunc celebrandas transmittere, iudex ordinarius octauis in eisdem contra tales Comites & vicecomites literas sententiales læsis & damnificatis dare, & eandẽ executionem debeant, & teneantur.

Quocirca fidelitati vestræ præcipimus, & mandamus, quatenus mox, postq̃ prætacti homines electi dicti Comitatus Pestiensis, hîc Budæ in præsentiarũ constituti, hinc vestri in medium cum præsentibus reuertentur, & peruenerint, ad locũ sedis vestræ iudiciariæ vniuersaliter congregati, iuxta cõtenta præsentiũ dispositionum nostrarũ, vnà cum dictis Prælatis, & Baronib. & electis hominibus, per vos deputatis, cęterisq; nobilib. & proceribus dicti regni nostri in superiorib. articulatim conscriptarũ, vos cum celeritate more exercituantiũ, tam expeditè disponatis & appromptuetis, vt dum, & q̃ primùm annotatus Comes Ioan. generalis Capitaneus exercitus nostri p̃nominati vobis scripserit: in continenti cum apparatu exercituali fulciti præuio ductore, belli ipsius Comitatus, vnde modo p̃tacto, vnum de medio eligendo, ad loca, q̃ idem Capitaneus noster generalis duxerit notificãda, ad resistendũ prędictorũ inimicorum nostrorũ insultibus proficisci valeatis: aliud sub pœnis prædictis, & nostræ indignationis, facere nõ ausuri in præmissis. Datum Budæ in festo conuersionis beati Pauli Apostoli, Anno Domini 1454.

Ad relationem dominorum Prælatorum & Baronum confirmata.

MATTHIÆ

MATTHIÆ REGIS HVNGARIÆ CONFIRMATIO SANCTIONIS REGIS ANDREÆ *tempore coronationis, anno Domini 1 4 6 4.*

MATTHIAS Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramiæ, Seruiæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæq; Rex, vniuersis Christi fidelibus, præsentibus pariter, & futuris præsentium noticiam habituris, salutem in omniũ saluatore. Cùm laudabilis, felixq; sit respublica illa, in qua bene institutæ leges dominantur: decet igitur Reges & Principes, in quorum manib. populorum vrbiumq; 10 ius est, non modò armis populum sibi creditum fortiter tueri, sed etiam in iuribus libertatis, & constitutionibus vtilibus conseruare. Proinde ad vniuersorum noticiam, harum serie, volumus peruenire, q; Prælati, & Barones regni nostri, ac nobiles proceres, qui ad concludendum in negotiis regni nostri, in congregatione generali, quam his diebus ꝓ felici coronatione nostra in Alba regali celebrauimus, deputati fuerant, accedendo nostrum regium in conspectum, necessitatibus illis, quibus hoc regnum nostrũ & nunc vrgeretur, per omnia declaratis: Exhibuerunt nobis quædam priuilegia, quõdam excellentissimorum Principum, dominorum, Lodouici Regis Hungariæ, ac Sigismundi Imperatoris Romanorum, & similiter Regis Hungariæ, &c. prædecessorum nostrorũ felicium recordationum, decreta 20 & instituta eorundem & dicti regni nostri continentia, ac insuper quosdam articulos, quos ipsi Prælati, Barones, & nobiles nostri regni in prædicta congregatione pro communi vtilitate & pace denuo fecissent: Supplicantes vnanimiter maiestati nostrę, vt eadem & eosdem acceptare, & approbare, ac de verbo ad verbũ transsumi facere, & similiter cum libertatibus & institutionibus in eisdem conscriptis, & etiam similiter cum decreto quondam potentissimi domini Andreæ Regis, per ipsum dominum Lodouicum in huiusmodi suo priuilegio confirmato, autoritate nostra regia innouando, pro vtilitate regni nostri perpetuò duratura & valitura stabilire & confirmare, & confirmata obseruare dignaremur: quorũ quidem priuilegiorum, vnius scilicet, dicti domini Lodouici Regis, tenor talis est.

30

DECRETVM QVONDAM LODOVICI I. REGIS EDITVM ANNO DOMINI *1 3 5 1. Obiit 1 3 8 2.*

LODOVICVS Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramiæ, Seruiæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæq; Rex, Princeps Salernitanus, & montis sancti Angeli Dominus: omnibus Christi fidelibus, præsentibus pariter, & futuris, præsentium noticiam habituris, Salutem in eo, qui Regibus dat salutem, ac feliciter regnare, victoriosè triumphare. Thronus & potẽtia regalis dignitatis tunc di-40 noscitur roborari, cùm subditorũ quieti & tranquillitati prouida suspectione prouidetur, ipsisq; digno remunerationis brauio in libertatibus largiendo, imò etiam per alios Reges pia consideratione institutis, † cum fouendis testimonio confirmationibus liberaliter respondetur. Nam tum obseruantia fidei suæ, trahens originem debitã rationis & naturæ legibus, stabilis perseuerat, cum beneuolentia Principis in suos ostensa regnicolas, sic semper coalescit in subditos, vt nisi vitæ suffocetur igniculus, in corpore vigor fidei non lentescit. Ea propter ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quòd Baronum, nec non procerum & nobilium regni nostri cœtus, & vniuersitatis identitas, nostrum regiũ conspectum adeundo, fidelitatibus suis, & fidelium seruitiorum præclaris meritis, in cunctis no-50 stris & regni nostri negotiis, prosperis & aduersis, cum summo fidelitatis studio, & votiua diligentia nostræ Maiestati exhibitis, & impensè declaratis, & nostram in memoriam reuocatis; exhibuerunt nobis quasdam literas priuilegiales Illustrissimi Principis domini Andreæ tertij Belæ Regis filij, olim inclyti Regis Hungariæ, aui, & prædecessoris nostri, piæ recordationis, aurea bulla roboratas, libertatesq; ipsorum per sanctissimum Stephanum Hungaricæ gentis Regem & Apostolum,

† *al. compo-nendis, nec non confir-mando, lib.*

vt prædictæ literæ declarabant, ipsis institutas, innouandas & confirmandas tenoris subsequentis; supplicantes vnanimiter, & conformiter nostræ humiliter Maiestati, vt ipsas acceptantes, ratificantes & approbantes, præsentibus de verbo ad verbum transsumi facientes, similiter cum omnibus libertatibus eorundem in eisdem expressis, excepto solummodo vno articulo in subsequenti declarãdo, confirmare, & easdem libertates in dictis literis expressas, ex regiæ benignitatis clementia, autoritate Regia innouando, ipsos in eisdem perenniter fruituros, & gauisuros, literis nostris priuilegialibus mediantibus stabilire dignaremur. Quarum tenor suprà in Andrea Rege, pag. 35.

10

SEQVITVR DECRETVM QVONDAM MICHAELIS ZYLAGII DE HOROGZEG *olim gubernatoris regni Hungariæ, editum 1 4 5 8.*

Nos Michael Zylagij de Horogzeg, nomine & in persona serenissimi Principis & Domini, domini Matthiæ Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. electi Regis, gubernator in eisdem regnis cõstitutus, Memores commendamus præsentibus, quòd nobis vnà cum dominis Prælatis, Baronibus, nobilibus & proceribus regni Hungariæ vniuersis, circa festum Circumcisionis Domini proximè præteritum in hanc ciuitatem nostrã Pesthiensem cõuenientibus & proficiscentibus, 20 ordinationibus, quæ pro conseruanda pace, & statu, vtilitateq; & commodo prætactorum regnorum, & partium eis subiectarum, opportunæ & perutiles videbantur tractandæ, relictis sopitisq; & sedatis omnibus & singulis gwerris, & discessionibus in alterutrum præuiis rationibus exortis & suscitatis, inter alia quæ hincinde cõcorditer expedita sunt, præfati domini Prælati, Barones, nobiles & proceres vniuersi exhibuerunt nobis concorditer & præsentarunt articulos infrascriptos, petentes & desiderantes, vt eos & in eisdem contenta, rata habere, admittere, ac per nos ac præfatum dominũ nostrum Matthiam electum Regem conseruaturos permittere dignaremur: quorum quidem articulorum tenor sequitur in hæc verba.

Quòd bona tam Ecclesiastica quàm secularia à tribus annis anteactis occupata vsq; ad quindecim dies sub pœna facti potentialis remittantur. 30

ITEM primò, q̃ omnes Ecclesiæ occupatæ & possessiones & bona earundem, ac Prælatorũ & Baronum & nobiliũ possessiones & portiones possessionariæ similiter occupatæ, tempore scilicet quo nõ fuerunt octauæ iudicialiter celebratæ, hoc est, à tribus annis, vel citra, remittantur, vsq; ad quindecim dies: ita quòd occupatio talis probetur per attestationes vicinorum & commetaneorũ, ac nobilium prouincialium, prout consuetum est in proclamata congregatione. Et si occupata remittere noluerint, extunc sine vlteriori processu conuincantur in facto potentiæ, & dominus gubernator possit occupari facere possessiones, & talis bona conuicti, & propriam personam eiusdem captiuare. 40

Quòd Regia Maiestas de suis prouentibus exercituare teneatur, alioquin etiam Banderati, & demum Nobilesq; insurgant.

ITEM, quòd dominus Rex contra omnes & quoslibet Inimicos & huius regni deuastatores hoc regnũ Hungariæ de prouentibus suis regalibus protegere & defensare teneatur: ita videlicet, quòd si idem dominus Rex insultibus ipsorum inimicorum huius regni cum ipsis prouentibus protegere non posset, seu non valeret, extunc Prælati & Barones, cæteriq; viri Ecclesiastici huius regni, Banderia sua gentes ipsorũ, iuxta limitationes diuorum Regum huius regni in hac parte factas, leuare & insurgere debeant & teneantur. Si autem cum eisdem etiam ipsis inimicis resistere non possent, extunc vniuersi nobiles, & alterius cuiusuis status possessionarij homines, exercituantium more, prout aliorum Regum Hungaricorum temporibus fuit, procedere & permanere teneantur. 50

Item, quòd de omnibus illationibus damnorum & iniuriarum, & aliorum malorũ generibus, à festo beatæ Katharinæ virginis in anno Domini millesimo quadringen-

dringentesimo quinquagesimo sexto præterito, vsq; hæc tempora, per quoscunq; patratorum & commissorum, iuxta ordinationem & conclusionem Prælatorum, & Baronum ac regnicolarum huius regni Hungariæ pridem in generali congregatione hic Budæ facta, in Comitatu quolibet iudicium & iustitia celebrari teneatur; hoc esset contra libertatem Regiam, & Palatinale officium. Igitur idipsum permaneat in antiqua consuetudine.

Quòd quatuor octauæ singulis annis celebrentur.

ITEM, quòd ipsæ quatuor octauæ singulis annis celebrari teneantur, & nunquam pro aliqua ardua causa dimittantur, excepto, quando erit generalis exerci-10 tus, & nulla alia causa prorogetur.

Quòd nunquam aliqua taxa petatur.

ITEM, quòd nunquam dominus noster Rex, & neq; dominus Michael Zylagij gubernator huius regni, pro quacunq; causa, seu negotiis quibusuis arduissimis, aliquam taxam, seu solutionem pecuniariam, per Iobagiones regnicolarum, seu alios nobiles petere valeat atque possit.

Quòd vniuersa fortalitia ad monitionem nobilium infra quindecim dies diruantur sub nota infidelitatis; nec retineri valeat nisi cum literis capituli, vel conuentus, ac iudicis nobilium.

20 ITEM, quòd vniuersa fortalitia seu castella per quoscunque in quibusuis Comitatibus erecta & constructa, ex quibus spolia & deprædationes committuntur, diruantur, exceptis quæ ad vtilitatem ipsius Comitatus sunt, remaneant: ita quòd si aliqui moniti per nobiles illius Comitatus in sede iudiciaria infra quindecim dies non diruerent, extunc tales notam infidelitatis incurrant eo facto, & dominus Rex vel gubernator, tales vt infideles punire valeat: Et quodcunq; fortalitium in aliquo Comitatu remanere debebit, extunc tale fortalitium vigore & testimonio literarum capituli vel cõuentus ac iudicis nobilium illius Comitatus, in quo tale fortalitium esset erectum, remanere valeat.

30 *Quòd dignitates ecclesiasticæ, ac officiolatus, & perpetuitates extraneis non conferantur.*

ITEM, ꝙ ipse dominus Rex neq; dignitates ecclesiasticas, neq; alios honores officiolatus, vel perpetuitates hominibus extraneis dare & conferre valeat.

Quòd bona extraneis collata recuperentur.

ITEM, de castris & aliis bonis extraneis hominibus donatis Rex faciat recuperandi diligentiam.

Quales casus ecclesiastici possint iudicare.

ITEM, quòd iudices ecclesiastici, neq; Archiepiscopi, vel eorum vicarij iudicare valeant, nisi dotes & res parafernales, iura quartalitia, factum decimarum, ef-40 fusiones sanguinum, & verberationes ecclesiasticorum & mulierum, nec non testamenta, & matrimoniales causas, ac de periurio, prout in canonib. expressum est.

Quòd sacerdotes, scholares, & nobiles thelonia & decimas non soluant.

ITEM, ꝙ nullus omnino hominũ de sacerdotibus, scholaribus, nobilibus, neq; thelonia, neq; decimas, prout vetus regni requirit consuetudo, exigere debeat.

Item, ꝙ neq; ipse dominus noster Rex, & neq; ipse dominus Michael gubernator ex parte omniũ, & quorumlibet fratrum, & familiarium ipsorum, omnibus querulantibus absque omni fauore debitam iustitiam, ac commodam satisfactionem impendere teneantur, & nec per aliquos fratres, vel familiares ipsorum aliqui 50 regnicolæ huius regni quouis modo opprimantur.

Quòd nouæ pecuniæ cudantur, & nunquam mutentur.

ITEM, quòd pecuniæ nouæ cudantur, quorum ducenti pro floreno, & obuli eorundem quadringenti habeantur, & nunquam mutentur.

Quòd singulis annis ad festum Pentecostes fiat diæta in Pesth.

ITEM, quòd vniuersi regnicolæ & homines possessionati singulis annis ad

festum Pentecostes ad oppidum Pesthiense per singula capita congregari teneantur. Et si qui rationabiliter se excusare non poterunt, talium possessiones per dominum gubernatorem, vel dominum Regem occupentur.

Quòd vniuersæ ciuitates & castra regalia ad manus domini gubernatoris tradantur.

ITEM, quòd vniuersæ ciuitates muratæ, ac castra regalia, ad manus præfati domini Michaelis gubernatoris, & statim, resignentur.

Quòd omnes Iobagiones liberè dimittantur, sub pœna occupationis bonorum, & solutionis duodecim marcarum.

ITEM, quòd vniuersi possessionati homines de eorum possessionibus ad possessiones aliorum, obtenta licentia, iustoq; terragio deposito, & aliis solitis debitis persolutis, iuxta antiquam consuetudinem huius regni, absque omni litigionario processu, pacificè & tutè, secureq; permittere debeant. Si autem aliqui permittere nollent, extunc Comites, vel vicecomites, & iudices nobilium illius Comitatus, huiusmodi Iobagionem cum sex marcis eliberare teneantur, prout antiqua consuetudo requirit. Si autem aliqui hominum Comitatibus obedire noluerint, tunc Regia Maiestas, vel eius gubernator possessiones talium occupet, & tam diu tenere valeat, donec huiusmodi Iobagio cum duodecim marcis eliberabitur.

Nos itaque petitionibus dictorum dominorum Prælatorum, Baronum, Nobilium & Procerum regni vniuersorum iuri consonis inclinati articulos descriptos, & singulatim eorum inuiolabiliter obseruare, complere, & exequi per nos, vel per præfatum dominum Matthiam Regem electum promittimus, & volumus cum effectu. In quorum omnium præmissorum testimonium præsentes literas nostras eidem vniuersitati dominorum Prælatorum, Baronum, & Nobilium regni Hungariæ prędicti duximus concedendas. Datum in Pesth, vigesima quarta die congregationis suprà dictæ, Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo octauo.

Nota quòd sequens articulus videbatur scriptus eadem manu cum præcedentibus articulis à tergo literarum. qui quidem articulus mihi modicam præstaret fidem, nisi eum in iudiciis solummodo conspexissem obseruari.

ITEM ad hoc, quòd literæ præceptoriæ, proclamatæ congregationis generalis vires integras habeant iuramentum ad caput deponendi, conclusum est, vt ad minus sex commetanei, totidem vicini, ac duodecim nobiles comprouinciales attestari habeantur. Vbi autem defectus pluralitatis commetaneorum fuerit, suppleant defectus tales per vicinos tantundem numeri.

ARTICVLI IOANNIS CORVINI WAYVODÆ IN CIVITATE PESTHIENSI, PER *Prælatos & Barones in congregatione generali editi, Anno 1445.*

I.

Quòd eligent, & deputabunt vnum gubernatorem.

II.

Quòd vniuersi domini Prælati, & Barones, & quiuis alij castra, castella, fortalitia, ciuitates, oppida, possessiones, & quæque iura possessionaria, nec non Episcopatus, Abbatias, Præposituras, decimasq;, ac quæuis beneficia, & iura ecclesiastica per ipsos hîc gwerrarum temporibus occupata, & vsurpata, remittent & resignabunt. Ciuitates etiam, quas hactenus Capitanei tenuissent, pristino earũ statui, dispositioni, custodiæq;, ac conseruationi propriæ remittent, ipsiq; Capitanei excipient manus, gentes, ac familiariorum eorum: quiq; etiam ex huiusmodi occupatoribus ac Capitaneis in hac conuentione præsentes forent, interim non recedãt

ad eadem

ad eadem, donec huiusmodi remissionem & resignationem efficient suo modo. Quodq; vniuersa castra, castella, fortalitia his disturbiorum temporib. erecta, durante præsente congregatione, diruantur & deleantur, his demptis, quæ in confinibus regni, pro defensione sunt erecta: qui scilicet hîc præsentes forent, non recedent, donec eadem deponere facient, & delere.

III.

Quòd omnes domini Barones honores, & officiolatus eorum, quos habent, in præsenti cõuentione deponant, manibusq;, & dispositioni, ac distributioni aliorum dominorum Prælatorum, Baronum, & regnicolarum, liberè, & sine contra-10 dictione committent, & assignabunt.

IIII.

Quòd alia vniuersa, quæ in hac conuentione pro pace, vtilitate, & commodo regni statuentur, concludentur, ac disponentur, firmiter obseruabunt, in eisdem persistent, ac eis obedient, & parebunt.

V.

Quòd omnes contractus, confœderationes, & vincula inter quoscunq; Prælatos, Barones & regnicolas, in alterutrũ, & mutuo, fide mediante, vel alia re, qualitercunque facta, & ordinata, quę scilicet vtilitatem regni & reipub. impedirent, cassæ, annullatę, & inanes habeantur. Et q. ipsi domini Prælati & Barones in omni-20 bus pro vtilitate regni & reipublicæ regnicolis assistent, ac contra omnes statuta & ordinationes regni infringentes insurgent, toto eorum posse.

ARTICVLI PRONVNCIATI TVNC DE OFFICIO PALATINI, QVANDO SPECTABILIS *& magnificus dominus Emericus de Zapolya, Comes perpetuus Scepusiensis, per serenißimum Principem, Dn. Matthiam Regem, ex consensu regnicolarum fuit electus in Palatinum.*

QVONIAM præsens diæta, siue congregatio regnicolarum, pro eligendo & 30 sufficiendo nouo Palatino instituta est, eam ob rem, qualis eligi debeat, & quæ ad eius officiũ ex antiqua ordinatione pertineant, præterea quo tempore ex suscepto officio exercere & peragere debet, ante omnia diligenter consideranda, & annotanda sunt: vt his cognitis, saniori maturioriq; consilio electio ipsa tractari, & talis eligi possit, qui necessarias in se conditiones habeat, & onus sibi iniunctum pro regni honore, commodo, statu, tranquillitate & conseruatione, prudentia, consilio, & autoritate sua supportare, atque regni habenas, necessitatis tempore, moderari, & eius defensioni prospicere sciat, & valeat.

In primis, quòd maiorum ordinatione sancitum & constitutum est, quòd si quando regium semen deficere contigerit, & de electione noui Regis tractaretur, 40 in ipsa electione Palatinus ex officij dignitate, primã vocem semper habere debet.

Secundò, si quispiam Regum hæredem in tenera ætate constitutum reliquerit; Palatinus ex officio tenetur, & debet illum, tanquam tutor, in regnis & dominiis paternis cõseruare, & fideliter defendere. Cui quidem Palatino interim, quo hęres ipse in adultã peruenerit ętatem, vniuersi illius subditi & regnicolæ, perinde ac vero domino & Regi, semper obedire, & in omnib. rebus obtẽperare teneãtur.

Tertiò, si regium semen deficere cõtigerit, infra id tempus, quoad nouus Rex eligeretur, aut etiam, si, vt præfertur, hæres in tenera ætate relinquatur, Palatinus eius tutor habet semper ex officio pro rebus, & necessitate regni, & etiam illius hęredis facere, & indicare diætas quascunque opportunas duxerit; cui, vt præfertur, 50 regnicolæ semper parere, & morem gerere debent, & teneantur.

Quartò, si quando vrgeret regni necessitas, & opus esset, vt pro eius necessitate, & necessaria defensione regnicolæ insurgerent, Palatinus ex suscepto officio debet esse generalis & supremus Capitaneus regni & regnicolarum, & illos gubernare, iuxta tamen voluntatem & arbitrium Regiæ Celsitudinis.

Quintò, quòd si quæ differentiæ, siue seditiones, aut aliæ controuersiæ inter

regnicolas fore contingerent, Palatinus autoritate officij prouidere, illasq́; sedare, & complanare, atque nocentes iuxta demerita punire, necnon commissa emendare & rectificare debet, dignitate tamen & autoritate regia salua semper temanente.

Sextò, quòd si quando differentia siue discordia aliquando inter Regem & regnum oriri fortè contingeret, Palatinus ex officio debet esse mediator, & se interponere, atque illos, adhibita omni diligentia, cura, studio, & solicitudine, fideliter componere.

Septimò, si quando contingeret regem tam simplicem, aut negligentem esse, ad audiendum oratores, vel etiam ad respõdendum: illis Palatinus ex officio prouidere, & illius defectum supplere debet & teneatur. 10

Octauò, si bona aliqua donantur per Regiam Maiestatem, & contradictores apparuerint, causabunturq́; iniustè per suam Maiestatem fuisse donata: debent Palatino conqueri, & ille ad aures regias huiusmodi querelas quàm primùm referre tenetur. Si verò Rex abesset, nihilominus accepta querela, tenetur ille quàm primùm significare, & similiter rogatum facere, quo Maiestas sua præfigat terminum, & locum, vbi & quando ipsa querela videatur, discutiatur, & diffiniatur.

Nonò, Palatinus ex officio habet, quemlibet regnicolarum sine prætextu iurium possessionariorum, siue actuum potentionariorum, ad iustitiam querulantium in ius euocare, & hac in re adeò amplam potestatem, iurisdictionem & autoritatem habet, vt dempta regia dignitate, nullus omnino iustitiariorum ampliorem, sed neq; parem habeat. Alij quippe iudices regni, in causis duntaxat actuum potentiariorum, & non iurium possessionariorum decernere, & sententias ferre habent. Cęterùm, si qui iure coram Palatino in Byrsagiis, aut aliis iudiciorum oneribus, conuincantur, illis eiuscemodi onera Regia Celsitudo non tam ordinata, quàm sed absoluta potentia, & autoritate relaxare quidem potest, non tamen debet hic; quia Palatinus de Byrsagiis ipsis pro suo arbitrio semper disponere potest, aliis autem, qui coram cæteris iudicibus conuincuntur, Regia sublimitas liberè & directè de ordinata sua potentia, onera ipsa relaxare semper potest. 20

Decimò, quòd Regiam Maiestatem siue in exercitu, siue aliter extra regnum agere si contingat: Palatinus ex officio debet in regno semper esse locumtenens, & cum aliquibus penes ipsum deputandis, quorum tamen ipse caput & superior esse debet, omnia facere, & exercere, quæ Rex ipse posset & deberet, potest, demptis tamen gratiis, & donationibus iurium, ad coronam deuolutorum, præterea aliis illis quæ directè ad Regiam dignitatem ex antiqua ordinatione pertinuerunt semper. 30

Vndecimò, habet Palatinus ex officio iurare totam Comaniam, & est semper Comes & iudex Comanorum, à quibus pro huiuscemodi officio & labore debet habere quoad annum tria millia aureorum, prout hoc ex literis Lodouici & aliorum Regum prædecessorum manifestè colligitur. 40

Duodecimò, tota Dalmatia subiacere debet iudicio Palatini, & pro prouentibus habet in illa certas insulas.

PRIMVM DECRETVM MATTHIÆ REGIS ANNI M. CCCC. LXII.

Nos Matthias Dei gratia, Rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. significamus per præsentes: Quòd cùm his diebus in præsenti generali congregatione vniuersorum Prælatorum, Baronum, Procerum, & Nobilium regni nostri in hac ciuitate nostra Budensi, quinto decimo die festi beati Marci Euangelistæ celebrata, vnà cum eisdem multa & magna disponeremus, ad meliorandum statum regni nostri prædicti, opportuna: inter alia iidem Prælati, Barones, Proceres & Nobiles vnanimi omnium voto obtulerunt & præsentauerunt nobis quosdam Articulos, antiquam legem & consuetudinem ipsius regni nostri innouantes, & declarantes, ordine infrascripto in hæc verba. 50

Articuli,

Articuli, in quibus iuxta antiquam consuetudinem regni euocatio, sine crastinatione extra octauas fieri potest, in præsentiam personalem Regis, vbicunque fuerit intra ambitum regni.

ARTICVLVS I.

INVASORES castrorum, & domorum, seu inhabitationũ Nobilium, in quibus personaliter resident, si verbera, siue vulnerationes aut cædes, siue spolia rerũ in talibus domib. conseruari solitarum fecerint. Item, violẽti ablatores literarum, aut literalium instrumentorum. Item, incendiarij, & inductores exterorum ho-
10 minum spoliatorum, & erigentes se contra reuerentiam Regis, & literas iuridicas, aut fidei publicæ, quas saluum cõductum, vulgariter glait appellamus. Item, interfectores Nobilium, & qui nobiles, & captos detinẽt, vulneratoresq́; ipsorum Nobilium, præsertim euntium ad congregationem regnicolarum vel octauas, aut sedem iudiciariam, vel ibi existentes damnificeabunt. Item, deprędatores totalis possessionis alicuius cum effractione Ecclesiæ. Item, violenti stupratores virginũ, aut corruptores honestarũ mulierum. Hi omnes euocari possunt in personalem præsentiam Regis ad terminũ longiorem vel breuiorem, secundum distantiam locorum, à quibus huiusmodi euocatio fieri debet. Ita tamen, quòd longior terminus triginta dies nõ excedat: breuior verò terminus infra quindecim dies nõ descen-
20 dat. Et talis modi euocatio fiat solummodo per testimonium capituli, vel conuentus illius Comitatus, aut vicini, vnde prædicta euocatio fieri debet. Et quia firmius est iudicium, quod plurimorũ sententiis roboratur, interesse debent iudicio huius euocationis Prælati, & Barones, qui tunc in Curia domini Regis fuerint cõstituti. Et dilationem habẽt sine prorogatione solummodo illi, qui occupati erunt in exercitu generaliter, aut partiali pro vtilitate regni instaurãtium. Item, qui erunt occupati in ambasiata Regis, vel regni, pro cõmuni bono. Verumtamen qui sub confidentia talis modi prorogationis aliquem ex prætactis fecerit actibus, & se absentauerit à iudicio: huiusmodi prorogatione se defendere non valeat. Et talis modi euocatio fiat solùm deinceps pro actib. præmissis, à prima die præsentis congrega-
30 tionis generalis, in posterum patrandi. In occupationibus verò à tempore electionis domini nostri Matthiæ Regis factis, fiat restitutio; cui si occupator nõ obedierit, aut impedierit quo minus fieri valeat & pficiatur, euocetur vt suprà declaratur. Item proclamata congregatio detur secundum formam decreti quondam domini Sigismundi Imperatoris & Regis. Item quatuor octauæ annuatim sine intermissione celebrentur.

Articuli, qui concernunt notam infidelitatis, & in quibus & non aliis possint per dominum Regem possessiones & bona delinquentium donari, seu alienari.

40 I.

EVIDENTER se erigens contra statum publicum Regis & coronæ. Item, qui conficit falsas literas, vel eis euidenter vtitur in iudicio. Item, qui sculpit falsum sigillum, vel eo vtitur. Item, cusores falsarum monetarum, vel scienter & publicè in magna quantitate eisdem negotium exercentium. Item, occisor consanguinei sui, vsq; ad quartum gradum consanguinitatis inclusiuè. Item, incendiarij publici villarum, & possessionum. Item, inductores externorum hominum spoliatorum, aut stipendiariorum, ad disturbandum statum internum regni. Item, erigẽtes se opponendi sua potentia contra literas iuridicas, & sententias iudicum ordinariorũ post secundam euocationem & probationẽ. Item, violatores literarum fidei publicæ,
50 vel salui conductus, dum euidẽter fuerint conuicti. Item, traditores castrorum, vel propriorum dominorum, dum euidenter fuerint cõuicti. Item, occisores vel vulneratores iudicum ordinariorum Regni præsertim, dum sint in officio publico. Item, publici hæretici adhærentes damnatæ hæresi. Item, incestuosi, & corruptores consanguinearum suarum, vsque ad quartum gradum consanguinitatis, dum euidenter fuerint conuicti & proscripti.

Articuli causas rerum spiritualium concernentes.

I.

OMNES causæ circum mystetia & defectus sacramentorum. Item, causæ in facto fidei, & causæ hæresum, seu suspectorum de hæresi. Item, causæ testamentariorum, & eisdem accessoribus. Item, causæ matrimoniales & accessorium earundem. Specialiter autem dotis, & rerum paraffernalium, donationum propter nuptias, & iuris quartalitij, si nõ intentetur pro hæreditate possessionaria adipiscenda. Item, causæ decimarum realium & personalium, & accessor earundem. Item, causæ vsurarum. Item, causæ viduarum & miserabilium personarum, si non agitur pro possessionibus & prædiis adipiscendis. Item, causæ fidei violatæ, & omnium periuriorum; & causæ, quarum finis tendat ad correctionem pro peccato. Item, omnes causę, in quibus quis incidit in sententiam excommunicationis hominis, vel canonum. Quibus quidē Articulis præmissis, modo vobis præmisso præsentátes, supplicauerunt nobis dicti Prælati, Barones, Proceres, & Nobiles regni nostri, vt eosdem articulos regio consensu approbantes, dignaremur deinceps facere obseruari. Nos itaq; supplicationibus eorundem Prælatorum, Baronum, Procerum & Nobilium prædicti regni nostri inclinati, prædictos Articulos, & quælibet eorum acceptanda & approbanda decernimus, deinceps inuiolabiliter obseruanda obseruabimus, & obseruari faciemus cum effectu. In quorum omnium pręmissorum testimoniū præsentes literas nostras secreti sigilli nostri, quo vt Rex Hungariæ vtimur, in munimine roboratas, vniuersitati dictorum Pręlatorum, Baronum, Procerum, & nobilium prædicti regni nostri duximus concedendas. Datum Budæ vigesima die congregationis generalis suprà dictæ, Anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo.

SECVNDI DECRETI, INVICTISSIMI PRINCIPIS MATTHIÆ, REGIS HVNGARIÆ, *articuli noui, per eundem editi anno Domini 1 4 6 4.*

ARTICVLI autem pręnotati hanc continent formam. Primò quòd nos hoc regnum nostrum Hungaricū, & omnes eius ad idem pertinentes incolas, in omnibus & singulis bonis & antiquis libertatibus, consuetudinibus, & iuribus, quibus hoc regnum vtebatur, temporibus prędecessorum nostrorum, conseruabimus, & tenebimus, & quòd decreta quondam dominorū Lodouici & Sigismundi Regū, simul cum decreto olim domini Andreę, similiter Regis, per ipsum Dn. Lodouicū Regem confirmato, confirmabimus, & cum infrascriptis articulis obseruabimus.

De conseruatione sacræ coronæ.

ITEM, quia nouimus nos, & nouerunt omnes domini Prælati & Barones nostri, nouit etiam tota communitas regni, quomodo & qualiter propter indebitam custodiam & prouisionem sacræ coronæ, ipsa corona fuit ab hoc regno alienata, in cuius alienatione irrecuperabilia damna, & indicibilia spolia, & multas incommoditates hoc regnū passum est; & tádem post multos labores & fatigas, & graues expensas, ipsa corona ex pecuniis communitatis regni nouissimè est redempta: Nos ergo volumus, & debemus de pari consensu & voluntate dominorum Prælatorū, Baronum, & regni nostri nobilium hoc in loco, puidere circa debitam custodiam & conseruationem ipsius coronæ sacræ locum aliàs consuetum, & personas ad id idoneas, ne (quod Deus auertat) ipsa corona iteratò ab hoc regno alienetur.

Quòd nemo nota infidelitatis, sine Baronum consilio, damnetur.

PRÆTEREA, quòd nos aliquem, vel aliquos ex regnicolis, sine Prælatorum consilio, & regni Baronum, nota siue crimine infidelitatis damnare nõ valeamus.

De ablatione breuium iudiciorum.

BREVES etiam euocationes de cætero pro nullis actibus & commissis vt fierent ex parte tamen iam euocatorum fieret iudicium, secundum contenta literarum euocatoriarum.

De

De celebratione quatuor octauarum,& de euocationib.cum insinuatione.

CÆTERVM omnes quatuor octauæ annuatim celebrentur, excepto casu, quo contingeret fieri exercitum generalem per omnes regnicolas: Et, si etiam nos in factis & negotiis regni particularibus extra Budam occuparemur, octauæ non prorogētur. Iudices quoq; maiores, siue ordinarij, pariter cum eorum vicegerentibus, in celebratione huiusmodi octauarum interesse semper teneantur. Deinceps quoq; euocationes cum insinuatione ad ipsas octauas fierent, in quibuscunque negotiis, & factis post obitum quondam domini Alberti Regis illatis, ac perpetratis: quæ etiā euocationes cum insinuatione possent emanari, sub sigillo omnium iudicum ordinariorum regni nostri.

De prorogationibus, & pœnis vtentium falsis prorogationibus.

PROROGATIONES autem nostris temporibus ipsarum octauarum nemini suffragari valeant: nisi solùm illis, qui castra in confinibus regni, & significanter in regno Boznæ tenerent, vel qui essent eo tunc occupati in bello, aut qui progrederentur in legationibus nostris, & regni nostri, per prouincias extraneas. Et si aliqui sub forma alterius istorum trium articulorum limitatorum prorogationis acquirerent, & ita non occuparentur, in pœnis aliàs in talibus fieri solitis, hoc est in emenda linguæ, conuincerentur.

De quatuor factis potentionariis, quæ in tertia octaua finaliter terminentur, nec vlterius possint prorogari.

IN facto verò interemptionis nobilium, & occupationis possessionum, ablationis literarum, & literalium instrumētorum, domorumq; & curiarum nobilium, vbi personaliter residerent, inuasionis, nulla amplior in istis tribus articulis limitatis, nisi à tempore euocationis primæ octauæ, in tertiam octauam fieri posset prorogatio, nec ipsi occupati infra huiusmodi eis datam prorogationem cum aliquibus litigare valeant.

De prorogationibus fratrum indiuisorum.

SI occupatus duos vel tres, vel plures fratres indiuisos haberet, quorum nomina in prorogatione exprimerentur, & non occuparentur in rebus dictis, tribus articulis expressis talibus non occupatis, non obseruetur prorogatio, exceptis rebus factum possessionum & exhibitionum literarum concernentibus. Ille verò qui occupatus fuerit in negotiis prædictis, cum eis condemnari non posset, qui in talibus non essent occupati.

Quòd sales extranei in regno non vendantur sub pœna ablationis.

SALES extranei in regno nostro, & in confinib. regni nostri, nō vendantur, sub pœna ablationis eorundem: sed vbicunque sales nostri regales cursum habere debeant. Illorum autem possessiones & bona, qui ablationes huiusmodi salium extraneorum non paterentur, occupare debeant: & tenere infra satisfactionem de damnis nostris exinde secutis.

De distractione castellorum post obitum Alberti Regis erectorum.

OMNIA castella post obitum quondam domini Alberti Regis, in regno nostro constructa, vsq; festum Pentecostes proximè venturum, sub pœna perpetuæ infidelitatis, distrahantur: exceptis solummodo castellis illis, quæ in partibus inferioribus, contra incursus Turcorū, ac quæ in Comitatib. Bachiensi, & de Bodrog, & aliis Comitatibus regni nostri confinia tenentibus, constructa essent, & etiam dempto castello Ioann. Chwz, ac illis, quæ antiquis temporibus, ac etiam tempore quondam domini Sigismundi Regis fuerunt castella tandem rupta, & iterum in alio loco constructa essent, quæ remaneant pro vtilitate regni.

Quòd ille, qui cum iure regio, vel processu causidicum alios in suis possessionibus iniustè vexatur, in æstimatione illorum conuincatur.

ITEM, quicunq; à nobis donationem iuris regij, super aliqua, vel aliquibus possessionibus impetrauerit, bonis aliorum, si bona impetrata iuri regio pertinere debere, nō possit comprobare, ac etiam illi litigantes qui aliquo iure super bonis alio-

rum litigarent,& bona huiusmodi suo iuri ordine iudiciario applicare non posset: propter indebitam inquietationem possessionis, contra eundem possessorem in communi existimatione ipsorum bonorum conuinceretur.

Quòd bona illa, quæ post obitum Alberti Regis fuissent occupata, remittantur.

OMNIVM, & singulorum bona, quæ à tempore obitus dicti quondã domini Alberti Regis, per quoscunq; iniustè occupata essent: per eorum detentores, infra octauum diem sancti Ioan. Baptistæ nunc venturi, illis, quorum sunt, remittantur. Et detentores illi vigore literarum nostrarum, vel aliorum iudicum ordinariorum, per nostrum hominem, & capituli, vel conuentus testimonium, ad remittendum occupata bona amoueantur: Et si amoti non remitterent, euocentur cum insinuatione ad proximè futuras octauas ex parte, quorum fieret iudicium & iusticia sine prorogatione. 10

Quòd regnum Sclauoniæ & partes Transsyluanæ in suis libertatibus conseruentur.

REGNVM nostrum Sclauoniæ, & partes Transsyluanæ in omnibus antiquis bonis libertatibus, consuetudinibus, & iuribus conseruentur: viri sæculares contra viros ecclesiasticos in nullo facto & lire sæculari possent magis aggrauari, quàm viri ecclesiastici aggrauarentur contra sæculares.

Quòd plura loca tributorum in eadem possessione esse non possint: Et de modo exigendi, & falsis viis tributorum. 20

TRIBVTVM in vna & eadem possessione, in pluribus locis exigi non possit, sed in vno tantùm loco, etiam possessoribus tributi quantumcunq; inter se discordantibus. Et quòd in omnib. locis tributorum tributum secundum antiqnum modum exigeretur; facientes autem contrarium, amitterent dominium tributi. Tributarij vias falsas, nec in terris aliorum, nec extra antiquam cõsuetudinem, custodire valeant. Et vt propter non solutionem tributi, quisquam impediri non possit, extra metas possessionis, vbi tributum exigeretur. Nullum tributum, vel vadum possit esse contra antiquam consuetudinem, & legem regni nostri.

Coniunctorum hominum bona, quoad portiones iudiciarias, tam nos, quàm iudices nostri ordinarij, non aliter nisi more aliàs consueto conferre valeamus, aut valeant. 30

De causis forum ecclesiasticum concernentibus.

ITEM, præter forum testamenti, matrimonij, dotum, & rerum parafernaliũ, periurij, verberationis, & exspoliationis clericorum, & mulierum, & præter illas alias causas, quæ prophanæ non essent, in foro spirituali nulla causa terminaretur.

Quòd Regia Maiestas ad simplicem querelam bona alicuius non occupabit, & quòd factum proprium ordine iuris prosequetur.

ET, quòd nos ad simplicem querimoniam aliquorum, vel etiam in propriis factis nostris, bona aliquorum occupari non faceremus, nisi prętenderet sufficiens cognitio causæ secundum consuetudinem antiqnam in talibus fieri solitam, & quòd nos etiam factum nostrum regium ordine iuris prosequamur. 40

De pœna illorum, qui protonotarios, vel alios iudices regni verberarent, interficerent, aut captiuarent.

SI qui protonotarium, vicepalatinum, Banum, vicebanum, Comitem, vel vicecomitem, vel alios iudices ordinarios regni nostri tempore sedis iudiciariæ, aut etiam aliàs, sine causa verberarent, interficerent, aut captiuarent, habita superinde probatione legitima, in nota & pœna perpetuæ infidelitatis cõnumerentur. 50

De his, quorum literæ per inimicos & potentes ablatæ fuissent, vt illis bona eorum de nouo conferantur.

ET quia nonnulli essent ex regnicolis, quorum iura & literalia instrumenta per inimicos & potentes ablata fuissent: igitur si tales ablationem huiusmodi iurium, & literalium instrumentorum, ad id, quod ipsi, & prędecessores eorum in dominio

minio bonorum & possessionum,quos tangerent literæ ablatæ,pacificè perstitissent,& ipsos concernerent,per vicinorum,& commetaneorum suorum,& nobilium comprouincialium attestationes comprobare possent:talibus nos huiusmodi bona sua,titulo nouæ nostræ donationis donemus,& conferamus.

De iudicio generali in omnibus Comitatibus.

ITEM,quòd per omnes Comitatus regni nostri fiat iudicium generale,more aliàs,temporibus scilicet antiquis,consueto.

De cudenda noua moneta.

10 ITEM,quòd nos faceremus cudere vnam bonam monetam,in lega pondere monetæ quondã domini Sigismundi Imperatoris,quæ curreret per totum dominium nostrum,vita nobis comite,sine aliqua permutatione,& haberet duos obulos.Et huiusmodi moneta nostra in cunctis censibus lucri Cameræ & decimis vbique recipiatur. Sup pag.36.

De confirmationib.donationum Ladislai & Matthiæ Regum infra annum.

ET quòd nos omnes donationes prædecessorum nostrorum Regum,& nostras proprias,super quibusuis bonis & possessionib.factas,exceptis donationibus quondam Domini Ladislai Regis, & nostris,quas de lucro Cameræ quinquagesimali, tricesimis prouentibus Marturinalibus cuiq; fecimus,aut fecisset,confirmare debeamus.Teneatur autem quilibet omnes literas donationales quondam domini Ladislai Regis mediatè prædecessoris nostri,& etiam nostras,à prima die Aprilis, infra reuolutionem vnius integri anni,ad confirmationem reportare.Si verò non reportarentur, eorum literæ non maneant in vigore.

20

De modo soluendi decimas,& de examinatione aceruorum.

DECIMÆ soluantur in omnibus & singulis Comitatibus,secundũ modum, quo vnusquisq; cum Prelato suo superinde haberet,vel fecisset,aut deinceps faceret dispositionẽ: in quarum exactione,& solutione teneretur dispositio ad decretum annotati domini Sigismundi Imperatoris,& Regis:ita tamẽ,quòd fiad requisitionem dicatorum decimarũ rusticus iuraret,& dicator huiusmodi iurato crederet,non amplius,nisi iuxta iuramentum iurantis dicare valeat:& vbi iurato rustico dicator non crederet,liberam aceruum examinãdi habeat facultatem:qui si plus inuenerit,superfluitatem auferre valeat: si autem iuxta verba rustici repertum fuerit,pro indebita remissione acerui, vnus florenus auri per dicatorẽ rustico soluatur:quem si dicator soluere recusaret,rusticus auferre valeat equũ dicatorũ.

30

Quòd diebus dominicis, & festiuitatibus beatæ Mariæ virginis nullum forum celebretur.

DIEBVS dominicis,& similiter in festiuitatibus beatæ Mariæ virginis,in hoc regno nostro, & eius partibus,nullum forum celebretur, exceptis duntaxat propter bonas causas foris dominorum Archiepiscopi Colocensis,& Episcopi Waradiensis,quæ in aliquibus bonis Ecclesiæ eorum celebrantur.

40

De cussoribus falsarum monetarum.

CVSSORES falsarum monetarum, & florenorum falsificatorum earundem publicè infamati, habita superinde debita prius reuisione,per Barones regni nostri puniantur condigna pœna.

De pœna violantium saluum conductum.

QVICVNQVE ex regnicolis saluum conductum nostrum infringeret,prius cognita causa,tales,& domini talium,in nota perpetuæ infidelitatis cõuincantur.

50 *De emunitate domorum nobilium, & personarum ecclesiasticarum, & de violatione Ecclesiæ.*

POSTREMO,si tempore exercitus,vel aliàs quandocunq;,aliqui in domibus, & curiis nobilium, aut personarum ecclesiasticarum, præter eorum voluntatem, descenderẽt,aut Ecclesias confringerent:tales euocentur ad octauas cum insinuatione ex parte: quorum si agens voluerit,non aliter nisi mediante via communis

inquisitionis,impenderetur iudicium & iustitia. Similiter ex parte illorum, qui tempore exercitus facerent damna per ablationes,tale iudicium impendatur.

Conclusio.

VNDE nos ad supplicationem pręfatorum Pręlatorum,Baronũ,& nobilium, annotatis priuilegiis & decretis iam fatorum dominorum Lodouici Regis,& Sigismundi Imperatoris & similiter Regis,nec non & articulis præmissis,quos iidem Pręlati,Barones,& nobiles denuo fecissent,acceptis,& susceptis,eadẽ,& eosdem, præsentibus literis nostris de verbo ad verbũ transumpta & insertos, quia in vtilitatem regni nostri,& pro totius eiusdem reipublicę tranquillitate facta & dispositi esse videntur:similiter cum omnibus libertatibus & institutionibus in eisdẽ conscriptis, ac etiam similiter cum decreto prænotati domini Andreæ Regis,per dictum dominum Lodouicum Regem confirmato, approbamus,& ratificamus,ac innouamus perpetuò duraturas,& valituras cõfirmamus. Nosq; omnia in eisdem cõtenta,cum moderatione articulorum prædictorum,obseruare obligamus,præsentis scripti nostri patrocinio mediãte.In cuius rei memoriam, firmitatemq; perpetuam, præsentes literas nostras pendentes, & autentici sigilli nostri munimine roboratas duximus cõcedendas. Datum per manus reuerendissimi in Christo patris,domini Stephani Ecclesiarum Colocensis & Bachiensis Archiepiscopi,aulæ nostræ summi Cancellarij fidelis nostri dilecti,anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto,octauo Idus Aprilis,regni nostri anno septimo,coronationis verò primo. Venerabilibus in Christo patribus dominis,Dionysio de Zeech,Cardinali Strigoniensi, eodẽ domino Stephano Colocensi, Archiepiscopis;Ladislao Agriensi,Ioanne Varadiensi,Nicolao Transsyluanieñ,Zagabriense sede vacãte,Ioan.Quinqueecclesiensi,Alberto Vesprimiensi,Augustino Iauriensi, Vincentio Vaciensi, Alberto Chanadiensi, Thoma Nitriensi,Boznensi sede vacante,Nicolao Modrusiensi,Ecclesiarum Episcopis,Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Item Magnificis Michaele Orzag de Guth,regni nostri Hungarici prædicti Palatino,Nicolao de Zapolya,regni Boznẽsis gubernatore,Nicolao de Wylack, & Ioan. Pangraz de Dengelek Waywodis Transsyl. Comite Ladislao de Palocz,iudice curiæ nostræ,eodem Emerico de Zapolija Dalmatiæ,Croatiæ,necnõ Sclauonię regnorum nostrorùm,& pręfato Nicolao de Wylak, Machoniensibus Banis,honore Banatus Zeuerinensis vacante,Ioanne de Rozgon Thauernicorũ, Benedicto de Thurocz Ianitorum,Andrea Pangracz de prædicta Dengelek Pincernarũ,Stephano de Peren,& Ladislao de Bathor,dapiferorũ,Paulo de Dombo, & Ladislao de Wesen agazonũ nostrorũ regaliũ magistris,Andrea Pamchircher Comite Posoniẽsi,aliisq; cõplurib. regni nostri Comitatus tenẽtes,&honores,&c.

DECRETVM TERTIVM MATTHIÆ REGIS ANNI M. CCCC.LXXVIII.

NOS Matthias, Dei gratia, Rex Hungariæ, Bohemiæ,&c. Memoriæ commendamus per præsentes, quòd redeuntibus iam pridem nobis,concesso diuinitus nobili triumpho,& felici victoria de bello Austriæ,in hãc vrbem nostram Budensem, conuenientibus ibidem tunc in diæta generali fidelibus nostris vniuersis Prælatis, Baronibus, ac Proceribus, & electis omnium Comitatuum regni nostri Nobilibus,tractantibusq; eisdem de iis,quæ ad vtilitatem,bonam pacem,& tranquillum statũ ipsius regni concernerent præcisè: Quibus sic diutius laborantibus, voluentibus & reuoluentibus rebus, & negotiis,defensionem & conseruationem regni efficientibus; iidem domini Prælati, ac Barones & Nobiles antedicti inter cæteras eorũ laudabiles ordinationes præsentarunt nobis certos articulos, vtpote infrà scriptos, supplicantes humiliter nostræ Maiestati, vt eosdem articulos acceptare,& ratificare,eosdemq; & eorum quælibet ex innata nostra benignitate confirmare dignaremur. Quorum quidem articulorum I.talis est.

Articulus I.

SERENISSIME Princeps,quamuis à magno tempore satis simus grauati:tamen

men considerata opportuna necessitate, attenta etiam petitione Maiestatis vestrę, nuper per fideles oratores in præsenti congregatione facta, cōfisi insuper benignitate eiusdem, vt deinceps in antea nos beneuolentia sua regia prosequatur, nobisque dominus gratiosissimus existat: in omnibus cōsuetudinibus antiquis nos gratiosè conseruabit: Contribuimus hoc anno præsenti Maiestati vestræ de singulis portis Iobagionum nostrorum florenum vnum, cum lucro Cameræ computādo.

Articulus II.

Item, vt Maiestas vestra eo melius necessitati suæ, ac libertati & restaurationi regnorum suorum prouidere, defensioniq́; contra insultus Turcorū magis intendere possit, pollicemur in sequentib. quinq; annis, scilicet à futuro festo Circumcisionis Domini, anni videlicet eiusdē millesimi quadringentesimi septuagesimi noni, similiter contribuere vestrę Maiestati de singulis portis Iobagionū nostrorum, prout infrà notabitur, simul cum lucro Cameræ Maiestatis vestræ computañ: florenum vnum, hoc tamen declarato, quòd prima contributio exigatur in festo Circumcisionis Domini proximè affuturo, reliquę autem vsque ad completionem quinque annorum integrorum semper in festiuitatibus beati Martini exigantur, ita quòd Maiestas vestra dignetur acceptare articulos infrà scriptos.

Articulus III.

Primo, q; istis annis sequentibus, Prælati, Barones, Proceres, Nobiles, & quicunq; regnicolæ huius regni sub quacunq; occasione contra quoscunq; inimicos vestræ serenissimę Maiestatis & regni sui exercituate nō teneantur, excepto duntaxat, si Romanorum & Turcarum Imperator, & Poloniæ, Bohemiæq́; Reges, ac Bassa Romaniæ, dum cum exercitu imperiali hoc regnum Maiest. vestræ personaliter inuadere cōtingeret. Quod si aliquo casu accideret, tunc quilibet regnicolarum, iuxta antiquam cōsuetudinem regni, exercituare teneantur: & nec aliquis se ab ingressu exercitus huiusmodi pecuniis exonerare, vel eximere possit. Itē dicatio præsens, & futura, hoc modo fiat, quòd Nobiles vnius sessionis domus allodiales Nobilium ac familiarium eorundem, qui expensis dominorū suorum nutrirentur, villici quoq; & nimium pauperes non dicentur, neq; loca deserta, & molendina, de capitib. dicarum duo denarij, & non plures recipiantur: Et neq; villicus, neq; villa expensas dicatorib. dare teneantur. Pro vno floreno denarij centū recipiantur, & nō vltra. Inquilini aūt illi dicentur, qui terras arabiles, sessionem, vel vineas proprias coluntaliį autem non dicentur. Præterea in omni Comitatu adiungantur semper dicatori vnus idoneus Nobilis, qui cum iuramento teneatur videre, & facere secundum cōtenta præsentis decreti, ea quæ & serenissimo domino Regi, ac ipsi Comitatui iusta sunt. Et insuper in vna sede iudiciaria ad hanc rem deputanda teneantur in quolibet Comitatu omnes villici importare capita dicarum à tribus integris annis, & cum iuramento, & etiam in registro ipsi Comitatui pręsentare, & ea domino Regi Comitatus ipse fideliter rescribere debeat.

Item, quia hoc regnū Serenitatis vestræ super omnia alia grauamina, & oppressiones per exercituantes equites & pedites, ad vltimam desolationem, & exacerbationem magnam in tantum deuenit, q; iam pauperes incolæ regni huius vix vitæ necessaria habere possint: humillimis & deuotis precib. supplicamus Maiestati vestræ, vt eadē, cōsideratis nostris obsequiosis fidelitatibus, attentis etiā desolationibus regni sui, vt idem æqualiter respiret, & vires suas pristinas recuperet, dignetur tenere talem modū & viam, ne deinceps incolæ ipsi huius regni per ipsos exercituantes equites, quemadmodum hactenus, oppressionem & desolationem patiantur, neq; per labores finitimorū, & exactiones victualium opprimantur, demptis ædificationibus Kewij, Posazyn, & Haram, quæ si reparabuntur, Comitatibus illis propinquiores adiumento esse debebunt, & quòd exercituantes in domibus Nobilium & allodiis non descendant.

Item, quòd infra istos præscriptos quinq; annos, per omnes Comitatus huius regni, congregationes generales, seu iudicia vniuersalia, in Comitatib. fieri solita, nō celebrentur, propter inopiam ipsius regni: demptis Comitatibus Posega, Walko, Sirmiense, Baconija, ex alia parte Drauæ tamen Chanadiensi, Themesiensi,

Zaromd,& Orodienſi,in quibus diuerſa furticinia,latrocinia,militationes,hominum venditiones,decollationes,aliaq; multiplicia malorum genera committi dicuntur,propter quæ iudicia generalia non omittantur, ſed celebrentur, ita videlicet,quòd in prætactis iudiciis pecuniæ defenſuales non exigantur, ſed neq; Byrſagia: Inſuper etiam factum poſſeſſionum in ipſis iudiciis non iudicetur. Præteritis autem iſtis annis,huiuſmodi congregationes generales non aliter,niſi conſilio dominorum Prælatorum, Baronum,& Procerum celebrentur.

Item,pro poſſeſſionibus,& bonis occupatis, ſiue per donationem regiam,ſiue alio modo commiſſis,poſſint fieri contra occupatores breues euocationes,& procedatur contra eos iuxta regni conſuetudinē ordine iuris. Si verò tempore ſtatutionis iuxta conſuetudinem legitimi apparuerint, impetrator talis poſſeſſionis nō debet introire,nec permanere in dominio poſſeſſionis.Quòd ſi auſu temerario factum fuerit,ꝓcedatur contra eum ordine iuris per breues euocationes,& conuincatur talis in æſtimatione illius poſſeſſionis, vel bonorum,ſicuti antiquitus fuit.

Item, quòd Serenitas veſtra ad ſimplicem querimoniam quorumcunque bona Nobilium occupari facere non permittat.

Item,quòd Maieſtas veſtra abſque iuris ordine maiorem,vel minorem non captiuet,niſi eos,quos iura regna conſueta captiuari permittunt. Neque aliquem ex Prælatis, Baronibus, Nobilibus huius regni exulet, aut captiuet, ſine conſilio & ſententia Prælatorum, Baronum, Procerum & Nobilium, ſicuti antiquitus erat conſuetum.

Item,quòd iudicia octaualia in ſede Banorum Machouienſium,à modo in poſterum nō celebrentur,& quòd iudicia in facto poſſeſſionum,infra reuolutionem duorum annorum præteritorum facta, reportentur ad octauas in præſentiam dominorum Prælatorum, Baronum, ac magiſtrorum protonotariorum,& electorum Nobilium regni,ad diſcuſſionem & reuiſionem.

Item,quòd breues euocationes in omnibus articulis prius ſuperinde per Maieſtatem Regiam,& dominos Prælatos, Barones, Proceresq; regni editis,tam ſub Palatinali,quàm Comitis Stephani de Bathor ſigillis emanare & iudicari poſſint, ſicuti ſub ſigillo perſonalis præſentiæ Regiæ Maieſtatis: & quòd reuerendiſſimus dominus Colocenſis,nec nō Magnifici domini Palatinus,& Comes Stephanus de Bathor,ac Prælati,& Barones ad iudicium & iudicandum,nunc in præſenti congregatione electi, vel ſaltem eorum media pars, ſemper in iudicio tam octauarum,quàm etiam breuium euocationum intereſſe debeant,& eorum authoritate & præſentia quælibet cauſa,ſaltem grauis,definiri.

In iudicatione ſiquidem breuiū euocationum, & octauarū,talis teneatur modus: Quòd videlicet inter ipſas quatuor octauas,hactenus celebrari ſolitas,octauę feſti beati Michaelis Archangeli,cunctis cauſantibus nos regni noſtri cōmuniter, more aliàs conſueto,abſq; omni occaſione adinuenienda celebrari debeant. Pro cæteris autem tribus octauis pro nunc certis rationibus omiſſis,taliter concluſum eſt, vt vice,loco,& termino octauarum præmiſſarum,iudicia breuium euocationum vigeſimo quinto die feſtorum ad hoc ab antiquo deputatorum, vtpote, ſanctorum Georgij, Iacobi, & Epiphaniorum Domini inchoantium, ſequentibus aliis quinque diebus ferialibus,ſine intermiſſione continuentur.

Item,quòd Serenitas veſtra ea omnia,quæ pro reſtauratione & conſeruatione regni ſui articulatim in hoc regeſto ſunt conſcripta,benignè acceptare, roborare, atque conſiderata fidelitate noſtra, nos in omnibus conſuetudinibus,& libertatibus antiquis, ſecundum decreta prædeceſſorum Regum Serenitatis veſtræ,quorum decreta tempore coronationis ſuæ Albæ confirmauit,tenere & conſeruare dignetur gratioſè.

Item, in dicationibus decimarum teneatur antiquus modus, vt dicatores teneantur contentari iuramentis ruſticorum. Vbi autem voluerit, valeat examinare aceruos cum Byrſagiis conſuetis. Inſuper decimæ cum pecuniis vbi exiguntur, iudices nobilium deputētur cum dicatoribus,qui vadant,ſi volunt,in eorum propriis expenſis, & non decimatorum, & fideliter attendant dicatores. Vbi verò dicatores

catores iniustè dicare vellent, iudices nobilium desistant ire cum eisdem. Si verò rusticus aliquis iuramentum fecerit, tunc dicator rusticum sic iuratum amplius vexare, vel dicare non possit, nisi in tantum sicuti præstitit iuramentum. Ex quo autem in quibusdam Comitatibus dicatores decimarum rusticos, qui pro eorum frugibus iuramentum præstiterint, ratione huiusmodi iuramenti talem rusticum iuratum in duabus capetiis frugum dicare consueuerunt, id amplius nequaquam facere valeant, si non fuerit cõsuetudo. Quibus quidem articulis per eosdem Prælatos, Barones ac Nobiles Comitatuũ antè dictos, nostræ Maiestati, vt præmissum est, præsentatis, tum ad humilimam supplicationem eorundem nobis porrectam, 10 tum etiam ex eo, quia prædictos articulos ad bonam pacem, & tranquillum statum, vtilitatemque regni nostri ordinatos esse conspexissemus, eosdem articulos acceptauimus & ratificauimus, dictosque Prælatos, Barones, Nobiles, & eorum quemlibet in eisdem conseruare polliciti sumus: imò acceptamus, & ratificamus, pollicemurq́, harum nostrarum vigore & testimonio literarum mediante. Datum Budæ prædicta, in Dominica Quasi modo geniti, Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo octauo.

QVARTVM DECRETVM MATTHIÆ REGIS, EDITVM ANNO DOMINI 1481.

20 Nos Matthias Dei gratia, Rex Hungariæ, Bohemiæ, &c. Memoriæ commendamus, tenore præsentium significantes, quibus expedit, vniuersis; quòd nos vnà cum dominis Prælatis, & Baronibus, ac Proceribus, & electis omnium Comitatuum regni nostri nobilibus, totum hoc regnum nostrum Hungaricum repræsentantibus, in præsenti diæta, seu congregatione generali hic Budæ nobiscum constitutis, super bono communi, & reformatione status omnium tam spiritualium, quàm secularium personarum, maiorum scilicet & minorum earundem, & regni ipsius defensione, & debita einsdem conseruatione diutius laborantes, & maturè tractantes, communi eorundem dominorum Prælatorum, & Baronum, 30 procerumq́, & regnicolarum nostrorum voto, & vnanimi voluntate, inter cætera, & alias bonas ordinationes, distinctiones, & statuta: in hos infrà scriptos tandem, & perpetuò duraturos conuenimus articulos.

De quibus rebus decimæ exigantur, & de quibus non.

In primis quòd domini Prælati, & cæteri Ecclesiastici decimas habentes, de nullis aliis rebus, præterquã vinis, frugibus, agnellis, apibus, milio, siligine, hordeo, & auena, iuxta antiquam regni consuetudinem, decimas exigant: quodq́; deinceps omnes aliæ inordinatæ exactiones, quas decimatores eorundem dominorũ Prælatorum, & cæterarum Ecclesiasticarum personarum, temerariè facere consueuerunt, cessare definant, nec vllo pacto in posterum fiant.

40 *Quòd ad nobiles, vxoresq́; & familiam eorundem, propter rusticos decimas soluere non curantes, ecclesiasticum interdictum non imponatur.*

Item, quòd ad nobiles, vxoresq́; & familiam eorundẽ, ratione non solutionis decimarum, propter rusticos & Iobagiones eorundem, interdictũ ecclesiasticum per ipsos dominos Prælatos, aut decimatores eorum, non imponatur, nisi ipsi sint causa notoria, propter quam rustici & ignobiles decimas soluere recusant.

Quòd Rasciani & schismatici ad decimas soluendas non teneantur, nec propter eos ecclesiasticum interdictum ad Christianos imponatur.

Item, quòd Rasciani, & cæteri huiusmodi schismatici, ad solutionem decimarum non astringantur, & neq; per Comites parochiales, instar aliorum, ad huiusmodi decimarum solutionem compellãtur: quodq́; ad Christianos, in quorum 50 medio tales schismatici morantur, aut è contra, ratione ipsorum schismaticorum, & non solutione decimarum, interdictum ecclesiasticum non imponatur.

Quid si cum Christianis societatem contraxerint.

Item, quòd si quando Christiani cum præfatis talibus Rascianis & schisma-

ticis societatẽ, siue contractũ habuerint, & araturas, siue alias agriculturas pari auxilio fecerint, de parte fructuũ Christianis cedenda decimæ soluantur; de reliqua verò parte, talibus scilicet schismaticis cedenda, tales decimæ non exigantur: hoc tamen adiecto, & per expressum declarato, ꝙ tales Rasciani siue schismatici non censeantur, & neque sint in perpetuum ad huiusmodi solutionem decimarum exempti, sed tantummodo, per aliquos annos, & interim quo vsque scilicet bono modo se tales alienigenæ & trãsfugæ regno Hungariæ, & dominiis sacrę coronę subiectis firmabunt, & vt talium transfugarum exemplo, etiam alij damnationi Turcorum subiecti, ad veniendum tantò promptiores efficiantur, quãtò tales, qui iam venerunt, tanta prærogatiua † compescerint donatos.

† *fortè compererint vel cõspexerint.*

Quòd pro vno aureo centum denarij, & pro quatuordecim capeciis vnus aureus exigatur.

ITEM, quòd centum denarij regales vbiq; pro vno aureo recipiantur, quodq; pro quatuordecim capeciis vnus aureus, & centum denarij tantummodo exigantur, prout est consuetum.

De capitibus dicarum nihil exigatur.

ITEM, quòd de capitibus dicarum nihil exigatur à villicis, sed facta plenaria decimarum solutione, decimatores teneantur, aut illarum dicarum capita reddere, aut aliter per literas illos villicos committere expeditos.

De descensu decimatorum, & hospitalitate eorundem per villicos.

ITEM, quòd decimatores deinceps non apud villicos, sed apud plebanos parochiales descendant; verumtamen villicus loci, vbi scilicet decimatores ipsi aut prandium, aut cœnam fecerint, teneatur mittere duo fercula, duos cubulos, aut duo quartalitia Budẽsia auenę, duas tortas, siue duos panes circulares, & duas pintas vini: hoc etiam adiecto, quòd villici villarum vicinarum, in quibus scilicet tales decimatores prandium, aut cœnam non fecerint, nihil eisdem decimatoribus soluere teneantur, sed totaliter exempti habeantur, ex eo potissimùm, quòd illi etiam aliàs in exactione & collectione ipsarum decimarum satis laborare habent.

Quòd nullus Prælatorum decimas suas arendare valeat, & de pœna arendatorum decreta Sigismundi Regis transgredientium.

ITEM, quòd nullus Prȩlatorum deinceps possit decimas suas arendare. quòd si quispiam eorum graui compulsus necessitate, locare coactus fuerit, conductor siue arendator ille non præsumat ordinationem & limitationem siue continentiã decreti, quondã serenissimi Principis, Sigismundi Imperatoris transgredi: sed dicare debeat iuxta illud decretum, & secundum quod vnusquisq; dominorũ Prælatorum, aut aliarum ecclesiasticarum personarum decimas habentium, cum suo Comitatu recordauerint: quòd si arendator, seu conductor ille, his stationibus, & dicto decreto quondam serenissimi domini Sigismundi Imperatoris contrauenerit, homo per Comitatum electus, cum decimatore deputatus, plenam ex nunc datam habeat facultatem illum captiuandi, & Regię Maiestati pręsentandi. Regia verò Maiestas de illa pecuniarum summa, pro qua ille totales decimas conduxit, illi Prȩlato satisfacere & respondere, illum verò conductorem malè, & contra statuta decretaq; dicantem, castigare habebit.

Quòd ratione decimarum vsque festum purificationis interdictum ecclesiasticum non impeditur.

ITEM, quòd nullus Prælatorum, aut decimatorũ, ratione decimarum, vsque festum purificationis Mariæ virginis, ponat interdictum, sed in primis circa festum beati Nicolai confessoris admoneat quemlibet ad soluendũ, & tandem circa festum pręfatũ purificationis Mariæ, contumaces & soluere recusantes subiiciantur ecclesiastico interdicto. Vbi verò vina non procreantur, sed tantummodo fruges & blada, ibi tales decimæ exigantur temporibus hactenus solitis & consuetis. Prima autem decimarum solutio fiat ad festum Natiuitatis Domini, reliqua verò ad prædictum festum purificationis Mariæ virginis.

De

De modo dicationis decimarum, & de transgredientium pœna.

ITEM, quia multæ hactenus differentiæ, & inordinationes in decimarum dicatione, & earundem exactione fuerunt: statutum igitur, & diffinitum est, quòd dum tempus huiusmodi dicationis decimarum aduenerit, Prælatusq; ad eadem mittere voluerit, debeat prius nobilibus illius Comitatus in sede eorum iudiciaria significare; qui quidem nobiles teneantur vnum bonum & probum de medio eorum eligere, iustum, & conscientiosum, & Prælato non suspectum, & cum ipsis decimatoribus ad expensas ipsius Prælati mittere. Idem verò homo per ipsos nobiles electus publicè in ipsa sede iudiciaria, iuramentum præstare debeat, quòd 10 scilicet, tam Prælato, quàm etiam incolis illius Comitatus fidelis erit, nec quicquã sinistrè, & perperam, vel iniustè pro aliqua parte fieri permittet, quodq; neutri parti fauorabilis erit. Qui quidem decimatores si non debitè, & non iuxta visionem, atq; iudicium ipsius hominis hoc modo electi dicauerint, præfatisq; ordinationib. & dispositionibus temerariè contrauenire præsumpserint; idem homo electus, illos dicatores relinquere, & amplius cum eisdem procedere non audeat. quodq; si Prælatus requisitus non emendauerit, & non rectificauerit, conclusum est, quòd quandocunq; id Regiæ Maiestati ex legitima & sufficienti probatione constiterit, habita prius iusta & diligenti super his inquisitione: ex quo prioribus decretis super ipsarum decimarum exactione talibus penitus nulla pœna inflicta est, & nostra, & 20 dominorum omnium Prælatorum, & Baronum, Procerum, & regnicolarum communi & vnanimi voluntate tales hanc pœnam perpetuò duraturam patiantur, quòd talis Prælatus, vel alia ecclesiastica persona nunquam decimas suas de cætero cum pecuniis exigere possit, sed eas de rebus illis, quas terra produxerit, in specie recipere & colligere teneatur: ita tamen, quòd ex vtraque parte, sine fraude & calumnia, cum veritate & iustitia res agatur.

Quòd decimæ cum grauaminibus consuetis exigantur.

QVOD decimæ cum grauaminibus solitis & consuetis, & non aliter, exigantur.

30 *Quòd decimæ secundum ordinationem, quam vnusquisque habet, cum Prælato exigantur.*

ITEM, quòd decimæ ipsæ secundum decretum, & consuetudinem, atque ordinationem, siue dispositionem, quam vnusquisq; dominorum Prælatorum cum suo Comitatu habet, exigantur.

De pœna iniustè conquerentium Regiæ Maiestati ratione decimarum.

ITEM, quòd si quispiam hominum in exactione decimarum Regię Maiestati minus iustè conquestus fuerit: diffinitũ est, & conclusum, quòd comperta veritate & visa illius iniusta querela, eo facto talis in emenda linguæ conuincatur.

Quòd generale iudicium vsq; ad festum S. Martini non celebretur.

40 ITEM, conclusum est & diffinitum, quòd nos Matthias Rex præfatus, à festo beati Martini confessoris proximè venturi, vsq; ad aliud festũ similiter beati Martini immediatè sequentis, in corpore regni nostri Hungarici generale iudiciũ celebrari non faciemus. Interea autem domini Prælati, & Barones, cæteriq; regni Proceres prouidere, & de alio modo cogitare debebunt, quo malefactores extirpentur. Quod si fiet, nos tandem huiusmodi generale iudicium non solùm non celebrare pollicemur, verumetiam insuper ita deponemus, & abolebimus, quòd nunquam amplius in ipso regno nostro celebretur.

De donationibus iurium possessionariorum, per notam infidelitatis, siue per 50 *defectum seminis, aut alia ex quacunq; causa, quòd contradictores infra anni integri spatium à die statutionis computandi sua priuilegia exhibere teneantur.*

ITEM, quia illis donationibus, quas nos Matthias Rex præfatus seruitoribus nostris de illis bonis, quæ ad sacram coronam siue per infidelitatis notam, siue per Sup. pag. 55.

defectum seminis, aut alia quacunque ex causa deuoluuntur, facere consueuimus, multi tēpore statutionis contradicere soliti sunt: conclusum, & dispositū est, quòd tali donationi nostræ contradicenti terminus vnius anni deinceps præfigatur, & interim in dominio talium bonorū relinquatur. Elapso autem vno anno, illo die, quo statutio donationis nostræ fiebat, iura & priuilegia sua producere coram nobis debeant: quibus productis, si illos cōtradictores ius plenum habere comperierimus, ipsos in pacifico dominio ipsorum bonorum relinquemus: Si autem producere non possent, aut non curarent, extunc donatio ipsa vigorem habeat, & illi cui donauerimus statuatur, fructusque possessionū collatarum infra id tempus perceptos ipsi cōtradictores restituere teneantur. Quòd si iura, & priuilegia sua, apud manus alienas fore allegauerint, dimidio anno ante terminum præfigendum completionem nobis reuelare teneantur. Nos verò tales, apud quorum manus fuerint, ad eorundem iurium & priuilegiorum restitutionem compellere & adstringere per omnia remedia habeamus.

De testimoniis capitulorum, & conuentuum, qui iuxta dispositum eis salarium contentari nollent.

ITEM, quia in præsenti diæta, seu conuentione, plurimi regnicolæ conquesti sunt, quòd capitula, & conuentus sigillis vtentes, in † enitendis eorum testimoniis incolas regni vltra dispositum eis salarium grauarent, & ad vota eorum taxarent: Conclusum itaque super his, & diffinitum est, quòd Comitatus, in quo id deinceps fieri cōtinget, nobis Matthiæ Regi præfato, rescribere sub firmo iuramento teneatur, nosque tales inordinationes ratificare, atque eos qui tales inordinationes temere cōmittere præsumpserint, taliter punire, & castigare habeamus, quòd ab eis cæteri exemplum capiant.

al. emendis: fortè emittendis.

20

De Prælatis ecclesiarum, & eorum vicariis, quòd citationes, & monitiones generales dare non possint.

ITEM, quòd Prælati Ecclesiarum, & eorum vicarij, citationes, & monitiones generales, non expressis illorum nominibus, contra quos huiusmodi citationes & nominationes pererentur, dare non debeāt, neque etiam personas laicas & seculares pro leuibus factis, & præsertim illis, quæ ecclesiasticū forum non cōcernunt, aduocare: sed cùm citationes aliquas, vel etiam monitiones ad alicuius instantiam decernunt, expressis illorum citandorum vel monendorum nominibus, & causis, pro quibus citari, vel moneri debent, decernant, & pro leuibus causis citationes non decernant, sed vnumquemque siue secularium, siue laicorum ad suum patronum remittant. Si verò aliquæ essent causæ merè ecclesiasticum forum concernentes, in his vnusquisque secularium, vel ecclesiasticarum personarum, coram ordinario suo primùm prosequatur, & deinde si contentus illius iudicio nō fuerit, ad suum metropolitanum appellet, & sic cōsequenter: in decernenda tamen citatione, vel admonitione, ab vnoquoque iuramentum de calumnia exigatur.

40

QVOS quidem articulos nos Matthias Rex præfatus, per nos, ac dictos dominos Prælatos, & Barones, nec non proceres, & electos nobiles modo præmisso, de beneplacita omnium voluntate & consensu, pro bono communi tam spiritualium quàm etiam secularium generaliter confectos acceptamus, approbamus, & perpetuò duraturos, obseruaturosque ratificamus, harum nostrarum vigore & testimonio literarum mediante. Datum Budæ, in festo diuisionis Apostolorum, Anno Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo primo: Regnorum nostrorum, Hungarici anno vigesimo quarto, Bohemici verò tredecimo.

50

DECRETVM QVINTVM MATTHIÆ REGIS ANNO M. CCCC. LXXXVI.

MATTHIAS Dei gratia, Rex Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Seruiæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque Rex, nec non Slesiæ, & Lucen-

& Lucenburgensis Dux, Marchióque Morauiæ, & Lusatiæ, ad perpetuam rei memoriam. Decet Reges & Principes, qui superna dispositione in suprema dignitate sæculati constituuntur, non solùm armis, verùm etiam legibus esse decoratos, & bonorum stabiliúmque potius institutorum vigore, quàm absolutæ potentiæ, vel dominandi abusionis seueritate populos subiectos, & simul imperij sui habenas moderari. Proinde ad vniuersorum notitiam volumus peruenire, quòd nos postquam maximo & inexpectato DEI munere, ac eiusdem ineffabili incomprehensibilique prouidentia ad hoc Regiæ dignitatis fastigium sublenati fuimus, semper in animo voluimus, semper cogitauimus, & cordi semper habui-
10 mus, vt eas inordinationes, & perditas abusiones, quæ in hoc regno prædecessorum nostrorum, Serenissimorum Dominorum Regum, & nostra etiam tempestate hactenus, potissimùm verò in iudiciis fuerunt, extinguere, ac statuta & decreta ita salutaria, ita stabilia condere possemus, quæ ad laudem & gloriam imprimis Redemptoris nostri, ac deinde nostrum, & totius deinde regni honorem, salutem, commodum & tranquillitatem planè dignoscerentur; quæque pro legibus, & iure scripto perpetuò haberētur, nec vnquam pro arbitrio variare, aut nouas, aut contrarias leges cuiquam ferre liceret, prout hactenus in cuiuslibet noui Regis assumptione factum fuisse non est obscurum: fecissemúsque satis huic sancto proposito, & desiderio nostro, nisi vrgentissimis huius regni necessitatibus,
20 potissimùm in orarum finiúmque eiusdem rectificatione, simul etiam atrocissimorum hostium exterminatione, quibus regnum ipsum refertum innenimus, præpediti fuissemus. adeò quippe fines regni partim per Bohemos, partim per Alemanos, partim Turcorum continuas incutsiones, partim verò vicinas alias nationes, & quidem omnes inimicas, distractæ, occupatæque fuerunt, vt nihil prorsus præter corpus regni, & id quoque dinersis, vt præfertur, hostibus refertum, dilaceratúmque restabat. Quibus rebus effectum est, vt huiusmodi salutare propositum in aliud tempus differre sumus coacti, & maximè, quia sperabamus, quòd postquam hostes præfatos (qui pluribus annis regnum ipsum ferro & igne vastauerant, & qui illud tanquam hæreditarium tenere posse, iam non du-
30 bitarant. Sic enim in ipso pedem fixerant, vt iam connubia etiam facerent, & affinitates cum regnicolis contrahere cœperint) superaremus, pacem, ocium, & simul quietem è vestigio comparare, & eiusmodi desiderium commodius complere possemus; verumtamen siue operatione inimici generis humani, qui bonis salutaribúsque votis semper insidiatur; siue prauorum hominum suggestione, & ineffrenata dominandi libidine effectum, spes & opinio nos in hac parte fefellit. Nam postquam cum DEI auxilio hostes ipsos exterminauimus, & oras finésque regni omni ex parte grauissimis licet laboribus, expensis, & multorum nostrorum cæde non modò rectificauimus, verùm etiam plurimum vndique extendimus & dilatauimus, iámque id quod cordi semper habuimus com-
40 plere molimur: Ecce Serenissimus Dominus Fridericus Romanorum Imperator, & Dux Austriæ, &c. quem perinde ac patrem charissimum semper coluimus, & obseruauimus, & cui in omnibus rebus gratificari studuimus; bellum nobis sic, vt præmittitur, longis, grauissimisque armis, & expensis exhaustis indixit, & continuò regnum inuasit; illudque graui & irrecuperabili iactura, incendio, spolio, & diuersis aliis execrandorum malorum generibus affecit. Quo factum est, vt rursus, licet inuiti, arma capere, & nos, regnúmque nostrum, ac cum vi propulsare coacti simus; sicque sexennio huiusmodi bello vacare nos oportuit. In quo quidem bello eo deuentum est, quòd Deo rebus nostris fauente, & iustitiam, simúlque iniuriam ex alto prospiciente, non solùm nos, regnum-
50 que nostrum ab ipsa Imperiali Celsitudine, à qua sic prouocati, sicque lacessiti fuimus, tutati sumus; verùm etiam illum in Austria, patria hæreditaria agentem, adorsi, Viennam, ciuitatem celeberrimam, eius prouinciæ caput & solium, semestri ferè obsidione cinctam, expugnauimus, subiugassemúsque & eius reliquias, nisi domesticis insolentiis & querelis reuocati fuissemus. Sed dum his rebus vacamus, dum successus nostros vrgemus, dum fortunámque simúlque vi-

ctoriam prosequimur, magna propter longam absentiam & occupationem nostram homicidarum, furum, latronum, prædonum, falsariorum, incendiariorum, & similium sceleratorum oritur in regno multitudo, ita, vt non viator, nec frater à fratre, nec hospes ab hospite tutus. propter quod vt simul tandem præfatum desiderium nostrum explere, tranquillitatiq; regnicolarum, prout semper optauimus, consulere possimus: in hoc regnum nostrum, ad cuius regimen diuina, vt præmisimus, voluntate assumpti sumus, frequenti regnicolarum lamentatione pulsati, descendimus, generalemq; diætam hîc Budæ celebrandã, cunctis præfatis Baronibus, & Proceribus, & aliis Nobilibus, instituimus. vbi cum eisdem vnà, cæterisque de quolibet Comitatu electis nobilibus, & vniuersum hoc regnum repræsentantibus, ad laudem in primis Dei, & eius Genitricis, virginis Mariæ, sanctorúmque Regum, patronorum huius regni, & deinde pro nostro, & totius regni honore, salute, bono statu, vtilitate, commodo, & tranquillitate, in subscripta capitula, & articulos pro legibus, & iure scripto, perpetuò duraturos & obseruaturos, pari & vnanimi omniũ voluntate, consilio & assensu conuenimus & concordauimus. Quorum quidem capitulorum siue articulorum primus est.

Iudicium generale seu palatinale nunquam celebretur.

I.

In primis definitum & conclusum est, quòd iudicium generale seu palatinale aboleatur, & à modò nullo vnquam tempore celebretur. Sed tamen ne per hoc malefactoribus malè agẽdi data ac concessa videatur licentia, ordinatum est, quòd si quando Comitatus aliquis à latronibus, furibus, homicidis, incendiariis, falsariis & aliis huiusmodi flagitiosis sentiret se molestari, & tales malefactores ibi multiplicari cognosceret: Regia Maiestas ad petitionem illius Comitatus annuere, & eisdem liberam concedere facultatem debebit, quòd illos cum Comite exquirere possit, & valeat.

Proclamata congregatio generalis cesset.

II.

Item, quia in celebrationibus congregationum proclamatarum plurimæ enormitates, & inaudita scandala, pericula etiam inopinata ex improuiso fieri solent: ad tollendum huiuscemodi periculosum, & extra hoc regnum inauditum iudicium, seu potius corruptelam, pari vniuersorum regnicolarum voluntate, consilio, & deliberatione, statutum est & diffinitum, quòd à modò nullo vnquam tempore huiusmodi proclamatæ congregationes generales celebrentur, sed penitus cessent, & perpetuò abolitæ sint & habeantur.

Breues euocationes similiter cessent.

III.

Item conclusum est, quòd breues etiam euocationes consimiliter cessent, & aboleantur.

Octauæ festorum Georgij & Michaelis celebrentur, & ordinariè intersint.

IIII.

Item, quòd singulis annis, nisi intercesserit legitima & grauis Regiæ Maiestatis, aut regni necessitas, infallenter siue Regia Maiestas agat in regno suo, siue non, celebrentur duæ octauæ, sanctorum Georgij, & Michaelis: ita videlicet, quòd illorum celebratio, seu prima dies, aut terminus incipiat statim vigesima die post festa præfata, in quibus duo ad minus ex iudicib. ordinariis interesse debent. Cæteri verò, si propter vrgentes aliquas necessitates interesse nequeunt, vices gerentes nihilominus eorum interesse teneantur. Eorum autem loco, qui non interesse poterunt, Regia Maiestas alios ex dominis Prælatis & Baronibus substituere debeat. Sine præsentia tamen præfatorum dominorum iudicum, octauæ ipsæ non debeant neque possint celebrari. Durent autem quousque necessariæ videbuntur.

V.

V.

ITEM, diffinitum eſt, quòd in Tranſſyluania & Sclauonia ſimiliter ſingulis annis duę alię octauę, videlicet Epiphaniorum Domini, & ſancti Iacobi, celebrentur, & ſimiliter vigeſima die poſt huiuſmodi feſtiuitatem inchoentur, & durent quouſque neceſſitas poſtulauerit.

VI.

ITEM, quia finalis deciſio cauſarum, potiſſimùm verò in facto poſſeſſionario per varios hinc inde terminos, variáſque dilationes, in longum ſerpere conſueuit, adeò, vt interdum vix in vna hominis ætate finaliter cauſa aliqua terminari 10 poteſt, propter quod partes laborantes & expenſis vehemẽter grauantur, & nonnunquam ad extremam inopiam deuenire coguntur: Quamobrem concluſum eſt, vt à modò vniuerſæ cauſæ, etiam in facto poſſeſſionum, & iurium poſſeſſionariorum, coram quouis iudice deinceps mouendæ, abſque prorogatione & dilatione, ſemotaq; omni exceptione, in quatuor octauis terminentur.

VII.

ITEM, ordinatum eſt, quòd cauſantes ſiue litigantes in omni cauſa concordandi liberam habeant facultatem. Iudex verò eos inhibere, neque pro pace ſeu concordia quicquam ab eis extorquere poſſit.

20 VIII.

CÆTERVM ex quo ordinatum eſt, quòd vniuerſæ cauſæ in facto iurium poſſeſſionariorum mouendæ, in quatuor terminis, ſiue octauis finaliter terminari debeant: idcirco ſtatutum & diffinitum eſt, quòd euocationes cum inſinuatione, quæ ſuper factis potentionariis, damnorum illationibus, aliiſque nocumentis, & iniuriis fuerunt, in primis octauis, poſt factam euocationem celebrandis, finaliter terminentur. Si verò in facto poſſeſſionariorum fuerint, & maximè ſi iurium & literalium inſtrumentorum exhibitionem neceſſariam requirere dignoſcentur, vſque ad ſecundas octauas, ſed non amplius, pro huiuſcemodi priuilegiorum productione, differri poſſint. Euocationes verò cum inſinuatione, in 30 quibuſcunque factis fuerint, ſub ſigillis omnium iudicum ordinariorum, tam regiorum, & palatinalium, & iudicum curiæ, quàm etiam Banorum Sclauoniæ, Croatiæ, Dalmatiæ, ſed & Waywodæ Tranſſyluaniæ liberè decernantur.

IX.

VLTERIVS, quia ſolent plurimi ſe à facie iuris prorogationum ſuffragio impunè abſentare, & partem aduerſam, iuſtam contra ſe actionem habentem, longo litigantium proceſſu grauare: quod malum vt à modò tollatur, vt vnicuique iuſtitia tempore debito adminiſtretur; conſtitutum, & ſancitum eſt, quòd prorogationes Regiæ Maieſtatis temporibus octauarum nemini ſuffragari valeant, niſi his, qui extra fines & oras huius regni Hungarici, in caſtris & ſeruitiis, vel in legationi- 40 bus regiis, vel regni fuerint, vel occupabuntur in regno, & ad illud cum cæteris vnà tempore debito proficiſcerentur. Illi etiam qui extra fines, in caſtris, vt præfertur, fuerint, in tribus tantummodo octauis eiuſcemodi prorogationes obſeruent, in quarta autem reſpondere & iuri ſtare teneantur.

X.

PRÆTEREA ſi duo, vel etiam plures fratres indiuiſi fuerint, & eorum pater, aut eo mortuo, frater maior natu domi fuerit; cæteri verò fratres, vel eorum alter, ſiue in bello, ſiue in caſtris, vt præfertur, extra regnum occuparentur, ſi tamen fratres diuiſi fuerint; obtenta tamen prorogatione frui poſſint, & gaudere. Si qui au- 50 tem huiuſmodi prorogationes à Regia Maieſtate falsè impetrare præſumpſerint, hoc eſt, ſi vel fratres ſuos in bello, vel in caſtris extra regnum, vel in legatione occupatos finxerint: in emenda linguæ eo facto conuincantur. pro qua quidem pœna perſonaliter, ſi pręſentes fuerint; ſi verò abſentes, procuratores per iudicem, coram quo res agitur, capiantur, & immediatè pœna ipſa ab eiſdem irremiſſibiliter extorqueatur.

XI.

ITEM, quia in executionibus faciendis magni refert, qualiter homines regij se habeant, & quales illi sint: idcirco ordinatum est, quomodo in quolibet Comitatu Comes cum vniuersitate nobilium teneatur ex potioribus nobilibus, & personalem ibi residentiam facientibus, decem vel duodecim, aut octo, & eo plures vel pauciores, iuxta Comitatus exigentiam eligere, & illi duntaxat debeât & possint ad faciendas inquisitiones, euocationes, statutiones, & alias executiones, cum testimonio capituli vel conuentus proficisci: qui onus illud infra vnum annum integrum supportare tenentur. Quàm primùm autem eligentur, sicut electi capitulorum & conuentualium, ita & illi, in sede iudiciaria, iuxta subscriptam formam, iuramentum deponere teneantur. Et si quis onus ei impositum suscipere recusauerit, in viginti quinque marcis per Comitem confestim & irremissibiliter exigendis, cõuictus habeatur eo facto. Cùm verò de aliqua executione reuertuntur, sicuti testimonia capituli vel conuentus, in capitulo vel conuentu, iuramentum præstare debeant & teneantur: Quòd id, quod viderunt, fecerunt, audierunt, resciuerunt & executi sunt, suo modo fatebuntur. Si qui verò ipsorum falsitatem aliquam quacunque ex causa commisisse reperti fuerint, honorem & humanitatem perdidisse censeantur, & insuper in viginti quinque marcis per Comitem immediatè & irremissibiliter conuincantur eo facto, quodq; de cætero nunquam testimonium de aliqua re, neque intra neque extra iudicium, sine speciali gratia Regiæ Maiestatis, facere valeant.

XII.

ITEM, quia in quolibet Comitatu nobiles, qui cæteris & conditione & facultatibus reperiuntur inferiores, pro iudicialibus eligi consueuerunt, quo fit, vt plurimæ leuitates, timore, fauore & præmio per illos committuntur: Eam ob rem statutum est, prout etiam temporibus quondam Serenissimi Domini Sigismundi Imperatoris, & aliorum Regum obseruatum fuisse planè constat, quòd deinceps non tales, sed boni & digni, beneq; possessionati nobiles, in quolibet Comitatu ex residentibus eligantur. Quicunque verò sic electi assumere onus illud recusauerint, in quinquaginta marcis immediatè & irremissibiliter per Comitem exigendis conuincantur eo facto. Qui quidem iudicialium arma & sigilla agnoscibilia habere debeant, & teneantur.

XIII.

ITEM, quia per homines capitulorum & conuentuum, qui pro testimoniis transmittuntur, pro fauore, pretio, dono, odio, timore & complacentia, plurimæ incredibiles enormitates, tam in fassionibus, quàm etiam literarum emanationibus, committi solent: hoc verò ex eo potissimum fieri consueuit, quia non canonici, sed rectores altarium, vel capellani, & frequenter etiam scholares, & mendicantes, & quidem tales ad executiones mittuntur, qui facilimè corrumpi possunt: Idcirco, vt huic malo debita prouisione occurratur, statutum est, quòd in omni loco capitulari & conuentuali teneantur canonici & fratres, in manibus Prælati vel vicarij sui, iuramentum de seruanda in executionibus iustitia deponere. Quódque deinceps nemo alius de capitulo, nisi canonicus; de conuentu verò, nisi frater in sacerdotio constitutus, ad executiones mittantur. Hi verò seriatim transmitti debeant, & quandocunque ab aliqua executione reuertuntur, quæ executi sunt, sub iuramento referant. Pro via autem, & redemptionibus literarum, teneatur ille modus & ordo, qui tempore quondam Serenissimi Domini Sigismundi Imperatoris tentus fuit, & qui etiam in præsenti decreto inferius est declaratus. Cùm autem pro aliqua executione, vel inquisitione facienda, vel alia quaeunque te emittuntur: inquisitionem ipsam cum homine regio, qui bonus & conscientiosus, atque bene possessionatus esse debebit, facere debeat, singillatim tam à nobilibus, quàm ignobilibus, & ab omnibus etiam aliis, quos habere poterit. Antequam tamen inquiret, strictissimum iuramentum ab eis exigere teneatur: Quòd quicquid ab eis interrogabit, fideliter & veraciter confite-

confitebuntur, postmodũ verò nominatim vnde sint, & si ignobiles fuerint, cuius sint Iobagiones, cuius etiam conditionis: & item, quid de re, de qua inquisiuerit, quilibet ipsorum scire confitebitur, de verbo ad verbum singulorum attestationẽ scribere debeat, & teneatur. Si qui verò huiusmodi ordinationis transgressores reperti fuerint, tanquam periuri, & falsarij, atque communis boni, communisq; iustitię proditores, eorum beneficiis eo facto priuati sint, & habeantur, neq; etiam gratiam quoquo modo facere valeant.

XIIII.

ITEM, quia propter incuriam & negligentiam Abbatum, & Præpositorum
10 regularium, potissimùm verò constitutionem non obseruantium, conuentus eorum multum inordinatè, dissolutè, & scandalosè viuere, ac in emanationibus literarum, & inquisitionibus faciendis plurimas enormitates & falsitates committere solent: idcirco de Regiæ Maiestatis voluntate, ac dominorum Prælatorum, Baronum & Procerum, cæterorumq; regnicolarum communi consilio conclusum est, & definitum, quòd à modò Abbatias & Præposituras conuentuum regularium, potissimùm verò sigilla habentium, nulli alij, nisi religiosi eius ordinis, cuius Abbatiæ vel Præposituræ fuerint, tenere possint: quodq; ipsi Abbates & Præpositi simul cum omnibus eorum fratribus regularem vitam, iuxta ordinis sui statuta, seruare teneantur.

20 XV.

ITEM, quòd Episcopi, in quorum diœcesi Abbates & Præpositi fuerint, teneantur eosdem, atque etiam eorum conuentus bis singulis annis personaliter visitare. Si autem maioribus occupati, vel absentes fuerint, per ipsorum vicarios & præpositos, aut alios bonos & doctos viros Ecclesiasticos, hoc nihilominus facere teneantur. Et si Abbates & Præpositi regulam eorum non obseruare, vel aliàs malam vitam ducere, aut etiam Episcopis suis inobedientes fore dinoscentur; deponantur per eos, & melioribus eorum beneficia conferantur. Ex conuentu etiam fratrum, si qui mali & inobedientes fuerint, per visitatores eiiciantur. Nam si Abbates & Præpositi boni erunt, fratres boni fiant, necesse est. Sicq; neq; in literarum
30 emanationibus, neq; aliis in rebus falsitas committi poterit.

XVI.

ITEM, solent nonnulli in euocationibus ponere de consensu & voluntate T. & T. quod directè contra Deum & eius institiam fore dignoscitur. Quis enim scire potest an consenserunt, vel quod commissum dicitur fuisse, voluerunt: de occultis siquidem & intentione, præter Deum, nemo rectè iudicare potest. Idcirco statutum est, quòd deinceps nunquam tales euocationes determinentur. Nunquam etiam vxores, matres, filiæ & sorores nobilium euocentur: nisi fortè causæ ratione talium iurium possessionariorum mouerentur, quæ illas æqualiter concernere dignoscuntur; cum clausula tamen præfata, hoc est, de consensu &
40 voluntate, & instigatione T. & T. nullo vnquam tempore euocare debeant. Quod si fieri contingeret, per iudices ordinarios, & magistros protonotarios, nunquam obseruentur, nunquam etiam admittantur.

XVII.

ITEM, de communibus inquisitionibus celebrandis ordinatum est, quòd pro partium euidentiori iustitia, communis inquisitio, sicut hactenus, ita etiam in posterum celebrari possit, celebrari tamen debeat, tali ordine: Quòd quotiescunque eiusmodi inquisitio fieri debebit, per vtramque partem vno die in sede iudiciaria eiusdem Comitatus celebretur. Præterea, quòd testimonium capituli vel conuentus, & regij homines, iidem pro qualibet parte, & non diuersi fiant, quódque
50 singuli attestantes sigillatim iurare, & per ipsius capituli vel conuentus, atque regios homines, de negotio, de quo experiri volent, interrogari & examinari debeant.

XVIII.

ET item, quòd tempore inquisitionis siue attestationis huiusmodi partes causantium interesse non valeant, sed ipsos regij & capituli vel conuentus homines

excludant, & semotis illis seorsim, vt præfertur, quilibet interrogari & examinari debeat. Ad huiusmodi autem attestationem faciendam periuri, infames, & qui honorem & humanitatem perdiderunt, præterea etiam ignobiles, etiamsi possessionati fuerint, per Regiam Maiestatem non nobilitati, acceptari & admitti non debeant. Item, quòd in occulta reuisione modus & antiqua consuetudo seruetur.

XXIX.

ITEM, quia hactenus propter inordinatam celebrationem communium inquisitionum, interdum fauore vel odio, interdum verò metu partium plurima periuria, & quidem euidenter commissa sunt: ad euitandum igitur, & conterendum eiusmodi animorum laqueos, & simul ad tollendam pestiferam peccandi occasionem, definitum est, quòd tametsi in superiori articulo satis declaratum sit, qualiter inquisitiones & aliorum etiam iudiciorum processuum executiones fieri debeant: tamen, vt magis huiuscemodi damna ac periuria cessent & extinguantur, in executionibus ipsarum communium inquisitionum, talis ordo seruetur: Quòd cùm ex reportatione inquisitionum querelæ, sic, prout factæ fuerint, reperiantur, non reus, prout hactenus extitit consuetum, se purgabit, sed actor suorum coniuratorum, paucorum scilicet, vel plurium iuramentis, iuxta rei exigentiam, & iudicis deliberationem, actionem fulciet & confirmabit; ita videlicet, quòd si actio pro damnis fuerit, iudex iuxta qualitatem & quantitatem, & exigentiam damnorum, secundum regni consuetudinem, actori iuramentum indicabit, & si actor ipse inquisitionem pro sui parte reportabit, causamq; obtinebit, reus in facto potentiæ à modò non conuincatur, sed eius loco in viginti quinque Marcis, puta in centum aureis immediatè persoluendis, ac inter iudicem & actorem æqualiter diuidendis, eo facto conuictus sit & habeatur, & insuper damnificato damna persoluere, & de illis plenariam satisfactionem impendere teneatur. Casu verò, quo in factis eiusmodi damnorum tempore inquisitionis fassiones attestantium dispares fuerint: iudex decernere debebit, an actor pro damnis sibi illatis iurare, vel reus se purgare debebit.

XX.

CÆTERVM diffinitum est, quòd à modò in posterum, nemo in facto potentiæ, etiamsi quis commissa per ipsum mala, vel in iudicio, vel etiam aliàs proprio ore confiteretur, nisi in his subscriptis casibus conuincatur. putà, propter inuasionem domorum Nobilium, item occupationem possessionũ & vtilitatum, atque pertinentiarum earundem, ac detentionem Nobilium, sine iusta causa, præterea vulnerationem, verberationem, vel interemptionem Nobilium. In his verò casibus, taliter iudex procedere debebit. Quòd si actor pro sui parte inquisitionem modo & ordine suprà notato reportauerit, in ampliorem rei verificationem, si partes voluerint, causam ipsam ad communem inquisitionem decernat. Si verò reus ipsam inquisitionem acceptare noluerit, extunc actor, pro maiori verificatione veritatis suæ, iuxta regni consuetudinem, hactenus in hac parte obseruatam, ad caput illius aduersarij iurare debebit. Si autem partibus volentibus ipsa causa immediatè præscripta communi inquisitione definietur, & ipsa communis inquisitio pro parte actorum feratur, si tamen reportatio ipsa dispar fuerit: iudex ex attestantium fassionibus decernat, vter illorum, actor, vel reus, iuramentum deponere debebit. Vbi verò in his pręscriptis casibus factum scilicet potentiarum tangentibus castellani, officiales, aut alij familiares, vel Iobagiones dominorum, aut aliorum quorumcunque regnicolarum delinquerent, & quoscunque offenderent: eorum domini propterea pœnam facti potentiæ non incurrant, sed super innocentia, quòd scilicet non de eorum voluntate malum illud sit patratum, prout iuri & iudici consonum videbitur, se purgare debebunt; verumtamen si tales apud eorum dominos remanerent, ex parte eorum ipsi domini veram iustitiam, iuxta iuris æquitatem, facere & administrare tenebuntur. In aliis autem casibus, putà damnorum & iniuriarum illationibus, & cæteris similibus, modus & ordo præscriptus obseruetur.

XXI.

Cæterùm

CÆTERVM quia tempore atteſtationis communis requiſitionis, oculatæ reuiſionis,ſtatutionis,& reſtatutionis, nec non æſtimationis iurium poſſeſſionariorum, per partem conuictam hactenus nonnunquam repulſiones in contemptum iudicij & iuſtitiæ fieri ſolitæ ſunt; pro quibus prima vice in vna Marca auri, ſecunda verò in duabus id facientes,iuxta conſuetudinem hactenus obſeruatam conuincebantur:quare vt huiuſmodi violentorum, & iuris,iuſtitiæq; turbatorum temeritas debito remedio compeſcatur;ſtatutum & ſancitum eſt, quòd quicunq; in poſterum cuiuſcunque ſtatus,& gradus,& conditionis exiſtat,qualicunq; & in quacunque cauſa etiam ſententiæ capitalis vi facere præſumpſerit,contra partem 10 aduerſam in facto potentiæ,& inſuper ſi in cauſa ſtatutionis,vel reſtatutionis,aut æſtimationis fuerit,in æſtimatione illorum iurium poſſeſſionariorum,quæ ſtatui aut æſtimari debuerunt,procedatur. Si verò id, tempore communis inquiſitionis, vel † occultæ reuiſionis contingat,ſimiliter in facto potentiæ,prætereà in amiſſione cauſæ conuincatur,& conuictus habeatur eo facto.

† oculata antè.

XXII.

ITEM, ordinatum eſt & concluſum , quòd trinoforenſes proclamationes, quæ hactenus in facto poſſeſſionum & iurium poſſeſſionariorum,prætereà in exhibitione literarum & literalium inſtrumentorum, atque etiam in facto obligationum,certiſq; aliis cauſis fieri ſolitæ ſunt,ceſſent,& deinceps nullo vnquam tem- 20 pore fiant, ſed penitus aboleantur,quoniam quidem abuſio & corruptela potius, quàm lex dici poteſt.In obligationibus verò talis modus ſeruetur,quòd ſecundum quod ſe quiſquis obligauit,facta legitima euocatione,in primis octauis iudicium & iuſtitiam recipiat,& ad hoc vigore præſentis decreti aſtrictus habeatur.

XXIII.

ITEM, quia in duellorum dimicatione plurimæ hinc inde fraudes committi poſſunt: (rarò enim illi, inter quos illud fit iudicium,per ſe decertant,ſed pugiles conducunt,qui nonnunquam dono,fauore,& promiſſis componuntur,ſicq; partem ſuam,quantumuis iuſtam, quandoquidem non ipſimet decertare conſueuerunt, ſuccumbere patiuntur)quare ſtatutum eſt,quòd à modò illud iudicij genus 30 extra hoc regnum in mundo inauditum perpetuò aboleatur,& in factis potentiarum iuriumq; poſſeſſionariorum fieri nunquam debeat.Duellum ſiquidem tunc ſolummodo fieri deberet,& ad hoc ordinatum extitit,quādo omnis probatio deficeret: in factis verò potentiarum & poſſeſſionariorum partes probationes ſemper habent, & etiam aliquando iudicium duelli ad curiam regiam militarem,& non ad ſedem iudiciariam pertinet. Accedit,quòd in iudiciis perſonalis præſentia Regiæ Maieſtatis ſemper intereſſe,literas etiam ſigillare debet.Is verò vt plurimum ſpiritualis eſſe debet.Intererunt prætereà Archiepiſcopi,Epiſcopi,& plures alij ſpirituales, & idcirco non conuenit,vt in ſede iudiciaria duellum decernatur. Proinde his,& aliis pluribus bonis reſpectibus,rationalibuſq; ex cauſis hoc iudicij 40 genus perpetuò aboleatur,& nūquam decernatur,niſi in caſibus,in quibus omnis probatio deficeret,vt,ſi ſolus à ſolo in itinere,nullo ſpectāte, ſpoliaretur, vel quidquid alter alteri ſine alicuius teſtimonio commodaret,aut aliquid ad ſecretas aures diceret, & alter neq; ſpolium,neq; creditum,neq; etiam verba prolata probare poſſet. In quibus caſibus huiuſmodi duellum decerni quidem poteſt, non tamen in ſede iudiciaria,ſed in curia militari Regię Maieſt. ad illam ſiquidem, vt præfertur,& nō ad ſedem iudiciariā eiuſmodi genus iudicij pertinere,planè dignoſcitur.

Duellum.

XXIIII.

CÆTERVM,ex quo deciſio quarumlibet cauſarum etiam in facto poſſeſſionum,& iurium poſſeſſionariorum, deinceps mouendarum, pro regnicolarum 50 quiete,& communi quiete,ad quatuor tantummodo octauas, vt præfertur,reſtricta eſt, & reducta:ſtatutum eſt,quòd quilibet in cauſam ratione iurium poſſeſſionariorum attractus, in primis octauis proclametur, quo euocatio ipſa magis ad noticiam eius perueniat, & per magiſtrum,coram quo cauſa ipſa mota fuerit,debeat fieri,vt moris eſt, ſignatura.Et ſi non comparebit in primis octauis,in nullo onere,ſeu nullo Byrſagio conuincatur; ſi verò neque in ſecundis,neque in tertiis

comparebit, teneatur soluere Byrsagium, ab antiquo consuetum. In quartis autem octauis siue compareat, & se, causamq; suam defendat, siue nõ: causa ipsa iuxta vim præmissi articuli, non obstante quauis allegatione, finaliter terminetur, & definiatur.

XXV.

Item, conclusum est & ordinatum, quòd deinceps nullus omnino magistrorum protonotariorum priuatè in hospitio extra tabulam, seu sedem iudiciariam Regiæ Maiestatis, causam aliquam siue rationem possessionum, siue actuum potentionariorũ, siue aliorum quorumcunq; motam vel mouendam adiudicare, & sententias ferre audeat: sed vniuersæ causæ, tam maiorum, quàm minorum, in sede iudiciaria, in præsentia cæterorum iudicum ordinariorum discutiantur: quodque nullæ prorsus literæ, potissimùm in causis arduis, & quæ finalem rerum decisionem contingunt, per magistrum aliàs extradentur, nisi in sede iudiciaria, vbi prius alta & intelligibili voce publicè perlegantur, & deinde pro maiori cautela, & euidentia iustitiæ, vltra sigillum, quo ipse magister protonotarius illas muniet; alius etiam magister protonotarius se subscribere debeat, & teneatur: ita quòd si causa coram Regis protonotario agetur, protonotarius Palatinalis; si verò coram illo, regius, aut iudicis curiæ, ad literas manum apponere, & se subscribere teneantur.

XXVI.

Item, quia nonnulli se à iudicio & iurisdictione Banorum, Waiwodarum, Comitum & vicecomitum parochialium eximi, & solummodo iudicio & iudicatui Regiæ Maiestatis præseruari procurarunt; sub cuius exemptionis confidentia cæteros plurimis damnis, iniuriis, oppressionibus, nocumentis, & aliorum malorum generibus impunè afficere consueuerunt: quare statutum est, quòd vniuersæ huiusmodi exemptiones, hactenus qualitercunque concessæ, & per quoscunque impetratæ, demptis duntaxat perpetuis Comitibus, qui ex vetustissima diuorum Regum ordinatione solius Regiæ Maiestatis iudicio reseruati intelliguntur, reuocentur, cassentur, & nullius vigoris aut firmitatis habeantur: meritò quippe concessa immunitate & gratia priuari debent, qui illa abutuntur. Et si per quospiam similes exemptiones & gratia fortè impetrarentur, illæ quoque vigore præsentis decreti nullius vigoris intelligantur.

XXVII.

Cæterum; quia ex parte illicitæ occupationis illorum bonorum, & iurium possessionariorum, quæ per Regiam Maiestatem seruitoribus suis, & aliis donantur, variæ querelæ & clamores non solùm apud Maiestatem suam, sed etiam in vniuerso regno fieri consueuerunt: causantur enim plurimi, quàm primùm bona aliqua à sua Celsitudine per suos vel alios impetrantur, illa protinus, nullo habito scrutinio, an scilicet iustè & legitimè Maiestas sua donare potuit, occuparent, & non obstante eorum contradictione, obtinerent: quare statutum est, & sancitum, quòd à modò si quibus aliqua bona per Regiam Maiestatem, quocunque nomine, & titulo donata fuerint, & contra iura, decreta, & consuetudinem huius regni quacunque arte dominium illorum, non obstante etiam contradictorum inhibitione, capient: Comes per contradictores requisitus, teneatur illos è vestigio admonere, quò manus suas de illis excipiant. Et si ad primam etiam requisitionem & admonitionem id facere recusauerint, secundò per eosdem contradictores requisitus, teneatur, vigore præsentis decreti, scita prius veritate, illos captiuare, & de illis bonis eiicere, & insuper ad solutionem communis æstimationis eorundem bonorum per omnia remedia compellere. ad cuius rei executionem si Comes per se impotens esset, Comitatus per ipsum requisitus, penes eundem insurgere, & ei opportuno fauore, subsidio & auxilio assistere debeat, & teneatur. Si qui verò adeò potentes fuerint, vt Comes etiam cum auxilio Comitatus id facero non poterit: Regia Maiestas per Comitem auisata, bona ipsa occupari facere teneatur.

XXVIII.

XXVIII.

Item, conclusum est, quòd si deinceps aliqua bona à Regia Maiestate impetrata fuerint, & impetrans institerit, vt ea Regia Maiestas nomine suo occupari faceret, simulq; procuraret, vt literæ donationales scriberentur, quasi illa de manibus suis regiis collata essent: eiuscemodi literę donationales, quoad illam clausulam (*de manibus regiis*) nullius vigoris & firmitatis sint, & habeantur: & quòd neque per Comites, sed neque in octauis per iudices ordinarios, & magistros protonotarios obseruentur.

XXIX.

10 Vlterius quòd vniuersa bona, possessiones, & iura possessionaria quæ ab anno proximè transacto, videlicet millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto, vsque in præsentem diem festi Epiphaniorum Domini, anni eiusdem millesimi quadringētesimi octuagesimi sexti inclusiuè, per Regiam Maiestatem, quibuscunque donata sint, si, & in quantum illa contra iura, & decreta, ac antiquam Regni consuetudinem occupata sunt: illorum detentores & occupatores, requisiti prius & moniti, cum literis regiis, aut palatinalibus, infra statum vnius mensis integri, à die requisitionum & monitionum computando, remittere debeant, & teneantur. Alioquin Comes, cum aliis nobilibus illius Comitatus, penes eum eligē: & deputandis, illis quorū fuerunt reddere, in eisdémque illos conseruáre de- 1485.

20 beat. Si autem detentores illi potentes fuerint, Comes verò ad hoc exequendum impotens & insufficiens, Comitatus huius præsentis statuti vigore insurgere, ac in hac parte Comiti ipsi assistere debeat, & teneatur. Illi autem detentores si ex regia donatione ius sibi acquisitum sperabunt fuisse, iure regni acquirere debeant. Si verò detentores adeò potentes erunt, vt Comes etiam cum auxilio totius Comitatus id facere non poterit, Regia Maiestas per Comitem auisata, occupare, & præmissa facere exequi debeat, & teneatur.

XXX.

De iuribus impignoratis.

30 Cæterum, quia fieri solet, quòd nonnulli bona & possessiones suas, necessitate cogente, pignori obligant, & eadem tempore medio, venditis etiam aliis rebus suis, redimere vellent, & ad hoc pecunias paratas haberent, tamen illi, quibus obligarunt, immemores salutis & honoris, remittere nollent, sed ad octauas eius rei decisionē differrent, vt scilicet interea fructus percipere valeant: propter quod nonnunquam eiusmodi possessiones & bona ab ipsis pauperibus, & eorūdem hæredibus perpetuò alienantur, ex quo pecunias vtcunque ad id dispositas, aut expendere coguntur, aut casu amittuntur. Vt igitur illorum malorum fœneratorum malitia compescatur, & horum inopum indemnitati consulatur: statutum est, & sancitum, quòd, quandocunque eiusmodi fœneratores per aliam partem iuri-

40 dicè & legitimè requisiti, pecunias eorum leuare, vel illis leuatis, bona impignorata reddere, & remittere noluerint, sed causam ad octauas distulerint, in primis octauis causa ipsa definiri, & sic adiudicati debeat: quòd sine vlla solutione illa bona remittantur, & per iudicem statim restituantur, & insuper fœnerator ille in tanta summa pecuniarum, in quanta bona illa sibi obligata fuerant, contra partem alteram conuincatur eo facto.

XXXI.

Cæterum, quia quotiescunque bona aliqua, aut iura possessionaria, siue per defectum, seu vnius, seu aliorum, ad coronam, & consequēter ad collationē

50 Regiæ Maiestatis deuolui contingunt: plurimi insurgere, & bona ipsa ad eos deuoluta iure acclamare soliti sunt, sicq; Regiæ Celsitudinis aures non modò importunis clamoribus obtundunt, verumetiam Maiestatem suam maioribus intētam, ne se in illis intromittat, prohibent, turbant, & impediunt: illis etiam Maiestas sua quibus bona huiusmodi donat, ne sibi statuant contradictionis velamine obuiāt. Hoc verò iccirco maximè facere consueuerunt, vt interea, quoad iure determi-

nabitur, an ad Regiam Maiestatem, vel alios bona ipsa sint deuoluta, fructus, prouentus, & alias illorum vtilitates impunè percipere possint. Quare præsenti decreto sancitum est, quòd in quocunque Comitatu aliqua iura per defectum seminis quorumcunque decedentium deuoluta fuerint, & de huiusmodi possessionibus manifestè non constabit, sed dubium erit, an ad ius regium, vel aliquos fratres de genere decedentiũ, seu hæredes fœminei sexus pertineant: extunc Regia Maiestas intra huiusmodi rei dubiæ decisionem, bona illa occupari, & ad manus alicuius probi & idonei hominis, quem scilicet sua Maiestas ad hoc deputauit, tãquam ad manus communes & fideles dari & assignari facere debeat, qui interim, quoad dubium illud resoluetur, & causa finaliter decidetur, cum solitis & iustis prouentibus teneat: si quid autem vltra solitum & ordinatum censum extorserit, illi, cui post causę decisionem bona ipsa cedent, reddere debeat, & teneatur: hoc adiecto, quòd, si qui bona ipsa ad eos deuoluta fuisse affirmauerint, infra vnũ integrum annum, prout etiam in sequenti articulo tangetur, siue celebrentur octauę, siue non, teneantur coram Palatino iura sua producere, & docere, bona ipsa ad eos pertinere. Quod si facere poterunt, Palatinus eisdem statuere mandet, & faciat eum effectu: si autem in probatione defecerint, dentur & assignentur eadem bona ad manus illorum, quibus per Regiam Maiestatem fuerint donata, &c, si qui vlterius ad illa ius habere sperauerint, eadem de manibus regiis requirãt legitimè. Vbi autem vxores, vel filiæ huiusmodi hominum, absque hærede masculo decedentes, in illis possessionibus remanserint, possessiones eædem à manibus earum auferri & occupari non debeant, priusquàm de earum iuribus, videlicet, an hæreditariò & perpetuò ad ius fœmineum pertineant, an ne veritas inquiratur. Quam quidem veritatem fœminæ ipsæ infra vnum annum, vt præfertur, ostendere debebunt, & tenebuntur, & si repertum fuerit easdem possessiones iuri fœmineo non competere, extunc dictis vxoribus talium decedentium, antequam de dominio aliorum excludantur, per Regiam Maiestatem, aut alios, ad quos repertæ fuerint deuolutæ, vel etiam quibus Maiestas sua easdem possessiones fortè donauerit, de earum dotibus & iuribus plenaria satisfactio impendatur. Filiabus verò vsque ad tempus maritationis earum domus paterna, cum quarta parte possessionum paternarum, pro quarta filiali, secundum antiquam consuetudinem regni, sequestretur, & possidenda relinquatur. Postquam verò maritatæ, & traductæ fuerint, de earum iure quartalitio pecuniaria solutione immediatè satisfiat. Vbi autem alicuius filia, vel soror, siue de curia alicuius Baronis vel nobilis, siue etiam de propria domo paterna, vel aliunde vndecunque, cum consensu & voluntate patris, aut fratris, homini impossessionato nupserit: ipsius puella, in quarta illa puellari per ipsum patrem, aut fratrem, nobilitari debeat. Si verò sine consensu & voluntate patris, aut fratris, id fecerit, in portione sua puellari non nobilitetur, sed cum pecuniaria solutione eidem satisfieri debeat, & in hoc casu, ius suum quartalitium noncum possessione, sed cum pecuniaria satisfactione requirendi habebit facultatem, prout & quemadmodum huiusmodi cõsuetudo & ordinatio etiam hactenus obseruata fuisse planè dignoscitur.

XXXII.

PRÆTEREA ordinatum est, quòd, si cui per Regiam Maiestatem bona & possessiones, & quæcunque alia iura possessionaria, siue per defectum seminis, siue nomine iuris regij, aut alio quocunque titulo donata fuerint, & tempore statutionis contradicetur, impetrans contradictioni parere, & locum dare teneatur, & illorum dominium contra ipsam contradictionem non capiat. Sed tamen si contradictor de recenti in possessionem illorum bonorum se ingessit, & prius illorum bonorum dominium non habuit, prout etiam in superioribus tactum est: infra vnius anni spacium, à die datarum literarum donationalium computando, siue interea celebrentur aliquæ octauæ, siue non, teneatur contradictor coram Regia Maiestate, aut Palatino, vel magistris suis protonotariis, ad id deputatis, iura sua producere, rationem contradictionis reddere, & simul ostendere, bona illa optimo iu-

mo iure ad se pertinere. alioquin elapso termino, per Regiam Maiestatem, aut Palatinum, vigore præsentis statuti, eiiciatur de bonis illis, & assignentur illi, qui impetrauit, & insuper idem contradictor compellatur ad integram restitutionem, quicquid vtilitatis interea ex illis bonis percepit. Si verò bona ipsa etiam prius apud manus contradictoris fuerunt, impetrans iuxta præscriptos articulos in octauis, vigore præsentis decreti, de manibus eiusdem iure requirere debeat.

XXXIII.

ITEM, dos vxorum qualitercunque decedentium, salua semper maneat, & 10 illa nunquam fraudentur.

XXXIIII.

ITEM, quia inter Prælatos, cæterosq; viros Ecclesiasticos, ac Nobiles, nonnunquam lites & controuersiæ suboriri consueuerunt, & pars partem omni via, modo, & arte grauare laborat: pro tranquilliori igitur statu, & commodo regnicolarum, ne scilicet pars in partem in hoc casu habeat imperium, statutum est, quòd si Prælati, & alij viri Ecclesiastici contra Nobiles in præsentia cuiuscunque iudicis litem mouerint, pro re & causa, pro qua scilicet agetur, lite ipsa pendente, sine certa scientia Regiæ Maiestatis interdictum in eos ponere, vel cōtra ipsos sen- 20 tentiam excommunicationis ferre non debeant; ne potius ex passione, quàm æquitatis amore tulisse eam videantur. Et si Prælati vel aliæ Ecclesiasticæ personæ in præsentia alicuius iudicis iuris ordine conuicti fuerint, in eadem grauamina, quibus aduersarium onerare intendebant, eo facto incidant.

XXXV.

ITEM, quia mercatores, & negociatores, cæteriq; pauperes, qui aut quæstus gratia, aut pro necessaria victuum acquisitione, vel etiam pro aliis ipsorum rebus, per regnum hinc inde proficisci habent, per varias arrestationes multipliciter grauari, impediri, molestari, & damno irrecuperabili affici consueuerunt: ordinatum 30 igitur est & statutum, vt à modò perpetuis successiuis temporibus talibus in arrestationibus modus seruetur. Quòd si quispiam causabitur alium sibi debere, nisi debitum fuerit liquidum, hoc est, nisi debitor fuerit apertus & manifestus, qui vulgari & materno sermone, *hembe, valo ados*, nuncupatur, is enim in communi loco arrestari poterit: non protinus illum vel alium, aut alios pro suo arbitratu debeat arrestare, sed prius teneatur rem ad aures Comitis illius Comitatus, in quo debitor fuerit, deferre, qui vigore præsentis decreti tenebitur è vestigio dominum debitorem admonere, & simul requisitum, quo illum iuri detineat, & si creditor non satis faciet, teneatur sub pœna duodecim Marcarum grauis ponderis per Comitem exigendarum, ad primum diem iuridicum, ad sedem iudiciariam actori re- 40 sponsum adducere: vbi si ille defendere se & expurgare nō poterit, vel dictus dominus suus, cum in secundo termino iuridico præsentare & statuere non curabit; Comes ipse teneatur, & sit obligatus de bonis eiusdem domini sui actori non solummodo de sorte capituli, verumetiam de vniuersis expensis per creditorem vel actorem factis, ex integro satisfacere. Si verò debitor, vel reus per dominum suum detentus, & in sedem iudiciariam transmissus, ibiq; conuictus fuerit, iuxta deliberationem suam iudiciariam, & commissionem Comitis, de rebus & bonis debitorum, tam, vt præfertur, de summa capitali, quàm etiam expensis factis satisfacere debeat & teneatur, & ad hoc per Comitem compellatur. cui quidem reo si facultates ad satisfaciendum non sufficient, in primis res, quas habuerit, dentur & æsti- 50 mentur creditori, & tandem caput quoque illius tradatur in manus dicti creditoris. Si autem alicubi in hac parte Comiti non parerent, ita quòd iuxta vim præsentis decreti, debitum suum facere non permitteretur, sed cogeretur rem ad aures regias deducere: extunc dominus possessionis, in qua scilicet ipsi Comiti refragabitur, in viginti quinque Marcis per Regiam Maiestatem irremissibiliter extorquendis conuincatur eo facto, & nihilominus teneatur Maiestas sua, & ad hoc sit

obligata, de quantitate & summa debita creditori vel actori simul cum expensis per ipsum factis, sine vlla prorsus dilatione, satisfacere ad integrum.

XXXVI.

ITEM, statutum est, quòd dum Prælati, Barones, & quicunque nobiles, siue ad Regiam Maiestatem, vel eius curiam, siue ad bellum, vel quocunque aliàs, & siue in rebus priuatis, siue publicis proficiscentur, sine damno, nocumento, iniuria, & impedimento aliorum regnicolarum semper & vbique proficisci debeant, & teneantur.

Dominus gentium seu exercitus pro damnis irrogatis iure conueniatur.

XXXVII.

ITEM, quia regnicolæ per progressum & descensum militantium plurimum hactenus, vt præfertur, grauati & damnificati fuerunt: statutum itaque est & sancitum, quod tam gentes regiæ, quàm aliorum quorumcunque regnicolarum, tam scilicet equites, quàm pedites, quæ per regnum proficisci habent, teneantur deinceps pretia omnium victualium, tam scilicet equis quàm hominibus conuenientium, persoluere, & nusquam damnum inferre præsumant. Quòd si aliquæ, non regiæ, sed aliorum contrauenerint, illorum dominus pro damnis irrogatis, ob iniuriam, & iacturam passo, iure requiratur. Si verò regiæ fuerint, tenebitur semper Maiestas sua cum illis aliquem bonum & bene possessionatum hominem suum deputare, qui cum eis procedat, & nusquam damnum inferre patiatur. Et si aliter facere præsumserint, atque pro damnis & iniuriis querela ad regias aures deducta fuerit: teneatur Maiestas sua ex parte illius talem tantamq; iustitiam & satisfactionem impendere, quòd non solùm damna illata, sed etiam expensæ, quas damnificatus siue querulans fecerit, refundantur. Ne autem occasionem solutionis & pretij victualium differant, seu contentionem aliquam oriri contingat, diffinitum est, quòd tam regiis quàm etiam aliorum gentibus ad bellum profecturis teneantur vbique locorum victualia dare, & administrate iuxta registrum & limitationem Regiæ Maiestatis, quantum Maiestas sua iuxta temporis conditionem facere, & ductoribus eiusmodi gentium suarum dare debebit, & eorum precia gentes ipsæ similiter iuxta continentiam eiusdem registri seu limitationis sine difficultate semper persoluere debeant, & teneantur.

XXXVIII.

CÆTERVM, quia nonnullæ gentes, potissimùm verò leuis armaturæ siue huzarones hoc facere consueuerunt, quòd post descensum exercitus, aut etiam exspirato stipendio eorum, non in propriis eorum, sed aliorum bonis iacent, seq; reficiunt, & plurima istic damna, molestias, & alia nocumentorum genera impunè committunt: statutum itaque & diffinitum est, quòd tales à modò nusquam in bonis aliorum manere seu iacere possint, sed teneantur ad propria redire, & ibi, si volent, noua stipendia expectare. Quòd si qui fortè temerè aliud attentare præsumerent, & hi, in quorum bonis agerent, molestè ferrēt, debeant Comiti illius Comitatus significare, & eum requirere, quo illos remoueat: ille verò è vestigio teneatur eos monere, quòd recedant, & damna irrogata persoluant, & si non paruerint, eos captiuet, & personas ad castigandum Regiæ Maiestati transmittat: de rebus verò & bonis suis & familiarium suorum, damna illata rectificet, & persoluat. Si autem Comes per se ad hoc impotens & insufficiens erit, Comitatus penes eundem insurgere teneatur. Si tamen tepidus & negligēs fuerit, & damnificatus querelam Regiæ Maiestati porrexerit, debeat & teneatur Maiestas sua, de propriis rebus & bonis ipsius Comitis, vniuersa illa damna rectificare, & etiam expensas refundere, & insuper gentes ipsas de possessione querulantis remouere.

XXXIX.

XXXIX.

ITEM, quia Veneti, & Poloni, omni arte, omnique via & technis conati sunt, & semper conantur ad terras & dominium, ad sacram coronam pertinentia, pedem inferre, & illa vsurpare, prout etiam aliquam partem de facto vsurparũt: proinde statutum atq; sancitum est, sub nota perpetuæ infidelitatis, vt nemo regnicolarum audeat illis aut eorum alicui castra, fortalicia, ciuitates, oppida, & possessiones, aut alia bona immobilia vendere, Inscribere, impignorare, commendare, donare, vel aliter qualitercunque dare, vel assignare.

XXXX.

10 ITEM, quia officiales & seruitores dominorum ex confidentia, quam in eorum dominis habent locatam, plurimis damnis, iniuriis, molestiis, & impedimentis cæteros afficere consueuerunt: quare, vt eorum temeritas & licentia compescatur, & simul etiam, vt eorum domini prouidentiores efficiantur, sancitum est, & conclusum, vt si qui nobiles & possessionati castra, vel alia officia, ab ipsorum dominis tenuerint, maláque ex illis perpetrauerint, teneantur eorum domini, scitá prius veritate, ad requisitionem Comitis, sub quo fuerint, læsis iustitiam administrare, & satisfactionem impendere, commissáque mala rectificare. Si verò eiusmodi malorum patratores non fuerint in aliquo officiolatu constituti, sed stipendium duntaxat ab eorum dominis habuerint, & in propriis suis domibus mansé-20 rint, aut aliter dominis ipsorum seruierint, & sic mala huiuscemodi commiserint, ipsimet teneantur coram Comite suo comparere, iuri stare, & se expurgare. in hoc autem casu talium domini non audeant neque debeant se de illis intromittere, neque eos defendere, sed ad Comitem remittere eos teneantur. Si qui autem aliter facere præsumerent, conuincantur eo facto in duplo homagio ipsius seruitoris, & nihilominus Comes seruitorem illum captiuare, & ex parte sua læso debitam iustitiam administrare teneatur. Domini verò huiusmodi suos seruitores, qui scilicet alios damnificabunt, aut aliqua alia mala perpetrabunt, siue etiam qui factores fuerint, & commissa sibi bona malè dispensabunt, vel non data bona ratione aufugiunt, non obstante priuilegio & immunitate nobilitatis, liberè, vbicun-30 que poterint, captiuare, & ad satisfactionem adstringere possint, & valeant. Si quis tamen seruitorem captiuabit, & ille causabitur se iniustè captum; contra eum euocatione in primis octauis causa discutiatur, & iustitia capto ex parte sui administretur.

De seruo fugitiuo.

XXXXI.

PRÆTEREA si alicuius seruitor aut factor aufugiet, & alterius domini seruitio se subiiciet, requisitus & admonitus dominus nouus per priorem teneatur illum è vestigio licentiare, & à se dimittere: alioquin in duplo homagio seruitoris 40 illius conuictus sit, & habeatur eo facto, & nihilominus si nullo modo dimittere voluerit, euocetur per læsum ad octauas primum celebrandas, vbi eidem ex parte illius plenaria & condigna iustitia administrari debeat.

De tributis & teloniis.

XXXXII.

VLTERIVS, de tributorum & teloniorum exactionibus ordinatum est, quòd per totum hunc annum, vsque ad futurum scilicet festum Circumcisionis Domini, Comites quorumcunque Comitatuum, cum certis & potioribus Nobilibus illorum Comitatuum, quotquot loca teloniorum in illo Comitatu habebun-50 tur, videant: & si illud pro pontibus, aut aggeribus, vel in terra arida, aut aliter exigitur, & item quot vlnarum tam pontes, quàm aggeres illi existunt, Regiæ Maiestati fideliter rescribere teneantur, vt tandem Maiestas sua cum dominis Prælatis & Baronibus possit limitare, quantum quisque in suo tributo ab itinerantibus exigere valeat. Si qui verò post huiusmodi limitationem, amplius aliquid accipere, & huic sanctioni cõtrauenire non formidarent, teneatur Comes cum electis No-

bilibus rectificare,& læsis,tam de exactis,quàm etiam expensis,satisfacere.Si verò incorrigibiles fuerint, prohibeat Comes,quòd vsq; ad gratiam Regiæ Maiestatis,vlterius ibi tributum exigere nō præsumant,& insuper prouideat,quòd interea liberè,& sine vlla tributi solutione,locum illum quilibet pertransire possit.Tales verò pertranseuntes Comes ab illis transgressoribus defendere teneatur.Si qui autem Comites per se telonia in illo Comitatu,in quo officium tenent,haberent, vicinorum duorum aliorum Comitatuum Comites debeant tributa illius Comitatus conspicere,& illorum rationem,& causam, atque qualitatem,vt præfertur, Regiæ Maiestati rescribere.

XXXXIII.

ITEM,à rusticis vxores de aliis villis ducentibus,deinceps nullum tributū prorsus exigatur;quodq; à sartoribus & rasoribus non quadraginta denarij,prout hactenus consuetum fuit,sed duntaxat tantum,quantum ab aliis artificibus & viatoribus exigitur,in locis tributorum exigatur.

XXXXIIII.

ITEM, statutum est & definitum,prout etiam per serenissimum quondā dominum Sigismundum Imperatorem sancitum fuisse dignoscitur,quòd nullus Banus,Comes,Waywoda,seu alius officialis regni,cuiuscunq; tituli,aut honoris,dignitatis,& præeminentiæ existat,Ecclesias archiepiscopales,episcopales,abbatiales,præpositales,& alias quascunq; iuri patronatus regio conseruatas,& disponendas,earumq; pertinentias,fructus & reditus,sed neque decimas & possessiones intra terminos & limites sui honoris,seu officiolatus,absq; speciali mandato Regiæ Maiestatis occupare,aut de eisdem partialiter,aut totaliter ingerere præsumat.

XXXXV.

ITEM,quicunque furem,vel latronem,aut alium quemcunq; publicum malefactorem captiuauerit,& eundem de captiuitate sua abire permiserit:Comiti parochiali homagium illius malefactoris,læsis verò damnum irrogatum soluere debeat,& teneatur.

XXXXVI.

ITEM,quia de violentis indebitisq; colonorum siue rusticorum abductionibus,varij clamores,variæque querelæ,variæ etiam lites & controuersiæ oriuntur: proinde statutum est, quòd vniuersi coloni,ab vno anno vsq; ad præsentem diem Epiphaniorum Domini, per quoscunq; indebitè & contra consuetudinem regni abducti, ad requisitionem Comitis eorum dominis restituantur.Si qui verò non reddiderint,in homagio coloni conuincantur eo facto:cuius medietatem Comes pro se,reliquam verò medietatem pro eo,cuius colonus fuit,exigere teneatur:& hoc Comites, in quolibet Comitatu, & in bonis quorumlibet exquirant,& exequantur.In primis autem incipere debeant in bonis Regiæ Maiestatis,& illustrissimæ dominæ Reginæ,deinde verò in aliorum bonis;deinceps verò nemo aliorum Iobagiones violenter,& contra cōsuetudinem regni,sub pœna sex marcarum,nemo etiam sub eadem pœna Iobagiones suos,iuxta consuetudinem regni abire volentes,aliqua excogitata calumnia retinere audeat:ita q; pauperes liberam & manendi & discedendi habeant facultatem.Si quispiam autem causabitur,suos violenter & indebitè abductos,Comes illius Comitatus,cum electis regiis,& aliis bonis hominibus discernat,&,si querelam iustam cognouerit,abductos reddi faciat, & pœnam præmissam à violento extorqueat. Si qui autem imposita calumnia,vel aliqua excogitata nouitate,suos retinnerint,putà,si tunc solummodo taxā ad eos imposuerint,quando illos abire velle cognouerint,vel longo tempore antè imposuerint, & nondum exegerint,& hoc maximè,vt illos tali prætextu semper obnoxios alligare,& exinde retinere possint, in pœna præmissa,hoc est,sex marcis per Comitem immediatè & irremissibiliter exigendis, eo facto conuincantur. Taxam etiam ordinariam si qui exigere volent,infra sexaginta dies exigant,alioquin postmodum taxa ipsa calumniosa intelligatur.

De decimis.

XXXXVII.

ITEM,

ITEM, cæterùm quamuis ab eo tempore, quo Regia Maiestas diuina dispositione ad regiam dignitatem sublimata est, in omni diæta, in omni conuentu, in omni denique congregatione regnicolarum tractatum semper fuerit de solutione decimarum, qualiter scilicet, & quo ordine illæ solui deberent, plurimæ etiam superinde constitutiones factæ extiterunt: nunquam tamen adhuc modus & via reperta est, quo partes contentæ extitissent, & querelæ cessassent: & idcirco etiam in præsenti diæta, licet multum denique, tam à Regia Maiestate, quàm etiam regnicolis super hoc cogitatum fuerit, melior & conuenientior via & modus reperiri non potuit, quàm fuit tempore coronationis Regiæ Maiestatis

10 repertus: eam ob rem conclusum & statutum est, quòd à modò perpetuis successiuis temporib. decimæ ipsæ soluantur, & exigantur iuxta dispositionem tempore præfatæ coronationis factam: hoc cum adiecto, q; quandocunq; decimatores in aliquo Comitatu exire volunt, vnum aut duos ex his Nobilibus, quos Regia Maiestas in omni Comitatu deligere habebit, ad expensas Episcopi vel capituli secum ducere teneantur. Qui in primis prouideant, quòd decimæ vbiq; iustè & bono modo exoluantur. Deinde, quòd decimatoribus iniustas & superfluas decimas dicare non permittant. Qui quidem decimatores si eis non parebunt, teneantur Episcopo vel capitulo rescribere, & eum auisare, & si ille, vel illud non prouidebit, & non rectificabit, teneantur Regiæ Maiestati significare, qui pro bono

20 communi, & quiete regnicolarum, pro sua gratia & clementia hoc onus subire debeat: quòd tam ex parte Episcopi vel capituli, quàm etiam decimatorum talem iustitiam faciat, quòd Comitatus bene & meritò cōtentus esse valeat. Interim verò exactio decimarum cessare debeat, & eius occasione Episcopis interdictum ponere non valeat.

XXXXVIII.

ITEM, ordinatum est, prout etiam per Serenissimum quondam Dominum Sigismundum Imperatorem ordinatum fuisse constat, quòd decimatores iuramentis decimandorum contentari debeant, vel si contentari noluerint, aceruorum liberam examinandi habeant facultatem. Qui si plus inuenerint, quàm rusti-

30 cus dixerit, superfluitatem auferant, & vltra hoc iustam eidem decimam ad soluendum imponant: Si verò iuxta dictum rustici compererit, rustico pro damno in subuersione acerui illato, vnum aurum è vestigio soluere teneantur: quem si soluere recusarent, vel difficultarent, rusticus ipse equum dicatorum liberè auferre valeat. Quod vt facilius & commodius facere possit, præsenti decreto cauetur, quòd decimatores aceruum examinare incipientes, equis descendere, & in domo vel curia rustici decimandi illos ligare teneantur.

XXXXIX.

ITEM, quòd in agris rustici animalia dicata soluant, neque ad festum san-

40 cti Michaelis seruare teneantur, & si postmodum ipsa animalia causaliter perierint, rustici ipsi præterea nullo modo grauari debeant, sed tamen iurare teneantur, quòd non eorum culpa, neque malitia, & neque voluntate perierint.

L.

ITEM, solent nonnulli in certis Comitatibus tempore decimarum in singulis possessionibus suis vnum hortum, cum bladis & frugibus, & item vnum cellarium cum vinis pro se retinere, & vltra decimas prouenire debentes pro se exigere, & quia huiusmodi abusio contra sanctorum Regum ordinationem inducta fuisse dinoscitur. Sic enim per illos ordinatum fuisse constat, vt quos in colligen-

50 dis decimis ipsis facere habent, iis relaxarētur. Proinde statutum est, quòd huiusmodi abusio sopiatur, & perpetuò abolita intelligatur. Ita quòd nullus hortus, nullúmque cellarium dominis terrestribus in decimatione relinquatur. Renitentes verò, & transgressores, Comes per media opportuna adstringat: qui si tepidus fuerit, aut simpliciter facere recusauerit, Regiam Maiestatem superinde auisare debeat, quæ tandem illos compellere teneatur.

L I.

ITEM, conclusum est, quòd si qui regnicolarum, cuiuscunq; status & conditionis existant, super decimis, cum quibuscunq; personis, & à quantocunque tempore, in curia Romana hactenus litigassent, vel etiam in præsentia litigarent, causas ipsas à modò cessare ibi faciant, & si vsq; ad primum diem mẽsis Maij, festum videlicet beatorum Philippi & Iacobi Apostolorum proximè venturum, ad hoc regnum in sede iudiciaria Regiæ Maiestatis discutiendas reuocare, & coram Regia Maiestate comparere neglexerint, ea ad partis comparentis instantiã, non obstante illorũ contumacia, vel absentia, quod iustum fuerit, decernere, & causam ipsam finaliter terminare, & tam de summa, & damno capitali, quàm etiam de expensis sententiam ferre, atque eam debitæ executioni, vigore præsentis decreti, demandare debebit. 10

L II.

CÆTERVM, ordinatum est, quòd deinceps nemo omnino regnicolarum, neq; pro decimis, neq; pro aliis quibuscunq; rebus, in dicta curia Romana litigare præsumat. Si autem aliqui dominorum Prælatorum, aut aliæ Ecclesiasticæ personæ, cum quibuscunque regnicolis, aut econtrà, vel ratione exemptionis, vel etiam super eo, vtrum iustæ & integræ decimæ eis solui debeãt, vel alio quocunq; modo super decimis, aut etiam aliis rebus quibuscunq; lites mouere, vel motas prosequi voluerint: id eis coram Regia Maiestate liberè, sed nusquam aliàs liceat, quæ ex suscepto regiminis officio, vnicuiq; iuxta allegata & approbata, quod iustum fuerit, discernere habebit. Hoc tamen per expressum declarato, quòd causas decimarum non iudices regni, nisi sola Regia Maiestas personaliter semper discutere possit, & valeat. 20

L III.

ITEM, quòd Regia Maiestas ad simplicem querelam, quantumuis grauem & enormem, bona regnicolarum non faciet occupari, sed accepta querela scribat ad Comitem, & electos Nobiles illius Comitatus, eisdemq; committat quòd querelam resciant, & Regiæ Maiestati fideliter rescribant, quæ tandem ex illorum attestatione videat, cognoscat, & deliberet quid illis faciendum erit, & an bonorum occupationem, vel aliam pœnam merebuntur. 30

L IIII.

ITEM, quòd Regia Maiestas neminem regnicolarum, sine Baronum & Prælatorum consilio, nota seu crimine infidelitatis damnare audeat; conclusum est, q; nemo regios infideles ad castra, munitiones, ciuitates, vel alia loca sua acceptare, & ibi conseruare, atque defendere audeat. Si quispiam autem infidelium ex confidentia ad aliquem dominorũ vel amicorũ suorum confugerit, eum ille suscipere, & infra decem dies, sed non vlterius, apud se, & in domo sua impunè conseruare possit. Et si ille, vel pro gratia obtinenda, vel ad ostendendam obedientiam, aut etiam innocentiam suam declarandam, venire ad Regiam Maiestatem voluerit: is eum secum vnà, si volet, ad suam Maiestatem, vbicunque fuerit, ducere, vel etiam cum literis & hominibus suis mittere, sub saluo conductu Regiæ Maiestatis, qui omnibus talibus vigore præsentis decreti ex nunc datus, & concessus intelligitur, liberè valeat, liberè etiã pro illo supplicare, laborare, & intercedere pro gratia possit. Verumtamen si gratia ipsa à Maiestate sua impetrari & obtineri nõ poterit, rursus ad castra, munitiones, ciuitates, oppida vel alia loca, & bona sua illum suscipere & admittere nullo modo audat. Quòd si qui fortè aliter attentarent facere, huiusmodi castrum, munitio, ciuitas, oppidum, possessio, siue locus, ad quem scilicet talis infidelis acceptaretur, eo facto ad regium fiscum deuoluatur, & ex nunc deuolutus intelligatur, de quo Regia Maiestas, vigore præsentis sanctionis, liberam, pro suo arbitratu disponendi habeat facultatem. 40 50

L V.

CÆTERVM, si in bonis aliquorum fures, latrones, homicidæ, incendiarij, & monetarum, vel literarum, siue etiam manuum alienarum falsatores fuerint, & domini huiusmodi bonorũ requisiti per Comitem, illos de bonis suis nõ expulerint: teneatur

teneatur Comes mittere ad capiendum eosdem malefactores. & si rustici, siue incolę possessionum, in quibus tales fuerint, contra homines Comitis insurrexerint, & eis restiterint, quò minus illos capere possint: Comes possessionem non statim occupet, sed teneatur secundò, maiori manu, maioriq; potentia, ad illum mittere, & tam præfatos malefactores, quàm etiam rusticos illos capi facere. Vbi si officiales domini loci illius simul cum rusticis, vel etiam seorsum cum aliis suis complicibus, insurrexerint, & illos capi non patientur, promiserint tamen, quòd illos in sede iudiciaria, coram Comite iuri statuent: homines Comitis parcere, & contenti esse debebunt, & in hoc casu Comes possessionem non occupet. Veruntamen si illos neque capere patientur, neque vt præfertur, statuere promiserint, possessionem ipsam vsque ad gratiam Regię Maiestatis occupare debeat, & teneatur. Si verò dominus talis loci in hoc casu contra Comitem, vel eius homines, personaliter insurrexerit, & obstiterit, ne præfati malefactores, vel etiam rebelles illi rustici capi possint, & neque illos, vt præmissum est, in sede iudiciaria statuere promiserit, vel si promiserit, & non fecerit: possessio, in qua hoc fieri contingit, fisco regio in perpetuum applicetur, & ad illud vigore præsentis decreti ex nunc deuoluta intelligatur, quam Regia Maiestas, vel pro se retinendi, vel etiam aliis donandi, liberam habeat facultatem.

LVI.

ITEM, quòd si aliquæ mineræ auri, & argenti, salis, vel aliæ fodinæ in possessionibus Nobilium, vel aliorum possessionatorum, temporum processu reperientur, absque debita competenti recompensa per Regiam Maiestatem non auferantur: sed si illas Maiestas sua habere voluerit, pro possessionibus illis, in quibus huiusmodi mineræ habebuntur, alias æquè vtiles ac fructuosas dare debeat: alioquin tantummodo ius regale seu vrburas ad fiscum pertinentes percipi faciat, & possessiones ipsas simul cum omnibus suis vtilitatibus, prouentibus, & iuribus eisdem Nobilibus pacificè possidendas relinquat.

Bóf. p. 629. 9.15.

LVII.

ITEM, conclusum est, quòd iudicium & iudicatus Comitatus Zagoriensis in Varasdino hactenus celebrari solitum, aboleatur, & à modò nullo vnquam tempore celebretur. Quodq; causantes in illo Comitatu, ad sedem seu iudicium Banorum Sclauoniæ spectare teneantur & debeant.

LVIII.

ITEM, si qui hominum, cuiuscunque conditionis & præeminentiæ existant, deliberatiuè homicidium perpetrauerint, omni redemptione semota interficiantur. Et si tales homines fuga præsidio se defensauerint, vbicunque & quandocunque reperti fuerint, eandem pœnam incurrant, obseruato tamen iuris ordine, vt Comes, vel vicecomites, & iudices Nobilium illius Comitatus, vbi talis homicida repertus fuerit, ipsi iusticiam iuxta regni consuetudinem administrare teneantur: & nemo tales in castro & domo sua, sub pœna de infidelitate, & aliis malefactoribus superius expressa, acceptare & admittere audeat. Si verò homicidium non ex pręconcepta malitia, neque animo deliberato, sed casualiter, aut aliter inopinatè acciderit, occisor cum propinquis occisi liberam habeant concordandi facultatem.

LIX.

ITEM, diffinitum est, quòd si qui piam causantium siue coram Palatino, vel iudice curiæ, siue cæteris iudicibus ordinariis, Ecclesiasticis, videlicet, & secularibus, tempore octauarum in Byrsagiis, siue iudiciorum oneribus conuincerentur, ad solutionem huiuscemodi onerum seu Byrsagiorum statim in fine litis per iudicem compellantur, & sic per sententiam finalem causa concludetur: Primò parti aduersæ de sua portione, & de bonis conuicti, satisfactionem impendere teneantur, & deinde ad partem suam iudiciariam cedendum, prout etiam hactenus obseruatum fuit, liberam exigendi habeant facultatem. Similiter etiam, si qui coram Comitibus parochialibus, in sede iudiciaria, in aliquo onere conuincerentur, infra quindenam, facta prius admonitione, soluere teneantur. Et si qui facere non

potuerint, vel ſimpliciter noluerint, Comites ipſi ad tanta bona & poſſeſſiones, quæ onus ſeu Byrſagium æquiualeant, liberam deſcendendi habeant facultatem.

L X.

ITEM, quia nonnulli cauſas ſuas, etiam exigui momenti, de ſede & iudicio Banorũ, Wayuodarum, Comitum, & Vicariorum aliorum, etiam iudicum ordinariorum, in curiam regiam prouocare conſueuerunt, vt ſcilicet partem aduerſam longioribus, grauioribusq; litibus, laboribus, expenſis, iniuriis, & damnis afficere, & vel ſic grauare poſſint: pro quiete itaque, & releuamine regnicolarum, & potiſſimum oppreſſorum, & pauperum, communi conſilio, voluntate, & aſſenſu dominorum Prælatorum, Baronum, cæterorumq; regnicolarum, ſtatutum & ſancitum eſt, quòd ſi quiſpiam de cætero cauſam aliquam de præſentia cuiuſcunque iudicis, in curiam Regiæ Maieſtatis prouocauerit, ibique iudicium prius factum, approbatum fuerit in duplo Byrſagio, in quo conuictus propter appellationem intelligitur, conuinci debet, ac eo facto, & immediatè per iudicem ſuum ordinarium irremiſſibiliter extorqueatur.

L X I.

CÆTERVM, ſolent nonnunquam partes in cauſis iudiciisq; ſuccumbentes eorum iudices calumniare, infamare, & in eos iniurioſè inuehi, quaſi eis non eſſet iuſticia per illos adminiſtrata: propter quorum iniquam & damnatam vociferationem plurima ſcandala, & alia malorum genera plerumque ſuboriuntur: proinde ad compeſcendam eorum linguam, communi omniũ ſententia decretum eſt, quòd nemo omnino magiſtros protonotarios infamare, aut in eos iniurioſè inuehi audeat: ſed ſi qui iniuſtum ſibi iudicium factum dicant, ab illorum præſentia & iudicio cum honeſtate, honore & reuerentia ad Regiam Maieſtatem, aut Palatinum, vel Iudicem curiæ, aut eorundem Palatini & Iudicis curię vices gerentium, appellare debeant: quòd ſi quiſpiam præmiſſa facere nõ formidauerit, & linguam non compeſcuerit, atque infamiam, qua magiſtros ipſos, aut eorum alterum afficiat, probare non poterit: extunc, vigore præſentis decreti, in ea pœna de facto conuincatur, qua magiſtri ipſi conuinci deberent, ſi obiecta in eos, aut eorum alterum probari poſſent.

L X I I.

PRÆTEREA ordinatum eſt, prout etiam per Sereniſſimum quondam Ludouicum Regem diffinitum fuit, quòd ſi quis Nobilium ordine iudiciario, ſiue in facto potentionario ſuccubitus duelli, ſiue in pœna calumniæ, vel delationis, exhibitionisq; falſarum literarum, aut ſententiæ capitalis, ſiue alio quocunque facto, in præſentia Palatini, & Iudicis curiæ, aut alterius cuiuſcunque iudicis, conuictus fuerit: iudex cauſæ talem conuictum captiuare, & tribus diebus cauſa pacis & concordiæ detinere debeat. Et ſi concordare nequiuerit, extunc ad manus aduerſarij ad infligendam ſibi pœnam, à iure ſtatutam, & debitam, iuxta regni conſuetudinem, aſſignet. Qui ſi huiuſmodi conuicto mortem, vel aliam pœnam à iure ſtatutam intulerit: à iudice, & parte aduerſa, ſine ſolutione alicuius pecuniæ, vel grauaminis, abſolutus habeatur. Quodque filij, fratres proximi, vxores, ſorores, & conſanguinei eiuſcemodi conuicti & condẽnati, pro illius exceſſu non debeant aggrauari, ita quòd neque propriæ poſſeſſiones & portiones illius, neque alia bona, demptis duntaxat illis rebus, quæ apud ipſum tempore captiuationis reperientur, per iudicem auferantur, ſed omnino in filios & hæredes ſiue generationes ſuas condeſcendant, illiq; in eiſdem bonis, poſſeſſionibus, domibus, & iuribus poſſeſſionariis ſalui, liberi, & quieti permaneant: hoc adiecto, quòd ſi pręmiſſo modo conuictus & condemnatus cum ſuo aduerſario qualitercunque concordare poterit, id ei ſemper facere liceat: & pro huiuſmodi concordia iudex nullum prorſus Byrſagium, aut aliquam aliam ſolutionem, vel ab ipſo conuicto, vel etiam parte aduerſa, capere & exigere poſſit, ſed liberè, & abſque vlla penitus ſolutione, concordiam & pacem ipſam facere valeant.

Pag. 40.

L X I I I.

ITEM, quòd filius de delictis & exceſſibus patris, & è contra, nec in perſona, nec in poſſeſſionibus, & aliis rebus condemnetur, aut aliter puniatur.

L X I I I I.

LXIIII.

VLTERIVS, quòd episcopi, capitula, abbates, conuentus, præpositi, & cęteræ ecclesiasticæ possessionatæ personæ, cum tribus literis inquisitoriis super possessionibus acquirendis, nisi Regia Maiestas destinatis probis viris, quos maluerit, experiatur, & informetur, inter Nobiles & Ecclesiasticos possessionem aliquam nec acquirere, nec retinere possent, nisi cum literis priuilegialibus Regiæ Maiestatis, aut iudicum vices gerentium suæ Maiestatis: prout hæc omnia tempore quōdam Serenissimi Domini Regis Ludouici decreta & obseruata fuisse dignoscuntur. Pag. 42.

LXV.

10 ORDINATVM insuper est, prout etiam in decreto Serenissimi Domini Sigismundi Imperatoris continetur, quòd violator sedis iudiciariæ in Byrsagio viginti quinque Marcarum, irremissibiliter extorquendarum, conuincatur eo facto.

LXVI.

ITEM, quòd minuti conuentus, & præsertim conuentus de Zenth Iob deinceps ab emanatione literarum cessent, & omnino careant firmitate.

LXVII.

ITEM, ordinatum est, quòd Regia Maiestas, cum consilio & voluntate Prælatorum & Baronum suorum, debeat in quolibet Comitatu aliquem Baronem, 20 vel alium notabilem, & bene possessionatū hominem, qui scilicet sufficiens & idoneus videbitur, in Comitem parochialem præficere, & ille teneatur ex illo Comitatu, & non aliunde, notabilem aliquem pro vicecomite vel vicecomitibus eligere, qui omnes iuxta subscriptam formam iuramenti, iuramentum coram Regia Maiestate: vicecomites verò in ipso Comitatu præstare teneantur.

LXVIII.

ITEM, solent plerumque exercituantes in eorum progressibus Ecclesias, propter commeatus, siue victualia, & alias res per colonos pro securitate ad easdem collatas, Dei & hominum timore postposito, violare, & inde non solummodo victualia necessaria, sed etiam omnia bona eorundem colonorum surripere, & ibi 30 alia etiam enormia, & dictu quoque nefanda impunè committere: quare vt eorum temeritas & detestanda licentia compescatur, sancitum est, quòd à modò nemo omnino, siue eques, siue pedes fuerit, & siue cum exercitu, siue aliter, qualitercunque iter facere habeat, ostia Ecclesiarum infringere, vel aliter Ecclesias profanare, aut victualia, vel alias aliquas res inde violenter accipere audeat. Vbi verò deinceps contrauentum fuerit, si capitaneus eiusmodi copiarum nobilis fuerit, tam iura sua possessionaria, quàm etiam omnia alia bona sua amittat, & ad fiscum regium deuoluta sint & habeantur eo facto. Si autē eiusmodi transgressores ignobiles fuerint, comburantur. Hanc verò executionem supremus capitaneus exercitus facere teneatur: qui si neglexerit, vel fortè ipsemet sanctionem istam trans- 40 gredietur, auisata Regia Maiestas superinde, pro sua gratia, & iusticia, atque innata clementia, executionem fieri demādet. Et si gentes illæ Regiæ Maiestatis fuerint, Ecclesiam reconciliare faciat: si verò aliorum fuerint, illi, quorum erunt, huiusmodi reconciliationem facere teneantur: hoc adiecto, quòd si tales exercituantes victualium inopia laborauerint, plebanus, aut iudex, aut villicus loci Ecclesiam aperire, & illis gentibus coram illo, quem capitaneus earundem copiarum ad id deputauerit, pro iusto, digno, & conuenienti pretio & solutione, victualia de Ecclesia dare teneantur.

LXIX.

ITEM, quòd gentes huiusmodi in ipsorum progressu in domibus Nobilium 50 nusquam descendere, & neque res & bona colonorum, siue rusticorum, de domibus & curiis Nobilium violenter auferre & exportare præsumant. Transgressores verò eandem pœnam, quam violatores Ecclesiarum, incurrant eo facto.

LXX.

CÆTERVM, quia archidiaconi, vicearchidiaconi, & plebani propter eorundem insatiabilitatem, non contenti iustis & veris illorum prouentibus, quandam

deteſtandam, & extra hoc regnum inauditam corruptelam, potiſſimum verò in Comitatum Simigienſem induxiſſe dinoſcuntur, videlicet, quòd dum contingit aliquem quocunque modo interfici, ſi etiam teſtatus decedat, ſepultura illi, & in Eccleſia, & etiam in cœmeterio interim negatur, donec vltra omnia funeralia, & alia pro locorum conſuetudine & diuerſitate in talibus fieri ſolita, vna Marca argenti, vel quatuor aurei ſoluantur: quæ res, quia non ſolùm abuſio, & corruptela, verumetiam quoddam ſacrilegij & Simoniæ genus meritò cenſeri poteſt: eam ob rem præſenti decreto ſtatutum eſt, quòd à modò deinceps eiuſmodi exactionis genus vbique, & ſignanter in dicto Comitatu Simigienſi ceſſet, & perpetuò aboleatur, & nemo archidiaconorum, vicearchidiaconorum, & plebanorum, & eorundem vices gerentium, ſub pœna amiſſionis beneficiorum, extorquere præſumat, prout hoc etiam tempore quondam Sereniſſimi Domini Caroli Regis Hungariæ, in præfato Comitatu Simigienſi, per bullas Apoſtolicas, ad petitionẽ & inſtantiam eiuſdem Domini Regis, caſſatum & extinctum fuiſſe, ex eiſdem bullis in præſenti congregatione regnicolarum publicè prælectis, manifeſtè dinoſcitur.

Boſ. p. 619. v. 48.

LXXI.

Item, quia ex Comitatibus ſæpenumero vniuerſitas Nobilium, interdum pro rebus totius Comitatus, interdum verò iuſſu Regiæ Maieſtatis nuncios, & electos Nobiles ad Regiam Maieſtatem mittere ſolent; nonnulli autem ſunt tam ſpirituales, quàm etiam ſeculares domini, & item Nobiles, Abbates, Præpoſiti, capitula, & conuentus, qui, inſtar aliorum, de bonis ipſorum expenſas huiuſmodi nunciis & electis dare recuſant, & ſe ab huiuſmodi expenſarum contributione penitus ſubtrahunt: qua in re vniuerſitati Nobilium, & potiſſimum qui inferioris conditionis exiſtunt, non mediocris iniuria inferri dinoſcitur: quare præſenti decreto ſancitum eſt, quòd à modo, omnes & ſinguli, cuiuſcunque ſtatus, & conditionis poſſeſſionati homines exiſtant, & in quocunque Comitatu conſtituantur, expenſas per Comitem diſponẽdas de bonis & poſſeſſionibus ſuis, ad rationem ſiue ſortem eorundem, in medium Comitatus ſemper perſoluere, & perſolui facere teneantur, & debeant: demptis tamen illis dominis Prælatis, Baronibus, cæteriſque poſſeſſionatis, qui tempore congregationis ad Regiam Maieſtatem nominatim & perſonaliter per literas vocabuntur. Veruntamen aliàs, cùm ſcilicet factum Comitatus agitur, quilibet contribuere teneatur. Renitentem autem Comes illius Comitatus, etiam cum grauaminibus, in talibus fieri ſolitis, hoc eſt cum onere trium Marcarum leuis ponderis, compellere debeat, & teneatur.

LXXII.

Item, quia ad ſedem iudiciariam Nobilium quorumlibet Comitatuum cauſantes, & nonnulli alij, qui ſedem ipſam ingrediuntur, cum familiaribus & Iobagionibus armatis, & quidem maiori quo poſſunt numero intrare, & cæteros armis vel multitudine terrere ſolent: quare tum ex eo, quòd deinceps quilibet in eiuſmodi ſedem iudiciariam quietè, liberè, & ſine omni metu, atque periculi ſuſpicione intrare, & ibi honeſtè, pacificè, & abſque omni prorſus impedimento perſeuerare poſſit; tum verò ne leges inter arma, & iura ſilere videantur:

Separatio non neceſſaria.

LXXIII.

Conclusum eſt, quòd tam Nobiles, quàm etiam eorum familiares, & Iobagiones ſedem iudiciariam ingreſſuri, arma omnia, cuiuſcunque generis exiſtãt, in hoſpitiis deponere, & inermes in ipſam ſedem ingredi debeant, vt ibi non armis, ſed iure contendendum noſcant. Tranſgreſſores verò ſi ignobiles fuerint, Comes eorundem arma auferat, & inſuper eoſdem in cypponem ponat, ibiq́ duobus diebus, & totidem noctibus, abſque eſu & potu detineat. Si verò Nobilis extiterit, modo ſimili arma auferat, & inſuper vnam Marcam grauis ponderis ab eodem extorqueat.

LXXIIII.

Item, quia in nundinis, & foris hebdomadalibus, præterea & in tabernis, plurimæ hominum interemptiones, vulnerationes, verberationes, & item multæ rixæ,

rixæ,& infinita aliorum malorum genera committi cõſueuerunt(furor ſiquidem vbique arma miniſtrat)idcirco vt deinceps etiam huic malorum generi debita prouiſione occurratur, conſimiliter ſtatutum eſt, quòd omnes,& ſinguli,cuiuſcunque conditionis exiſtant,ad nundinas,fora,& tabernas proficiſcentes,arma omnia in hoſpitiis deponãt,& inermes ad emendum,vendendum,& bibendum proficiſcantur,ibiq; pœna ſub eadem viuant & commorentur pacificè.

LXXV.

QVIA in ſuperioribus articulis,quanta Comes parochialis in executione 10 iuſtitiæ agere habeat, planè declaratur; vt tamen debito modo,& ſine aliquo impedimento officium ſuum exequi valeat:ſtatutum & diffinitum eſt,quòd quicunque contra Comitem, aut vicecomitem,in eiuſmodi executionibus inſurgerent, & eidem vim inferre præſumerent, ſicque ipſum coercerent, quòd iuſtitiam, quam executioni demandare deberet, exequi non poſſit: extunc tales,ſcita tamen prius mera rei veritate,nota infidelitatis mulctentur. Si verò ſerui vel ruſtici fuerint, ipſos domini eorundem,ſub pœna viginti quinque Marcarum,in manus Comitis ad dignam eiſdem pœnam infligendam,dare & aſſignare teneantur, & inſuper de innocentia,quòd ſcilicet non de eorum voluntate & commiſſione id actum ſit,iuxta regni conſuetudinem ſe purgare debeant,& teneantur. Si au-20 tem ſerui vel ruſtici perpetrato facinore aufugerint: Comes pro iniuria ei illata illos perquirat,& nihilominus domini eorum,vt præfertur,de innocentia ſe purgare teneantur.

LXXVI.

ITEM,quia de iudicibus ordinariis frequenter mentio fieri ſolet,& dubitatur à plurimis qui ſint & intelligantur iudices illi,idcirco declaratur hîc per expreſſum,quòd iudices ordinarij ſunt in primis Palatinus,deinde iudex Curiæ,& poſtmodum Secretarius, Cancellarius,ſi præſens fuerit:ſin autem,locum tenens,hoc eſt,qui ſigillum iudiciale Regiæ Maieſtatis pro tempore tenet. Appellantur autem iudices ordinarij,quia quamlibet cauſam diſcutere,& ipſi ſoli,eorúmque vi-30 ces gerentes ad ſedem iudiciariam non vocati intrare,& etiam alios,ſi quos pro teſtimonio aut alia re volent,aduocare poſſint. Iſti autem ſubſcripti, videlicet magiſter Tauernicorum, magnus Seneſchalcus, Banus Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclauoniæ, & Waywoda Tranſſyluanus non cenſentur iudices ordinarij,& idcirco ad ſedem iudiciariam Regiæ Maieſtatis non vocati, intrare non debent,neque tenentur: ſed tamen ex quo ſunt iudices,& officiales iurati,ſi quando ſponte intrare voluerint, ſiue Regia Maieſtas præſens ſit,admitti,& locum honorificum ſemper habere debebunt: quorum etiam protonotarij & in iudiciis vices gerentes ſimiliter admitti debebunt: neminem tamen ad ipſam ſedem iudiciariam,ſine permiſſione & annuentia prædictorum trium iudicum ordinariorum,vocare po-40 terunt: hoc per expreſſum declarato,quòd præfati iudices ordinarij etiam in abſentia Regiæ Maieſtatis, ſine iſtis aliis omnia iudicia liberè facere poſſunt. Vt autem iudicia cum honeſtate,grauitate,& maturitate,ſine ſcilicet aliquo tumore, tumultu, ſtrepitu,& turbatione celebrari poſſint: ſtatutum eſt, quòd fores domus iudiciariæ ſemper pateant,& nemo, niſi vocatus, intrare audeat. alioquin tranſgreſſor pœnam aliàs ſuperinde decretam,hoc eſt centum aureorum,incurrat,pro quibus ſtatim capiatur,& in turri manca,vſque ad reſtitutionem,teneatur.

Ordinarij iudices.

LXXVII.

ITEM,ſolent procuratores,lucri gratia, plurimarum perſonarum cauſas ſuſci-50 pere,& ſatis negligenter ad earum defenſionem attendere,nullúmque caſum facere, ſi quando eorum principales in Byrſagiis conuincantur,& hoc potiſſimum ex eo,quòd antiqua conſuetudine Byrſagia huiuſmodi, tempore duntaxat celebrationis iudiciorum generalium extorquere ſolebant: cùm verò huiuſmodi iudicia generalia,prout ſuperius tactum eſt,abolita ſint,& deinceps nunquam cele-

brentur: idcirco ordinatum eſt, quòd deinceps nullus procuratorum, plurium quàm quatuordecim perſonarum cauſas ſuſcipere & ſupportare audeat. Vbi autem in Byrſagiis conuincentur, ſtatim poſt finem litis, & cauſæ deciſionem, de bonis & poſſeſſionibus ſui principalis, tam ad partem iudicis, quàm etiam aduerſarij, ſtatuantur.

LXXVIII.

ITEM, quòd omnes cauſæ & lites, quæ hactenus ſuper quibuſcunq; rebus & negotiis motæ ſunt, eodem ordine, & proceſſu iuris, quo huc vſq; conſuetum fuit, proſequi, terminari, & finiri debeant; ita videlicet, quòd præſcripti articuli ſolummodo de futuris, & non de præteritis confecti intelligantur. 10

LXXIX.

ITEM, concluſum eſt, quòd ſi qui cuiuſcunque conditionis, ſiue ſcilicet Eccleſiaſticæ, ſiue ſeculares perſonæ exiſtant, cauſatentur, & priuilegia ſua per Turcos, Bohemos, Polonos, Teutones, vel alios quoſcunque hoſtes & æmulos ablata, aut igne conſumpta, & deperdita fuiſſe, vel etiam ſi quiſpiam Eccleſiaſticorum allegarit Eccleſiam ſuam apud laicales manus, prout nonnunquam factum eſt, diu tentam fuiſſe, & tum per ipſos laicos iuribus & priuilegiis ſpoliatam, vel aliter defraudatam fuiſſe, ſi tales ad literatorium mandatum Regiæ Maieſtatis, vel requiſitionem aliorum iudicum ordinariorum, cum Nobilibus illius Comitatus, in quo 20 bona illa, ſuper quibus iura & priuilegia amiſſa cauſabantur, in rebus à ſexaginta annis, vel citra, ita actum eſſe comprobare poterunt, eiuſcemodi cōprobatio & atteſtatio Nobilium ſemper, & in omni iudicio, pro principali & capitali priuilegio teneatur, & reputetur.

LXXX.

ITEM, quòd ſeculares perſonæ contra Eccleſiaſticas, in iudicio, in maiori onere non conuincantur, quàm Eccleſiaſticæ contra ſæculares conuincuntur.

LXXXI.

ITEM, ordinatum eſt, vt omnis ſcrupuloſa ſuſpicio, quæ contra iudices, & iu- 30 ſtitiarios regni, & item Comites, vel vicecomites, iudices Nobilium, atque etiam electos Nobiles, cæteroſq; officiales, de fauore vel odio concipi poſſet, de cordibus quorumlibet remoueatur, iuxta decretum Sereniſſimi quondam Sigiſmundi Imperatoris: ſtatutum & ſancitum eſt, quòd perpetuis ſemper ſucceſſiuis temporibus omnes iudices & iuſtitiarij regni, tam eccleſiaſtici, quàm ſæculares, qui videlicet in Palatinum, Iudicem curiæ, Magiſtrum Tauernicorum, Cancellarium, aut vicecancellarium, in protonotarium, ſeu vicesgerentem iudicum prætactorum, & etiam aſſeſſorum eorundem, Banum Sclauoniæ, Waywodam Tranſſyluanum, & in Comites quorumlibet Comitatuum, aut iudices Nobilium eligentur & aſſumentur, eorundem vices gerentes, & ſubſtituti, tempore aſſumptionis ipſorum ad hu- 40 iuſmodi officia, in cōſpectu Regiæ Maieſtatis iuramentum honeſtum, de ſeruanda fidelitate, & adminiſtranda iuſticia præſtare debeant. Vicecomites tamē & iudices Nobilium coram ſuo Comitatu huiuſmodi iuramētum præſtare teneantur.

Pag. 48.

LXXXII.

Forma verò iuramenti ſequitur in hæc verba.

EGO T. de T. iuro per Deum viuum, & glorioſam Dei genitricem, virginem Mariam, & per omnes ſanctos, & electos Dei: quòd omnibus coram me cauſantibus, & in omni negotio, quod ad officium meum pertinebit, abſque cuiuſcunque perſonæ, diuitis ſcilicet & pauperis, † exceptione, prece, præmio, fauore, timore, 50 odio, amore, & complacentia remotis, & poſtpoſitis, prout ſecundum Deum & eius iuſtitiam faciendum cognouero, iuſtum & verum iudicium, iuſtitiam, atque executionem omnibus in rebus, pro meo poſſe faciam. ſic me DEVS adiuuet, & omnes ſancti.

† al. acceptione.

LXXXIII.

LXXXIII.

CÆTERVM, in redemptinnibus literarum capitularium, & cnnuentualium, nec non super satisfactinne viarum, seu laborum, qunstestimonia capitulnrum & conuentuum in executionibus facere habent, ne discordiam oriri contingat: conclusum est, quòd in bac parte seruetur limitatin tempore Serenissimi qunndam Sigismundi Imperatoris facta, & tandem per Regiam Maiestatem tempore felicis coronationis cnnfirmata; ita videlicet, quòd in nmnibus locis, tam capitularibus, quàm conuentualibus, prima, secunda, & tertia euncatoria in capitulo, aut conuentu, simul cum eorum nntatin & sctiptnre, prn redemptione literarum recipiantur, seu soluantur singuli viginti quatuor denarij, qunrum centum vnum aureum faciunt. Pag. 53.

10

LXXXIIII.

ITEM, prn literis prnrngatnriis denarij quatunrdecim. Item, prn quibuslibet literis prnhibitntiis, prntestatoriis, & aliis similibus, si patenter emanarunt, denarij viginti quatuor: si verò clausæ, denarij dundecim. Item, de quibuslibet literis fassinnalibus priuilegialiter emanatis, denarij centum; patenter verò denarij viginti quatuor. Item, pro quibuslibet literis inquisitoriis, siue patenter, siue clausè, denarij viginti quatuor. Item, de paribus antiquarum literarum in cõseruatoriis requisitarum custodi seu requisitnri pro se, denarij centum: & pro redemptinne literarum requisitarum, si non habeant multum de scriptura, & patenter cnnfectę fuerint, denarij viginti quatunr. Si verò labor scribentis fuerit magnus, & literæ priuilegialiter confectæ, denarij centum. Item, de simplicibus transscriptis, seu transsumptis literis, patenter emanatis, vbi labor scribentis magnus non fuerit, denarij viginti quatuor: vbi autem literæ fuerint prolixæ, aut priuilegialiter emanatæ, denarij centum. Item, de literis statutoriis, in quibus cnntradictio facta fuerit, denarij viginti quatuor. De literis verò statutoriis perpetuis, in quibus cnntradictio facta nnn fuerit, recipiatur redemptio secundum quantitatem possessionis, & numerum sessionum modo subscriptn, videlicet de sessione vna, duabus, vel tribus, vel quatuor, in totn denarij cẽtum: Vbi autem fuerint vltra quatuor sessinnes, vsq; ad decem, de qualibet sessione denarij viginti quatuor. Vbi verò fuerint vltra viginti, de qualibet sessinne denarij viginti quatuor. Vbi verò fuerint vltra viginti, vsque centum, de qualibet sessione denarij duodecim. Si verò fuerint vltra centum, vsque quaque de qualibet sessione denarij ncto. Item, de literis reambulatoriis metalibus, in quibus contradictin & euocatio facta non fuerit, viginti quatuor. In reambulatinnibus autem metalibus, in quibus simplex cnnsignatin, vel cum hominibus regiis, de curia regia transmissis, similis consignatio, vel finalis metarum erectio, cum iuramento super terram in forma iudiciaria, aut partibus concordantibus facta fuerit: pro redemptinne literarum denarij quadringenti. Vbi autem partibus in huiusmodi reambulatinnibus & demonstratinnibus metalibus discordantibus, causa ad curiam regiam inducta fuerit, tunc pro redemptione literarum talium denarij ducenti. Item, de communi inquisitione ordine iudiciario commissa, denairj centum. Item, de reuisione possessionaria occupationis, denarij centũ. Item, de occupationibus pnssessinnariis hnminum in sententia capitali cnnuictorum, & rerum ablationibus, iudiciaria cnmmissinne mediante, fiendis, de tebus ablatis ex antiqua consuetudine capitulum babebit decimam partem: pro redemptione literarum, denar. centum. Item, de æstimatinnibus possessionariis, iudiciaria commissione fiendis, denarij centum. Item, de possessionariis diuisionibus, de singulis possessionibus diuisis, singuli denarij centum. Item, de expeditoria iuramentali cnntinente nomina coniuratorum, denarij centum.

20

30

40

50

LXXXV.

ITEM, de solutionibus pecunialibus coram capitulis, vel cnnuentibus, vel eorũ testimoniis fieri snlitis, capitulum seu cnnuentus decimam & nonam partem exigere nnn pòssint, nisi quando propter discnrdiam partium, in enrum sacristiis, seu

conseruatoriis, huiusmodi pecuniæ repositæ fuerint. De talibus, nempe, de iure, decimam & nonam partem recipere possint, ad illius tamen partis rationem, quæ causam dederit pecuniam huiusmodi in conseruatorio reponendi. Personis autem testimonialibus capitulorum vel conuentuum, pro singulis diebus, quibus in itinere processerint, soluuntur singuli duodecim denarij, siue in propriis equis, siue in equis causantium transierint, & ducantur, & ipsos ad facta sua conducentes, simul cum equis, & familiarib. eorum de domo iterum in domum semper ducere debeant, & teneantur reducere.

LXXXVI.

PRÆTEREA, ex quo in iudiciis, in curia regia fieri consuetis, coram iudicibus ordinariis eiusdem curiæ, ac eorum notariis, suprà dictæ literæ, & redemptiones earum necessariò currunt: ideo ad tollendam cuiuslibet altercationis occasionem, quæ inter ipsos notarios, & causantes emergi posset, antiquam consuetudinem redemptionis literarum, modo subscripto, duximus similiter declarandam, videlicet, quod in ipsa curia regia, notariis ipsius curiæ iudicis, de vnis literis prorogatoriis soluantur denarij duodecim. De literis iudicialibus seu Byrsagialibus, similiter denarij duodecim. De simplicibus literis inquisitoriis, similiter duodecim. De secunda euocatoria, denarij viginti quatuor. De tertia euocatoria, denarij centum. De proclamatoria, denarij centum. De literis iuramentalibus, de tertio vel sexto si alicui adiudicata, denarij viginti quatuor. De eo qui iurabit duodecimo, vel vigesimo quinto, aut quinquagesimo se, denarij centum. De communi inquisitione, denarij centum. De litera duellari, denarij ducēti. De iuramentali super caput, denarij ducenti. De prima instrumentali exhibitione, denarij viginti quatuor. De secundaria, & tertiaria instrumentorum exhibitione, cum grauamine assumpta, similiter denarij viginti quatuor. De prorogatoria responsione cum tribus Marcis denarij viginti quatuor. De literis prorogatoriis patētibus, denarij viginti quatuor. De literis fassionalibus communibus, denarij viginti quatuor. De aliis literis generalibus, videlicet prohibitoriis, & similibus, denarij viginti quatuor. De prohibitoriis facie ad faciem, denarij cētum. De literis sententionalibus facti potentionalis conseruatori sigilli, floreni decem per centum: Scriptori autem denarij ducenti. De literis statutoriis & reambulatoriis simplicibus, denarij viginti quatuor. De literis autem adiudicatoriis reobtentionis possessionum, seu aliarum rerum, iuxta quantitatem possessionis, seu rei reobtentæ habita concordia inter causantem & protonotarium, fiat solutio. Statutiones autem possessionarias, metarum perambulationes, & reuisiones aliter facere nō debeant, nisi vicinis commetaneis huiusmodi possessionum legitimè ibi cōuocatis, &c, vt fraus & dolus in talibus melius euitetur, nomina singulorum vicinorum & commetaneorum, tempore præmissorum processuum illuc principaliter conuenientium, in literis capitularibus & conuentualibus superinde emanatis, seriatim conscribantur.

Pag. 52. Ver. 50.

LXXXVII.

POSTREMO, conclusum est, quòd Regia Maiestas præscriptam ordinationem, quoad omnes clausulas, capitula & puncta, per quoscunque inconcussè obseruari faciat, transgressorem sic emendet, puniat, & castiget, quo regnicolæ, sicuti eam ipsam ordinationem pari & vnanimi omniū consensu, voluntate & cōsilio, maturaque deliberatione fecerunt: ita omnes Maiestati suæ meritas gratias agere valeant. Quos quidem articulos, siue capitula, nos Matthias, Rex præfatus, cum suprà dictis dominis Prælatis, Baronibus, Proceribus, & cæteris Nobilibus electis, totum hoc regnum repræsentantibus, & in præsenti generali diæta nobiscum existentibus, matura præhabita deliberatione, quoad omnes eorum continentias de eorum dominorum Prælatorum, Baronum, Procerum, & totius regni consilio, voluntate, & assensu, pro perpetuo regni ipsius decreto, & statuto, nec non iure scripto tenendum, & durandum sancimus, stabilimus, authorisamus, authenticamus, & affirmamus, atque ad eorundem obseruationem vniuersos successores nostros Reges, & item totum hoc regnum sic obligamus, vt nullo vnquam tempore,

pore,neque scilicet in nouorum Regum electione,vel coronatione,sed neque in diætis, seu congregationibus generalibus vel particularibus regnicolarum, quicquam ex illis varietur,seu immutetur,sed in omnibus clausulis & punctis inconcusse & inuiolabiliter obseruentur. In cuius rei memoriam,firmitatemq; perpetuam,articulos ipsos in præsentem libellum conscriptos,& insertos,de eorundem dominorum Prælatorum, Baronum, & Nobilium, ac totius regni voluntate,& consilio, secreti sigilli nostri, quo vt Rex Hungariæ vtimur,appensione fecimus communiri. Datum Budæ per manus reuerendi in Christo patris,domini Ioannis Episcopi Ecclesiæ Waradiensis, aulæ nostræ Secretarij, Cancellarij dilecti,&fi-
10 delis nostri, Anno Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo sexto,in festo conuersionis Beati Pauli Apostoli: Regnorum nostrorum anno, Hungariæ, &c. vigesimo nono, Bohemiæ verò decimo nono.

Venerabilibus in Christo patribus, dominis, Ladislao Gereb, electo, & confirmato Albensi Transyluaniæ, Apostolicæ sedis legato, Strigoniensi sede vacante, Petro Archiepiscopo Colocensi, Gabriele Cardinale Agriensi, præfato Ioanne Waradiensi, Osualdo Zagrabiensi, Sigismundo Quinqueecclesiensi, Vrbano electo & confirmato Iauriensi, summo thesaurario nostro, Alberto Wesprimiensi, Ioanne Chanadiensi, Nicolao Waciensi, fratre Gregorio Nitriensi, Ioanne Sirmiensi, & Matthia electo Boznensi, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei
20 feliciter gubernantibus. Item Spectabilibus & Magnificis Emerico de Zapolya, Comite perpetuo terræ Scepusiensis, & prædicti regni nostri Hungariæ Palatino, & Comite Stephano de Bathor, iudice Curiæ, & Waywoda Transyluano, Matthia Gereb, regnorum nostrorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclauoniæ Bano, Ladislao Pakos Tauernicorum nostrorum, Andrea de Zokol, & Francisco de Haraztij Zewerien. Banis, Wilhelmo Comite Zagoriæ Dapiferorũ, Georgio de Turocz Pincernarum, Ladislao Orzag de Guth Agazonum nostrorum regalium Magistris, Paulo Kyniz Themesiensi, & Nicolao Banfij de Lindua Posoniensi, aliisq; quàm pluribus regni nostri Comitatus tenentibus, & honores.

30 DE VRBVRIS OBITER QVIDDAM EX VET. CODICE.

Certa res est, & per multa regesta, ac alia documenta probari potest, q; Reges Hungariæ, ab eorum montanistis, receperunt vrburas, hoc est, de singulis mineris auri, argenti, & cupri habuerunt decimam partem, & quoties Rex habuit decimas partes huiusmodi minerarũ, toties diuisit, & dedit Archiepiscopo Strigoniensi vnam partem, & vocabatur ista datio decima decimæ, & durauit huiusmodi exactio vrburarum vltra centum annos; quoniam quod semel inscribitur rege-
40 stis Regum & Archiepiscoporum, non ita citò obliuioni traditur. Et cùm iam præfata vrburarum repositio à multis, vt præmissum est, annis fuisset continuata, & montanistæ præuia ratione cum eorum argento à toto eo tempore fuissent liberi, ita vt cuicumque voluerunt, illud diuendere potuerunt, sine aliqua mulcta Regis & Camerariorum. Postquam autem sæpe dicti Reges & Archiepiscopi per nonnullos montanistas sæpe sæpius fuissent decepti in eo, quòd non bonas mineras, sed aliquando vilissimas deposuerunt, quas postea cum commodo & vtilitate non potuerunt conflare; ex crebra itaque vilitate, mutatione, & varietate minerarum permoti, nolentes diutius decipi & damnificari, adhibuerunt in consilium Prælatos & Barones, & concluserunt, quòd Reges regni
50 Hungariæ futuris temporibus à dominis montanistis & montanis non vrburas huiusmodi minerarum, sed more aliorum regnorum, totum lucrum Camerarum pro seipsis retinerent, ita tamen, vt stolnas hæreditarias & aquæductus omnes pro conseruatione regalium montanorum, suis impensis debito intertenerent: & sæpe fatis Archiepiscopis de singulis marcis pagamenti monetæ, pro

tempore currente singuli vnum pisetum exoluerent, prout & hodie fit, & iam plus quàm à centum annis inconcussè obseruatum est. Et postquam Reges & Archiepiscopi in antiquissimis eorum regestis & priuilegiis inueniunt vocabulum vrburatum, à tot, vt præmissum est, annis eorum prædecessoribus solutarum, satagunt illas sæpius, sed frustra, ex nouo à montanistis extorquere, & sic vni boui duas cutes per indirectum, & contra naturam detrahere, ac si nescirent antè dictam limitationem, per regnicolas factam, & iam à tot annis irreuocabiliter obseruatam. alioqui tot Reges & Archiepiscopi auri & argenti cupidissimi, per omnia grauamina, imò etiam varias excommunicationes, & personatum detentiones, illas nomine almæ Ecclesiæ Strigoniensis à montanistis extorsissent. auri enim sacra fames quid non mortalia pectora vexat? Imò præfati Archiepiscopi fuerunt iurati, vt prouentus iam dictæ almæ Ecclesiæ Strigoniensis, si qui essent ab eadem auulsi, vellent omnibus modis recuperare, & sæpius præuia ratione hoc conati sunt, sed repugnante iustitia, oleum & lampada perdiderunt. Nam fallitur augurio spes bona sæpe suo, &c. 10

FINIS.

FRANCOFVRTI
Excudebat Andreas Wechelus,
ANNO SALVTIS M. D. LXXXI.